Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

~~IX E 34~~
~~227 A 20~~
KW 401 B 23.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

45

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

270 B-8

RERVM FRISICARVM HISTORIA,

Autore VBBONE EMMIO, Friſio;

DISTINCTA IN DECADES SEX.

Quarum poſtrema nunc primùm prodit, prioribus ita recognitis & locupletatis, ut novæ prorſus videri poſſint.

Adjecto INDICE copioſo.

Accedunt præterea

DE FRISIA, ET REPVBL. FRISIORVM,

INTER FLEVVM ET VISVRGIM FLVMINA,

LIBRI ALIQVOT,

Ab eodem AVTORE conſcripti.



LVGDVNI BATAVORVM,

APVD LVDOVICVM ELZEVIRIVM.

CIƆ IƆC XVI.

Cum Privilegio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. TVLLIVS CICERO
libro de Oratore:

NEſcire autem, quid ante quàm natus ſis, acciderit, id eſt, ſemper eſſe puerum.

CORNELIVS TACITVS
libro IIII Annalium.

QVo magis ſocordiam eorum irridere libet, qui præſenti potentiâ credunt extingui poſſe etiam ſequentis ævi memoriam.

Idem lib. III Annal.

PRæcipuum munus Annalium reor, ne virtutes ſileantur, utq; pravis dictis factiſq; ex poſteritate & infamiâ metus ſit.

AVREA LIBERTAS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

INCLYTIS ET POTENTIBVS
ORDINIBVS
FRISIAE
A FLEVO IN LAVICAM, ET HINC IN AMASVM PORRECTÆ,

in duas regiones αὐτονόμους diſtinctæ,

&

ILLVSTRISS. GENEROSISSIMOQVE HEROI,

GVILHELMO LVDOVICO, COMITI

in Naſſou, Catzenellenbogen, Vianden, Dietz, Domino in Bielſtein, regionis hujus utriuſque, ſimul & Drentiæ

GVBERNATORI

ſapienti, forti, fœlici,

VBBO EMMIVS.

GERMANIÆ res antiquas, regionis ſine dubio Europæarum omnium hoc tempore principis, qui altiùs repetere ſtudent, quàm monumenta ſcriptorum veterũ probæ notæ Græcorum & Romanorum ferunt, aut deliri mihi eſſe videntur, aut illudere iis, ac eorum famam conſultò lædere, quorum gloriæ augendæ hoc ſtudii ſe dare profitentur. Etenim nihil certius eſt, quàm antiquitatum ſuarum omnium quæ Conſtantini M. aut Theodoſii primi, aut liberorum ejus temporibus vetuſtiores ſunt, noti-

tiam qualemcunque ſcriptoribus his ipſis Germanos univerſos acceptam debere. Germani quippè ipſi literarum uſum tum prorſus ignorarunt: quod & ex Cæſare, Strabone, aliiſque autoribus haud infirmis rationibus colligi ac probari poteſt, & ex Cornelii Taciti verbis, autoris longè optimi & rerum Germanicarum peritiſſimi, cujus ſtilo & diligentiæ multò plurima debemus eorum, quæ de ſtatu Germaniæ priſcæ hodiè tenemus, intelligitur evidentiſſimè. Sic enim ait ille de
» iis: *Literarum ſecreta viri pariter & fœminæ ignorant.* Quæ verba perſpicua per ſe & clara licet pervertere quidam, & in alium torquere ſenſum conatus ſit, repugnante ſanorũ atque eruditorum omniũ concordi judicio, actum tamen egit. Quis enim temerè aſſerenti homini vanitatis in cõſuendis tuendiſque fabulis comperto fidem adhibuerit, qui ut ſartas tectas tueatur nugas ſuas, Druydum ordinem, qui & ſacra & judicia apud Gallos quondam curabat, apud Friſios nõ minùs, nationem ſine dubio Germanicam, quàm apud Gallos in uſu fuiſſe, auſit affirmare, & ejus inſtituta in hac natione non ſecùs ac ſi iſta ætate cum Druydibus vixiſſet, prolixè atque ordine exponere, cùm C. Cæſar, (quãtus autor?) qui eo tempore & in Germania fuit, & res contra Germanos geſſit, & Germanis uſus eſt familiariſſimè, Germanos Druydes habere expreſſim neget. Qui verò literarum uſum nõ habuerunt, ii rerum ſuarũ commentarios conficere, aut annales ſcribere non potuerunt. Addo etiam, ſi detur maximè, quod dari ſalvâ veritate nõ poteſt, ſcripturæ ignaros Germanos illos antiquos non fuiſſe, & tamẽ haud conſtet, in literas eos res ſuas miſiſſe, imò contrarium etiam ex probis teſtibus conſtet, quid hoc ad id, de quo agitur, profuerit? Contrarium autem idem Cornelius ſine dubio nos
» docet, cùm ait, *Præter carmina antiqua, quibus heroas ſuos ve-*
» *teres celebrabant, aliud memoriæ & annaliũ genus Germanos eius*
» *temporis non habuiſſe.* Itaque qui hoc agunt, quod ante dixi, qui alias quàm quæ ſcriptis C. Cæſaris, Livii, Strabonis, Melæ, Plinii, Solini, Cornelii Taciti, Suetonii, Plutarchi, Ptolemæi, Dionis Caſſii, Lampridii, Spartani Capitolini, Volcatii, Trebellii, Euſebii, Ammiani, Zoſimi, Procopii, Agathiæ, Caſſiodori, ac ſimilium autorum conſervatæ nobis ſunt, in lucem protendunt, ut cætera quæ committunt,

non

non commemorem, hoc ſaltem efficiunt, ut fidem ſuam in iis quoque, quæ vera ſcribunt, apud prudentes & eruditos elevent. Ita ſanè fit, ut cùm prodeſſe gloriæ ac nomini eorum, quorum antiquitates exponere ſe jactant, volunt, ſi modò hoc volunt, verè plurimùm noceant. Quinimò Germanos nos eximiâ laude exuunt homines belli novâ hac libidine incenſi, qua nos laude exteri ultrò afficiunt, qui præ cæteris gentibus hoc in genere ingenuitatem & veri ſtudium nobis tribuunt. Quorum in numero magnus ille Georgius Buchananus Scotus in fumivendos iſtiuſmodi antiquarios ſcribens his verbis utitur: *Germania verò poſtrema omnium literis fuit expolita. Sed illa pro reliquâ ſuâ ingenuitate cùm nihil haberet, quod ex antiquis monumentis pro vero afferret, nihil monſtri novi ipſa ſibi confinxit.* Mihi verò Cornelianum hoc ſcriptoris ſcilicet caſtiſſimi & graviſſimi, quo nemo veterum, quorum ad nos monumenta pervenerunt, & diligentiùs in res Germanicas inquiſivit, & ſinceriùs pleniuſque eas poſteris tradidit, oraculi inſtar eſſe videtur, ubi dicit: *Ipſos Germanos indigenas crediderim, minimeq; aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixtos.* Et paulò poſt rurſum: *Ipſe eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos, propriam & ſinceram, & tantùm ſui ſimilem gentem extitiſſe arbitrantur. Vnde habitus quoque corporum quanquam in tanto hominum numero idem omnibus: truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora, & tantum ad impetum valida: laboris atque operum non eadem patientia, minimeq; ſitim æſtumq; tolerare, frigora atque inediam cœlo ſolove aſſueverunt.* Et cur, qui cæteras, quæ ab hoc autore de rebus & inſtitutis Germanorum præclara ac laude digna poſteritatis memoriæ prodita ſunt, faveo impenſè, ac promptè libenterque aſſentior, hanc partem non amplectar? hìc tergiverſer? & audire autorem optimum non velim? Cur alios potiùs ſequar homines obſcuros, ignotos, ineptulos, fabularum ſectatores & amatores manifeſtos? qui ſi Cornelio ſe comparari, aut anteferri poſtulent, inſanire ſano judicio præditis omnibus ſine dubio videantur. Atque hoc vel ſolo me ratio prohibet, quò minùs cum iis quoque facere poſſim, qui majores noſtros Friſiorum conditores ex Indiâ uſque, aut ex Perſiâ nobis arceſſunt,

ceſſunt, proque hac ſententiâ ſuâ non minùs quàm pro aris & focis dimicant, atque adeò hoſtium patriæ penè loco habent, qui diſſentire ab eâ ſe profiteri non verentur. Puri puti Germani enim ſumus; majoreſque noſtri inter Germanos cùm ab aliis, tùm ab hoc ipſo Cornelio multis locis ſunt numerati, optimeque eidem ob vicinitatem provinciæ, cui ipſe procurator per aliquot annos præſedit, noti, quorum principes ſeſe quoque apud eundem Romæ in theatro, audiente univerſo populo ac præſente Cæſare, Germanos appellarunt. Itaque quod generatim de Germanis dixit Cornelius, id ſine dubio de noſtrâ quoque gente eſt intelligendum. Majores verò rationes etiam ſunt, quæ me accedere narrationi eorum reliquæ, quàm huic malo principio ſuo de primis conditoribus Friſiorum ex Oriente profectis, & de iis, quos ex his longâ ſerie deducere ipſis lubet, attexunt, haudquaquam patiuntur. Nam non ſolùm memorant & affirmant, quæ nullus veterum, quos antè recenſui, & quorum ſcriptis debere nos ea, quæ de rebus majorum illis antiquiſſimis tenemus, oſtendi, memoria prodidit, ſed etiam, quæ iis ipſis, quæ iſti prodiderunt, è regione adverſantur. Ea inquam memorant, & velut hiſtorias veras certaſque venum lectoribus proponunt, quæ ſi ut vera receperimus, neceſſum fuerit nos Cæſari, Plinio, Tacito, cæteriſque optimis ſcriptoribus, de quorum fide hactenus dubitatum non eſt, fidem derogare. Nec enim illa, quæ hi de ſtatu rerum Romanarum, Germanicarumque ſine dolo malo memoriæ mandarunt, cum univerſo ſyſtemate commentationum de florentiſſimo regno Friſiorum, de elegantiſſimis ejus inſtitutis, legibus, moribus, de regum principumque eruditione & doctiſſimis ſcriptis, de Druydum Friſicorum ſapientiâ & diſciplinâ, de commentariis aut annalibus, de coloniis ampliſſimis huc illuc deductis, de rebus bello geſtis, quæ novi homines noſtri chartis illevêre, ac in publicum emisêre, ullo modo conſiſtere poſſunt. Qui noſtri ſi teſtem fide dignum de rebus hactenus inauditis, & tam procul à memoriâ noſtrâ remotis poſcantur, non lubet dicere, quò ſe recipiant; adeò turpiter ſe dant, ut depuduiſſe, aut à ſanâ mente relicti eſſe videantur. Alibi id feci, peneque feciſſe me pœnitet. Hoc verò ad veram gloriam gentis noſtræ

ex ve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ex vero petitum ſatis eſſe poteſt, quòd ex antiquiſſimis Germaniæ populis ſola ex omnibus & ſedem ſuam, quam ab initio æræ Chriſtianæ, ac temporibus primorum Cæſarum tenuit, & idem nomē ſine mutatione ad hæc uſque tempora retinuerit, retineatque. Loquor de totis nationibus, non de urbibus aut oppidis, ne quis mihi Treviros, aut Coloniam Agrippinam, aut Bonnam, aut Moguntiam objecerit, quæ ut loca mutare non potuerunt, ita quoque nomina priſca conſervaverunt. Quanquam & hæ in ſolo veteris Galliæ ſitæ omnes, & Gallis quondam accenſæ fuêre. Quod & de Tiguro, (ſi quis hanc quoque urbem nomen non variaſſe, licet id ſecùs habeat, contendere voluerit) ac ſimilibus aliis dici poterit. Nationum Germanicarum, quæ Germaniam etiam nunc incolunt, ſoli Suevi à C. Cæſaris ætate ad uſque nos in poſſeſſione ejuſdem nomenclaturæ manſerunt quidem, ſed in ſede eâdem non hæsêre. Saxonum vocabulum ut ætate illâ recentius eſt, à Claudio Ptolemæo primùm uſurpatum, & exiguo tum termino finitum, atque è tenebris primùm emergens, ita de loco diſputari poteſt. Bohemia nomen propè idem tuetur, quo à Tacito afficitur, ſed habitatores ſanguine, linguâ, inſtitutis diverſos ab iis, qui olim eam tenuêre, accepit. Cæterorum Germaniæ populorum nomina Cæſari, Livio, Straboni, Melæ, Plinio, Tacito, Ptolemæo, Dioni uſurpata; Sicambrorum, Bructerorum, Vſipiorum, Tenchterorum, Cheruſcorum, Chattorum, Chaucorum, Cimbrorum, Teutonum, Ambronum, Marcomannorum, Quadorum, Saliorum, Vandalorum, Longobardorum, Burgundionum, Chamavorum, Menapiorum, Vbiorum, Hermundurorum, Nariſcorum, Gothonum, multorum aliorum aut periêre in uſu vulgi, aut è Germaniâ emigrarunt, aut in anguſtiam ſunt redacta. Quæ verò nunc vigent, Thuringorum, Heſſorum, Francorum, Briſgaviorum, Alſatiorum, Algoviorum, Suijtzerorum, Bavarorum, Auſtriacorum, Stiriorum, Moravorum, Sileſiorum, Luſatiorum, Miſniorum, Voitlandorum, Brandeburgiorum, Boruſſorum, Livonum, Pomeranorum, Megelburgiorum, Holſatiorum, VVeſtfalorum, Bergenſium, Clivenſium, Iuliacenſium, Lucelburgiorum, Flandrorum, Brabantorum, Hollandorum, Selandorum, Geldrorum, cæterorum,

omnia ſuccedentibus ſæculis cum rerum mutatione extitêre. Alemanniæ vocabulum, quod latè admodum patuit per ſuperiorem Germaniam, eodem ſæculorum lapſu & natum fuit, & interiit. Vnis id Friſiis, quod dixi, DEUS & ipſorum virtus tribuit. Nomen quippè ſuum, quo priſcis illis ſæculis claruêre, cùm filius DEI in terris natus eſt, purum putumque ac ſine ullâ corruptione ſibi ſervarunt, & dulce ſolum patriæ nec ſponte ſuâ alienis inhiantes deſeruêre, & fortibus animis ac manibus, cùm ab aliis appeteretur, defenderunt: atque hoc tantâ conſtantiâ fecêre, ut ne victi quidem, quod aliquãdò accidit, fortunæ ſuccumberent. Adde, quod limitem ſuum cum nomine, linguâ, inſtitutis, ipsâ Rep. ad Occidentem trans Rhenum, quâ Batavi quondam fuerant, ad Orientem trans Amaſum, Viſurgim, Albim, Eidôram per Chaucorum, Saxonumque omnia in Danos uſque ſecundùm Oceanum, cum res daret, protulerint. Sed aliud quoque majus gentis noſtræ decus, quo & ipſo reliquos Germanos ſine dubio ſuperavit. Quod enim decus populorum libertate potius eſt, ad quam naturâ duce generoſiſſimos & nobiliſſimos quoſque mortalium ferri videmus? Cujus uſui qui adſuevêre, tanti eam facere ferè ſolent, ut non ſolùm cæteris rebus ſuis ipſam anteferant, ſed etiam ſæpè mortem pro eâ oppetere non dubitent. Hæc illa eſt, cujus amorem ac ſtudium, quanquam alii aliis Reip. adminiſtrandæ formis uterentur, tamen omnibus omninò Germanis olim inſitum fuiſſe idem Cornelius paſſim ſignificat. Nam ii etiam, qui regio imperio gaudebant, aut ſub principibus degebant, id ſibi libertatis reſervabant, ut ſuffragiis reges principeſque ſuos deſignarent. *Reges*, inquit Cornelius, *ex nobilitate, duces ex virtute ſumunt. Nec regibus infinita & libera poteſtas, & duces exemplo potius quàm imperio, ſi prompti & conſpicui, ſi ante aciem agant, admiratione præſunt. Cæterùm neque animadvertere, neque vincere, neque verberare quidem niſi ſacerdotibus permiſſum, non quaſi in pœnam, nec ducis iuſſu, ſed velut Deo imperante, quem adeſſe bellantibus credunt.* Et paulò poſt rurſum: *De minoribus rebus principes conſultant, de maioribus omnes: ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium eſt, apud principes pertractentur. Coëunt, niſi quid fortuitum*

aut ſu-

aut ſubitum inciderit, certis diebus, cùm aut inchoatur Luna, aut impletur. Et quæ porrò ibidem ſequuntur, quibus liberorum populorum concilia ponuntur ob oculos. *Mox rex vel princeps* (ait) *prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur, autoritate ſuadendi magis quàm iubendi poteſtate. Si diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur; ſin placuit, frameas concutiunt. Honoratiſſimum aſſensûs genus eſt, armis laudare. Licet apud concilium accuſare quoque, & diſcrimen capitis intendere.* Et rurſum poſt pauca: *Eliguntur in iiſdem conciliis & principes, qui iura per pagos vicoſq; reddunt. Centeni ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul & autoritas, adſunt.* Denique ex Claudii Civilis Batavi actionibus & concionibus, apud eundem in Hiſtoriâ Auguſtâ, hoc eſt vel maximè conſpicuum. Sed ſenſim libertas hæc in Germaniâ declinavit, publicáque poteſtas, quam populus conferre ſolebat, paulatim facta fuit hæreditaria. At Friſii, apud quos regium quoque olim imperium valuit, verum legibus circumſcriptum, libertatique vicinum, eluceſcente apud eos Chriſti notitiâ, cùm reges poteſtate ſuâ cœpiſſent abuti, atque in dominatum convertere, excuſſo regum imperio libertatem integram apprehenderunt. Eâque in re regum atque imperatorum Francicorum gratiâ, quam fide ac virtute inſigni, dum ſigna eorum frequentes ſequerentur, promerebantur, plurimùm ſunt uſi, adjutique. Et quanquam tempeſtatibus Normannicis, quæ toti penè Europæ tum clades tulerunt, afflicti quoque fuêre, emersêre tamen, & reparatam libertatem fortibus auſis, & factis virilibus ad poſteros tranſmisêre. Poſteritas à majoribus acceptam ut hæreditatem longè pretioſiſſimam pari virtute defendit, & illibatam per multa ſæcula ſine interrupto ejus uſu & poſſeſſione conſervavit. Nec verò vulgaris hæc Friſiorum libertas fuit, quali ſe multæ nationes aliæ jactant: nec ſanè immeritò ac ſine ratione. Eſt enim etiam in eâ non parva felicitas, contemnendumve decus: præſertim ſi cum plurimorum aliorum populorum, quorum abjectius obſequium eſt, conditione comparetur. Cujus hæc ferè ſumma eſt, quòd princeps quanquam ſuffragio non deſignetur, ſed jus, quod habet, hæreditarium habeat, tamen poteſtatem

non

non habeat ſolutam & exlegem, nec liceat ei, quod lubet, ſed quod jura populi, & leges, quibus poteſtas ejus definita eſt, ipſi permittunt. Quò pertinent hæc, quòd leges novas condere, veteres abrogare aut mutare, bellum ſuſcipere aut finire, vectigalia inſtituere, publicos cenſus alienare, tributa imperare & exigere ſine conſenſu Ordinum ſuorum prohibeatur. Quid verò majores noſtri? adeò hanc libertatis conditionem aſpernati ſunt,ut vitam ſæpè & fortunas in diſcrimen dare, quàm ipſam cum ſuâ commutare maluerint.
» Nam verè liberis non naſci principes, ſed ab iis eligi opor-
» tere judicarunt. Servitutis enim ſpeciem eſſe cenſuerunt,
» ſapientes, fatuos, bonos, malos, idoneos, inidoneos princi-
» pes ferre, quales ſors naſcendi daret, ſæpè etiam peregrinos
» admittere, cognationis aut affinitatis jure nixos: quod ſecus habet, ubi electio & jus ſuffragii valent. Ex bonis enim pluribus optimi quique, ibi & populo gratiſſimi deſignantur: nec ad peregrinos, qui nullâ Reip. patriæ caritate tenentur, poteſtas devolvitur. Præterea id incommodi habere hæreditarios principatus intelligebant, quòd inferiores magiſtratus, judices, præfectos, Reip. miniſtros ipſi principes pro arbitrio ſuo conſtituerent, ſæpius inviſos populo quàm caros, ſtudiaque ſua magìs ad deſideria conſtituentium, à quibus penderent, quàm ad publicum bonum, ac populi ſalutem, ad jus & æquitatem referentes. Id verò & durum ac inimicum parentibus, & à ſervitute non alienum exiſtimabant. Ad hæc qui jus hæreditarium in gerendâ poteſtate præferrent, quanquàm legibus imperandi circumſcripti eſſent, tamen rariùs intra metas ſe continere, ſed tendere ſæpè ulteriùs, ac legitimâ poteſtate abuti in fraudem libertatis populi animadvertebant. Ipſi igitur, quod plenæ ac genuinæ libertatis erat, omnes Reip. præſides, magiſtratus, judices, adminiſtros, curatores annuos per ſuffragia quondam eligebant è medio ſui, rationibus adminiſtrati muneris reddendis obnoxios, & cùm placebat, his omnibus unum aliquem velut principem præficiebant, quem POTESTATEM vocabant, eique vel perpetuum vel annuum, vel in quantum lubebat tempus, imperium dabant, qui & armorum moderator, & concordiæ cuſtos eſſet. Tributum primis libertatis tempo-

ribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ribus nullum, poſt multa demùm ſæcula admodum tenue honoris causâ Cæſari, ut ſummo principi & protectori ſuo pendebant: Cæſaris & Imperii Germanici majeſtatem comiter agnoſcebant: alios principes dominóſve prorsùs ignorabant: leges ipſi ſibi ferebant: bella ſuis auſpiciis gerebant: fœdera feriebant: cuncta agebant, quæ liberrimi quique populi agere ſolẽt, ac ſine libertatis optimæ jure ac uſu fieri non poſſunt. Vnde factum, ut ſoli liberorum nomine totâ in Germaniâ ante fœdera Helvetica pro libertate percuſſa cenſerentur, eoque titulo velut proprio non ſolùm ipſi ſe ferrent, ſed etiam à vicinis & longinquis, adeoque à ſummis quoque regibus & Cæſaribus honoris ergò ornarentur. Nec hæc libertas ſolorum nobilium erat, qui plurimi in hac gente opibus & genere præſtantes à primis uſque liberi ſtatus temporibus fuêre, ſed totius populi, cujus multò maxima pars plebe ruſticâ cenſebatur. Sed plebis ruſticæ alia hîc conditio fuit, quàm apud nationes pleraſque alias. Nam oppidanæ plebi non ſolùm non cedebat, ſed honoratior quoque nonnunquam habebatur: quia illa opificum, inſtitorum, & hominum ſimilium plerunque erat, hæc in agro poſſeſſiones peramplas tenebat, & rus ſuum utplurimùm colebat, ſua prædia exercebat; idque honorificum non minùs hîc quàm olim apud Romanos veteres habebatur, apud quos inſolitum non fuit ab opere ruſtico ad comitia & actiones de Rep. itare, ab aratris ad conſulatus & dictaturas vocari. Et huic hominum generi non minùs honores quàm oppidanis, aut nobilitati patebant: multò magìs comitiorum & ſuffragii jus cum iis commune erat: nec quicquam huic deerat, quod in ordine verè libero in liberâ Rep. requiri poteſt. Quas res poſſidebat, non alio poſſidebat jure, quàm qui optimo. Emphyteuſes tum totâ in gente raræ, feuda planè nulla. Servitutem namque ſapere, quæ alibi honorata eſſe, & dignitatem habere putantur, Friſiis videbantur. Nemini obſequium debere præterquam legibus & magiſtratibus ſuis ſecundùm leges creatis, id demum veræ libertatis eſſe putabatur. Sed ut rerum humanarum ſtabile, & eâdem in formâ permanens nihil eſt, ita hæc quoque gentis noſtræ præclara atque eximia libertas, cùm diu penè illabis ſtetiſſet, tandem ſenſim deflexit,

ac in

ac in vitia prolapſa eſt. Tum rupto concordiæ vinculo Reſp. communis in partes diſceſſit. Simul ambitio ſuccreſcens, vireſque nacta factiones peperit, liberis populis ſemper exitiales. Hinc & aucta quorundam potentia in Nobilitate, qui factionum duces erant, & tumultus, cædes, bella civilia frequentia ſecuta. Quæ antè finem reperire non potuêre, quàm dimiſsâ publicâ & ſummâ illâ libertate remedium à principatu moderato & libertati proximo quæſitum eſt, alibi citiùs, alibi tardiùs; atque ita in eum demùm ſtatum res Friſiorum liberorum devoluta fuit, quem alii, qui non abjectè de ſe ac conditione ſuâ ſentiunt, ſi teneant, felices & planè liberos ſe eſſe opinentur. Ea verò omnia quomodo acciderint, quò tempore, quo modo Friſiorum libertas cœperit, adoleverit, oppugnata defenſaque fortiter ſit, vitia traxerit, in ſe verſa, ſuiſque viribus quaſſata ac labefactata tandem conciderit, quæ deinceps fortuna gentis fuerit, quæ res pace belloque geſtæ ad initia tumultuum Belgicorum, hoc volumine expoſui. Quod ut facerem, quanquam res facilis non eſſet, & ad id uſque tempus, quo eam occœpi, nulli tentata, minimeque in otio vivere fortuna mihi largiretur, tamen Patriæ caritas, & rei ipſius honeſtas me impulerunt. Indignum enim putavi, latêre ea, quæ memoriâ eſſent digniſſima, aut falſis opinionibus occupari animos hominum de rebus noſtratibus; quæ rectè & verè cognitæ non poſſent non toti genti noſtræ haud parvo honori eſſe. Acceſſit & hoc, quòd & gratiam me initurum apud bonos ac eruditos noſcendi noſtra cupidos, tum noſtrates, tum exteros, & de poſteritate quoque benè meriturum ſperarem. Semel verò ſtadium hoc ingreſſus, quanquam & difficultas magìs magiſque ſe patefaciens terreret, & ſiniſtri maleque feriati quidam homines, qui reprehendi ac temni fabulas ſuas indigniſſimis animis ferebant, convitiis magnâ vi in me incurrerent, tamen obfirmatâ mente perrexi, nec ante à cœpto deſiſtendum mihi putavi, quàm ad metam perveniſſem. Stilo ubique uſus ſum quàm maximè facili & plano, ne quid eſſet, quod hac in parte offenderet, aut moraretur lectorem. Veritatis ſtudium mihi ſummum fuit, quæ anima Hiſtoriæ eſt. Quæ ſi abſit, fabula eſt id, quod ſub hiſtoriæ nomine hominibus

nibus obtruditur, non hiſtoria. Rectè enim M. Tullius *primam* ait *Hiſtoriæ legem eſſe, ne quid falſi dicere audeat; alteram, ne quid veri non audeat.* Nam alioqui VITÆ MAGISTRA, quod idem de eâ affirmat, eſſe non poteſt. Quapropter non ſolùm virtutes multorum, ſed etiam vitia, nec bona tantùm conſilia ac facta, ſed prava quoque dicenda mihi fuerunt; nec adverſa minùs quàm ſecunda recitanda, &, uti in ſpeculo fit, cui ſimilis Hiſtoria eſt, deformia æquè & curva, quàm pulchra ac recta repræſentanda. Quod quanquam gratum parum ſit, & ſcribenti quandoque etiam periculoſum, tamen re ipsâ legenti, & cognoſcenti non poteſt non eſſe fructuoſum. Vt enim bonis majorum exemplis ad ſtudium ſimilium virtutum multò efficaciùs quàm legibus excitamur, ſic eorum quoque erroribus magìs quàm ſapientum monitis & præceptis reddimur cautiores. Quippè natura hominum ita comparata eſt, ut exemplis magìs, præſertim propinquis ac velut domeſticis, quàm doctrinâ moveatur. Vnde eluceſcit Hiſtoriæ utilitas longè maxima, ob quam MAGISTRA VITÆ, uti dixi, à Cicerone haud immeritò eſt nuncupata. A Polybio verò, magno pariter autore, ἡ ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησις ἀληθινωτάτη παιδεία, καὶ γυμνασία πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις eſt appellata. Et rurſum, καλλίστη παιδεία πρὸς ἀληθινὸν βίον ἡ ἐκ πραγματικῆς ἱστορίας περιγινομένη ἐμπειρία, ab eodem eſt nominata. Et ratio ab ipſo ſubjuncta eſt, ὅτι μόνη αὕτη χωρὶς βλάβης ἐπὶ παντὸς καιροῦ καὶ περιστάσεως κριτὰς ἀληθινοὺς ἀποτελεῖ τοῦ βελτίονος. Sola enim hæc (inquit) ſine ullo incommodo omni tempore & loco idoneos homines perficit, ut judicare poſſint, quid in uno quoque negotio ſit melius.

Hoc opus meum, inclyti potenteſque Ordines Friſiæ verè liberæ, quæ à Flevo in Lavicam, & hinc in Amaſum porrectæ, ac in duas regiones αὐτονόμους diſtinctæ, illuſtriſſime generoſiſſimeque Comes, utriuſque hujus regionis Gubernator; hoc, inquam, opus meum jam ante per partes editum, nunc verò recognitum diligenter, & plurimis locis locupletatum, ac in fine totâ quoque decade novâ auctum, uno volumine comprehenſum, uti jam in lucem prodit, inclyto ac illuſtri nomini veſtro inſcribo, vobis dedico

 conſe-

conſecroque. Vos oro & obteſtor, ut recipere in patrocinium veſtrum, & contra livorem ac morſus malevolorum tueri non dedignemini. Simul DEVM OPT. MAX. precor, ut ijſdem vobis cum ſpiritu ſapientiæ & roboris longam fœlicemque vitam ac valetudinem in commodum Reip. & Eccleſiæ propitius largiatur. Fiat, fiat. Groningæ prid. Kalend. Decembr. Iuliani, anno æræ Chriſtianæ M DC XV.

INVIDIAM MERVI.

Errata in hac Præfatione commiſſa à typothetis, ſic corrige.

*Pag.4. lin.ult.*protendunt *l.* protrudunt. *Pag.5. lin.antepenult.* hoc vel ſolo, *l.* hac vel ſola. *Pag.8. lin.15. pro* omnia *ſcribe* regionem. *Pag.ead.8. lin.33.* vincere *l.* vincire. *Pag.10. lin. 16.* quique, ibi & *dele comma.*

Autor.

AVTOR LECTORI S. D.

ACCIPE, *Lector* benigne, rationes repetitæ editionis horum librorum, & recognitionis. Venit ad me nuper Typographus vir optimus, cùmq́ expoſuiſſet, diſtracta jamdudum eſſe exemplaria omnia primæ decadis Hiſtoriæ à me ſcriptæ, fruſtraq́ in bibliopoliis ea ipſa ſæpè quæri, oſtendit conſtitutum ſibi, eandem decadem prælo rurſum ſubijcere. Simul rogavit me, ſi quid additum mutatúmve in eâ vellem, ut ad ornandam editionem novam, ac gratificandum lectori hiſtoriæ ſtudioſo, facere id ipſum quàm primùm, atque unà mendis typographicis purgare exemplar aliquod prioris editionis in uſum officinæ ne gravarer. Cui reſpondi ego, quanquam dudum conſilij mei fuiſſet, hanc ipſam partem laboris mei aliquando recognoſcere, tamen nunc propter curas & ſtudia alia non poſſe me huic rei aut tempus dare, aut animum adijcere. Quod verò ſine jacturâ temporis & ſtudii præſentis facere poſſem, hoc me in ipſius & lectoris gratiam promiſi libenter facturum, imprimis de mendis typographicis quod eſt dictum. Exemplar enim habebam jam antè his vitiis liberatum à me per otium: idq́ pollicitus ſum recogniturum & caſtigaturum me etiam nunc diligentiùs, atque in officinæ uſum ei conceſſurum; ac ſimul tribus quatuor've locis aliquid quoque in exemplari mutaturum. Quod cùm placere ſibi dixiſſet Typographus, & ego paulò pòſt ſucciſivis horis promiſſæ rei dare me cœpiſſem, ſtatim in laboris hujuſce initio, quod ita optimum videretur, conſilium meum prius mutavi: ſtatuiq́, ſepoſitis tantiſper curis & occupationibus alijs, quanquam id incommodi aliquid in præſens eſſet habiturum, tamen hoc, quod de integrâ recognitione partis primæ jamdudum conceperam animo, nunc unâ eâdemq́ operâ perficere, & ſimul ac ſemel eâ me curâ exonerare. Feci itaque ſic, totumq́ me huic ſtudio per aliquot dies horis ſucciſivis dedi; nec antè deſij in eo, quàm integram decadem recognoviſſem.

Cauſas verò recognitionis dudum deſtinatæ has habui. Ego cùm primam illam partem Hiſtoriæ noſtratis emiſi, eâ mente emiſi, tum ut δεῖγμα aliquod operis & conſilij inſtituti in publico proponerem, tum ut eo ipſo patriæ & hiſtoriæ noſtratis ac horum ſtudiorū amantes, & viros eruditos invitarem tacitè, ut ſi quâ re juvare me in inſtituto opere ad illuſtrandas res patriæ, aperiendamq́ veritatem poſſent, aut ſi de aliquibus monendum me putarent, (conſcius enim mihi eram, ut etiam nunc ſum, infirmitatis meæ, noramq́ plus plures quàm unum videre) id facere non dedignarentur. Neque hoc mihi conſiliū ſucceſſit infæliciter. Nam quemadmodum bonos omnes, præſertim eruditos & prudentiâ æquè ac doctrinâ excellentes viros, intra extraq́ patriæ fines, probare conatum meū ac favore proſequi deprehendi, ita non quoque nullos reperi, qui amiciſſimo ſtudio aut monerent me de rebus quibuſdam antiquis, aut quæſtiones mihi moverent. Quorum primus ac præcipuus, in inquiſitione rerum veterum noſtratium & Hollandicarum cum diligentiâ verſatus, honoris causâ etiam hîc mihi nominandus, clariſſimus & conſultiſſimus vir Pancratius Caſtricomius, patriæ ſuæ Hollandiæ ampliſſimo ac honeſtiſſimo in munere tunc ſerviens, nunc hujus civitatis noſtræ Groningæ Syndicus prudētiſſimus, & mihi ab eo tempore amicitiâ ſingulari conjunctus fuit. Iſthoc igitur modo ad conſiderationem diligentiorem rurſum converſus atque incitatus, cùm inſuper plurium quoque ſcriptorum quàm priùs, & in his commentariorum de rebus Vltrajectinis Guilhelmi Hedæ viri diligentiſſimi ac doctiſſimi, in lucem nondum tum editorum, copiam intereà eſſem nactus, omnibus inter ſe collatis & examinatis, animadverti antiquiſſimis illis in rebus ac denſiſſimâ caligine involutis, aliorum fide abreptum notaſſe me quædam aut expoſuiſſe, quæ aliter notari exponíve debuerant. Quæ licet pauca, & pleraque ad exteras res pertinentia, connexa cum rebus Friſicis, tamen corrigenda mihi aliquando, ob eaq́ totam hanc decadem recognitam denuò in publicum emittendam putavi. Et hoc quidem feci occaſione, ut antè dixi, à Typographo mihi datâ. Vnâq́ operâ ſequentes libros ſeriò & accurratè recenſui, adjunctâq́ in fine totâ decade novâ locupletavi. Nec pudet me, ſicubi lapſum me deprehendam in rebus tam procul à memoriâ noſtrâ remotis, & in obſcuro deliteſcentibus,

id ipſum profiteri publicè, ac ſponte meâ corrigere. Quid enim lapſibus hujuſcemodi proclivius? cùm etiam in vicinioribus & notioribus, ob imbecillitatem humanam hallucinationibus ſimus obnoxiȷ̈. Nec ſum ex eo hominum genere, qui quod ſemel dixêre aut ſcripsêre, id quanquam manifeſtæ vanitatis compertum, tamen perinde ac ſi homines ipſi non ſint, qui errare queant, tueri pertinaciter, & pro eo velut pro aris & focis pugnare non verentur. Neque ſolùm in recenſione hac id ſedulò feci, ſed etiam hic illic uberiùs, quàm priùs, quædam explicavi, & pleniùs aut planiùs expoſui.

Quod de CAROLI MAGNI in gentem noſtram benevolentiâ eximiâ, confirmatâq; ab eo libertate ſcripſi primitus, id ut tum habui, ita nunc quoque habeo certum & indubitatum: imò verò, quò diligentiùs atque acriùs expendi rationes eorum, qui convellere ſententiam hanc nituntur, cumq; noſtris rationibus contuli, eò magis in ſententiâ ſum confirmatus. Ideò hac in parte mutavi nihil.

HAMELMANNI narrata de Oldenborgiorum vetuſto in Friſios imperio, pro non narratis habeo. Vana enim ſunt, ab adulantibus ſine teſte conficta. Quapropter nec de iis dixi quicquam; ne & tempus perderem, & tædio lectorem afficerem, & memet ſtultitiæ reum facerem. Fabuloſa enim per ſe evaneſcunt ac moriuntur, nullis radicibus nixa.

De civitate Groninganâ atque item Emdanâ primo & ſecundo libro in deſcriptione regionum Friſiæ quæ dicta mihi ſunt, ea ad id tempus referenda ſunt, quo Hiſtoria ea à me eſt ſcripta, non ad tempus præſens. Nam & Groningæ intereà, cùm civitas ab Hiſpanicis partibus ad fœderatos Ordines rediit, mutata nonnulla ſunt, de quibus in libello ſingulari dixi: & Emdæ etiam orbis reip. eſt converſus. de quo, ſuo loco.

Hoc quoque te monitum volo, Lector, in deſignando locorum ſitu, ſecundùm mundi plagas, meæ habitationis ac ſoli natalis, quod in Amaſano agro eſt ad ortum fluminis Amaſi, rationē me habuiſſe, cùm priores libros commentarer Leræ in Friſiâ Orientali ante reductā ad fœderatos Ordines Groningam: ideoq; Tranſamaſanos nominaſſe paſſim omnes ad occidentem Amaſi poſitos: item Trāſlavicanos & Transflevanos, qui ad idem iſtorum fluminum latus incolunt: & contrà ſimiliter de iis qui trans Iadam, Viſurgim, Albim ad ortum, quíve cis eos ad occaſum morantur. Quod niſi teneatur, magna perplexitas errórve ex eo legenti exiſtit.

Cur verò tardiùs quarta decas Hiſtoriæ meæ prodierit, diutiusq; ſolito multorum exſpectantium deſiderium morata fuerit, operæ pretium aliquod eſt etiam heic annotare. Quinquennium enim effluxit, ex quo tertia exiit: cùm præcedentes tres decades ita emiſerim, ut ſecunda primam, tertia ſecundam modico temporis intervallo ſequerentur. Inter cauſas, quas habui, hæc minima non fuit. Intellexeram ex amicis, editionem Apologiæ ſive fœtûs cujusdam abortivi in me, SVFFRIDO PETRO parente demortuo, minari mihi FVRMERIVM Leordianum, hiſtoriographum rerum Friſicarum ſe ferentem, eoq; ſe jactare, hominem nullâ omnino re, nec beneficio nec maleficio, nec famâ quidem priùs mihi cognitum. Itaque lentiùs agendum mihi, & exſpectandum editionem illam putavi, ut viderem, quid tandem id eſſet, quod in me & Suffridus & Furmerius requirerent, priuſquam ipſe ad publicationem ulteriorem laborum meorum progrederer. Deinde acceperam quoque, verè an falsò, dicere non poſſum, ſed acceperam certè & ſæpius & à pluribus, ſub manum habere Furmerium eundem idem hoc argumentum, quod mihi hac quartâ decade explicatum eſt, ut in eo ſpecimen ederet facultatis ſuæ, forſan etiam, ut me in iis rebus, quarum narrationem qualemcunque digeſtam in Commentariis patriis ſe habere putabat, anteverteret. Quapropter ſpatium ei dare volui de gratiâ ſuâ, ut audiebam, ſollicito, & editionem laboris mei, quamvis jamdudum ad prælum ferè parati, conſultò diſtuli, quoad ille, quod in animo haberet, perfeciſſet. Hoc enim modo rebar ſuſpicionem ſiniſtram de me, ſi qua hæreret in animo ipſius, quàm maximè declinare aut eluere me poſſe, omnemq; omninò de me querendi anſam ei præſcindere; hominem denique ex minùs amico amicum mihi facere. Sed ecce, dum Hiſtoricum hoc exſpecto, Apologiam Suffridi Petri contra me, de quâ dixi, cum præfatione & peroratione ſuâ ſub prælo eum habere inaudio; deinde & exemplar excuſum poſt aliquot dies accipio.

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

AD LECTOREM.

Quod cùm percurriſſem, ſub Apologiæ titulo inſectationem nominis mei conviciis maledictiſq́ refertam Suffridum hoc niſu poſtremo peperiſſe, & pro defenſione fabularum eaſdem modò fabulas recinuiſſe inveni: Furmerij verò valdè malevolum & acerbum animum in me præter meritum meum in iis, quæ addita ab eo, deprehendi. Et quoniam honoris ac fidei meæ, & ſimul integritatis hiſtoriæ intererat, reſpondi utrique ſtatim, reſponſumq́ menſe Iunio in lucem emiſi, DE ORIGINE & ANTIQVITATIBVS FRISIORVM *diſputationes complexum.* Anno M. DC. III. *Eo facto, cùm falſum me opinione eſſe, & fruſtrà hiſtoriam à Furmerio expectare viderem, deſiderio bonorum, editionem à me flagitantium, deeſſe diutiùs nolui, tradidiq́ Typographo partem illam. Nam ſecus ſi feciſſem, conviciis & calumniis hominum maledicorum atque invidorum ab omni me latere allatrantium ab honeſtiſſimo cœpto viderer abſterreri: id quod ab animo meo eſt alieniſſimum. Itaque & ſequentem tomum paulò poſt emiſi: & nunc, ecce, ſextam poſtremamq́ decadem.*

Quòd ſi qui erunt, qui me morſibus appetent rurſum, aut clamoribus terrebunt, eos propoſitum eſt temnere, quantum res feret: faciamq́ idem, quod feci dudum, cùm impudentiſſimus Oldenburgicus QVIDAM, *cujus ne nomen quidem prodere libet, homo ineptulus famam aucupans, & incendendi contra me inclyti & generoſi Comitis ſui conſilium habens, maledicentiſſimum librum, conviciis plenum, rebus inanem, alienâ operâ, alienâ inquam operâ (quid enim ipſe legulejus inſcitus ſine logodædalo?) conſutum, ſuccenturiatum poëtaſtrorum latratibus inſulſis, in me emiſiſſet, ſeq́ ipſum proſtituiſſet turpiter: aut cùm alius Hannoveræ, ſed in Theologicâ re, pro Daniele Hoffmanno, quo cum mihi certamen erat, feciſſet idem: quorum priori non verbum ullum reddidi; alterum ne legere quidem unquam, quoniam rixoſum audiebam, nedum refellere dignatus fui. Facilius enim & felicius ſilendo quàm reſpondendo os obturatur hominibus hujuſmodi. Et ſycophantæ ſatis ſuperq́ ſibi ipſis pœnæ ſunt; & alios defamare dum ſtudent, ſeſe infames faciunt.*

Fabulas illas vetuſtas aut potiùs recentes de vetuſtis rebus omiſi libenter, quanquam earum copiam in manuſcriptis haberem, propterea quòd ab hiſtoriis falſa abeſſe oportere putem. VERI *ſtudium ubique habui ſummum, Verumq́ ut quàm maximè dicerem dilucidè, operam dedi. atque ideo de ſtylo ſæpè minùs fui ſollicitus. Qui ſi fortè non ſatis placebit nonnullis, hominibus nimirum delicatis, aut etiam in reprehenſionem incurret, non me id magnoperè movebit, ut qui famam indè haud aucuper, nec facultatem ejus rei mihi aſſcribam. Ego ſi ex Veri ſtudio laudem invenero, ſatis me laudatum putabo. Affirmo tibi, Lector, tantum mihi Veri ſtudium ubique fuiſſe (ſine quo hiſtoria propriè hiſtoria non eſt,) ut offenſionis periculum in me recipere, quàm vel latum unquam ab eo ſciens diſcedere maluerim.*

Hæc te, Lector, monere heic volui. Eundem verò te etiam atque etiam rogatum volo, quiſquis es, ſi qua heic legis fortaſſe, quæ minùs grata erunt animo tuo, ne propterea mihi ſuccenſeas. In rebus humanis quid quæſo prorſus ἀναμάρτητον*? quæ cauſa hominum tam bona, in quâ non aliquando aliquid vitio eorum, qui eam agunt, delinquatur? Mihi autem hanc perſonam profeſſo (quam utinam vel nunquam ſumpſiſſem, vel ſumptam ponere maturè potuiſſem: tot in eâ deprehendo difficultates) aut ſtudium Veri ſimplex & ſincerum tenendum fuit, aut viri boni nomen dimittendum. Quorum hoc quis ipſe bonus mihi ſuaſerit? perſuadebit certè nemo: Veritas autem etiam adverſa, favore digna eſt apud bonos. A quâ ſicubi errare me continget in rebus vetuſtis & obſcuris, infirmitatis id humanæ eſt in me, non conſilij: Deum teſtor. Ejuſmodi verò errori humano qui ſuccenſendum potiùs quàm ignoſcendum putet, hunc ego parum humanum, imò iniquum, & ſuæ conditionis aut neſcium, aut immemorem puto.*

Epiſtolas dedicatorias, quinque decadibus in priore editione præfixas, reliqui, quales ante fuêre. Hæc ſunt, de quibus monendum te, Lector, in hac novâ librorum horum publicatione putavi. Vale, & ſtudium noſtrum boni conſule. Groningæ anno Chriſti cIↃ IↃ C XVI.

VBBONIS EMMII

De Nominibus

FAMILIARVM NOBILIVM, & præ reliquis celebrium in Friſiâ, quæ in hiſtoriâ frequenter occurrunt, & uſurpantur,

ΣΧΕΔΙΆΣΜΑ.

MOs quondam multis in gentibus fuit, ut viri non ſolùm plebeij, ſed etiam illuſtribus familiis nati non alio cognomine quàm appoſito nomine parentum ſuorum cenſerentur: atque ita & nuncupabant ipſi ſe, & ab aliis nuncupabantur. Ut de Hebræis nihil dicam, in quibus principes & reges id uſurpabāt, de Lydis & Perſis id claret ex Herodoto, & ſcriptoribus veteribus aliis, apud quos Candaules Myrſi (filius,) Gyges Daſcyli, Alyattes Sadyattis, Crœſus Alyattis, Cyrus Cambyſis, Cambyſes Cyri, Darius Hyſtaſpis, leguntur. Nec hoc obſervatum tantùm fuit in iis, qui reges fuère, ſed etiam in principibus, & reliquis inferioribus. Unde illa, Cambyſes Cyri (de Cyri primi Perſarum regis patre) Hyſtaſpes Arſamenis, Artabanus Hyſtaſpis, Otanes Pharnaſpis, Zopyrus Megabyzi, Megabyzus Zopyri, Oebares Megabyzi, item Bubares Megabyzi, Artæus Artachæi, Mardonius Gobrys, Maſcames Megadoſtis, & infinita ſimilia apud ſolū Herodotum, & plura quoque apud Xenophontem, Diodorum, Arianum, ac alios. Neque ſolùm hiſtorici hoc modo ſcripsêre, ſed ipſi etiam principes & reges de ſeſe, ut ex inſcriptionum formulis patet. Sic enim fuit in epitaphio, quod Paſargadæ ſepulchro ſuo incidi Cyrus juſſit: EGO SVM CYRVS, CAMBYSIS FILIVS: & in ſtatuâ equeſtri, quam Darius monumentum acquiſiti à ſe Perſarum regni poſuit, inſcriptio hujuſmodi: DARIVS HYSTASPIS TVM EQVI VIRTVTE, TVM OEBARIS EQVISONIS, PERSARVM REGNVM ADEPTVS EST. De Græcis res eſt notiſſima. Sic enim illi more ab Aſiaticis accepto: Cadmus Agenoris, Pelops Tantali, Bellerophontes Glauci, Oedipus Laij, Polynices Oedipi, Agamemnon Atrei, Achilles Pelei, Aiax Telamonis, Vlyſſes Laërtæ, Euryſthenes Ariſtodemi, Lycurgus Eunomi, Theopompus Nicandri, Polydorus Alcamenis, Cleomenes & Leonides Anaxandridis, Demaratus Ariſtonis, Cleombrotus Pauſaniæ, item Miltiades Cypſeli, Cymon Steſagoræ, Miltiades Cimonis, Cimon Miltiadis, Piſiſtratus Hippocratis, Hippias Piſiſtrati, Iſagoras Tiſandri, Megacles Alcmæonis, Cliſthenes Megaclis, Themiſtocles Neoclis, Ariſtides Lyſimachi, Pericles Xanthippi, Xanthippus Periclis, Callias Hipponici, Alcibiades Cliniæ, Nicias Nicerati, Thucydides Olori, Xenophon Grylli. Et in regibus Epiri ac Macedoniæ, Amyntas Alcetæ, Pyrrhus Æacidæ, Alexander Amyntæ: item Philippus Amyntæ, Alexander Philippi. Et rurſum, Ptolemæus Lagi, Seleucus Antiochi, Antigonus Demetrii, Demetrius Antigoni, Perſeus & Demetrius Philippi. Quin & Latini aut Romani quoque aliquid hujus moris tenebant, quanquam nomen gentis aut familiæ adijcerent, adderentq; inſuper vocem (filius) hoc modo. P. Valerius P. filius; Q. Fabius Q. fil. Maximus; L. Furius M. fil. Camillus; Cn. Cornelius P. fil. Scipio; M. Tullius M. fil. Cicero. Obſervabant verò & Aſiatici populi & Græci etiam hoc, ut patris nomini apponerent, vel ejus loco uſurparent non raró nomen ſtirpis vel familiæ, quod ferè ſumebatur ab illuſtri ſtirpis vel familiæ autore. Ut in gente Lydorum, Candaules Myrſi Heraclides, quòd ab Hercule diceretur originem trahere; Crœſus Alyattis Gygides, à Gyge ſcilicet ortus: in Perſis, Cambyſes Cyri Achæmenides, item Hyſtaſpes Arſamenis

nis Achæmenides, uterque ſcilicet ab Achæmene clari nominis viro in Perſiâ orti. Et apud Macedonas, reges audiebant præter nomen parentis etiam Heraclidæ, aut Temenidæ, ab Hercule nimirum & ejus abnepote Temeno progeniti. Similiter apud Spartanos utriuſque familiæ reges Heraclidarum cognomine gaudebant, ab eodem Hercule quoque ſati; aut dicebantur Euryſthenidæ ac Proclidæ, à duobus fratribus Euryſthene & Procle primis iſtius generis regibus, Herculis adnepotibus, ortum ducentes; aut Agidæ, ab Agide in eâdem domo Heraclidarum deſcendentes; aut Eunomidæ ab Eunomo patre Lycurgi propagati: nuncupabaturque ipſe Lycurgus Eunomi fil. Heraclides. Sic Athenis Codridæ à Codro ultimo rege, Alcmæonidæ ab Alcmæone, Piſiſtratidæ à Piſiſtrato. Sed rariora hæc, & poſterioribus ſæculis in deſuetudinem lapſa. Germanis veteribus pleriſque à primâ ferè memoriâ aliud placuit. Nam reges & majores principes, velut illuſtres & noti, ex ſe ſuis tantùm nominibus propriis ac ſimplicibus vocari voluerunt, non additis nominibus parentum, aut familiarum. At reliqua nobilitas, præſertim à quingentis aut ſexcentis annis, familiarum nomina libenter uſurpavit, & nominibus ſuis ſubjecit: factumque hoc eſt non ſolùm, ut ſinguli hoc modo accuratiùs ſignarentur, & ab aliis ὁμωνύμοις diſcernerentur, ſed etiam ut à genere claro gratia aliqua & gloria accederet: idque impenſiùs omninò quæſitum temporibus poſtremis, quando crevit ambitio, & ex genere ſumptus animorum tumor. Dimanavitque ſenſim ea conſuetudo à nobilitate etiam ad ipſos plebejos, præſertim in oppidis ac urbibus. Familiarum autem nomina ſumebantur utplurimùm, aut à loco unde familiæ alicujus autor originem trahebat, aut ab eventu aliquo memorabili, ſive re quapiam, quæ cognomen vel celebritatem conditori familiæ dederat: interdum etiam à poſſeſſione arcis, prædii, villæ, aut ſi quid hujuſmodi. Friſij verò majores noſtri ante aliquot ſæcula id, quod Græcos uſurpare ſolitos dixi, hac in re ſecuti ſunt nobiles pariter & ignobiles. Nominibus enim ſuis cognominis loco parentum ſuorum nomina appoſuêre: quemadmodum & populi plerique ſub Septentrione degentes, maximè Sueci aut Suedi, apud quos etiam magnates & primariâ nobilitate orti hac nuncupandi formâ gaudent. Itaque in eorum rebus frequenter occurrunt *Ioannes Axilli*, *Axillus Turonis*, *Steno Olai*, *Nicolaus Abrahami*, *Ericus Guſtavi*, *Guſtavus Erici*: quo modo nuncupatus fuit parentum aut avorum noſtrorum memoriâ ſereniſſimus Sueciæ rex, præſentis regis magni GVSTAVI avus, antequam regnum iniſſet: à quo maternum quoque genus ducunt generoſi atque inclyti Comites Friſiæ Orientalis, qui nunc vivunt. Sed in his ad Septentrionem populis genitivo caſui parentum nomen repræſentanti adijciebatur ferè vox ſan/ quæ filium ſignificat; ut Johan Arils ſon/ Erick Guſtaffs ſon/ Guſtaff Erick ſon/ ex quo poſtremo Sleidanus formavit Latinè, *Guſtavus Erixonius*. Friſij verò interdum idem quoque faciebant tam nobiles quàm plebei, hoc modo formantes nomina ſua, *Focco Vconis filius*, *Vco & Vdo Fecconis filij*, *Enno Edſardi fil.* *Edſardus & Vlricus Ennonis fil.* *Hero Omconis fil.* *Enno Haiteti fil.* *Luwerdus Wiardi fil.* *Sibetus Edonis fil.* *Omco Snelgeri fil.* *Onno Ewonis fil.* *Eggo Addonis fil.* *Coppenus Iargis fil.* *Igo Galonis fil.* *Ianco Dowonis fil.* & infinita hujuſmodi: quæ patrio ſermone ſic ſonant, Focke Vken ſoen/ Vke vnd Vde Focken ſoens/ Edzardt Emmen ſoen/ Enno Edzardts ſoen/ Enno Haitets ſoen/ Sibet Eden ſoen/ &c. Sæpiùs verò ſine adjectione vocis filium ſignificantis, ſolo parentis nomine in caſu genitivo Friſico enunciato, qui genitivus utplurimùm deſinebat in *a*, ſed formâ variâ, nimirum in *ga*, *ma*, *na*, *da*, *ta*, *la*, *ia*. Cujuſmodi exempla ſunt hæc, *Occo Keneſna* aut *Keenſena*, *Keno Keenſena*, *Folcmarus Allena*, *Wiardus* & *Louwerdus Wiardiſna*, *Edo Wijmkena*, *Mauritius Kankena*, *Enno Edſardſna*, *Enno Haitetſna*, *Focco Vkena* aut *Vcama*, *Hiddo Eweſma*, *Omco Snelgerſna*, *Haijo Wibema*, *Hayo Ompteda*, *Giſo Aucama*, *Bocco Dodinga*, *Renico*

Boccama,

Boccama, *Campo Gaikama*, *Harco Siccama*, *Heddo Altama*, *Nitardus Tiebbeſma*, *Retſeco Haikema*, *Hemco Helmerſma*, *Poppo Enema*, *Retto Wijdeſma*, *Menſo Herema*, *Tiabco Dijudeſma*, *Igo Galema*, *Ianco Douwema*, *Hero Onema*, *Poppo Feddema*, *Wibo Bottinga*, *Foppo Bottinga*, *Foppo Tiarda*, *Goſſo Ockinga*, *Siurtus Hummema*, *Iuco Alema*, *Hepco Edama*, *Haringus Harinxma*, *Aggo Harinxma*, *Wilco Onnama*, *Rippert Ripperda*, *Focco Ripperda*, *Hiddo Tadinga*, *Sicco Feitzma*, *Wilco Ruwerda*, *Sijo Siardſma*, *Sicco Mellema*, *Iuwo Iuwinga*. Quæ ſanè cognomina omnia nihil aliud ſunt, quàm propria parẽtum nomina in caſu genitivo poſita: quorũ nominativi ſic habent idiomate patrio, Rene/Alle/Wijard/Wymke/Ranke/Edſard/Haitet/Vke/Ewe/Suelger/Wibe/Omptet/Aucke/Dode/Bocke/Gaike/Sicke/Alte/Tiebbe/Haicke/Helmer/Ene/Wydſe/Here/Dijud/Gale/Douwe/One/Fedde/Botte/Tiard/Ocke/Humme/Ale/Ede/Haring/Onne/Rippert/Tade/Feite/Ruerd/Sijard/Melle, vocabula videlicet propriorum nominum in nobilitate pariter ac plebe apud noſtrates ut olim ſic nunc quoque uſitatiſſima. Horum verò nominum propriorum genitivi procedente tempore abierunt in nomina nobilium familiarum, ſi pertinerent ad viros virtute aut opibus rebúſve geſtis claros. Et ut genitivi illi variè à majoribus noſtris formati fuère ex iiſdem nominativis, ita quoque variam formam nomina quædam gentilitia acceperunt. Exempla id docent. A *Iuwo* enim fit *Iuwinga* & *Iuweſma*, à *Wyncone Wymcama* & *Wymkena*, ab *Edſard*, vel *Idſard*, *Edſardſna* & *Idſarda*, ab *Vcone Vkema* & *Vcama*, à *Gaicone Gaicama* & *Gaikinga*, à *Siccone Siccama* & *Sickinga*, ab *Occone Occama* & *Ockinga*, ab *Herone Herema* & *Heringa*, à *Douwone Douwema* & *Douwena*, à *Bottone Bottinga* & *Botnia*. Cæterùm quod dixi de nominibus gentilitiis familiarum nobilium jam recitatis, id dicendum ſine dubio de pleriſque aliis, quæ vel à loco, vel eventu aliquo memorabili non ſunt ſumpta: Nimirum ab *Izone Izinga*, à *Mannone* eſſe nomen familiæ *Manninga*, à *Benone Beninga*, ab *Addone Addinga*, à *Tammone Tamminga*, quæ virorum nomina propria etiam nunc in Friſiâ tritiſſima ſunt: item à *Rippert Ripperda*, ab *Houwone* aut *Houwero Houwerda*, à *Goccone* aut *Goucone Gockinga*, à *Bennone Benninga*, à *Siccone Sickinga*, ab *Hugone Huginga*, à *Wichero Wicheringa*, ab *Eitzone Eitzinga*, ab *Hottone Hottinga*, à *Meccone Meckema*, ab *Vnone Vnia*, ab *Hannone Hannya*, à *Rovert Roorda*, à *Syart Syarda* & *Syardama*, ab *Emone* & *Ewone Eminga* & *Ewinga*, à *Rewone Rewinga*, ab *Herone Heringa*, à *Scultone Scultinga*, ab *Hunone Huninga*, à *Tiart Tiarda*, à *Ricone Rikena*, ab *Allone Allema*. Alia lectoribus expendenda relinquo. Ego in Hiſtoriâ, ut æquabilior eſſet oratio, & magis Latina, pleraque talia ad formam Latinam redegi; ùt ab H*aringo* denominationem habentes appellavi H*aringæos*, & interdum H*arinxmæos*, qui vulgò H*arinxmæ* audiunt, ab H*ottone* H*ottingios*, à *Syardo Syardæos*, à *Ripperdo Ripperdæos*, à *Bottone Bottingios* aut *Botniæos*, ab *Allone Allenios*. Eodem modo plerumque pro *Decama* ſcripſi *Decamæus*, pro *Iongama Iongamæus*, pro *Camminga* (quod à *Cammone* eſſe, ego dubitare non poſſum) *Camminganus* aut *Cammingius*, pro *Camſtra Camſtræus*, pro *Vnia Vniæus*, pro *Douwema Douwenius* aut *Douwonius*, pro *Galama Galamæus*, pro *Minnema Minnemius*, pro *Martena Martenius*, pro H*ouwerda* H*ouwerdæus*: unde reliqua æſtimari poſſunt. De quibus hoc loco ſemel monendum lectorem putavi, rogandumque, ne ea mihi vitio vertat. Germanicè ſi ſcripſiſſem, formam patriam in his ubique retinuiſſem, haud ignarus, id gratiæ non ſolùm non obfuturum, ſed profuturum etiam plurimum.

EPISTOLA,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

EPISTOLA,

Cujus meminit Autor in Commentario De Friſiorvm Repvbl. pag. 10.

Decadi tertiæ præfixa in editione priore;

quâ de

Ponto Hevtero & Hermanno Hamelmanno

ſincerè judicat.

VB. EMMIVS LECTORI AMICO.

Cùm hiſtoriæ noſtratis partem hanc ad typographum jam miſiſſem, fortè venêre ad manus meas hiſtorici libri duo diverſorum autorum. Quorum vterque vicinorum geſta exponens cùm in res Friſiæ frequenter incurrat, interdum etiam eas fusè memoret ſæpiſſimèq́; in ijs hallucinetur, nonnunquam quoque latè à vero recedat, de vtroque monendum oportunè lectorem putavi.

Prior, & quidem haud parum altero melior, Pontvs Hevtervs Delfius Hollandus, patriâ exul ob factionem regiam, res Belgicas ſub domo Auſtriacâ vſq; ad principia tumultuum civilium complexus eſt ſermone Latino. Is veri quidem ſtudioſus, & non indiligens, multa ſanè præclarè de cæteris Belgicis, multa item non malè de Friſicis. Sed in his, præſertim in Groninganis, vbi narrationi fidit Georgij Weſtendorpij, quem autorem profitetur, errat ipſe turpiſſimè, & lectorem ſecum in errorem trahit. Deinde in cæteris, quæ ad Saxonica, Geldrica, Burgundica, in Friſiâ geſta bella pertinent, uſus eſt libro manuſcripto ſanè bono, quem κτ̀ πόδας ſequitur, & ad aliquot paginas continuas ſæpè verbotenus exprimit, niſi quòd Germanica Latina reddat. Quod cùm faciat, mirari mihi libet, cùm cæteros tam curioſè recenſeat autores, quorum operâ adjutum ſe profitetur, cur ſcriptoris hujus libri nomen alto ſilentio prætereat: præſertim cùm Sleidanum ipſe in prolegomenis ob preſſum Sabini nomen graviſſimè, quanquam immeritò, & præter rem, notet. Nec enim ignorantiam poteſt prætexere, cùm conſtet in præfatione loco illuſtri autorem ipſum nomen ſuum expreſſiſſe, & Heuterum à Weſtendorpio ſuo haud dubiè, à quo libri copiam habuit, idem etiam percontantem diſcere potuiſſe. Quòd ſi invidiâ motus eſt, aut gloriam in eo ſuam ſecutus, ut oblivione ſepeliret memoriam ejus, cui quartam ferè partem totius operis ſui debet, ego ſanè probare ejus animum non poſſum. Ingenuum enim eſt, per quem profeceris, cujuſq; operâ utiliſſimâ ſis uſus, ejus nomen etiam ingenuè profiteri. Eſt verò libri boni bonus imprimis & fidus autor, qui quæ audijt & vidit ipſe adeoq́; quibus gerendis interfuit, multis etiam præfuit, ſingulari candore diligenter conſcripſit, Sicco Beninga è nobilitate Humſteranâ ſenator Groninganus, & rerum quoque militarium aliquandiu ibidem præfectus, vitæ integerrimæ, & ingenij ac prudentiæ non vulgaris; denique cui nihil defuit ad hiſtoriam rectè conſcribendam præter bonas literas, quarum ignarus fuit. De quo libenter profiteri ſoleo, neminem me noſſe, cui hac in parte, conſervata memoria earum rerum, quæ in civitate Groninganâ, & cum civitate, & circum eam ipſius tempore geſtæ ſunt, plus debeat poſteritas. Commentarius verò iſte ipſius autoris manu exaratus ab hæredibus ejus, ὥσπερ κτῆμα τίμιον, καὶ θησαυρὸς οὐκ ὀλιγωρητέος, conſervatur: cujus mihi uſum ampliſſimus, & genere ac dignitate præſtantiſſimus, nepos Sicconis è filiâ, Hermannus Wiferingius vir conſularis, & Quatuor-vir judicij ſupremi aſſeſſor in hac civitate, quem honoris causâ hîc nomino, ad promovenda hæc ſtudia noſtra humaniter conceſſit, quemq́; etiam nunc in Muſæo meo habeo. At exemplar ejus aut mendoſiſſimè deſcriptum ab homine imperito, quod accidere facilè potuit ob κακογραφίαν autoris, aut tali exaratum manu, ut legi à quovis rectè non queat, aut alioqui depravatum, mutilatumq́;, ſive excerpta quædam ex commentario

eodem

eodem non ubique benè cohærentia Pontus habuit. Vnde ei accidit, ut multa prodiderit in rebus noſtratibus non benè. In quibus hoc eſt, quod nullum propè nomen proprium hominis aut loci nō adeo vitioſè reddat, ut quid ſibi eo velit, ne illi quidem poſſint intelligere, qui in his ijſdem locis nati & educati ſunt. Deinde de locis cùm loquitur, ita loquitur, ut de rebus planè ignotis, quanquam Groningæ habitarit aliquandiu, eamq́ ob cauſam riſum ſæpè moveat lectori regionis gnaro. Res denique ipſas ſic frequenter exponit, ut minimè omniū aſſecutus eſſe autoris mentem, atq́ ita diverſum à vero dicere deprehendatur. Poſtremò in universâ narratione de rebus Friſicis, hoc eum vitij ſequitur, quod ſolet eos, qui peregrini de rebus peregrinis ſcriptitant. Qui niſi ſingulari induſtriâ ac diligentiâ in perquirendis iis & cognoſcendis antè ſcriptionem fuerint uſi, in exponēdis ijſdem, præſertim ſi ad particularia deſcendant, velut oculis capti in tenebris vacillare videntur. Sed gratiam habendam puto huic, quòd conatus ſit; veniam concedendam, quòd non ſit id, quod voluit, conſecutus.

Alter Oldenburgica ſcribere profeſſus idiomate Germanico, autor multo ineptior & deterior, quàm multas nobis fabulas pro hiſtorijs vendit! HERMANNVS HAMELMANNVS *is eſt, non ita nuper defunctus, cujus nomen cùm dixi, omnia dixi. Eſt enim ſatis notus ex vitâ & ſcriptis prioribus, haud dignus cui ſua ſcribenda, id eſt, contaminanda ac vitianda commiſerit inter clariſſimas Comitum Germaniæ familia. Ita enim accidere ſolet, ut qui ſciens rem vanam pro verâ prodit, etiam cætera ſua omnia quamvis vera ſuſpecta & contempta reddat. Cui verò bonus nugator homini ſanæ mentis, & modicè rerum noſtratium veterum perito perſuadebit, quæ primæ & ſecundæ parti operis ſui impreſſit, (cætera enim legere nondum potui) Wigbertum Widekindi Saxonis filium cōditorem familiæ Oldenburgicæ, ductâ in conjugem principis Friſici filiâ, præter principatus alios in dotem totam ferè Friſiam accepiſſe, eoq́ jure fretos poſteros ejus Comites Oldenburgicos magnam Friſicarum regionum partē vendicaſſe ſibi, atque etiam poſſediſſe: Ipſum Wigbertum arcem Iadelæam ad Iadam fl. conſtruxiſſe, Walbertum hujus filium, cùm Oldenburgum ex nomine conjugis Oldenburgæ recens ædificatum appellaſſet, Mellum caſtellum validum ad oſtium Iadæ, nunc fluctibus oppreſſum, muniviſſe, Walberti verò filium Reinerum cū Oldenburgo Friſiam ex hæreditate paternâ tenuiſſe, & poſt ipſius fratrem Theodoricum, & Theodorici nepotē Vlricum maritū Suanæ Radbodi filiæ juramento ſibi Oldenburgicos ordines omnes, & Friſios velut ſubditos obligaſſe, Ruſtringiæ Comitem eſſe nuncupatum, præter Iadelæum cænobium conſecratum ab Alberto Bremenſi archiepiſcopo amplis prædijs ſuis in pago Reepſholtano & Abbekehava, fanum Mauricio ſacrum, Canonicis Regularibus dicatum, liberaliter dotaſſe: Ex eo porro genitum Ottonem dominum fuiſſe Oldenburgi, Iadelææ, Ruſtringiæ, Ammerlandiæ & Broecmeriæ; eum ex conſilio Sebeti Popingij ingentes aggeres cōtra fluctus marinos in orâ Iadæ excitaſſe, aggerum curatores conſtituiſſe, clauſtrum Sliccanum in aggere depreſſum coërcendis & emittendis aquis conſtruxiſſe, & valvis areis magno impendio inſtruxiſſe, deniq́ in medio Amaſano agro, in obſequio continendis ordinibus Amaſanis, validam arcem excitaſſe, & Groethuſam dixiſſe; in quo legendo riſum me tenere non potuiſſe, fateor. Ab hoc filiū hujus Ioannem* I, *Comitem Oldenburgi, Iadelææ, Ruſtringiæ, Ammerlandiæ, Broecmeriæ dictū, arces Iadelæam & Mellumæam poſſediſſe, & Friſiæ domitæ imperium uſque ad urbem Groningam tenuiſſe. A filio porrò Ioannis Hunone, Mellumæâ arce vi fluctuum eversâ, incitante Alberto archiepiſcopo Bremenſi, Friſios defeciſſe: illum animo contra periculum firmato repentè caſtella ſua per Friſiam præſidijs miniviſſe, & avertendæ defectioni ulteriori nobilitatem ſuam omnem convocaſſe in arcem Iadelæam, & quid animi haberent, quid fidei, exploraſſe: Illic præſto illi fuiſſe (quis cachinnos hîc teneat?) Ermannum Beverbekium, Ropeconem Weſterholtum equitem, Iohannem Scagium, Arponem Mundelium, Siverdum & Vlricum Sedichios, Lubbertum Bardenſem, Kenonem Broecmerium, Hicconem Valderanum, Mauricium Dornumanum, Vmkonem Stedeſdorpium, Boijngum Vttelium, Hicconem Werdenſem, Eibonem Sudenburgium, Sibetum Papingam, Ennonem Sirczenium Grethanum, Vdonem Beningam, Eggericum Weſterwoldium, Tammonem Dangaſtium, Eilardum Beningam, Gerardum Houwerdæum, Edſardum Rengerum, Wiardum Euſumanum, Fridericum Ripperdam, & complures alios, omnéſque illos juramento fidelitatis ſe ei obſtrinxiſſe; homines ſcilicet, qui aut nunquam vixêre, aut poſt aliquot demum ſæcula fuêre nati: Nihilo tamen*

minùs

minùs archiepiſcopum, excommunicationis fulmine perculſis populi animis, militibus alijs ſtramine obtectis, alijs ſacco obvolutis, curribuſq́ in Friſiam vectis, arces invaſiſſe & cepiſſe: auxilio Ruſtrorum Bantanam præfecturam occupaſſe, Potenburgiam arcem Hajonis hominis Friſij (is gener Comitis Hunonis, & ſtirpis ſequentium Comitum Oldenburgenſium autor, ut quidem produnt ipſi) itemq́ Memmenburgiam evertiſſe, fratreſq́ Hunonis duos in convivio nuptiali trucidaße: ſed populum de libertate gloriantem ſuâ ab archiepiſcopo rurſum deſciviße: Henricum IV *Imperatorem poſt certamen Friderici filij Hunonis cum Leone, Hunoni & filio ejus Friderico conceſſiße, ut Friſicarum regionum tantum recuperarent ac ſubijcerent, quantum poſſent: atque hoc jure fretos ſucceſſores eorum per annos* CCCC. *frequentia bella in Friſios geſſiße, & litem cum ijs habuiße perpetuam: Emdam quondam Comitatûs Vechtani fuiſſe oppidum, & ab eo jure ab Edſardo demum Comite pecuniâ datâ Epiſcopo Monaſterienſi Ottoni Hoijenſi eſſe ſolutam: Ioannem Oldenburgenſem Comitem, Chriſtiani* III *filium, templum Auricanum anno* M.CC.LXX *è fundamentis erexiſſe: idq́ argumento eſſe, totam eam oram etiam tum in ditione Comitum Oldenburgenſium fuiſſe. Quæ pleraque non ſolùm vera non ſunt, ſed etiam multâ vanitate implicita, atque abſurda, ad aulæ gratiam inſulsè à paraſitis conficta. Quæ ideo notata heic à me ſunt, ut ex his, quid fidei autori huic in reliquâ narratione, quam ſine teſte alio fide digno in medium producit, debeatur, Lector, tibi cogitandum ſuggererem. Mihi quidem uſque ad Conradum familiæ Oldenburgicæ primum evolvere tantummodò librum hunc licuit, cùm præfationem à me typographus poſceret.*

Habes, quæ de utroque monitum te volui, Lector. Vive, & vale. Poſtridie Calend. Martij, anno M. D. XCIX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ANNO cIↄ Iↄ c v.

Sibilos & clamores calumniatorum, quibus laceſſor, non curo, nec per eos ab optimo propoſito abduci me, aut in curſu turbari ſino. Per me licebit hominibus hujuſmodi, ex cohorte Medij Theſſali, ingenio ac genio ſuo obſequi, & hoc ſcriptionis genere atque hac arte ſe paſcere, ſtylumq; & facundiam ſuam exercere. Licebit quoque, quos tondere ſe jactant, ut tondeant, quamdiu ſe, ad quos id pertinet, tonderi patientur. Non enim hoc ad me. Me optima ſuſtentat optimæ voluntatis, qui patriæ gratis in hoc ſtudij genere ſervio, conſcientiæ. Ea cum approbatione bonorum, ingenio & doctrinâ præſtantium, ſat magna mihi merces. VBBO EMM.

IN

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

JANI DOVSÆ NORDOVICIS

AD VBBONEM EMMIVM,

politiſſimum RERVM FRISICARVM ſcriptorem,

Epiſtola extemporalis.

SErmo frequens de te, & DOVSAEO multus in ore
EMMIVS: Hiſtoriæ hoc viſa merere Fides;
Incorrupta Fides. quæ quo per tempora noſtra
Rarior, hoc pluris eſt faciunda mihi,
CATTIGENISque meis: res quorum ex ordine geſtas
Te ſparſim FRISIIS inſeruiſſe tuis,
Et video, & lætor. quo nullum, hoc ſcilicet ævo,
In genere hoc BELGIS clarius extat opus.
Vera, nec inteſtata loquor. ſcit GROTIVS iſtud,
Doctrinâ verè Magnus & ingenio:
Et norunt alij plures, quid maxima gentis
Gloria Gallorum ſentiat EMMERIVS;
EMMERIVS, de te ſolitus qui plurima amicè
Quærere, & in laudes luxuriare tuas:
Ante alia Annales meritò admirarier unos,
Expenſos FRISIIS quos tulit VBBO ſuis.
Ter quater ô fælix antiqui temporis ætas,
Cui facundo adeò contigit ore cani!
Vos quoque fælices tanto ſcriptore Libelli;
Ingenij rari, nec minùs artis opus:
Vos ego ſæpè meo vos Elogio ornaturus,
Teſtabor veterum laudibus eſſe pares.
HIRCINOS alij folles, plauſusque morentur;
Præter Monſtra, nihil qui didicêre loqui.
Sit, qui CAVLINIS cingat ſua pulpita thyrſis;
Nil præter SCAVRVM ſpectet OTACILIVS;
EVNVS APRO tantùm ſtudeat ſua ſcripta probari,
Ipſe uno hoc viſus iudice VARRO ſibi.
Contenti AVGVSTO vos miratore THVANO
Vivite; maius enim quid dare Fata queant?

IN CL V. VBBONIS EMMII
HISTORIAM
FRISICAM.

Ἡ χάρις Ἡροδότοιο μελισταγὲς ἠπερόπευμα
Ἰάδος ἀρχαίης ἐστὶ καὶ εὐεπίης·
Ἐννέα γοῦν Μούσας ἐπιγραψαμένη σελὶς αὐτοῦ,
Αὐτὴ τῶν Μουσέων ἐστί μοι ἡ δεκάτη.
Αὐτὰρ Θουκυδίδαο βαρὺ στόμα, τοῦ μὲν ἀγῶνα
Βίβλους εἶπε μόνον τοῖς τότε γινομένοις·
Αὐτὸς δ' ἐσσομένοισί ποτ' ἀνδράσιν ἐκτολυπεῦσαι
Στεῦται κτῆμα σοφὸν, πάντοτε δ' ἐσσόμενον.
Εμμιάδα δὲ λόγοισιν ἐπέπταρεν ἡ χάρις ἀμφοῖν,
Καὶ πλέον ἢ κείνοις ἡ χάρις ἀμφοτέροις.
Κτῆμα γὰρ ἄμμιν ἔδωκε, καὶ ἐσσομένοισιν ἀγῶνα,
Τοῦτο μὲν εὐεπίης, τοῦτο δ' ἐτητυμίης.

DANIEL HEINSIVS.

AVTOR

CARMEN

in

Novam HISTORIÆ FRISICÆ *editionem ab Authore poſterioribus curis emendatam, & novâ acceſſione auctam.*

VT ſua Saturnus (non vana eſt fabula vatum)
Pignora chara vorat fruſtrà implorantia dulcis
Matris opem, cupidæ vitam producere natis;
Sic quæcunque parens cœleſti ſemine Tellus
Edidit in lucem, Fatorum lege perenni
Fluxa cadunt, peritura ruunt: oblivio rerum
Interitum ſequitur, proavos memorare nepotes
Vix poſſunt. At enim vivit poſt funera virtus.
Vivit, Muſarum ſed munere. nam quis Achillem,
Aut quis Alexandrum noſſet, cui conditor Vrbis
Romanæ, cui nota forent tua maxime Cæſar
Fata, niſi æternis virtutem Muſa bearet
Laudibus, & vitam rebus daret ore diſerto?
Ergo ut nobilium vivant monumenta virorum,
FRISICA quos tellus, quos virtus bellica, nomen
Quos probat antiquum, cunctis quos gentibus una
Libertas intacta, jugi nec conſcia præfert;
Ecce pius patriæ charæ ſtimulatus amore
EMMIVS, en Phœbi ſoboles, Heliconis alumnus,
Cliûs deliciæ, facundi melleus oris,
Arma viroſque canit, repetens ab origine quantum
Et Graiæ & Latiæ poſſunt meminiſſe ſorores,
Et ſerò natæ quantum valüêre ſorores
FRISIA culta tuæ, nugis tenebriſque remotis:
Arma modis populoſque potens celebrare ſolutis
EMMIVS, hiſtoriæ decus immortale diſertæ.

NICOLAVS MVLERIVS, *Medicinæ & Matheſeos profeſſor, Groningæ.*

In Hiſtoriam Friſicam

D. VBBONIS EMMII, V.C.

Hiſtoriarum & Græcæ Linguæ in effloreſcente ACADEMIA GRONINGENSI Profeſſoris doctiſſimi.

EMMIVS *emeruit, Friſijs in finibus ortus,*
Contiguus poni Magne Thuane tibi.
Primus in Hiſtoriâ celebratur jure Thuanus:
Aſſequitur paſſu hunc EMMIVS *ecce pari.*
Non minor eſt virtus doctâ conſcribere dextrâ,
Inclyta quàm forti facta patrare manu.
FRISIACAM *quòd nobilitet gentem utraque virtus,*
Secula ſunt teſtes, unus & VBBO *docet.*
Illa meæ quondam notiſſima gloria gentis
Squallebat dudum vix benè nota ſibi.
EMMIVS *indoluit, monumentaque priſca revolvens,*
Haud patitur patrium delituiſſe decus.
Protrahit, & Famæ donat celebranda per orbem,
Majorum nitido facta notata ſtylo.
Quas tibi, docte EMMI, *debebit Patria grates,*
Et decus & vitam quando ita reddis Avis!

FESTVS HOMMINGA,
Friſius.

AD LIBE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

AD LIBEROS ET NOBILES FRISONES,

SIBRANDVS LVBBERTVS, Friſius.

FRISIA *bellatrix variis cũ gentibus olim*
Multa domi fecit prælia, multa foris,
Vt patrias leges cum libertate teneret,
Et coleret proprio rura paterna bove.
Devictos bello totâ regione fugavit,
Qui patrias auſi contemerare domos.
Saxonas illius vaſtantes ignibus arva
Oppoſito latis robore ſtravit agris.
Stravit & ejecit boreo ſub ſidere natos
Nortmannos, magni qui timor orbis erant.
Inde procul patriâ varias emiſit in oras
Agmina, ſub ſignis Carole Magne tuis:
Quæ Sorabis, Slavis, Henetiſq́; fuêre timori,
Quos latè tumidis permeat Albis aquis.
Et Mahometigenas ſuperarunt Marte cohortes,
Milliaq́; Hunnorum multa dedêre neci.
Horum virtutem magno admirata ſtupore eſt
Ipſa orbis domiti maxima Roma caput.
Et vidit ſtupuitq́; omnis gens Auſonis, altas
Poſt Alpes gemino clauſa ſuperba mari.
Vidit & obſtupuit rex Carolus, arbiter ampli
Imperij, ac ſecli gloria magna ſui.
Et dedit his, totiq́; adeò ter maxima genti
Attribuit claræ præmia militiæ. (*Leonem,*
Quid cæſum his Craſſum, quid fuſum Marte
Saxonicæ memorem lumina bina domûs?
Quid Solymos armis dicam Phariosq́; petitos?
Arvaq́;, quæ latè perfidus Afer arat?
Poſt hæc excitis Gulielmus ſede Batavis
Friſiacas miſerè diripiebat opes.
Heu quantas ſtrages, quàm triſtia bella ciebat;
Nam tum Romani ſceptriger orbis erat.
Attamẽ hic juſto quoq; victus Marte, Batavûm
Sanguine Friſiacos nobilitavit agros.
Nec clade hac porrò deterritus alter eodem
Nomine, gentis idem robur ad arma vocat.
Et victus virtute pari, majore ſuorum
Imbuit effuſo ſanguine cæſus humum.
Cœpit & hoc pugnax evertere Miſnia regnum,
Friſonumq́; ſuo ſubdere colla jugo.
Sed fruſtrà; nam dum Groningæ mœnia vexat,
Dextera Romani corruit imperij.
Quin etiã auſus erat ferro hos popularier agros
Princeps Brunonis nomen ab urbe gerens.
Arcibus atque aliquot crudeli Marte ſubactis
Terrebat varijs oppida culta locis.
Nec factũ hoc impunè tulit; nã ſplendidus armis,
Ænea quam torſit machina, glande cadit.
Sic patrias ſemper tenuit gens libera leges,
Proq́; his non dubitat fata ſuprema pati.
Hoc deſiderium patriæ virtutis, amorq́;
Libertatis adhuc Friſica corda trahit.
Albanus multos, qui Chriſtum ritè colebant,
Auſus in ardentem præcipitare rogum.
Fulmina Romuleus, quibus altos terruit olim
Reges, Tarpejâ vibrat ab arce Draco.
Omnibus intentat mortem, quatit impius arma,
Arma ſibi atque ſuis exitioſa Dijs.
Quis cladem illius belli? quis funera fando
Explicet, Albani funera facta manu?
Stupra, verecundis quæ ſunt illata puellis
Prætereo, caſto non referenda ſono.
Prætereo tormenta, quibus cruciata juventus
Effoderet, ſi quas occuluiſſet opes.
Reddere qui ſtatuis ſacros nolebat honores,
Deſertis patriæ finibus exul erat.
FRISIA *tot caſus cernens, & triſte ſuorum*
Exitium, tales reddidit ore ſonos:
Ad Solymas arces miſi victricia ſigna,
Et ſenſit noſtras Martia Roma manus.
Ejeci Cimbros, totâ & regione Batavos,
Nec quicquã in me nunc Geldria juris habet.
Non equidem tot bella, aut tanta pericula vitæ
Suſtinui, ut noſtras ferret Iberus opes.
Dixit, & excelſas mediis ex urbibus arces
Eruit, atque hoſtem juſſit abire foras.
Eco Iſbrandiades magnis conatibus egit,
Vt patriam tantis eximeret pedicis.
Carolus, à veteri qui fert cognomina Rhoorda,
Hoc ipſum totis viribus urſit opus. (*ma,*
Quid referã Dojẽ? quid Martena, Botnia, Bung-
Idzarda & Fervow, Aiſema, Sibeniden?
Quid multos alios perſtringam carmine, quorũ
Nomina ſunt Latiis non ſatis apta modis?
Poſt multas clades venit Naſſovius heros,
Natus in Auſonij Præſulis exitium.
Hoc duce Parmẽſes acies, Ghoticasq́; phalangas
Stravit, & hoſtilem Marte ſubegit humum.
Devicit multas concuſſis mœnibus urbes,
Et derivatis oppida fluminibus.
Nuper ad occidui dum fulminat oſtia Rheni,
Quantus erat gemitus? quantus ubiq́; pavor?
Contremuêre Vbij, bellax Weſtfalia tantis,
Quæ ruerent muros, obſtupuit fabricis.
Amaſis, excelſam qui præterlabitur Emdam,
Vix tenuit ſolitas amne tremente vias.
Ipſe pater Rhenus, Geldros qui dividit agros,
Expavit gelidis obſtupefactus aquis.
Illa nigris tenebris tegit oblivioſa vetuſtas,
Hæc mox Lethæis merſa ferentur aquis.
Nam qui Friſiacas deſcriberet ordine pugnas,
Et caneret patriæ prælia, nemo fuit.
Promptior eſt Friſo duro decernere ferro,
Fortia quàm culto facta referre ſono.
Hinc acies, pugnæ, rigidi certamina belli,
Relligio, leges, fœdera, amicitiæ,
Et quæ geſta domi, atq; aliis cum gẽtibus unquã
Acta foris, nebulis condita luce carent.
Primus in æthereas jucundi luminis auras
VBBO *hæc abſtruſis eruit è tenebris.*
Ex variis ſcriptis, varijsq́; annalibus aptam
De patriis rebus condidit hiſtoriam.
Atq; ut perpetuùm vivat poſt funera virtus,
Scit doctè chartis facta referre ſuis.
Nec dubito, quin acta, quibus nũc Friſia gaudes,
Condat, & ad cœlum laudibus uſque ferat.
Sic tibi, qui priſco Friſonum ſanguine natus,
Charus ſæpe pater, ſæpe legetur avus.
Hic igitur tibi ſemper erit, mea Friſia, gratus
Scriptor, ſi laudis quæ tibi cura tuæ eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

In Hiſtoriam

RERVM FRISICARVM VBBONIS EMMENII.

INCLITA quam tituli, quam magnificentia Regum
FRISIA per celebres condecoravit avos;
Regna cui variis manſêre illæſa triumphis,
Sæpè foris cæſo milite, ſæpè domi:
A primâ dubios teſtatur origine caſus,
Qui miſerâ vitam conditione premunt.
Indicat aſſiduos regnorum, in imagine, motus,
Ac horum cauſas, tempore docta, monet.
O miſeram mundi ſortem, miſeroſq; labores,
Gaudiaque interni puncta doloris acu!
Quàm rotat inſtabilē variata potētia mundum,
Duraque currentes ſors moderatur equos!
Quàm nihil æternū eſt, & ab omni parte beatū,
Dum citò decreſcunt maxima, parva tument!
Nobilis inſpiciens Europæ permeet oras,
Clara velut bifidum quà mare regna videt,
Perluſtret Pœnos armis & Marte potentes,
Quos pulſo dirus Cæſare Turca regit;
Accedat populos Aſiæ, Garamantas & Indos;
Attamen in toto nil erit orbe ratum.
Iam ſolio inſignes, regnique cacumine fretos,
Invida cras agilis dejicit anſa rotæ.
Sic miſeri in primo penitùs collidimur ortu,
Horaque quid mixtum læta doloris habet.
FRISIA magnanimis olim ſub Regibus audax,
Ingenti Martis robore niſa, fuit;
Quando rebellantes populos, victricia fudit
Arma, petens victas in ſua jura manus.
Libera crudeles nequiit tolerare Tyrannos,
Quorum grande nimis mentio crimen erat.
Poſtpoſuit firmo gens libertatis amori
Pro patriis ſumens legibus arma, necem.
Acre fuit ſtudium proprios coluiſſe Penates,
Acrior at vitæ liberioris amor.
Veſtis erat ſimplex, cultura ſed aptior agri,
Vicinis gaudens, tegmina tuta, caſis.
Puraque ſimplicitas ævo laudata priori,
Litis inops, prudens, neſcia fraudis erat.
Nec bello domitam Romana ſuperbia novit,
Imperio ſociam maluit eſſe ſuo.
O nimiùm fœlix, ô terque quaterque beatus,
Flaccida qui vitæ tempora liber agit!
Non illum ambitio, turgenſve tyrannidis æſtus,
Aut populi ſolidâ factio mente quatit.
Poſt ubi regalem contemſit Stauria faſtum,
Mota ſeneſcenti tempore docta malo;
Vnanimi Procerum ſtudio eſt erecta poteſtas,
Cujus ad imperium publica cauſa ſtetit.
Hac duce creverunt & opes, & ditior auxit
Cultorem obducto vomere gleba ſuum.
Iamq; priùs cœptum peregrinos viſere tractus,
Lataq; ſpumoſi findere dorſa maris,
Texit avaritiæ fœdum Sapientia nomen,
Mutandæq; alios mercis agebat amor.
Hinc genus indomitum, belloq; exercita pubes,
Externi ſedes quæſiit aucta ſoli.
Albion hoc olim ſenſit, quà Veſpere condens
Delius objectas lumina cernit aquas.
Vt nihil in mundo ſtabile eſt; ſic verſa retortam
Expediunt certo limite Fata vicem.
FRISIA tunc victrix victori diruta ceſſit,
Accola quem gelidi climatis Arctos habet.
Spectabat gladio triſtem ſubeunte ruinam,
Plenaq; clamorum, plena doloris erat.
Et niſi ſanxiſſent Proceres nova fœdera juncti,
Priſtinus, heu nimiâ clade, jaceret honos.
Scilicet exiguas auget concordia vires,
Regnaq; diſcordi maxima plebe ruunt.
Omnia nunc iterum, mutato tempore, florent,
Datq; ſuum nectar, dat ſua dona Deus.
Ille tuba reſonante ſuos vocat, illius ori
Et Chriſti meritis fidite, mundus abit.
Iam rediviva Deo juſtas age FRISIA grates,
Inq; tuis iterum finibus aucta mane.
Exulet ambitio procul hinc, conſtantia prudens
Vinciat in firmam teq; tuoſq; fidem.
Sancta Dei ſolitum capient ſic juſſa vigorem,
Diraq; funeſti Martis imago cadet.
Et tu dulce caput, quo nil mihi carius, VBBO,
Hiſtoriæ æternùm laude ſuperſtes eris.

JOANNES WITTEN, *die* XIX *Febr. anno* M.D.XCV. *Groningæ*.

Privilegium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Privilegium.

ILLuſtrium Ordinum Fœderatarum Belgicæ Regionum decreto cautum eſt LVDOVICO ELZEVIRIO, Bibliopolæ Leydenſi: Ne quis temeré præter illum, aut illius hæredúmve voluntatem, toto ſexennio proximo his in oris excudat, aut alibi extra provincias excuſa, inferat, vendátve V. C. VBBONIS EMMII FRISII OPERA HISTORICA ET CHOROGRAPHICA. Videlicet, *Rerum Friſicarum Hiſtoriam in ſex Decades, ſive* LX *libros diſtinctam*: aliaque ejuſdem Auctoris OPVSCVLA uno volumine comprehenſa, *De Friſiorum Republicâ, oppidiſq; & foris: Déque totâ Friſiâ à Flevo in Lavicam, & hinc in Amaſum, demúmque in Viſurgim fl. porrectâ.* Quod ſi quis contemtâ auctoritate præſumpſerit hæc aut omnia ſimul, aut eorum partem aliquam, ſive etiam Epitomen typis mandare, vel impreſſa alibi in has regiones inferre & vendere, confiſcatione librorum illorum omnium, mulctâque inſuper pecuniariâ damnas eſto. Vti latiùs patet in ipſo Diplomate, dato in concilio Dominorum Ordinum Generalium, Hagæ-Comitis XXI Ianuarij, M. D. C. XVI.

Signatum
A. COENDERS *vt.*

Subſcripſit C. AERSSEN.

Series

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Series Operum
HISTORICORVM ET CHOROGRAPHICORVM
VBBONIS EMMII.

I.

R*Erum Friſicarum Hiſtoria, diſtincta in Decades ſex, perductaque à gentis origine uſque ad annum* M. D. LXV. *adjecto Indice copioſo.* Signati ſunt hi Annales à Typographo in uſum Bibliopegi, characteribus *A. B. C.* & ſic deinceps ad *Oooo* quarti Alphabeti.

II.

De Friſiâ & Friſiorum Republicâ inter Flevum & Lavicam flumina. De Leovverdiâ, cæteriſq; ejus regionis oppidis: Præmiſſa de Friſiorum libertate Diſſertatiuncula. Accedunt huic ſyntagmati picturæ civitatum LEOWERDIAE, *pag. 27.* FRANEKERAE, *pag. 49.* HARLINGAE, *pag. 53.* BOLSVERDIAE, *pag. 55.* SNECAE, *pag. 58.* WORCVMI, *pag. 59.* DOCCVMI, *pag. 60.* STAVERAE, *pag. 63.* SLOTAE, *pag. 65. omnes ære expreſſæ.* Signatus hic Commentarius characteribus *a. b. c.* & ſeqq.

III.

De Agro Friſiæ inter Lavicam & Amaſum flumina; Deque urbe Groningâ, & de Republicâ utriuſque: cum ſerie Conſulum & Magiſtratuum præcipuorum. Adjecta eſt pictura urbis GRONINGAE, *pag. 14.* Signatum hoc Syntagma characteribus *aa. bb. cc.* &c.

IV.

De Friſiâ Orientali, deque Emdâ, & reliquis civitatibus, &c. foris, inter Amaſum & Viſurgim flumina: Deque ſtatu Politico atque Eccleſiaſtico ejus Comitatûs. Accedit pictura urbis EMDAE, *pag. 7.* Signatus hic liber characteribus *aaa. bbb. ccc.* & ſeqq.

V.

Periegeſis, ſive accurata Deſcriptio Chorographica Friſiæ Orientalis, ab Amaſi oſtio Dullartique ſinu in Viſurgim fl. porrectæ. Addita ipſius Autoris manu delineata Tabula Chorographica, æri inciſa. Signatur hic libellus iiſdem characteribus ſubſeqq.

VI.

De Origine & Antiquitatibus Friſiorum, contra Suffridi Petri & Bernardi Furmerij hallucinationes, Perſpicua & ſolida veritatis aſſertio. Signatur characteribus Græcis *α. β. γ*, &c.

VII.

INDICES *in præcedentia opuſcula.*

RERVM

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

RERVM
FRISICARVM
HISTORIAE
DECAS PRIMA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Illuſtri ac Generoſo
DOMINO
D. ENNONI,
COMITI FRISIAE

Orientalis, & Ritpergæ, domino in Eſens, Stedeſdorp, ac VVitmund,

Domino ſuo clementiſſimo.

V IRUM *bonum laborum conſiliorumq́; ſuorum rationem reddere oportere ſapientes dixerunt. Quapropter mei quoq; nunc officii eſſe exiſtimo, Generoſe atq́; inclite Comes, domine clementiſſime, ut moleſti æquè ac longi laboris hujus, cujus nunc partem in lucem emitto, rationem aliquam reddam, &, ſi poſſim, cum bonis atq; æquis hominibus omnibus, tum tibi imprimis probem. Ego cùm multarum gentium hiſtorias, quò me aliquis naturæ impetus tulit, magno ſtudio legiſſem, atq; earum res, fortunamq́;, quantum è lectione licuit, cognoviſſem, cœpi de rebus quoq; noſtratibus aliquando cogitare, & ſimul mirifico iſtarum etiam cognoſcendarum, non ſolùm quales nunc ſunt, ſed quales majorum quoq; tempore fuerunt, deſiderio incendi. Turpe quippe mihi viſum, qui aliena noſſe ſtudueram, noſtra, quæ præcipuè tenere debebam, ignorare, ac quaſi peregre in hac parte civem, domi peregrinum videri. Verùm, quæ ad levandum explendúmve hoc deſiderium meum facerent, typis vulgata ejuſcemodi monumenta nulla omnino reperiebam: nec enim ulla extabant. Itaq;, quod proximum fuit, manuſcriptos commentarios de quibus audieram aliquando, à viris rerum Friſicarum ſtudioſis congeſtos olim, quamvis rudes à paucisq; hactenus viſos circumſpexi, omnemq́; movi lapidem, ut eorum mihi copiam quacunq; ratione pararem. Quod cùm tandem obtinuiſſem, (quam gratiam præcipuè viris duobus nobilibus debeo, debebuntq; etiam ii, quibus hæc noſtra ingrata non erunt) non ſolùm magno hos ſtudio perlegi alios poſt alios, (incendebar quippe magis ac magis ipſa re præſente) verùm etiam penè totos meâ manu exſcripſi, ut habere hinc poſſem memoriæ juvandæ velut perpetua quædam præſidia. Sed enim quum omnia hæc, quæ & legeram, & exſcripſeram, non ſatis cohærere viderem, eſſeq; velut diſſoluti corporis diſjecta membra (ad diverſas namq; Friſiæ partes diverſi commentarii pertinebant) & alioqui etiam incondita luxataq; intervallis hiare, nonnulla quoq; inter ſe non ſatis congruere, quædam etiam fabulas ſapere, tentavi an diſperſa colligere, confuſa redigere in ordinem, diſrupta diſſitaq; intervallis contexere, diſſentientia conciliare, veris falſa abſtergere, atq; ita lucem aliquam rebus noſtratibus quæ & egregiæ magnæq; per ſe, & tenebris iſtis indignæ eſſent, afferre poſſem. In quo dum elaboro, paulatim plures hinc inde codices ejus generis, ac diverſa annotata oportunè ad me pervenere. Ita factum, ut pluribus adminiculis ſublevatus in re difficili, & temerè tentata velut aſpirante fortunâ, progrederer tamen, & magna temporum ſpatia emetirer. Verùm omnis adhuc ille labor mihi privatim, ut magis magiſq; in cognitione rerum noſtrarum legendo ſcribendóq; proficerem, & paucis fortaſſe amicis, quibus eadem mecum cupiditas eſſet, parabatur. Poſteà verò quàm initia nonnullis oſtendiſſem, illi non ſolùm laudare inſtitutum, gratiáſq; agere, ſed etiam hortari vehementer, ut quò pluribus hac operâ ſervirem, non ad premendum intra Muſæum meum, ſed ad edendum hoc quodcunq; conſequi poſſem, me pararem: rationes quoq; afferre, propter quas non aliter me facere oportere arbitrarentur. Etenim, ajebant, ſi bonorum, doctorúmq; hominum gratiæ, ſi commodo reip. ac patriæ, ſi honori gentis noſtræ ſtudere cuperem, ſi benè vellem memoriæ, famæqúe majorum, magnorum atq; optimè de nobis meritorum hominum, non eſſe me ad hæc omnia rationem unquam inventurum meliorem. Quid multis? perſuaſus ab his, viris præſertim gravibus, & ante me ſapientia præditis, huc deinceps mea ſtudia retuli, ſimúlque multa revertens, quæ jam decurreram, ut ea facerem meliora, conquirendis fœderum, pactorum aliorúmq; ſimilium tabulis vetuſtis, velut indubitatis geſtarum rerum teſtimoniis, totum aliquandiu me dedi. Quarum copia mediocri parata, etſi juvari me non parum experiebar, tamen quòd nonnulli me in eo officii genere deſererent, qui fortaſſe non debebant, & quò nimis diſtracta, ac varia & conciſa eſſent, quæ contexere, daréque ordini volebam, ſenſi rurſum permagnam in hoc decurſu difficultatem, ſæpéq; in animo habui,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

abjectis omnibus eo me tædio, ac moleſtia liberare. At verò reſpiciens iterum ad ea, quæ jam induſtria & aſſiduitate ſuperaveram, nec pauca, nec facilia, ac ſpe boni publici ex opere perfecto, fortaſſe etiam ἐυφημίας *nonnullius noſtræ me erigens, cogitánſque omnia pulchra & magna difficilia, proclivia autem ferè vilia ac ſine laude, animum ſumpſi denuò, ſtatuiq́ue omnino, quoad poſſem, hanc quantumvis aſperam ac duram glaciem porrò frangere. Veruntamen in hac perplexitate, ac conatu novo nihil æquè alacritatem, ac velut vires mihi addidit, quàm quòd acceperam à viris gravibus & fide dignis, Clementiæ tuæ rem pergratam me eſſe facturum, ſi in cæpto conſtanter progrederer, ac, ſi poſſem, ad finem uſque perducerem. Eo ſcilicet novo incitatus ſtimulo devorandas mihi omnes moleſtias cenſui; & quoniam anguſtè admodum tempore utor ob eas, quas jam ab aliquot annis pro patria ſuſtineo occupationes moleſtas & aſſiduas, diurnis nocturnas horas adjungere inſtitui, uti & tuæ & aliorum de me concitatæ conceptæq́ue expectationi tandem aliquando poſſem ſatisfacere. Atque ita ſcribendo jamdudum ad annum Chriſti* M. D, *atque ulterius ab anno* CCCCXLIX *perveni.*

Habes, Generoſe Comes domine clementiſſime, rationem à me redditam conſilii & inſtituti mei: quæ qualiſcunque videbitur aliis (tuæ quidem clementiæ, & quibus prætereà æquitas ineſt, non improbatum iri haud diffido) ego ſaltem mihi conſcius ſum, non me quicquam hujus, niſi promovendi boni publici, & bonis gratificandi ſtudio, quantum ad editionem attinet, ſuſcepiſſe. Verùm ea, quæ abſoluta jam ſunt, cur non omnia ſimul nunc edam, plures me cauſæ commovent. E quibus & hæc eſt, quòd pauca quædam in iis inquiſitionis amplioris adhuc indigere mihi videntur. Quæ ubi explorata mihi fuerint, ac nonnulla alia proviſa, etiam iſta ſtatim dabo, non parum quàm hæc, (ſi quid ipſe de his rectè judico) tum meliora, tum ad noſtrum uſum fructuoſiora. Hanc verò partem, quam flagitatio amicorum mihi extorquet, difficillimam quidem, & minimum nitoris admittentem exire jam patior tanquam ſpecimen totius: eàmque tibi generoſe Comes, cujus voluntas incitamento mihi in opere fuit, meritò inſcribo, ac clementiam tuam contra obtrectatores ac Zoilos, quibus nimis hoc fæcundum ſæculum eſt, patronum illi coopto. Quam ſi ſereno animo & benigno ſuſceperis fiduciâ patrocinii tui prodire auſam, non ſolùm ipſam hanc ſanè contra injurias hominum malevolorum atque invidorum muniveris ſatis, cæteríſque quæ premuntur adhuc, ad prodeundum ſimiliter animum addideris, ſed me quoque ad ea, quæ reſtant præclara atque illuſtria de familia veſtra, præſertim de proavo tuo heroë in paucis numerando, ſeu pacis in eo artes ſpectes, ſeu belli, quíque regibus & principibus admirationi erat, cùm viveret, gloriam verò maximam apud omnes, deſiderium ſui incredibile apud ſubditos, qui ut parentem communem, & plus penè quàm ſe ipſos ſuperſtitem amaverant, à morte reliquit, exponenda deinceps reddideris alacriorem. Et cur te ita facturum eſſe, dubitem? Habeo ſcilicet id, quod dixi, jam antè perceptum indicium voluntatis tuæ: habeo idem poſt repetitum, & declaratum expreſſiùs. Poſtremò, quæ de ingenio tuo cognoſcendarum rerum tam veterum quàm recentium avido, benigno, facili, humano, erga bonas literas benevolo ex aliis audio, ea efficiunt, ut haud aliter futurum, quàm in votis habeo, planè polliceri mihi audeam. Quod reliquum eſt, Deum Opt. Max. ex animo precor, ut hoc dubio & periculoſo tempore ſapientiam & virtutem omnem εἰλικρινῆ *unà cum ſinceræ pietatis zelo magis & magis generoſo tuo pectori inſpiret, ſanctiſque conſiliis & cœptis tuis ſucceſſum ſemper fælicem largiatur, in commodum Eccleſiæ ſuæ, & anxiæ ac ſollicitæ patriæ ſalutem: Amen.*

Leræ Friſiorum, menſe Iunio, Anno M. D. XCII.

Cl. tuæ

deditiſs.

VBBO EMM.

RERVM

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber Primus.

PATRIAE meæ res ab aliquot repetitas ſæculis, tenebriſque, quibus penè merſæ jacent, erutas, bono publico breviter expoſiturus, atque ab injuriâ oblivionis vindicatas poſteris etiam proditurus, non abs re arbitror me facturum, ſi priùs, quæ univerſæ terræ Friſiæ magnitudo, qui ſitus, quæ facies, quod loci ingenium, qui populus, & populi mores ac inſtituta, quanto poſſum compendio, expediam. Moleſtum ſanè opus, & quod ſplendeſcere nequit, tum, quòd minuta per ſe ſunt pleraque, quæ dicenda ſunt, tum quòd verbis utendum multis, quò res intelligatur rectius, quæ niſi nimis detorta, à Latino ſermone plurimum abhorrent: tale tamen, quod nec ingratum, nec inutile, patriæ præſertim, cui noſtra poſt Deum debemus, futurum exiſtimo.

Igitur FRISIA omnis, quæ eo nomine à plurimis ſæculis ad hoc uſque tempus cenſetur, Germaniæ Septentrionalis regio, longiſſimo ſpatio ab Hollandis in Danos uſq;, ſecundum Oceanum, qui Britanniam inter Cimbricamque Cherſoneſum & Scandinaviam ſe fundit, per L. haud minus milliaria Germanica porrigitur: latitudine variâ, ſed nuſquam VII. aut VIII. mill. magnâ, Drentiam ac nonnulla alia, quæ ambigui juris plerique cenſent, ſi demas, excedente. Cujus per medium verticem ductus parallelus LIII. grad. cum dimidio ab æquatore diſtat. Littus verò hoc univerſum, per quod ſe Friſia extendit, ab occaſu in ortum incedens, atque interim in Septentrionem nonnihil ſe attollens, ſinuoſum, & fluminibus mariſque æſtuariis, Flevo, Lavicâ, Amaſo, Dullarto, Iadâ, Viſurgi, Albi, Eidorâ frequenter interciſum eſt, quibus Friſii plerunque à ſe invicem dirimuntur, in plures velut populos ac diverſa nomina, juraque diviſi. Inſulæ etiam continuo ordine ab extrema Hollandiæ ora ſumpto initio ad Viſurgis uſque oſtia, non ſine magno naturæ beneficio, velut vallum aliquod littori prætexuntur; quas inter & ipſum littus vadoſa plerunque æſtuaria, alibi etiam profundi maris ſinus interjacent. Deinde poſt Albim altera atque tertiâ inſula ſequenti oræ objiciuntur. Tota regio plana & aperta eſt, ſylvis infrequens, atque in uniuerſum ferè humilis: limoſa, quà littoribus proxima; arenoſa, aut paluſtris, introrſum vergens. Vbi limus tenet, adeò depreſſa eſt, ut multis locis aquâ modico æſtu affluente ſit humilior, alibi pari

cum aqua ſuperficie, nonnuſquam etiam paulò altiore. Itaque gravi impendio & labore excitatis in ora permagnis è terra aggeribus, velut vallo quodam ſe cingere ac munire contra influxum maris & fluminum cogitur. Nec ſic quidem à fluctibus ſatis tuta, ac ab inundationibus immunis. Nam Oceanus, qui magnos æſtus illis locis ciet, cùm à Septentrione aut Coro tempeſtatibus movetur, tantis fluctibus ſæpè intumeſcit, ut ingentis molis aggeres illos (quod credi vix poſſit) interdum perrumpat, interdum etiam tranſcendat, lateque impetu deorſum ruentis aquæ diſjiciat, atq; omnem regionem illam paſcuam brevi momento navigabilem efficiat, magnâ plerunque cum hominum & pecudum pernicie. Quod cùm fit, ſola oppida, atque vici, qui editioribus tumulis, dubium an humano opere hanc ob cauſam congeſtis, poſiti ſunt, & ſi qua præterea loca celſiora à planicie aſſurgunt, ex aquis inſularum more eminere videntur. Ingens ſanè malum, quo luxuriantem ejus oræ fælicitatem coercere divino numini complacuit. Quo ſi careret, inter fæliciſſimas terrarum Europæ hæc ipſa numerari meritò poſſet. Etenim tam pingui argillâ, quam invectum à mari limum eſſe ob multas rationes credere cogimur, totus ager obductus eſt, ut nihil eo vel ad paſcua vel ad ſementem poſſit haberi uberius, ac ſumen quoddam terra dici queat. Et quâ paſcuus quidem eſt, non ubere tantùm copia gramen, trifolio multo mixtum, producit, ſed virtute etiam præ regionibus aliis ad ſaginanda pecora, avenæ vel hordei inſtar, præcipuâ ac ſingulari. Hinc fælix ille & copioſus armentorum proventus, illa ingentia & obeſa luxuriantium boum corpora, quæ ut admirationi ſpectantibus ſunt, ita non Friſiam modò opimâ & delicatâ carne paſcunt, ſed regiones etiam vicinas: Hinc ſoboles illa generoſorum equorum, qui non Germaniam tantùm replent, ſed per majorem etiam Europæ partem in honore ſunt, uſumque & voluptatem principibus viris præſtant: Hinc lactis incredibilis illa abundantia, quo bis quotidie vaccarum ingentia diſtenduntur ubera, illa butyri & caſei inde confecti vis, quæ expletâ viciniâ in longinquas etiam regiones exportatur. Hinc & ovium fæcundi greges, quibus cæterarum Germaniæ regionum ejuſdem generis pecudes ne comparari quidem poſſunt. Hinc præſtans virtute & ſpecie illud mel ἄνθινον, quod virgineum vocant, ex trifolii flore collectum, quod melli Attico non impar eſſe, & ſaccarum æmulari videtur: tanti candoris, ac ſpiſſitùdinis, viriumque eſt. Nec virentis modò graminis ea vis eſt, quam dixi, ſed reſecti etiam, & in fœnum ſiccati: cui tam pollens virtus, ac tenax ſuccus ineſt, ut cùm in cumulum magnum componitur, niſi probè ad ſolem arefactum fuerit, ſuapte vi, & calore inſito ardeſcat, & incendium excitet. Iam verò quâ parte aratur ager idem, & ſeritur, tanto cum fænore reddit quod accepit, ut mediocribus annis impleat plerunque ſpem avari agricolæ, fælicibus etiam ſæpè ſuperet. Vnde extitit illa totius regionis pulchritudo, & nitor, qui exteris omnibus admirationi eſt. Tot enim oppidis, caſtellis, foris, vicis, pulcherrimis templis & villis ager totus obſitus eſt, ut multis in locis è longinquo ſpectans unam aliquam magnam civitatem te cernere arbitrere. Atque hanc ejus fælicitatem multum adauget portuum, quibus tota ora plena eſt, importandis & exportandis rebus per diverſas regiones inſignis commoditas: quorum nonnulli tales ſunt, ut inter nobiliſſimos Europæ, ſi ſitum ſpectes, cenſeri poſſint. Deinde rivis adeò frequentibus, qui lintrium ac minorum navigiorum capaces ſunt non ille ſolum tractus littoralis, de quo jam agimus, ſed univerſa ferè Friſia diſtinguitur, ut pauci omnino reperiantur pagi, qui his non alluantur. Qui licet aquis deducendis inſtituti primum ſint, (nam omnes per ductus quoſdam aut canales magnos in aggeribus defoſſos, quibus geminæ valvæ ita coaptatæ ſunt, ut cum æſtu & receſſu maris ex uſu agri ſponte ſe aperiant, claudantque, quoſque ex præcipiti aquarum effluxu cataractas liceat appellare, in flumina aut ſinus ſe exonerant) tamen id commodi ſimul præſtant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſtant incolis, ut per eos ad oppida, ad portus, ad pagos navigare, ſuaque ſine majore ſumptu & moleſtiâ quovis deportare poſſint. Sed corripit, ut dixi, & caſtigat nimiam fælicitatem oræ hujus Oceani exundantis incommodum: contra quod comparati ſunt, quos deſignavi, aggeres. Quorum magna pars continuis trabibus contextis in fronte muniti ſunt, pars algâ marinâ infarcti, pars ſtramine aut arundine, domorum inſtar, anniverſario ſumptu ac opere tecti, pars viridi ceſpite per devexam frontem complanati. Qui omnes non ſolum diſjecti ſine gravi ſumptu & labore reparari non poſſunt, ſed ut ſarti tecti ſerventur, majoribus etiam quàm credi poteſt impendiis agricolas quotannis onerant. At ſi quando, ceu fieri interdum ſolet, mare aut ſuperarit aggeres, aut perruperit, æſtate præſertim, aut primo autumno, tum verò tantum hinc detrimentum ſequitur, ut omnis illa Friſiæ fælicitas ſimul everri videatur. Nam armenta, greges, meſſem, & quicquid in campis deprehendit, uno velut gurgite abſorptum aufert. Quin etiam ſalſugine ſuâ ita terram inficit, ut in ſequentem quoque annum unum atque alterum ſterilitas prorogetur, donec largiore tandem pluvia aut nive ſuperata vis ſalis fuerit. Nec rarò accidit, ut multa mortalium millia cum domibus totiſque vicis abſorpta perierint. Documento ſunt Dullartus, Flevus, Iada, magni nunc maris ſinus, ubi prius oppida, pagi, villæ, cultiſſimaque prata fuerant. Verùm ſic quoque, quaſi inſtauratis viribus, ad ubertatem majorem, altero aut tertio poſt eluvionem anno, terræ natura connititur. Limus enim, quem mare infuſum invehit, ſalſedine ejus per pluvias aquas dilutâ, pro ſtercore aut novellatione eſt. Atque has quidem eluviones propè quotidianas priſcis ſæculis fuiſſe, nullo dum contra æſtus aggere ſtructo, cum ſibi ac familiæ ſuæ quiſque viveret, publiciq; aut nulla aut exigua cura eſſet, atque aggerum ratio in commune non haberetur, quod miſerrimos indigenas fecit, his præſertim, quæ nos habitamus, locis, ex uno Plinii loco evidenter apparet. Is enim libro XVI. cap. I. de Chaucis, qui hæc loca ad Oceanum inter Amaſum Albimque tenuerunt, ſic ſcribit: *Sunt verò in Septentrione viſæ nobis Chaucorum gentes, qui majores minoréſque appellantur. Vaſto ibi meatu perpetuis bis dierum noctiúmque ſingularum intervallis effuſus in immenſum agitur Oceanus, æternam operiens rerum naturæ controverſiam: dubiúmque, terræ ſit, an pars maris. Illic miſera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia ſtructa manibus ad experimenta altiſſimi æſtus, caſis ita impoſitis, navigantibus ſimiles, cùm integant aquæ circumdatæ; naufragis verò, cùm receſſerint: fugientéſq; cum mari piſces circa tuguria venãtur. Non pecudem his habere, non lacte ali, ut finitimis, ne cum feris quidem dimicare contingit, omni procul abacto frutice. Vlvâ & paluſtri junco funes nectunt ad prætexenda piſcibus retia: captumq; manibus lutum ventis magis quàm ſole ſiccantes, terrâ cibos & rigentia Septentrione viſcera ſua urunt. Potus ijs non niſi ex imbre ſervato ſcrobibus in veſtibulo domus. Et hæ gentes certè ſi vincantur hodie à populo Rom. ſervire ſe dicunt. Ita eſt profecto: multis fortuna parcit in pœnam, &c.* Quem locum Plinii cùm expendo diligentius, antiquiſſimam illam patriæ noſtræ faciem ac ſtatum videre mihi videor, multaque intelligere, de quibus quæri ſæpè ſolet: Præcipuam populi Friſici partem arenoſa & paluſtria, quæ paulum à littore aſſurgunt, loca habitaſſe: eamque Friſiæ potiorem tum partem fuiſſe: littora extrema, quæ jam cultiſſima & fæliciſſima ſunt, neglecta, incultaque, ac miſeræ plebi, quam neceſſitas ac inopia eò expulerat, inſeſſa jacuiſſe: aggeres arcendo æſtui marino fuiſſe nullos: quoties vel paulum intumeſceret mare, in agros exundaſſe: & vadum potius, quàm campos iſtic fuiſſe: atque eâ neceſſitate excitari cœptos ad habitandum iſtos, quos videmus etiam hodiè, tumulos ad experimenta, ut Plinius ait, altiſſimi æſtus: Dein paulatim limo invecto ob aſſiduas eluviones, quemadmodum etiam nunc id fieri videmus, littus nonnihil aſſurrexiſſe, locis altioribus germen extuliſſe, atque ex vado agrorum ſpeciem induiſſe: Tum quod gleba pinguis fœcunditatem ſuam probaret, plures ad colendum ac habitandum cupidè eò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

commigraſſe, & jam non tumulos tantùm ſed colles quoque erexiſſe, in quibus oppida, vicique ſunt extructi: aggeres etiam communi operâ, qualeſcunque primum, deinde & majores æſtui objeciſſe: agrum totum aut paſcendis armentis gregibuſque occupaſſe aut aratro excoluiſſe: Denique hoc modo ex informi & vadoſo littore pulcherrimum hunc & fœliciſſimum agrum extitiſſe. Sequentibus deinde ſæculis, prout aut tempeſtates fuere, aut civilibus diſſidiis neglecti, aut hoſtili quoque manu perfoſſi aggeres, exuſtaque cataractæ jacuêre, oræ rurſum nonnullæ exundante mari, vel avulſæ à continente vel fluctibus obrutæ hauſtæque ſunt. Mox iterum viciſſitudine quadam rerum, ubi undæ aliquandiu, ac profundum cœnum fuit, ibi prout fluctuum impetus occultus huc illucve ſe incitat, aut arenoſa vada, quæ aquarum reciprocus curſus promotis ſenſim arenis variè permutat, altius ſe littori objiciunt, aut cataractæ obſtruuntur veteres, & inſtituuntur novæ, denique promontoria undis oppoſita a terra procurrunt, aggeſto limo, campi & viridia prata fiunt. Atque has rationes omnes, experimenta foſſionum ſiquis animadvertat, comprobant. At vero, quà a littore Friſia paulum recedit, tantum ſe plerumque erigit, ut undas maris metuere non cogatur, ſabuloſo aut paluſtri ſolo: ubertate quidem memoratæ jam parti haud parum cedens, ſed finitimis pleriſque regionibus collata multum quoque ſuperior: ſationibus imprimis commoda & fælix, ut frumento vicinos etiam juvare poſſit. Fodit paluſtribus in locis terram bituminoſam, laterum forma, atq; ad Solem deſiccat, & lignorum vice in focis, aliiſque faciendis ignibus commodè utitur. Nec ipſa ſolum utitur, ſed magno quoque pretio vicinis, quibus præter boum ſtercora, quod urant, nihil eſt, vendit. Atque iſte proventus, ut non exiguus & certus hominibus iis eſt, ita inexhauſtus. Ea quoque pars, licet deſerta quædam ericis obſita intercurrant, ita ut plurimum oppidis viciſque culta eſt, ut vicinas regiones procul dubio antecedat. Nemora habet rariora alibi, alibi frequentiora: Paluſtria, quâ humilia ſunt, aut aquis opera hominum derivatis non exhauriuntur, niſi æſtate inſigniter ſicca, pervia nulli ſunt: reliqua peditem plerumque, equitem verò haud temerè unquàm tranſmittunt. In univerſum verò Friſiæ ager, ubi paſcuus eſt, præter rivos quos ſupra dixi, adeò crebris & perplexis foſſis minoribus eſt diremptus, quibus paſcua diſterminant incolæ, anguſtis tantum viis, ubi res poſtulat, relictis, ut exercitum illic ductare difficile ſit: equitis ibidem nullus ferè eſſe uſus poſſit: Hyeme viæ tam ſalebroſæ, ut vix expedito ſine magno labore & moleſtia pateant. Ferarum noxiarum, leonum, urſorum, luporum, aprorum nullum illic genus: cervi damæ, capreæ in nemoribus ſunt quidem, ſed numero non magno, nec valde deſiderant incolæ, propterea quòd boum & equorum armentis magis delectentur. Abſunt & caprarum greges: Lepore verò univerſus ager abundat. Piſcium omnis generis multa in pleriſque Friſiæ locis copia, quos vel ex mari vicino magnâ vi capiunt, vel ex fluminibus, vel ex ſtagnis, quæ non pauca hac in regione ſunt, maria ab incolis ob magnitudinem vocitata. Ex marinis præcipuus & inexhauſtus proventus eſt alecum, deinde capitonum, aſellorum, congrorum, paſſerum, pectinum, plateſſarum, rhomborum, ſolearum, ſcombrorum: è cæteris maximè frequentes ſunt lupi, percæ, praſini, luciſci, rubelli, tincæ, gobiones, deinde carpiones, ſiluri, varioli. Nec volucres varii generis, marinæ, ripaticæ, campeſtres, domeſticæ abſunt. Cygnorum præcipuè quibuſdam partibus ingens & incredibilis in rivis & ſtagnis multitudo: anſerum, anatum infinitus numerus, tum cicurum tum ferarum. Mergi, fulicæ, ruſticulæ, perdices, columbæ, pavones, urogalli, grues, turdi, ſturni, lari, vanelli, aliæque ſpecies plurimæ tantâ omnino copiâ, ut non ad uſum tantùm, ſed ad luxum ſufficere hominibus poſſint. Nec culinis modò idoneæ volucres, ſed etiam, quæ delectationi ſerviunt, alaudæ præcipuè, quarum perpetuò concentu majore anni parte totus ager perſtrepit, non ſine ſingulari voluptate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

luptate audientium. Habet & animalculum hæc terra, maximè quâ littori propinqua eſt, valde noxium. Sorices hi ſunt, qui nonnullis annis repente tantâ vi multiplicantur, ut verum in his videatur quod de muribus Plinius ſcribit, antequam editi ſint, rurſum prægnantes fœtus inveniri. Per totum enim agrũ diffuſi, primum cubilibus fodiendis cavant ſuperficiem ejus, radiceſque germinis corrodunt: deinde omnia depaſcunt & populantur: demum, quod conſumere non poſſunt, in cubilia ſua, velut in hyemem, congerunt, & gramini & ſementi pariter noxii, adeò quidem, ut annonæ caritatem ferè ſecum trahant. Nec deeſt malum ſimile ex vermiculo pollicis craſſitudine longo, quem cum nebulis ex aëre decidere hybernis menſibus magnâ copiâ, ſed teneritudine fili exilis plerique pro comperto habent. Quippe quem, cùm cuncta congelata ſunt, etiam apertâ & latâ in glacie poſt nebulas frequentem inveniri, ſatis conſtet. Is frigoris patientiſſimus, ut in nive ac glacie ſatis diu quoque durare poſſit, ubi ver advenit, noctu catervatim prorepens è latibulis germen depaſcit, ortu ſolis ſub ceſpite latens, velut fugitans inimicum teporem, radices rodit, efficitque ut provenire nihil queat, atque in craſſitiem pedetentim velut ſaginatus diſtenditur. Poſt, ubi æſtatis fervor ſupervenerit, quem ferre nequit, aut ante maturitatem per menſem Majum emoritur, aut ſi frigidius fortè ver fuerit, ad Iunium menſem perdurans, jam digitum parvum ferè craſſus, in inſectum oblongum longis præditum cruribus, volatile, quod meſſorem noſtrates vocant, putamine, quo includebatur ovi inſtar poſito, tandem commutatur.

Hanc omnem regionem à primâ memoriâ FRISII, CHAVCI, SAXONES, aut CIMBRI tenuerunt. FRISII ad Amaſum à medio Rheni oſtio, quod Vltrajectum olim alluens, & Lugdunum Batavorum ſecans ad Chattorum vicum in Oceanum effuſum eſt, amplexi in orâ ingentem illum lacum, quem nunc mare Auſtrinum vocant, ſedes habuerunt. Quæ cauſa eſt, cur Plinius in Rheni inſulis quibuſdam, cum cognatis aliis populis eos etiam collocet, cui Flevum, è lacubus ſe effundentem, quos in lacus Iſala, acceptis à Rheno aquis devolvitur, inter Rheni oſtia numerare placuit. Fuerunt namque plura quondam Rheni brachia quibus in mare effluebat, ac ſunt etiam hodie, ſed eundem cum priſcis ſitum curſumque non ſervantia. Lapſu ſæculorum enim evenit, ut ſeu naturæ vi, fluctuumque incitatione, ſeu humano opere, oſtiis aliis obſtructis, alvei per depreſſa loca ſe incitantes alios exitus aperuerint. Is verò qui nunc propè exaruit ad Vltrajectum alveus, altitudine & rapiditate præcipuus olim fuit, ſoluſque Rheni nomen apud priſcos etiam retinuit, ac propriè Galliæ Germaniæque limes eſt habitus. Itaque ubi nunc Hollandi magnâ parte, ac Trajectenſes, Geldrique ſunt, ibi poſt Caninefatum regionem Friſii cum Chaucis, Friſiabonibus Sturiis, Marſatiis, ejuſdem ſanguinis populis, olim fuere. Ab Amaſo deinceps ad Albim qui habitarunt, CHAVCI à veteribus ſunt nuncupati, in majores & minores medio Viſurgi fluuio diviſi. De quibus cùm non unum omnes ſentiant, nobis quoque diverſas memorare & excutere autorum ſententias, ac in veram majorum noſtrorum originem paulò diligentius inquirere liceat. Et primum quidem Chaucos ſive Aborigines in Germania, ſive à Cauconibus Aſiaticis cum aliis ortos, & ex oriente profectos, inclitam Germaniæ gentem, quicquid inter Amaſum Albimque ſecundum Oceanum latis agris interjacet, tenuiſſe, ſi Tacito, & Ptolemæo, aliiſque credimus, extra controverſiam eſt. Sed vtrum diverſi à Friſiis Ciſamaſanis, an verò ejuſdem cum iis generis, linguæ, morumque fuerint, quales a multis jam ſæculis ſunt, qui utramque regionem hodie inhabitant, id in dubium vocari poteſt. Quam dubitationem alia quoque pleraque ambigua ſequuntur. Si Friſii fuiſſe Chauci putantur, cur nomen non idem quoque tulerint? Si originis alterius, quando, & qua ratione in Friſiorum tandem nomen & mores Chauci abierint:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

aliaque his ſimilia? Atque ego quidem, ſi quis ὁμόφυλον utrumque populum fuiſſe ac ὁμόγλωττον dixerit, nihil ex veterum ſcriptis, quo iſta refutari ſententia rectè poſſit, adferri poſſe, perſuaſum mihi habeo. Nominum enim diuerſitas, ſi quis eâ mouetur, momenti quid habet? aut quod Romani eos ex nominibus diſtinxerint, peregrini nimirum de peregrinis judicantes? Quaſi verò ignota etiam hodiè ſimilia exempla ſint? Saxonum, inquam, & Brunſuigiorum, Danorum & Suecorum, Polonorum & Bohemorum, infinitorum aliorum, qui originis & linguæ ejuſdem, diverſis tamen nominibus apud omnes cenſentur? Qui fit, ut ab iis etiam, qui propiùs eos non norunt, facili ratione diverſos etiam populos eſſe, judicari poſſit. Quid ſi Romanis de multis Germaniæ populis, & quidem his ipſis, idem uſu venerit? Nec hæc coniectura tantùm inanis eſt, ſed ratio quoque certa. Vt enim de moribus utriuſque populi, & ſtudiis iiſdem nihil dicam, hoc quanti erit? quod, ex quo Germani primum de Germanis, qui ſua melius norant, aliquid memoriæ mandare cœperunt, Friſios ſemper ſedes illic habuiſſe, ubi Chaucos Romani conſtituunt, ex eorum monumentis ſatis conſtat, nec quando, aut quo duce iſtuc venerint, à quoquam poſſit oſtendi. Chauci igitur Friſiorum conſanguinei ac gentiles fuere, Friſioſque qui jam loca hæc tenent, propagavére. Quæ ſententia ſi vera eſt, quantum inde decus, quanta gloria ex tam præclaris maioribus nobis acceſſerit? Nec enim vilem aut exiguam Chaucorum gentem fuiſſe accepimus, ſed talem omnino, qua nulla legitur in Germania vel potentia, vel juſtitiæ ac omnium virtutum laude fuiſſe illuſtrior. Multorum namque populorum lateribus ſola hæc obtenſa ab Oceani littore ad Chattos uſque, & Herciniæ initium ſe porrexit, totumque illud terræ ſpatium inter Amaſum & Albim ipſa, ut Tacitus memorat, explevit, magnitudinemq; ſuam juſtitiæ laude, qua armorum vi, niſi laceſſeretur, ſemper tueri maluit. At termini non reſpondent, rurſum quis objecerit. Eos enim per anguſtos hodie in littore tenent Friſij, quos Chaucorum poſteros eſſe volumus, cùm peramplos eoſdem ab Oceano in Hercinium uſque jugum Chattoſque tenuiſſe olim Chaucos in confeſſo ſit. Fateor id quidem: nec tamen idoneum hoc argumentum exiſtimo, ut convellere ſuperiora poſſit. Quid enim? an ignotæ ſunt terminorum ejuſmodi variationes? &, eadem gentium manet, quæ fuit aliquando potentia & amplitudo? Ideone hodiè Britones, quos Cambros iam in Britannia vocant, Britanni non ſunt? aut Heneti per Germaniam ſparſi Henetæ gentis non erunt, quòd in anguſtum hodiè compulſos eos eſſe videmus? Inepta ſanè ratio. Quid ſi ab hoſte victi Chauci maximam agri partem amiſerint? Aut ſi relicta domi ſobole, quod vero propius eſt, quodque autores plerique non ſine ratione tradunt, populariter ſedibus ſuis exceſſerint, Sicambriſque ad Rhenum conjuncti, quòd ſtudio tuendæ libertatis exardeſcerent, Francorum nomẽ ediderint? Saxones verò Danicis armis vexati, antiquis ſedibus, quas in Cimbricæ Cherſoneſi dorſo trans Albim, ut Ptolemæus prodidit, habuerunt, deſertis, in Chaucorum loca commigrarint? veteriſque gentis reliquias ſparſim habitantes in anguſtum redactas in Oceani littus, quod hodie tenent, compulerint? Quorum nullum eſt, quod vel à temporum ratione atque hiſtoria, vel ab ingenio & moribus fortunaque veterum Chaucorum, ut Tacitus eos depingit, vel ab inſtitutis ac ſtudio perpetuo majorum noſtrorum in tuenda libertate ſit alienum. Ex eo enim tempore, quo Francorum nomen à libertate exortum innotuit, quod Decio Imp. auditum primum fuit, Chaucorum appellatio, gentis nimirum tam celebris & validæ in Germania prorſus evanuit. Nec enim Chaucorum apud poſteros ſcriptores in hiſtoria ulla memoria. Quo verò ierit, aut qua tanta clade oppreſſa repentè, ac funditus cum ipſo nomine deleta fuerit gens tam ampla, tam potens, tam magnæ apud Germanos atque exteros propter virtutem exiſtimationis & famæ, niſi priſcis ſedibus relictis, cæteriſque, quos ſervitij peregrini tædebat, in ſocietatem ſibi adſcitis, antiquum nomen novo &

hono-

honorifico libertatis titulo, quod Francorum vox ſonat, commutaſſe ſtatuamus? Atque id congruum maximè Francorum rebus fuerit, qui tanto numero repentè extitiſſe ad aſſerendam libertatem memorantur, ut è terra ſubitò nati eſſe, aut ex caverna quadam prodiiſſe videri poſſint, meritoque admirationem legentibus adferant, origine præſertim, quæ certa ſit, aliâ nullâ demonſtratâ. Nam de Sicambria ac Troiana progenie, aliaque ſimilia, quæ nonnulli, velut poetæ, in hiſtoria commentantur, nugæ ſunt. Quod ſi in Francorum nomen Chauci tranſiere, nihil eſt, quod multitudinem eorum, virtutemque, & res magnifice geſtas miremur amplius. Immenſum enim terrarum ſpatium non tenuiſſe tantum, ſed impleſſe quoque Chaucos, ac præcipua virtute & gloria viros fuiſſe Tacitus teſtatur. A qua ſententia ne illud quidem abhorret, quòd Francos olim maritimos fuiſſe inter Amaſim & Albim, eoque ex littore piraticam exercuiſſe ex Eutropio, Mamertino, Ammiano diſcimus. Cognatas quippe, aut eaſdem potius gentes fuiſſe Chaucicam, Francicamque eædem his aſſignatæ à veteribus ſedes, idemque ſolum patrium certè veroſimillimum efficiunt. Eodemque rurſum præclarè faciunt, quæ de vetuſtiſſimis Francorum ſedibus, quæ Chaucorum quondam fuerunt, ab Hadriano Iunio in Bataviæ hiſtoria probabiliter diſputata ſunt, capite IX. latiuſq; noſtra hæc ad fidem provehunt. Poſtremò nec Saxonum res antiquas quæ proditæ litteris ſunt, ab his ipſis diſcrepare deprehendimus, cùm omnium autorum conſenſu conſtet, poſt iſta demum ſæcula in Germania interiore, id eſt, extra Cherſoneſum nomen horum & famam inclaruiſſe. Atque ita rurſum non leve decus ex Francorum cognatione noſtris accreverit. Quorum mores ac ſtudia amplius etiam jam dicta comprobant. Francos enim ex ſtudiis avitæ libertatis defendendæ, quam tum nō Romani ſolùm, ſed novæ gentes Gottorum, Alanorum, Vandalorum in Germania premebant, nomen inveniſſe ſatis conſtat. An vero populus ullus per Germaniam tantis animis ac contentione pro libertate decertavit, eamque ad extremum aſſeruit, quàm majores noſtri, quos Chaucorum ſobolem eſſe perhibemus, adeoque univerſi ejuſdem generis Friſii? Quam ad rem verbis non opus eſt, aut teſtibus quos incorruptos citare poſſem multos, cùm facta eventuſque ſint ob oculos. Etenim majores noſtri excelſi & liberi animi homines tantum hac in re aliis gentibus præſtitere, ut ſoli penè liberorum cognomen antiquitus, ut hodie Helvetii, inde retulerint. Quo nihil poteſt eſſe ad Francorum nomen convenientius. Eaque indoles penitus populo huic inſita, ne in poſteris quidem ita defecit, quin veſtigia eius in his ipſis, quanquam plenam libertatem in principatum legitimum non ita nuper commutarint, etiam num manifeſta appareant. Sic enim adhuc affecti Friſii ſunt, ut quod in libertate populi vicini computant, id ipſis ſervitus quædam eſſe videatur. Nec ſanè præter rationem. Multo enim ſanguine aſſertam libertatem, boniſque legibus ſancitam à majoribus acceperunt. Ad reliquias Chaucorum redeo. Hæ in littus extremum, ſeu metu ſeu armis Saxonum compulſæ, Friſiorum commune nomen, cùm ab eadem ſtirpe originem ducerent, ejuſdem linguæ morumque eſſent, pauciores ipſi ad plures ſe aggregantes, uſurparunt. Sic Friſiæ nomen à Rheno in Albim ac Daniæ fines eſt continuatum. Illud vero ut doceatur, eiuſdem generis Chaucos cum Friſiis fuiſſe, num non inſigni argumento eſt, quod eadem ſtudia in Friſiis tot jam ſæculis apparuerunt, quæ Chaucis ſuis aſſignat Cornelius? Domi quietem agere, aliena non concupiſcere, bella non provocare, ſed illata fortiter repellere. Quibus ſanè rationibus Friſii magnâ cum laude ſuâ hoc aſſecuti ſunt, quod ſoli inter Germanos cum nomine priſtino ſedem quoque ſuam, quam olim ſub primis Cæſaribus habuerūt, adhuc retineant. Vnde juſtitia & fortitudo eorum elucescit. Iuſtitiæ enim fuit, aliena non appetere: fortitudinis, ſua cōtra hoſtes defendere. Idem Plinii quoque verba arguere videri poſſunt, ſi quis diligentiùs ea aſpiciat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Nam ille jam in Oceani orâ, loco infælici, Chaucos ponit, jam in Rheni inſulis Friſiis & Friſiabonibus eos conjungit, populos nimirum ſtirpis ejuſdem commiſcens. Nec multum dubitari poteſt, quin eaſdem gentes Cæſar quoque deſignet, licet non nominet, cùm ſcribit, In Rheni inſulis complures feras & barbaras nationes inter Rheni oſtia degere, quæ piſcibus & ovis avium pleræque victitent. At enim falſum ſit, quod dixi, ex Chaucis Francos extetiſſe, (à qua tamen ſententia depelli me nō patior, ſuffragantibus præſertim doctiſſimis quibuſque, qui res Germaniæ veteris expoſuerunt) quid reſtat, niſi vt à Saxonibus, quos & Dani finitimi vexabant, & aliorum exempla Romanas provincias invadentium, ad res novas ſollicitabant, Chaucos dicamus oppreſſos, reliquiaſque gentis in littus, quod etiam nunc tenent, eſſe ſubmotas. Saxones enim exoleſcente jam Chaucorum nomine, iis locis invaluiſſe, ſedéſque cepiſſe, ex Eutropio, Oroſio, Diacono, aliſque ſatis planum eſt. Quod ſi verum eſt, nec ſic quidem pudori nobis ex Chaucis origo fuerit. Quid enim Chaucis etiam victis quiſquam objecerit, virtute & potentia pariter laudatis, niſi quòd eos ad extremum inconſtans fortuna deſtituerit? Exemplo ſunt nationes multæ, quæ per fabulas etiam genus ſuum pleræque deducentes, Troianâ origine ultrò ambitioſæ ſunt. Sed ſint, qui conſanguineos Friſiorum Chaucos fuiſſe, perſuaderi ſibi non patiantur. Hi ſanè, etiam ſi in errore manifeſto verſentur, tamen quantum ad majores noſtros attinet, alterutrum viciſſim mihi concedere neceſſe habent, aut colonos Friſiorum hæc littora cepiſſe Chaucis ejectis, cùm omnia per Germaniam gentium migrationibus miſcerentur, aut ſanè, cùm patrias has ſedes etiam Taciti Pliniique temporibus tenerent, quod à fronte Chaucis anguſto per littora limite prætexerentur, Chaucorum illuſtri nomine à Romanis, ceu fieri ſolet, fuiſſe comprehenſos. Nam ejuſdem generis eſſe, qui cis ultraque Amaſum à Rheno in Danos Friſii multis jam ſæculis Oceani oram coluerunt, eadē lingua, mores, inſtituta, etiam nunc ſatis arguunt. Atque hoc poſterius, ne inſolens putetur, ſimillimum in eodem populo exemplum præſtat. Nam poſtquam Saxones in locum Chaucorum ſucceſſere, Saxoniæ titulo ea pars Friſiæ, à peregrinis præſertim, ſæpe eſt comprehenſa, ut ex Oroſio etiam notat Crantzius, qui paludes & inſulas in littore Oceani tenuiſſe Saxones ſcribit. Nec id abſurdâ ratione: cùm prætenuis ora latiſſimæ Saxonum regioni in latere, velut membrum, cohæreat. Atque hoc non Oroſii modò ætate, ſed poſteris quoque ſæculis, cùm Friſii jam dudum eas oras ſine controverſia tenuerant, fuit uſitatum. Quod noſſe eum oportet, qui res Friſiæ veteres rectè cupit intelligere. Quæ quidem omnia jam dicta, pro aſſerenda vera majorum noſtrorum origine, ſi ambigua non ſunt, neceſſe eſt, Iunium diligentiſſimum alioqui Germanicarum antiquitatum inveſtigatorem, cenſoremque acutiſſimū, aut invidiâ, aut errore eſſe lapſum, dum quicquid trans Amaſum eſt etiam hodiè, id & à ſanguine Friſico eſſe alienum, & in nominis ejus poſſeſſionem nullâ ratione irrepſiſſe pronunciat. Et de Chaucis, quive aut cum iis, aut poſt eos ab Amaſo in Albim uſque ſecundum Oceanum habitarunt, quorum nos poſteri ſumus, hactenus. Trans Albim porrò SAXONAS & CIMBROS vetuſtas ponit: Quibus Anglos & Vitas, quos Iutas non malè interpretantur, ex Beda Angloſaxone recentiorum doctiſſimi adjiciunt: Et hos quidem extra ſolum Friſiæ ſine controverſia, Angilos verò Suevici generis ſecundum Ptolemæum & Tacitum, ſed progreſſu temporis à Saxonibus ſubactos, iiſdemque aſſcriptos, denique Friſiorum coloniis auctos inter Sliam & Flenſborgum in extrema Holſatia certis finibus deſignant. Nobis ea diſcretè dicere, de quibus veterum monumenta tacent, haud licet, nec inſtituti noſtri ratio id requirit, Vetuſtiora etiam his, quæ vulgo de conditoribus totius gentis Friſicæ, aut habitatoribus ſoli ejus, multis ante Chriſtum natum ſæculis feruntur incerta & fabulis mixta, conſulto prætcrimus, aliis otio abundantibus hominibus, quóſve commenta delectant, diſquirenda relinquimus. Refutare quoque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

quoque ineptas nugas, quibus libros nonnulli complent, & magno ſupercilio imperitis venditant, præſentis operis modus non patitur, animuſque ad alia feſtinans. Ipſi Friſii poſt Francorum imperium aliter patriam ſuam in ſeptem partes, quas Selandias vocarunt, diſtinctam diviſerunt. E quibus prima ad Occidentem Flevi fluminis; Hollandiæ & Vltrajectinis jam conjuncta aſſcriptáve, tres proximæ à Flevo in Lavicam cum Drentia, quinta inter Lavicam & Amaſum, deinde poſt Amaſum in Viſurgim ſexta, demum ultra Viſurgim & Albim quicquid ſupererat liberæ Friſiæ, ſeptima cenſebantur. Verùm hac de diviſione cùm commodum magis erit, aut ubi res requiret, dicemus prolixius. Iam quæ propiora ſunt, inſtitutoque noſtro cum commodo lectorum conjunctiora, perſequamur. Majorum noſtrorum res cùm ſub regibus aut principibus ſuis florerent, latioribus quondam terminis patuiſſe tum contra occidentem ſolem, tum etiam in meridiem, quàm hodie patent, è patriis annalibus & conſenſu exterorum plerorumq;, ſatis planum eſt. Per Selandos enim, oramque omnem Brabantiæ & Flandriæ, coloniis littora eos impleſſe, & Geldrorum ac Weſtfaliæ & Saxoniæ partem magnam imperio tenuiſſe, perque præfectos adminiſtraſſe ſuos, deprehendimus. Verùm pòſt partim diſcordiâ inteſtinâ diminutis domi viribus, partim Francorum potentiâ vicinorū fortunam premente, paulatim acciſæ res, Friſiiq; ex Saxonia & Weſtfalia ſubmoti: dein & Belgio omni in medium Rheni oſtium, & eo longius Harlemo tenus, mox Kinhemariâ quoque, quæ inter Harlemum & Alcmariam eſt, uſque in Kinhemum rivum, eorum imperium cum nomine paulatim profligatum. Vltrajectum in ſolo Friſico quondam conditum, tum alia complura oppida Friſiis avulſa: Manſitque exinde à principio Comitatus Hollandici per aliquot continua ſæcula Kinhemus, quem dixi, Hollandiæ ad ortum terminus . oſt KINHEMVM, qui Alcmariam præterfluit, Friſia initium ſumebat ea, quæ occidentalis & minor tum vulgò appellabatur, & in Flevum lacuſq; ingentes deſinebat. Hujus caput quondam VERONA, civitas fæliciſſima in conſpectu Alcmariæ, funditus nunc deleta: oppida verò recentia MEDENBLICVM, ENCHVSA, HORNA: addunt nonnulli & EDAMVM, MONACHODAMVM, PVRMERENDAM, finibus ejus in Auſtrum longius extenſis. Cætera agri in vicos diſtracta. Ager ſylvis quondam horrens, ut ex vicorum multis nominibus, atque aliis argumentis patet. Solum ejus paluſtre quidem multo maxima ex parte, ſed graminis & aliarum rerum mirè ferax paſcendoque pecori penè ſupra fidem præſtans: argilloſum tamen in ora, quà colles arenarum, quos contra fluctus natura comparavit, deſinunt. Hujus complexu lacus quoque ſpatioſi, omnes ferè in unum confluentes, ambiuntur piſcibus fœcundi. In oppidis Medenblicum vetuſtiſſimum, & maximè in ſeptentrionem ſe efferens, fortunæ vices varias expertum: Enchuſa ampliſſima hodie, recentibus incrementis plurimum aucta, rebus maritimis potens, ad quas ſitus ejus, velut in ſinum maris procul porrectus, peropportunus: Horna recurvo in receſſu ſinus ejuſdem poſita, ſplendida, elegans, copioſa, latiſſimis pratis in lateribus, quà fluctibus non alluitur, cincta, primas in hac regione ſibi vendicans. Nec inelegantia reliqua, imprimis Edamum navium fabricâ celeberrimum, licet hæc propriè hujus Friſiæ non eſſe putentur à multis. Inter vicos eminent, Scaga oppidi aut fori inſtar in agri parte inter boream & occidèntem prominente, Winkela in eodem latere boreo, Broca major Enchuſæ, Scellincholta Hornæ vicina, utraque oppidano nomine ſe jactans, Hoochtwolda, Nieropa vetus, Nieropa nova. Cæterorum magnus numerus in agri ſpatio non magno. Ad eandem inſulæ etiam pertinent, præter minores, Texela, inter quam & Huiſdunios portus ille omnium profundiſſimus ex Flevo effluens Marſico nomine ex Marſacijs veteribus notus; Flevolandia æſtuario Flevi & Oceano interjecta; Wiringa interius ſita, & vado ab agro reliquo ſeparata, omnes à conti-

nente quondam vi fluctuum avulſæ, rarâ ſoli fertilitate, quà arenarum colles deſinunt, qui Texelam & Flevolandiam exterius contra Oceani vim protegunt, ut & eas quæ has longo ordine ſequuntur. Et ex his Texela VIII vicis, VViringa V, Flevolandia II, habitatur. Cæterùm univerſa regio hæc, poſt diuturnum pro libertate bellum, fracta demum, & à ſociis deſerta in Comitis Hollandi imperium ac clientelam conceſſit, ante annos paulò minus CCC, Hollandiæque & mores & nomen quoque, apud vulgum præſertim, induit. Hinc ſolenne Hollandiæ Comitibus, dominos Friſiæ ſe nuncupare: quod cùm ignorent imperiti, ad reliquam Friſiam inepte id transferunt. Quæ omnia nos, quomodo acciderint, in hiſtoria explicabimus.

A FLEVO deinceps FRISIA incipit, quæ mores nomenq; priſcum retinet. FLEVVS quondam fluvius non magnus, etiam inter oſtia Rheni à veteribus numeratus, ingens nunc maris ſinus, agris eluvione abſorptis, influens in lacum illum vel ſinum potius magnum, quem Auſtrale mare, ut dixi, vulgò jam nuncupant. Hoc ſinu, prima hodiernæ Friſiæ pars, quam occiduam proprio nomine vocare cœperunt, poſtquam altera illa amiſſa fuit, ab occidente tota alluitur, Hollandicam oram longo intervallo reſpiciens. Incepit quondam ab Auſtro aſſurgens ſecundùm littus à Vidri fluminis oſtio: quanquàm tempus fuit, cùm ultra Vidrum Geelmuda, Campena, Suolla Friſiæ accenſerentur. Iam cis Vidrum Haſſeltum, Vollenhoa, Stenevicum, Cunera etiam per Epiſcopos Vltrajectinos Friſiorum reip. ademptæ ſunt. Sic poſt Cuneram demum Friſia hodierna initium meridionale capit. Inde ſecundùm littus in Septentrionem modicè primùm flexa, ubi Stellingvverficus ager, mox velut in Hollandiam excurſura, rectà in occidentem longo ſpatio ſe porrigit, occurſuque Hollandicæ oræ ſimiliter prominentis, æſtuaria Flevi ab Auſtrino ſinu quaſi ſecludit. In hujus prominentis oræ promontorio extremo Stavera eſt, oppidum vetus ac prædives olim: unde breviſſimus in Hollandiæ littora ad Enchuſam & Medenblicum trajectus, non amplius binis milliaribus patens. A Stavera in ortum obliquè & leniter reflexa, ubi Hindelopam primum, deinde VVorcumum oppidum in orâ habet, mox in Boream ſe vertit per tria milliaria magna, donec paulum ſupra Harlingam, oppidũ portu & munitione hodie celebre, aſcenderit: inde rurſum ſecundùm littus vadoſi maris longiſſimo tractu per ſeptem ingentia milliaria, quod ferè regionis maximum latus eſt, in ortum æſtivum primum ſe porrigit, quouſque exiguam ſanè inſulam Bancam prætererit, deinde in meridiem, tum rurſum in orientem ſe recipit, æſtuarioque Lavicæ fluvii lato & profundo, quem ſinum potius maris dixeris, ac rivo, qui in æſtuarium influit, à reliqua, quæ ſequitur, Friſiæ parte dirimitur. Sic ſinuoſè deſcendens, tandem per terminum Auſtralem in occidentem ad Cuneram revertitur, Drentiæ & aliis diœceſeos Vltrajectinæ provinciis eo latere cohærens. Regio hæc univerſa quadratæ penè figuræ, ad VIII milliaria magna in longum patens, pari ferè latitudine, paſcuis uberrimis læta, quà Boream & littus ſpectat, arenoſa, & paluſtris, ac nemeroſa, quà meridiem & ortum: civitates munitas habet VIII, oppida pulcherrima ſine muris III, Abbatias IX, cœnobia in univerſum XLVI, præfecturas juridiciales XXVIII, vicos celebriores CCCXXXI. Diviſa uſitatè in partes tres, quæ jam fœderibus ſe jungere, communemq; remp. tueri, jam ſeorſim ſibi conſulere ſolent. Prima VVESTERGOA eſt, à Stavera Friſiorum quondam metropoli illuſtri initium ducens, & majorem longitudinis univerſæ partem complexa, mari aut æſtuariis magna ex parte circumfuſa, & multò opulentiſſima, hominibuſq; & ædificiis frequentiſſima. In qua FRANEKERA, civitatum Friſiæ amæniſſima, & mundicie rarâ, domibus virorum nobilium peramplis & inſignibus ornata, rivo navigabili irrigua, vallo terreo ac foſſa probè munita, civium elegantiâ ac inſtitutis florens, domicilium Muſarum hoc tempore: SNECA humili loco & aquoſo, piſcium proventu inprimis fælix:

BOLSVAR.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

BOLSVERDIA vetuſtate pollens, mediterranea oppida, & jam olim contra hoſtiles incurſus communita: item HARLINGA in littore, recens mœnibus circumdata, cum arce paulò ante firmiſſima, & peregregio portu, mercatu celebris, velut Emporium totius regionis, in annos ſingulos fortunam adhuc adaugens: tum SLOTA, & STAVERA quondam, ut jam dixi, Friſiorum regia ſuperbo cultu, nunc oppidi vix nomen tuens, aut ſpeciem retinens, ſimiliter in orâ ad meridiem pertinente, in præfecturâ Geeſtanâ, quæ inter hæc duo oppida ſecundum mare extenditur, utraque circumvallata: HINDELOPA, & WORCVMVM in littore occidentali, ILSTA Snecæ vicina, agro humili & irriguo, ut ipſa quoq; Sneca, ſita, quæ mœnibus carent. Territoria porrò VIII, & in his vici ad CXXVII, cœnobia monachis aut ſacris virginibus dicata XXIV. Altera OSTERGOA à Weſtergoæ fine in Lavicam flumen, & Gerriconis cœnobium, agri Groningani limitem, porrecta, opibus & viris nobilis, præſertim quà Boream & occidentem ſpectat, aut littori vicina eſt (nam ubi Groninganis contigua eſt, & meridiem verſus procurrens Sylveſtribus propinquat, reliquæ parti haud par eſt.) Ad cujus initium LEOVARDIA civitatum Friſiæ occiduæ maxima & ſplendidiſſima, ædificiis ſacris, profanis, publicis, privatis, nobilium præſertim atriis magnificis illuſtris, rivis profundis per medios vicos præcipuos decurrentibus (ut pleraque Friſiæ oppida) permeabilis vicis terſa, & ſine omni immunditie ac ſorde, opulenta, nitida, populoſa, cultu & moribus hominum præcellens, munitionibus validis per ambitum cincta, ſedes hoc tempore ſummi Senatus Friſici per ea loca, ad quem ab omnibus reliquis tribunalibus inter Flevum & Lavicam provocatio eſt; ſita prope in umbilico regionis totius, loco uberrimo, & ad quem ex cunctis oris, omnibuſque agri partibus navigari lenunculis poſſit: deinde DOCCVMVM portu commodo, quem alveus non contemnendi fluminis in Lavicæ æſtuarium ſe effundentis, quod Doccumanum rivum vocant, efficit, inſigne oppidum ad IIII. paſſ. millia intus ab ortivo latere, ubi flumen exit, pauloque minus à boreo recedens, aggere terreo cum propugnaculis & foſſa in circuitu munita: præfecturas præterea habet XII, vicos CXXVII, cœnobi XXI, arces nobilium vetuſtas quàm plurimas. Tertiâ parte SILVESTRES continentur cum agris vicinis Stellinwerfico & Scoterlandico, qui contermini ſunt Vltrajectinæ diœceſi, multumque pro libertate contra epiſcopos certamen habuerunt. Hæc pars paluſtris aut ſabuloſi ſoli, ſylvas quoque habet modicas, quæ nomen ei dederunt, & lacus nonnullos piſcibus copioſos, potiſſimum ubi Weſtergoæ conjungitur: oppidis omninò caret, & in univerſum fælicitate cæteris multum cædit, præfecturis continetur VIII, ſed quæ Weſtergoæ præfecturas totidem haud quaquam æquent: vici in iis numerantur LXXVII, cœnobium verò unum. Qua parte aratur, frugum ſatis ferax, paſcuis non perinde idonea. Terram paluſtrem fodit magnâ copiâ, & devectam per rivos in uſum ignis vicinis divendit. Hujus incolæ, ceu fieri ſolet, animo & corpore ad bellum, laboreſque magis quàm reliqui, quos copia & deliciæ enervant, prompti ſunt. Weſtergoa univerſa, & ea, quam dixi, Oſtergoæ pars multo maxima fruge, armento, gregibus, piſcibus, avibus, quibus culina inſtrui lautè poteſt, ſuprà quam credi queat, fælix eſt: ſed illa humilior, lacubus aut ſtagnis abundans, & pluribus fluentis irrigua, atque ita piſcatu & aucupio melior: Oſtergoa verò editior, & paſcuis optimis, ſatiſque nobilior. Vtramque tamen rivi percurrunt multi navigabiles: Sed excellit Doccumanus lati & profundi alvei, Doccumo Leovardiam ducens, ac illic in duo ſe brachia ſcindens, è quibus alterum Franekeram perluens, Harlingam tendit, ibique in mare rurſum effunditur: alterum in meridiem ſe præcipitans, & lacubus aut ſtagnis ſe miſcens Snecam, Illſtam, Slotam, Staveram, Worcumum per ambages contingit & connectit, pluribuſque locis in mare effluit. In hunc & alij quoque rivi

ſe inſinuant, qui ſylveſtrium agrum pererrant, quorum maximus Cunerus eſt, quanquam is proprio ore ad Cuneram vicum cognominem in ſinum auſtralem etiam effertur. Atque hinc maxima ſanè commoda incolis ultrò citroque commeantibus proveniunt.

In Weſtergoâ, ut eo redeamus, præfecturæ recenſentur hæ: Wonſerana, Franekerana, Barrana, Meinaldana, Baerdana, Hennardana, Wymbritzana, Geeſtana, quæ poſtrema, ut dixi, inter Slotam & Staveram porrecta, utroque comprehenſo oppido, totâ eâ longitudine fluctibus pulſatur. In Oſtergoa præfecturæ ſunt, Leovardiana, Tyetzercana, Iderana, Ferverdiana, Ravverdiana, Dongerana duplex Dantumana, Octopagica, Collumana, Vpſterana, Smallingana. In Sylveſtribus autem iſtæ, Donyeverſtalæa, Lemmerana, Anieverdiana, Scoterlandica, Vttingarana, Haſcherana, Stellinvverſicæ duæ, Orientalis & Occidentalis. Ex cœnobiis maximas opes habuerunt, Clarocampus in Dantumano territorio, Foſverdia & Mariæ hortus in Ferverdiano, Doccumanum in oppido ſuo, Gerriconium in Collumano, apud Oſtergoos: cœnobium vetus in Wonſerano, Ludinkerchum in Franekerenſi, Lidlumanum in Barrano, Taboriticum in VVymbriczano, Hemelum in Geeſtano, apud Weſtergoos. Quorum ædificia ſolo æquata nupero bello, reditus omnes in ærarium publico ordinum decreto verſi. Cæterum alius longè, quam jam eſt, hujus regionis habitus, aliaque forma quondam fuit. Nam longius extra id, quod nunc extat, littus agri procurrerunt verſus inſulas, quæ octonis alibi, alibi ſenis, aut quaternis paſſ. millibus à continente hoc tempore recedunt, (hæ ſunt Scellinga, Amalandia, Schiermonicoga) quondam etiam cum iiſdem cohæſiſſe feruntur, quanquam humiles, & rivis ſtagniſque crebris diviſi: Et quæ nunc continentibus agris ubique inter ſe junctæ ſunt Oſtergoa & VVeſtergoa, eæ profundo, latoque maris influxu totis lateribus dirimebantur: ad cujus influxus oram, eo loco ubi jam Berlecomum eſt, oppidum fuit, mercatorum frequentiâ ob inſignem portum percelebre: Vtgongum dixere, quod nomen in parte vici ejus, ut ampli ita elegantis, etiam nunc reliquum, veſtigiaque oppidi nondum penitus obliterata. Ad hæc quidquid ferè paluſtrium aquarum in Oſtergoa ac Sylveſtribus erat, aut è vicinis lacubus in orientem ſe effundebat, id collectum per Lavicam in mare efferebatur, amnemque illum, qui jam pene exaruit, vixque rivi nomen, antequam in vadum exeat, tuetur, profundum & magnis claſſibus navigabilem faciebat. In hujus amnis ripâ, quæ longius tum à continente in aquilonem prominebat, emporium fuiſſe tradunt, qui res vetuſtas ejus loci memoriæ mandarunt, Eſonſtadii nomine, cum portu receptandis quantiſvis claſſibus idoneo: quod jam cum ſolo, & cum ipſâ penè memoriâ interiit, ac Lavicæ oſtium ſine certo alveo in vadum incertum ac brevia abiit, quantumque abradendis terris ſpatio adjecit ſuo, tantum altitudinis contrà perdidit, vt navium majorum curſui prope totum ſit ætate hac noſtrâ inidoneum. Quæ quomodo, quove tempore verſa omnia ſint, oppidaque perierint, ſuis locis in hiſtoria nobis dicetur. Poſt LAVICÆ æſtuarium, & Gerriconis cænobium, ſitum ad alveum ejuſdem penè emortuum, quem limitem agri prioris deſignavi, Groninganus ager ſequitur, longoque littoris tractu non minus quinis milliaribus ſecundum latus Boreum, ac vadoſa æſtuaria in ortum rectà porrigitur. Inde in meridiem ſe referens Amaſi fluminis oſtio, ac ſinu illo, quem Dullartum à fluctuum rabie nominant, ortivo latere clauditur, ſed ſinuoſis admodum littoribus. Nam primum à Septentrionibus, ubi ſenſim per aliquot paſſuum millia deſcendit, ad portum ferè Delffilanum, inde rurſum in ortum convertitur, Amaſo flumine oram radente: mox, ad Dullarti initium in terras ſe inſinuantis, velut linguam aut cuneum efformans, cujus in extremitate Reida vicus ſitus eſt, inter meridiem & occaſum aliquouſque, deinde, quaſi incitantibus ſe

in terram

in terram fluctibus, ulterius etiam in occidentem longo ſpatio littus retrahit: iterumque brevi flexu in ortum redit, atque eodem, penè, quo in occidentem jerat, ſpatio, in quo Midwoldicum fanum quatuor turribus conſpicuum ſe offert, rurſum procurrit: poſtremò aliis etiam minoribus ſinibus receptis ad terminum Auſtrinum contendit, ubi cœnobium eſt Hilligerleum, Hiſpanicâ clade nuper nobilitatum. Ab eò termino per paluſtria & arenoſa loca ad Oſtergoæ limitem recurrit, quod latus ejus eſt omnium maximum, & XXVI. millib. paſſ. non brevius. Ager totus dimidio fere, quam ſuperior, minor: argilloſo plerumque & ubere ad paſcua pariter & frumenta ſolo. Paluſtris tamen & nemoroſus, qua Dullarto adjacet, quaque Oſtergois ad meridiem cohæret; ſabuloſus, qua Drentiæ conjungitur. Hanc ego regionem à Lavica in Amaſum & Dullartum minoris Friſiæ nomine interdum affectam avorum noſtrorum memoria reperio. Iam uſus dudum invaluit, ab urbe inſigni, atque omnium Friſicarum ampliſſimâ, ſive quod in ſolo ejus hæc ſit ad auſtrinum limitem, (id quod in litem trahi à nonnullis video) ſive quod fœderibus antiquitus connexa, Groninganam vocitare. Diviſa quondam in plures provinciolas ceu populos quoſdam minores, legibus & imperio inter ſe diſtinctos, quos tamen commune fœdus, & reſpublica quædam major in unum rurſum colligebat: Cujus rationis ne nunc quidem veſtigia interierunt. Eos porrò populos in duas velut claſſes, ſed impares, fluviolus diſtinguit, qui collectis ad urbem Groningam per diverſos ex Drentia & Fredowaldiis venientes rivos aquis paluſtribus, ubi primum per quinque paſſuum millia longè ab urbe ad Winſumum, vicum peramplum, in ſeptentrionem curſum direxit, inde pari ferè ſpatio, aut paulo etiam majore in occidentem reverſus, atque interim toto itinere pluribus etiam emiſſariis auctus, & mirè perplexis flexibus ſinuoſus, in Lavicæ æſtuarium ſatis profundo alveo ſe eiicit, aggeribus ad exitum utrâque à ripâ præcinctus contra exundationes, majorumque navigiorum ad mœnia uſque oppidi patiens, haud parvo oppidanorum commodo. Rivum vulgò vocant ab arundinibus cognomine impoſito. Populorum nomina, ſitus, ratio ita habent. Ad occidentem fluminis LANGOWALDII Oſtergois finitimi, complexi vicos fanis inſignes XIII, FREDOWOLDII Silveſtribus ac Drentiæ propinqui, vicis X comprehenſi, tenui in ſolo utrique: HUMMERZII in latere æſtuarii Lavicani ad effluxum fluminis jam dicti, eluvionibus ad III tantùm vicos redacti, ſed agri fælicis: MEDACHII, ad ejuſdem fluminis ripam introrſum magis pertinentes, in vicos IX in ſolo omnium uberrimo ſparſi, ex quibus quinque Abbati Adoverdico vicino ſuo parêre ſolent. Hos & octopagicos vocatos, & Huneſgoniis ſequentibus accenſos olim deprehendo. Ad Orientem amnis deinde reliqui HUNESGONII ſecundum littus regionis boreum longo tractu extenſi, atque hinc interiora verſus Hummerziis & Medachiis pariter adverſa in ripa ſecundum totam amnis longitudinem oppoſiti, donec in proxima urbis Groninganæ, & in rivum Dammonenſem meridiano latere incurrerint, latis ſimul, pro modo priorum, & omni ex parte tum natura, tum hominum opere benè cultis finibus, quippe quibus non minus LV vici cum ſingulis fanis contineantur: Diſtincti in præfecturas minores quinque; quarum ea, quæ ad oſtium fluminis Groningani, vadumque Lavicæ ſita eſt, Marnenſis dicitur, altera Vbbingana ſecundum ſuperiorem fluminis partem Groningæ in Corum vicina: tertia quam mediam vocant, prioribus confinis, in fluminis ripâ, quâ in occaſum ſe vertere incipit, ad littus boreum pertinens: quarta ab aggere interiore cognominata, in aquilonem ab oppido vergens, rivoq; alteri majori in cæciam ventum ab urbe defluenti contiguæ: poſtrema cunctis prioribus major per quina paſſ. millia juxta littus idem exterius porrecta, pariq; ferè ſpatio intus pateſcens: FIVELINGII

Hunesgonios ad ortum ſequentes in Amaſi ora, ſimiliter in duas diviſi partes, quarum prior, XXXI vicos complexa inſignes, nulli ſuperiorum fælicitate cedit, tum ob terræ bonitatem, tum ob commoda fluminis vicini: altera vicis rarior, quos IX tantùm habet, paluſtri ſolo ſitos, in auſtrum priorem ſequens, per quam ab ortu venientibus iter Groningam eſt: Eam Durſvvaldiam proprio nomine appellitant. Et ex his quidem duo poſtremum memorati populi cum agris ſuis à duobus amnibus vetuſtis HVNESO & FIVELA, quorum jam nominum memoria obliterata, appellationem ſortiti. A Fivelingiis præfectura vetus ab Amaſo fluvio initio ſumpto, dehinc ad Dullartum ſinum toto ejus occiduo littore ſtrata, vimque ab eo quondam & jacturam paſſa maximam, agris ac vicis abſorptis, ut è magno horum numero vix XVII hodie ſemilaceri mutiliqúe ſuperſint (qua de calamitate alius nobis erit dicendi locus) civitati vicinæ à CLX. jam annis parens. Hujus auſtrino limiti ad Dullarti finem Weſtervvaldii connectuntur, Reideriorum quondam pars inter ſinum & Amaſum incolentium, vicis habitati V, ſolo, niſi quantum ſinui Dullarto proximum eſt, ferè exili paludoſoque: in quos imperium legitimum habuit aliquot ſæculis Addingia familia nobilis, Weddæ arcis vetuſtæ eodem in agro domina, Weſtervvaldico cognomine poſteris quam gentili notior: nunc ad Arenbergios omnia tranſlata: poſtremò ſuburbanum territorium regionis totius limitem ad auſtrum longo tractu contra Drentiam tuens, vicos ambitu ſuo continens XII, cœnobia duo, ambiguo inter Drentiam ac Friſiam nunc expoſitam jure, quibus ſe debere hinc atque inde decerptis quibuſdam partibus coagmentatiſque videtur: linguâ tamen, legibus, inſtitutis per multa nunc ſæcula illam magis quàm hanc referens. Antiquiſſimi ejus rectores Gronenbergii feruntur; ab his ad Selvverdios: à Selvverdiis, viciſſim ad Vltraiectinos, Geldros, Burgundos ordine pervenit: Burgundi poſtremò Senatui populoque Groningano, nihil imminuto veteri vicanorum jure ac libertate, attribuerunt. Atque hujus in ſolo, ubi arenis gleba pinguior jungitur, editiore in dorſo inter camporum humilia linguæ inſtar ſe porrigente, ſedem habet GRONINGA, quam dixi, non maxima ſolùm inter urbes, quas Friſia amplectitur, ſed nomine etiam & potentiâ & rebus geſtis, & ſpecie quoque ipſâ antecellens. Forma reip. in urbe Ariſtocratica eſt, Democratiæ mixta; quam ſi cui cognoſcere atque aſpicere propius libuerit, is neque abſurdam eſſe, neque contemnendam deprehendet: Magiſtratus, quive alii partem aliquam reip. tractant, per ſuffragia lecti omnes, alii bienne, alii annuum munus habent, pauci perpetuum. In his Senatus XVI virûm, è quibus Conſules quatuor, cæteri ſenatores, toti reip. præſidens: Quatuorviri judices, cum Legato regio, prætoriam poteſtatem habentes in omnem agrum vicinum, ex ordine ferè conſularium: concilium delectorum juratum XXIV viris conſtans, & in his triumviri concilio præfecti, ejuſdemque oratores: omnes media ſui parte collegiis ſuis decedentes quotannis, totidemque aliis ſurrogatis locum dantes, quos ſorte ducti è concilio jurato viri quinque in ſenatorio ac ſuo ordine legunt, ſenatus verò in ordine judicum, & hos ferè conſulatu tum abeuntes. Deinde ædiles tribunitiæ poteſtatis duo velut plebis patroni, inprimis interceſſionis jure pollentes, à collegiorum plebeiorum præfectis deſignati quotannis, aut etiam, ſi operam iis probarint ſuam, in munere eodem continuati: tum ipſi collegiorum horum præfecti, terni in collegiis ſingulis, à quibus ſimiliter ipſi quoque quotannis eduntur, numero omnes LIIII, quorum XVIII Seniores, qui auctoritate præſtant, ſinguli nimirum ſingulis in collegiis, cæteri capita collegiorum vulgò ſunt dicti: prætereà Octoviri duplices, hi mercantium & vendentium, itemque naviculariorum controverſiis cognoſcendis præpoſiti olim, ac in his Senior,

Hæc de forma reip. Groninganæ congruunt ei tempori, quo adhuc ſub imperio regis Hiſpaniæ civitas fuit. Pauca nunc mutata, expoſita alibi.

quem

quem ſic vocant, actor in collegio præcipuus, juriſque civium in mercando advocatus ac aſſertor:alteri,regionum urbis magiſtri,bini in regionibus ſingulis,cenſuræ civium præfecti,providenteſque nequis ædificans,aliudve hujuſcemodi faciens opere ſuo publico privatóve alterius juri officiat, ne quid impedimenti deducendis aquis aut ſordibus in civitate exiſtat: Denique ſclopetariorum præfecti quatuor à ſenatu creati, curare ſoliti non ſolum ad arma civium & eorum diſciplinam quæ pertinent, ſed etiam ne quid à piſtoribus, aut iis qui cereviſiam coquunt, fraudis committeretur, ne qua iniqua pondera menſuræve in officinis haberentur. Quæ omnia nunc ad centuriones oppidanos octo,qui his ſucceſſere, tranſlata ſunt. Cæteros mitto. Populus oppidanus moribus comis, blandus,dicax,ſolers,induſtrius,à literarum cultu & captu non abhorrens,neque abjectè de ſe ſentiens, ideoq; in veſte & victu ſumptuoſus, imperii cumprimis avidus, ac ejuſce gratiâ quidlibet ſuſcipiens & perferens:pertinaciſſimus verò in tuendo jure ſuo & libertate contra oppreſſores, & cuncta potius quam ſervitutem perpetiens. Pauci nunc in populo Friſii, plures è convenis orti,multò plurimi verò aut Weſtfali aut Drentini: inde velut ſoboles perpetua civitati ſufficitur.Olim tamen ita obſervatum,ut ad conſulatum, aut ordinem ſenatorium nulli facilè, niſi antiquis, partim etiam nobilibus familiis, quæ complures ex agro in civitatem conceſſerant, nati, aut alioqui inſignibus commendati dotibus admitterentur. Quæ ratio quamdiu valuit, & pax cùm vicinis, quos idem ſanguis oppidanis miſcebat, immotæ, & fortuna civitatis proſpera fuit: Eâ projectâ, cuncta reliqua etiam in contrarium iêre. Vrbs ipſa foſsâ, valloque terreo maximæ molis, & propugnaculis munitiſſima, ac propè inexpugnabilis; nec unquam ab hoſtibus CCL intra annos apertâ vi,ſemel ab exulibus,& Kenone Broecmerio per inſidias capta:vici ejus,recti,lati,amœni,& quidem ad fora, quæ duo ſunt, magnâ ex parte pertinentes:è quibus ſex etiam ſingulis à portis rectâ lineâ ducuntur:ædificia ſplendida, & ſupellectile nitentia: fora ſpatioſiſſima, imprimis id, quod latum vocant, Curiam cum œnopolio ambiens: fana in univerſum XII, ſed parochica tantùm tria; quorum antiquiſſimum formæ rotundæ, ac arcis in modum validis parietibus ſtructum, Walburgi virgini ſacrum cum puteo perennis,& ad ſummi labri altitudinem perpetuò ſcaturientis aquæ: alterũ ab amne dictum, in extremâ fori piſcarii areâ ſitum : tertium Martinianum longè ſplendidiſſimum foro præcipuo accubans,cui turris imminet firmiſſimi operis, ac ob altitudinem raram etiam nunc quamvis faſtigio excelſo mutilata vi ignis, latè ſpectabilis. Ex cæteris, quæ monaſticis familiis dicata ſunt,duo quoque peregregia & ſplendida,Franciſcanum in oppidi ferè medio, & Dominicanum Iacobæi ordinis:reliqua ejus generis, & quæ cum ptochodocheis cohærent, minora. Verum vix quicquam urbe totâ jucundius, quàm frequentium hortorum & frugiferarum arborum inſignis amœnitas in ipſius urbis ſinu, paſſim ædificiis interjecta, & ſe proferens,aſpectu pariter & uſu delectabilis. Annonæ forum in urbe omnis generis copioſiſſimum quotidie, atque ex eo pretii penè vilitas. Quod ſanè ex jure illo per fœdera olim acquiſito, & per longiſſima temporum ſpatia uſurpato hactenus, quo de jure in hiſtoria ſcribemus, non minimâ ex parte exiſtit. Adjuvat etiam plurimum, fluminum aut rivorum oportunitas,omni ab regione agri ad oppidi hujus mœnia humanâ operâ coëuntium, atque hinc in diverſa ſupra infraque porrectorum. E quibus is,quem ante deſcripſi,onerarias etiam è majorum genere ferens, alter ab oppido contra æſtivum ferè ortum defluens, & ipſe non lenunculis ſolùm & ſcalmis, ſed actuariis quoque mediocribus navigabilis, aſſiduiſque remigantium aut velificantium commeatibus perſtrepens, ſpatio duorum milliarium Germanicorum ac dimidii confecto per Fivelingios in Amaſum exiens ad locum cui Delfſilæ nomen à canalibus,per quos exit,datum: quo loco portum efficit toto

eo latere commodiſſimum, ac penè unicum. Porrò ad hunc rivum alterum regionis oppidum eſt DAMMONA, cognomen rivo tribuens ad duo paſſ. M. ab Amaſi ripâ loco fælice ſitum in Fivelingiis, a rivo ipſo diviſum, amœnum, & ædificiis præclaris, ſed jure publico perarcto, & nullo mœnium honore, id quod Groningenſium livori ſe debere queritur: quorum contentione factum ſanè, ut bis térve jam centum proximos intra annos excitatum in ambitu ejus vallum in nihilum ſemper reciderit. Reliqua per agrum vice tenent ſingulis cum fanis, plus minus CLX; quorum non pauci eâ magnitudine & cultu ſunt, ut oppidula videri poſſint. Ex his VVarſumum, Bedumum, VVinſumum, Vthuſa in Huneſgoniis: Northorna, Visfleta in Longovaldiis: VVinſcota, & quondam florentiſſima Midvvolda, ad nunc Dullarti injuriis penè deſolata, in præfectura veteri: Lopperſhemum, Berumum, Farmſumum, & quæ nominata jam antè eſt cum portu ſuo Delfſila in Fivelingiis. Et hæc quidem multo impendio & labore, decreto Ordinum Belgicorum nuper vallo & foſſâ circumductis, ſpacioque ampliato in oppidi penè juſti modum redigi cœpta, ad premendos, atque in ordinem cogendos Groningenſes adhuc Hiſpaniſſantes. Diſtat hic locus ab urbe Emdanâ, quæ adverſâ in ripâ Amaſi nobis memorabitur, ad paſſuum millia IX. Egregia porrò ædificiis ac opulentiâ, monachorum & ſacrarum virginum cœnobia in agro ſunt numero XXV: ante cætera verò Adoardia in Medachiis, quinque pagis imperans, famoſiſque opibus inclita, & ſuperbo imprimis fano viſenda: ab eo vetus ad Dammonam, & alterum in Marnenſibus, deinde VVarſumum, Rottumum, Theſinga, Siloverdia, Griſomonachum, VVittovverumum, Hilligerlæa, Schiltvvolda, poſtremò Ieſſæum non procul pomerio urbis Groningæ poſitum in præfectura ſuburbana. Nec ad hæc, quod mireris, regum aut principum liberalitas quicquam contulit, ſed ruſticæ plebis ſtudia, paucorumque nobilium iſta ſanè pro re, ac agri modo majora congeſſêre. Atque his omnibus ſi quis addat nobilitatis domicilia toto agro ſparſa, inveniet nihil ad ejus pulchritudinem ac fortunam penè poſſe adjici. Friſiam occiduam ab Oriente hyberno excipit DRENTIA, Groninganos à meridie: regio occiduæ Friſiæ quantitate ferè par, ſed opibus & cultu multò inferior. Ab Auſtro Sallandiæ partem, & reliquæ Tranſiſalanæ cum Tuentia habet. Ab ortu brumali, Benthemenſi provincia, ab æquinoctiali, diœceſi Monaſterienſi clauditur. Ad Auſtralem limitem haud procul Vidro flumine oppidulum habet Coverdiam cùm munitiſſimâ arce, caput provinciæ: unde breviſſimum iter in Benthemenſem agrum: Nec longe diſtat Herdeberga oppidum ad eundem Vidrum, Vltrajectini juris. Vnde per paludes univerſam penè regionem in circuitu obſidentes, niſi quà Groninga aditur, anguſtæ viæ ſunt traducendis exercitibus incommodæ. Reliqua vici occupant, quorum quidam nec parvi, nec inelegantes ſunt, qualis eſt Meppela in eodem auſtrino limite in occaſum vergente, oppido quàm vico ſimilior, & Runa in ditione nobilium Munſterorum, dignitatis titulo ſupra communis nobilitatis gradum illuſtris. Eelda etiam Groningæ vicina aliquot olim nobilium ſedes: Et ante Eeldam Rolda, Devera, Andloa. Cœnobia monaſtica duo, Aſſena & Diclinga. Paruit multis ſæculis Epiſcopo Vltrajectino, Imperatoris donatione, aut vi armorum nixo, à quo præfectum ſolet accipere. Nec verò à rep. tantùm Friſiorum communi parendo Epiſcopis, ſed & à lingua, habitu, moribus ac pleriſque inſtitutis jamdudum tota receſſit, nomenque gentis penè cum rebus amiſit. Quanquam veſtigia adhuc ſuperſint haud obſcura originis ac cognationis priſtinæ: ceu ſunt libertas major plebis ruſticæ in hac, quam in regionibus aliis, onerumque ſumma immunitas; judiciorum quoque ratio Friſicum morem redolens; venationum & aucupiorum jus integrum & liberum cuilibet, qui modò res ſoli illic poſſidet; aliaque ſimilia. Ager omnis arenoſus aut paluſtris, frumento, niſi quà uligines aut ericeta tenent, fælix, ideoque horrei vicem civitati

Gronin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Groningaнæ præſtans, paſcuis non æquè commodus. Commemoratione dignum videtur, notatum quoque ab aliis, quòd in regione hac ingentis molis ſaxa complura, quæ nullâ vectatione, nulla vi hominum illuc deportari potuiſſe ob magnitudinem credas, congeſta inveniantur: quorum ea diſpoſitio eſt, ut aras referre videantur. Nam jacentibus nonnullis alia iis impoſita ſunt plana, relictumque foramen anguſtum, per quod reptare homo poſſit. Fabula fert, paganos quondam humanis hoſtiis litare ſolitos ea per foramina mactandos homines tranſire coëgiſſe, & ſtercore, aliiſque immundiciis conjectu vulgi fœdatos in tranſitu, conſtitutoſque ad aras immolaſſe: eum ritum ad Bonifacii epiſcopi Vltrajectini tempora duraſſe. Quam ob cauſam etiam nunc turpe nomen foraminibus illis apud incolas reſtare putatur.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber Secundus.

PROXIMA inde regio, quæ à ſinu Dullarto, Amaſique exitu in Viſurgim ſecundum littus ſe porrigit, Monaſterienſium & Oldenburgenſium agro à meridie clauſa, Orientalis Friſiæ hodie proprio nomine dicitur, addito Comitatus titulo: Eâ populi cõtinentur XI, REIDERIVS, TRANSLÆDANVS, MORMERIVS, LENGANVS, AMASANVS, BROECMERIVS, AVRICANVS, NORDANVS, HARLINGIVS, WANGRVS, OSTRINGIVS, RVSTRVS. Primi à Weſterwaldiis REIDERII inter Dullartum & Amaſum incolunt: quorum vici cum fanis, ſi fora annumeres, ſunt XX. cæteri ferè totidem: omnes, VII aut VIII demptis, Amaſo aſſidentes in pingui gleba. Non pauci etiam præter hos aquis hauſti, quo loco nunc ſinus eſt ille toties jam dictus: inter quos præcipuus Reiderwolda, duobus quondam templis inſignis, & plurimis domiciliis virorum nobilium: deinde Torumum ad ſinus initium, civitati quàm vico ſimilius, quod & magiſtro cudendæ monetæ, & auri argentique fabris VIII, quondam, cùm fortuna integra eſſet, ſedes præbuiſſe perhibetur. De quibus omnibus totaque ſerie, & cauſis illius mali alibi dicere prolixè conſtituimus. Reideriis trans Amaſum adverſa in ripâ fluminis reſpondent Tranſlædani & Mormerii in ortum, Amaſanorum pars in Arctum verſi. TRANSLÆDANOS maximè ad meridiem ſitos Læda amnis, (qui in Monaſterienſibus ſupra Oitham & Cloppenburgum ortus, pluribuſque aquis navigabilibus receptis in occaſum tendens Amaſo confunditur non procul infra Leram,) à Mormeriis ſeparat relictos ad ſiniſtram: unde nomen, quod trans Lædam agant. Ager eorum, præterquam quod Amaſo propinquat, cui parti Dijcrimæ cognomen eſt, quodque inferius ad Lædam jacet, paludibus ferè horrens, & frugibus æquè ac pabulo malignus, imprimis ubi in meridiem declinat, vicis habitatur XVII, in quibus fana ſunt, raris ſanè pro finium ſpatio: cujus in fine ager alius Sageltanus, priore etiam infelicior, ut cui in ſolo ceſpite fodiendo ad ignis fomenta cenſus ſit, jamdudum Monaſterienſibus parens, licet & juris olim, & nunc quoque idiomatis Friſici, pluſculũ verò libertatis, quàm aut trans Lædani, aut cæteri vicini Friſii retinens,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

tribus parochiis cum totidem fanis habitatus, addito in ipſo Tranſlædanorum aditu cœnobio Ioannitarum Rhodienſium, diviſus flumine navigabili, quod per Tranſlædanos porrò means Lædæ tandem ad M. paſſ. ſupra ipſius & Amaſi confluentem miſcetur. MORMERII non minus VIII paſſ. millibus ab Amaſo in ortum extenſi, donec Oldenborgenſes attingant, Lædam in meridie, Auricanos ad boream habent, latitudine variâ, ſed ubi media, ad paſſ. Mill. IIII. Vocabulum his à ſoli paluſtris naturâ, quo propè tota ſqualet regio, pauculis modò arenoſis campis, quos ad frugem exercent, & magno labore cogunt incolæ, intercurrentibus. Populus quondam Foccuconis ductu ad arma induratus & manu præſtans, quod Nicolai Bremenſis Epiſcopi, aliorumque fortuna teſtatur. Lengani in ortum ſolſtitialem Mormeriæ annexi difficilem admodum omni à latere aditum habent per paludes, quibus in ambitu tanquam mœnibus circumſidentur: Oldenborgicis VVeſterſtedâ venientibus oppoſiti in ortu, ſæpeque incurſiones ab his hoſtiles paſſi: quam ob cauſam arx quondam in ipſo regionis ingreſſu contra incurrentes ſtructa. Ager nec latus, nec ſationi aut pecori paſcendo lætus: viculi X, fanum in meditullio unum, plebs ferox & indomita. Porrò ubi in occaſu deſinunt Mormerii, illic ager incipit AMASANVS, longeque ad paſſuum millia undena Amaſi ripam in Zephyrum ſequitur, atque inde viciſſim per ſena millia in boream ſe erigit, iterumque in ortum recurrit, omnium, qui in Orientali Friſia ſunt, pulcherrimus haud dubiè, & fæliciſſimus, ſive ſoli ubertatem reſpicias, quæ ſumma eſt, ſive pagorum multitudinem & ſpeciem, ſive hominum cultum ac mores. Pagi numero paulum infra L, & eorum complures multarum regionum oppidis haud impares: fana illuſtria, arces virorum nobilium, præter eas, quas Comes tenet, nec paucæ, nec deſpicabiles. Atque hanc ejus fælicitatem tum rivorum adauget copia, qui ſcaphis & lintribus meabiles omnem penè agrum pererrant, tum portuum quoque commoditas. Portus ſunt Olderſhemius, Emdanus, Larletanus olim haud vilis, nunc oppilatus, Cnoccanus, Grethanus, Eidelſhemius: Et hi quidem ultimi duo in arctoo, reliqui auſtrino in latere. Origo nominis non aliunde, quam ex Amaſo flumine, cujus alveo nativo ad auſtrum, æſtuariis ab occaſu & borea clauditur. Quanquam de boreo limite qui æſtuarium ſolum dixerit, vix ſatis dixiſſe pro rei natura videatur. Nam ex Oceano veniens alveus tum ingens tum profundus inter Borcumum & Iuſtam æſtuaria ingreditur, eaque permeans per paſſuum millia X, navibuſque liberrimum & tutiſſimum curſum præbens, ubi continenti propinquare cœpit, inter Amaſanæ ſuperiora, & agrum Nordanum terris ſe inſinuat modico ſpatio, ac Grethana potiſſimum littora ſtringit: nec facilè tantæ molis navigia invenire liceat, quæ ſubire eum ſine periculo haud poſſint. Rectus maximè, ſineque brevium flexu ac ambage. Hunc Orientalis Amaſi nomine afficiunt vulgò homines nautici: in quem rivi majores per clauſtra ſua effuſi, hos, quos dixi, portus duos egregios efficiunt. Nec uſquam totâ Friſiâ latioribus quàm hîc, profundioribuſque vadis ab inſulis littora dimota reperias. Hinc jam BROECMERII in æſtivum, & quondam pars horum Auricani in æquinoctialem ortum ab Amaſanis magno & vaſto ſpatio projecti: quorum ager, ubi Amaſanis cohæret, & propriè nunc Broecmerius eſt, mediocris ad culturam, nec infrequens vicis, nec opum expers, imprimis verò fanorum magnifica ſpecie ſupra ruris modum illuſtris ac memorabilis: cætera, qua in Eurum magis vergit, raro cultore, propeque in ſolitudinem abiens, ſaltibus ac paludum vaſtitate obſitus, præterquam in meridiano limite. Vici omnes plus minus XX, quibus fana ſunt addita: reliquorum etiam modicus numerus.

Ad boream deinceps NORDANI ſuccedunt ipſo in littore, initioq; anguſta à fronte contra zephyrum ſumpto, continuo inde in ortum ſolſtitialem ſecundum æſtuaria maris inter inſulas & continentem diffuſa non minus quam

per

per paſſ.milla VIII porriguntur, opimo ſanè, & pabuli ſegetiſque æquè ferace, niſi quantum ab ora recedit longius, in ſolo. His peculiare eſt, ſparſim potius per villas, quàm vicatim habitare, quippe qui præter NORDAM, regionis caput, quinque ſolum vicos circũ fana collectos tanto in ſpatio complectantur. Nordanos HARLINGII excipiunt per dena paſſ.millia longius in ortum littus tenentes, latitudine alibi dimidia, alibi majore: in quibus vici XVI cùm ſacris ædibus, oppida duo, viculi ſine æde non parvo præterea numero. Ager quo littori propinquior, eo melior, ſterileſcit interius, donec tandem in ericeta ac deſertas paludes ab Auricanis occurrentes meridiano in latere deſinat. Littus ferè importuoſum, præterquam ad Funixanum emiſſarium, non procul ab Harlingiorum fine. Nam Accumani rivi exitus, item Benſarii, Werdumani, aliorumque adeò exiles ſunt, ut in portubus numerari non mereantur. His omnibus Eſenæ domini imperant. Finis eorum rivus inter Berdumum & Middocham vicos ad exitum contendens. Ab eo rivo WANGRI ad Iadæ latiſſima æſtuaria à Septentrionibus in meridiem intra terras influentia jacent, planis ubique, & ubique uberibus campis. Quorum littus molliter primùm in aquilonem, pauloque poſt in æſtivum ortum per VI paſſ. millia incedit: inde rurſum contra Auſtrum magno ſpatio, atque iterum in Libonotum penè pari deſcendit, donec in Madam incurrat, flumen minutum, Cnipenſium ditionem, quæ proximo littoris flexu jam dicto incipit, ad meridiem finiens. In eo tractu omni fana ſunt cum parochiis XVI, quorum tria ad Cnipenſes, reliqua ad Ieveranos pertinent: portus item, nomen qui habent, duo; Inhuſanus in eorundem Cnipenſium poteſtate, Hocanus illo nobilior, ſitus eo loci, ubi in meridie rectà progredi ora deſinit, in Ieveranorum: uterq; verò in Orientali regionis Wangrorum latere. Interius OSTRINGII meridiem verſus VVangris ſuccedunt, haudquaquam pari terræ fælicitate, ſi dempſeris eam particulam, quæ ſub Godenſium nobilium imperio in ſinum Iadanum procurrit. Cæteri diviſi in Ieveranos, & Friburgios æquis ferè partibus & pari vicorum numero. Quanquam de Friburgicis dubitari video à quibuſdam, Oſtringiiſne aſſcribi debeant: ſed nulla, quantum ego exiſtimare poſſum, ratione. Apud hos vicus Repſholtanus duobus quondam templis & collegio Canonicorum inſignis; at jam alterum tantum templum, cúm ruinis maximæ turris, ægrè conſervans: Apud illos Veldenſe cœnobium olim magnificentiſſimè ſtructum voti cauſâ, turriſque ædi addita raræ molis, atque ob altitudinem longè lateque proſpicientibus patens, quæ nunc penè ſola ex ædificiis reliqua, quanquam ſine faſtigio, veteris magnificentiæ memoriam tuetur. Cæteri Friburgici in auſtrum vergentes eouſque procurrunt, ut Iadæ ſinus intima, quibus continguntur, in ortu, Auricanas ſolitudines in occaſu habeant, propeque occurſu mutuo, niſi obſtent inviæ ac vaſtæ paludes, velut obices à natura interjectæ, in Lenganos redire velle videantur: ad quos ab ultimo horum angulo circiter duarum horarum itinere difficili tranſitus patet contra ſolem meridianum, quemadmodum ad Stracholianos Auricanorum eo latere extremos viâ paulò longiore, in occaſum brumalem. Poſtremi in ortum ſunt RUSTRI, in Viſurgim uſque à VVangris & Oſtringiis pertinentes, medio nunc Iadâ ſinu cum pernicie hominum & agrorum in partes ſciſſi duas: è quibus qui cis Iadam, nomen vetus ſimpliciter retinent: ultra Iadam, BUTIADÆ, id eſt, Tranſiadani, & STADLANDI vulgo nuncupantur. IADA fluviolus quondam minutus, ac vix nomine hoc dignus; primum paluſtribus ortus locis, cùm modico ſpatio agros ſecuiſſet, pluresque in ſe ex corrivatione recepiſſet aquas, in æſtuaria vicina vaſtiſſimæ magnitudinis efluxit: Deinde ſævitia maris iis locis creſcente, recurrentibuſque ſæpè tempeſtatibus, publicique curâ per diſcordiam neglectâ, ruptis ac diſiectis aggeribus aquæ in terras humiles immiſſæ, hæ aliæ poſt alias abſorptæ, ſinui locus primũ non magnus

 factus,

factus, poſtremò fluctuum vi induſtriam hominum ſuperante ſpatium hoc ingens apertum. Ciſiadani poſt Madam rivum, quem dixi, freto Iadæ, per quod ſinus æſtuario jungitur, quodque trajectum in Tranſiadanos breviſſimum habet, ob Oriente, ſinu ejuſdem ſpatioſo à meridie terminati; Oſtringiis in occaſu finitimi, ex compluribus, quibus olim res eorum floruit, injuriâ fluctuum ad tres tantum parochias rediêre: reliquias verò nonnullarum etiam nunc ex proximo littore monſtrant, Amæ, Sedicæ, Oldebruggæ, Dangaſti in medio ſinu, Banthæ littori propè contiguæ, tumulum tantùm, qui ſedem templo præbuit, ex undis erigentis. Tranſiadani in boream primum ſe efferentes juxta Iadæ æſtuarium illud ingens majore quam VVangria gradu, deinde molli flexu littoris in ortum curvati, rurſumque in meridiem ſenſim prius, mox rectà ſecundùm Viſurgis oſtium latere ortivo revertentes, occurſuque Iadani ſinus ab occaſu preſſi ad IV milliaria magna Germanica in Morimios uſque in Comitatu Oldenburgico deſcēdunt: ubi laxiſſimi ſunt in borea parte, duobus milliaribus, ubi anguſtiſſimi, vix duobus paſſ. millibus, cætera, ad IV paſſ. millia in latum pátent. Hi in Butiadas & Stadlandos hodie diſcernuntur. Butiadæ tribus milliaribus Germ. à boreâ in Auſtrum porrecti vicos cum fanis IX, multò plures ſine nis comprehendunt, ſummâ ubique ubertate ſoli: reliquum Stadlandi tenent, & ipſi in vicos aliquot fanis inſignes, pluresque fanis carentes, diſtincti, preſſi arce Ovelgunnâ, ab Oldenburgicis bello Saxonico exſtructâ, ſolo etiam non infœcundo. Ab his porrò qui ſequuntur in eadem amnis ripa, STEDINGIOS, Ruſtriæ quoque quondam accenſos, Huntâque fluvio modico in Viſurgim exeunte diviſos, quorum caput eſt Elſfleta non procul Huntæ oſtio diſtans, tum Berna altiſſimâ iis locis turri ac fano viſenda, itemque eos, qui Iadæ ſinus oram Auſtrinam tenent, in quibus ampliſſimus eſt pagus Varela, regio verò omnis Weda Friſica dicta, quanquam re & nomine Friſii olim fuerint, tamen quoniam nunc ab aliquot retrò ſæculis oppreſſi ab Oldenburgiis ope principum aliorum, ac Comitatui eorum aſſcripti remp. mores, linguam ſuæ gentis deſeruêre, in populis Friſicis amplius non cenſemus. Patet omnis hæc regio in ora ab Amaſi oſtio ad Viſurgim non minus paſſuum millib. L, latitudine introrſum vergente plus quàm dimidio minore. In ejus fronte occidentali EMDA eſt ad Amaſum flumen, non ſolum Amaſanæ, cujus in ſolo ſedem habet, ſed totius quoque littoris Friſici à Batavis in Danos porrecti oculus, ſive opes ejus ſpectes, ſive ædificiorum pulchritudinem, ſive ſitus commoditatem, ſive negotiationum varietatem ac magnitudinem, ſive frequentiam & cultum populi. AMASVS, cui adjacet, mercator omnium rerum, quas Oceanus vectat, avidiſſimus, in Padelbornenſi agro caput tollens, pererratis omnibus Monaſterienſium finibus, ubi primum Friſiam attigit, in ortum parvo ſpatio, mox longius in Septentrionem per ſena paſſuum millia meat, Tranſlædanos à Reideris ſeparans, receptoque in hoc termino Læda amne prius dicto, in Circium deinde ſinuoſus & ingens, inter Mormerios ac Reidanos pari ferè ſpatio progreditur Olderſhemum uſque: ab Olderſhemo porrò jam latior etiam ac tumidior, maximarumque navium capax inter eoſdem Reidanos ac Amaſanos in Zephyrum defertur, per paſſuum prope millia IIII, quoad Dullarto ſe commiſcerat: Inde rurſum in ſeptentrionem præcipiti flexu alveum retorquens inter Neſſam inſulam, & continentem, Embdam littori tranſverſo aſſidentem, ac in longum porrectam petit, relictiſque mœnibus hujus in occaſum, ab occaſu ſtatim in meridiem rurſum, velut inſulam, quam dixi, circumventurus, rurſumque ab eo curſu in occidentem inter Groninganos & Amaſanos medius, & jam planè ſpatioſus exit, poſtremò littoribus omnibus liber per vaſtum illud æſtuarium, quod inter inſulas & continentem trium ingentium milliarium ſpatio ſe fundit, contra Corifatus in Oceanum evolvitur, Rottumo ad ſiniſtram, Borcumo ad dextram

ad dextram inſulis relictis. Et ſic quidem olim: noſtrâ verò memoriâ poſt Neſſæ tergum incitans ſe ejus fluctus itinere rectiore, relictâ procul à dextris civitate, vadoque inter inſulam & mœnia invectu limi penè effecto, in occidentem ſtatim ferri incipiebat. Cujus rei gratiâ civitas ſollicita, ne ſe portus commoditas deſtitueret, maximis impendiis & labore proximis annis trabes ab inſulæ angulo continuas, atque inter ſe divinctas in profundum defixit longiſſimo ordine, additis utrimque ad operis firmitudinem ingentibus tignis in obliquum depactis, ad excludendum eo latere à Dullarto flumen, aquaſque ejus in priſtinum reducendas alveum, non irrito etiam nunc tantæ rei profectu, licet opere nondum perducto ad finem. Civium res, quomodo nunc habent tempora, Conſules & Senatores regunt, arbitrio Comitum lecti, quorum imperium ſicut ipſi hi, ſic tota agnoſcit civitas: ſed imperii hujus modus lex, non voluntas. A ſenatu deinde VI viri ſunt, armorum, vigiliarum, quietis publicæ curæ præpoſiti, bini in ſingulis partibus tertiis, in quas urbs eſt diviſa, exceptâ Valdera, quæ velut nova urbs veteri non multos ante annos adjecta, ſuos etiam ſub præfecto Comitis, cujus illic imperium eſt, VI viros habet. Et præter hos IIII viri ſclopettariorum præfecti, quos ſic vocant, in tractandis ſclopettis aut minoribus tormentis juventutem exercentes; publicaque loca, fora, vicos, portus, canales, & res ſimiles, qua ad exonerandam ſordibus & cœno civitatem faciunt, curantes; imprimis ne qua confuſio in navibus exiſtat, dum portam ſubeunt aut relinquunt, utque in hybernis earum ſervetur ordo, providentes: quorum functio biennis eſt, duobus quotannis collegio decedentibus, totidemque in locum decedentium ex ordine lautiorum civium ſubſtitutis. Ædilis quoque fabris & fabricis publicis præpoſitus. VI viri item incendiis reprimendis præfecti, etiam bini in qualibet urbis parte tertia: quorum munus, non ſolùm operam dare, ne quid detrimenti civitas capiat, neu quis tumultus exiſtat, incendio fortè exorto, utque id quàm celerrimè reſtinguatur, ſed etiam, ut quæ iſtuc pertinent inſtrumenta publica privataque, itemque aquæ copia ſemper parata & expedita ſint. Portorii etiam & cæterorum vectigalium magiſtri. Rurſumque IIII viri ædiles annonæ quotidianæ, ponderumque & menſurarum omnium rationem habentes. Carceris denique præfectus, per civitatem obambulans aſſiduò cum miniſtris, & ſi quem tumultuari, aut aliud delinquere gravius deprehendit, in cuſtodiam trahens. omnes hi à Senatu poteſtatem accipientes, atque ab eo pendentes. Præter iſtos verò delecti civium XXIIII, velut compendium plebis totius, cujus patroni ſunt. Et demum collegiorum plebeiorum præſides, in quibus nautici ſummum locum tenent ob magnitudinem rerum maritimarum. In urbem porrò ex omni agro vicino collecti rivi confluunt, perque canales quatuor effuſi alveos duos per mediam urbem emittunt in Amaſum, tantæ latitudinis ac profunditatis, ut maximas capaciſſimaſque naves magno numero intra mœnia recipiant, & hybernis ſedem præbeant. Illa verò propria civitatis laus, quòd poſt pontificias tenebras, Euangelii rurſum illuceſcente veritate, & avidè ſtatim amplexa eam ſit, & quanquam ſæpè circumſtiterint pericula, tamen conſtans in propoſito, tuendaque doctrinâ ac cultus puritate perſtiterit hactenus, atque etiam nunc immota perſtet: quodque ea etiam in egenos ſuos liberalitate agat, ut peregrini in urbem advenientes, ſi quando memorari rem audiant, non hiſtoriam veram, ſed fabulam ſe audire arbitrentur, vixque in rem præſentem adducti fidem adhibere [illegible] poſſint: poſtremò, quòd exulibus ob pietatem domo pulſis, Britannis, Gallis, Belgis confugium commune, & aſylum omnibus circum infeſtis, ipſa ſola diu fuerit, perenniuſque, velut incendiis elapſis, & omni deſtitutis ſpe, benignè

Hæc pleraq; proximis his annis mutata poſt libros hos ed tos: exponenda ſuo loco.

gremio ſuo receperit. Quæ ſi quis cauſam ſtatuat tantæ fælicitatis, quâ hodie res ejus in omni negotiorum genere & copiâ florere cernimus (cujus ea magnitudo eſt, ut amicorum quoque, qui favere debebant, invidiam commoverit) is profectò à vero alienum ſentire nihil videbitur. Mitto univerſam εὐταξίαν Eccleſiæ, ordinem pulcherrimum curandis rebus pauperum, civile & ſolers populi ingenium, minimeq́ue factioſum aut turbidum, compoſitos ejuſdem mores, &, quod mireris, in tantâ nationum hîc habitantium diverſitate, per tot annos ſine vitio conſervatam concordiam. Quid dicam incredibilem navium civitatis hujus multitudinem in omnes Europæ partes commeantium? quid portus commoditatem? quid curiæ proximis annis ſtructæ ſplendorem? quid munitiones operibus & loci naturâ validiſſimas? & contra hoſtilem vim penê ſecuras? Diſtat hic portus à Delfſilano, de quo dixi prius, paſſuum millibus VIII. Aliæ præterea civitates hujus regionis; NORDA imprimis in agro cognomine, Emdæ ambitu par aut major, pulchritudine, opibus, cultu haud dubiè proxima, quanquam mœnium expers, XII paſſuum millibus rectà in boream magis recedens, intimoq́ue in ſinu æſtuarij ejus, quod Amaſum Orientalem vocari demonſtravi, ſita, & ipſa etiam maritimis dedita rebus, populo frequens, omnium copiâ rerum ad vitam tuendam per ſe affluens, fanis quondam conſpicua quatuor, mole & formâ præſtantibus, imperio conſulari à multis retrò ſæculis adminiſtrata, etiam ante Comitum initia. Deinde AVRICA haud fælici poſita loco inter ericeta & ſaltus, ſolis propè nundinationibus ac mercatu pecudum fortunam ſuſtentans ſuam, ad eam ſanè rem opportuno admodum ſitu, in Friſiæ medio, ac viis ad commeandum nunquam non commodis: cæterùm prioribus haudquaquam comparanda, nec niſi longo eas ſequens intervallo: ad quas ipſas iſtiuſmodi habet poſitum, ut triangulum ferè æquilaterum cum iiſdem conſtituat. Tum IEVERA in Oſtringiis eidem dedita ſtudio, ſine quo nec ipſa tueri fortunam poſſet: ESENA porrò in Harlingiis: in iiſdem WITMVNDA medio propè inter illas itinere, oppidanis munitionibus carens. Abeſt Ievera ab Eſenæ oppido in ortum mill. paſſ. X, à Witmunda IIII, paulò plus: ab Aurica in Vulturnum milliaribus Germanicis III. Et oppida hæc omnia poſt Nordam arcibus ferè ſuis, quas in lateribus habent, quàm per ſe ſunt illuſtriora. Fora ad hæc egregia, & mercatu celebria quinque: Wenera quatuor ferè paſſuum millibus à Monaſterienſium finibus, ulteriuſq́ue quinque paſſuum millibus Iemgumum, Amaſi in ripa ſiniſtra, ac Reideriorum agro utrumque, illud modicum cultu & fortunis, hoc oppidis haud vilibus par, binis nunc exercituum cladibus infame; ampliſſimum verò & ſplendidiſſimum LERA in Mormeriis, Lædæ amni, non procul exitu ejus in Amaſum, lunatâ formâ longè aſſidens, ſed longiùs etiam introrſum à ripa, iterumq́ue in latus magno ſpatio ſe porrigens, ne nunc quidem ceſſante incremento propè quotidiano: eademq́ue fælicior, quàm eſt, hoc ipſo quoque tempore ſine dubio futura, ſi uti fortunâ ſuâ his proximis annis rectè ſciviſſet: attamen nunc etiam ejuſmodi, ut cunctis à tergo cæteris, quæ inter Amaſum Viſurgimq́ue ſunt, procul relictis, poſt Emdam ſoli Nordæ concedat, æmula propè fortunæ ejus, nec quicquam magis objici loco poſſit, quàm novitas, quæ tanta quidem eſt, ut nuper adeò extitiſſe, atque ad celebritatem emerſiſſe repentè videatur. Olderſhemum deinde domicilio familiæ nobilis, cujus in ditione eſt, inſigne, & Amaſo quoque inhærens in ipſo Amaſanæ initio, IIII paſſ. millibus ſupra Emdam, inq́ue orbem pulcherrimè ſe colligens, quo nihil uſpiam ad muniendum reperiri poſſet aptius, ſi munitionibus opus haberemus. Poſtremò Mariæhava in Broecmeriis, non tam per ſe (arctum enim & exiguæ fortunæ forum nunc eſt, ſi priora ſpectes) quàm fano admirabili ac raro, cum editiſſimâ, maximæq́ue omninò molis turri hodiè viſenda,

viſenda. Sed ſunt præter oppidorum munitiones, quas jam diximus, arces quoque toto hoc agro complures collocatæ, hoſtium incurſibus atque injuriis prohibendis. Quarum clariſſima Auricana oppido ſuo cohærens, item Eſenſis, Witmundana, Ieverana, è quibus ipſa videntur oppida contigua, paulatim adjunctis ædificiis, extitiſſe, munitiſſima autem Orthana inconfluente Lædæ & Amaſi, atque in conſpectu Leræ, ſitu admirabili. Stichuſa eundem ad Lædam magno ſupra confluentem miliari, vtraque in Mormeria, Friburgum Oſtringicum, & jam in ruinis jacens Vplenga, Oldenburgicis objectæ; Berumana in Nordanis, Grethana in Amaſanæ ora ad boream cum vico, & eo, quem antè memoravi, portu poſt Emdanum optimo, Peuſumana ejuſdem in agri medio, ambæ ſine vallo terreo, Emdanæ in urbis latere ad Amaſum, Ovelgunna in Tranſiadanis. Atque hæ capita præfecturarum ſunt, in quas novo inſtituto regionem partiri placuit, quibus præfecti præſident, à Comite, aut dominis aliis impoſiti. Præfecturarum ratio ac nomina ſic habent: Emdana duplex in Reideriæ ac Amaſanæ partibus: Grethana tota in Amaſanæ parte boreali: Orthana in Mormeriâ partim, partim in Reideriâ, partim etiam in Tranſlædanis: Stichuſana in Mormeriâ, Tranſlædanâ ſuperiore, & Lenganis: Nordana in agri ſui parte proximâ, arce carens: Berumana eodem in agro: Auricana in Broecmeriâ, & pagis circumjectis: Friburgica in parte Oſtringiæ ad intimum Iadæ ſinum: Peuſumana inter Embdanam & Grethanam media, quatuor ſolum vicos complexa: hactenus Comitis omnes: cæteræ quo jure quáve injuriâ à Comitatu, cui aſſcriptæ ab Imperatore erant, dudum receſſere: Eſenſis, & Witmundana in Harlingiis: Ieverana in Oſtringiis, Wangris, & Ruſtris Ciſiadanis: Poſtrema in Tranſiadanis, cujus caput Ovelgunna, bello Saxonico, LXXV ante annos primum condita.

His porrò interjectæ ſunt nobilium ditiunculæ complures, è quarum numero præcipuæ, Olderſhemia ad Amaſum, præter ipſum Olderſhemum parochias habens ſex: Cnipenſis in Wangria, pulcherrima cum arce, ſede Baronis Cniphuſii, parochiis comprehenſa tribus: Dornumana in extremo agri Nordani angulo, Harlingiæ confini juxta oram: Godenſis inter Oſtringios: Luteſburgica in Nordanis. Reliquas mitto. Cœnobia ad hæc plus minus XXX. Sed memoratu præ cæteris digna, Silomonachum in Amaſanæ medio, Alandia, Appinga, Dichuſa, Blauhuſa in agro eodem, Vallis Mariæ, quod & vetus cœnobium vocant, ac Dominicanum apud Nordanos, Thedinga in Mormeriis ad paladum uligines ſitu humili, Ila inter Auricenſium nemora, Mariæ campus in Harlingiis Eſenæ proximum, Veldenſe, quod dixi prius, in Oſtringiis, non procul Ieverâ diſtans. Populus univerſus principis ſui amantiſſimus, atque hoc adeò inſitum habens, ut illius honori & voluntati, ſi æqui leges non excedat, omnia ferè ſua poſthabeat, ejuſdemque fortunâ metiri fortunam ſuam ſoleat. Et huc quidem uſque Friſia & titulo & re CXL ante annos verè libera, ſuique juris, nec ullis omninò obnoxia principibus, & quamquam populis agriſque diſtincta varie, tamen generalium comitiorum ſocietate, quæ à loco apud Auricanos VPSTALSBOMICA dicebantur, in unam quaſi collecta remp. Vltra Viſurgim quæ deinceps reſtant, licet gentis quoque ſint ejuſdem, tamen aut in ſervitutem dudum tracta ſunt, aut à reipublicæ, & fœderum communione ſeceſſerunt. Quam ob cauſam nos quàm breviſſimè etiam ea perſequemur. Viſurgim ex Ruſtris ubi trajeceris, occurrit ager Woerdenſis Bremenſis diœceſeos pars, nihil Friſicum amplius præ ſeſe ferens, præter ſoli ingenium apprimè fœcundum, nonnullaſque libertatis antiquæ reliquias. Is ad Lunam fluviolum ab ortu in Viſurgim decurrentem patet. A Lunâ eâdem in ripâ verſus Septentrionem agellus ſequitur alius ejuſdem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

diœceſeos, paſcuorum bonitate luxurians, non longior quatuor paſſ. millibus, quem Geſta modicus item amnis, qui ab oppido Voerda archiepiſcopi ſede per inculta camporum veniens, compreſſuſque hinc & illinc aggeribus in eundem Viſurgim egeritur, medium interſecat. Ad hunc amnem introrſum Lea frequens & bene cultum forum adjacet. Inde à duobus paſſ. millibus poſt Geſtam VV ORSTENSES initium capiunt, re ac nomine Friſii, ſecutique littus ab egreſſu Viſurgis in aquilonem aut ortum ſolſtitialem per XII paſſ. millia penè ad Albis oſtium porriguntur, ubi in ericetum vaſtum deſinunt, quod Hadelerium vocant. Regio eorum haud multum lata parochiis occupatur VIII, villis toto agro ſparſis. In aditu primo eſt vicus modicus VVedvverda, ſed ſine fano, Dingenſis parochiæ proximæ pars; vicóque propinqua veſtigia arcis ab Epiſcopo Chriſtophoro Brunſuigio olim excitatæ, cui Lucifero nomen fuit, ipſo extremo in littore. Vbi finis verò regionis, Spica eſt parochiarum ultima, in angulo, quo ericetum extremo aggeri committitur. Vicorum maximus Wrema in orâ: deinde Dornumum nundinationibus celebre interius. Ager omnis pinguiſſimæ glebæ aratro proſcinditur quotannis, frugumque mirè ferax eſt, paſcua armentis propè nulla. Populus ferox, & armis ſupra fidem promptus, nec viri tantùm, ſed & fœminæ & virgines, ſi res poſcit: ſæpeque ab eo fortiter pro libertate pugnatum, præcipuè contra Epiſcopos vicinos, quibus jam paret ab annis LXVI, ſed parendi leges etiam nunc libertati proximæ. Quilibet vicus ſibi præfectum eligit, qui jus dicat ex legibus patriis. Iis præeſt unus præfectus ſupremus ab Epiſcopo datus, qui iiſdem etiam legibus in cognoſcendo eſt alligatus. Si contra fecerit, irritum ejus judicium. Arcem impoſitam non patiuntur, velut inſtrumentum ſervitutis. Piſcatio, venatio, aucupia, quæ ſibi principes ſolis permiſſa vulgò exiſtimant, ex more patrio, & omnium quondam Friſiorum communi, cuilibet indigenæ libera. Tributa intra modum: eorum augmenta irritamenta tumultuum & vindicandæ libertatis: Onera alia, quæ cæteros populos gravant, propè nulla: Nec audent tentare præfecti metu turbarum ac rebellionis. Prædia ferè colonorum propria. Munifici & benigni erga hoſpites: diu, ut & reliqui Friſii, immixti ac ſine exteris, quos non facilè ſecum habitare patiebantur: jam ratio paulatim verſa.

Bibuli nimium, & inter bibendum rixoſi, ac facilè ad pugnas & cædes provolantes: Cædium verò & vulnerum major adhuc ex priſcis legibus, quàm par eſt, immunitas. Et tamen hi ſe liberos non eſſe queruntur, ad quos vicini etiam ejuſdem gentis comparati, qui titulum libertatis præferunt, verè ſervire videri poſſunt. Moribus in conſuetudine ferocioribus ac magis profanis, quàm pietas Chriſtiana patitur. Bibendi autem ſtudium pleroſque facultatibus exuit. Fœminarum habitus ad deformitatem pellibus cuniculorum, felium, & ſimilium animantium variegatus, quo tamen ipſæ mirificè ſibi placent. Poſt hos HADELERII jacent, ab angulo, in quem ſe cuneat terra inter Viſurgis & Albis oſtia, adverſo Albi porrecti per ripam in Oſtam uſque flumen in eundem Albim ſe exonerantem: quo ſpatio milliaria Germanica ſatis magna comprehenduntur tria cum dimidio, aut paſſuum millia XX, ſeparati à VVorſtenſibus ericeto, de quo dixi, quod in longum inter utroſque procurrit, illis ad occaſum, his ad ortum relictis, ubi latiſſimum eſt, trium horarum itinere patens: ubi anguſtum, unius ferè cum dimidiâ. Hadeleriæ ager, quantus quantus eſt, triticeæ meſſi vel maximè eſt idoneus, nulli penè per Germaniam ut cedere hoc nomine putetur: paſcuis rarior, ſeu quia gramine non æquè lætus, ſive quod aratione magis incolæ delectentur. Sed eſt latitudine peranguſtus: ſic tamen frequentem populum, & continuis prope villis una ſerie per agrum medium procurrentibus habitantem non modò alens, ſed locupletem quoque faciens; poſtremò opum & ſanguinis

opinione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

opinione etiam inflans. Quod vel ex ſolo cultu corporis apparet. Sunt enim Hadelerij in veſte & cætero ornatu ferè ſplendidiores, quàm pro modo ac captu plebis ruſticæ, propemodum ut nobilitatem hac in re æmulari videantur: unde jocus in eos, nullum in Hadeleriâ ruſticum inveniri: panno optimo, aut ſerico corpus tegere quotidie, villoſo fimbriare bis terve, cingulo cingi argenteo, ab hoc incluſum magno ejuſdem metalli pondere pugionem ſuſpendere, eoque in habitu arare, ſerere, metere in more illis eſt: ædificiis non æquè ſplendidis, ſed pro ſtatus modo utuntur. Agri hujus partem, quæ ad Septentrionem vergit juxta Albis oſtium, Hamburgenſes, à ducentis jam annis, in ditione habent, inferioris Saxoniæ ducibus, idcirco quod piraticam factitantes iis locis foverent, armis extortam: quorum opus eſt Ritzebuttela arx, præfecti ſedes, itemque pharus in extremo angulo excitata, quà terra hinc ab Albi, illinc à Viſurgis æſtuario in cuneum agitur, ad dirigendos navium curſus: id novum opus vulgò appellant. Reliqua poſt arcem, donec ad Medenam in Albim exeuntem, & Aterndorpium, caput regionis totius, modicum oppidum, proximum Albis ripæ pervenitur, Saxonum principibus iiſdem etiam nunc parent. Domicilium illis arx in oppidò pertenuis: imperium in populo tale, ut precariò penè imperare videantur. Multa adhuc libertatis veſtigia, optimumque populo jus. A Medenâ, porrò in Oſtam flumen, ſpatio milliaris dimidii, agri Hadelerici quod reſtat, id ſolum in epiſcopi Bremenſis manſit poteſtate, cui olim totus ager paruiſſe dicitur: ejuſdemque epiſcopi eſt arx Nyenhuſa cum pago ad confluentem Oſtæ Albiſque poſita, opus Ottonis Brunſuigii, qui diœceſim rexit ad annum Chriſti M CCCC. Vltra KEDINGII ſunt, eidem ripæ per paſſ. millia X prætexti, quos Oſta non à fronte ſolùm, quà ſe curvans exonerat, ſed ab latere etiam longo tractu claudit. Quo modo accidit, ut ager eorum anguſtus, verùm mirificè ad ubertatem valens, ab omni ferè parte cingatur aggeribus contra fluminum eluviones, ſed majoribus multo contra Albim, levibus adverſum Oſtam. Finis eſt Freburgum pagus. Ab eo lætiſſimus & hortis prope perpetuis occupatus ager terræ veteris, ut vocant, aperitur, milliaribus Germanicis tribus cum dimidio in longitudine patens ad Buxtehudam oppidum epiſcopi, latitudine non magnâ, Albim ſimiliter præcingens: in quem, ut & in Kedingios, epiſcopo Bremenſi imperium eſt. Hujus metropolis STADA ad Suingam flumen Albis accolam ſita medio milliari à Kedingiæ limite, ac Friburgo diſtat. Cuncta hæc cis Albim nominis Friſici in hunc uſque diem ſunt, quanquam alienis imperiis jamdudum parentia, & inſtitutis ac lingua, Worſtenſibus exceptis, in diverſum verſa.

Trans Albim deinceps contra Hadelerios atque inde longiùs in Septentrionem ſurgentes lætis agris DITMARSI habitant, Oceani accolæ; quorum latus auſtrinum Stormarii in Holſatia Kedingiis oppoſiti, unaque Albis fluvio ab ortu reliqua Holſatiæ, à Septentrionibus EIDORA amnis magis latus quam longè veniens terminat. Regio, quam tenent, millibus paſſ. XXVIII in longitudine pateſcens, latitudine mediâ, pecori æquè ac frugibus bona, quà littoribus aut ripis propinquat: quà intus vergit, aut arenis ſterileſcit, aut paludibus obſidetur exercituum itineri perinfeſtis, aut deniq; horreſcit ſaltibus, id quod ad ſolis exortum, ubi Holſatiæ ſe jungit, maximè ei accidit. Oppida Ditmarſis duo ſunt HEIDA & MELDORPA, fora etiam paucula, cætera in vicos ſparguntur. Populi ingenium ferox, immite, inhoſpitale, imperium peregrinum, quod diu renuit, armiſque etiam cum pernicie invadentium fortiter ſæpè à ſe avertit, haud libenter ferens: Viri, fœminæ æquè pro libertate, quam multis ſæculis incolumem tenuerunt, indignantibus nequicquam principibus vicinis, pugnare olim ſoliti. Verùm tandem, cùm à Danis, Holſatis, aliiſque ſimul vis in eos ingrueret, XXX ferè ante annos, fortunæ ceſſere: ex quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

tempore Holſatiæ principum imperium agnoverunt. Friſiæné autem annumerandi ſint Ditmarſi, ſi vetera ſpectentur, apud me quidem dubium non eſt: quamquam aliud ſentiat Crantzius. Cujus argumenta ſanè ad hanc allata rem ex idiomate linguæ, ac exercito cum vicinis Friſiis odio per quam mihi videntur exilia: quæ eodem planè modo & Transflevanos, quos in Hollandia nunc eſſe diximus, & Drentinos, ſi quid momenti haberent, veteri Friſiæ poſſent eximere. Quod alibi eſt à nobis expoſitum accuratius, monſtrataque argumenta, quibus Ditmarſos ſuos vindicare Friſia facilè queat, partim ex ſitu, partim ex libertatis ſtudio, longaque poſſeſſione, partim ex cæteris, quibus cum gente noſtrate conſentiunt, plurimis inſtitutis. Supra hos in Boream EIDORENSES ſequuntur, gens Friſica peninſulam habitans contra occaſum à reliqua Holſatia in pelagus projectam paſſ. millibus XII, latitudine impari, ab Eidora, quam dixi, fluvio, quo à Ditmarſis ſeparantur, nomen ſortiti: Eiderſtedios vulgò dicunt. In eorum aditu emporium Holſaticum eſt HVSA, maritimis rebus multum deditum ob portus commoditatem, quem habet in HEVERO. Is boreum latus peninſulæ claudens, æſtuarioque maris, quàm flumini ſimilior in alios tranſmittit Friſios, quos à littore denominant, extremos hujus gentis ad Septentrionem, Daniſque jam finitimos. Hi maris ſævitiâ dirempti, quod à Septentrionibus aut Coro influens aperto ſibi intra terras ingreſſu in Heverum revertitur, in duo hodie nomina, duaſque partes abierunt. Quorum illi, qui in occaſum vergunt, Hevero, freto, Oceano undique clauſi inſulam habent, vicos cum fanis, quas parochias vocant, complexam XI, longam quà in ſpatium ſe maximè extendit paſſuum millia X, latitudine admodum variâ. Eos NORTSTRANDIOS, id eſt, ſi interpreteris, boreos littorales, appellant. Alteros, qui adverſam oram in continente habitant ad ortum, Iutiſque cohærent, STRANDIOS, quaſi littoreos ſimpliciter dicas, vulgò nuncupant. Inſula ab Hevero, ac continente proximo contra Corum maximè ſe porrigens in mare, ſenſimque ab littore abducta, ubi extimo in angulo vicum habet maximum Pulvvurmum nomine, minoribus etiam inſulis, tum aperto in pelago, tum in eo, quo à continente diſjungitur, freto, paſſim circumſiſtitur. Mare à Zephyro aut Boreâ veniens ad inſulam ferè vadoſum, quod imprimis contra fluctus inſulanis præſidio eſt; major ejuſdem altitudo, ubi anguſtari littoribus incipit. Strandii extra inſulam, non procul Huſumo incipientes, atque inde in boream erecti, non minus quàm per milliaria IIII anguſti littoris oram tenent, cujus ſpatii medio forum habent elegans, & benè cultum, multiſque Holſatiæ oppidis par, mercatuque celebre, Bretſtedam nuncupatum: atque is terminus ſoli pinguis ea in ora: Vlteriora arenoſa ſunt. Vtrimque verò vici duo more Friſico culti, quorum ad Septentrionem extremus Langhorna omnem tandem Friſiam iſtic finit. Vnde ad Flenſburgum, nobile oppidum, quatuor milliarium iter patet. Tota verò hæc regio poſt Ditmarſos dicta in Danorum Holſatorumque ditione per complura jam ſæcula fuit: Armentorum proventu apprimè fælix, qui in diverſas inde terras quotannis abiguntur: nec frumento degener. Populus amiſſâ libertate, quod mirum eſt, à tot jam ſæculis linguam tamen patriam incorruptam retinet, multaque alia Friſici moris: Prælium illi cum Oceano perpetuum, & ferè difficilius, quàm pleriſque aliis ejuſdem gentis, propter humillimos agros, & fluctibus penè circumfluos, quibus aggeres objicere neceſſe habet. Atque hanc regionem eſſe, quàm Saxo Sialandicus Friſiam minorem nuncupat, agriſque humilem deſcribit, plerique exiſtimant. Ego quid hîc ſequar, certum non habeo, Maximè cùm Mildam flumen ab eo nominatum non reperiam. Hactenus de continenti regione Friſiæ. Inſulæ porrò, quas mœnium inſtar Oceano objectas dixi, ſic habent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

bent. Prima Texela, quàm prius memoravi, XII millibus paſſ. longa, VIII, ubi ſe maximè pandit, lata, Marſico freto ab extremo continentis angulo diviſa: Flevolandia longitudine Texelæ par, ſed multò anguſtior in ortum ſolſtitialem ſe porrigit, eoque porrecta modo unà cum priore æſtuarium illud Flevi, quo ab Hollandia hodie Weſtergoa dividitur, velut agger quidam oppoſitus, ab Oceano ſecludit: Flevolandiam Scellinga excipit, oſtio Flevi præcipuo, & nauticis hominibus maximè frequentato, ab ea disjuncta: hanc porrò Amalandia tribus habitata vicis: eam rurſum Schiermonicoga, Weſtergoæ & Oſtergoæ littora tegentes, nec M D, aut D C, paſſibus longius à littoribus remotæ: quarum priores duæ, Flevolandiæ haud multum cedunt magnitudine, ſoli verò bonitate etiam vincunt, tertia multo minor & ſemiſſem vix implens. Mox ultra Lavicæ oſtium Buſcha, eique intus oppoſita Heſſeſanda: deinde Rottumum, Rottumano antiſtiti ſubjectum, ſingulæ vix IIII paſſ. millia longæ, & penè deſertæ, Groningenſium in latere. Poſt has Borcumum, Iuſta, Buſa, ſed hæc vix inſulæ nomine digna ob parvitatem, (tres enim colles tantùm prominent) ac prorſus deſerta, Norderneia, Baltera, Langeroga, Spikeroga, Wangeroga ordine perpetuo inter Amaſi & Viſurgis oſtia jacent, intervallo à littore modico, nec paſſ. millibus tribus uſquam majore, præter Borcumum & Iuſtam, quorum hæc ad ſexies, illud ad decies & amplius mille paſſ. millia à continentis ora procul abeunt. Atque inter hanc inſularum ſeriem, & continentem quod ſpatii intercedit, id æſtuaria complent vadoſa alibi, cùm æſtus receſſit, alibi etiam apprimè profunda, per quæ fluminum alvei in mare efferuntur. Sed inter ora, quibus inſulæ dirimuntur, maximarum capacia navium, pauca omninò ſunt, fretum Marſicum jam dictum, Flevus inter Scellingam & Flevolandiam exiens, Amaſus occidentalis, diſtinctuſque ab eo interpoſitu inſulæ Borcumanæ, orientalis, ille Emdam, ut prius eſt demonſtratum, hic Gretham, ac Nordam mittens, uterque tamen ad Amaſanos pertinens: poſtremum verò Scolbalgicum inter Amalandiam & Schiermonicogam, quo ferè Friſii occidui navigantes utuntur. Reliqua ignobiliora ſunt. Has autem Saxonum inſulas eſſe, quas Ptolemæus deſignat, veroſimile non videtur. Steriles ferè poſt Amalandiam, & ſingulis tantùm vicis, quædam etiam nullis habitatæ. Sed omnes, quas recenſui, hoc commune habent, quòd arenarum colles perpetuos & latè conſpicuos contra Oceanum erigant, velut vallum quoddam: quibus lætiſſima camporum ſpatia in illis majoribus, anguſta planicies herbis aut gramine veſtita in minoribus cohærent, continentem verſus. Incolæ harum piſcatu vivunt, aut naufragiis, lucro omnium turpiſſimo. Habent & pharum inſignem Borcumani in occiduâ inſulæ parte, in uſum navigantium, ab Emdenſibus extructam: Habent quoque Iuſtani, ſed minorem, in inſulæ medio. Præter has Ditmarſico etiam littori adjacet, exiguo tantùm freto ab eo ſejuncta, quondam verò contigua, lata millibus paſſ. II, longa III, inſula Buſa nomine, agro non infælix, totaque plana, eamque ob cauſam aggerum vallo munita in circuitu contra aquas, viculis culta tribus. Poſtremò Hilgerlandia procul littore contra Albis oſtium in Iutiæ latere, præruptis & ſublimibus ſcopulis è mari prominens: Quam pro Foſtilandia quoſdam accipere ultimâ Radbodi Regis ſede, quis non miretur? Ego ex Saxonum inſulis eam eſſe unam puto.

Satis de regionibus & agro Friſiæ dictum: Pauca de populi ingenio & moribus linguaque addenda. Ingenium genti in univerſum ſimplex, ingenuum, excelſum, promptum ad arma, liberum, nulliuſque rei æquè ac ſervitutis impatiens. Cui rei argumento eſt, quod libertatem à majoribus acceptam contra

invidiam & vim vicinorum principum tanto ſtudio ac conſtantia defenderint, vt per ſexcentos amplius annos nemo extorquere illam invitis potuerit. Nec verò facilius unquam aut expeditius ad arma bellator populus proſiliit, aut pertinacius in hoſtes pugnavit, quàm cùm contra ſervitutem dimicandum fuit. Semperque ita ſe geſſit, facilè ut videri poſſet, vitam prius & fortunas omnes eſſe relicturum, quàm libertatem deſerturum. Nec eſt penitus extinctus ille in poſteris ſpiritus, licet in aliâ reip. formâ. Poſt regium imperium præfectos habuerunt ſuæ gentis, liberis populi ſuffragiis electos, poteſtate, muneribus & titulis diverſos, qui & jus dixerunt, & pacis bellique negocia curarunt. Ex his honoratiſſimus qui erat, & in omnes reipub. partes animum intendebat, acceptâ ab Italicis civitatibus conſuetudine, POTESTAS proprio vocabulo dicebatur, eratque is magiſtratus ex populi arbitrio annuus interdum, interdum annorũ plurium, nonnunquam etiam perpetuus. Præter iſtos Comitem quoque ab Imperatore ſingulis quadrienniis in Friſiam mitti ſolitum eſſe, eo nimirum ſæculo, cùm id, quod de Poteſtate dixi, in deſſuetudinem iſſet, in codice antiqui juris Friſici legitur, coram quo, ſi quæ majores in populo controverſiæ hærebant, diſceptabantur. Deinde & nobiles quædam familiæ honore & opibus potius, quàm potentia & imperio in gente eminebant: quarum ambitione ſæpè factum, ut vulgus in factiones diviſum bello inteſtino patriam diſtraxerit. Vnde tandem, ut paucorum potentiæ, ita imminutæ libertatis publicæ principium extitit, quemadmodum ſuo loco memorabitur. Cæteris in rebus pari jure omnes agebant, nobiles, cives, agricolæ: Feuda & dominos nemo noverat, niſi quòd Imperatorem patronum ac ſupremum principem agnoſcebant: eique petenti armis interdum præſtò erant. Quæ quiſque aut a parentibus agnatiſque relicta acceperat, aut ſibi legitimè acquiſiverat, ſine tributo ac oneribus ferè poſſidebat, atque ex arbitrio ſuo adminiſtrabat, ſecundùm leges & inſtituta gentis, deque iis à morte diſponebat. Quanquam in hoc conſuetudo & conſenſus communis nonnullis in loci obtinuerat, ut niſi ex voluntate hæredum, quorum intererat, teſtamenti condendi facultatem morituri nullam haberent. Quod apud Groninganos, qui inter Lavicam ac Dullartum ſunt, ne nunc quidem in deſſuetudinem venit. Venationum, piſcationum, aucupiorum omnibus, quibus animus aut otium erat, uſus omninò liber, nullique prohibitus. Ruſticarum tribuum, quàm urbanarum, ut apud Romanos olim, ſic antiquitus apud Friſios major ferè honor & authoritas. Honorificum ac egregium habebatur, agricolam honeſtum nominari, ruſque ſuum in agro exercere: eoque magis delectati vulgò ſunt, quàm vitam ſequi urbanam. Quæ cauſa putanda eſt, cur tam rara olim oppida ſuâ in regione habuerint. Sed gratia morum in plebe ruſticâ, ac ornatus longè melior, quàm in gentibus cæteris, vix ut ruſticum ab oppidano diſcerneres. Cujus etiam nunc veſtigia manifeſta ob oculos. Feudi verò nomen hodie quoque penè inviſum. Auro atque argento, reliquiſque ad cultum corporis pertinentibus, non pro nobilitatis aut ſanguinis ratione, ſed pro facultatum modo promiſcuè ſe ornabant. Liberorum verò nomen velut proprium honeſto ac præclaro titulo, ſed æquè invidioſo, omnes omninò ferebant: Imperii oneribus aſſiduis, ut vicini, non gravabantur. Atque hæc jura egregia non tantùm à primis majoribus per manus tradita multis ſæculis uſurparunt, ſed etiam ob inſignia in imperium merita ab Imperatoribus ſibi conceſſa & ſolennibus ſancita literis tenuerunt. Gens indigena, ſuique tantùm generis, ac peregrinis connubiis non commixta: quod ad parentum noſtrorum memoriam diligenter obſervatum accepimus. Nec connubia tantùm peregrina aſpernati ſunt, ſed commerciis etiam vicinorum parcè admodum uſi. Fuitque aliquando tempus, ut nonnullis in locis non temerè peregrinos noctem ſecum agere paterentur. Quæ res animorum & corporum tantam ſimilitudinem univerſæ genti conciliavit, ac linguam moreſque

reſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ANTIQVI HABITUS FRISIORUM, QVEM UBBO EMMIUS DESCRIBI



Schema nobilis Friſij, Capitalis vulgo dicti. *Schema agricolæ.* *Schema ſponſæ bono ge*



Anticus & poſticus ornatus fœminæ nobilis, maritatæ. *Eicon ruſticæ paulò lautioris*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

CRIBIT RER. FRIS. HIST. LIB. II. SUB FINEM, *Fol. 33. et. 34.*



onſæ bono genere natæ. *Schema nobilis matronæ, mariti funus proſequentis.* *Cultus virginum nobilium.*



ulò lautioris fortunæ. *Habitus ruſticarum vulgaris, ex humillimâ plebe.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

reſque eoſdem tot ſæculis conſervavit. Nunc omnia commutata. Alioqui erga hoſpites ſemper habiti officioſi, & liberales. Linguâ uſi ſunt omnes Friſii unâ & eâdem, quæ ut Germanicam quidem originem ſatis arguit, vereque imò Germanica vetus eſt, ſic tamen à vicinorum ſermone tantum omninò diſcrepat, penè ut ſui cujuſdam generis eſſe videri poſſit. Nec enim intelligi poteſt ab exteris ullis:nec olim Friſius in patria educatus exteros etiam vicinos commodè intelligebat. Sed & ipſa pro regionibus Friſiæ in ſe varium ac multiplex diſcrimen habet, quod reliquis etiam nationibus & linguis contingit, acciditque ut intra pauca paſſuum millia ter quatérve idioma varietur. In univerſum tamen cum Anglico ſermone tantum cognationis & ſimilitudinis habet, ut ad nullum omninò aliarum gentium, ne finitimarum quidem, propius accedat. Quod certè Friſicæ originis in ea gente argumentum eſt maximum, ut deinceps oſtendemus. Verùm genuináne Germanorum veterum ſit hæc loca ad Septentrionem colentium, minimeq; aliarum commixtione vitiata, quod plerique non vanis conjecturis oſtendere ſe poſſe profitentur, an verò ob Normannorum incurſus & imperium peregrinitatis pluſculum ipſa traxerit, deflexeritque ab idiomatis vicinis, ego non temerè affirmavero. Habet concurſum frequentem vocalium, & multam varietatem diphthongorum, ut difficilis ejus ſit interdum pronunciatio, difficilior etiam ſcriptio: Vnde tam rara in hac linguâ librorum monumenta. Nomina quoque gentis diverſa prorſus à gentibus cæteris, uſque eò, ut horum argumento genuinum Friſium ab aſſcriptitio inſititióve ſoleant quondam diſcernere. Quis in aliâ gente Germanicâ audiit Haijones, Boijones, Vbbones, Vdones, Foccones, Vccones, Siccones, Sitiones, Feijones, Pibones, Remetos, Vlbetos, Geroldos, Aijoldos, Dicones, Herones, Harones, Kenones, Occones, Ennones, Edſardos, Emmones, Bolones, Onnones, Sircios, Emones, Edones, Eddones, Haicones, Aggones, Sibetos, Mellones, Tiarchones, Tiadones, Poppones, Tammones, Tannones, Icones, Willones, Sibones, Remkones, Luerdos, Amſones, Benones, Mannones, Folkerdos, Hiccones, Wiardos, quæ virorũ nomina tritiſſima habentur in Friſia? quis Ettas, Tettas, Deddas, Idas, Frouwas, Moderas, Houwas, Liuras, Cyweras, Witias, Sitias, Gelas, Dodas, Tedas, Himas, Hiſſas, Hiſas, Eijas, Awas, Tetas, Eiſas, Iccas, Tiacas, Aſſas, Eſſas, Liavas, quæ fœminarum? Nec morum magna pars & habitus in Friſiis cum reliquis Germaniæ populis ſatis congruus. Viri tunicis induebantur manicatis, quæ infra cinctum plicis denſioribus ad infimum femur ferè dimittebantur, caligis & bracchis ad modum artuum aſtrictis: caput velamine ex telâ laneâ confecto & per cervices dependente, ceu vittâ, plerumque tegebant, aut pro eo pileis utebantur non altioribus, quàm ut ſumma pars ad formam capitis reſpõdens verticem ferè premeret, iiſque ſuper fronte ſolùm quaſi in mucronem modicè prominentibus, cætera ab tergo & lateribus ſine omni projecturâ. Atque hæc pleraque, quæ dixi, lautiores, quique infimam operariorum conditionem excedebãt, auro & argento variè exornabant, uſque eò, ut ipſas quoque calceorũ corrigias inauratâ ferè fibulâ aſtringerent. In tunicis verò & varia maximè & operoſa ratio. Nam qui è primâ nobilitate erãt, aut opibus præſtabant, has à ſummo in imum, perq; ipſas etiam plicas deſcendentium bractearum ex argento deauratarum ordine multiplice & antrorſum & à tergo variegabant, peneque totas operiebãt: eodemq; modo manicas tunicarũ prælargas triplici ſerie diſtinguebant. Reliqui manicis ac plicis ſine hoc cultu relictis, eam ſolam partẽ, quæ thoracem munit, ſimili ratione adornabãt, ſed ferè ſine auro, aut ut cuique ſive voluntas, ſive opes erant. Omnes verò cingulum ex iiſdem metallis, ex quo enſem ſuſpenderent, ſupra tunicarum plicas geſtabant. Sed ea res in viris jamdudum in deſſuetudinẽ ivit. In fœminis cultus antiquus hæſit diutius: Illæ vittâ ſimplice caput tectæ, tunicâ unâ rubeâ à ſummis humeris ad pedes dimiſſâ ſimpliciſſimi operis, ex fimbriis deorſũ vergen-

tibus conſutâ veſtiebantur, quam infra coſtas cingulo tantùm in plicas collectam coarctabant. Verùm cùm convivii, aut feſti diei ratio poſcebat, hanc ita aut auro aut inaurato argento honeſtiores diſtinguebant, ut laminis à ſummo ad imum pertinentibus, baltheo magni ponderis ex ſolido argento, brachialibus, manicis, bullis, fibulis, uncinulis, imprimis phialâ ex puriſſimo auro confectâ, ſextarii non minus capace, quæ in pectore erat, poſtremò torquibus è collo defluentibus ac phialam amplexis, magna pars corporis tegeretur, ipſæque matronæ auro totæ fulgentes, Amazonum inſtar, armatæ viderentur, magnâ cum admiratione ſpectantium peregrinorum. Nec enim in Europa ſimile quicquam licet alibi, in plebe præſertim ruſticâ, videre. Nec diſſentiebat capitis ac capillorum ornatus. Illud enim aut redimiculo arte & materiâ egregio, cui gemmæ & aurum interlucebant, aut faſciâ bracteolis coopertâ honeſtabant, pro fortunarum modo. Crines autem in cirrum compoſitos dimittebant per tergum; ab his bullas, glandes, ſimiliaque alia ex pretioſo conflata metallo, perque filamina cirro innexa ſuſpendebant, ſinebantque latè ad nates uſque defluere. Et nulla prope erat tam arctæ fortunæ fœmina, quæ non aliquid harum rerum haberet. Fuitque ornatus ille profectò non tantùm decorus, ſed & publicè & privatim multo utilior, quàm is, qui peregrinis moribus ex pretioſa tela in locum ejus noſtrâ memoriâ ſucceſſit. Iſtinc enim ad omnes neceſſitates paratum ſemper theſaurum habuerunt, quem nec uſu facilè atterere ipſi, nec tineæ corrumpere poterant. Atque ut hoc mundo uti omnibus pro modo rerum ſuarum liceret, honoris cauſâ Imperatores illis peculiariter indulſerant. Cujus rei teſtimonia in litteris publicis adhuc extant. In moribus verò hoc ſingulare etiámnum habent, ut in conviviis, quoties aliis de more præbibunt, poculumque tradunt, dextras jungant, & fœminis quoque aut puellis cum amplexu oſcula addant: atque hæc cuiquam negare, qui modo boni nominis ſit, inſolens ac ſuperbum arbitrantur. Nec hoc ſuſpectum habetur, cum in more ſit communi gentis. Nec viri ſolùm fœminas virgineſque oſculo proſequuntur, ſed ipſæ quoque hoc agunt inter ſe; facileque id imitantur advenæ, quia blandum videtur. Sic etiam excipiunt ſe mutuò in congreſſu, & dimittunt: præſertimque ij, qui longius adveniunt aut diſcedunt. Conviviis multum indulgent, & communi Germanorum vitio in poculis modum non ſatis tenent: atque ita per ebrietatem non rarò delinquunt, quæ poſteà corrigere ſobrii niſi maximo ſuo malo non poſſunt. Nec aliud vitium aut latius valet, aut penitius huic populo inhæret, ut nullis prope legibus coërceri queat. Comes alioqui inter ſe omnes, & mirè hoſpitales. Illud quoque obſervatum in familiis nobilibus, ut quo cultu ſponſa quondam ad maritum ſolenni nuptiarum die venerat, eodem etiam funus ejus fœmina mœrens proſequeretur, pullo tantum amiculo à vertice ad talos defluente, quod luctus ſignum erat, ſuperinducto: domum verò regreſſa cum omnem deponeret ſtatum, nec fas eſſet deinceps reſumere, quoad ad ſecundas non revertiſſet nuptias. Ignobiles quoniam lugubrium amiculorum uſum non habebant, auro argentoque veſti detracto funus comitari ſolent. Ingenia genti, ſi cui alteri in Germaniâ, læta, acria, amœna: quæ ſi doctrinæ ſtudio ſe dedant, facilè ad ſummam eruditionem perveniunt, ac in ſuo genere excellunt. Argumento ſunt (ut veteres mittamus, de quibus hiſtoria loquetur) Weſſelus ille Groninganus multæ & variæ doctrinæ cauſa lumen mundi vocitatus, Rudolphus Agricola, Hector Hoxuvirius, Gerardus Synellus, Gemma Friſius, ejuſque filius Cornelius, Viglius Zuichemus, Ioachimus Hopperus, infiniti alii. Et eſt bonarum litterarum uſus tam frequens hic, ut multis in locis agricolarum quoque vulgus Latinam linguam calleat: nonnulli etiam Græcam. Quod aliis in gentibus planè inſolens. Rara in Friſiis niſi contra ſumma ſcelera proditionum, majeſtatis læſæ, incendiorum, latrociniorum, parricidiorum, ſupplicia ex legibus capitalia. Cædes noxaſque & reliquas

quas injurias pecuniâ ferè, pro delicti modo, in legibus deſcripta luebant: Sacerdotis cæſi quàm profani, nobilis quàm plebeij, indigenæ quàm peregrini major mulcta erat. Cæde patratâ, ſi legis mulctam continuò dependeret, ſtatim reus à coërcitione magiſtratus liber erat: Sed metuere propinquos cæſi cogebatur, quoad cum iis tranſegiſſet: juſque erat propinquis iis, homicidæ domum quâ vi quóve æſtu incenſam evertere, citra legum metum, donec ille pro noxa ſatisfaceret. Vnde multa ſæpè mala in populo ſecuta. Quapropter poſterior ætas, ut alia exorbitantis libertatis vitia, ita & hoc ſalubriter correxit, cædiumque licentia capitali pœnâ per leges repreſſa eſt. Populus, præter conſuetudines priſcas, legibus etiam ſcriptis ſemper uſus eſt, quas partim Carolus Magnus illi vel tulit, vel potius domi rogatas, & ex conſenſu primatum conceptas confirmavit, (quâ de cauſâ placita aut electiones vocantur, quibus libertas & optimum jus populi ſancitur,) partim Leo Pontifex ad ſacra pertinentes dedit, partim populus ipſe in comitiis generalibus juſſit: Has potiſſimùm leges provinciales ipſi nuncupant. Populus verò ad comitia coire ex omnibus provinciis ſtato tempore & loco ſolebat, non quidem univerſus, (quomodo enim id fieri poſſet?) ſed ſpectatiſſimi ad id delecti, qui conſilio & auctoritate inter ſuos eminebant. Locus habendis comitiis non procul Auricâ in campo, quem VPSTALSBOMVM dixerunt, omnium ferè Friſicarum regionum medius, fuit conſtitutus: conveniebantque vel biennio, vel triennio, ut rerum uſus poſtulabat: ſæpè etiam ſingulis annis. Illic de legibus ſanciendis, emendandiſve veteribus, ſi quæ vel deſſuetudine abolitæ eſſe, vel vitii aliquid pro re præſenti habere viderentur, de novis, ſi neceſſe eſſet, addendis, de pace & bello, de univerſa rep. actum & conſultatum. In legibus ſuis ita ſcriptum habent, ut in conjugio augmentum fortunarum commune ſit uxori cum marito, atque etiam detrimentum, præterquàm paucis in locis, quæ privilegio utuntur, Romanis ferè legibus congruo: Vt in ſucceſſionibus in bona defuncti non ratio tantùm habeatur proximitatis, ut in pleriſque gentibus uſitatum eſt, ſed etiam illius ſtemmatis, ex quo bona illa provenêre. Nam hac in parte remotior præfertur ei, qui in alterâ parte eſt propinquior. In dotibus etiam abhorrentia ab aliarum gentium conſuetudine nonnulla habent. Iuris dicundi ratio ante labantem libertatem publicam obſeruata fuit hujuſmodi: In Weſtergoâ, Oſtergoâ, & cæteris ad Occidentem partibus ſtato tempore ante paſchatos, ii quibus hoc jus erat, (in quibus & ſacerdotes) judices eligebant quotannis in ſingulis præfecturis. Hi cum aſſeſſoribus ſuis litigantibus jus dicebant, & judicatum quoque exequebantur: nec facilè licebat à judicato diſcedere. Si qua contentio major exiſteret, antiſtes proximus, & nonnulli ex ordine ſacerdotali, qui eruditione præſtabant, aut ab ipſo judice, qui ſententiam tulerat, aut à ſucceſſore ejus adhibebantur: Lites celeriter expediebantur: contra contumaces vicinorum auxilia advocabantur ex pacto, & publico omnium ordinum decreto. Quæ paulatim ambitione nonnullorum infracta, ac neglecta pluribus in locis, tandem eò degenerarunt, ut nobiles familiæ ſibi prætoriam poteſtatem arrogarent hæreditariam. Hinc potentiæ majoris cupido, & ejus gratiâ factiones inſtitutæ, armaque frequenter ſumpta: donec Saxonum ſuperveniente imperio cuncta mutata, novus judiciis ordo datus, jus Friſicum vetus abrogatum, & civile Romanum inductum, curiaque ſuprema XII virûm cum præſide conſtituta Leoardiæ: ea demum omnia à Burgundis eodem modo retenta, & ne nunc quidem abolita. At inter Lavicam & Amaſum in Langowaldiis, Fredowaldiis, Hummerziis, Medachiis, Huneſgoniis cæteris, Fivelgoniis aliud conſuetudo obtinuit à proximis aliquot ſæculis, penéq; incorrupta ad nos uſque pervenit. Hi ſe non in eas ſolùm, quas antè recenſui, præfecturas, ſed in minores quoque partes, quas juriſdictiones vocarunt, diviſere.

In his certo ac per manus tradito ordine deſcripta erant prædia, quæ à jure iiſdem conjuncto, nobilia vulgò dicebant. Horum domini per vices annuam præturam aut juriſdictionem habebant, ac vel ipſi vel per idoneos homines judicia exercebant, ſecundùm leges patrias, quæ diverſæ diverſis in præfecturis aut populis fuerunt; adſciſcebantque ſibi duos è plebe viros graves, qui unà in tribunali ſederent. Prætor qui erat, mulctas & reliqua capiebat, ex his quædam cum aſſeſſoribus communicabat. Vocationem in jus, prehenſionem, poteſtatem gladii, reliquumque imperium prætorium juriſdictioni cohærens habebat. Infra hunc alicubi etiam, ut apud Langovvaldios, Fredovvaldios, Medachios, Hummerzios, judices erant ferè ſingulis in vicis, quos ruſticanos nuncupabant, qui minimis in rebus quinque marcarum pretio non majoribus controverſias finiebant, ac pignora auferebant. Ab his verò ad prætorem, à prætore aut ad eos judices, de quibus in Groningana rep. dixi, aut, quod antiquius, ad conventum judicialem totius agri, provocandi jus omnibus erat. Sed juriſdictiones aliæ aliis latiores, quædam uno vico majore circumſcriptæ, nonnullæ complures amplexæ, quædam etiam binæ ternævé in eundem unum vicum concurrentes: denique tam varia omnis hæc ratio, ut paucis explicari nequeat. Atque hoc modo ruſtici, quibus proprium prædium cum ſolo erat, ſuo loco & ordine juriſdictionem prætoriam habebant: eoque ſæpius eam capiebant, quo agros latiùs poſſidebant. Nec Edſardus, aut Geldrus, aut Burgundi quicquam hujus juris minuerunt. Sed cùm principatus peregrinus uſurpandæ libertatis ac juris priſtini amorem penè deleſſet, & tardiùs ordo recurreret, nobiles verò ob prædiorum multitudinem, quam indies, cùm pecuniâ abundarent, emtionibus etiam augebant, multos ſæpè annos honorem ac poteſtatem continuarent, armorum tumultus quoque cuncta confunderent, accidit paulatim nonnullis in locis, ut ruſtici inopia vel incuria jus ſuum deſerentes, nobilibus familiis id ipſum penè univerſum, aut certè magna ex parte reliquerint: alibi etiam, quò caput factionis, tuendi ſui gratiâ, haberent contra inimicos, aut conſilii & armorum ducem, communi conſenſu tranſſcripſerint. Reliqua loca, quæ multo plurima ſunt, priſtinum morem omnem etiam nunc conſervant. Ad orientem Amaſi maturius etiam invaluit id, quod de VVeſtergois & vicinis dixi, cùm nobiles factionum vi & ſtudio nixi paulatim, quæ populi fuerant, in ſe traherent: nec tamen nobiles ipſi in rebus magnis jus dicebant, ſed operâ utebantur virorum doctorum, quos populi conſenſus eo munere dignos aut pares probaverat, qui judices municipales vulgò nuncupabantur; quos binos ferè ſimul judicaſſe, & poſcentibus operam dediſſe, in Amaſana præſertim, reperio. Cujus rei veſtigia etiam ſub Comitibus primis aliqua perdurarunt. Sed judices hi cauſas cognoſcebant, & ſententias ferebant tantùm: cætera ſibi nobiles prætorum inſtar vendicabant. Et hæc valebant uſque in Viſurgim. Trans Viſurgim rurſum ratio varia, nec æquè nota nobis, ideoque nec particulatim hîc dicenda. In Drentinis verò res etiam nunc ſic habet: Dividitur provincia tota in partes ceu præfecturas ſex. Earum partium unaquæque quaternos habet judices promiſcuè ex nobilitate & plebe ruſticâ ſuffragiis lectos quotannis, quos ſua lingua Ettas dicunt. Quorum officium eſt non ſolùm ſuis in partibus per ſingulas ſeptimanas jus reddere, & controverſias litigantium finire, ſed etiam ter quotannis ſimul omnes convenire, ad cognoſcendas cauſas graviores, aut eas, de quibus ad ſupremum tribunal eſt provocatum. Moribus verò receptum eſt, ut Roldæ conveniant octavo poſt Paſcha die, & rurſum eodem poſt Pentecoſten intervallo: poſtremò Andloæ ad XIV Calend. Septembr. Vltra id tribunal, quod aperto loco habetur circumſtante multitudine, præſide verò totius provinciæ præfecto, tendere litigantibus non licet. Præter hos autem ſingulis in vicis judex unus eſt, quem Sculteſium vocant, & in his, qui autoritate antecedit in ſua præfectura, eum præci-

pue

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

puo quoque titulo Barmerſcultetium nuncupant. Omnes ſuis in vicis operam plebi dant minoribus controverſiis dijudicandis, & ad pignora quoque adferenda progrediuntur. Iuriſdictio in vniverſum talis, ut compendio lites finiat, haud parvo commodo populi. Sed exemptæ huic foro ſunt Coverdia, & Runa, hæc nobilibus, quos dixi, parens, illa præfectum provinciæ totius, cui arx oppidana domicilium præbet, judicem ſuperiorem agnoſcens.

Ad hæc porrò Friſii in univerſum, ut iſtuc redeamus, multas lites ſanctiſſimis juramentis, aut igniti ferri, aquave bullientis experimento, aut demum duello ſolenni, pro more Germanorum veterum, olim finiebant. Religioni mirum in modum dediti atque in eam munificentiſſimi: unde incredibiles illæ cœnobiorum opes, illi ſacerdotiorum reditus in uſum ſacrorum ſponte collati. Sacerdotum, & eorum qui ſacris erant initiati, ordinem ſanctum habebant, multiſque legibus eorum honorem & ſalutem munierant. In moribus apprimè ſimplices, juſti & æqui obſervantes: verba pro litteris & ſigillo, dextram pro jurejurando habebant: meliuſque tum fidem verbo dextraque datam, quàm hodie ſcripturâ, ſigillo, teſtibus firmatam, colebant. In Venerem minimè omnium profuſi, & ut ipſi libidine non agebantur, ita non temerè de aliis malè ſuſpicari in more habebant. Atque ita liberiùs inter ſe, ac amantiùs, quàm pleræque aliæ nationes agitabant. Lacte, caſeo, butyro, carne, quibus abundabant, largè veſcebantur, atque indè in tanta corpora, quæ vicinis admirationi eſſent, vulgò excreſcebant: quamvis alia quoque re robur eorum firmaretur, quòd ſera hic inter juvenes & puellas, nec niſi plena pubertate, inirentur matrimonia. Quæ cùm ita haberent, quid mirum erat, animoſam alioqui gentem, & corporum robore validam, fortiter multa contra externos hoſtes virtute ac manu patraſſe: præſertim cùm non pro alienâ cupiditate aut dominorum ſuorum libidine, vilive ſtipendio, ſed pro honore, pro libertate, fortuniſque ipſi ſuis, ſinguli pugnarent. Raròtamen peregrinis bellis ſe miſcere ſolebant, quòd agros ſuos domi colere, quàm aliena appetere & armis infeſtare, melius juſtiuſque eſſe exiſtimabant. Sed omnia jam mutavit ætas: inſtituta & mores converſi, habitus omnino antiquatus, lingua in arctum redacta, & urbanis hominibus propè cunctis ignorata, malo fato Friſiæ, ac omine etiam pejore. Quæ ſucceſſere exotica, ut elegantiora ſunt, ita utinam eſſent etiam meliora, atque ad pietatem & honeſtatem potiora.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE
Liber Tertius.

DE Origine gentis noſtræ quæ aut fabuloſa, ineptaque, aut incerta vulgò feruntur, nobis quicquam dicere in animo non eſt. Hoc verò ad præclaram antiquitatis laudem ſatis fuerit, quòd ſub primis Rom. Imperatoribus, cùm Chriſtus in terra natus eſt, iiſdem, quibus hodie habitamus, ſedibus, velut patrio in ſolo, Friſios Chaucoſque habitaſſe, ac magnâ inter vicinos gloria floruiſſe, ex Plinio,

Strabone, Tacito, optimis auctoribus, conſtet. Ac ne ea quidem, quæ Romani ſcriptores illi antiqui præclara eorundem geſta memoriæ prodiderunt, cùm iſtorum libri in omnium manibus ſint, nos repetemus: principiumque narrationis ab ea expeditione ſumemus, quâ in Britanniam Saxones Friſiique evocati hanc inſulam ſibi pedetentim parêre coëgerunt. Quæ quidem narratio ſi exilis ac nonnullorum annorum ſpatio interrupta alicubi erit, facilè ejus veniam nobis daturos eſſe ſperamus, quotquot ad ruditatem ſæculorum illorum, atque ex ea monumentorum veterum ſecutam penuriam, quâ laboramus, volent reſpicere. Fuit id ſæculum, in quod iſta in Britanniam profectio incidit, omnium, de quibus memoria extat, longe turbulentiſſimum, cùm Romanæ provinciæ omnis in communem prædam peregrinis & barbaris nationibus infinitis, nullo vindice, expoſitæ viderentur. Cujus
Ann. Chr. CCC. XCV. mali initium ductum eſt à morte Theodoſii Magni Imperat. quo cum Romani imperij vis & majeſtas illa antiqua haud dubiè concidit, cùm ille filiis ſuis Arcadio Honorioque duos magni nominis belli duces Rufinum & Stiliconem, quorum ipſe operâ induſtriâ multum uſus fuerat, tutores reliquiſſet. Stilico enim vir Vandalus ingenio egregio, ſed æquè ambitioſo, cùm infanti filio ſuo Eucherio imperium parare cogitaret, nec id ſe facere ſalvis Romani imperii fortunis & viribus poſſe videret, telam exorſus eſt, quam cladibus multiplicandis, ſolvendæque Romanæ potentiæ idoneam maximè eſſe exiſtimabat. Rufino quippe æmulo ſuo primùm per dolum ſublato, deinde Gotticâ gente validâ, quæ egregia ſub Theodoſio ſtipendia fecerat, irritatâ gentiles ſuos Vandalos, Suevos, Alanos, Burgundiones Gottico nomini infenſos in Romanas provincias propoſitis ſtipendiis honeſto prætextu illexit, ut eorum præſidio Gottorum vim ſuſtineret. Ab hoc deinde principio, velut oſtio aperto, exercitus infiniti barbararum nationum in occidentem infuſi omnes Romanas provincias obruerunt. Primùm Gotti Græciam, Pannoniam, Italiam diripuerunt: dein Vandali, Alani, Suevi, Burgundi, aliique Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Africam peſſundederunt, ſibique parere coëgerunt, rurſumque Gotti ſe commoventes alii Italiam miſerrimè afflictam, protritamque occuparunt, alii Vandalos ſociosque ſecuti in Galliam, Hiſpaniam, Africam & ipſi involarunt. Nec multo poſt Franci quoque occaſione uſi, quod reliquum Romanis in Gallia erat, inter Rhenum & Ligerim flumina invaſerunt. Quo gentium omnium motu ſanè accidit, ut paucæ in Europa, magnaque Africæ parte regiones eſſent, quæ non brevi tempore dominos ſuos & habitatores commutarent. Sed hiſce cladibus Attila Hunnus tandem acceſſit, ille hominum terror & pernicies, qui exemplis incitatus, cùm aliorum ſucceſſus in provinciis fælicibus diripiendis videret, ſibi quoque idem licere exiſtimavit. Itaque ex Pannonia, quam recens ſedem ceperat, fratre illic regio cum nomine relicto, exercitum movens quacunque vadebat, ita cædendo vaſtandoque graſſatus eſt, ut immanitatis & barbariæ nomen ſupra reliquos omnes conſultò quæſiſſe, & non Romanos, ſed quoſcunque homines pro hoſtibus habuiſſe videatur. Qua de cauſa FLAGELLVM DEI ſemet ipſe nominabat. Atque ita Germaniâ omni pervaſtatâ, Rhenique urbibus immanem in modum protritis, exciſiſque, cùm per Galliam pari furore baccharetur, Hiſpaniamque ac Italiam in prædam poſceret, Aëtius dux Romanus, Galliæque præſes, cui ſummam belli ob virtutem Impp. Martianus & Valentinianus III, commiſerant, contra eum omnibus viribus ſeſe parabat. Quæ cuncta in continente dum aguntur, in Britannia velut alio in orbe Britones veteres incolæ variis caſibus jactati ſunt. Eam inſulam tres populi diverſi tum habitabant. Britones indigenæ antiquiſſimi, Romanis parentes, Picti & Scoti, qui advenæ erant, & Septentrionalia inſulæ tenebant. Hi Britonibus, perpetuò infeſti, ſæpeque

Romano-

Romanorum præſidio repreſſi, vallo etiam terreo, & demum lapideo muro inter duos maris oppoſitos ſinus excitato, è provincia ſubmoti, ne ſic quidem quieſcere poterant, præſertim cùm Romanos aliis rebus occupatos eſſe, ac præſidia eorum ex inſulâ educta viderent. Etenim Romani, conſtructo magni operis muro, caſtelliſque inſtitutis, quòd negotiis continentis diſtinerentur, juſſerant Britones ipſos arma capeſſere, nec fiduciam auxiliorum Romanorum habere amplius. Ita ex deſperatione propè in arma undecunque collecta verſi, cùm Scoti Pictique, perpetui hoſtes, magno impetu murum ſuperantes denuò omnibus viribus ingruerent, victi ſunt. Nec multò poſt, ut aliquo ſe præſidio munirent, regem è gente ſuâ Conſtantinum quendam è Gallicâ Britanniâ accerſitum, quam Maximus quondam Imperator Britannis aſſignaverat, ediderunt. Cujus prudenti conſilio per decennium pacem qualemcunque cum finitimis habuere, donec Conſtantinus fraude Vortigerni hominis potentis ſublatus, filiuſq; ejus callido ejuſdem Vortigerni aſtu in regnum ſubſtitutus eſt. Quo regium nomen tenente cùm denuò priſtini hoſtes graviter incumberent, Britones cum accuratis precibus ad Aëtium Romanum, præſidem Galliæ, legatos miſere, qui auxilia ab eo contra Barbaros flagitarent. Sed cùm Aëtius ad reprimendum Attilam vaſtatorem ſummo animo & viribus intentus tum eſſet, impetrare nihil potuerunt. Sic conſternatis adverſâ fortunâ Britonum omnium animis Vortigernus, quod diu cupiverat, occaſione utendum ratus, regem Conſtantinum clam interfici, & miniſtros ſceleris, quo ſuſpicionem omnem à ſe amoveret, confeſtim velut vindex necis regiæ viciſſim occidi curat. Tum non invitis Britonibus regnum ipſe occupat, cùm duo regis cæſi fratres impuberes etiam tunc in Gallica Britannia procul abeſſent. Regno occupato, cùm neque fidei, neque viribus ſuorum contra hoſtes Scotos & Pictos ſatis fideret, peregrina auxilia circumſpexit. Itaque ex conſenſu populi ſui Saxones evocat, qui, quòd piraticam exercerent, per omnes maris oras noti erant. Saxonum nomen tum latè patebat, nec ii tantùm, qui verè Saxonici generis erant, ita vocati vulgò ſunt, apud exteros præſertim, ſed omnes promiſcuè, qui in Oceanum uſque Germaniæ illam partem propè Albim, Viſurgim, Amaſum, Rhenum longè lateque tenebant. Quod ne nunc quidem inſolitum eſt, alios populos aliorum vicinorum, qui famâ & potentiâ antecedunt, nomine cenſeri. Inter reliquos verò Friſii, qui haud latis admodum terminis in Oceani littore, ut hodie, ita tum quoque Saxonibus cæteriſque prætexebantur, Saxonum nomine ſæpè ſunt à veteribus comprehenſi: quæque conjunctis copiis patrata ab utriſque ſunt, Saxonibus ferè ſunt aſſignata. Quemadmodum hac quoque in re, quam nunc exponimus, accidit. Igitur è gente Saxonici nominis petito à Britonibus exercitu, Engiſtus & Horſa fratres, Martiâ indole viri, quique quærendarum novarum opum cupidine flagrabant, occaſione oblatâ ultrò læti validam juvenum manum è vicinis populis celeriter conſcriptam tribus longis navibus imponunt, & in Britanniam tranſmittunt. Quamquam non deſint autores, qui non evocatos patriâ, ſed ſponte ſuâ prædandi animo ad inſulam fortè advenientes, more ſuo, cùm ab rege ſolicitati eſſent, ſtipendiis ſe ejus addixiſſe autument. A quâ opinione nec me abhorrere fateor. Hi ſtatim in terram egreſſi adjunctis ſibi inſulanorum auxiliis in hoſtem Pictum Scotumque contendunt, prælio commiſſo inſignem victoriam referunt, ejus rei gratiâ, ut convenerat, liberali cum primis ſtipendio à Britonibus donantur. Quâ famâ per Germaniæ oram vulgatâ, ſive ab Hengiſto Horſaque per nuncios exciti, ſive ab iiſdem domum à Vortigerno rege hanc ob cauſam remiſſis conſcripti (utrumque enim autores tradunt) longè majore quàm prius multitudine ex iiſdem gentibus viri ſimul & fœminæ naves conſcendunt, magnaque claſſe completâ, quaſi

Ann. Chr. CCCC. XLIX.

non ad bellandum, ſed ad hibitandum irent, in Britanniam contendunt. Secutique hos rurſum alii ſunt, ut major penè eorum numerus jam fieret, quàm expedire ſibi Britones arbitrarentur. Ager tamen omnibus in parte inſulæ aſſignatus, ſedeſque datæ hac conditione, ut ipſi viciſſim pro communi ſalute totaque Britonum regione contra hoſtes militarent, ſemperque in armis parati eſſent. Sed de ducibus exercitus hujus non eadem omnibus eſt ſententia, dum ſibi quiſque, aut ſuæ genti eos vindicare, originemque generis diverſi huc illuc trahere ſtudent. Major tamen eorum numerus, qui quòd Saxones eos communiter receptoque more appellari apud ſcriptores inveniunt, Saxoniæ quoque aſſerendos eſſe ſine controverſiâ, contendunt. De quo quanquam litem movere illis nolim, tamen & quid contrà ex uſurpatione latâ nominis Saxonici ad id ætatis, quo hæc geſta ſunt, quoque autores illi veteres ſcripſerunt, non incommodè dici viciſſim poſſit, expendendum ipſis intereà committo, & nos annalibus non deſtitui haud contemnendis, qui Friſios etiam hos ipſos fuiſſe affirment, viciſſim non ignorare eos volo. Verùm non urgeo, ut dixi, & ut cuique animus eſt, ita argumenta hæc habere ſino. Quinimò Saxonum ſanguinis fratres hos fuiſſe, haud negare me poſſe agnoſco libens, non aliam magis ob cauſam (nam nominis Saxonici ille uſus non multum me movet) quàm quòd Bedam ſummum autorem, patrem eorum nobis monſtrare videam Wetgiſtum, quem nemo unquam Saxonicæ gentis principem fuiſſe dubitavit: fateorque liberè, audire me haud poſſe noſtratium nonnullos, qui ut fabulas propugnent ſuas, ac Bedam eludant, per adoptionem è patris domo principis Friſiorum, in domum Wetgiſti avi materni tranſiſſe comminiſcuntur, ſive illi Cappidi ſint, ſive Scarlenſes, aut Sulcones, ſive patronus illorum Suffridus. Contra quos, ut & Bedæ ſua fides, & annalibus quos citavi honos pariter conſtet, cæteraque etiam inter ſe conſentiant, rectiùs fortè mihi dicere liceat, ex Saxonibus in Friſicam gentem eſſe adoptatos; aut propterea, quòd Friſici principis domum propinquâ cognatione attingerent, piraticâque genere belli tum honorato, imprimis delectarentur, cujus ſummam oportunitatem portus illi ac littora Friſiæ continuo tractu à Belgio in Danos extenſa præberent, complureſque noſtræ gentis ſtudii ejus ſocios invenirent, apud Friſios frequentiùs, quàm apud Saxones egiſſe, illorum mores, linguam, habitum, inſtituta eſſe imitatos, poſtremò pro Friſiis vulgò vel in ipſâ Friſiâ habitos. Sed ea rurſum ut quiſque volet, ita habeat. De exercitu verò quem in Britanniam iidem fratres duxêre, quin Friſios penè plures quàm Saxonas habuerit, haud dubitandum puto. Namque non ſitus ſolùm Friſiæ per oram maris, littora & portus omnes obſidens, Saxonaſque à mari ſejungens, nec item ex ſitu ſequens uſus major rerum maritimarum, expeditiorque ratio in populo hoc, quàm illo, non Engiſti & Horſæ cum Friſiis conjunctio tanta, quantam dixi, non alia plura id veroſimillimum faciunt: nec linguæ modò Anglicæ, quam coloni hi inſulæ invexêre, cum noſtrate longè major quàm cum Saxonicâ, aut Germanicarum quâvis ſimilitudo idem arguit, certiuſque convincit: nec item annales ſolùm noſtri in hanc nos ſententiam vocant, ſed autores etiam optimi, quorum teſtimonio hæc res omnis conſtat, haud aliud nos ſentire permittunt. Etenim Beda Anglus hiſce iiſdem majoribus ortus, de quibus diſputamus, qui cum Pipino Craſſo filioque ejus Carolo Martello in vivis fuit, quanquam multitudinem eam omnem, quæ in Britanniam duce Hergiſto venerit, ex tribus maximis Germaniæ populis, Saxonibus Anglis, Iutis collectam fuiſſe initio hiſtoriæ ſuæ ſcribat, Friſioſque cum iis expreſſo nomine non recenſeat, tamen, quid in re verum ſit, poſterius equidem evidenter declarat. Nec enim tantùm poſteros horum colonorum Wilfridum, Wicbertum, Willibrordum, alioſque complures ex Angliâ venientes Friſiis Euangelium

gelium

gelium de Chriſto ſuâ voce annunciaſſe memorat, quod in alienâ diverſaque linguâ haud promptum erat, verùm etiam de Egberto Angloſaxone Anachoretâ agens libro v, cap. x, his omninò verbis ſcribit: *Idem opere inito Apoſtolico verbum Dei aliquibus eorum, qui nondum audierant, gentibus Euangelizando committere propoſuit. Quarum in Germania plurimas noverat eſſe nationes, à quibus Angli vel Saxones, qui nunc Britanniam incolunt, genus & originem duxiſſe noſcuntur. Vnde hactenus à vicina gente Brittonum corrupti Germani nuncupantur. Sunt autem* FRESONES, *Rugij, Dani, Huni, antiqui Saxones, Boructuarij. Sunt etiam alij perplures ijſdem in partibus populi paganis adhuc ritibus ſervientes.* Quibus verbis quid poteſt omninò ad hanc rem dici evidentius? Nam & plures exprimunt populos, qui uno Saxonum vel Anglorum nomine tum vulgò fuerunt comprehenſi, & Freſones, qui Friſii ſunt, velut præcipuos ac plurimos, primo loco collocant, & demum ipſos Saxones antiquos, id eſt, qui veri generis Saxonici fuerunt, in partem tantùm vocant. Pari claritate Marcellinus quoque, Bedæ coætaneus, ac gentis ejuſdem, qui cum Willibrordo ex Anglia miſſus ipſe, docendi Euangelii miniſterium per Friſiam, parteſque vicinas obivit, cuique præclarum pietatis & doctrinæ teſtimonium perhibet Ludgerus Friſiorum & Saxonum Euangeliſta. Is ergo in vita Suidberti gentilis ſui, & laborum ſocii, primi apud Vltrajectinos Epiſcopi, quam ad Gregorium III ejuſdem oppidi Epiſcopum ſcripſit, ita ait: *Ipſe Suidbertus ſitiebat ſalutem omnium hominum, & præcipuè paganorum* FRISIORUM, *& Saxonum, eo quòd Angli ex ipſis propagati ſint.* Et ibidem de Willibrordo, ac Suidberto, reliquiſque eorum ſociis, è quorum numero ipſe fuit, ex Anglia ad docendum miſſis loquens: *Quoniam,* inquit, *ſancti Doctores propagati fuerunt in Anglia de ſtirpe* FRISONICA, *& Saxonica, ideo convenienter potuerunt ijs prædicare Euangelium Chriſti linguâ Germanicâ.* Hoc ſanè teſte, qui de ſe ſuiſque ſociis ea ſcribit, & pietatis eximiâ laude claret, majorem requirere non debemus. Sed alium quoque vide, ætati etiam iſti, quâ illa in Britanniam expeditio accidit, haud paulò propiorem, fide & claritate præſtantem, Procopium Cæſarienſem: in cujus de bello Gothico lib. IIII hæc leguntur: *Britanniam inſulam tres numeroſiſſimæ gentes incolunt, quarum unicuique ſuus Rex imperat: nominantur hæ gentes Angili,* FRISONES, *& qui cum inſula cognatum nomen habent, Britones.* Et quid deſideres amplius? Itaque vix addere libet, quod Leidenſium Annales habent, idem expreſsè confirmans; Willibrordum nimirum cum ſociis ex Britannia venientem in Walachriam primùm appuliſſe, atque Euangelium linguâ Friſonicâ, quaſi Friſonem Friſonibus prædicaſſe. Et, quod iidem memorant, Hengiſtum ducem, quem Friſium vocant, inſidiantem Vortigerno regi, ſuis occulta mandata dediſſe ſermone patrio, quem Britones non intelligebant, his verbis, *Nimet oure ſaxen.* Quibus ego authoritatem nec adjicio, nec demo. Mitto etiam, quod ex Beda huc afferri ſolet, mutum quendam ab Epiſcopo ſanatum dicere juſſum, *gege*, quod linguâ Anglorum ſit vox affirmandi & conſentiendi, quale Latinis eſt Etiam; eumque dixiſſe. Supervacanea enim in re clarâ talium conjecturarum aucupatio. Nec iſta tantùm affirmandi vox apud Anglos Friſica eſt, ſed ejus generis tanta illic eſt copia, ut qui has ex Anglico ſermone demere velit, majorem omninò totius ſermonis partem tollere neceſſum habeat. Tam magna eſt utriuſque linguæ etiam hodie tam multa poſt ſæcula durans affinitas. Linguarum autem affinitas, gentium cognationis maximum ſemper fuit argumentum. Itaque liberè concludimus, quanto propinquior Friſicæ quàm Saxonicæ Anglicana lingua eſt, tanto plures quoque ex Friſia, quàm Saxonia colonos, qui eam condiderunt, in Britanniam immigraſſe, ſive ſub Iutarum nomine, ſive ſub Anglorum, ſive etiam ipſorum Saxonum eos Beda comprehenderit. Qua de re ampliùs à nobis loco alio diſputabitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

tabitur. Iam ad narrationem revertamur. Saxones (ſic enim eos deinceps ex conſenſu gentium vocabimus) agris acceptis, & affinitate quoque regiâ cum Britonibus junctâ (nam Vortigernus rex filiam Engiſti ducis miræ pulchritudinis, quâ illectus fuit, in uxorem duxit) fortiter primùm cum hoſtibus Pictis & Scotis pugnare, eoſque extra Adriani vallum ſubmovere, Britonibus tutam quietem præſtare : mox numero aucti , ac rebus omnibus confirmati, paulo inſolentiùs cum vicinis ſociis agere, indè ceu fieri ſolet ad contentionem, ex contentione ad injurias ac arma venire. Quod proclive fuit, cùm diverſitate religionis animi eorum utrinque diſjungerentur. Nam & Saxones pertinaci idolorum cultu Chriſtianam pietatem oderant, & Lupus ac Germanus celebres Chriſti præcones, qui eâ ætate Britones in fide confirmabant, commercia gentilium deteſtabantur, populumque advenam apud indigenas Chriſtianos in odium trahebant. Itaque Britones inſolentiâ advenarum offenſi, & concionibus quoque incitati, quòd Vortigernum regem ſuum affinitate obſtrictum, ac peregrino præſidio nixum connivere ad injurias ſuorum crederent, tumultu facto eum regiâ dignitate dejiciunt, filiumque Vortimerum primogenitum novercalibus odiis agitatum, pro patre regem creant. Hic ad colonos novos ejiciendos, quos pater acciverat, ſignum Britonibus extulit, collatiſque ſignis in arctum eos compulit, in Tanethâ exiguâ inſulâ Cantii in latere concluſos, aut, ſi Gaufredo Britoni credendum, totâ Britanniâ ejecit. Sed in medio rerum curſu inſidiis novercæ extinctus, patri ſedem regni vacuam, unde dejectus erat, reliquit. Ita denuò Saxonibus fortuna commutata. Nam Vortigerno conjunx, Hengiſti filia, facilè perſuaſit, ut Saxones in integrum reſtitutos, fœderibus ſibi ſociaret, ſine quibus regni poſſeſſionem contra hoſtes retinere non poſſet. Quæ fœdera cùm ſancienda ſolenni die coram proceribus Britonum eſſent, dicitur Hengiſtus generum regem inſidiis circumveniſſe, adductis ſecum comitibus ſub veſte telo accinctis, ſubitoque periculo conſternatis Britonibus multa extorſiſſe, quæ alioqui impetrare ab iiſdem haud facilè potuiſſet. Quod utrum invito rege, an colludente, & doli gnaro factum ſit, non facilè quis dixerit. Ex eo certè tempore integra Vortigerno cum Hengiſto & Saxonibus, quoad vixit, amicitia conſtitit. Cæterùm è patriane revocatus ſit Hengiſtus, quò poſt Vortimeri victoriam redierit, ut quoſdam velle animadverto, an verò ad hoc uſque tempus in Tanethâ ſubſtiterit cum delectâ manu, quod Beda innuere videtur, nec id quidem mihi liquet. Hoc autem ſatis conſtat, ita inſtructum in Britanniam eſſe regreſſum, ut vim tumultuariam Britonum, aut in fide levitatem metuere non haberet opus. Deinde etiam acceptis novis in Cantio ſedibus, ſive in Germaniam ex voluntate regis ſoceri reverſum ipſummet, ſive per legatos aut literas iſtuc miſſas majorem popularium ſuorum multitudinem excíviſſe: denique pluribus indies eòdem ſe è Germania conferentibus toti jam inſulæ formidabilem extitiſſe, fœdere præſertim cum Pictis inito. Quod cùm animadverterent advenæ, erectis jam altiùs animis, inſolentiùs etiam ſe gerere, frumentum, ſtipendia, agros novos, majora indies poſtulare, in detrectantes arma & vim vertere, & proxima quæque invadere cœperunt. Mox Cantio quoque egreſſi, fuſique latiùs, aliis poſt alia in poteſtatem redactis, trans Humbrum etiam loca non pauca occuparunt. Interim verò dum iſta fiunt occultis Britonum nunciis excitus ex Armorica regione, quæ tum Britannia Gallica, ut etiam hodie, dicta fuit, in inſulam cum copiis venit Ambroſius Aurelius, cujus patrem fratremque Conſtantini nomine utrumque Britonum reges Vortigernus dolo quondam peremerat, ac morte eorum ſibi ad regnum aditum fecerat. Is in Armorica enutritus, auxilio Britonum, qui eam regionem beneficio Maximi Imp. ut dixi, jam tum tenebat, exercitum confecit. Cumque in inſulæ littora inexpectatus exſcendiſſet, ſine

mora

mora contra Vortigernum duxit, eumque in Walliæ oppido Genorâ imparatum oppreſſit, atque in turri, in quam confugerat, concremavit. Tum conciliato ſibi cum Scotis fœdere, (nam Picti Saxonibus pacto obligati id recuſabant) contra Saxonas ſe vertit, quos ter inſtauratâ pugnâ tandem in fugam datos ſuperavit, Horſamque Hengiſti fratrem occidit. Nec multò poſt eoſdem illos reparatis viribus noviſque acceptis è Germania auxiliis in Cimbria ſe communientes, quæ ad Scotiam regio pertinet, cùm ea de re factus eſſet certior, magno animo repetiit; prælioque ingenti commiſſo, majorem quoque priore victoriam reportavit: Hengiſto etiam, ut Gaufredus ait, interempto. Victis, qui è prælio ſuperfuerant, atque Occone Hengiſti filio, Coſſoque cognato ejus ducibus Eboracum ſe receperant, ad Scotiæ fines, vel invitus ſedem quietam permiſit. Nec multò poſt vitam finiit. Ei in regno ſucceſſit Vterius frater, vir fortis. Cujus regni initio Paſcentius, Vortigerni ex Saxonica conjuge filius, novam militum manum è proximis Germaniæ littoribus in Britanniam advehens, junctâ cum Hiberniæ rege ſocietate, Britones aggreſſus eſt. Sed Vterius magno adhibito ſtudio, cùm Pictos Scotoſque fœdere ſibi adjunxiſſet, eorum auxiliis inſtructus Paſcentium Hibernumque fudit, lateque vicit, ducibus etiam occiſis. Inſignis illa Vterii regis victoria à ſcriptoribus eſt celebrata. Nec ſic tamen animis dejectis fuêre Saxones, quin denuò auderent fortunam prælij tentare. Itaque Occone eodem, quem prius diximus, duce magnis copiis & animis cum Vterio congreſſi, non antè pugnare diſtiterunt, quàm magnâ utrimque cæde editâ, ducem tandẽ ſuum cum Coſſo cognato ab hoſte captum eſſe ſenſerunt. Sic cùm aliquot annis quieviſſent, elapſo demum ex carcere Occone, cùm idoneum ducem nacti eſſent, majoribus etiam viribus arma reſumunt, prælioque commiſſo cùm ducem amiſiſſent, victoriam hoſti ceſſerunt. Ad hoc prælium cùm inſtructæ utrimque copiæ ſtarent, dicitur Vterius infirmâ valetudine feretro in aciem ſe ferri voluiſſe, ut præſentiâ ſuâ animum Britonibus adderet. Victoriâ verò partâ, cùm intelligeret Saxonum vires nondum penitùs fractas, paciſci cum iis maluit quàm urgendo ad mutuandum ex deſperatione præſidium eos adigere. Conditiones ita dictæ, ut ager Britanniæ inter Britones Saxoneſque certis terminis divideretur; Saxones ſuâ parte contenti eſſent, nec quicquam ultra molirentur. Aliter tamen hæc ab aliis, maximeque ab ipſo Beda memorantur: Saxones nimirum Londinum properantes, perterritos voce clamantium & canentium Britonum, præeunte Germano epiſcopo, ad Trentam flumen ſine cæde aut pugnâ in fugam ſe conjeciſſe, diſceſſumque utrimque illinc, nullo ſanguine effuſo: Inde tacito conſenſu ab armis temperatum ab utriſque aliquandiu, ac velut inducias eſſe actas, donec tandem Britones infælici fato inter ſe contendere exorſi ſint: Eâ occaſione Saxones monte quodam edito, in littore Germaniam proſpectante, celeriter occupato, quem idoneum eſſe auxiliis è patria recipiendis arbitrarentur, ſe communire denuò, & ad vim ſpectare cœpiſſe: Verùm Britones iſtuc ingentibus ſtatim copiis profectos locum obſediſſe, Germanoſque ad prælium deſcendere compulſos ob inediam, poſt multum utrimque ſanguinis effuſum, tandem maximâ illâ clade affeciſſe, in quâ Occo cum fratre perierit. De Paſcentio etiam plerique tacent: & de Ambroſii Aurelii origine diverſum ab iis, quæ à me narrata ſunt, ſentire ſe oſtendunt, quippe quem pro Britone Romanum faciunt. Ex his quæ vera magis ſint, lectori judicium eſto. Mihi indicaſſe diverſa autorum narrata ſuffecerit. Vterio poſt XVII regni annos mortuo, Arturus filius ejus ex adulterio quidem genitus, ſed præclaræ indolis, magnique animi adoleſcens, quique omnium majorum gloriam ſuperaturus erat, in Britonum regno ſurrogatur. Hujus ætatem cùm Saxones contemtui haberent, pacta cum patre inita turbarunt. Verùm à nullo regum in Britannia

Ann. Chr. CCCC. XCII.

D.XVIII.

plus cladium accepêre. Namque ille firmatis,quæ pater icerat cum Scotorum, Pictorumque rege fœderibus, eorumque auxiliis accitis, antequam vel parare ſe vel metuere aliquid ab adoleſcente rege poſſint, ultrò in hoſtes ducit, ac bis magnis præliis vincit. Tum fractis inſtans,Londinum caput regni Saxonici ſubito impetu invadit & occupat: Eboracum alteram hoſtium ſedem obſidet: & quamvis novarum è Germania copiarum adventu territus intermittere obſidionem cogeretur, poſtero tamen ab obſidione reverſus,non prius deſtitit quàm iſthoc quoque oppido per deditionem potiretur. Tantis verò rebus celeriter confectis, omnium animos & famam in ſe vertit Arturus vixdum adoleſcentiæ annos egreſſus.

Verùm cùm ne ſic quidem quieſcerent Saxones, ſed reparato exercitu Britonibus ad Humbrum flumen imminerent, evocatis Scotorum & Pictorum regibus,pactus cum iis eſt, de Saxonum gente profana penitus ex inſula expellenda,ſacriſque Chriſtianis per univerſam Britanniam reſtituendis. Ita conjunctis omnibus copiis tres reges in aciem progreſſi pugnam oſtentant. Nec Saxones morati prælium fortiter capeſſunt, ſtragemque ingentem hoſtium edunt: diuque in ancipiti Mars ſtetit. Tandem Arturi fortuna vicit. Occo Saxonum dux, ſuperioris Occonis filius Hengiſtique nepos, cùm mediam aciem diu,fugatis jam cornibus, magno animo & viribus ſuſtinuiſſet, gravi vulnere ſaucius ad mare delatus conſcenſâ nave in Germaniam enavigavit. Eum ſecuti ſunt, quotquot navium copiam habere potuerunt. Reliqui vel cæſi immaniter ab iratis Britonibus, vel Chriſtianis ſacris metu mortis ſunt initiati. Quâ re fæliciter expeditâ, Arturus ternos exercitus æſtate proximâ in Cantium & Orientalem Angliam, quibus in locis validas copias adhuc Saxones habebant, ducit, ac ſæpè variâ fortunâ præliatus ad extremum etiam illic victor evadit. Cædes promiſcua in victos latè vagata eſt, ſævitumque in omnes ſine diſcrimine ad libidinem iratorum victorum. Sic penitus obtriti Saxones, quotquot cædibus ſuperfuerunt, jugum accepêre. Creditumque vulgò eſt, actum cum iis eſſe, nec fieri poſſe, ut aliquando in ea inſula vires recuperarent. Verùm à morte Arturi, quo cum omnis Britonum fælicitas ac virtus occubuiſſe videtur, cùm quinque reges paucis annis in ſceptro ſucceſſiſſent, commutata fortuna eſt. Nam qui pulſi inſulâ erant, adſcitis ſibi pluribus ſociis, reparatiſque viribus, memoriaque amiſſorum ſtimulati eodem redierunt, nec deſtitêre prius, quàm Britones ſæpè victos, aliquando etiam rurſum victores ſub Cadavallone rege, iterumque pluribus præliis ſub Cadavalladro attritos, tandem agris, decedere partimque in VValliam & Cornubiam è fuga ſe recipere, partim in Britanniam Gallicam trans mare confugere coëgiſſent. Ipſi loca vacua partiti novis colonis impleverunt, patriamque linguam novis ſedibus, quâ etiam nunc incolæ utuntur, induxerunt. Britonum veterum ſermo in VVallia, Cornubiaque,& Galliæ parte, quò victi conceſſerant, hæſit. Sed Germanicum ſermonem in Britannia primùm Britonum conſuetudo nonnihil inflexit, deinde Danorum cōmercia, qui magnam ejus inſulæ partem aliquot ſæculis tenuerunt,amplius vitiarunt: poſtremò Normanni,qui Gallorum linguam patriæ miſcuerant, cùm Angliæ regnum occupaſſent, à forma veteri longiùs etiam detorſerunt. Hanc Britonum exterminationem conferunt autores in
DC. annum Chriſti DC. Germani inſulæ majore parte occupatâ in plura ſe regna diviſerunt, quorum alii Occidui, Orientales, Auſtrini Saxones ex locis, quos tenebant, in parte inſulæ Meridianâ; alii Occidui, Meridiani, Orientales, Boreales Angli, ad Aquilonem habitantes, quos Northumbrios poſtea dixerunt, vocabantur. Atque hi, ceu fieri ſolet, cùm de præda non convenit, aliquot ſæculis inter ſe bello conflictati,in Anglorum,qui prævaluêre,nomen omnes conceſſêre. Verùm è principum numero, qui nova ſibi regna conſtituerunt, longè clariſſimus Edelbertus fuit Hengiſti abnepos ex avo Occone, ut autor eſt Beda, quem in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

quem in diviſione illâ Cantiano primùm tractu occupato, longiùs inde ſubmoviſſe reliquos, & in Humbrum uſque flumen regni ſui fines extendiſſe ferunt. Ad hunc porrò conſuetudine uxoris Berthæ fœminæ piæ è Francorum genere mitigatum Chriſtianis, inſtitutioniquepræparatum(nam ad eum uſque diem tota gens in paganiſmo permanſerat) venit Auguſtinus quidã monachus à Pontifice Gregorio Magno iſtuc emiſſus, ut tum ipſum, tum ſubditos ipſius ſacra Chriſtiana perdoceret. Quod fuit anno Chriſti D C I I I, imperante Ro- D C. III.
manis in Oriente Mauritio Cappadoce. Nec defuit ſtudio illius hominis profectus: ſed ſanè, ut tum erant tempora, tam multis Romanæ ſuperſtitionis ceremoniis involutam pietatem rudi populo tradidit, vix ut religio illa ſincera & recta, qualem ab Apoſtolis olim eccleſia acceperat, tot inter nebulas ac inania poſſet conſpici. Manſitque ex eo tempore illa qualiſcunque doctrinæ & rituum forma iis in locis, adeoque per reliquos Anglorum populos inde eſt propagata. Quinetiam religio nova ſtudium litterarum ſecum traxit: ad quod cùm animum ſemel adjeciſſet populus ille barbarus & armorum tantùm gnarus, adeò ſtatim ejus deſiderio exarſit, ut reliquis gentibus toto penè orbe facem præferret. Cujus è ſcholis examina doctorum prodierunt, qui & litteras reſtituère paſſim, & Chriſtum populis fidei ignaris magno ſtudio & pietate annunciarunt. Ex horum numero Wilfridus fuit Eboracenſis epiſcopus multæ doctrinæ & pietatis vir, in Northumbria Anglico genere natus, qui cùm per injuriam ab Ecfrido rege epiſcopatu dejectus Romam tenderet, ut cauſam ſuam apud Pontificem ipſe præſens diceret, ventorum vi cum nave in Friſiam fortè delatus, atque in terram egreſſus eſt, cùm imperio Orientis Conſtantinus Pogonatus, Romanæ verò eccleſiæ Agatho Pont. Dono nuper ſurrogatus præeſſent, ad annum Chriſti D C LXXIX. Erat vero eo tempore Princeps in D C.
Friſia Aldegillus, quem regem ejus gentis Beda & Marcellinus nominant. Quo LXXIX.
de rege priuſquam dicere progrediar, commodum videtur de origine & majoribus ejus, quæ prodita in annalibus nonnullis ſunt, quamquam fabulis plena, tamen breviter quædam hoc loco perſtringere. Autor eorum fertur Occa quidam Scarlenſis Caroli Magni, & ejus ætatis ferè æqualis ſcriptor Friſicus, ſed quem ego, ſi modo in vivis unquam fuit, perverſo ſuæ gentis celebrandæ ſtudio, Hunibaldum Francum potiùs æmulari, aut Gaufredum Britannum, aut Saxonem Sialandicum, & alios id genus ſcriptores, qui fabuloſè gentium ſuarum origines compoſuerunt, quàm veram narrationem texere, in animo propoſitum habuiſſe video: nec ſanæ mentis eos eſſe exiſtimo, qui hujus commenta de veteribus Friſiorum rebus pro hiſtoriis celebrare non verentur. Is igitur ex India advocat trium gentium Friſicæ, Saxonicæ, Brunſuigiæ conditores, quorum duces Friſo, Saxo, Bruno fuerint, nominaque ſuis dederint. Hos memorat, non ut Groninganus quidam etiam illo ineptior, Apoſtolorum tempore ob Chriſtianæ doctrinæ invidiam, ſed ſtatim à morte Alexandri Magni, cujus in ſtipendiis fuerant, propter injuriarum memoriam patriâ, totaque Aſiâ excedere coactos, conſcenſis navibus poſt emenſa multa maria multoſque ſuperatos caſus in Boreum latus Europæ tandem appuliſſe, ubi Flevus in Oceanum exit: illic egreſſos in littus, agros ab immanibus hominibus è gigantum progenie nuper deſertos occupaſſe, atque inſediſſe, qui Friſonem ſequebantur, nomenque ducis ſibi indidiſſe: reliquos aliò conceſſiſſe, Saxoneſq; & Brunſuigios condidiſſe: At Friſonis è Gailone filio nepotem Grunonem erectâ arce Gronenbergiâ, Groningano vico primùm, deinde oppido initiũ dediſſe circiter annum ante Chriſtum in terra natum CL, Grunonis porrò filiũ Friſium natu minimum, vicum ad Flevum ædificiis frequentem anno à Chriſti natali proximo mœnibus cinxiſſe, atq; à Stavo famoſiſſimo gentis ſuæ idolo Staveram nuncupaſſe: Eam paulatim auctam principum ſedem, ac totius regionis caput fuiſſe: Eodem tempore floruiſſe Aſingam Aſconem univerſæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

gentis principem, incertum an è Friſonis ſtirpe, impatientemque otii Batavica arma laceſſiviſſe, vulneratumque in prælio & Staveram relatum, victoriam tamen induſtriâ ac fortitudine ſuorum obtinuiſſe: tum horribili ſpectaculo ad collem, quem Cliffum rubeum vocant, ignem erupiſſe è terra & arſiſſe in quartum uſque diem, quo ſopito draconem vaſtæ magnitudinis eodem è loco in ſublime vectum, cùm per horæ ſemiſſem conſpiciendum ſe præbuiſſet, rurſum ſe terræ inſinuaſſe, nec poſteà eſſe viſum: deinde in Daniam motis armis, hunc eundem principem Diocari Segonis propinqui ſui operâ præcipuè eſſe uſum, ac variâ fortunâ dimicaſſe: hinc bello in Tungros & Brabantos converſo, fruſtrà diſſuadente Diocaro, qui amicus illis erat, à Carolo Brabanto ſemianimem ex vulnere eſſe captum, & Diocaro condonatum. Eo ad annum Chriſti X I mortuo Diocarum ſuffragiis populi ſuffectum, bellorum quidem gnarum, ſed pacis tamen magis ſtudioſum: ſucceſſorem habuiſſe filium Dibbaldum, anno XLVI, patri diſſimilem, qui cùm domi ſe movere non poſſet, armorum ſtudio, relicto in Friſia vicario, peregrè abierit caſtraque Claudii Imper. ſecutus ſit multo tempore: deinde in patriam reverſus, Germanis irritatis, Daniæ quoque regem in ſe ac Friſiam concitaverit, magno ſuorum malo: poſtremò à Sicambris quoque clade acceptâ, præ mœrore animi deceſſerit. Illi ſucceſſorem dediſſe Friſios Tabbonem quendam, hominem militarem, ad annum Chriſti L X X X V: hunc Domitiano contra Chattos auxilio fuiſſe, tyranni quàm principis ingenio propiorem, belli cupidum, nec imperitum, ſed æquè infælicem: Ob Nortmannos Friſiam vaſtantes revocatum in patriam, terrâ marique parato in eos exercitu, qui jam diſceſſerant, nequicquam ſe commoviſſe: Hujus etiam filium Aſconium è voluntate populi ſurrogatum, pace patriam foviſſe per annos X L I I: ſed in ejus principatu denuò ignem è voragine ſe effudiſſe, eodem quo prius loco, ad totum octiduum, omnibus attonitis miraculo rei ac trepidis, extinctaque flammâ, & voragine clauſâ, conſultum Stavum idolum, reſpondiſſe per ambages, portentum id eſſe ſecuturi olim diluvii: rurſumq; nono poſt anno, qui fuit poſt Chriſtum C L X I V, alio loco, qui in Occidentem hybernum circiter M. paſſ. Staverâ aberat, puteum fortè incolarum operâ effoſſum tantam vim ſalſarum aquarum effudiſſe per triduum, ut rivi in modum per planiciem proximam decurrerent, eique malo avertendo, cæſorum infantium ſanguine idolo parentatum: Tritones quoque marinos in agrum Lavicæ fluminis vicinũ egreſſos eam oram terruiſſe. Poſt hunc præfuiſſe populo Aldeboldum filium, longamque pacem cum vicinis turbaſſe, ſed plus apud populum fratrem illegitimo thoro natum Titum Bojacalum ob ſummam indolem, quàm ipſum principem Aldeboldum valuiſſe; hujus adventu ſummis clamoribus accepto ab exercitu Imperatoris M. Antonini Philoſophi, cui auxilio à fratre mittebatur, ita territos eſſe Vandalos hoſtes, ut ſe nullo dum gladio educto in fugam darent: Eundem Vandalos & Gottos in Friſiam irrumpentes ad Amaſum flumen magnâ cum clade repuliſſe, ac ad internecionem cecîdiſſe. Eam victoriam tantæ illi gloriæ fuiſſe, ut vivo fratri Aldeboldo in principatu ſit ſummo populi ſtudio ſurrogatus: principem verò factum, pacem coluiſſe cum vicinis immotam, deceſſiſſe anno Chriſti C C X L, ac Staveræ ſepulchro conditum, non ſolùm belli artibus, ſed literarum quoque ſtudio ante majores ſuos clarum: cujus ante mortem anno X X I V tertiò jam è terra ignes erupiſſe ad eundem collem, per dies X I I, ac ex Stavi oraculo dæmones placatos.

Extincto Bojacalo ſuffectum ab Ordinibus Friſiæ Vbbonem propinquum ejus, Danicâ diſciplinâ eruditum, pace ac bello ex æquo promptum, repreſſis Batavis tumultuantibus, cætera quietum per annos totos L I X, quibus patriam rexerit: oppida condidiſſe Doccoburgum ad Lavicam flumen, Titoburgum ad Amaſum. E filiis hujus alterum Odilbaldum ex Brabantini ducis comitatu,

ignaro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ignaro patre, ad Valerianum Imperatorem iviſſe, eique pergratum fuiſſe, inde cum Diocletiano in Ægyptum profectum, magnâ gloriâ partâ, fato eſſe conſumptum; alterum Haronem in Daniam diſciplinæ capiendæ cauſâ miſſum à patre, ac Danicâ conjuge auctum in imperium ſucceſſiſſe, patriæque XXXVI annos præfuiſſe, miti ingenio ac pacifico: Sub eo principe agrum, qui ad occidentem Flevi erat, à Stavera longè lateque contra occaſum ſolis brumalem porrectum coli cœpiſſe, à paucis nobilibus initio ejus rei facto, conditumque eſſe à Theodorico nobilium uno oppidum Medemblicum, nomenque à Medæâ oppido impoſitum, conditorem regem Friſiæ occiduæ ſe tuliſſe injuſſu Haronis, ſed deprecari culpam ſupplicem & vaſallum, ut vocant, profiteri ſe coactum eſſe, atque ita in gratiam receptum. Odilbaldum Haronis filium principatu accepto, ampliatâ Staverâ, novo oppido Eſonſtadio ad Lavicam excitato, multis reip. partibus emendatis Friſiam ornaſſe inſigniter, repreſſis multatiſque Sicambris & Batavis per Iglonem Laſconium militiæ ſuæ præfectum, pacem diuturnam ſuis conciliaſſe, mortuum eſſe anno Chriſti CCCLX, filio unico Vdolpho ſucceſſore relicto: Eum porrò filium Iglonis ſui virtute confiſum Angrios, Sicambros, Weſtphalos appetiiſſe, ac agri parte multaſſe, Engiſtum & Horſum ex ſe genitos, ac jam peregrinæ militiæ apud Valentinianum Imp. per annos VI, iterumque per annos III apud Taxandrum Brabantiæ ducem inſuetos, cum delecta manu, aut per ſortem ducta, levandæ patriæ gratiâ nimiâ jam hominum multitudine preſſæ in Britanniam miſiſſe, ad quærendas novas ſedes, ibique poſt varias belli & pacis vices utrumque tandem amiſiſſe: Eo dolore fractum principatu ſe abdicaſſe, & Richoldum Offonem magnâ virtute præditum, claraque domo in Friſiis natum, quem jam ante ſororium ſibi delegerat, ex voluntate populi, in Imperio quoque ſubſtituiſſe: Richoldum verò ingenio perquam ambitioſo, ubi primùm rerum potitus eſſet, principatus titulum in nomen regium commutaſſe, quanquam ſuorum amantiſſimum, Normannos, qui in Friſiam magnâ multitudine irruperant prædabundi, victores primum ad Groningam, mox inſtaurato ibidem prælio occidione occidiſſe, cùm annus ageretur poſt Chriſtum natum CCC. XCVIII: deinde nec certam pacem, nec apertum bellum cum iis habuiſſe aliquandiu, donec tandem ad annum CCCC. X. decenne fœdus amicitiamque cum univerſa Danica ac Normannica gente iniret, & filio quoque ſuo Odilbaldo Haddingam Normannici regis filiam uxorem acciperet, Titoburgumque ad Amaſum ſedem aſſignaret cum nomine & honore Comitis: tum palatium longè pulcherrimum & ſplendidiſſimum Staveræ extruxiſſe poſitis in eo omnium ante ſe Friſiæ principum ſumma arte elaboratis imaginibus, auxilium etiam tuliſſe clienti ſuo Dilbaldo, qui in Friſiis trans Flevum ſuo permiſſu regnabat, contra infeſtos Batavos, eoſque latè fugaſſe: inter primos & honoratiſſimos habuiſſe Vbbonem Harmanam illum vaſtarum virium hominum, & Danis ac Normannis hoſtem infeſtiſſimum primum, deinde iiſdem conciliatum, cùm captus fortè eſſet, patriæ ſuæ inimicum gravem, poſtremò in Suecia occiſum, de quo Saxo Sialandicus admiranda multa commemoret. Eodemque ſæculo aſylum inter Staveram & Medenblicum pro ſontium confugio ſtructum: Richoldi locum poſt XLIII, regni annos Odilbaldum filium quem is unicum ex Odilbalda ſorore Vdolphi ſuſtulerat, cœpiſſe, regem egregiè popularem & à cunctis amatum, ſub quo armorum quies Friſiis perpetua manſerit. Huic ex Haddinga uxore Normannicâ natos eſſe Richoldum, Engiſtum, Horſum; Et illum quidem ad annum Chriſti CCCLXX in ſceptrum patri ſucceſſiſſe, hos auxilio fratris, voluntariorum manu è Friſiis & vicinis Saxonibus conſcriptâ, repetiiſſe Britanniam, in quâ propinquos ſuos, quorum nomen quoque ipſi ferebant, occubuiſſe priore ſæculo acceperant. Sed in primo ſtatim cum Britannis conflictu utrumque, quòd ante alios

pericula capeſſerent, cecidiſſe, reliquias exercitus Friſici & Saxonici Hybernum quendam, qui auxilio ipſis cum popularium manu venerat, & labantes animos confirmaverat, regem ſibi elegiſſe, eo defuncto, hominem Friſium rebus præfeciſſe, pedetentimque Britanniam ſuæ feciſſe poteſtatis & Angliam nuncupaſſe: Richoldum Weſtphalos, quorum partem imperio tenebat, tumultuantes coërcuiſſe, ac in verba ſua denuò jurare coegiſſe, Clodovæum Francorum regem Friſios invadentem ita rejeciſſe, ut illum in Friſiam veniſſe pœniteret, Danos etiam Tekenburgicum agrum vaſtantes terruiſſe adventu ſuo, egiſſeque in fugam, Herconem quoque Friſium, belli gloria clarum, qui Imperatoris Conſtantinopolitani & Theodorici Italiæ regis caſtra ſecutus diu fuerat, in Danos miſiſſe, ſpoliiſque peramplis ipſius operâ eſſe potitum, amiſiſſe morte natu majorem filium Odilbaldum, in regno Friſiæ occiduæ ab Arindulo rege jam adoptatum: Eo regnante Friſiam graviter diluvio afflictam, & Groningam ſepto ligneo in ambitu cinctam: aliaque conficto ad delectationem argumento ſimilia. Deinde cùm ætate ſcriptoris jam verò propiora Beroaldum, Richoldo ſecundo natum, quem alii Bertholdum, alii Ritzerdum nominant, à morte patris res Friſicas adminiſtraſſe cis ultraque Flevum flumen, cepiſſe regnum ad annum D. X X X I V, idque per pacem agere ſtatuiſſe, ſi per Francos licuiſſet: eorum enim regem Clotarium I I anno D. X C I I I cum magnis copiis Friſiam ingreſſum, pace è manibus excuſſa, ipſum etiam Beroaldum victum in acie ſuâ dextrâ confeciſſe; tum in promiſcuam multitudinem evagatam cædem Friſios coegiſſe regi Francico ſe dedere: illum, ut animos populi benevolentiâ demereretur, Aldegillum Beroaldi filium, quem unicum genuerat, X V I annos natum adoleſcentem, regem Friſiæ nuncupaſſe. Hunc regno accepto totos L X X X I I annos, quibus in ſceptro vixit; patriam ſine belli tumultu quietam & fælicem præſtitiſſe fretum amicitiâ Francicâ, ingenio mitem & tractabilem, quanquam Ethnicis ritibus inhærentem: ſed fratrem habuiſſe nothum Herconem nomine, efferi animi virum, cujus cauſâ Franci Scotique cruento inter ſe bello ſint colliſi, ipſeque Hercon in bello cæſus. Quæ qui credere volet, eum neceſſe fuerit, tot egregiis, bonique nominis ſcriptoribus, qui plurimum ab his diſſentiunt, pariter fidem derogare: ut mirum ſanè ſit, Suffridum Petri hominem alioqui nec indoctum, nec in patriæ ſuæ rebus indagandis indiligentem, ut ex commentario ejus nuper edito apparet, interpolata hæc eadem multis locis, infartaque fabulis pluribus fulcire quoquo modo, atque ad ſpeciem veri traducere conſtituiſſe. Ego autem non in cæteris ſolùm, in quibus procul à vero recedit hic fabulator, ſed in Aldegilli quoque parente avoque ab eo me diſſidere fateor. Nam de patris ejus fortuna quod memorat, quis tam cæcus eſt, qui non videat ex Saxonum hiſtoria, quorum dux Bertholdus, aut ut Francici annales illum nominant, Berthoaldus à Clotario occiſus eſſe ſcribitur, hoc eum eſſe mutuatum? & cùm aliud, quod diceret non haberet, totam Beroaldi perſonam, fortunamque gentis inde tranſſcripſiſſe? Et quis exiſtimet, ſi qua talis clades Saxonicæ ſimilis majoribus noſtris à Franco irrogata ſit, Scriptores Francos, tam avidos ac prolixos laudum ſuarum præcones, id fuiſſe ſilentio prætermiſſuros? aut Suffrido quis aures accommodet ſine autore, ſine teſte nobis aſſerenti, nullum unquam apud Saxonas Beroaldum regnaſſe, totamque eam rem errore Francorum Saxonibus attributam ad Friſios verè pertinere? aut denique quis adeò judicio caret, ut credere facilè poſſit, Aldegillum L X X X V I I annos regnando impleſſe? cùm ex Beda coætaneo ejus Scriptore diligentiſſimo ſatis conſtet ad annum à Chriſto nato D C L X X I X, quo Synodum Romæ contra Macarium Monotheletam epiſcopus ejus urbis habuit, vivendo eum perveniſſe. Itaque ſepoſitis nugis hiſce tam vanis cum patrono ſuo, atque ab hiſtoria abactis, quod à melioris notæ ſcriptoribus annotatum, quibus verum dicere in animo fuit, aut ubi monumentis claris deſtituimur,

mur,

mur, quod verò magis conſonum eſt, id videamus. Habui Annales non pœnitendos parentum noſtrorum memoriâ conſcriptos, quorum autor vir nobilis, ac notæ virtutis fideique, etſi in re litterariâ magnum profectum non fecerat, tamen ſummâ induſtriâ, quæ de veteribus Friſiorum rebus annotata apud varios ſcriptores, conſignatave in cœnobiorum monumentis invenire potuit, undequaque collegit, & quicquid omninò id ſit, quod aſſecutus videri poſſit, certè de induſtriâ mentiri noluit. In iis Ritzerdum Friſiorum regem aut principem nominari invenio circa ea tempora, quæ Aldegillum proximè præceſſere: huic porrò litem, atque ex lite bellum cum Clotario primùm, deinde & cum Dagoberto ejus filio Francorum regibus fuiſſe, quorum regnum circa Rhenum flumen, ubi jam Vltrajectum eſt, Friſiæ fines attingebat: Sed quod iiſdem in annalibus additum lego, à Pipino Craſſo in prælio illum interemptum ad annum Chriſti DC.LXXX, eoque modo in Aldegilli poſtrema tempora regnum Ritzerdi extendi, in eo lapſum eſſe autorem litterarum rudem, deceptumque in nomine Pipini, quo avum quoque iſtius maternum, aut proavum nuncupatum conſtat, cenſeo: quemadmodum, ne cætera quidem, quæ, Aldegillo omiſſo, ſtatim de Radbodo antiquis è fabulis deprompta ſubjicit, quanquam ea inſcitia majorum typis quoque vulgaverit, probare haudquaquam poſſum. Nec deſunt, qui Bertholdum ante Aldegillum regem Friſiis aſſignent. Mihi in tantâ rerum veterum obſcuritate, & ſententiarum hujus temporis diſcrepantiâ, ubi ſcriptores antiqui, quibus fidere poſſimus, tacent, ſi quid conjectare, & quod conjectura ſuggerit, in medium proferre fas eſt, dum omnia diligenter expēdo, hoc maximè veriſimile de his occurrit, Richoldo II genitum Odilbaldum maturè ante patrem obiiſſe, quod & Scarlenſis memorat: ab hoc Ritzerdum filiolum in cunis, aut in primâ pueritiâ, relictum ampliſſimorum regnorum cis ultraque Flevum hæredem: qui dum adoleſceret, Bertholdi patrem avumque, deinde ipſum Bertholdum imperium apud Saxones tenuiſſe, Friſiiſque confinibus & eâdem ſuperſtitione devinctis, ſociis eſſe uſos: Et hunc, jam viro & rege Ritzerdo, in bello cum Francis periiſſe anno à DC.
partu Virginis DC.XXX. Ea ad Friſios, & eorum regem ab imperitis deinde eſſe XXX.
tracta. Intereà & Ritzerdum ob Saxonum ſocietatem, aut quòd de ſacris pariter & regnorum de finibus, quos per Batavos, Mattiacos, Pleumoſios in orâ Oceani, deductis illuc dudum Friſiorum coloniis, poſſediſſe fertur, à Francis diſſideret, cum Clotarii ducibus primùm leviuſculè congreſſum eſſe: poſteà cum Dagoberto filio ejus, qui colonis illis longinquis vel ejectis, vel ſuam in poteſtatem redactis, Weſtfaliæque principatu extorto, à Rheni quoque ripâ Friſios æquè ac Wiltas populum immitem ſubmovere cupiebat, ut ditare ſacram ædem recens à ſe ſtructam, ubi jam Trajectum eſt, commodiùs poſſet, graviùs arma miſcuiſſe: poſtremò aut fato conſumptum, aut à Pipino Landeſio, qui in vicino Belgico magnas opes habebat eo tempore, & aulæ Francicæ ſub Dagoberto præerat, in prælio interemptum, circiter annum
DC.XL, rem Friſicam vehementer acciſam Aldegillo filio aut propinquo jam DC.XL.
annis maturo reliquiſſe. Aldegillum, intereà dum Franci ſemet civilibus bellis conficiunt, ſuapte naturâ à turbulentis conſiliis alienum, intraque Rhenum flumen ſe continentem, longâ pace ſuos recreaſſe, ingenium populi aſperum ac belli ſtudiis efferatum ad cultum & humanitatem traduxiſſe, denique hoc effectum dediſſe, ut patriam, quam afflictam atque horridam acceperat, florentem & ædificiis, moribus, legibus cultam relinqueret. Ad hunc DC.
igitur jam annis gravem, (ut aliquando eò, unde diverterat, narratio recurrat) cùm Wilfridus veniſſet, comiter & honorificè, ut hoſpitem ac cognatâ è gente ortum decebat, exceptus fuit. Quâ occaſione uſus, cùm alioqui ejus rei deſiderio arderet, & regem erudiit, & in populo gentilium deorum cultore ſemina doctrinæ Chriſtianæ ſuâ voce primus ſparſit, rege nō invito. Cumq; LXXXIX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

multos animum advertere videret, hyemare illic maluit, ac populo docendo diligenter incumbere, quàm iter ſuum ſtatim continuare. Cujus ſtudio ita benedixit Dominus, ut plurimi Friſiorum abdicatis profanis ritibus baptiſmo ſe admoveri paterentur. Tum itineri inſtituto ſe reddens Romam perrexit, ac in Synodo, quam eo tempore Agatho Pontifex coëgit, ſuo quoque ſuffragio Monotheletarum errorem damnavit.

DC. LXXX.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber Quartus.

MORTVO non multò pòſt in Friſiâ Aldegillo rege, Radbodus filius locum ejus tenuit. Is, ut erat ſuopte ingenio (nam de Normannicâ captivitate & dimiſſionis pacto, quod Scarlenſis memorat, id in fabulis duco) gentilium ſacris impenſè deditus, novellum illud germen doctrinæ, quam ſparſerat VVilfridus, brevi ita ſuffocavit, nullibi ut ejus aliquid appareret. Nec contentus eo, cùm Ebroini ſcelere diſtractam concuſſamque Remp. Francicam eſſe cerneret, idque cupidini ſuæ oportunum exiſtimaret, collectis repentè copiis, Wiltaburgum, Francici quidem iuris oppidum, ſed cis Rhenum Friſico in ſolo ſitum, ſubitâ vi invaſit, protinuſque, cùm munitum ſatis non eſſet, cœpit, Francorum præſidium expulit, ſacellum Thomæum, quod Dagobertus quondam illic poſuerat, opibuſque ditaverat, memoriâ injuriæ veteris, aut diruit ipſe, aut ſuorum furori diripiendum permiſit, religionem Chriſtianam peſſundedit, iratus potiſſimùm loco, quòd inde proximos ſuorum in novos ritus ſollicitari ſolere non neſciret. Addunt alii, longiùs quoque progreſſum cum prædabundo exercitu, quoad Noviomagum pertingeret, cunctaque obvia, & ipſum illud oppidum ſuæ poteſtatis feciſſe, notamque ſaxo in mœnibus poſito impreſſiſſe paucis verbis, *Eum terminum eſſe regni ſui*. Quod tamen ego ex ipſis ſyllabis inſcriptionis, quæ recitantur, confici certò poſſe haud exiſtimo. Quæ Franci, ad quos injuria ea pertinebat, quò minus ſtatim vindicarent, diſſidiis domeſticis impediebantur. At verò, quæ in Friſia religioni acciderant, per Angliam vulgatis, magnus ubique mœror ob cognationem, quam cum eo populo habebant, viros pios inceſſit. In iis Egbertus quidam, homo miræ ſanctitatis, quique ad animum ſuum in pietate exercendum multos annos in ſolitudine in Hibernia exegerat, ſcholamque nobilium diſcipulorum habuerat, fortunam gentis miſeratus, accedente VVilfridi hortatu, magno deſiderio exarſit, ut labore & ſtudio ſuo non ſolùm quod extinctum erat ſuſcitaret, ſed latiùs etiam veritatis lucem propagaret. Itaque cùm ipſe & divinitùs monitus, & tempeſtate, cùm navem jam conſcendiſſet, rejectus, eò pervenire, & docendi munus obire non poſſet, ex ſociis unum VVicbertum pari pietate inſignem miſit, qui Friſios à cultu idolorum ad Chriſtiana ſacra revocaret. In quod ille in Friſiam veniens toto biennio naviter quidem incubuit, ſed quòd ſuperſtitio penitùs in animis populi inſita eſſet, & Radbodus quoque rex antè alios doctrinæ contumax obſiſteret, proficere parum potuit, dolenſque in Britan-

Britanniam rediit. Ita Egbertus cæteríque iis locis viri pietate præſtantes, quanquam moleſtiſſimè caſum ferrent,tamen,ne gemmas obiicere porcis,aut ſine fructus ſpe pericula quærere viderentur, illo ſtudio ſuperſedendum ſibi putarunt, nec quicquam tentandum ampliùs; quoad aliam ſpem Dominus oſtendiſſet. Nec ea dilata diu eſt, è Belgico ſe proferens, autore ante alios Pipino è Francorum clariſſimo genere: de quo ut cætera legentibus expeditiora ſint,dicam quàm poſſum breviſſimè.

Gallia eo tempore, multò maximâ ſui parte ſub Francorum regibus, Merovæo editis,erat. Sed reges virtute & induſtriâ majorum poſthabitâ,inertiæ otioque ſe dediderant, vixque inane nomen regium intra aulæ latebras tuebantur. Vis omnis & poteſtas in Palatii præfectis, quos Magiſtros aulæ, aut Majores domus vocabant, reſidebat: nec quicquam his, præter diadema, & titulum,ad juſtum regnum deerat. Atque ut reges plerumque plures ſimul erant in Francia, ita præfecturam hanc quoque plures gerebant, qui aut pro regibus ſuis, aut ut propriis ſuis cupiditatibus obſequerentur æmuloſque everterent, inter ſe perpetuò decertabant. Ex his Pipinus, quem diximus, cognomento Craſſus, ſive ille filiâ Pipini prioris atque Anſigiſo genitus, ſive nepos ipſius, cùm Ebroinum æmulum, potentiâ & improbitate cunctis formidabilem, cæteroſque qui ſe obiiciebant, tandem evertiſſet, ad tantum honoris atque opum faſtigium conſcendit, non ſolùm ut reges pupillorum inſtar haberet, omnemque eorum poteſtatem in ſe traheret, quod reliqui etiam ante eum præfecti facere conſueuerant, verùm etiam, ut præfectos Palatii filios ſuos, alioſque clientes regibus pro libitu daret, ipſe verò ſolus omnium arbiter, ac totius regni moderator bello & pace haberetur. Nec è præfectura modò opes habuit, ſed beneficio avi materni, à quo hæres ſcriptus erat, cum compluribus aliis Auſtraſiæ locis eam regionem, quæ Brabantia poſtea eſt nominata, etiam latis terminis uſque in Friſios ditione tenebat. Hunc Pipinum Craſſum gloriâ & opibus florentem,cùm Saxones & Suevos (ſi Æmilio credimus) egregiè eſſet ultus, quietemque domi haberet, cupido tandem inceſſit Radbodum Friſium quoque adoriendi, quò & de eo etiam pœnas ſumeret, nimium jam diu dilatas, deleretque acceptam nuper ignominiam, & Chriſtianæ religioni aditum, quem præcludere Radbodus dicebatur,profanâ in gente aperiret. Nec fortuna pro inſtituto defuit:Siquidem Radbodum Vltrajecto,quod Wiltaburgum etiam tum vulgò audiebat,omnique in Flevum Friſiâ, fælicibus armis ſubmovit, Friſios verò incolas in ſuam poteſtatem redegit: ulterius quoque progreſſurus,niſi Radbodus conſternatus adverſâ fortunâ,ac in interiora regni refugiens,impedimentum ſe in poſterum religioni ac doctrinæ non allaturum per ſuos homines promiſiſſet. Quibus patratis,Pipinus ſtatim in Angliam mittit,quæ tum propter excitata illic litterarum ſtudia viris doctis abundabat, & nuper receptum Chriſti cultum (ceu fieri ſolet) cæteris ferè provinciis vicinis in pietatis zelo erat ferventior, &, quod plurimum hanc ad rem pertinebat, eâdem ferè cum Friſiis adhuc linguâ utebatur; atque illic re omni expoſitâ, ab Egberto eodem, ſive ille jam epiſcopi honorem acceperat apud Eboracenſes, ut quoſdam ex Marcellini libris dicere video, ſive ob eximiam pietatem, quanquam in privatâ fortunâ, etiam apud exteros principes clarum nomen habebat,doctores petit, qui erudiendæ genti atque à dæmonum cultu abducendæ utiliter præfici poſſint. Egbertus, qui per ſe jam dudum ejus rei deſiderio ardebat, confeſtim magno ſtudio negotium ſuſcipit, doctiſſimos quoſque & pientiſſimos, quos diverſæ per Angliam ſcholæ educaverant, ad ſe evocatos ad hoc opus exſuſcitat, nec antè deſinit, quàm, quantum olim Apoſtolorum collegium fuerat, viros XII confeciſſet. In his Willibrordus cæteros doctrinâ & autoritate antecedebat, ortus, ut traditum à quibuſdam eſt, regio Anglorum

ſanguine. Collegæ memorantur Suidbertus, Hengiſti principis abnepos, VVic-
bertus idem ille, qui irrito ſtudio Friſios toto biennio antè docuerat, Occo, Wil-
libaldus, Lebuinus, Evvaldi duo, Werenfridus, Marcellinus, quem cum
Beda certiſſimum autorem habemus hiſtoriæ hujus in vita Suidberti, quam
diligenter deſcripſit, Adelbertus rege patre in Deirorum gente natus re-
gnum religioni poſthabens, omnes doctrinâ aut ſanctitate morum celebre no-
men poſteà adepti. Hos omnes à ſe dimiſſurus graviter monet, ut periculis poſt-
habitis ſtrenuè Domino militent, quantumque omnino poſſint, à cæcitate &
profano cultu Friſios gentiles ſuos, reliquoſque vicinos populos, qui Anglorum
gentem in Britannia condiderant, liberent. Illi enavigato Oceano cùm Rheni
alveum ſubiiſſent, (alia quippe tum, quàm hodie, terræ facies & fluminis illius
lapſus erat) Vltrajectum aſcendunt, eoque in oppido, quod maximè idoneum vi-
debatur, ſedes ponunt, res ſuas omnes (cælibes enim erant) ad exemplum Apo-
ſtolorum communes habere inſtituunt. Is eorum adventus in annum Chriſti
DC.XC. DC.XC conjicitur ab ipſo Marcellino, imperante in Oriente Iuſtiniano juniore
Pogonati filio, Seigio autem apud Romanos pontificatum tenente, in Anglia
apud Northumbros rerum potiente Aldfrido. Sigebertus duos his annos adji-
cit. Æmilius & alii longiùs quoque rejicere videntur. Vltrajectini verò anna-
les tempus hoc anticipant. Ego præter conjecturas, quod hìc ſequar, non habeo,
nihilque affirmo, Marcellino tamen maximè aſſentiens, quem & Hæda, ut vi-
deo, optimis rerum Vltrajectinarum autor, hìc probat. VVillibrordus & ſocii
cùm primùm res ſuas ex itinere compoſuiſſent, ſine morâ & in oppido, & per
omnem citeriorem Friſiam diligenter populum docere exorſi ſunt. Sed cùm fa-
ſcinatos adhuc in cultu ſuo Friſios ſpiritus nequam teneret, proficere nihil po-
tuerunt. Itaque cùm mortem inſuper docentibus profani homines intenta-
rent, precibus ad Deum profuſis, ad tempus iſtinc abire, dum animi molle-
ſcerent, & longiùs ad alias Friſiæ partes concedere inſtituerunt. Veneruntque
tandem in inſulam, quam Foſtilandiam ab idolo Foſto tum dixerunt, cele-
brem per id tempus cultu exquiſito idolorum: qua in inſula Radbodus à Pi-
pino nuper victus, delectatus impiis ceremoniis, ſedem habebat. Illic
cùm concionibus ſacris gnaviter incumberent, & nequicquam ferè labora-
rent, monitu Wicberti, qui rerum ejus loci jam antè peritus erat, delubra quæ-
dam Veſtæ ac Iovis, ut creditum eſt, quòd ea impedimento eſſe veræ doctri-
næ viderentur, everterunt. Qua re irritatus rex, alioqui etiam Chriſtianis
infenſus, Wicbertum occidit, reliquoſque ſtatim ex inſula profugere, ni mo-
ri mallent, coëgit. Sic illi mœſtis ac ſollicitis animis ad Pipinum ſe contu-
lère. Inſula hæc, cujus & in Bonifacii & Ludgeri hiſtoriâ autores quoque me-
minerunt, quæ nam ſit, mihi pro certo nondum conſtat. Quapropter nec
affirmare quicquam hìc de ea libet, præterquam quod diſſimulare non poſſim
penè pro certo mihi eſſe, in errore eos verſari, qui Amalandiam pro hac ipſa,
neſcio qua ducti ratione, nobis reponunt. At verò Pipinus, re cognitâ, qui
fruſtrà nollet Radbodum coërcitum, denuò eos in illam Friſiæ partem, quam
nuper occuparat, ire juſſit, honeſto comitatu addito, edixitque populo ſeverè,
ne quid moleſtiæ aut injuriæ docentibus inferrent: quinetiam, ut omni ratione
ſanctum negotium promoveret, honores & beneficia propoſuit iis, qui erudi-
ri ſe & baptiſmo admoveri paterentur. Igitur cùm Vltrajectum (ſic enim tum
appellari cœptum eſt) rediiſſent Chriſti præcones, ædiculâ ibi excitatâ in
honorem S. Crucis non procul à ruderibus ſacelli, quod olim Thomæ Apoſto-
lo dicatum Dagobertus Francorum rex ſtatuerat, à Friſiis non multò pòſt de-
ſolatum, inſtitère diligenter muneri ſuo, nec quicquam reliquum fecère, quod
ad populum erudiendum pertinere intelligebant. Nec ſolùm Vltrajecti id
faciebant, ſed per omnes Friſiæ, Hollandiæ, Teſterbandiæ vicos, quos adire
poterant, partiti operas inter ſe bini aut terni. In quibus Suidbertus
cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

cùm Marcellino ac Werenfrido Batavoduri ad Rhenum cùm eſſet, ab idolatris ſacerdotibus comprehenſus, atque in cuſtodiam datus divino miraculo evaſiſſe memoratur, diéque poſtero omnibus attonitis liberius etiam nemine impediente ad docendi inſtitutum eſſe reverſus. Et cùm Deus quanquam inter aſpera & adverſa tamen docentium labori aſpiraret, ſignaque etiam confirmandæ doctrinæ ergo per eos nonnulla, ut Marcellinus prodit, ederet, factum eſt in profundiſſimis tenebris, ut attollere oculos paſſim homines inciperent, nominaque Chriſto darent. Ita creſcente hic illic fidelium cœtu, cùm jam res ordinem, qualis tum vulgò in Eccleſiæ uſu erat, poſcere videretur, Vltrajectum omnes reverſi duos è numero ſuo ediderunt, qui epiſcopos Friſiæ ſe ferrent, Eccleſiaſque per ea loca ordinarent. Horum alterum Suidbertum in Angliam eâ gratiâ miſſum, additis comitibus Occone, Marcellino, duobuſque Euualdis, cum pluribus junioribus, Wilfridus Eboracenſis Præſul, exul fortè rurſum eo tempore apud Mercios, quòd Cantuariæ tum ſedes vacaret, lætus ipſe, lætantibus omnibus qui aderant, aut de re audierant, Epiſcopum ritè conſecravit anno Chriſti DC. XCV, die feſto Bartho- DC. XCV.
lomæi Apoſtoli: ſtatimque cum comitibus iiſdem, Occone excepto, qui in Anglia manſit, in Friſiam remiſit. Ille verò Vltrajectum reverſus, mox Friſiam, Hollandiamque & Geldriæ partem ſedulus rurſum obivit, multumque ubique populum ab idolorum cultu docendo, & ſigna quoque edendo mirifica, humanam ſuperantia vim, ut idem Marcellinus memorat, abſtraxit. Alter Willibrordus ex voluntate ſuorum ad Pipinum regreſſus, atque aliquandiu ibi moratus, cùm idoneas ab eo litteras & mandata DC. XCVI.
tuliſſet, Romam ſe contulit, & à Sergio Pontifice Friſiorum archiepiſcopus ſolenniter inauguratus Clementis nomen accepit. Sic honore & novo nomine auctus poſtero anno, qui fuit DC. XCVII, in Friſiam, ut à Pipino DC. XCVII.
juſſus erat, revertit, Suidbertumque collegam, qui diu ipſum anteverterat, haud procul Embricâ cum univerſo ſacro ordine multiſque fidelibus gratantem obvium habuit. VLTRAIECTVM verò ut ſimul ventum eſt, quod oppidum cum vicinis agris dono acceperat a Pipino Willibrordus, communi operâ collegæ duo templum Martini Turonenſis memoriæ, in ruderibus ſacelli Thomani, à Friſiis diruti, extruxerunt, ſedemque illic collegio ſacro Canonicorum ceperunt. Hæc initia fuere iſtarum opum, quæ poſteà ſine modo regum & Imperatorum liberalitate iſti Eccleſiæ accreverunt. Et quamvis Suidbertus Epiſcopi titulum prior tulerat, tamen Willibrordus, quòd & Pipini dono ſuperior eſſet, & à Pontifice Rom. honorem archipræſulis haberet, non ſolùm Vltrajecti primus Epiſcopus, verùm etiam archiepiſcopus Friſiorum nuncupatus fuit. Suidbertum autem collegam ejus coëpiſcopum appellavêre. Ipſi verò inter ſe quoad vixerunt, mirâ ſemper concordiâ egerunt. Augeſcente indies magis & magis fidelium numero, & ſacris cœtibus paſſim in Friſiâ ac regione vicinâ jam inſtitutis, cùm doctrina & mores piorum placerent, Radbodi quoque filia Theodoſinda, quamvis in impietate pater perſiſteret, ad Chriſtum acceſſit: nec multò poſt Grimoaldo Pipini Craſſi è le- DC.
gitimis minori filio, quem parens aulæ regiæ Theodoberti recens præfecerat, XCIX.
nupſit, Francicamque gentem Friſiis arctiùs conjunxit. Invitóne patre Radbodo, an ſponte ejus hoc fecerit, incertum eſt, niſi quod facinus multò poſt ſecutum adverſam ejus voluntatem arguere videatur. Nam decimo quarto à DCC.
nuptiis his anno, Grimoaldus Leodii ad aram, quæ Lamberto epiſcopo quin- XIII.
decim ante annos illic à Dodone Martelli avunculo, ob concubinatum Alpaidis ſororis ſuæ cum Pipino reprehenſum, occiſo, erecta erat, à ſatellite Radbodi Rangario, homine Friſio, per inſidias interemptus fuit. Nec dubitat hiſtoria vetus, quin genero percuſſorem hunc Radbodus immiſerit. Idque ſanè nec à fide, nec à cæteris ejus actis abhorrens. Nam dæmonum faſcino demen-

tatus, neſcio quâ jactatâ cauſâ, quâ ſe offenſum diceret, rurſum Chriſti culto-
res inſectari, religionem inceſſere, doctores, quos Willibrordus paſſim per
Friſiam miſerat, alios exilio, alios morte multare, idque liberiùs agere, quòd
Pipini ſenium jam contemptui haberet. Nec propior vindex injuriæ, quàm
Grimoaldus patri ſimillimus filius, quamvis affinitate devinctus, videba-
tur. Hoc Radbodum incitaſſe ad facinus, quò periculum averteret, credi-
tur. Ipſe Pipinus graviſſimo caſu perculſus, quòd ſe per ſcelus unicò, quem ha-
bebat reliquum, legitimo filio privatum videret, tardante etiam ſenio, quan-
quam juſtiſſimâ irâ æſtuaret, tamen arma moviſſe contra impium affinem
non legitur. Quinimo è mœrore in morbum conjectus, cùm jam nepo-
tem ſuum, ex Drogonæ filiorum altero, Theobaldum in præfectura eadem,
quam cæſus tenuerat, ſubſtituiſſet, non amplius anno cædi illi ſuperfuit:
teſtamentumque condidit, in quo Carolum Martellum ex Alpaide pellice ſibi
natum, cui indolem excelſam ineſſe videbat, omnium rerum in Auſtraſia hære-
DCC. dem reliquit. Quod indignè ferens Plectrudis uxor Pipini legitima, quæ
XIIII. fruſtrâ nuper per Suidbertum præſulem apud maritum interceſſerat gratiâ
& opibus Theobaldi nepotis freta, cui Auſtraſiam deberi jactitabat, Caro-
lum privignum, concitatâ factione ſua, in cuſtodiam Coloniæ conjecit. Paulò
poſt, tumultu per Franciam excitato, cùm in locum Theobaldi violenti juve-
nis Ramanfredum Palatio Francorum proceres præfeciſſent, mortuoque
mox Dagoberto II rege, Danielem quendam, cui Chilperici nomen dederant,
in regnum ſurrogaſſent, atque omnes Auſtraſianis, cui ob Theobaldum &
Plectrudem infeſti erant, imminerent, Martellus caſu quodam è carcere no-
vercæ eſt elapſus, ducemque belli ſe contra hoſtes Auſtraſianis præbuit. Inter-
ea Ramanfredus voluntate regis ſui cum Radbodo, quem ſibi ab Auſtraſia-
nis metuere noverat, fœdus init, paciſciturque, ut, dum Franci ſuis è finibus
Auſtraſianos invadunt, ipſe è Friſia ac Orientis parte in eoſdem impetum fa-
ciat, atque ancipiti bello dubios diſtineat. Radbodus, utpote cui nihil gra-
tius aut oportunius eo fœdere accidere poterat, confeſtim ſuis armatis in Mar-
tellum contendit, tanto animi ſtudio, ut confœderatos ferè omnes antever-
teret. Iamque ad Moſam uſque vaſtabundus penetraverat, cùm Martellus oc-
currendum antè ratus quàm omnes ſe jungerent, huic primùm cum exer-
citu ſe objecit, pugnaque cum eo acri & pertinaci conſertâ, accepto ingenti
detrimento, victus tandem diſceſſit, ac fugâ ſe ſervavit. Friſii victores, cum
rege ſuo ſe Chilperico ac Ramanfredo triumphantes conjunxere. Id factum
anno poſt Chriſtum natum DCC. XVI. At verò Martellus, ut erat etiam in
DCC. XVI. adverſis invicto animo, reliquiis copiarum ſuarum ex fuga collectis, ac in tutum
reductis, novis inſuper ad inſtaurandum exercitum additis, cùm aciem ali-
quoties, quanquam ardente provinciâ ſuâ, prudenti conſilio declinaſſet, tan-
demq; ſecuros ac ſine ordine incedentes hoſtes, à quibus Radbodus jam diſceſ-
ſerat, anno proximo deprehendiſſet, ad Camæracum eos invadit, diſſipatque
DCC. XVI. omnibus impedimentis exutos. Inde aperto Marte rurſus eos petentem vi-
ctoria ingens ſecuta eſt, redditaque victori Carolo Colonia. Tum in Friſiam ar-
ma iterum moventem, ut ſociis opem ferret, ita repente ſe intulit idem victor,
ut Popponem propinquum regis cum primo agmine Friſiorum præmiſſum, ac
jam Brabantiam appetentem, ut VVorperius ſcribit, aut ut aliis placet, in ipſâ
Friſiâ propè inopinum invaſerit, fuderit, cum ſuis cæciderit: Radbodum verò
ſic terruerit, ut ille ſe recipiens pacem per legatos peteret, adeoque ſi ſuo regno
parceretur (malè enim ſibi metuebat ob generi cædem) pace Eccleſiis conceſſâ,
ipſum quoque ſe Chriſtianum futurum polliceretur. Nec difficile fuit à Mar-
tello hoc obtinere, qui non alium armorum ſuorum fructum majorem arbitra-
batur, quàm ſicubi pietatem Chriſtianam propagare la iùs poſſet. Itaque VVil-
librordo, cæteriſq; doctoribus monitis, ne tēpori deſint, quo fælicius negotium
omne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

omne ſuccedat, neu quid omnino abſit, quod ad movendum regem ac po-
pulum pertinere videri poſſet, Wolfrannum è Francia Senonenſem epiſco-
pum magnâ pietate & doctrina clarum, ac ſomnio quoque in eam rem actum,
in Friſiam mittit, qui operam ſuam cum Willibrordo conjungat. Hic cùm
per Friſiam iter fortè faceret, dicitur Onnonem quendam è Friſiis egregium
juvenem, à laqueō pendentem, cui more gentis per ſortem fuerat addictus,
magno miraculo, ſpectante totâ corona, liberaſſe, ac deinceps ſecum ha-
buiſſe, tandemque in Galliam ductum Rotomagi ad ſacros ordines promo-
viſſe, ubi ille multa eruditionis ſuæ & pietatis monumenta poſteris reliquerit.
Eo, ut ferunt, miraculo nomen nactus, cum cæteris doctoribus gnaviter Fri-
ſiam obit, modò populum, modò regem, qui eum ex pacto admiſerat, ſacra
Chriſtiana edocet, multos è plebe ad fidem traducit. Rex, quem dæmones
dementatum tenere credebantur, reſtitit diutiùs: nec tamen Wolfrannus,
omnibus doctrinæ machinis adhibitis, antè deſtitit à cœpto, quàm ille dæmo-
num cultum relinquere, & ſacro fonte ablui ſe velle profiteretur: parataque
Medenblici fuerunt omnia, quæ ad initiandum regem Chriſto coram multi-
tudine pertinebant. Sed cùm Radbodus progreſſus ritu ſolenni in rem præ- DCC.
ſentem veniſſet, atque alterum jam pedem lavacro intuliſſet, converſus ad XVIII.
Wolfrannum, De majoribus, inquit, meis, epiſcope, quid ſentis? plures ne eo-
rum in paradiſo, an apud inferos eſſe credis? Ad quæ epiſcopus cùm plures
apud inferos eſſe reddidiſſet, ſubjecit, Satius igitur mihi eſt, ut plures quam
pauciores ſequar; Simulque pedem è lavacro retulit, ac propoſitum mutavit.
Addunt ſcriptores, nec ſic quidem deſiiſſe ſtudium Wolfranni, ſed faſcino
dæmonum implicitum, aut ſomniis deceptum regem reſipiſcere non po-
tuiſſe: nec multò poſt inopina morte periiſſe: VVolfrannum autem, cùm
quinquennium in Friſia docuiſſet, in Galliam reverſum in cœnobio, quod Fon-
tanellæ vocant, eſſe mortuum, cùm annus ageretur à Chriſto nato DCC. XXX,
Radbodum etiam alterum regis filium ſubitâ patris morte conſternatum,
baptiſmum petiiſſe, nec diu ſupervixiſſe. Alter filiorum Aldegillus, per quem
propagata familia eſt, patrine ſuperſtes fuerit, an ante eum deceſſerit, quan-
quam hoc magis credam, tamen ex fide digno ſcriptore dicere non poſſum.
Nam ex commētitio autore Scarlenſe, quod de ejus in regnum paternum ſuc-
ceſſione recitatur à nonnullis, ac de Horno quoque filio regis illegitimo, quis
pro certo recipiat? aut potius, quis ſuſpectum de falſo non habeat, cùm nugis
tam multis liber ille abundet? Qualia etiam illa ſunt, quæ in reliqua Radbodi
vita eodem ex libro quidam adferunt, Vltrajectum ab eo ad annum Chriſti
DCC, per Gerlachum Popponis patrem rurſum appetitum, bellum in Bata-
vos Harialdo genero duce geſtum, eoque in bello Harialdum magnâ virtute
conſervato rege in Medenblici oppidi foſſâ interemptum, filium verò ejus
Gordianum filiâ regis natum armis in Batavos motis patris mortem egre-
giè ultum, Bolſuinam Gordiani matrem Bolſverdiam, Hornum regis filium
nothum Hornam condidiſſe. Quorum commemorationem conſultò omit-
to, ne hiſtoriam ſcribere profeſſus fabulas pro ea obtrudere lectori velle vi-
dear. Radbodi regis inteſtina Medenblici, ubi vitam finiit, ſepulta: reliquum
corpus Staveram, urbem regiam, totiuſque Friſiæ tum maximam, ac re-
gum ſedem deportatum, conditumque. De filiabus ejus, quas præter filios
genuit, obſcura memoria eſt. Saxones unam ex his Eilam nomine, Edelhardo
ſuæ gentis regi, patruo Vitichindi Magni, quo cum Carolus Magnus bellum
geſſit, nuptam fuiſſe, & Albigonem peperiſſe, cum Vitichindo ad Chriſti
religionem perductum, clarum bello ducem: alteram verò Bartholdo ejuſ-
dem Edelhardi fratri conjugem datam Dietericum edidiſſe magno conſen-
ſu affirmant. Tertia Odbilda Danico regi copulata fuiſſe dicitur. Sed cætera
quoque ſucceſſorum familiæque Radbodi per obſcura ad nos pervenêre, penè

ut nulla fuiſſe videantur. Quod ſæculi ne illius in re litterariâ inter paganos inſcitiæ, an potentiæ Francorum, quæ tum maximè ſub Pipino, & Carolo Magno in immenſum propè aucta omnia vicina obſcuravit, an verò vaſtatoribus Danis & Normannis, qui eodem ferè tempore illi oræ incumbere cœperunt, acceptum ferre par ſit, haud facilè dixero. Finis Radbodi incidit in annum Chriſti DCC.XVIII. nec audiendos puto, qui ad annum DCC.XXIII hanc hiſtoriam rejiciunt. Et ab hoc quidem tempore pax cum Francis aliquot per annos populo Friſico inconcuſſa ſtetit, doctoribuſque religioni propagandæ ſumma commoditas data: ſic vileſcere paulatim idola, & Chriſti cognitio ac honos ubique augeri, templa erigi, Eccleſiæ conſtitui, his miniſtri & reliquus ordo dari: atque hæc non ſolùm in Friſia, ſed in Batavia quoque & vicino ad Rhenum tractu fieri. At verò Martellus interea, ut eò revertamur, victo nuper Radbodo, cùm hoſtes ejus reliqui Ramanfredus Palatii Magiſter & Chilpericus rex ad Eudonem Aquitanum Gotticæ gentis principem ſe contuliſſent, hunc quoque vicit, omnibuſque victis ignoſcens, ac Chilpericum etiam in regnum reſtituens, deinde Saxones, Bavaroſque fælicibus armis debellans, ipſe
DCC. XXV. Francorum Princeps novo titulo eſt appellatus. Sed bello Aquitanico difficili dum procul in extremis Galliæ finibus diſtinetur, ſummiſque implicitus eſſe videtur periculis, Friſii occaſione illecti tumultum concitant, Francicaque in ſe arma irritant. Cauſa quanquam expreſſa in annalibus non ſit, colligi tamen facilè, atque in veterum ſcriptis obſervari poteſt, pertinacem ſcilicet in patriis ſacris retinendis multitudinem haud facilè Chriſti doctrinam admiſiſſe, Franciſque, qui ſe patronos ejus ferebant, morem gerere recuſaſſe, imprimis fanorum ſuorum everſione, idolorumque ignominâ commotam frenum momordiſſe, & ad arma temerè conclamaſſe. Erat verò Carolus ut potentiæ ſuæ augendæ, ita religionis quoque Chriſtianæ proferendæ peravidus. Itaque ubi primum bello Aquitanico Bavaricoque finem impoſuiſſet, in Friſios profectus,
DCC. XXIX. ut armis ſuis à dæmonum cultu abſtraheret, quos movere oratione ſancti doctores non potuerunt, cùm ad manus ventum eſt, primis ſtatim præliis fæliciter rem geſſit, duce quoque Friſiorum, quem Radbodum alii, alii Popponem edunt, occiſo; bellum tamen conficere integrum eo tempore haud potuit. Nam & Friſii ad paludum invia, ac loca alia aquis circumflua, quæ in littore Oceani ſunt, ſe magno numero receperant, unde niſi longo labore moleſtiaque expelli non poterant, & aliunde majoris periculi & molis bellum ingruens, quo totius Franciæ, reliquæque Europæ fortuna ac ſalus petebatur, fama nunciabat. Saraceni quippe ab Eudone, quem pacis nuper initæ cùm Martello pœnitere cœperat, in auxilium evocati, ex Hiſpania magnis agminibus adventare dicebantur. Nec vanus rumor erat. Quadringenta enim millia virorum profanæ gentis, perinde ac ſi non bellatum, ſed habitatum venirent, cum integris familiis in Galliam, Pyrenæo ſuperato, jam tranſierant, omnia non hoſtium magis quàm amicorum fœdâ populatione & incendiis vaſtantes. Eo periculo Martellus exterritus, quo maturè ſummis viribus occurreret, bellum cum Friſiis, quod in manu erat, pro tempore, quoquo modo componere feſtinavit. Et quoniam, quantum armis valeret hæc gens, aliquoties ipſe experimento didicerat, quotquot omnino potuit voluntarios, maximeque promptos Friſiorum militiæ Francicæ contra Saracenos aſſcripſit, quorum magnus fuiſſe numerus dicitur. In his celeberrimum Popponem Ciſamaſanam cohortem duxiſſe, prope VVirdumum natum, in nonnullis annalibus invenio. Omnibus quàm celerrimè à Martello paratis, exercituque florentiſſimo Ligerim flumen traducto, cùm Saracenus obviis omnibus protritis ad Turones jam contenderet, non procul à mœnibus oppidi ejus magnis utrinque animis ac viribus concurſum eſt, parique diu pertinaciâ pugnatum, donec tandem Aquitanus ſocius paulò antè perſuaſus à Martello per fraudem Saracenica caſtra à tergo invaſit.
Tum

Tum verò ad Francum victoriâ inclinante, tam latè in hoſtem cædes evagata eſt, ut trecenta ſeptuaginta quinque millia in acie & caſtris eorum cum rege Abidiramo cecidiſſe ferantur. Victoria ſanè præclara, quâ nec majorem multis ante ſæculis, nec vicinis gentibus gratiorem aliam à quoquam relatam eſſe conſtat. Ex Martelli exercitu MD periere. Inter quos Friſicæ cohortis ductor Poppo, cùm inſignem operam in acie cum ſuis Imperatori, fortiſſimè ante alios pugnando, praſtitiſſet, magnumque ad victoriam momentum attuliſſet, ex inſidiis jam victor interemptus eſt. Corpus ejus ob eximiam fortitudinis & pietatis laudem in templo Turoni tumulatum. Ipſe inter divos relatus magnâ, ut ajunt, ſuperſtitione Turonenſium. Pugna hæc commiſſa eſt anno poſt Chriſtum natum DCC. XXX. Ab hac tam fælice victo- DCC.
riâ, cùm mortuo non multò pòſt Eudone Aquitaniam omnem, & mox Bur- XXX.
gundos pari ſucceſſu ab armis VVeſtgotticis vendicaſſet Carolus, auditis novis Friſiorum motibus, quos eadem adhuc in tutandis impiis ritibus vecordia præcipites agebat, quique, niſi pro libitu ſacra colere liceret, velut nutum alterius ſequi coacti, verè ſibi liberi eſſe non videbantur, quarto pòſt anno rurſum in eos ſe convertit: Sed majoribus omninò quàm antè viribus. DCC.
Memor enim quid proximâ in expeditione ſibi accidiſſet, non ſolùm terre- XXXIIII.
ſtres copias magnas, ſed naves quoque aliquot cum exercitu ſive Aquitanico in ſinu, ut quidam autores ſunt, ſive in Belgicis partibus armatas eductaſque in eos movit tali animo, ut niſi libertate docendi VVillibrordo & ſociis, templaque in eum uſum erigendi, plenâ & ſecurâ ſemel conſtitutâ, redeundum ſibi non putaret. Friſii contrà, quotquot impiæ ſuperſtitioni impotentiùs erant addicti, & ſibi à Martello maximè metuebant, acres ſe oſtentare antè alios, parare alacriter, increpare Francos non religionis modò avitæ, ſed etiam ſub hujus prætextu libertatis oppreſſores, dominandi libidine æſtuantes, ſic cæteros in partes trahere, ſi qui ceſſarent, patriæ proditores deſignare, etiam metu compellere, denique univerſam gentem, velut ad libertatem à majoribus acceptam defendendam, in arma concire. Ducem eorum Radbodum tum fuiſſe Guaginus ſcribit. Sed in nomine, ceu fieri ſolet, cùm ad unum aliquem, qui eo ſæculo ſuâ in gente maximè effloruit, cuncta referuntur, deceptum eſſe eum, tempora computanti ſatis clarum eſt. Nam & Radbodus ante annos ſexdecim jam obierat, & qui in Friſios eo bello imperium militare habuit, Poppo à Sigeberto bono auctore nominatur. Nec me turbat, quòd Harmannus Contractus Verinenſis Comes, doctiſſimus alioqui Chronographus, priore bello cecidiſſe Popponem ſcribit. Facilis enim ejuſmodi in re & vetuſtâ & peregrinâ, quæque ad præcipuum ſcopum ſcribentis non pertinet, hallucinatio. Hunc verò Popponem ego ſuffragiis liberâ in gente ad rem bellicam adminiſtrandam electum fuiſſe, aut regio ſanguine ortum nepotum Radbodi regis ex Aldegillo filio tutelam egiſſe, exiſtimo: nec ſanè multum dubito, quin in eâ Friſiæ parte, quæ ad Orientem Amaſi eſt, in quâ & hodie nomen idem in uſu frequenti deprehenditur, & tum pertinaciùs impiorum rituum ſtudium vigebat, ſedes habuerit. Quem Carolus cùm poſt minuta ad fines primos prælia obvium tandem juſtâ acie habuiſſet, pugnâ commiſsâ, in magnâ ſtrage ſuorum fortiter dimicantem interemit. Ejus cæde turbati reliqui, qui ſe recipere potuerunt, aut prælio non interfuerunt, inſulas & maritima loca, exercituique invia petiêre. Sed cùm illic quoque à claſſiariis præter ſpem, aliiſque ex pedeſtri exercitu expeditis oppreſſi ubique cum liberis ac fœminis nullo diſcrimine cæderentur, fruſtraque ſe niti contra vim ac fortunam victoris, cui nihil jam impeditum eſſe videbatur, animadverterent, nec fugam aut auxilium ullum viderent, manus tandem tetendêre. Victor Martellus ubique perculſis ac turbatis inſtans, circumducto ad omnia loca exercitu, imperio ſe ſubmittere, faniſque & lucis exciſis Chriſti cultum recipere conſter-

natam gentem coëgit. Sed enim nec contra libertatem imperium illud fuiſſe, quod à Martello Friſii acceperunt, nec profanas patrum ſuperſtitiones populum univerſum reliquiſſe, ea quæ deinceps dicentur, oſtendent. Poteſtatem Francis modicam, atque intra leges, doctoribus verò ſecuritatem majorem eâ expeditione eſſe quæſitam ſentio. Et quidem ab armis Francicis ex hoc tempore ad Carolum uſque Magnum, & deinceps complures per annos, domi Friſiis quies rurſum fuit. Signa autem Martelli, regumque poſterorum Francicorum ſecutos fuiſſe, cùm notæ in bello virtutis eſſent, non veriſimile modò eſt, ſed in autoribus quoque deprehendere licet. Sed præfectos genti è Francis, tutoreſque nepotibus Radbodi, Gondebaldo & Radbodo, quorum adhuc immatura ætas regendæ reip. tum erat, novos dederit, quove omninò honore aut dignitate hos reliquerit, mihi ex probato ſcriptore non liquet: nec illa quidem, quæ de his fabulator Scarlenſis ſcribit, tam vana, ut ne ſpeciem quidem veri ullam habeant, recitando paginas complere libet. Id modò animadverto, ſecutis temporibus, cùm jam Carolus Magnus rerum potiretur, regium nomen interdum eos tuliſſe, ſed honoris potiùs ob memoriam majorum, quàm magnæ poteſtatis hoc tum vocabulum fuiſſe. Geſtum eſt hoc bellum Friſicum anno Servatoris DCC. XXXIV. quanquam ſint qui hoc tempus, ut & victoriæ Turonicæ, quadriennio anticipent. Martellus eo finito, aliud cœpit longè difficillimum, quo binis Saracenorum regibus cum infinita multitudine interemptis omnem Narbonenſem Galliam in poteſtatem redegit. Poſtremò Saxonibus iterum victis, tributoque impoſito, cùm omnes majores ſuos gloriâ ſuperaſſet, vitam finiit anno DCC. XLI, titulum regni apud
DCC. XLI. Francos tenente Theodorico, regum in Merovæi familiâ penultimo. Martello ſucceſsêre filii Carolomannus, & Pipinus, quem Brevem ex ſtatura agnominarunt. Sed Pipinus, fratre in cœnobium ſponte concedente, cùm paternas opes ſolus jam poſſideret, decennio à morte patris, dejecto Childerico rege ob ſegnitiem, regnum etiam in Francis ſibi paravit, ut ſuo dicetur loco. At Willibrordus epiſcopus, ſociique populo in doctrinâ inſtituendo ſine intermiſſione invigilarunt: Miſſique inſuper ſunt diverſi in diverſa ad cæteras quoque gentes in verbo fidei erudiendas. Vltrajectum quippe eo tempore Schola Theologica eſſe cœperat, unde vicinas & longinquas in gentes doctores emittebantur. In horum numero Suidbertus, quem collegam Willibrordi diximus, poſt Weſtphaliam, Saxoniam inferiorem, Boructuariam peragratas, irrigatamque doctrinâ ſuâ Mimingardam, Biloveldiam, Brunſuigam, vicum tum temporis ingentem & celebrem, tandem ſolum cœnobio extruendo cùm accepiſſet à Pipino Craſſo, & Plectrude, quibus mirè gratus erat, fanum cellamque condidit, ac novo collegio monaſtico principium dedit. Werdam locum hunc appellarunt in ripâ Rheni Germanicâ, ubi Coloniam Trajanam quondam ſtetiſſe plerique errore decepti arbitrantur: hodie Keiſerſvverdam nuncupant, differentiæ cauſâ, quòd ejuſdem nominis locus alter ad Ruram flumen celebris ſit, in quo poſtero ſæculo Ludgerum monachos quoque collocaſſe, cellamque extruxiſſe exemplo Suidberti, cùm eouſque narratio nobis procurrerit, oſtendemus. In hoc cœnobio ſuo Suidbertus vitam religioſè actam finiit anno Chriſti DCC. XVII, non doctrinâ ſolùm, ſed miraculis quoque clarus: quæ mox ſupra veri modum auxit antiquitas. E quibus apparet lapſum eſſe Cranzium, cùm Suidbertum hunc primum Verdenſem epiſcopum à Carolo Magno creatum eſſe prodit, deceptus & loci nominis ſimilitudine, & appellatione Epiſcopi, quam cum Willibrordo communem fuiſſe Suidberto apud Vltrajectinos, ſuprà retulimus. Nam jam ante Carolum natum è vitâ diſceſſerat Suidbertus. Evvaldi duo, cùm Saxones idolatras docerent, crudeliter ſunt interempti, corporaque eorum Coloniam tranſlata. Sed & Adelbertus regiæ in Anglia ſtirpis per Bataviam in doctrinâ laboravit, conditoque Egmondæ cœnobio, vitam in eo clauſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

eo clauſit. Willibaldus in Germaniam interiorem emiſſus Epiſcopatum Eiſtatenſem ſenex accepit. Drentiam autem, Tuentiamque, ac vicinas ad Iſalam regiones Marcellinus aſſiduo labore peragrans, & Friſiam quoque identidem reviſens, cùm LXX annos docendo continuaſſet, ſatur vitæ Aldenzelæ deceſſit. Hic Marcellinus ille eſt, qui Suidberti acta memoriæ prodidit, quique ipſe magnum pietate ſuâ nomen apud præſentes & poſteros meruit. Nam non doctrinâ tantùm & moribus ſanctis populo præivit, ſed mira quoque quædam fecit vi divinâ ad veritatem doctrinæ firmandum: quorum ſpectatorem magnâ ex parte ſemet fuiſſe in epiſtolâ teſtatur Ludgerus aſſectator ipſius, quem ſequens deinde ætas epiſcopum Monaſterienſem primum vidit. Willibrordum autem totos XL annos archiepiſcopatu per omnem Friſiam naviter functum grandi natu Epternaci in cœnobio, quod ſibi conſtruxerat, mors abſtulit VII Idus Novembris, cùm annum ſalutiferi partus DCC. XLVI Chriſtiani numerarent, gratiſſimâ ſui memoriâ poſteris relictâ. DCC. XLVI. Clementem eum Romani vocarunt, ut eſt à me dictum priùs, nomine à Sergio Pontifice impoſito, cùm illum ex Pipini voluntate archiepiſcopum Friſiorum conſecraret. Ad hunc Vltrajectum è Britannia fortè venit VVinfridus Anglo-ſaxo, juvenis ille quidem, ſed in ſacerdotium jam cooptatus. Quem non ſine gaudio acceptum VVillibrordus, quòd ingenium & pietatem ejus eximiam probaret, in collegium ſuum allegit, operaque ejuſdem fideli in docendis Friſiis aliquandiu eſt uſus. Inde Romam VVinfridus profectus, epiſcopali mitrâ cum novo Bonifacii nomine à Gregorio II Pontifice acceptâ, Romanæ ſedis legatus in Germaniam rediit ad annum Chriſti DCC. XXXV, cùm Orientis imperium teneret Leo Iſaurus. Erat verò talis tum Germaniæ ratio, ut univerſa ferè priſcis ſuperſtitionibus implicita pro Deo dæmones adhuc coleret, paucas autem eaſque rudes & informes Chriſti Eccleſias haberet, in quibus gentium profanarum ritus Chriſtianis moribus ferè miſcebantur. Bonifacius, qui hiſce malis ſanandis Româ miſſus fuit, cùm maximam Germaniæ partem per pericula ac labores docendo obiviſſet, veritatis lucem multis populis oſtendit, multáque hominum millia ſuperſtitionibus liberavit. Nec hîc induſtria ejus ac honos ſtetit. Nam Gregorius III Pontifex admiratione virtutum ejus, ut autoritatem quoque ampliorem adjiceret, pallio Româ miſſo archiepiſcopum eum per Germaniam eſſe juſſit. Quod fuit ad annum DCC. XLI, quo anno Carolus Martellus è vivis exceſſit. Idque ille non ſecus accepit, ac ſi cum honore labor ſibi ac cura nova eſſet adjecta. Itaque epiſcopis per Bavariam, Franconiam, Thuringiam, aliaſque provincias inſtitutis, cùm gliſcentibus malis majorem adhibendam medelam putaret, communicatâ cum Zacharia Pontifice re, Synodum concivit, totiuſque ſacri ordinis cenſum ſeverè egit, præſente Carolomanno Martelli filio: Exautorato autem Moguntiæ epiſcopo, ipſe voluntate Pipini & Carolomanni fratrum locum ejus cepit (nec enim hactenus certam ſedem habuerat.) Id initium Archiepiſcopatus in illa urbe. Nec multò pòſt Fuldenſe cœnobium in Buchoniâ condidit, ſepulchro ſuo deſtinatum. Atque ut pluribus curandis Eccleſiis, docendiſque gentibus vacare liberiùs poſſet, (id enim divinitùs mandatum ſibi putabat) Lullum collegam & ſucceſſorem ſibi adſcivit. Audiens verò de obitu VVillibrordi, non ſuâ tantùm ſponte, ſed juſſu quoque Carolomanni, iſtius Eccleſiæ curam ſuſcepit, epiſcopumque VVillibrordo ſurrogavit. Vltrajectini non alium ſurrogaſſe, ſed ipſum Eccleſiam regendam ſumpſiſſe, ac ſecundum ejuſce urbis archiepiſcopum egiſſe videri volunt. Nos in medio relinquimus, atque hoc tantùm affirmamus, quod ipſe in epiſtolis de ſe teſtatur, Carolomanno volente, Eccleſiam Vltrajectinam à morte VVillibrordi ſe conſtituiſſe. Nec ambigendum, quin, quâ erat pietate & ſtudio, concionibus frequẽter habendis tum quoq; populum in Friſiâ de Chriſto docuerit,

viamque ſalutis annunciarit. Secutum deinde tempus, quo Franci pertæſi inertiæ regum ſuorum, quos ex Merovæo prognatos habebant, Childerico in ordinem redacto, Pipino Martelli filio regnum dederunt: ad quem ſolenniter coronâ ſceptroque inſigniendum, Boniſacius, qui legatum Pontificis perpetuum agebat, Sueſſiones eſt evocatus, cùm annus Chriſti ageretur DCC. LI.
DCC. LI. Tantam illi viro autoritatem eâ ætate pietatis & eruditionis fama circumdederat. Poſtremò, Moguntiâ ſecundo Rheno deſcendens, ut quod reliquum impietatis gentilis in Friſia erat, extirparet, Vltrajectum venit. Inde cum epiſcopo Eobano, quem ego Vltrajectinum ſuffraganeum fuiſſe arbitror, ſociiſque aliis quinquaginta, viris piis, populoque docendo idoneis, trajecto Almera flumine agrum Friſicæ ingreſſus, quanto potuit ſtudio ſementem verbi divini in populo paſſim fecit, ſociosque, ut idem facerent, huc illuc dimiſit: fana ubi potuit, invitis partim, partim non renitentibus incolis, deſtruxit, & templa viciſſim raptim excitata, ad quæ populus rei divinæ gratiâ conveniret, Chriſto dicavit. Denique tam fæliciter in opere divino verſatus eſt, Deo labori aſpirante, ut multa hominum millia omnis generis, cùm ſuperſtitiones ejuraſſent, per baptiſma ſacrum ſint Chriſto initiata. Iamque labaſcere haud dubiè religio omnis profana cœperat, vix ut ſe tueri reliquiæ poſſent, cùm indignatus Satanas vi graſſari, ac piorum ſanguine ſuum fulcire regnum conſtituit. Nam cùm vir ſanctus, qui tum ad rivum quendam, qui Oſtergoam à VVeſtergoa dirimebat, fortè venerat, omne ſacro fonte lotorum agmen ad
DCC. LV. diem certum, Doccumi ſibi adeſſe, ad confirmationis myſterium ex more Rom. Eccleſiæ accipiendum juſſiſſet, eoque cum ſuis maturè profectus, venturam turbam expectaret, ecce ingens profanorum caterva, quos Satanas conciverat, velut furore percita, cum armis primâ luce accurrit, ut Bonifacium cum comitatu trucidaret. Quos illi, qui circa epiſcopum erant, quique ad eum fortè jam convenerant, cùm ruere in ſe viderent, arma quidem, quæcunque pro tempore habere poterant, ceperant, ut furorem iſtorum reprimerent, familiamque epiſcopi tuerentur. Sed Bonifacius, tumultu audito, ab armis temperare juſſit, dixitque ſibi & ſuis optabilem potiùs eſſe mortem, quæ poſt miſerias fælicis vitæ janua ſit, quàm tali labore ac ſanguine fugiendam. Deinde ad ſocios familiamque converſus, ad conſtantiam omnes gravi oratione hortatus eſt. Tum ſumpto ſacro codice, ſociiſque ſequentibus, obviam furentibus progreſſus, ultrò docere eos de ſalute, ac Chriſtum annunciare cœpit. At illi, velut immanes beſtiæ, indignantes etiam atque frementes, quòd inviſâ oratione obſtrepere inſuper doctor auderet, impetu facto, ipſum cum univerſo, quem ſecum trahebat, comitatu, in quo & Eobanus epiſcopus erat, & alii aliquot viri inſignes ex ſacro ordine numero L I, armis obtritum contrucidarunt. Adjiciunt, qui vitam ejus, & mortem pro pietate obitam expoſuerunt, homines ſuperſtitioſi & veris ficta ſæpè miſcentes, ut religionem augeant, ſummam calvariam cæſim Bonifacio concionanti, codicemque ſupra verticem tenenti ablatam, paucos poſt dies, cum cæteris reliquiis, ipſoque codice, quem fruſtra lacerare latrones voluerint, religioſè quæſitam aſſervatamque, nec multò poſt, extructo inſigni cœnobio, quod etiamnum ſupereſt, in loco cædis patratæ multâ ſuperſtitione illic conditam à poſteris coli: latrones ſtatim facinore patrato, cùm ſatiare ſe prædâ vellent, panes vidiſſe ſibi in lapides converſos, quos ad rei geſtæ fidem poſteritas eâdem formâ etiam nunc aſſervet: mox vino in prædâ reperto cùm ſe expleſſent, exortâ fortè lite, in furorem actos in partes iviſſe, ac mutuis vulneribus ſe confeciſſe: demum cùm extruendo cœnobio temploque locum incolæ haud multò poſt aggeſtâ terrâ complanarent, ac de aquâ dulci, quo cœnobitæ uti poſſent, eſſent fortè ſolliciti, præſente Pipini regis præfecto, ac locum contemplante, ungulæ equinæ pulſu terram apertam limpidiſſimæ aquæ fontem perennem magno miraculo fudiſſe. Sic enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

enim meminerant monachi de Heliconis fonte in Bœotiâ poëtas ſcribere. Quæ quomodocumque conficta, in religionem à poſteris verſa ſunt, ac ſuperſtitiones pro veteribus novas cumularunt. Nos ad hiſtoriam redeamus. Pipini præfectus,qui in Orientali Friſiâ circa Amaſum tunc fortè erat, ſive Friſius is fuerit, ſive Francus,(id enim non conſtat) audito facinore atroci,in vindictam juſtâ irâ exardeſcens cum validâ manu Lavicam fluvium tranſiit, cohortemque illam nefariam latronum, quæ à mutuâ cæde ſupererat,univerſam propè ferro perdidit: reliquos, qui primum impetum effugerunt, extorres patrio ſolo exegit. Et quia ad Radbodum juniorem, qui apud amitam Danorum reginam à teneris educatus,impietatis venenum penitùs hauſerat,eamque Friſiæ partem,quæ ad occaſum Lavicæ amnis eſt,princeps moderabatur, ſuſpicio concitatæ multitudinis pertinebat, is quoque aut ejectus armis, aut conſcientiâ urgente, quod pœnam graviorem formidaret, ſponte profugiens in Saxoniam ad Witichindum & Albigonem propinquos ſuos, ab iis porrò in Danos ſe recepit, multoque illic tempore exul manſit. Sic ſanctorum ſanguini juſto ſontium ſupplicio ubique parentatum. Bonifacii martyris corpus, cum paucis aliis,Vltrajectum deportatum conditumque: verùm non longo tempore pòſt, à Lullo Moguntino epiſcopo, quem ſibi collegam elegiſſe Bonifacium diximus,magnâ pompâ Fuldam tranſlatum eſt.Eum enim ſepulturæ ſuæ locum ipſe multo antè deſtinarat. Facta hæc cædes eſt anno DCC.LV, ad diem Nonarum Iunii. Alii his annis unum, Vltrajectini tres detrahunt. Bonifacio cum ſociis indignâ morte perempto, Gregorius Eccleſiæ Vltrajectinæ adminiſtrationem ſuſcepit, quem ſucceſſorem jam deſignatum fuiſſe ab eodem, cùm in Friſiam poſtremùm iret, perinde ac ſi fatum ſuum proſpiceret, Vltrajectini perhibent. Ad hunc eximium etiam Friſicæ gentis doctorem (ſic enim eum Marcellinus coætaneus,ille cujus antè multa facta mentio eſt,in epiſtolis appellat) ex Angliâ fortè venit Willehadus ſacerdos, vir doctus, accepto regis ſui & epiſcoporum commeatu. Is, ut erat avidus proferendæ religionis Chriſtianæ ex conſilio Gregorii Doccumum profectus, qui locus adhuc recenti Bonifacii cæde calebat, ſalutiſque doctrinam magno ſtudio annuncians, quos hæſitantes invenit,cõfirmavit,quos verò priſtinus error adhuc tenebat,magno numero ab errore vindicavit. Quam ad rem multum profuit Bonifacii comitumque ejus, quam omnes meminerant, admirabilis in extremo caſu conſtantia. Nec concionibus ſolùm Willehadus religionem promovit, verùm etiam, ut penitùs eam genti inſereret, & ad poſteros proferret, nobilium liberos circùm ſe habuit,litteraſque & religionem magno ſtudio edocuit. Sic enim ſtatuebat, quod mundis puerorum animis, quos lolium & tribuli nondum occupaverant,inſitum eſſet à ſe,id altè radices acturum, meſſemque ſuo tempore copioſam eſſe redditurum. Atque hunc fructum latiùs etiam in populo manaturum ſperabat, quòd primorum ſtudia vulgus ferè ſequatur. Inde, poſt aliquot annos Hummerzios adiens,qui cis Lavicam flumen in agro Groningano ſunt, cùm eadem illic tentaſſet, vix manus idolatrarum evaſit: dimiſſuſque ſeniorum conſilio, quòd ceſſandum ſibi non eſſe arbitraretur, ad alias Friſiæ partes ulteriores acceſſit, omnique, quâ potuit,ope,hoc operam dedit, ut Chriſti lumen populus in tenebris ſedens hauriret. Atque in eo perſtitit inſtituto, donec Carolus Magnus ad Saxones docendos eum miſit, primumque Bremenſi oppido epiſcopum dedit. Intereà verò,dum hic in Friſiis laborat,alter ex Anglia Theologus, eodem ſtudio fervens, nomine Albericus ad Gregorium epiſcopum Vltrajectum ſe contulit, opuſq; idem ſtatim aggreſſus eſt. Cujus ingenium & pietatem cùm vehementer Gregorius probaret,eum ſibi collegam adſciſcere, ac ſucceſſorem nominare concupivit.Et cùm ille,niſi ſuis antiſtitibus,ſub quibus profecerat,conſultis,aſſentiri nollet, coactus eſt hominem hujus rei gratiâ in Angliam rurſum dimittere: addiditque illi

comitem Ludgerum Friſium, adoleſcentem magnæ ſpei, de quo latiùs nobis deinde memorandum, ut ad Alcuinum litterarum famâ celebrem doctorem audiendum duceretur. At Albericus à ſuis epiſcopus jam renunciatus altero anno cum eodem comite ex Anglia ad Gregorium rediit, ſummaque concordiâ honorem cum eo communem habuit, quoad is in vivis manſit. Obiit
DCC. LXVIII. Gregorius, ut à nonnullis notatum, anno Chriſti DCC. LXVIII, cumque anno eodem, VIII Calend. Octob. ſecutus eſt Pipinus rex, Carolo Magno & Carolomanno ſucceſſoribus relictis. A morte Gregorii, Alberico jam ſolo epiſcopatum tenente, clareſcere, & docendæ Eccleſiæ miniſterio adhiberi cœpit Ludgerus, quem prius nominavimus. Is utroque parente nobili & Friſio, patre Tiardo, matre Liauvâ, haud procul Doccumo in vico VVirumo natus, ſimul ac ætas doctrinæ capax fuit, litteris admotus, ac mox Gregorio epiſcopo Vltrajectino in diſciplinam datus eſt. In quâ cùm profeciſſet, cum Alberico in Angliam miſſus fuit, ut Alcuinum Eboraci litteras magnâ admiratione atque hominum famâ docentem audiret. Ad quem, cùm Albericum in Friſiam poſt annum reduxiſſet, voluntate epiſcopi ſui confeſtim rediit, totoſque tres annos & menſes ſex eidem erudiendum ſe tradidit. Manſiſſetque cum eo diutiùs, niſi caſus quidam diſcedere invitum coëgiſſet. Fortè enim rixâ exortâ juvenem nobilem Anglum Friſius quidam in pugnâ interfecerat. Quare indignati Angli cùm in Friſios ſe vertiſſent, omnes inde diffugere compulerunt: vixque iratorum manus Ludgerus evaſit, adjuvante Alcuino. Deinde extincto Gregorio epiſcopo Albericus ſucceſſor nondum juventam egreſſum, cùm domi apud Vltrajectinos tum fortè moraretur, ad Tranſiſulanos miſit, ut ſementem Euangelii à Saxonibus nuper illic oppreſſam inſtauraret: Templumque, quod Leaſvvinus quidam Friſius aliquot ante annos apud Daventrienſes excitaverat, dirutum reſtitueret. Quo fæliciter perfecto, Albericus majore ſpe conceptâ ad Friſios ſuos eum ire voluit, & quod reliquum profanarum ſuperſtitionum apud eos erat, abolere. Nec ſpem epiſcopi Ludgerus fefellit, omnibus delubris & fanis, volente maximè populo, per Friſiam deſtructis. Tum Doccumanis Paſtor datus ſeptem annos populum in religione rudem continuo labore perpolivit, non in iſtâ tantùm viciniâ, ſed per proximas etiam regiones. Videbaturque fælix jam naſcentis Eccleſiæ per Friſiam ſtatus, cùm aliunde ingruens turbo, id quod collectum erat, penitùs rurſus diſſipavit. Ejus originem & cauſam paulò altiùs à principio repetam. Saxonum gens Friſiis vicina in cultu dæmonum mirè pervicax erat: Victique prius non ſemel à Pipino Craſſo, & Carolo Martello, nuper etiam à Pipino rege, ac ad tributum quoque ſolvendum, reliquaſque parendi leges accipiendas compulſi, ut Chriſto nomen darent, tamen compelli hactenus non potuerant. Quorum fortunam cœcitatemque miſeratus Carolus Magnus, cui ut ingens pietatis ſtudium, ita opes longè maximæ ſupererant, ſummâ vi ad ejurandas profanas ſuperſtitiones ipſos adigere, nec antequàm id perfeciſſet, cœpto abſiſtere decrevit. Itaque cùm nondum quadriennium in regno expleſſet exercitu parato Saxones invaſit, pluresque jam
DCC. LXXII. annos bello gravi cum pertinacibus conflictabatur: poſtremò poſt varios labores eò res illorum redierant, ut cladibus fracti promiſcuè poſtulata regis admittere, ac in Chriſti nomen ire ſe velle profiterentur: nec pauci baptiſmo ſtatim initiati, lociſque compluribus templa inſtituta, aut præſidia impo-
DCC. LXXIIII. ſita: Witichindus gentis dux, & pertinaciſſimus dæmonum patronus, in Daniam confugit. Non multò pòſt Saxonicis rebus conſtitutis, Carolus
DCC. LXXVIII rex à principibus nonnullis invitatus, cum ingenti apparatu atque exercitu in Hiſpaniam eſt profectus, comiteſque expeditionis fortiſſimum quemque è regnis ſuis, ac ſociis populis ſecum duxit. Inter hos & Gondebaldus Friſicæ gentis princeps: de quo dictum eſt prius, Aldegillo genitus, Radbodi

junioris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

junioris frater, cum IIII millibus lectiſſimorum juvenum eadem è gente fuit. Ibi multis victoriis partis, Pampelonâ aliiſque oppidis ac arcibus captis, quum jam in regreſſu eſſent, non procul Pyrenæo ſaltu perfidiâ Vaſconum quorundam in inſidias incidere, qui in poſtremo agmine erant; quorum dux Rolandus Caroli ſorore ac Milone Anglerio natus, vir fortiſſimus, & cum eo Gondebaldus Friſius, quanquam undique premerentur, tamen majoribus omninò animis quàm viribus atrox prælium aliquandiu ſuſtinuerunt, magnamque hoſtium vim neci dederunt. Poſtremò feſſi jam, ac multitudine oppreſſi, priuſquam Carolus ſuppetias ferre poſſet, ſuper ingenti ſtrage Saracenorum ambo conciderunt. Ea fama in majus quàm pro vero aucta cùm in Germaniam ſubitò pervolaſſet, Saxones Witichindo autore, qui per abſentiam Caroli è Daniâ redierat, auxiliaque nonnulla ſecum adduxerat, abjectâ fide, arma rurſum capiunt, idola inſtaurant, Francorum præſidia oppugnant, ac ubicunque poſſunt, malè mulctatâ Saxoniâ ejiciunt, in omnes Chriſtiani nominis viros, fœminas, pueros promiſcuè deſæviunt, religionem ſuis è finibus prorſum eliminant, denique in Rhenum uſque intactum aut tutum piis nihil relinquunt. Deinde, poſtquam ea fœliciter cecidiſſent, Caroluſque perfidiæ Vaſconum vindicandæ in Hiſpaniâ retineretur diutiùs, ut plerique ipſum quoque extinctum crederent, audentiores facti, in Friſiam etiam ſe inferunt, principe ſuo Gondebaldo, ac promptiſſimorum juvenum legione, quæ ſecuta eum erat, vacuam. Sed ſponténe ſuâ, atque odio religionis id fecerint, an à Radbodo, qui & ad ſuos nuper redierat, & fratre abſente majorem jam animum gerebat, clam evocati, ab autoribus non traditur. Me, ut de Radbodo hoc credam, plura impellunt. Nam & Albigoni Saxoni avunculus, & Witichindo ipſi amicus erat, & virus occultum in Chriſtianos conceptum pridem, nondum animo ejecerat. Sed quos peſſimè oderat, iis ob conſenſum, qui jam in Friſiis videbatur, haud facilè ſuis viribus nocere poterat, nec per ſe quicquam, quanquam ſuaderet libido, vindictæ metu tentare palam audebat. Itaque, ut alieno crimine ac periculo animum expleret, quid facere potius conſultiuſque potuit, quàm ſi Saxones odio Chriſtianæ pietatis ardentes, ejuſque delendæ cupidos, qui jam in armis erant, occultis nunciis cum Witichindo ſuo evocaret? Saxones, ut ad inſtitutum redeat narratio, recenti adhuc piorum cæde, ac reliquo facinore calentes, Witichindo ductore, velut limphati furenteſque vicinum Friſiorum agrum invaſerunt, & flammâ ac ferro latè vaſtarunt, quicquid ad Chriſti cultum pertinere videbatur: perpeſſaque omnes clades Friſia eſt, donec univerſa ferè à religione herbeſcente publicè diſcederet, Chriſtumque ejuraret. Ludgerus his tantis malis animo conſternatus, multumque ſecum de laboribus à ſe fruſtrà ſuſceptis per tot annos querens, cum duobus, quos habebat, fratribus Hildegrimo & Gerberto, magno cum mœrore, relictâ patriâ, Romam eſt profectus: ſalutatoque Pontifice, ad Caſſinates monachos, quos Benedictus primùm eo in monte collegit ad extrema Latii, ſtatim perrexit, quòd Friſicæ gentis abbatem Detmarum, virum ſingulari pietate, cœnobio præeſſe audiſſet: ibique morari conſtituit. At Carolus rex, ne fruſtra tantos labores & pericula priora videretur obiiſſe, cum exercitu Friſiam perterritam & veniam precantem tranſgreſſus, ejecto in exilium Radbodo, & Friſiorum militari robore in expeditionem aſſumpto, in Saxoniam properavit, & VVeſtfalos primùm novis cladibus fractos, deinde Oſtfalos citra ultraque Albim habitantes, qui Saxones omnes ſunt, animos ponere rurſum, & induere obſequium coëgit. Eo facto novum conſilium continendis in officio pervicacium & rebellium ingeniis cepit. Nam ad demulcendos homines indomitos, atque obſequio aſſuefaciendos, non, ut prius, præfectos iis impoſuit, qui regiam poteſtatem ac vim præferrent, ſed ut quamque partem

bello rurſum vicit, Epiſcopis à ſe creatis, hominibus religioſis aſſignavit, qui & docerent populum, & autoritate potiùs ac nomine venerando, quàm imperii ſpecie rebus præeſſent. Atque ita per diœceſes diviſa, totaque tandem Epiſcopis ſubjecta eſt Saxonia, ſed formâ regiminis libertati propiore. Quæ quomodo ordine geſta ſint, quoniam Saxonicæ hiſtoriæ ſunt propria, non eſt inſtituti noſtri ſigillatim exponere. Illud verò ad nos propiùs pertinens, nec hoc omittendum loco, quòd Friſia iſto tempore VVillibrordi, Suidberti, Marcellini, Bonifacii, VVilhehadi, aliorumque doctrinâ irrigata, licet magnis jactata tempeſtatibus, tamen velut plantarium fuit, unde Doctores & Epiſcopi vulgò tum in alias gentes traducebantur. Quorum è numero Wiho genere Friſius, primus per omnem Saxoniam epiſcopus Oſnabruggæ dictus à Carolo rege, qui VVitichindum ducem paulò ante cum
DCC. LXXVII. ſtrage gentilium ipſius iſtinc ejecerat. Ante alios verò memorandus Ludgerus, quem Carolus rex, cùm de novo, quod dixi, conſilio curas verſaret, commendatum ſibi diligenter ab Alcuino (quo tum magiſtro, atque in litteris præfecto, magnis ex Anglia evocato præmiis, publicè & privatim plurimùm utebatur) Caſſino ejus rei gratiâ accerſierat, ubi totos jam XXX menſes in diſciplinâ ordinis ejus exactos habebat. Sed regi is cùm ſe ſtitiſſet, quamvis rogaret & hortaretur rex, tamen ut epiſcopi honorem reciperet, perſuaderi tum temporis haud potuit. Autor autem fratri fuit Hildegrimo, qui jam antè ex Italia reverterat, ut ab eodem petente rege Selingſtadii in Saxoniâ epiſcopum ſe deſignari pateretur: præclarâ ſanctitate & doctrinâ vir, nec cuiquam in eo ordine à fratre ſecundus. Atque hic alter fuit in Saxonia Epi-
DCC. LXXIX. *aut ſequente.* ſcopatus à Carolo conſtitutus, qui cum eodem adhuc Hildegrimo vivo haud multò pòſt Halberſtadium eſt tranſlatus. Ludgerus verò ipſe quamvis monaſticâ vitâ delectatus, quam à Carolo petierat, tamen ne fugâ laborum detrectaſſe oblatum honorem videretur, relicto paulò pòſt clauſtro canonicorum regularium, uti vocant, in Brabantia, in patriam ſe conferens, eccleſiis illic, quas Saxones diſſipaverant, recolligendis totum ſe dedit. Quibus ad occidentem Lavicæ ritè conſtitutis, ubi erat ipſe natus, mox Lavicam tranſgreſſus Hummerzios quoque, Huneſgonios, Fivelingios, Reiderios, Amaſanos, alioſque ad orientem Amaſi Friſiæ populos, qui à Carolo Magno doctorem linguæ gnarum popoſcerant, ſecundo numine, ad ovile Chriſti palantes revocavit. Tum verò ad propinquos reverſus à Danorum finibus (eò enim uſque labor ejus pertigerat) ex voto cœnobium extruere in natali ſolo, ſuaque omnia religioni conſecrare voluiſſe perhibetur, ſed ſomnio monitus à propoſito deſtitiſſe. Vidiſſe namque ferunt per quietem atras à Septentrione nu-
DCC. LXXXII. bes cogi, & aſſurgere, ventoque impulſas per Oceani littora Friſiæ incumbere tam tetrâ caligine, ut ſolis luce oppreſſâ, medio die noctem horrendam incolæ conſternati paterentur, donec à meridie tandem ſol rurſum emergens tenebras paulatim diſpelleret, nubibus in boream rejectis, grataque lux mœſtis incolis redderetur. Hoc ſomnio deinde perturbatum ac flentem ajunt ſorori tam ſubitæ mœſtitiæ cauſam ſollicitè interroganti reſpondiſſe, viſum ſibi per quietem oblatum, quo portenderetur, Normannos, reliquoſque Septentrionis populos procellæ inſtar è ſuis ſedibus effuſos dulciſſimæ patriæ incubituros, ademptaque libertate, juſtitiæ quoque ſolem Chriſtum non ita nuper eluceſcentem, quod omnium triſtiſſimum ſit, Friſiis eſſe ablaturos: cujus mali non ante finem futurum, quàm ab Auſtro exurgens populus in ſuas ſedes prædatricem gentem redire compuliſſet: addidiſſe etiam, non antè quicquam horum eſſe eventurum, quàm ipſe è vita diſceſſiſſet: ſororem autem omnibus hiſce ſuperfuturam. Quæ ſi vera memorantur, non ſine numine viſum hoc, viſique expoſitionem fuiſſe, apparet. Eventus quippe prædicta inſigniter comprobavit. Manſitque alta pax à

Norman-

obſequium ſæpiùs exuerent, atque in rebellionem erroreſque priſtinos verterentur. Itaque anniverſarius quoque labor hîc Carolo fuit, ut opem epiſcopis ferret, rebelleſque & præfractos armis ſub imperium retraheret. Sed epiſcoporum nulli quàm Ludgero in his omnibus major difficultas, propterea quòd, ut ante oſtendi, quemadmodum maximus illi fervor doctrinaque inerat,ita duriſſima quoque inter Weſtfalos unà cum Wihone provincia obvenerat. Ea quippe gens, cùm Witichindus jam dudum arma poſuiſſet, cæterique paulatim in viciniâ cladibus multiplicatis deffeſſi conquieſcerent, perſuaderi tamen nequiit, quo minus velut mente captâ contra ſtimulum calces jactare pertinaciter pergeret. Itaque conſpirare ſæpiùs inter ſe, armaque tacitè moliri, Chriſtum publicè profeſſi, in conciliis, quæ clam agitabant, rurſum ejurare, ſacra patria, cùm interdiu non liceret, in lucis lociſque aliis noctu celebrare. Nec antè finem pervicaciæ dementis fecêre, quàm denuò iterumque victi, ſervitutem indignam pro libertate,judiceſque metuendos,qui,quos indicium aliquod ſuſpectos modò feciſſet, ſine judicii ordine, ubicunque comprehenſos ex arbore ſuſpendebant, ab irato Imperatore ſibi accerſiviſſent. Id autores referunt ad annum DCCC.V, alii ad DCCC.VIII. At Witichindum ſtatim à Chriſtianiſmo ſuſcepto ita admiratione doctrinæ, virtutis, pietatis, ceperat idem epiſcopus, ut neminem ille ſibi impoſterum habuerit conjunctiorem, cum hoc publica privataque conſilia ſua omnia ſociaverit, quoad in vivis fuit. Interea verò dum motibus his Saxones agitantur, Friſii perſuaderi non potuerunt,ut, quod fieri inter vicinos ſolet, contagione eorum inſanirent. Nec ſolùm in fide conſtantes perſtitêre,ſed magnam quoque Saxonici belli partem, quòd & finitimi hoſtibus eſſent, & militari juventute abundarent, multumque inſuper virtute valerent, ſuſtinuêre, fueruntque velut in præſidio agentes ad omnes Saxonum motus in armis parati: ut mirum non ſit,magnis eos honoribus atque beneficiis à Carolo Imperatore eſſe affectos. Nec Saxonico tantùm bello difficili & diuturno Friſii bonam operam Carolo navarunt, ſed quocunque duceret, ſigna ejus ante alios ſecuti ſunt, nec unquam ferè à latere ejus,cùm armis res eſſet agenda, abſceſſêre. Quod fidei virtutiſque ipſorum argumentum eſt maximum. Quæ ſi Galli ſilentio prætereunt,non id mirum videri debet, cùm eâdem erga alios quoque invidiâ laboraſſe deprehendantur, vitióne cæteris quidem nationibus pleriſque inſolito; quæ,quò ſe magis admirabiles oſtendant, cunctaque in ſe vertant,aliorum laudes ac fortia facta ſilentio tegunt, interdum etiam obtrectant. Friſii verò, qui hæc memoriæ poſterorum mandaret, ſcriptorem hiſtoriæ non habuerunt. Nos, de quibus veterum monumenta tacent, veriſimili ratione expendenda tantùm ſubjeciſſe lectori ſatis habemus, ne incerta affirmare voluiſſe in hiſtoria videamur. Itaque de expeditione in Deſiderium, Taſſilonem, Hunos, Britannos nihil dicemus. Quæ veterum teſtimoniis nituntur, breviter attingemus. Saxonibus in Hadeleria poſtremùm ſuperatis (nam ad eos huc ſe recipientes, non ad Friſios id pertinere cenſeo) Witichindo in fidem recepto, Weſtfalis debellatis, Britonibus Bavariſque victis, Hunis etiam, gente ferâ & indomitâ, gravi clade correptis, antequàm cum iis debellaret, Carolus poſcente ſic re, ingenti cum exercitu in Wilſos,Henetorum gentem DCC.
ad Havelam trans Albim ſedes habentem, proficiſcitur. Itaque ut reditum LXXXIX.
ad ſuos tutum haberet, ſi quid ſibi adverſi accideret, pontes duos magni operis Albi fluvio imponit: exercituque traducto, Friſios, quibus plurimum fidebat, ad capita pontium utràque in ripa in præſidio relinquit, qui eos ab hoſtium injuriâ incolumes tuerentur. Quo facto, ſuam ſuique exercitus ſalutem illorum fidei commendavit. Tum in hoſtes contendens,tam latè agros eorum populatus eſt, ipſoſque preſſit, ut ſe victori dedere cogerentur. Sic ad pontes rediens, cùm incolumes eos inveniſſet, exercitum ex hoſtico reduxit,

DCC. Friſioſque collaudavit. Fuit id ad annum Chriſti DCC. LXXXIX. Deinde
XCI. in Hunos eoſdem comparavit ſe denuò, validiſſimumque in id bellum, quod
perdifficile futurum prævidebat, exercitum cunctis è provinciis conſcripſit.
Nec dubitare licet, quin & Friſios expetierit, & ipſi aſſidui milites tanti Regis,
in hanc quoque tam celebrem militiam ſua nomina frequentes dederint, idque
ipſum annales quoque vetuſti eâdem ætate ſcripti expreſsè affirmant. Quo
bello quantæ res à Carolo geſtæ ſint, quàm divites prædæ relatæ, nobis dicere
non eſt propoſitum. Ab hac victoriâ Hunicâ, cùm animo ad res eccleſiæ con-
DCC. verſo hæreſin Felicianam renaſcentem Ratiſbonæ anno Chriſti DCC. XCII,
XCII. & idolomaniam nuper in Oriente ab hominibus ſuperſtitioſis productam in
ſcenam, & epiſcopo quoque Romano cleroque allubeſcentem, ſenſimque per
Occidentis provincias ſerpere incipientem, Francofurti frequenti in Synodo
anno DCC. XCIIII repreſſiſſet; deinde, reſumptis armis, Saxonas ad ingenium
DXX. redeuntes multis cladibus per aliquot annos caſtigaſſet; tertiò tandem in Ita-
XCIV. liam movit, ut cauſam Leonis Pontificis, & Romanorum ipſe coram cogno-
ſceret, ac definiret. Leonem enim Romani à primoribus nonnullis incitati,
dum ſacra peragit, captum malè mulctaverant, atque in carcerem conjecerant.
Ex quo ille elapſus ad Carolum trans Alpes confugerat. Carolus verò ſta-
tim eum ex conſilio epiſcoporum ſuorum ad urbem Romam remiſerat, ipſe,
ubi commodum eſſet, cum exercitu idoneo & proceribus ſuis ſecuturus. Ita-
DCCC. que in proximum annum, qui DCCC à Chriſto nato fuit, ſeſe parans, matu-
ro jam autumno Alpes cum filio Pipino Italiæ rege trajecit. In hac verò ex-
peditione, quæ omnium ipſi honoratiſſima fuit (Imperator quippe & Au-
guſtus ab univerſâ civitate Romanâ, cùm feriæ Natalis Domini agerentur, ac-
clamatus, ac coronâ chlamydeque à Pontifice Leone ſolenni ceremoniâ cin-
ctus eſt, poſtquam controverſiam Pontificis cum populo jam terminaſſet) va-
lidam Friſiorum cohortem, quod ſatis conſtat, ſecum habuit. Quæ cum Pipino,
cui tum contra Grimoaldum Beneventanum grave bellum erat, in Italiâ reli-
cta, egregijs facinoribus editis, præclarum nomen ſibi ſuiſque peperit, atque illis
etiam gentibus, quâ virtute Friſii eſſent, declaravit. Argumento eſt tabula
ingens antiqui marmoris in rei illius memoriam poſita, litteriſque exarata,
quam ſua ætate ad Michaëlis ædem apud Vaticanum incolumem fuiſſe Raphaël
Volaterranus optimus autor tradit. Sic enim in inſcriptione ejus eſt: Tem-
pore Leonis Pōtificis, imperante Carolo Magno, Friſios in Italiam veniſſe, Pon-
tificique contra Saracenos, qui & Italiæ oras & ipſa Romæ ſuburbana vaſta-
bant, auxilio fuiſſe: atque in hujus rei geſtæ cæſorumque memoriam ædem illam
Michaëlis tum eſſe erectam. Deinde cùm ex Apulia fortè Friſii Romam repe-
terent, quoſdam eorum, viros nobiles, ſomno monitos corpus S. Magni Fundis
repertum ad Vrbem ſecum tuliſſe, idque eâdem in æde Michaëlis poſuiſſe.
Quinetiam exſtructo, eodem in loco, xenodocheo, annuoque vectigali aſſig-
nato, ſuæ nationis pauperibus confugium ſtatuiſſe. Omnia nunc, ait Volater-
ranus, avaritiâ noſtrorum, peſſum ivêre. Aliud verò deinde hoſpitium S. Spi-
ritus ædificatum, in Saxia ea de cauſa dictum, quòd Friſii Saxones in eam ſe
partem reciperent. Quam ſanè tabulam niſi fortuna ſervaſſet, hanc quoque
gloriam, ut plurima alia majorum noſtrorum præclarè geſta, ſcriptorum invi-
dia, qui ſilentio ea obruerunt, aut ſuis aſſcripſerunt, nobis abſtuliſſent. Nec
tamen neſcius ſum, ad Caroli Calvi Galliæ regis, & Leonis IV Pontificis tem-
pora à Volaterrano iſta trahi. Cui ut accedere non poſſim, hæ me rationes
potiſsimùm movent. Quòd Calvus cum Leone Pontifice imperium non te-
nuerit, quodque idem, ne poſtea quidem, cùm imperare cœpiſſet, Magni no-
men, ita ut hîc præſcriptum in tabula eſt, unquam uſurparit: quòd nec ipſe in
Italiam venerit cum exercitu, quandiu Leo Pontifex in vivis fuit, nec rebus
etiam Italicis ſe ullo modo miſcuerit: poſtremò, quòd nihil ei unquam cum
Friſiis

Hac de tabulâ in quâ ſententiam editis iam bis deſcendere ſim coactus, & ob quas cauſas, alio libro typis excuſo oſtēdi.

Normannis per Friſiam, quoad Ludgerus ſuperfuit, per annos amplius x x v.
Qui quidem cùm ſomnio hoc monitus in Friſia condere cœnobium non potuiſſet, ne tamen animi decretum omitteret prorſus, ad Ruram flumen quinquennio pòſt locum delegit, ædificiiſque pro monachorum collegio ab aliquot deinde annorum curriculo illic extructis Werdenam appellavit, ſuoque deſtinavit ſepulchro. Radbodus interea à Francis patriâ nuper ejectus exul in Daniâ vitam tandem clauſerat, ſtirpique regum maſculæ cum principatu in Friſiis finem dederat. Sic paulatim longiùs promota libertas: Danis verò odii in Friſios & Francos materia relicta, de quo dicetur poſteà. Nec tamen neſcio, non deeſſe ſcriptores, qui tradant, Radbodi poſteros diu in ea regione, quæ trans Flevum eſt, principatum tenuiſſe, atque ex ſe genuiſſe Egmondanos Comites. Quæ ſi fabula non eſt, cum Normannis in patriam rediiſſe, ac Chriſtianis ſacris ſuſceptis opes avitas recuperaſſe exiſtimo. Quod veroſimile in eo eſſe videtur, qui cum Rollone Normanno ſub Carolo Simplice Francorum rege pro libertate pugnavit. Simul propagando inter idolatras Chriſtianiſmo, & conſtituendo imperio ſuo adhuc intentus Carolus aſſiduis penè curis ac labore occupabatur. Ac ſæpè ille per aliquot continuos annos cum utriſque Saxonibus Oſtfalis & Weſtfalis congreſſus fuit: Et ſæpè victos eos, & in fidem ſuam receptos, ſæpè etiam ad rebellia conſilia relapſos, atque ad arma reverſos, iterumque victricibus armis ſuperatos, & arcibus ac præſidiis compreſſos, ſemel quoque exempli cauſâ ad terrorem injiciendum quatuor millium quingentorum dedititiorum ſevero ac atroci ſupplicio ob cædem legatorum ſuorum correptos, demum velut fractâ tot adverſis cladibus pervicaciâ ſubmittere colla, & ſibi parere, & doctrinæ dare locum coëgit. Quod factum anno
Chriſti DCC. LXXXV. Erat tum Padelbornæ, quò ſæpè venire ſolet, Carolus, DCC.
celebrem illic omnium ordinum conventum agens, multaque variis de rebus LXXXV.
conſtituens. Inde pacato agmine omni peragratâ ac luſtratâ Saxoniâ, Bardengai conſedit aliquandiu, &, quæ neceſſaria, expediit: ſimul ad Witichindum & Albigonem fratrem ejus, hoſtes pertinaciſſimos, qui in hac fortunæ deſperatâ cõditione procul ſe ſubduxerant, legatos miſit ex ipſis Saxonibus viros ſpectatos, hortatuſque eos eſt, ut tandem ſanam mentem induerent, ac fide publicâ accederent ad ſe, experturi clementiam & æquitatem ſuam. Sed cùm pejus ſibi conſcii eſſent illi, quàm ut id facere auderent (autores enim ac duces tumultuum ac rebellionum tam frequentium fuerant, populumque in legatorum cædem concitaverant) demum polliciti ſunt, ſi rex obſides ſibi daret, ſe vel in ipſam Franciam venturos. Eo tempore novus à rege Epiſcopatus conſtitutus in Weſtphaliæ medio, epiſcopuſque deſignatus Ludgerus: ſedes ei Mimimgrodæ, quæ nunc Monaſterium eſt, data. À Ludgero inſtante rege munus cum labore ſuſceptum, titulus & honos recuſatus conſtanter, nec niſi duodecimum poſt annum urgente, Alcuino præceptore, Colonienſi archiepiſcopo Hildeboldo penè cogente, admiſſus. Ita rex, cùm è purpuratorum ſuorum numero Aluvinum cum obſidibus ad Witichindum miſiſſet, in Galliam rediit: eumque non multò pòſt inclinante jam anno Witichindus cum fratre, & domeſticorum ac gentilium manu eſt ſecutus, omneſque in doctrinâ inſtituti & regi Carolo reconciliati Attiniaci, ubi tum Carolus erat, ſacro fonte ſunt abluti eodem adhuc anno. Id à Ludgeróne factum, ut quidam volunt, an à quo alio antiſtite ejus viciniæ, mihi incertum, & in medio relinquendum. Witichindus cum fratre domum remiſſus à clementiſſimo ac fidei obſervantiſſimo rege, atque inſuper maximæ opum ſuarum parti reſtitutus, in fide deinceps perſtitit incorruptè, quoad vixit, ampliſſimaſque ex ſe principum Germániæ, Galliæ, Italiæ familias propagavit. Sed non eodem modo tota gens. Nam poſt ſeptennii quietem reſumptis armis, abjectâ paſſim religione Chriſtianâ, & bellum in Carolum, & impios cultus multi inſtaurarunt, ut poſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

oſtendemus. At medio tempore, durante pace, idem rex haud diu pòſt Mimimgrodenſem diœceſin Ludgero commendatam, antequam in Italiam iret, Verdenſi quoque Epiſcopatui circum Viſurgim dedit initium, & primum illic in Friſia natum Suidbertum, diverſum ab eo, qui cum VVillibrordo ex Britannia advenit (in quo Crantzius errat, nominum ſimilitudie deceptus) præſulem inſtituit. Inde Româ reverſus, compoſitis Italiæ rebus, Bremenſi in oppido, loco Friſiis & Saxonibus pariter oportuno ad eundem Viſurgim fluvium novam rurſus Epiſcopatus ſedem ſtatuit, primumque in eâ ſede VVil-
DCC. LXXX VIII. lehadum collocavit, virum gravem, & bene de tota iſtâ viciniâ, quæ littori adjacet, meritum. Namque ab occidua Friſia exorſus, ut oſtendimus antè, in Viſurgim uſque docendo pervenerat, periculáque & labores, per annos plus quam XXX, inter profanas Saxonum & Friſiorum gentes exantlaverat. Huic ut ab incurſu Barbarorum poſſet eſſe tutus, ampliſſimum territorium, ingenteſque opes ultra citraque Viſurgim rex circumdedit, ut ex donationis tabulis, quæ in archivis Eccleſiæ ejus extant, videre licet. Quæ ſi poſteri integra retinuiſſent, nulli propè Epiſcoporum per Germaniam conceſſiſſent. Inter reliqua autem ea Friſiæ pars, quæ Viſurgi vicina eſt, & quicquid ejus inter hoc flumen Albimque porrigitur, hac ſunt donatione comprehenſa. Sed, ut antè dixi, modica epiſcopis poteſtas, quæque libertati proxima, data fuit. Demonſtrat hoc Crantzius è vetuſtis annalium monumentis, cùm ſcribit, eâ conditione provincias epiſcopis, & maximè Bremenſi Carolum aſſignaſſe, ut quod quiſque juris antè in illis acceptum à majoribus haberet, id omnes integrum retinerent, nec ulli hominum ea donatio fraudi eſſet, aut libertatem minueret. Vnum decimarum jus epiſcopis tributum iniquius viſum, quod & turbas ſæpiùs dedit, & Saxonum rebellium arma identidem concitavit. De Friſiis verò ſatis conſtat, aut privilegio Caroli exemptos oneri huic fuiſſe, aut ſuis ſe armis in libertatem aſſeruiſſe, utpote, qui immunitatem à Caroli uſque temporibus nunquam interruptam uſurparint. Quanquam de privilegio mihi quidem dubium non eſt, quod & fide conſtanti, & forti operâ ſuâ, dum omnibus in bellis regem ſequuntur, promeruêre. VVillehadus autem cùm biennium tantùm vixiſſet, & tres menſes in epiſcopatu, ageretque in Ruſtris, parte Friſiæ ad Viſurgim, in vico Blexenâ, deceſſit ſenio
DCC. XC. gravis, anno à Chriſto nato DCC. XC. Succeſſit ei VVillericus diſcipulus, volente Carolo, ſedemque eam tenuit totos annos L, ut eſt à quibuſdam proditum. Interea Ludgerus docendo populo rudi intentus, multis, qui eo in labore ſeſe juvarent, ordinatis, ne quid ad theatricam pompam pro more ſæculi iſtius, quâ plus penè quàm doctrinâ mentes Barbarorum movebantur, in religione deeſſet, exemplo cæterorum ingentis moliminis fanum, quamvis infælici in loco, inchoavit: nec deſtitit antè, quàm ope Friſiorum, quibus erat cariſſimus, quorumque magna fuit in promovendo propoſito ejus liberalitas, præter omnium ferè expectationem, ad finem perduxiſſet. Denique talis ubique in obeundo epiſcopi munere apparuit, ut expectationem de ſe concitatam ſtudiis prioribus, cùm alios apud homines, tùm apud Carolum regem, quam ſuſtinere arduum erat, etiam ſuperare videretur. Atque his epiſcopatibus paulò pòſt Carolus Mindenſem quoque, acceptâ à VVitichindo regione in ejuſdem Viſurgis orâ, deinde & Aulicenſem, qui Hildeſianus nunc audit, VVilſis divictis, ad flumen Leinam, poſtremò Padelbornenſem circum Lippiæ & Amaſi fontes adjecit. Eo modo Saxonia omnis cis ultraque Viſurgim in diœceſes VIII diviſa à Carolo, & erudiendi populi cura epiſcopis tradita, additis regionum rectoribus & præſidiis. Et iſti quidem operi inſtitêre haud ſegniter, ut pietate ac manſuetudine commendatos ſibi imbuerent: nec tamen aut ſtudio aut lenitate ſuâ efficere potuêre, quo minus excuſſâ reverentiâ ſacerdotalis imperii, ac metu regiorum præſidiorum projecto, pervicaces animi obſequi-

Friſiis fuerit commune, quos Lotharius frater, ejuſque filii imperio tenebant. Omnia verò iſta ſi ad Carolum Magnum referas, aptiſſimè ejus rebus convenient, modò pro IV Leone, III ejus nominis accipias. Quæ ſanè unius apicis aberratio in ſignando legendóve nomine facilè poteſt accidere. Nec Saraceni quidem iſthoc eodem tempore, quo Carolus Magnus Pontifice Leone imperium habuit, Italiæ littora infeſtantes deerunt, quos Friſii armis perſecuti ſint, ſi quis ejus temporis Annales volet revolvere. Quæ ſanè rationes etiam ſi me fortè fallant, nec ſic quidem majorum noſtrorum gloriæ, cui marmor illud certiſſimum teſtimonium perhibet, quocumque etiam imperante poſitum ſit, quicquam decedet.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber Quintus.

QVÆ dum per Italiam geruntur, cùm omnium ferè gentium animi in Carolum Imperatorem verſi eſſent, ejuſque victricia arma metuerent, Bavaris, Bohemis, Saxonibus compreſſis, atque ad obſequium tandem redactis, Gallia Germaniaque immotam pacem habebant. Et eodem quoque bono Friſia, pacatis undique vicinis, per aliquot annos fortunata fruebatur, opibus, honore, libertate ſub legitimo imperio efflorеſcebat: pietatis ſtudio reliquis Germaniæ provinciis anteibat, ut vicinarum regionum beatiſſima non immeritò cenſeri poſſet. Sed ut humana fælicitas ſolida nulla ac diuturna eſt, ita tum quoque ſubitò Friſios univerſa deſeruit. Nam mortuo nuper Ludgero, id quod accidit anno Chriſti DCCC.IX, DCCC.IX. ad diem VII Calendarum Aprilis, ecce Gotricus Daniæ rex (Godefridum Germani & Itali vocant) memor irarum veterum ob Radbodum, deinde & à Saxonum proceribus nonnullis, qui ad eum domo profugi ſe contulerant, aſſiduis vocibus incenſus, ac ſuapte naturâ ferox, rupto, quod cum Francis habebat, fœdere, velut turbo inexpectatus, cum ingenti prædatorum exercitu in Friſiam à mari incubuit. Quod novum tum exemplum per multa jam ſæcula in eâ gente intermiſſum prædandi longinqua littora homo injuſtus æquè atque arrogans primus iſtauravit. Ac neſcio an unquam ante hoc tempus Dani aut Norwegi, quos Normannos communi voce, velut ex Borea profectos, vetuſtas appellavit, Friſiam ſibi ſubjectam habuerint. Nam de Frotone primo, & Haraldo III, Daniæ regibus, quæ Saxo Grammaticus ſcribit, quis ea autori crediderit, qui ita ſuos Annales præſertim de ſæculis illis priſcis compoſuit, ut poëſin magis quàm hiſtoriam ſapere videantur? quorum illum dicit Saxo quingentis ante Chriſtum annis Curetibus in Livonia imperio ſuo ſubactis, Ruſſis in poteſtatem acceptis, Vbbone ſororio ſuo armis ſuperato, Wichoni Friſiæ regi bellum moviſſe, prælioq; navali ingenti debellatum ſibi parere juſſiſſe: mox majore vi Britanniam invaſiſſe, totamque victoriis ſuis peragraſſe: quibus noſtrates alias quoque fabulas adiiciunt, æquè vanas & incertas: Haraldum verò Haſmundi filium DC pòſt Frotonem annos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

cum Vbbone Friſio Iutiam infeſtam habente, homine animo & corpore pari-
ter magno & invicto, arma contuliſſe, eumque ob virtutem & robur ex hoſte
ſocium feciſſe, germanâ quoque ſorore in matrimonium illi collocatâ. Hu-
jus deinde ductu cunctis ad Rhenum littoribus infeſtatis, Britannos bello
vexaſſe, militem è Friſia Britanniaque evocatum, ac Danis conjunctum, Sue-
corum regi Ringoni & Starcutero oppoſuiſſe, denique primùm in Galliæ oras
prædatricem claſſem emiſiſſe. Quæ nec affirmare nos, nec falſi arguere volu-
mus. Sed cum Godefridus, ut eo revertamur, qui penitùs collapſam Danorum
gloriam poſt aliquot ſæcula reſtituit, ſive ille ex Radbodi filiâ natus, quod qui-
dam tradunt, ſive à ſanguine ejus alienus cùm in Friſiam irruiſſet, oppreſſâ li-
bertate, religione extinctâ, fortunis cunctis ablatis, in turpem miſeramque ſer-
vitutem populum adegit. Tributum quoque annuum injunxit, quod inſolen-
tis animi ejus, ac contumeliâ victorum gaudentis, manifeſtum argumẽtum eſt.
Ædificium enim C C. X L pedum longitudinis, duodecim paribus ſpatiis mace-
riâ diremptis diſtinctum conſtituit: ad hujus caput quæſtor, cùm tributum
pendendum erat, conſidere juſſus eſt: ad finem verò clypeus concavus ex ære
locatus, in quem ſinguli Friſiorum tributum ſoluturi, numum conjiciebant;
cujus numi cadentis ſonum ſi quæſtor ex longo intervallo exaudiret, in ſolutum
cedebat: ſin minùs, regio quidem fiſco ille accreſcebat, ſed qui jecerat, alium
atque alium majoris ponderis eôdem conjicere cogebatur, donec tinnitum
quæſtor perciperet. Atque hæc Danorum annales habent. Noſtri homines,
quæ tradita per manus à majoribus acceperunt, aut in ſcriptis invenerunt, plu-
ra adjiciunt. Omnibus nimirum fortunis exutos Friſios ad inopiam extre-
mam adegiſſe, auri, & argenti uſu omni in cultu corporis vetito, ad vimineos
torques, ſimiliaque ſervitutis extremæ argumenta, eos lege latâ redegiſſe: Præ-
fectum barbarum dediſſe, qui in ſervili obſequio & opere miſeros detineret,
oſtium in ædibus ad Septentrionem unum habere juſſiſſe humilius quàm pro
ſtaturâ corporum, cùm ut jugum quotidie turpiter ſubire, tum ut exituri, in-
flexo toto corpore regem Danorum ſerviliter venerari viderentur. Hanc ille
ignominiam tantam defectione quadam priore, ut quidam memorant, irrita-
tus, an ſtudio nimio ac fide gentis erga Francos offenſus, an inſitâ barbarie ad
inſolentiam actus irrogarit, parum conſtat. Nec ſatis compertum eſt, poſt
abitum regis patienter, ac ſine motu conditionem ſervitutis infælix populus
aliquandiu tulerit, an frenum mordens excutere jugum barbaricum tentaverit.
Diuturna quidem ſervitus illa haud fuit. Nam Danus ſucceſſu rerum inſo-
lentior etiam factus, Saxonum parte, qui ad Albim ſunt, ſubjugatâ, Friſiis jam
oppreſſis, reliquas quoque Francorum provincias, contemptâ ingraveſcente
Caroli ætate, animo ſibi deſtinabat: Itaque VVilſos Henetos, qui ad dorſum
Cimbricæ Cherſoneſi erant, ingenti exercitu pedeſtri invadens, ut per eos in
interiorem Germaniam aditum liberum aperiret, Carolum Imperatoris filium
juſſu patris occurrentem habuit, pugnaque graviſſimâ commiſſâ, multos Fran-
corum cecîdit, plures verò etiam è ſuis, & fortiſſimum ac nobiliſſimum quem-
que amiſit. Sic recipere ſe in regnum recolligendi ſui cauſâ coactus, majores
inſuper ſpiritus ex indignatione concepit; inſtauratiſque copiis terrâ marique
Francorum provincias ſimul invadere, quâ proximè poterat, conſtituit. Nec
DCCCX. mora, ducentarum navium claſſe comparatâ, in Friſiam, quam ſuam jam pro-
vinciam æſtimabat, ſive rebellem maleque parentem, ſive præſidiis ita oppreſ-
ſam ut commovere ſe non poſſet, iratus fertur; militémque è navibus expoſi-
tum, dum copiæ, quas expectabat, omnes coëunt, cæteraque, quæ uſus poſcebat,
proveniunt, huc illuc raptat, inſulas agroſque, & quicquid obvium erat, fœdâ
populatione devaſtat. Iamque inter ſuos arrogantis & vani animi voces jacta-
bat, rectà ſe Aquiſgranum ducturum, atque in ipſâ aulâ, ſi procedere in aciem
non auderet, Carolum Imperatorem eſſe oppreſſurum. Carolus verò, ut de
armis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

armis ejus cognovit, & ipſe ſe ad barbaram ejus ferociam retundendam, inhibendoſque conatus, quantâ poteſt adhibitâ celeritate accingit. Iamque ad Viſurgim caſtra metabatur, quâ iter primùm habere hoſtes audiverat, cùm nuncium accipit, inſolentem ſuiſque gravem regem, cùm caſtra jam movere, atque in Germaniam ſe effundere pararet, conſpiratione ſuorum periiſſe: Danos diſſidiis agitatos, rege occiſo, feſtinatâ fugâ domum redire. Itaque exercitum & ipſe dimiſit. At Friſii occaſione uſi, erectis ad repetendam libertatem animis, cùm arma raptim undequaque collegiſſent, & à Francis auxilia oportuna haberent, Danorum reliquias & præſidia, ne quid movere deinceps poſſent, paſſim oppreſsêre, aut finibus ſuis exturbarunt. Quod eò proclivius ac faciliùs fecêre, quòd Danicæ res domi factionibus & bello civili in Olaum & Hemmingum ſciſſæ, cladibuſque mutuis attritæ, ſuis auxilii ſpem demerent. Excuſſo fœdiſſimæ ſervitutis jugo, recuperataque libertate, leges quoque ab Imperatore ſive recens tum ſcriptas, ſive multò antè uſurpatas, denuoque diligentiùs ſancitas, quibus domi militiæque uterentur, accepêre. Quibus ferendis hic modus habitus eſt, ut prudentiſſimi duodecim è populo lecti, qui conſuetudines & inſtituta majorum noſſent, eas conciperent, Imperator verò ratas, ac in perpetuum ſanctas eſſe juberet. Quapropter pleræque electiones, aut placita, aliæ jura provincialia appellantur. Hiſce autem legibus optimum jus Friſiorum libertaſque integra ſancitur: *Vt liber ſit populus, ſuique juris in perpetuum: Vt rebus ſuis, uti velint, ſinguli utantur, fruantur: Imperio tantùm, in cuius clientelâ gens eſt, cenſum modicum ſolvant; nemini præterea ſint obnoxij: A vi mutuâ abſtineant; pacatè ſecundùm leges ſua poſſideant, vindicéntque: Iudices controverſijs finiendis habeant liberis populi ſuffragijs lectos, atque Imperatori ſacramento obligatos, qui ex patrijs legibus cauſas diſceptent & lites finiant: Sacerdotes, ſacráque omnia ſancta ſint: Matronarum virginúmque honos conſervetur: Omnium delictorum mulcta ſit; quam pecuniâ, pecore, reliquis fortunis ſolvant: Pœna capitis, niſi parricidis, proditoribus, latronibus, incendiarijs nocturnis, graſſatoribus, inceſtis, nemini irrogetur: Duello, ferro ignito, aquâ fervente, ſanctiſſimo iureiurando criminum purgatio habeatur: Suam cuique cauſam coram judice, voce ſuâ agere liceat.* Tum de ſucceſſionibus familiaque herciſcundâ, de dotibus, de criminibus plura decernuntur, quæ privati juris ſunt. Quæ licet ad Carolum Magnum Imp. omnia vulgò referantur, mihi tamen cuncta conſideranti haud dubium ſit, quin altius principium à Martello pleraque habeant. Hic enim conditor religionis in Friſia, victo Radbodo, populum rudem legibus excolere, & propoſitâ libertate in Chriſti cultu & obſequio continere, quod legum autorem ſpectaſſe ex verbis ſatis liquet, neceſſe habuit. Sed cœpta à Martello, atque à Danis penitùs abolita, Carolus Magnus inſtauravit, auctioraque fecit. Quin alia quoque pleraque feruntur, quæ Friſiis tum Imperator honoris ipſorum cauſâ indulſerit. *Auri argentique in omni cultu corporis promiſcuus & liber uſus: Tributorum, longinquæ militiæ, reliquorúmque onerum publicorum immunitas: Armorum honoratæque militiæ Francicæ perpetuum ius: Eligendorum è ſuâ gente magiſtratuum, & ſummi præfecti, qui ex patrijs legibus judicia regerent, reip. conſulerent, libertatem tuerentur, libera populi poteſtas: Atque hoc privilegium maximum ne antiquari unquam, aut à ſequentibus Imperatoribus populo adimi poſſet: Pœna quoque graviſſima ſtatuta in eos, qui libertatem imminuere, aut horum quicquam auſu temerario violare auderent.* Sic Danicæ ſervitutis incommodum juſtâ libertate penſatum eſt. Confectæque & ſignatæ hac de re tabulæ, quæ temporis & bellorum, quæ mox ſecuta ſunt, injuriâ interiêre. Quarum loco ab ineptis & rerum imperitis hominibus conſarcinatæ aliæ ſubſtitutæ ſunt, quæ vulgò circumferuntur, riſumque legentibus antiquitatum non ignaris præbent. In quibus ſi quid ex vero inſit, ad Henricorum Impp. tempora idipſum pertinere videtur. Atque hæc, quæ diximus, non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

non Romæ,ſed Aquiſgrani acta eſſe, cùm poſtremos vitæ annos Carolus ageret, vero ſimile eſt. Nam tum conciliis agendis, ac legibus omnium provinciarum corrigendis, plurimùm eum vacaſſe, nec alio loco, quàm Aquiſgrani, frequentiùs egiſſe, hiſtoriæ teſtantur. Et nos quidem longiuſculè hoc in loco explicando contra brevitatis inſtitutæ modum hæſimus, ut aliquid ſaltem lucis in tantis tenebris origini legum & libertatis noſtræ afferremus, quorum fundamenta jecit Martellus, perfecit longiuſque provexit Carolus Magnus; Succeſſores identidem, quæ ſanxerunt illi, rata eſſe juſſerunt. Eodem quoque tempore, ſacrorum jus aliquot capitibus comprehenſum Leo III Pontifex ex conſilio eorum, qui res Friſicas norant, iiſdem inſtituit, ingenio loci populique accommodatum, SIINDRIVCHT appellant: quo multis ſæculis in rebus ſacratis majores noſtri uſi ſunt. Quibus conſtitutis, cùm denuò jam Friſia è Danicâ ſervitute recreata florere inciperet, obiit Aquiſgrani Carolus Impe-
DCCC. rator ſeptuagenario major, anno Chriſti DCCC. XIV, ad V Calend. Februar.
XIIII. cùm regnaſſet annos XLV. imperium tenuiſſet annos XIII. pientiſſimus & fæliciſſimus principum Germaniæ, ac Friſiorum ſingularis amator. Succeſſit ei filius Ludovicus cognomento Pius. Ad quem duodecimum imperii annum
DCCC. agentem Haraldus Daniæ rex profugus venit, opemque contra æmulum ſuum
XXV. Regnerum rogavit, fœdere fretus, quod Hemingus pater aut patruus, ejuſdem gentis rex, cum Carolo Imperatore nuper pepigerat. Gotefrido enim per inſidias ſublato, ut diximus, cùm Hemmingus cum Olao aliiſque de regno dimicaret, ut ſe contra æmulos muniret, amicitiam fœduſque Caroli expetierat & confecerat. Hemingum deinde Sivvardus Gotefredi nepos Norvvegiæ rex ſolio dejecerat, atque huic Regnerus filius, cujus præclaræ res geſtæ per diverſas provincias celebrantur, ſucceſſerat. Qui dum peregrè arma circumferret, Iutii aliique nonnulli regni Danici proceres Haraldum, Hemmingi filium aut nepotem, regem ſibi fecerunt. Regnerus autem ubi intellexit, magnis itineribus in eum contendit,præliiſque pluribus victum regno expulit. Ille verò in Germaniam ſe recipiens, ad Imperatorem Ludovicum in extremis rebus ſuis confugit, ac de auxiliis eum ſupplex interpellavit. Nec reſpuit preces ſupplicis & fœderati Ludovicus, modò ille clientem Imperii & Chriſtianum ſe ſuoſque fore viciſſim promitteret. Imperator enim,ut belli gloriâ multò erat patre inferior, ita promovendæ pietatis ſtudio eundem propè antecedebat. Itaque deliberatione initâ, cùm conditionem hanc Haraldus accepiſſet, & Moguntiæ cum familiâ proceribuſque ſuis per baptiſmum Chriſto nomen dediſſet, per Saxones jubente Ludovico in regnum eſt reductus. Sed cùm iterum infæliciter cum Regnero, qui trium regnorum validiſſimas copias in ipſum ducebat, pugnam commiſiſſet, victus & ab omni fortunâ deſtitutus in Germaniam cum fratre Erico, familiaque, cæterâ rediit. Cujus ſortem cùm humaniſſimus Imperator accepiſſet, ut aliquod calamitoſo ſolamen præſtaret, ſedes ei in Friſiæ parte conceſsit. Hæc enim omnium commodiſsima viſa eſt, unde & Danis prædatoribus incommodum adferre, & regnum aliquando ex occaſione invadere rurſum poſſet. Sed Haraldo paulò pòſt morte ſublato, Ericus frater, qui & ipſe Moguntiæ baptiſmum acceperat, locum ejus eâdem in ſede tenuit. His verò iiſdem temporibus Anſcharius genere Francus, multæ doctrinæ & pietatis vir, (quem Ludovicus Imp. cum Haraldo patriam repetituro, ſuadente ac rogante eodem Haraldo, è novo cœnobio Corbeienſi, nuper à ſe condito, evocatum in Daniam miſerat,) aſſumpto uno atque altero laboris ſocio, intereà dum rex bellum inſtruit ac gerit, Iutas proximos, mox Danos reliquos, demum Suedos etiam adjerat, labores & pericula plurima toleraverat, magnam plebis multitudinem hic illic Chriſtianâ religione imbutam ſacro fonte abluerat. Denique ſævâ tempeſtate à patronis profani cultus excitatâ, cui cedendum videbatur, in Germaniam reverſus Corbeienſi collegio ſeſe reddiderat, omnibus gratiſsimus. Hunc

Imp.

Imp. Ludovicus initio anni DCCC. XXXIII, in mediis turbis civilibus, probante DCCC.
& favente ſacri ordinis ſenatu, quem circùm ſe habebat, archiepiſcopum crea- XXXIII.
vit Hamburgenſem, ejuſque curæ Septentrionis populos Danos, Suedos, Nor-
wegios, Finnos, & quotquot ſupra hos, in Chriſtianâ pietate erudiendos paſcen-
doſque commiſit. Atque ut haberet idem, quò ſe recipere poſſet, ſi quando in-
grueret perſecutionis procella, neu quid ei deeſſet rerum neceſſariarum evaſta-
tâ fortè à Barbaris Albis viciniâ, Turnholti in Belgio confugium illi ſtruxit,
amploſque cenſus attribuit. Hoc modo inſtructus Anſcharius difficillimo operi
accinxit quidem ſeſe alacris & impavidus, ac rem denuò tentavit, ſed parum
potuit eo tempore proficere. Erat quippe tum infælix imperii Francorum
conditio ex diſſidiis inteſtinis: filiique armis in patrem ſumptis, claſſicum ca-
nentibus epiſcopis, eò illum adegerant hoc ipſo, quem jam dixi, anno, ut
ſceptri honore poſito filiorum ac epiſcoporum arbitrio & judicio ſeſe ſub-
mittere habuerit neceſſum, penè ut captivus. Mox patre reſtituto alia atque
alia diſſenſionum domeſticarum & armorum civilium mala ſecuta. Eam oc-
caſionem ſpeculati Regnerus liberique ejus, trium tunc Septentrionalium
regnorum domini, perindignè ferentes, Haraldum hoſtem ſuum Ludovici co-
piis & hoſpitio adjutum, alios quoque in ſe inſtructos, non in proxima ſolùm,
circùm Hamburgum, ac in Friſiæ oram, ſedem hoſtium ſuorum, ſed in omne
nomen Francicum, omneſque eorum provincias, quas adire poterant, infen-
ſiſſimis animis ferebantur. Accendebat eos præterea odium mirificum Chri-
ſtianæ religionis, quam ſuis regnis invehere autore Ludovico conatum fuiſſe
Haraldum, non ipſi tantùm cum patre regii liberi, ſed omnes propè regnorum
illorum incolæ indignabantur: avebantque iſtius doctrinæ cultoribus, quæ
ſuis ſacris exitium parabat, quàm maximum detrimentum reponere. Ita-
que armatâ claſſe, atque inter proceres diviſâ, huc illuc per omnia Germa-
nici Gallicique Oceani littora Harpyarum inſtar volitabant: quocunque
adire, atque in terram exſcendere poterant, rapinis, cæde, incendio cuncta
vaſtabant. Deinde cùm prædæ dulcedine illecti eſſent, proceres, quique pa-
randarum navium & conducendæ juventutis facultatem modò habebant,
ſponte ſuâ ſine regio imperio, quod majoribus quoque eorum, qui piraticam
honeſtæ militiæ æquiparabant, ſolenne eſſe ſolet, idem multo tempore facti-
tabant, littoraque Germaniæ, & Galliæ, adeoque interiores quoque hujus
provincias miſerrimum in modum affligebant, & ſeneſcente Francorum
virtute, aut viribus eorum per arma civilia diſſolutis, pro libidine ſuâ divexa-
bant. Nec finem fecêre priùs, quàm Neuſtriam pulcherrimam Galliæ provin-
ciam, cui Normanniæ nomen ex ſe dedêre, tranquillam ſedem Francis extor-
ſêre. Sed hæc poſteriùs facta. Iſto verò tempore, de quo dicere cœperamus, ex
Norwegiis & Danis conflatæ navales copiæ, cùm ſeditione illâ liberorum
Ludovici contra parentem, mutuaque ipſorum inter ſe contentione ac bello
graviter affectas eſſe Francorum vires intelligerent, majore fiduciâ, velut juſtâ
expeditione, in provincias eorum impetum fecerunt. Namque à Galliæ fini-
bus initio facto per Flandriæ littora prædabundi incedentes, cùm Scaldim, DCCC.
Moſam, ac Rhenum flumina ſubiiſſent, oppidaque Antwerpiam, Vitlam, Do- XXXV.
reſtatum incenſa vaſtaſſent, in Friſiam uſque pervenêre, eique graviùs etiam
quàm reliquis, quas adierant, terris, ob eas, quas diximus, cauſas, incubuerunt.
Prædis enim omnibus abactis, non antè abceſſerunt, quàm ingens, majuſque
quàm pro modo facultatum, tributum ab afflictiſſimo populo extorſiſſent. Sic
ſpoliis onuſti, cùm de adventu Ludovici Imp. cum copiis audiviſſent, ſubitò ſe
in patriam receperunt. Ludovicus autem, ut rebus his impoſterum provideret,
Ericum Haraldi fratrem, addito milite, navibuſque, oræ per Friſiam maritimæ
præeſſe, ac prædatorum vim prohibere juſſit. Hunc enim & rerum Danicarum
peritiſſimum, & Regneri familiæ inimiciſſimum eſſe ſciebat. Simul etiam in

mandatis dedit, ut in omnes regni patrii invadendi, atque ab inimicorum ma-
DCCC. nibus extorquendi occaſiones eſſet intentus. Itaque cùm ſequente æſtate, eva-
XXXVI. ſtatâ VValachriâ, prædones iidem in Friſiam ſe denuò intuliſſent, multiſque
incommodis, priuſquam occurri poſſet, incolas littori proximos affeciſſent,
non tamen aut iram ſuam explere, aut ſine gravi ſuorum clade iſtinc diſcede-
re potuerunt, quòd Ericus cum præſidio adeſſet. Hinc annus alter, qui erat à
DCCC. Chriſti in terris exortu DCCC. XXXVIII, Fridericum VIII Vltrajectinorum
XXXVIII. epiſcopum, virum magnum & omni memoriâ digniſſimum, ſi ſuperſtitio non-
nulla illius ſæculi abfuiſſet, è terris abſtulit. De quo pauca quædam altiùs repe-
tere, non alienum à cœpto opere videtur. Hic Friſicæ gentis, ut plerique, qui
& ante eum fuerunt, & longo ordine eodem in Epiſcopatu ſecuti ſunt, in vico
Sexberumo, non procul oppido Franekerâ natus, familiâ illuſtri, & præ reli-
quis honoratâ, avum maternum Aldegillum principem, proavum Radbodum
regem clariſſimas imagines præferebat. A pueritiâ verò voluntate matris Co-
novellæ, primùm aliorum, qui in litteris & pietate nomen habebant, de-
inde & ipſius Rixfridi epiſcopi apud Vltrajectinos, hominis Friſii, qui Her-
macaro itidem Friſio, ut Hermacarus antè Theodardo ſive Tiardo gentis quo-
que ejuſdem, & ille Alberico Angloſaxoni, de quo dixi libro quarto, ſucceſſe-
rat, diſciplinæ commendatus eſt. Sub quibus adeò fæliciter in divinâ huma-
naque doctrinâ profecit, ut maturè ad ſacros ordines traductus, mox etiam
Rixfrido mortuo ſine ullâ hæſitatione, cumque applauſu omnium, qui homi-
nem norant, ac ſummâ imprimis voluntate Ludovici Imp. propè invitus in
epiſcopatum ſit ſurrogatus. Id accidiſſe alii anno ſalutis noſtræ DCCC. XXI,
alii multò poſteriùs tradunt. Honore ſuſcepto & geſto aliquandiu, tam cla-
rum nomen induſtriæ, pietatis, prudentiæ tulit, ut cæteros ejus ætatis Epiſcopos
omnes facilè ſuperaret. Cui hoc inter cætera etiam Eccleſia Friſica debuit,
quod ab Arrii dogmate peſtilenti, quod eo fortè ſæculo iſtuc irrepſerat, hu-
jus maximè curâ & ſtudio ſit vindicata. Id verò antè omnia memorabile, quòd
exemplo Ambroſii non minùs Imperatorem quanquam amiciſſimum, quàm
quemlibet alium, ſicubi delinqueret, corripere liberè, & ni reſipiſceret,
notare cenſurâ eccleſiaſticâ graviſſimâ non ſit veritus, vitamque potius po-
nere, quàm ab eo, quod rectum cenſebat, vel latum unguem diſcedere, para-
tum ſe oſtenderit. Nam cùm à Ludovico fortè moneretur, ut VValachros
ſuos, qui Mattiaci veteres creduntur, ab inceſtis conjugiis prohiberet, ipſe magno
animo à capite incipiendum eſſe, præfatus, oportere primùm Imperatorem
ipſum ab eo crimine purgari, ut reliqua rectè ſuccederent, in os reſpondit. Iu-
ditha enim quæ in matrimonio Imperatoris tum erat, fœmina pulcherrima,
Caroli Calvi mater, VVelpho Bavaro patre nata, propiore maritum ſanguinis
gradu attingebat, quàm tum receptis legibus fas eſſe putabatur: Addiditque
orationem epiſcopo dignam, pœnas etiam, ſi non pareret, ominatus graves
fuit. Poſtremò, cùm non ſatis proficeret, quòd impenſè uxorem Imperator
amaret, communione piorum ſe eum excluſurum denunciavit. Nec potuit
precibus miniſque Auguſtæ deinceps permoveri, ut à cœpto abſtineret. Itaque
cùm metu dirarum Imperatorem tandem flexiſſet, illa ſatellites epiſcopo im-
miſit, qui in ſacrario eum magno animo jugulum offerentem interemêre. De-
cus fuit eo ſæculo Friſiorum. Succeſſit illi in honore Alfricus, frater ejuſ-
dem germanus. Biennio verò pòſt, multis in Imperio exantlatis ærumnis,
quas liberis ſuis potiſſimùm acceptas debebat, Ludovicus Pius Imp. è vita
DCCC.XL migravit, ad XII. Calend. Iunii: cùm Carolum Calvum filiorum minimum
Neuſtriæ & Aquitaniæ, Ludovicum medium Bavariæ cum parte reliquæ Ger-
maniæ, Lotharium natu maximum, recèns ſibi reconciliatum, Italiæ cætera-
rumque trans Alpes provinciarum cum Imperii titulo hæredes inſtituiſſet.
Quâ iniquâ opum diviſione offenſi, Ludovicus & Carolus, funeſtiſſimâ pugnâ
in Altiſio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

in Altiſiodorenſi agro commiſſâ Lotharium compulerunt, ut in partem eo- DCCC.
rum, quæ à patre acceperat, ipſos admitteret. Proceres viceni utrinque de- XLI.
lecti ſic provincias inter fratres diviſerunt, ut Galliam omnem quæ inter Scal- DCCC.
dim & Oceanum continetur Calvus; Germaniam univerſam in Rhenum XLIII.
Ludovicus cum nomine regio haberent. Lotharius Auſtraſiam, Burgundiam, Provinciam, Italiam cum inſignibus Imperii retineret. In his Ludovicus virtute & gloriâ belli multùm eminuit, quamvis Imperii honorem fortuna ei inviderit. Nam fratrum provincias cùm Saraceni & Normanni pro libidine ſuâ diriperent, ipſe contra Sclavos, alioſque quibus cinctus erat hoſtes, Germaniam egregiè defendit. Nec tamen induſtriâ ſuâ efficere potuit, cùm omnibus ſimul locis occurrere non poſſet, quin quæ in orâ ac finibus ſunt provinciæ, hoſtilem impetum aliquoties experirentur. Quas inter Friſia fuit, cui vetuſto odio, ac prædandi libidine aſſiduò è mari Normanni imminebant. Erat enim horum tanta vis eo ſæculo, ut nullo penè præſidio à littoribus arceri poſſent, cùm Norwegiæ reges inter ſe diſſidiis agitati, terræque imperio prohibiti, ad mare infeſtandum cum ſuis ſeſe converterent, atque hanc ſibi provinciam velut partem imperii deſumerent, omnibus ubique, quibus aut domi nulla res, aut animus prædæ avidus inerat, è Norwegiâ, Daniâ,
Suetiâ in hanc ſocietaten. armorum & fortunæ venientibus. Hi igitur à Saxo- DCCC.
nibus ad Albim, quos primùm vicinia illis objecit, cum Rorico rege profli- XLIIII.
gati, majore animo ac vi in Friſiam ſe intulerunt, cui tum Ericus adhuc præerat: cunctiſque, quæ primo impetu contingere poterant, direptis, per reliqua in occaſum littora infeſtâ claſſe navigantes Flandriam, nemine reſiſtente, diripuerunt. In Galliam deinde penetrantes Britones, aliaque maritima loca
aſſiduis incurſionibus afflixêre. Biennio pòſt ejuſdem gentis prædones, ſive DCCC.
iidem, ſive alii, (id enim certum non eſt,) è Gallia redeuntes Friſiam rurſum XLVI.
appetivêre, tribuſque præliis commiſſis, cùm primo victi eſſent, reliquis validiùs inſtaurato impetu ſuperiores fuêre. Tum regione omni injuriâ affectâ cum prædâ domum reverſi. Sunt qui ad Eſonſtadium oppidum in ſinu Lavicæ fluminis pugnatum eſſe ſcribant; & nomina quoque rectorum Friſiæ prodant. Sed cùm ejuſmodi circumſtantias alias adiiciant, quæ vero ſimiles non ſunt, fidere illis non auſim. Ego magis ad Amaſi oſtia hæc geſta eſſe, quò plures
me conjecturæ ducunt, crediderim. Deinde rurſum vixdum IIII elapſis DCCC.
annis repetitâ ſuo more eâdem Friſiâ, quæ injuriæ primùm expoſita erat, mox L.
& Batavis vaſtatis, Gandavum quoque occuparunt. Sed minores hæ clades Friſiorum fuêre. Ea verò ingens calamitas, quæ biennio ſecuta eſt, cùm annus
agéretur DCCC.LII à Chriſto in terris nato, populum eundem penè peſſun- DCCC.
dedit. Namque iidem prædones non jam exiguâ claſſe, ut ſæpè ſolent, ſed LII.
CCL navibus omnis generis ad Friſiæ littora appellentes, ſine metu, cùm nemo, qui ſuſtinere ruentium impetum poſſet, contrà occurreret, terram populabundi univerſam percurrerunt, ſacriſque & profanis pervaſtatis, non
priùs in naves redierunt, quàm ſatietas rapiendi eos cepiſſet. Quâ prædâ in pa- DCCC.
triam relatâ, cùm inexplebilis animus quieſcere eos non ſineret, anno proxi- LIII.
mo in Galliam, majora quoque auſuri, claſſe ſe converterunt, Ligeriſque oſtia ingreſſi, Nannetes, Turones, oppidaque vicina barbarum in morem incendiis rapiniſque evaſtarunt. Sed, ut neceſſe fuit inter homines aliena ſine modo rapientes, cùm præda fortè ita divideretur à domum reverſis, ut omnium animos
non ſatis expleret, ipſi quoque animis diviſi in partes armaque diſſilierunt. Eri- DCCC.
cus, qui in Friſia in omnes erat occaſiones intentus, cùm commodiſſimum id LIV.
ſibi accidere putaret, ſive ſponte & vi ſuâ, ſive ab alterâ diſſidentium parte vocatus, in Daniam rediit, ſoliumque fraternum, quod Siwardi morte vacuum erat, occupavit. Verùm cùm Gutorinus fratris filius hanc ei fortunam invideret, ſeq; propiorem regno eſſe diceret, maximum conflatum inter ipſos bellum

eſt, quo & ipſi interiêre, & tantùm regii ſanguinis fuſum eſt, ut vix unus puellus, qui regnum adire jure propinquitatis poſſet, Ericus Regneri è filio nepos, ſupereſſet. Quod bellum funeſtum illis gentibus, ac proceribus imprimis exitioſum fuit. Verùm ne ſic quidem prædonum compreſſa audacia eſt. Nam Galliam denuò invadens magna eorum manus, Andibus incenſis, Burdegalâ direptâ, per omnem Aquitaniam latè vagata eſt, donec adverſa prælii fortunâ perculſi ad naves ſe recepêre. Deinde impetu viribuſque inſtauratis Lutetiam etiam appetere auſi, cùm omnium Gallorum animi metu proſtrati jacerent, urbem opulentiſſimam occupavêre: iſthinc verò ad Scaldim uſque flumen populando pervaſêre. Eodem verò tempore Haddingus quidam Normannici exercitus dux, Bioris regis præfectus, in Italiam penetrans, cùm Lunam fraude cepiſſet, atque inde in Galliam reverſus, cùm ſacris Chriſtianis illic initiatus eſſet, Carnutum civitatem à Carolo Calvo Franciæ rege dono accepit, Biore in patriam remiſſo; qui dum in itinere eſt, in Friſia moritur. Hoc verò ſæculum illud fuit Belgio & omni Galliæ maritimæ maximè calamitoſum, quo Hungerus, Friſicæ gentis homo, poſt Ludgerum atque Alfricum, & ipſos quoq; Friſios, Eccleſiam Vltrajectinam epiſcopus regebat. Nam aliquot annos jam cùm in miniſterio hic fuiſſet, novæ Normannorum copiæ domum profectæ cùm Somiam flumen ſubiiſſent, Ambiano, quod ad flumen eſt, in prædam verſo, Picardiâque omni evaſtatâ, Bataviâ Geldriâque direptis, Noviomago incendio rapiniſque deformato, quocunque incedebant, incredibilem poſt ſe vaſtitatem reliquerunt. Quo tempore perculſus epiſcopus, cùm in ſe verti impetum videret, Vltrajecto cum omni ſacro ordine profugit. Normanni oppidum penè deſertum cùm oppugnare cœpiſſent, facili labore ceperunt, captum non mœnibus ſolùm, ſed reliquis quoque publicis privatiſque ædibus nudarunt. Hungerus cum ſuis Daventriæ, quam vel à Ludovico Imp. vel à Carolo Calvo Francorum rege dono acceperat, ſedes poſuit. Vltrajectum ab exceſſu Hungeri complures per annos, dum Odilbaldus, Egilbaldus, Radbodus, omnes in Friſia nati, & hic etiam clariſſimo ſtemmate materno ex rege cognomine deſcendens, Eccleſiæ præfuerunt, aut deſolatum, aut leviter, ac raro habitatore cultum jacuit: Primuſque Baldericus è Clivenſium illuſtri familiâ epiſcopatu potitus, cùm jam aut compreſſi aut pacati eſſent Normanni, ab Ottone I. Imp. & fratribus ejus, quos erudierat in litteris, adjutus, inſtaurare oppidum, ac mœnibus rurſùm cingere cœpit, nec antè è vitâ abiit, quàm cœptum abſolvit: præſul doctrinâ & probitate egregius, & longævo regimine memorabilis. Nam totos LIX annos, à DCCC.XVII ad DCCC. LXXVI, tenendo

DCCC. LXIII. hoc ſceptro ſacerdotali implevit. Eâdem tempeſtate, cùm circùm Rheni oſtia regio vaſta, aut à Normannis protrita jaceret, tradunt Hollandicæ hiſtoriæ conditores, eam Theodorico cuidam Vaſconum principis Sigeberti filio è Francorum genere, rogante Haganone Comite Sanctenſi avunculo, in feudum à Carolo Calvo rege datam eâ lege, ut à Normannis aſſertam pro rege tueretur: idque factum Pladellæ in Brabantiæ vico, anno à natâ nobis ſalute DCCC. LXIII: atque hoc Comitatus Hollandiæ eſſe initium: anno autem dehinc quinto, qui fuit DCCC. LXVIII, Walachriam etiam, totamque adeò Selandiam ſub nomine ſylvæ Waſdæ eidem Theodorico à Ludovico Germaniæ

DCCC. LXVIII. rege eſſe donatam. Sed dum tradunt hæc, produnt boni homines incuriam & vanitatem ſuam, qui nec temporum rationem habeant, nec circumſtantiarum aliarum. Nam anno illo, quem notant, Carolo Calvo certè in regione Batavorum veterum, & quæ ejuſdem viciniæ ſunt, ex diviſione iſtâ, de quâ ſuprà diximus, nullum jus eſſe potuit; nec cætera ſatis ad ejuſdem regis ætatem, ſed potiùs ad Caroli Simplicis tempora ac res quadrant: nec de Ludovici donatione quod affertur, quamquam id à temporibus non abhorreat, videaturque altero iſto antiquius eſſe, tamen quomodò cum Selandiâ conveniat, explicare promptum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

promptum eſt, ut eſt luculenter & eruditè à clariſſimo ac nobiliſſimo rerum
Hollandicarum ſcriptore Iano Douſâ Nordouici toparchâ demonſtratum.
Sed hoc vaniſſimum in his, quod ab iiſdem ſcriptitatoribus Hollandicis eſt
aſſutum, Friſiam quoque à Batavis uſque in Lavicam flumen donatione eâ
Carolinâ fuiſſe comprehenſam, Theodoricoque tributam, utpote cùm nec li-
terarum veterum monumentis doceri hoc poſſit, nec in aſſignationis tabulis,
quas proferunt, ulla omninò hujuſce regionis fiat mentio, mentioníſve extet
ſupicio, imò per Kinhemum terminum excluſio ejus non obſcurè ſit impreſſa.
Vanius etiam eo ipſo, quod adjiciunt, Friſios auxilio Caroli Calvi ſubactos
Theodorico huic paruiſſe, atque ita in ditionem filii ejus perveniſſe. At nos va-
nitatis plena hæc & talia mittamus, ac ad rem revertamur. Iam eò Gallorum
fortuna reciderat, nihil ut proclivius aut familiarius eſſet prædonibus Nor-
mannis, quàm anniverſariis excurſionibus ad libitũ eorum regionem protere-
re. Itaque anno DCCC.LXVI novâ claſſe è patria reverſi, lectis reliquis Galliæ DCCC.
littoribus cùm Ligeris oſtia ingreſſi eſſent, Nannetum, Andium, Turonum, LXVI.
Pictonum agros diripuerunt: inde in Aquitanos reliquos tendentes, Rainul-
phum Aquitaniæ ducem, & Robertum Andium principem è Saxonum gente
ortum, occurrere auſos, cum omni exercitu ad internecionem cecîderunt. Ita,
nemine jam ampliùs reſiſtente, quoad libuit, reliqua, quæ mœnibus clauſa non
erant, depopulati ſunt, Nec defuit quibuſdam animus Italiam denuò tentan-
di, claſſe per Rhodanum in mare Liguſticum deductâ. Alii haud multò pòſt
per Rhenum ſubeuntes, quod fuit anno DCCC.LXVIII, Coloniam Agrippi- DCCC.
nam ac Batavodurum ad medium Rheni alveum ſimili ruinæ involverunt: nec LXVIII.
priùs finem malorum per Galliam gens immanis fecit, quàm ingens tribu-
tum, quod viritim per regnum collectum fuit, à Carolo Calvo rege extorſiſſet.
Id fuit ad annum Chriſti DCCC.LXIX. Quo delinita ad tempus, ſed mox DCCC.
ad ingenium reverſa, repulſaque cum clade à Germanis, ac in Galliam re- LXIX.
jecta, cùm Andes in poteſtatem iterum redegiſſet, eum locum perpetuo
domicilio cepit. Sed à Calvo rege, Franciſque ibidem obſeſſa, deficiente
commeatu dedere ſe coacta fuit. Potuiſſetque tum Calvus maximo malo
Galliam Germaniamque liberare, omnibus internecione deletis, niſi aurum
eorum, quod incredibili copiâ congeſtum habere putabantur, excluſo milite,
ſolus ipſe habere concupiviſſet. Itaque, pretio redemptionis ingenti accepto,
liberos omnes dimiſit, benigneque habuit. Quod Galliæ poſt in exitium ver-
tit. Nam uti ab uncto corio canem haud facilè abegeris, ita à Galliæ deliciis &
opibus appetendis ac rapiendis prædones, dum integris viribus eſſent, abſter-
reri non potuêre: Qui quanquam bis magno numero à Calvi morte, ſemel ad
quinquies, iterùm ad novies mille, anno DCCC.LXXI, & DCCC.LXXXI, cæſi in
Galliâ ferantur, tamen majore vi ac cupidine eôdem ſunt reverſi. Interea verò
dum hæc per Galliam geruntur, totos ferè XX annos quieta à Normannis Fri-
ſia fuerat, cæteræque quæ cis Rhenum ad ortum provinciæ ſunt, etiam diutiùs
ab eorum injuriis egerant immunes. cùm repentè Rodolfus regii ſanguinis in DCCC.
eâ gente princeps, direptis exhauſtiſque multis Galliæ partibus, prædâ dives LXXIII.
cum prædonum popularium ſuorum exercitu ac claſſe validâ in Friſiam ap-
pulit, indictoq; & negato tributo, ad diripiendam vaſtandamque regionem, &
cædem hominum immani ſævitiâ faciendam ſe vertit. Sed Friſica juventus
ocyſſimè ad arma concurrens, Deo & virtute freta graſſantibus ſe objecit: &
prælio commiſſo, cæſis eorum octingentis, ac duce ipſo interempto, reliquos
reditu ad naves excluſos, & commeatu prohibitos, ad turpem deditionem ade-
git. Dediti ſpoliis exuti, & ingenti pecuniæ vi è navibus elatâ mulctati; ad hæc
promiſſo per ſanctiſſimum jusjurandum obligati, in Friſiam totumque Ludo-
vici regis regnum non ſe unquam redituros, dimiſſi. Verùm ſive iidem ruptâ
ſacramenti fide, ſive alii ejuſdem gentis, triennio pòſt in occidentalem Friſiam DCCC.LXXVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

impreſſione factâ, ab incolis rurſum magnâ pugnâ ſuperati, ditiſſimis ſpoliis multarum regionum direptione congeſtis victores locupletarunt. Sic binis ex ordine cladibus hoc tractu correpti prædatores, & pactione quoq; devincti, haud facilè putabantur quietem eorũ, qui ſub Ludovico Germaniæ rege ad orientem Rheni degebãt, turbaturi, cùm eundem Ludovicum eodem adhuc anno DCCC. LXXVI poſt natum Chriſtum, à morte verò patris ejus XXXVII, Francofurti ſeneſcente Sextili menſe fata conſumpſere. Superſtitibus tribus ejus filiis, Ludovico juniore Germaniæ rege, Carolomanno Arnulfi Imp. patre, & Carolo Craſſo paulò poſt imperaturo. At Ludovici morte auditâ, qui hactenus & arma ejus formidaverant, & pactorum quoque reverentiâ aliquâ movebantur, nunc filiorum ejuſdem fortunâ ſpretâ, qui, ut fit, ex diviſione opum paternarum diſ-
DCCC. ſenſionibus inter ſe laborabant, Dani Norvvegiique velut metu pariter & reli-
LXXX. gione dempta, è Iutia in Saxoniam vicinam, coacto ingenti exercitu, irruerunt, irarum odiique non in Saxones ſolùm, ſed in omne nomen Chriſtianum pleni. Itaque quocunque inferebant pedem, tam immani cæde & vaſtatione omnia complebant, ut videri facilè poſſet, non jam prædas eos concupiſcere, aut de imperio & gloriâ bellum gerere, ſed in exitium Chriſtiani nominis ac religionis, arma hæc induiſſe. Iamque Albim infeſto agmine tranſgreſſi erant in eam Francorum regni partem, quæ juniori Ludovico parebat, cùm Saxonum dux Bruno, cui Brunſuiga urbs principium & nomen debere vulgò putatur, cujuſque ſoror Ludovico regi nupta erat, è VVitichindi familia, Henrici Aucupis patruus, collectis undique copiis, in quibus plurimi erant è ſacro ordine, qui ad hoſtes pietatis Chriſtianæ reprimendos ſponte concurrerant, & cum his Comites XII, in occurſum iis tetendit: congreſſuſque, & multitudine ſuperatus cum univerſo ſuorum agmine occubuit. Cæſi epiſcopi tres, Mindenſis, Verdenſis, Hildeſhemius. Rembertus Bremenſis & Hamburgenſis in Friſia aberat. XII quoque Comites perempti. Victores evaſtatâ Saxoniâ in Friſiam pergentes, eam quoque miſerabili clade affecerunt, prædaque onuſti, cùm de Ludovici regis, qui ſuperioris filius erat, adventu audiſſent, in patriam redierunt. Sed non multò pòſt, ſive eadem illa, ſive alia Norvvegiorum & Danorum ingens manus in Franciam penetrans, quicquid Sequanam Rhenumque fluvios interjacet, oppida, caſtella, vicos, fana, agros ferro flammaque perdidit. Mox Rheno quoque tranſmiſſo, Vltrajectum ab epiſcopo Radbodo Friſio, viro ſanctitate celebri, deſertum exſcidit. Inde Friſiam reliquam ingreſſi velut immanes beſtiæ, quocunque pedem ferrent, cædibus & incendiis omnia vaſta fecerunt. Iamque Amaſo ſuperato, haud procul Nordâ conſederant, quam Nordvvidam in proximis Oceano locis ſitam, vetus hiſtoria appellat, eique evertendæ truces imminebant. Erat ibidem eo fortè tempore Rembertus Bremenſis & Hamburgenſis archiepiſcopus, quem ſuprà nominavimus, Anſcharii ſucceſſor, & agnatus, illuſtri apud omnes propter pietatem famâ, qui illuc ſe contulerat, ut populum ſuæ curæ commiſſum (ad Bremenſem enim epiſcopum ea pars Friſiæ, ſacrorum ratione, pertinet) ac gentem ſuam (nam Friſius etiam ipſe fuiſſe perhibetur) tempore tam difficili præſens conſilio juvaret, atque ad conſtantiam, pietatemque ergà Deum hortaretur. Ad hunc verò ingens multitudo Friſiorum confluxerat, qui, imbellibus jam & ætate à periculis ſepoſitis, ſemet pro religione & patriâ contra vaſtatores illos magnis paratiſque animis devoverant. De quibus cùm hoſtes accepiſſent, ad eos opprimendos, ac ſi in manibus victoria eſſet, ſtructo agmine contenderunt. Tum epiſcopus concione Friſiorum advocatâ, paucis eos monuit: Nunc illud eſſe tempus, ut quæ verbis antè magnificè jactaverant, rebus atque opere comprobarent: Videre ipſos, in ſe propinquam certè aciem, ut jam non minùs neceſſarium, quàm ſalutare & glorioſum ſit, fortem ſe virum præſtare, cùm ad effugium nec locus, nec tempus propè reliqua ſint. Meminiſſent jam religionis, libertatis, paren-

parentum, uxorum, liberorum, proque his, confiſi cœleſti auxilio, magnis intrepidiſque animis contra immanes Dei hominumque hoſtes in prælium procederent; denique ita pugnarent, ut aut moriendum ſibi in acie illâ pro patriâ & pietate, quâ morte beatius nihil eſſe poſſet, aut cum victoriâ ad ſuos redeundum eſſe, certis animis ſtatutum haberent. Deinde ad implorandam Dei opem omnes cohortatus, precibuſque communibus effuſis, bono omine in prælium eos miſit. Ipſe aperto loco, unde proſpicere acies poterat, conſiſtens anxiis votis pro victoriâ Chriſtum interpellavit. Interim Normanni, non tam ad pugnam, quàm ad certiſſimam cædem venientes, in proximo jam aderant, impetumque in aciem Friſiorum faciebant. Friſii monitorum epiſcopi memores, divinitùſque, (ut credere par eſt) animati, intrepidè magnoque auſu patentibus in campis eos exceperunt: Exortaque ingens pugna eſt, Normannis indignantibus, poſt tot facinora editaſque ſtrages, perpetuum fælicium armorum ſuorum curſum à ruſticâ plebe temerè collectâ inhiberi, Friſiis autem pro aris focíſque ſumma pertinacia, devotiſque animis in hoſtem dimicantibus. Tandem ingenti ſuorum numero in acie amiſſo, quòd multa ſibi præter expectationem evenirent, loco ceſſere Normanni, atque in præcipitem fugam quàqua verſùm ſe effuderunt. Quos inſecuti Friſii locorum gnari, cùm foſſis, rivis, fluviis curſus fugientium tardaretur, ad ſatietatem uſque ceciderunt. Multitudo cæſorum ingens fuit, qui per campos vadaque ſtrati jacuerunt. Plurimi quoque fluminum aquis aut incertis profundiſque inter continentem & inſulas æſtuariis hauſti ſunt, nec pauci paludibus immerſi perierunt. Bavo Corbejenſis abbas ejuſdem ſæculi ſcriptor prodit, ad x mill. & CCCC in acie, aut primâ fugâ ferro cæſos; plures etiam in vadorum ac fluminum tranſitu circumventos occubuiſſe. Victoria certè memorabilis, & quam non ſine divino numine injurias ſuas ulciſcente Friſiis contigiſſe, omnium conſtans ſententia fuit. Rembertus epiſcopus, cujus preces multum profuiſſe vulgò creditum eſt, poſt id tempus majore etiam quàm antè reverentiâ per Friſiam, quæ ipſi patria quoque erat, vivus & mortuus cultus eſt. Prædam tantam tamque opulentam victores cepêre, ut detrimenta, quæ priùs ab eâdem gente illis illata fuerant, ferè compenſaverit. Supplicatum propterea per omnia templa, ſolenneſque per Friſiam & proximas provincias gratiæ Deo actæ. Sed in brevi ſanè fælicitas ea ac lætitia populo Chriſtiano ſtetit. Nam Godefridus & Sigefridus Normannorum reges, auditâ ſuorum clade, ingenti irâ in ultionem exarſerunt: vindictæque non Friſiam magis, quàm univerſas Francorum provincias, nomenque Chriſtianum deſtinabant. Itaque majore quàm unquam antè exercitu coacto, & in naves impoſito, ex Norwegia ſolverunt, nominiſque ſui famâ ingentem ubique terrorem excitarunt. Quibus cùm reſiſtere ſe poſſe Friſii diffiderent, præſenti fortunæ ceſſerunt. Ac illi minimum eſſe rati, quòd Friſiam cepiſſent, DCCC.
præſertim novæ ſuorum cladis nuncio è Gallia efferati: nam ad IX equitum LXXXI.
peditúmque millia cecidiſſe in ſylvâ Carbonariâ ferebantur: in Belgium infeſtiſſimis animis irrumpentes, poſitis ad Moſam firmatiſque caſtris, tantâ immanitate ac libidine in vicina & longinqua omnia promiſcuè ſævierunt, ut irâ magis quàm prædandi ſtuprandique ſolitâ cupidine barbaros animos ferri facile appareret. Tum Leodium, Tungri, Trajectum ſuperius, ampliſſima ad Moſam oppida incendiis rapiniſque vaſtata: Bonna, Colonia Agrippina ad Rhenum ſimili calamitate oppreſſæ. Aquiſgranum Imperatorum ſedes caputque, Palatium illud Auguſtum, à Carolo Magno [illegible] extructum, [illegible] hoſtibus in ſtabulum equorum ad tempus converſum, deinde cum oppidi [illegible] flammis [illegible] [illegible] [illegible] in [illegible] vaſtis ad [illegible] annos. Factum hoc anno æræ Chriſtianæ DCCC. LXXXI, quo Ludovicus junior Germaniæ rex gravi morbo [illegible] implicitus

decubuit, per quem anno proximo vergente ſublatus eſt è medio. Sed in nulla
DCCC. loca petulantius à Barbaris, quàm in ſacra ſævitum. Treviris deinde anno eo,
LXXXIII. qui mortem Ludovici ſecutus eſt, ab iiſdem illis direptis & incenſis, copiiſque Chriſtianorum cum epiſcopo Metenſi in Mediomatricum regione ad Moſam conciſis, Carolus Craſſus Imp. qui ſolus jam ex fratribus ſupererat, totamque Germaniam tenebat, cum exercitu ingenti vaſtatoribus occurrit, variâ quidem
DCCC. famâ, certè ad votum non ſatis reſpondente eventu. Nam cùm inferiorem
LXXXIV. fortunâ aut viribus ſe ſentiret, pactus cum hoſtibus eſt, ac fœdus cum iis iniit, ut quoquo modo à provinciis ſuis anniverſarios prædones averteret. Conditiones fœderis ejuſmodi fuêre, ut Godefridus Normannorum dux Chriſtianis ſacris initiaretur, Giſelamque, quam Ægidiam plerique vocant, Lotharii Imp. ex Lothario filio Italiæ rege neptem, uxorem duceret, & Friſiam provinciam, ſive quòd juris ſpeciem aliquam per ſuperiores quoſdam Danorum & Norvvegiorum reges in eâ habere videretur, ſive quòd armis captam jam poſſideret, in dotem acciperet, atque ita à Caroli provinciis impoſterum tum ipſe tum ſocii abſtinerent: Sigefrido etiam, aliiſque Normannorum proceribus minoribus ex æquo ſatisfieret. Godefridum Imperator ipſe ex ſacro fonte, pro more Chriſtianorum, ſuſcepit, nuptiiſque peractis, pacatum in Friſiam dimiſit. Quæ res ut in Friſios iniqua, ita vicinis regionibus Galliæque imprimis, ac ipſi etiam Carolo Imp. exitio fuit. Normanni enim è Friſia, quam ſedem deinceps habuerunt, velut è caſtris ſuis egreſſi, Sigefrido duce, Belgium primùm, dein proximas Francorum provincias ita divexarunt, ut Carolomanno regi, Ludovici Balbi filio, qui prius eoſdem latè vicerat, neceſſum fuerit, duodecim millium talentorum argenti tributo, in annos duodecim turpes inducias ab iis redimere. Deinde Carolomanno paulò pòſt vitâ functo, quaſi cum rege, non cum gente Francorum inducias pepigiſſent, violatâ fide, in Franciam denuò involarunt, ut vel pecuniæ tantundem à Carolomanni ſucceſſore, ſi pacem habere vellet, extorquerent, vel cædibus & incendiis more ſuo cuncta vaſta facerent. Quibus minis perculſi Francorum Proceres, ad Carolum Craſſum Imp. ut auxiliis ejus uti poſſent, regnum ſuum ultrò detulerunt. Craſſus autem ſacramento à Francis accepto, Normanniſque ſtatim, ut ab injuriis abſtinerent, monitis, homines iræ præcipites in ſe provinciaſque ſuas irritavit, ut è Franciâ Lotharingiam quoque confeſtim invaderent. Fortè ad Lovanium caſtra poſuerant, unde in Francos & Germanos excurrere æquè promptum erat, cùm Imperator cum exercitu valido adfuit, multiſque fruſtra tentatis, tandem ad Moſam flumen maximam eorum multitudinem loco idoneo deprehenſam, caſtris ſuis ita circundedit, ut deditionem recuſare illi non potuerint. Quos cùm aut delere debuiſſet fœderum ruptores, aut à regnis ſuis procul ſubmovere, imprudens & credulus Imperator, ut rurſum decipi ab iiſdem poſſet, fœdere inſtaurato, incolumes omnes dimiſit, duces etiam maximis muneribus & honore proſecutus. Quanquam ſunt qui ſcribant, non ſatis proſperam hanc militiam Craſſo fuiſſe. Accidit verò hoc, biennio non toto poſt pacem in Mediomatricibus ſancitam. Proxi-
DCCC. mo deinde anno, qui fuit DCCC. LXXXVI, novi ſtatim tumultus à Norman-
LXXXVI. nis Craſſo extitêre. Erat Lotharii regis filius ex pellice natus Hugo, Giſelæ Godefrido Normanno nuptæ frater. Is Lotharingiæ regnum affectans & repentè invadens, cùm bonis artibus & in pace retinere id ſe poſſe deſperaret, Godefrido ſororio perſuadet, Lotharingiæ quoque parte in dotem illi promiſſâ, ut militum ſuorum ſtipendia ex ærario ab Imperatore poſcat: ſperans aut Normannos acceptis ſtipendiis militiæ Imperatoriæ autoratos in viſceribus Imperii eſſe hæſuros, aut ſpecioſam rebellandi cauſam, ſi negaret Imperator, hanc ipſam eſſe habituros. Quod cùm faceret Normannus, & Craſſus fraudem intelligeret, haud iniquè facturum ſe putavit, ſi pari arte periculum à ſe in autores averteret. Itaque colloquio amico diem & locum in Bataviâ dicit, in quo cum Godefrido

Henri-

Henricus Brabantiæ dux ſuo nomine de poſtulatis conferret: Simulq́ue Hen-
rico negotium dat, ut venientem è Friſia Godefridum toties à fide receden-
tem inſidiis excipiat, & interficiat. Interfecto cum omnibus ſuis, quos ſecum
adduxerat, Godefrido, cùm in ipſo jam colloquio agerent, & rixa conſultò à
Brabantinis eſſet mota; deinde Hugone etiam, qui malorum incentor erat,
paulò pòſt ab eodem Henrico capto & luminibus privato, Normanni irritati
in Brabantiam irruerunt, interceptoq́ue Lovanio, caſtriſq́ue occupato, inde in
Franciam contenderunt, ac Lutetiam obſeſſam oppugnarunt. Ad quam libe-
randam cùm Henricus Brabantus ab Imperatore mitteretur, in inſidias para-
tas ipſe incidens occubuit. Nec Imperator cum copiis accedens aut ſolvere
obſidionem, aut ab cæde, incendiis, rapinis, omni miſeriæ genere vindicare
Franciam potuit. Pariſienſes ad arbitrium victorum ingenti auri pondere di-
reptionem hoſtilem redimere coacti: quicquid totâ latiſſimâ & fæliciſſimâ re-
gione pulchrum aut beatum erat, id nullo vindice in liberam prædam Barba-
ris ceſſit. Nec antè malorum finis iſtic fuit, quàm Craſſus Neuſtriam, quæ ultra DCCC.
Sequanam flumen eſt, malè ſibi parentem, Normannis ſedem permiſiſſet. LXXXVIII
Quæ ex novis colonis deinde Normannia eſt appellata. Nec ita multò pòſt
Carolo Craſſo Imperatori potentiſſimo ob res malè geſtas imperium omne
abrogatum, curatorq́ue ei novo exemplo datus Arnulfus ipſius è fratre ne-
pos, & ſucceſſor. Sed priùs quàm iſta fierent, Sigefridus ſocius Godefridi, ac DCCC.
vindex necis ejus, cùm totâ æſtate Franciam afflixiſſet, in autumno in Friſiam XC.
celeriter recurrerat, ſive ut tumultuantem à morte Godefridi præſens com-
peſceret, ſive ut hybernorum ſedem quietam eam haberet: ibique ferro per-
emptus occubuit. Verùm quibus autoribus & quâ de cauſâ factum id ſit, &
per inſidiáſne conſpiratione Friſiorum, an in acie apertoq́ue Marte ceciderit,
non eſt memoriæ proditum. Quamquam mihi dubium non eſt, licet tacenti-
bus annalibus, quin à Friſiis libertatem ſuam repetentibus, quam nullo jure
amiſerant, Sigefridus ſit interemptus. Etenim malè urebat liberi populi ani-
mos contra privilegia à Carolo Magno, reliquiſq́ue Francorum regibus ſibi
conceſſa, quæ temerare poſteros fas non erat, velut vilia mancipia in dotem
Normannis à Craſſo ſe eſſe addictos. Sic enim cautum erat, ne quis, invitis
præſertim, præfectum illis daret, aut dominum imponeret, aut libertatem
quaquâ ratione imminueret, neu cuiquam poſterorũ Imperatorum huic pri-
vilegio, non aſſentiente populo, derogare liceret. Itaque occaſionem tantùm
Friſii expectabant ſervitutis tam iniquæ rurſum excutiendæ. Ea autem non in-
commoda tum affulgere viſa eſt, cùm & Craſſi res autoritaſq́ue indies in dete-
rius ruerent, & Imperii jam hoſtes Normanni vulgò haberentur, & ipſe impri-
mis Godefridus, cui Friſia in dotem aſſignata fuerat, in vivis eſſe deſiiſſet: Sige-
fridus verò, qui Godefridi hæredem ſe gerebat, cum robore exercitus Nor-
mannici procul in Gallia abeſſet. Quapropter erectis ad vindicandam liber-
tatem priſtinam animis, ac coitionibus factis, cùm de eâ re Sigefridus accepiſ-
ſet, atque hanc ob cauſam cum expeditis in Friſiam properè contendiſſet, ut
primis motibus ſedatis, populum in officio præſens contineret, in majores,
quàm exiſtimarat, tumultus incidit, vitamq́ue cum imperio, quod tueri ferro
cupiebat, eodem ferro amiſit. Tyranno interfecto, dominoq; à cervicibus amo-
to, libertas per Friſiam inſtaurata, præſidia Normannica expulſa, peregrini, qui
cum Godefrido ſedes illic poſuerant, omni Friſiâ ejecti, priſtina jura omnia
in uſum à populo revocata. Quæ ne Normanni impedire, ac Sigefridi cæ-
dem ulciſci poſſent, res Gallicæ, quæ eos tum deſtinebant, prohibuerunt. Nec DCCC.
ita multò pòſt fortuna & opes eorum per Belgium & Franciam peſſum ivêre; XCII.
cùm ſtatim à morte Craſſi, Otto Magnus Pariſiorum Comes, qui tum Galliam
regio imperio pro Carolo Simplice regebat, ingenti ſtrage ad Oxonam flumen
eos fudiſſet; deinde Britones duobus præliis duodecim M. eorum interfeciſsẽt;

denique Arnulphus Imp. ad Tiliam flumen in Belgio innumerabiles eorum co-
DCCC. pias ad internecionem concîdiſſet, vix ut è tantâ clade quiſquam ſuperfuerit,
XCVI. qui nuncium ad claſſem ferre poſſet. Quâ clade fracti, qui reliqui erant, in patriam trans mare ſe receperunt. Fuiſſetque cis mare penitùs extincta cum nomine Normannorum gens, niſi paucos poſt annos Rollo magni animi vir, cùm novâ popularium ſuorum manu, in quam promptiſſimum quemque ac validiſſimum conſcripſerat, adveniens, collapſas eorum res fœlici ſucceſſu reſtituiſſet. Is magno genere inter ſuos natus, quòd domi non ſatis tutus eſſe propter factiones poſſet, ſimul etiam gloriâ majorum, & dolore ex adverſâ gentilium ſuorum fortunâ incitatus, adeoque novarum ſedium recuperandarum percupidus, armatâ validâ claſſe è Dania profectus eſt: & primùm vel conſultò, vel ventorum vi delatus in Angliam ad littora Northumbriæ appulit, commiſſiſque levibus aliquot in exſcenſu ad terram pugnis, cum rege gentis ejus Alvredo fœdus amicitiamque junxit. Tum verò hybernis ibidem actis, vere primo, cum claſſe in Franciam enavigavit, ſomnio, ut ajunt, monitus, in quo quieta ei ſedes portendebatur. Sed in alto cùm eſſet, tempeſtate fortè exortâ in Selandiæ inſulam VValachriam vi ventorum compulſus, cùm deſcendere cum ſuis in terram vellet, ab inſulanis prælio exceptus eſt: ſed victoriâ potitus inſulam tenuit, donec commodum eſſet in Galliam vicinam vela dare. Intereà verò Walachrenſes veriti, ut ſedes ſecum Normanni figerent, ad eos majore vi adoriendos atque inſulâ expellendos, auxilia vicinorum convocabant. E quibus, quòd propiores erant, primi advenerunt Reinerus Longicollus Baſbacenſis dux, & Radbodus Friſicæ gentis princeps regiâ ſtirpe ortus, ut plerique volunt, cum ſuis uterque copiis. Sic conjunctis exercitibus magnis utrinque animis, & prælio difficili cum Normannis pugnatum, ſuperante fortunâ Rollonis: cujus milites eò conſtantiùs & pertinaciùs in hoſtes pugnarunt, quòd intelligerent, aut vincendum ſibi iſtâ in acie eſſe, aut moriendum. Quippe quibus ad effugium inter infeſtiſſimos populos nihil futurum erat reliquum. Factuſque eâ victoriâ animoſior Normannus, ceu hominum natura ferè fert, ut cum fortunâ ſpiritus quoque majores induant, direptâ hoſtiliter VValachriâ, præſidiiſque locatis, ſtatim infeſto agmine in Friſiam duxit, Radbodum fugientem perſequens. Indignabatur enim illum nullâ injuriâ, nullo facto ſuo laceſſitum, ſe oppugnatum veniſſe, in terrâ alienâ. Et Friſii, cùm in ſe dirigi claſſem, atque agmen verti viderent, nihilo ſegnius etiam ipſi ad excipiendos Normannos ſe parant, tum ſponte ſuâ pro patriâ defendendâ alacres, tum Radbodi quoque verbis, & exemplo magis inflammati. Sic propinquantibus ſibi exercitibus, cùm ferociam Friſiorum atque animos intrepidos Dani viderent, non ſatis confiſi virtute ſuâ, dolo quoque agendum ſibi arbitrati ſunt. Itaque ut primum illorum impetum, quem ſuſtinere vi ſe poſſe vehementer metuebant, arte eluderent, in conſpectu hoſtium ſe ſubmiſſère, ac genibus in terram connixi ſcuta tantùm ſupra caput edita ad excipienda tela in hoſtem tenuêre. Quod pavorem Friſii interpretati, ex contemptu hoſtium ipſi curam remittere, ac temerario incurſu in eos ſe inferre cœperunt: quod in perniciem ipſis vertit. Nam Dani toto corpore obnixi non ſolùm viriliter eos excipiunt, ſed ſigno dato omnes ſimul exſurgentes, ſummâ vi ſummiſque animis in adverſos, quos inſolens rerum facies attonitos penè reddebat, pugnam cient. Nec tamen cedunt Friſii. Sic pugnatum acriter utrinque, & multâ cum cæde, cùm Danos in pertinaciam ira moveret, Friſii pro patria ſibi vincendum aut moriendum putarent. Tandem Rollonem eadem quæ ſemper fortuna ſequuta eſt, cùm Friſii defatigati, quòd primo impetu incaſſum vires ſuas effudiſſent, & ab hoſtibus deluſi non ſatis ſe colligere rurſum potuiſſent, pedetentim ex acie cederent, & Normannis victoriam relinquerent. Tum Rollo fortunam urgens non antè perſequi, & inſtare perculſis deſtitit, quàm leges à victore dictas acciperent, tributumque ingens pende-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

penderent. Sic prædâ & cenſu onuſtus cum ſuis ad claſſem ſe confert, Friſiaque diſcedit, nullo illic præſidio relicto, incolumi quoque dimiſsâ populi libertate. Aliò enim feſtinabat, curaſque intendebat ſuas: nec audebat vires, quas prælia quoque attriverant, diſtribuendis per præſidia militibus diducere. Ex itinere verò Reinerum Baſbacenſem tentandum ſibi, atque ad imperata cogendum ſtatuit. Itaque claſſe Scaldim flumen ſubiens, terramque infeſtans, laceſſitum præliis eum ex inſidiis intercipit, ſibique mirâ humanitate ac beneficiis præoccupatum, cùm perdere poſſet, dux prudens conciliat, amicumque reddit, Scipionis Africani exemplum imitatus. Tum mare repetens, magnâ ſpe in Franciam contendit, oſtiaque Sequanæ fluminis cum claſſe ingreſſus, nemine prohibente, in terram deſcendit, fælicem illam quidem, ſed tum ob vaſtationes continuas raris cultoribus habitatam. Mox Rothomagum deditione accipit: Francos ſedem æquis conditionibus negantes prælio ſuperat, Pariſios obſidet, Bajocum & Ebroicas obiter excurrens occupat: Inde in Angliam precibus Alvredi regis ſocii evocatus, eum in ſolium reſtituit: iterumque Franciam petens, tripartitâ claſſe Sequanam, Ligerim, Garumnam eodem tempore ingreditur, ut ab omni parte regione vaſtatâ & terrore excitato faciliùs frangere Francorum animos, ac Pariſios, caput gentis, quos denuò obſidione urgere cogitabat, in poteſtatem ſuam redigere poſſet. Interim per inducias à Burgundionum & Pictavienſium ducibus infæliciter oppugnatus, Carnuteſque obſidens, ab iiſdem penè cum omni exercitu circumventus in ſummum incurrit diſcrimen: Coactaque fuiſſet bona pars exercitus ejus aut hoſtibus ſe permittere, aut extremo cum periculo de vitâ dimicare, niſi præſenti conſilio & hortatu militis cujuſdam Friſii, qui ſtipendium in caſtris ejus faciebat, ac torpentibus animo Danis, erumpendum de nocte, ac per hoſtes medios, dum juvarent tenebræ, vi viam aperiendam eſſe cenſebat, fuiſſet expedita. Tum verò Rollo aſperior etiam factus, & in omnia obvia ferro & incendiis ſævire incipiens, eò rem deduxit, ut feſſi & fracti tot malis Franci, querelis, fletu, conviciis auxilium à rege ſuo Carolo Simplice flagitarent. Rex, qui nec ipſe ullâ virtute erat, & procerum ſuorum ſeditionibus etiam agebatur, quod ſolum poterat, concilio principum convocato, quodnam malo huic remedium adhibendum, exquirit: ac de ſuorum cõſenſu, ad placandum Normanni animum, Neuſtriam, priùs etiam eidem genti conceſſam, vaſtam jam & ab ipſo armis occupatam,
perpetuò habendam offert, traditque eâ lege, ut Chriſtianam religionem DCCCC.
cum ſuis ſuſcipiat, & pacem cum Francis conſtantem & æquam habeat. Sic XX.
provincia, diu penè deſolata, Normanno contra Normannos perpetuò huic imminentes defendenda eſt data, ac Normannia communi conſenſu impoſterum ab incolis nuncupata. Scribunt quidam, Britonum regionem malè parentem regibus Franciæ, Rolloni adjectam, & regis quoque ſororem matrimonio illi copulatam. Rollo ſacris Chriſtianis initiatus Roberti nomen accepit, & Normanniæ duces ſequentes, adeoque poſteris ſæculis Angliæ reges à primo Guilhelmo ad hoc ferè tempus ex ſe propagavit. Atque hæc quidem in Galliâ geſta præter inſtitutam brevitatem paulò prolixiùs à me memorata ſunt, quòd ea, licet peregrina, tamen ab inſtituto noſtro ad res Friſicas ejus ſæculi intelligendas non aliena eſſe arbitratus ſum.

RERVM

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber Sextus.

AT verò à Rollonis diſceſſu Friſii continuatâ libertate, patriis legibus remp. adminiſtrabant: Imperatorem ſummum principem ac patronum venerabantur: ejuſque legatum qui ageret, & diffuſis reip. membris uno imperio legitimo colligendis concordiam ordinum tueretur, è medio ſui creabant, Poteſtatis nomine more Italorum ei impoſito: alios dominos nec exteros, nec ſuæ gentis ullos agnoſcebant, aut ferre poterant. Quæ acceperant a majoribus jura contra vim quorumcunque principum, quos invidia ac dominandi libido incitabant, ut arma in Friſiam ferrent, ſtrenuè ac conſentientibus animis, aut ſponte ſuâ, aut à Poteſtate ad ſigna vocati defendebant: omniaque lege, aut more patrio ſine domeſticis tumultibus agebantur. Pòſt conſuetudine Præfectum hunc ſupremum creandi intermiſsâ aliquoties, cùm ſeorſim ſibi conſulere membra ejuſdem reip. inciperent, unumque corpus in partes plures ſcinderetur, libertas, in hoſtem externum conſenſus, cætera omnia, paria: ſed domi non eadem ſemper quies, aut concordia, cùm ab externis pax erat. Nam inter familias nobiles, quæ opibus & autoritate eminebant, æmulationes ſæpiùs exortæ in factiones populum diſtrahebant, armaque civilia horum gratiâ interdum ſumpta, ac pertinaciter in mutuam perniciem geſta, vitio ferè communi libertatis immodicæ. Verùm ingruentibus rurſùm externis hoſtibus iidem illi, qui paulò antè armis mutuis ſe atterebant, ac perſequebantur, velut ejurato odio, vel in tempus aliud rejecto, ſociatis viribus magnâ conſenſione in eos pro defendendâ libertate ſeſe convertebant: Præfectos, judices, reliquoſque in rep. magiſtratus diverſos in diverſis provinciis pro conſuetudine aut arbitrio provincialium creabant, omnes tamen ſuæ gentis, & ſuffragiis lectos. Nonnunquam & ad morem priſtinum Poteſtatis edendæ ſeſe recipiebant. Stato verò tempore, aut etiam quoties res poſcebat, ad comitia conveniebant, deque rebus ad ſummam reip. pertinentibus illic communi decreto ſtatuebant. Verùm tempora hæc pleraque, propterea quòd per ea nec cum exteris nationibus bella illuſtria geſta ſunt, nec Friſii, quæ domi geſſerunt, ob litterarum eo ſæculo nullum aut parciſſimum uſum, in annales referre curarunt, magnam in rebus Friſicis caliginem habent: nec poſſunt ubique continuâ annorum ſerie exponi. Tacentibus enim veterum monumentis, nos de rebus tam vetuſtis, ac procul à memoriâ noſtrâ remotis, quid dicere habemus, cùm in hiſtoriâ comminiſci nil liceat? Quapropter ignoſcet nobis lector, ſi interruptâ modicis alicubi intervallis geſtorum ſerie, proxima aliquot ſæcula fuerimus perſecuti. Mortuo Imperatore Arnulfo, qui Normannorum vires fregerat in Lotharingiâ, cæſis eorum centum M. eique ſuffecto Ludovico filio, alia gens barbara Hungari ex Thraciâ per Pannoniam in Germaniam ſuperiorem ſe infuderunt, eamque longè lateque vaſtando percurrerunt, urbibus nonnullis fœdum in modum direptis. Nec Saxonia ab hac clade fuit immunis. Deinde Italiam repetitis vicibus invaſerunt, ac populati ſunt: coactuſque eſt Ludovicus Imp. magno auri pondere pacem qualemcunque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ab illis emere. Ab ejus verò obitu, cùm & Italia & Germania diſſenſionibus
miſerè agitarentur, dum quiſque ſibi imperium vindicare contenderet, &
Saraceni Campaniam, Samnium, aliaque Italiæ loca vexarent, Sclavi etiam
Germaniæ ab oriente incumberent, iidem Hungari, Italiâ crudeliter afflictâ,
Germaniam denuò adorti, Saxoniam, Thuringiam, Franconiam, Lotharin-
giam, Alſatiam immanes graſſatores pervolarunt, iterumque auro inducias
Imperatori Conrado vendiderunt. Verùm cùm de morte Conradi accepiſ-
ſent, deſpecto Henrico Aucupe ſucceſſore, in Saxoniam denuò excurrentes,
cunctaque cædibus, incendiis, rapinis miſcentes, Bremâ quoque exuſtâ, ad lit-
tus uſque Oceani penetrarunt, cùm Henricus nullo idoneo milite inſtructus
ferociſſimæ genti occurrere totis viribus, & de ſummâ rerum dimicare non au-
deret. Sed enim capto quodam nobili Hungaro, & ſuis charo, ut eum redi-
merent, in novem annos paciſci inducias coacti ſunt. Quibus finitis, cùm in-
tereà Henricus Auceps Imp. magnâ virtute, magnoque ſucceſſu Hene:os, So-
rabos, Polonos, Sileſios, Bohemos, Luſatios, Dalmatas, reliquaſque gentes
Sclavicas, conſtitutis novis limitum præfecturis, ſubmoviſſet, ſine morâ ceu fa-
melicæ beſtiæ rapinis inhiantes, atque ob negatum tributum irâ incenſi, in
eandem Saxoniam advolarunt. Iamque ſævire cœperant, atque excidium
cunctis minari, cùm Imperator cum valido exercitu, quem bella ſuperiora eru-
dierant, & in armis promptum fecerant, ad Merſburgum iis occurrit, ingen-
temque eorum ſtragem edidit, ut reliquiæ conſiſtere nuſquam auderent. Sic
repreſſa immanis gens, ad annum uſque DCCCCC. LV quievit, & Germaniâ DCCCC.
abſtinuit. Hac verò victoriâ potitus Auceps in Danos movit. Etenim Dani LV.
nuper ingenti clade acceptâ à Comite Ringelhemio Saxone, dum fortè Saxo-
niam deprædantur, ut ſe ulciſcerentur, non ſolùm in Saxoniam eo tempore
arma tulerant, verùm etiam Friſiam vicinam, Imperii provinciam, prædan-
do atque urendo infeſtam habebant. Quos ut reprimeret Imperator, ſimul
etiam ut Chriſtiana ſacra longiùs inter Barbaros promoveret, cum exercitu in
dorſum Cimbricæ Cherſoneſi profectus Danicas copias cecîdit, ac Sleſwicum,
validum eo tempore & florens oppidum, vi captum, præfecto tuendum de-
dit, quem Marchionem ceu limitis Comitem appellavit, Saxonum coloniâ
ibidem conſtitutâ, & terminis Imperii ultra Eidoram flumen prolatis. Quin-
etiam Gormonem Daniæ regem, trucem antehac pietatis Chriſtianæ perſe-
cutorem, quamvis pientiſſimæ fœminæ Thyræ Anglicæ maritum, tum verò
ſenio confectum, atque oculis captum, iiſdem armis victricibus ita conter-
ruit, ut liberam religionis noſtræ profeſſionem ac propagationem deinceps
ſe admiſſurum in regno ſuo, pacemque æquam cum Imperio eſſe culturum
per legatos ultrò promitteret. Quâ occaſione uſus Vnnus Hamburgenſium
præſul in Daniam Suetiamque ſe conferens magno fervore Chriſtum genti-
bus profanis annunciavit, nec ſine fructu, conſtitutis paſſim novellis Eccle-
ſiis, ac regio quoque juvene Haraldo Gormonis filio doctrinâ Chriſtianâ im-
buto. * Sigebertus etiam prodit, Friſiis contra injurias defenſis, victos Danos * *Ad annũ*
ad pendenda ſibi tributa, ac regem eorum Chuipiam ad baptiſmum & ſacra DCCCC.
Chriſtiana accipienda Aucupem coëgiſſe. Quod ego de Iutarum parte, ac XXXV.
de principe eorum, aut regio præfecto accipiendum cenſeo. Nam de uni-
verſâ gente Danicâ ad tributum adactâ, nec vero ſimile eſt, nec cum hiſto-
riâ ejus temporis, quam Saxo aliique prodiderunt, conſentit. Nec Chui-
piam regem Dani in hiſtoriis agnoſcunt, aut quenquam regum ſuorum ab
Henrico Aucupe Chriſtianis ſacris imbutum eſſe tradunt. Quanquam hoc
annales quidam habent, Vnnum doctorem, de quo diximus, Haraldum regni
hæredem à matre jam antè Chriſtianis conciliatum multâ doctrinâ eò tan-
dem impuliſſe, ut baptiſmo initiari cuperet, imperante adhuc Henrico. Alii
autem ab Vnno quidem inſtitutum, & Chriſtianis hominibus in regno placa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

tum, ſed ab Ottone 1 Imp. Aucupis filio, armórum vi, ut baptiſari ſe ſuoſque ſineret, ac publicè profanos ritus gentis ſuæ aboleret, eſſe compulſum. Quicquid ſit, hoc ſatis conſtat, à morte Go monis, regnante Haroldo, Danos Marchionem Sleſvvicenſem cum legatis Ottonis 1 Imp. circumventum trucidaſſe, coloniamque novam Saxonum deleviſſe: Ottonem verò ignominiæ impatientem, exercitum in eos confeſtim duxiſſe, ingentique ſtrage fuſis Danis, totam Iutiam, quæ Daniæ pars erat præcipua, victricibus armis eſſe emenſum ad Cimbrorum uſque promontorium, quod ad boream poſtremum eſt: Ibi in littore ſtantem, & Norvvegiam proſpectantem, lanceam in mare conjeciſſe, marique nomen dediſſe, quod etiam apud poſteros ſervet: Verùm dum reducere exercitum in Germaniam parat, Haraldum regem haud procul Sleſvvico, quâ anguſtiſſima peninſula eſt, cum exercitu valido, ac omnibus regni viribus adfuiſſe, lociſque idoneis præſidio occupatis, aut exitu Germanos prohibiturum, aut ad juſtam pugnam committendam loco ſibi commodo vel invitos eſſe adacturum: commiſſo acri prælio, ſuperiorem fuiſſe fortunam Imperatoris, colloquioque inſtituto, ut pacem redimeret, Danorum regem Haraldum ſe regnumque ſuum Imperio Germanico ſubmiſiſſe, & de Chriſti cultu ac religione ex Imperatoris arbitrio ſe acturum promiſiſſe: ita cum omni familiâ conjugem ejus Gunilden, ac filium Suenonem eſſe baptiſmo admotos: & hunc quidem honoris ergò ex nomine Imperatoris, qui eum ex lavacro ſuſcipiebat, Suenottonem eſſe nuncupatum. De Haraldo ipſo non conſentiunt ſcriptores, ab Vnnóne, ceu dictum eſt, baptiſatus multò antè ſit, an eruditus quidem ab eo priùs, verùm animo fluctuans ad hocuſque tempus, baptiſmum diſtulerit. Ab abitu Ottonis Thyra Haraldi mater vallo magni operis ſupra Sleſvvicum & Gottorpam inter utrumque mare cum foſſâ excitato, Germanos à Danis ſecluſit. Quæ dum agerentur, & Haraldus, VVandalico, Norvvegicoque bello confecto, Chriſti religionem magno ſtudio per Daniam Norvvegiamque exemplo & lege promoveret, proceres plerique & plebs, quos malignus ſpiritus ſuperſtitionibus priſtinis faſcinatos excœcaverat, offenſi novis ſacris atque efferati, non ſolùm ſuis moleſti domi fuerunt, ſed patriâ quoque relictâ, vicinas religiones, quas claſſe adire poterant, exemplo majorum ſuorum infeſtas habuerunt, adeò ut ne Normannis quidem in Gallia gentilibus ſuis abſtinerent. Tum verò Friſia poſt Aucupis victoriam quiete uſa aliquandiu, cùm prædonum injuriis oportuna maximè eſſet, omne malorum genus denuò eſt experta. Regio enim longiſſimo tractu ſecundùm Oceani littora anguſto agro porrecta, cùm omnibus locis ſimul opponi exercitus, atque occurri non poſſet, nec navium copia ulla, aut uſus incolis tum eſſet, prædonum claſſes toto mari volitantes formidare ſemper, adeoque hoſtiles incurſus earum ferre identidem neceſſe habuit: Non dies, non nox Friſiis ſecura, ac ab hoſtibus tuta fuit: Rapi, ferri, uri ſua, libidine & cæde cuncta vaſtari ſi non videre quotidie, certè ut iſthæc evenirent, omni tempore metuere cogebantur. Nec unius anni ea calamitas fuit: quinimò cum tempore ipſo augmentum etiam cepit. Siquidem gliſcente in Haraldum regem procerum & plebis odio ob religionem, & onera, quæ in excitando monumento matris fortè rex populo præter rationem injungebat, Suenotto filius, ejuratâ religione, quam videbat ſuis eſſe exoſam, regem ſe appellari à conjuratis paſſus, patrem regno ejecit, ac tertiùm cum exercitu victum, ac demum ſimulatâ pœnitentiâ, factiſque induciis per inſidias vulneratum in exilio mori apud Iulinenſes adegit. Tum verò ſine æmulo regnans, quòd ſciret, reſtituto dæmonum cultui regnum ſe debere, velut gratiæ referendæ, & ſuis ſe oſtentandi cauſâ in omne nomen Chriſtianum crudeliter eſt invectus. Itaque non ſolùm ſuos, qui Friſiam, Angliam, Belgii, Franciæque littora deprædabantur, non inhibuit, verùm etiam animum viresque iis addidit. Et ne iniquus eſſe, ac præter rationem peregrinos premere

videre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

videretur, cauſam commentus eſt, quam libidini ſuæ prætexeret, quòd patrem ſuum hoſtem regni judicatum, contra ſe ſacraq; patria auxiliis juviſſent. Atque hanc ego occaſionem fuiſſe non dubito, cur privilegium, quod in jure vetere ſcriptum eſt, *ne extra fines patriæ ad peregrina bella evocare Friſios, propter aggerum onera, & incurſus perpetuos Normannicæ gentis cuiquam liceat*, aut novum Imperator tum indulſerit, aut quondam à Francis regibus conceſſum denuò confirmaverit. Sed non diu tantum Danici regis ſcelus, ac nequitiam inultam ſivit Deus. Nam cùm ejuſdem cauſæ prætextu idem Iulinenſibus quoque, licet idolatris, apertum bellum faceret, ter cum iis in mari confligens, ter quoque ab iis turpiter captus, pecuniaque ad arbitrium victorum è cuſtodia redemptus, oſtentui cunctis gentibus fuit. Demum cùm regno reſtitutus ſuperaſſe tot mala videretur, ab Erico Suetiæ rege Daniâ omni expulſus, atque ab omnibus cognatis regibus, ad quos miſer confugerat, faſtiditus, vix apud Scotos exilii locum invenit. Ibi tandem tot malis eruditus vitam ſuperiorem, & tam multa ſua ſcelera circumſpicere, ac ad meliorem redire mentem cœpit. Quocirca Manaſſis in eo exemplum vetus renovavit Deus, regnoque, quod oportunè moriens Ericus tum fortè vacuum reliquerat, eum reſtituit. Reſtitutus, diſſimulato animo ſuo, ita ſe in ſacris geſſit, ne inter initia ſuos, quos à Chriſto averſos eſſe noverat, offenderet: donec tandem Popponis cujuſdam concionibus miraculoque igniti ferri, quod fidei ſibi conciliandæ cauſâ coram univerſo populo magnâ fiduciâ doctor prehendit, & illæſis nudis manibus tenuit aliquandiu, rege præſertim ſanctum negotium prudenter promovente, univerſa Dania in Chriſti religionem conſenſit. Sic pax Friſiis quoque ad aliquot annos à prædonibus Danis fuit. Verùm hæc priuſquàm iis in locis evenêre, etiam cum Hollandis, ſi modò Hollandiæ nomen tunc temporis in uſu fuit, arma à Friſiis, uti perſuadere nobis volunt qui Hollandica illa prima fabuloſè compoſuêre, ſunt conſerta. Quæ quanquam vana ſint, & ne aptè quidem ad temporum rationem ficta, tamen ut ab autoribus illis tradita ſunt, breviter hîc recitare mihi libet. Sic ajunt igitur fabulæ concinnatores: cùm obiiſſet Theodoricus primus Hollandiæ Comes, id quod in annum Chriſti DCCCC ferè conjiciunt, ſucceſſoremque & hæredem filium unicum Theodoricum ſecundum reliquiſſet, huic quanquam Hollandi Selandique ſine morâ ſe offerrent, fidemque jurarent, Friſios tamen libertatis prioris recordatos obſequium denegaſſe: verùm armis appetitos ac victos manus dediſſe, ſed diutiùs anno in fide non ſtetiſſe: quinimò ultrò majori vi bello reſumpto, Alcmariam primam Hollandi urbem ſubito incurſu cepiſſe, occiſiſque omnibus qui arma ferebant, oppidum direptum incendiſſe: indè Harlemum invaſiſſe, occupatumque vaſtaſſe cum omni agro vicino: Egmondanum quoque cœnobium è ligno nuper conſtructum igne injecto conſumpſiſſe: poſtremò cùm in Leidenſes jam ferrentur prædæ avidi, non procul oppido eo ab Hollando, quanquam minoribus cum copiis occurrente, eſſe repreſſos, & in ordinem durumq; ſervitium redactos: indè in obſequio duraſſe toto vitæ Theodorici hujus tempore: eum fato ceſſiſſe anno ab hoc cõflictu LXXXVI, à Chriſto nato DCCCC.
LXXXVIII. Reſtituto deinde Suenottone, ac maximis opibus aucto (Norwe- DCCCC.
giæ enim & Angliæ regna armis ſubegerat, & Suetiæ rege privigno ſuo ad ar- LXXXVIII
bitrium ſuum utebatur) recruduit vetus in Friſia malum, cùm Dani, Norwegiique, quos Normannos unâ voce etiam tum vocarunt, piraticam magno auſu, maximiſque in claſſem conſcriptis copiis inſtaurarent. Hoc enim adeò gentibus illis inſitum more à majoribus accepto, ut etiam Chriſti nomen profeſſæ haud tamen ab eo temperare ſibi poſſent. Et erant adhuc multi in utroque regno antiquis ſuperſtitionibus potiùs, quàm veritatis doctrinæ inhærentes: quibus indulgere multa Suenotto cogebatur. Hi tum, contemptâ Ottonis III Imp. pueritiâ, ſeu ſecundâ ſeu adverſâ voluntate regis ſui (id enim parum conſtat)

audaciùs ſe littoribus Germaniæ intulerunt. Itaque evaſtatâ omni orâ maritimâ Friſiæ, atque ad libitum direptâ, cùm Albim etiam ſubiiſſent, univerſam ejus fluvii ripam, Stadam oppidum uſque, populationibus ac incendiis more ſuo fœdarunt, oppidumque ipſum cum arce ceperunt. Et cùm nobiles ejus loci collectis properè, quantaſcunque poterant, copiis, objicere ſe iis conati eſſent, omnes cæſi, aut capti, aut in turpem fugam compulſi ſunt: in captivorum numero Sifridus Marchio fuit. Is fortè elapſus Bennonem Saxoniæ totius ducem commovit, ut validâ cum manu occurreret, prædoneſque ulciſceretur. Ita certamine denuò contracto Dani ſuccubuêre. Nec multò pòſt alia eorum manus in Saxoniæ finibus ad internecionem eſt conciſa. Nec ſic tamen prædonum ſatis repreſſa licentia eſt. Nam Viſurgim claſſe ingreſſi tantum terrorem vicinis omnibus injecerunt, ut ne ſacra quidem vaſa, & theſauri Eccleſiæ ſatis tuti in ipſâ urbe Bremâ putarentur, ſintque alium in locum ad cuſtodiam tranſlati. Addunt veteres ſcriptores, Sifridum earum copiarum ducem ſacrilegio commiſſo, imprecante Libentio archiepiſcopo, à dæmone malo fuiſſe correptum, cruciatumque tamdiu, quoad non ſolùm, quod rapuerat, reſtituiſſet, ſed tantundem etiam ſuis ex rebus adjeciſſet: aliud quoque attexunt, quod fabulis propius videtur, Sifridum eundem excommunicatum ab Epiſcopo, cùm à morte in ſepulcro conditus eſſet, putreſcere non antè potuiſſe, quàm ab Adelvvardo in Norvvegia multos poſt annos execratione tandem fuiſſet liberatus. Atque hæc ad annum ferè DCCCC.LXXXIX geſta ſunt. Antè quod tempus Arnolfi

DCCCC. LXXXIX Hollandiæ Comitis Theodorico II geniti filius Sifridus, Sicco Friſiis vulgò dictus, patrem avumque offenſos fugiens Staveram veniſſe memoratur à nonnullis, atque à Goſſone Ludigmanno, qui tum ſupremus in Friſia præfectus erat, hoſpitio benignè eſſe acceptus, mox & ex hoſpite gener adſcitus: demùm patri reconciliatus Brederodiis & Teilingiis familiæ originem dicitur dediſſe. Quæ quomodò temporibus congruant, veraque ſint, autoribus qui iſta tradunt, docendum relinquo. At verò Arnolfus, quod ſatis conſtat, malè pacatus Friſiis fuit, quàm diu in imperio fuit. Cauſa una ac ſola, quòd ille obſequium hos poſceret, hi libertatem ſuam tuerentur. Demùm Comes Ottonis III. Imp. amicitiâ ac propinquitate fretus (ſobrini enim erant, & Otto, quod à Franciæ regibus quoquo modo tenuerant pater avuſque, id patri ejus non ita nuper ampliore ac meliore jure in perpetuum tenendum tribuerat) ut ſemel armis rem tranſigeret, anno Chriſti DCCCC.XCIII, qui imperii ejus erat quintus, ingentem

DCCCC. XCIII. exercitum confecit, & omnibus probè paratis in proximam Friſiam incurrit alacer, & ſpei plenus; verùm improſpero, ac diverſiſſimo ab eo, quem ſpe conceperat, eventu. Nam cum hoſtibus fortiter pro libertate pugnantibus congreſſus patentibus in campis ad VVinkelam vicum, quem ipſe locum prælii iis condixerat, victus eſt, vitamque cum eo, quod ſperaverat, imperio amiſit. Cæſus ibi cum Comite flos omnis nobilitatis Hollandicæ, quæ fortiſsimè circùm principem ſuum dimicaverat, unà cum exercitus parte maximâ. Res geſta ad diem XV. Calen. Octob. Nec alia res, quàm cædes hæc, ingentium malorum, quæ longo ordine inter utrumque populum ſecuta ſunt, cauſa irritatrix major

M.IX. fuit. Sed enim Normanni rurſum, anno à nato Chriſto M.IX, imperante apud Germanos Henrico II, apud Danos verò rerum potiente Canuto cognomento Magno, Suenottonis filio, qui præter Daniam, Norvvegiæ, Suetiæ, Angliæque regna tenebat, Friſiam, Hollandis conterminam, invadunt, prædiſque abactis, Tielæ oppidum ad Vahalim flumen in Epiſcopatu Vltrajectino, qui tum cum metropoli Friſiæ adhuc accenſebatur, exurunt. Quod cùm impunè ipſis eſſet ob diſſenſiones, poſtero anno rurſum Friſiæ littora legunt, nec jam prædas tantùm agunt, ſed in obvios quoſque deſæviunt, cædemque promiſcuam edunt. Tum Vltrajectum contendentes, cui tum Adelbaldus Friſius epiſcopus præerat, cùm urbem metu penè deſertam inveniſſent, eam occupant & incendunt: atque ita prædâ onuſti ad naves ſuas ſe recipiunt. Ab hac vaſtatione cœperat

perat

perat pauliſper reſpirare ac velut emergere Friſia, cùm octennio pòſt ab Hol- M. XVII.
landis novum illi bellum exortum. Theodoricus enim ejus nominis tertius in Hollandia Comes, quoquo modo cùm obſequentes ſibi reddere proximos Friſios cuperet, diſſimulato paternæ cædis dolore, primùm tentare eos benignis verbis orſus, cùm id non ſuccederet, minis agere cœpit. Epiſcopum verò Vltrajectenſem Adelboldum, hominem Friſium, cùm intelligeret obſiſtere ſibi maximè ſuadendo, monendo, hortando Friſios, ut libertatem tuerentur ſuam, odium in eundem concepit graviſſimum. Deinde cùm aliâ quoque cauſa accederet ex controverſiâ de finibus ac Epiſcopatus jure, quòd atterere Hollandus nitebatur, arma in Epiſcopum vertit, eumque bis victum ſecundo in prælio perdifficili vivum cepit. Nec tamen hac victoriâ elatus, quamvis cauſam ei darent Friſii pro liberando Epiſcopo cuncta tentantes, & ipſe ob cædem patris ſui vindictæ cupidine ardeſceret, ſuis viribus ſine auxilio peregrino invadere Friſios eſt auſus: dimittere autem inultos & liberos dolor & ambitio eum non ſiverunt. Itaque ad Imp. Henricum II affinitate ſibi junctum profectus, ejus opem in contumaces imploravit. Imperator cum bonâ ſpe ipſo dimiſſo, Godefrido Lotharingo ſtatim imperat, uti celeriter quam maximas in id bellum copias cogat. Erat is Godefridi Arduennenſis filius, nuper, extinctâ in Ottone duce Caroli Magni familiâ, Lotharingiæ dux beneficio Imperatoris factus, princeps opibus & belli gloriâ, ſi quis alius eâ ætate, clarus: cujus operâ penè aſſiduâ uſus hactenus idem Imperator fuerat, quoties armis aliquid erat expediendum, præſertim per Germaniam. Et cùm bella bellis ferè conſerta ei demandarentur, ita tamen in iis egit omnibus, ut nuſquam penè eum fortuna deſtitueret. Hic igitur validiſſimo ex ſuis, & quos Imperator ipſe duxerat, veteranis confecto celeriter exercitu, cùm ex Lotharingia ſuperiore in Brabantiam, ex Brabantia in Hollandiam veniſſet, aſſumptis, quos Hollandus intereà è ſuis quoque coëgerat, copiis ingentibus, ſtatim unà cum ipſo Hollando, & totâ nobilitate Hollandicâ in Friſiam contendit. Quam ubi ingreſſus fuit, confeſtim fiduciâ virium ac fortunæ prioris, hoſtiumque contemtu, quantum omninò commodo ſuo potuit, ad prælium deducere rem maturavit; adeò de victoriâ nil dubitans, ut Epiſcopum vinctum ſecum duceret, quod Hollandus voluerat; quò is in aciei loco collocatus ad hauriendum dolorem ſuos cædi præſens aſpiceret. Friſii verò quamvis iniquâ conditione (quippe pauci contra plurimos, & bellis induratos) tamen ne ipſi quidem pugnam detrectavere. Sciebant enim aut audendum ſibi, fortiterque rem gerendam, aut conditionem ſervitutis, quâ nil pejus oderant, ſubeundam. Nec Imperatoris autoritas eorum animos debilitabat, cujus juſſu Godefridus ipſos oppugnatum venerat: Quin imò indignabantur, contra jura priſca non ſolùm uſurpata ſemper à majoribus ſuis, ſed ab Imperatoribus etiam & Francorum regibus edicto confirmata, ſæpiuſque ita ſancita, ut ea à poſteris Imperatoribus mutari invitis Friſiis fas non eſſet, quemadmodum nuper ab Ottone III, ſic nunc ab Henrico Imp. à quo patrocinium libertatis ſuæ ſperare debebant, aut cauſâ non ſatis cognitâ, aut in unius Hollandi gratiam, in ſervitutem ſe addici: pluſque apud eum ſanguinis vinculum, quàm æquitatis ac juſtitiæ rationem, quàm merita majorum ſuorum, & fortia pro Imperio facta, quibus Imperatorum favorem ſibi conciliaverint, & libertatis perpetuæ jura ceu præmium laborum ac virtutis honeſtè pepererint, valere. Quapropter decretum hoc habebant, vel invito iſthoc Imperatore, ſuperiorum Imperatorum, à quibus hic imperium haberet, beneficia ac edicta majorumque ſuorum gloriam cum libertate, ſi ſors ſecundet, fortiter agendo tueri, aut ſi adverſa fortuna ſit, vitam priùs ac fortunas, quàm libertatem dimittere. Et erant illo tempore Friſii ob eas, quas cum Normannis & vicinis habebant, perpetuas contentiones, armis ad pugnas ſatis parati, &

militiæ gnari. Itaque quantumvis pauci numero, qui iſtic in præſidio erant ad prohibendas hoſtium injurias, vadenti Lotharingo magnis ſe animis objecerunt. Contractum certamen utrinque pertinax & grave, cùm illinc frenderet Lotharingus, quod tantulæ ruſticorũ copiæ non ſolùm excipere intrepidè ſuum exercitum auderent, ſed ſuſtinere quoque poſſent: hinc Friſii devotis pro libertate animis extremo niſu in hoſtem pugnarent. Tandem is eventus fuit, ut, quò minimè omnium putabatur, eò victoria inclinaret, atque iſtic fortuna ſtaret, ubi æquitas ſtabat. Nam Lotharingi ſeu tantâ Friſiorum fortitudine ac pertinaciâ inexpectatâ perculſi, ſeu aliâ de cauſâ ſubitò inter pugnandum conſternati, projectis ſimul armis in fugam tam trepidam, ut ſiſti nullo clamore præfectorum, nullo imperio ducis poſſent, ſe effuderunt. Eſt in annalibus, vocem claram repentè auditam, FVGITE, FVGITE, nec vocis autorem ullum patuiſſe: atque ita pro divinitùs miſsâ ab omnibus acceptam, Panico hoc terrore exercitum compleviſſe. Tum verò ingens fugientium edita fuit cædes, ac major ferè quàm pro cædentium numero, cùm iraſcerentur Friſii quòd libertatem ſuam iniquiſſimi homines oppugnatum veniſſent; Pauciſſimi inter ſe conjuncti evaſerunt. Dux ipſe Godefridus, dum morari fugam ſuorum exemplo & voce conatur, captus eſt. Comes effusè fugiens Harlemum pervenit. Vltrajectinus cùm inclinantem fortunam videret, transfugit ad Friſios, atque indè ad ſuos porrò eſt reverſus. Victoria illuſtris uti magnæ gloriæ Friſiis fuit, ita hoſtes eorum, ne temerè quieſcentes auderent laceſſere, conterruit. Nec verum eſt, quod ab Hollandis quibuſdam proditur, Comitem poſt pugnam hanc denuò in Friſiam duxiſſe, & bis magnis præliis fuiſſe ſuperiorem. Vanius etiam, Imperatorem ipſum omnibus his præliis interfuiſſe. Quorum commenta Becanus quoque, Hollandicæ laudis alioqui prodigus, meritò & ſuggillat, & refutat. Captivus dux, ut ſe è cuſtodiâ liberaret, per ſuos apud Imperatorem egit, quò Imperator ediceret, ne ea res Friſiis noxæ eſſet, quòd libertatem ſuam armis defendiſſent, utque manerent ipſis impoſterùm rata à majoribus accepta, ac Imperialibus decretis ſancita jura. Quibus ab Imperatore impetratis dimiſſus, ac ad ſuos reverſus eſt. Neque multò pòſt vitæ poſtremum clauſit diem, cùm dolorem acceptæ ignominiæ, ut autores quidam volunt, ferre non poſſet. Succeſſit ei frater Gothelo, & ipſe magni nominis princeps, qui Moſellanæ quoque regionem reliquæ Lotharingiæ, beneficio Imperatoris, adjecit. Quievit deinceps aliquandiu Friſia: & quanquam moliretur diverſa, ac moveret variis conſiliis Hollandus in vicinos ſuos, tamen promovere nihil potuit, nec aperto bello invadere eos auſus fuit. Primi autem hanc tranquillitatem Normanni in parte Friſiæ rurſum turbarunt. Sueno Magni Canuti ex ſorore nepos, Hardicnutonis Daniæ & Angliæ regis amitinus, & hæres, cum inſtructâ claſſe in Angliam fortè navigabat. Verùm in curſu vel ſponte vel ventorum violentiâ coactus in Albis oſtia deflexit, & claſſiariis in terram expoſitis, more gentis à majoribus accepto, Hadeleriam, quæ proxima oſtio eſt, infeſto agmine populatus fuit. Quod ut impunè non ferret, Dei potiùs providentiâ, quàm humanâ virtute eſt perfectum. Aderant enim ibidem iſto tempore quidam ex epiſcopi ſatellitio, homines militares, qui raptim collectâ ruſticorum manu, & pro tempore armatâ, in prædatores duxerunt, commiſſaque tumultuariâ pugnâ, cæſis multis, ipſum Suenonem ceperunt, eumque læti & triumphantes vinctum Bremam, ubi tum archiepiſcopus Bezelinus cognomento Alebrandus erat, traxerunt. Epiſcopus verò, cùm coram ſe conſiſtentem aſpexiſſet, commiſeratus fortunam regiam, laxari vinculis, & benignè haberi eum juſſit. Quinetiam humaniſſimis verbis ipſum conſolatus, honore & donis inſignibus affectum paulò pòſt dimiſit. Quo facto non malè toti oræ maritimæ Friſiorum conſuluit. Sueno enim beneficii ejus memor, cùm regnum Daniæ multos annos fæliciter adminiſtraret,

M.XIX.

pacem

pacem cum omnibus Germanis immotam coluit. Moriens illegitimi generis ſobolem numeroſam tantùm reliquit. E quibus Haraldus, Canutus, Olaus, Ericus, qui in Cypro cum conjuge obiit, Nicolaus, omnes ordine reges fuerunt: ſextus Vbbo, qui Nicolaum ætate anteibat, oblatum regnum ſuffragiis populi magno animo recuſavit, & fratri Nicolao reliquit. Circiter idem tempus, cùm in Germania rebus præeſſet Henricus III Imp. ac eccleſiam Bremenſem adhuc regeret Bezelinus, Brema cum templo ſummo atque epiſcopi domo, reliquiſque ſacris ædibus, tota eſt incendio conſumta, theſauri eccleſiæ, ornatus, libri, in quo potiſſimum detrimentum, penitùs exuſti. Autor incendii creditus eſt Edo quidam, quem ad hoc ſtimularit dolor ereptæ avo ſuo Edoni cujuſdam præfecturæ. Adduntque annales Bremenſium, ejus facinoris expiandi cauſâ patrem incendiarii omnium bonorum ſuorum, excluſo filio, Eccleſiam Bremenſem hæredem ſcripſiſſe: avum verò Edonem Hieroſolymam eſſe profectum. Hos verò Friſios fuiſſe, ſolum nomen ſatis arguit. Nec dubito Friſiæ partis præfecturam eam fuiſſe, quam avo Edoni epiſcopus abſtulerit. Nam partes quaſdam terræ Friſiæ epiſcopo Bremenſi jam olim aſſignatas eſſe, ac præfectos ab Epiſcopis accepiſſe, adeoque proprio præfecturæ nomine diu nuncupatas, ſatis planum eſt. Veruntamen tenue Epiſcopi præfectorumque jus fuiſſe in ea loca, ac patrocinio quàm imperio propius, quod & priùs oſtendimus, non minùs eſt planum. Bezelino autem anno, qui calamitatem illam Bremenſem ſecutus eſt, M. XLIII per menſem Aprilem M.XLIII
vitâ functo, viro optimo & pientiſſimo, Albertus eſt ſurrogatus, inexplebilis ambitionis homo, ac generis nobilitatem (erat enim Welfi Bavariæ principis germanus, ſi Crantzio fidem adhibemus, aut è Miſniæ Marchionibus, ut quidam affirmant) ſuperbiâ & inanis gloriæ ſtudio æquans, anteceſſorum genus, fortunam, inſtituta pro vilibus habens, ſe ſuaque tanquam multò potiora oſtentans, prioribus deſpectis ad nova ac majora anhelans. Atque huic hominis vaniſſimo ingenio ventus gratiæ aulicæ, quâ plurimum apud Henricum III Imperatorem & Agneten Imperatricem valebat, aſpirare videbatur: quam ipſe affectando aulam ferè perpetuò, & humillimis officiis demerendo augere quoque pro viribus ſtudebat. Eâ deinde fretus mira ſomnia concipere de honore, opibus, poteſtate Eccleſiæ ſuæ ſupra modum cæterarum per Germaniam Eccleſiarum novis adjiciendis; plurium Epiſcopatuum per viciniam inſtituendorum conſilia coquere; denique ex Archiepiſcopatu Patriarchatus dignitatem per omnem oram maritimam Germaniæ, triaque Septentrionis regna ſomniare. Itaque primùm prædia, agros, vicos ſparſim diœceſi ſuæ innexos, (nec enim quicquid terminis diœceſeon latè diffuſarum, quarum ipſis cura paſtoralis commiſſa erat ab Imperatore Carolo, incluſum, id etiam Epiſcopis regendum, utendum, fruendum erat ab eodem attributum, ſed certa ſolùm oppida, pagi, agrique variè per diœceſim, ac aliis locis ſparſi: cætera priſtino juri fuerant relicta) ab Imperatore impetrat: deinde plura ac majora cupiditate complectitur, deq; iis Imperatorem fatigat: poſtremò Comitatum quendam Friſiæ (is qui fuerit, planè ignoratum eſt, Crantzius tamen de Oldenburgico conjectat) ab eodem Imperatore, quem conſultò, tum hujuſce rei causâ, tum ut Saxoniæ inferioris ducibus calumniam texeret, quibus erat inimicus, quaſi ad viſendam Liſmonam, conveniendumque Daniæ regem, Bremam invitaverat, dono accipit. Reliqua meditantem vita Imperatoris deſeruit, cùm annus ageretur M. LVI. Intereà idem Imperator Henricus in ſacrum ordinem magis penè, quàm par erat, liberalis (plurima enim per Germaniam in Epiſcopos & antiſtites cæteros contulit) per Tuentiam multa, plura etiam per Drentiam Bernolfo epiſcopo Vltrajectino dono dedit, & his deniq; prædium, quod in oppido GRONINGA tenebat (ſic enim tabulæ donationis loquuntur) adjecit. Hoc prædium, uti oſtendi alibi, præfecturam ſuburbanam eſſe, cingentem M.LVI.

urbem, apud me quidem dubium non eſt; quanquam obtentu hujus in ipſam urbem Groningam jus ſibi arrogaſſe, & paulatim in poſſeſſionem ejus ſe miſiſſe Epiſcopos ſequentes, ſummumque Collegium non neſciam. Tuentia & Drentia, aliis ſuper alias donationibus, indè uſque ab Ottonis I tempore, poſt vaſtationes Danicas cumulatis, iſtis in regionibus, ad parentum noſtrorum memoriam totæ in poteſtate iſtius Eccleſiæ permanſerunt. Quod idem & de Daventriâ verum, quæ ſexennio pòſt eodem ab Imperatore eidem præſuli cum proxi-
M.LVIII mo Amelandiæ agro eſt donata. Anno Dominicæ nativitatis M.LVIII, ut Sigebertus notat, Henricus IIII Imp. contumaciam cauſatus, in Friſios arma vertit, impulſus ab iis, à quorum conſilio atque arbitrio pendebat, cùm ipſe per ætatem conſulere rebus non poſſet: Occupatiſque aliquot illorum caſtellis, promptiùs imperata facere coëgit. Quo verò loco res geſtæ, quæ munitiones captæ, per quos duces bellum adminiſtratum, nulli annales meminerunt. Nam ipſum Imperatorem novennem tum puerum rebus præfuiſſe, quis credet? Ego per Albertum epiſcopum Bremenſem iis in partibus, quas aut re aut ſpe invaſerat, turbatum aliquid eſſe, bellumque Friſiis conflatum, prælato Imperatoris pueri nomine, exiſtimo. Is enim à morte Henrici III Agnetem viduam, Agnes filium Imperatorem ad complures annos poſſedit. Quo quidem tempore ille opportunè rurſum uſus Liſmonam, quæ Imperii juris fuerat hactenus, cum univerſo Hadeleriæ vicinæ agro ab Imperatrice mercatus eſt, ut Bremenſium annales produnt: mox in alia, deinde rurſum in alia, ut quodque aut proximum, aut commodum videbatur, involare eâdem cupidine ſtuduit. Eam verò cupiditatem hominis ferendam non putantes, cùm cæteri vicini principes, quorum intererat (plerique enim beneficio Imperii nonnullas præfecturas iis in locis tenebant) tum inferioris Saxoniæ duces Bernardus cum filiis duobus, homo jam penè decrepitus, ſed injuriâ tamen Alberti ad vindictam commotus, arma contra eum induerunt: E quibus Ordulfus Bernardi filius Friſiæ partem, quam Albertus ſuæ jam diœceſi ex Imperatoris dono aſcripſerat, bello invaſiſſe ſcribitur: quod accidiſſe circa idem illud tempus, quod priùs deſignavi, ex annalium verbis colligere licet. Nec multò pòſt reliqua diœceſis ab eodem, & fratre Hermanno, ſociiſque vaſtata. Epiſcopus fruſtrà opem à puero rege & matre ejus rogans (hoſtes enim ætate & viribus validi ætatem & ſexum deſpectui habebant) muneribus placare æmulos, & cladem majorem redimere coactus fuit. Intereà conſpiratione factâ, proceres, quos mollis imperii muliebris pigebat, quorum princeps erat Anno Colonienſis archiepiſcopus, vir magnâ
M.LXII. virtute præditus, Imperatorem Henricum, XIII jam annos natum, curæ ac poteſtati matris ſubductum ad ſe transferunt. Deinde ne rerum ſumma ſine certo imperio fluctuaret diutiùs, duûmviros deſignant, qui & aulæ & reip. præſint, Annonem Colonienſem, & Albertum Bremenſem archiepiſcopos. Hoc verò novo vento uſus Albertus, reliqua, quæ cupitis adhuc deerant, pertexere aggreditur. Præter Hadeleriam ac Liſmonam tres in terrâ Friſiâ Comitatus inſignes, Stadenſem, Findgoam, Emiſgoam, itemque Corbeiam & Lauriſſam cœnobia duo opulentiſſima, gratiâ pretioque ſibi comparat. Ejus rei cauſâ omnem Eccleſiæ ſuæ pecuniam, omnes reditus, aurum & argentum fabrefactum, gemmaſque, & quicquid ornamentorum in ſacris erat, quæ prior ætas magno ſtudio religionis congeſſerat, profundit, irritatoſque denuò, & in ſe inſurgentes Ordulfum & Hermannum Saxones proſcribi decreto Impetatoris curat, nec niſi malè mulctatos in gratiam recipit, cæteros ab audendo deterret. Mox pro more hominum ſuperbos ac inſolentes in ſublimi non ferentium, exortis compluribus æmulis, gratiæ loco dejicitur, principe Annone Colonienſe. Dejectus ſtatim ab Ordulfo, ac filio ejus Magno, ampliùs quàm priùs affligitur, atque omni afficitur contumeliâ, provincia ejus ferro & flammâ pervaſtatur, ne Bremâ quidem immuni, ipſe profugus latêre apud Goſlarienſes aliquandiu

coactus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

coactus, donec tandem magnâ provinciæ ſuæ parte Magno in feudum datâ (quod ad Hadeleriam pertinere puto) pacem parùm honeſtam redimeret. Ita triennii calamitate edoctus, cùm ad priſtinum potentiæ gradum poſteà rediſſet, cautiùs jam fortunâ uti inſtituit, obſequio & ſtudiis demereri principes, amicóſque ex æmulis facere, horum auxilio Magnum rurſùm exuere iis, quæ invitus antè conceſſerat, cum Egberto quodam, ut Findgoâ; cum Vdone Marchione Brandeburgico, ut Stadenſi Comitatu, quem cum Ditmarſiâ tum fortè tenebat, ſibi cederent, amicè agere, magnaque pretia, ſi ſibi morem gererent, polliceri. Et de Egberto, quis fuerit, quidve cum eo ſit confectum, non eſt memoriæ proditum; quemadmodum nec quæ regio Findgoa, explicatum: tantùm extra Viſurgim eſſe, Orientem verſùs, ſatis videtur planum, quam annales dicunt à Godefrido quodam ante Egbertum eſſe adminiſtratam. Ab Vdone verò, (is ex poſteris Sifridi fuit, cujus antè meminimus,) impetratum, redemptumque ingentis pretii rebus, ut regionis illius nomine beneficium epiſcopi aut Eccleſiæ Bremenſis agnoſceret, adminiſtrationem tamen & reditus omnes ipſe retineret, abſurdo ſanè conſilio, cùm multò pluris id quod Vdoni reddebatur, quàm jus illud epiſcopo partum, eſſe omnibus videretur: Quam ob cauſam haud ineptè Adamus Bremenſis ejuſdem illius temporis ſcriptor, & poſt eum Crantzius hac de re pronunciant, non moleſtè ambitioſum epiſcopum tuliſſe, ſi pauper ipſe eſſet, dummodò divites ſervos haberet. De Emiſgoâ etiam, quæcunque ea regio ſit, Bremenſi parochiæ vicina (ſic enim deſignatur) cum Amaſanâ certè noſtrâ nihil commune habens, tradunt annales, ut ejus jus acquireret, eundem mille libras argenti Imperatori ſe daturum recepiſſe: quam ſummam cùm præſtare ratione aliâ non poſſet, (erat enim jam antè exhauſtus) quicquid erat in theſauris Eccleſiæ ſuæ adhuc reliquum, quicquid in ſacris pretioſum, cruces, imagines, tabulas auro argentoque & gemmis graves, in uſum numorum auſu temerario conflaſſe: jactaſſe tamen, non multò pòſt cuncta hæc non paria ſolùm, ſed longè etiam meliora, majoreque copiâ ſe eſſe refecturum. Sed confeceritne etiam hoc modo tantum, quantum Imperatori debebat, atque ita in provinciæ hujus Emiſgoæ poſſeſſionem venerit unquam, non eſt proditum litteris. Illud quidem ſcriptores non prætereunt, ſortem tuliſſe haud aliam, quàm quæ iniquarum cupiditatum comes eſſe ſolet, nempe exhauſtum omnibus facultatibus in ſummâ anguſtiâ & ſordibus vitam traxiſſe, & quem fœlicem ac florentem ab anteceſſoribus acceperat, afflictiſſimum, & cunctis exutum ornamentis epiſcopatum ſuum, multis fruſtrà affectatis, reliquiſſe; poſtremò præter dedecus & ignominiam, æquiſſimum ambitionis præmium, ex tot molitionibus haud quicquam retuliſſe. Nam ingraveſcente ætate ferunt eum in defectum mentis, propeque in delirium incidiſſe ex nimio curarum æſtu, triennioque deinde, quod ſupererat vitæ infælicis, exacto, inglorium, atque ab omnibus deſpectum & irriſum, tandem animam afflaſſe ad annum Servatoris M.LXXII. Friſii ſtatim aut ſuperſtite adhuc eo, aut defuncto, ad libertatem ſuam, quam immeritò Imperator pecuniâ alteri addixerat, rediêre: nec potuit epiſcopus ſe ac ſucceſſores ſuos dominos illis imponere. Ejuſdem epiſcopi tempore Ditmarſia quoque, quæ Comitatus Stadenſis præfectura aut pars fuiſſe creditur, duos ordine rectores ſuos, viros principes, Idæ Suevicæ, neptis ex fratre III Imp. quæ jura illic ampla ad Albim flumen poſſidebat accepta à majoribus, maritos Ethelerum & Dedonem, libertati ſuæ graves, interfecit. Deinde Egberto Idæ ejuſdem filio ab Vdone Marchione, qui jus ſuperius in eaſdem illas regiones prætendebat, in acie cæſo (lis enim, ceu fieri ſolet, eos diſiunxerat) cum reliquâ Stadenſi ditione ad Vdonem pervenit, atq; ab eo ad poſteros eſt tranſmiſſa, incolumi tamen populi ſolitâ libertate. Erat iſto ſæculo, de quo hæc ſcribimus, ac multò pòſt, Friſia in plures diœceſes juris

dicundi cauſâ diſtincta, ad quos olim Imperator legatum ſuum quarto quoque anno ceu prætorem mittere ſolebat, qui difficillimas controverſias definiret. Has diœceſes ex legato judice, quem Comitem dixêre vulgò, Comitatus appellabant. Quod lectorem, ne in vocabulo erret, tenere oportet. Turbatæ verò ſunt res intereà in Hollandia & vicina ei Friſiæ parte: de cujus origine & progreſſu breviter dicam. Theodorico III Hollandiæ Comite, qui cum Friſiis pugnavit, ad annum M.XXXIX defuncto, filius ejus natu major Theodoricus IV ſucceſſit. Qui IX poſt annos Dordraci è medio ſublatus per inſidias, cùm liberos non ſuſtuliſſet, fratrem Florentium, hominem Friſiis gratum, ſucceſſorem reliquit. Florentius principatu ac opibus auctus, & Friſiorum quoque gratiâ pollens, quibus non ſecus ac ſuis utebatur, in invidiam incurrit multorum per Germaniam & Belgicam principum. Quorum in numero Anno Colonienſis archiepiſcopus paulò antè memoratus, item Leodiorum Epiſcopus, Egbertuſque Saxoniæ Marchio, & Flandriæ, Hannoniæ, Geldriæ, Lovanii Comites fuêre. Qui cùm ad eum evertendum conſpiraſſent, ducto in Hollandiam exercitu, & pugnâ difficili commiſſâ, victi ab eo ſunt ope potiſſimùm Friſiorum, magno ſtudio & virtute dignitatem & ſalutem ejus propugnantium. Conflictus factus anno Domini M.LVIII, pridie Idus Iunias, propè Dordracum. Periiſſe illic Hollandi dicunt in fugâ Leodienſem & Hannonium, captos eſſe Geldrum & Lovanienſem. Quadriennio pòſt idem Colonienſis, & Egbertus Saxo dolore cladis acceptæ peruſti, ut ei ſatisfacerent, & ignominiam delerent, cum Brabantis clam ſocietate initâ, non minore cum exercitu, quàm priùs, in Hollandiam redierunt. Sed ab eodem Florentio fortiter excepti, iiſdem pro eo rurſum pugnantibus Hollandis & Friſiis, non aliam ferè quàm antè fortunam tulerunt. Verùm Florentius jam victor cùm ex prælio ſe reciperet, in itinere ab hoſtilium copiarum parte, quæ prælio non interfuerat, ſuperveniente non procul Hoeſdeno ad Moſam oppreſſus occubuit. Huius Florentii uxorem viduam Gertruden, Bernardi Saxoniæ ducis filiam, quæ liberos aliquot ex ipſo ſuſtulerat, Robertus Flander Balduini Inſulani filius, magnæ virtutis vir, anno
M.LXIII proximo ex conſenſu Ordinum Hollandiæ cùm matrimonio ſibi junxiſſet, vivente adhuc patre, Hollandiam, & quicquid præterea Florentii fuerat, pro privignis aliquandiu adminiſtravit, cui Friſii cognomentum fuit. Cauſam hujus plerique tradunt, quòd eo corpore & animo eſſet ad omnia magna audenda parato, ut è Friſiis natus eſſe, quorum tum ob fortitudinem & periculorum contemptum pro tuendâ libertate clarum nomen apud vicinos erat, poſſet videri. Nec deſunt, qui quod impenſiùs colere illam gentem, quàm gratum eſſet Hollandis, crederetur, eo vocabulo notatum eſſe à ſuis dicant. Quidam etiam, quòd Friſios Hollandiâ potitus fæliciter vicerit, ab amicis honoris cauſâ ſic vocitatum. Alii quòd Hollandiam, peregrinis etiam tum Friſiæ nomine vulgò dictam, tenuerit, à Flandris ſuis cognomento hoc affectum exiſtimant. Ego nihil affirmo, quia veterum nullus, qui noſſe potuit, quicquam horum aſſeruit. Verùm fortuna ejus æmulos ex invidiâ reperit. Nam primùm in Hollandis nonnulli erant, qui peregrini imperium æquo ferre animo non poterant. Et erant, quos aliæ quoque cauſæ non ſolùm in ipſum, ſed in uxorem etiam ipſius ſiniſtris affectibus impellebant. Per hos animatus Vltrajectinus epiſcopus Guilhelmus, genere illuſtri in Geldria ortus, & ipſe per ſe iniquis oculis ſucceſſum vicini intuens, augendæque fortunæ ſuæ avidus, non negligendam ſibi occaſionem arbitrabatur. Potens enim gratiâ apud eos erat, qui Imperatoris adoleſcentiam pro libitu ſuo regebant, quiq; Flandricæ æquè ac Hollandicæ domui non benè volebant. Itaque memorans, multò plura à prioribus Imperatori-
M.LXIV. bus donata Eccleſiæ ſuæ, quàm quæ jam in ejus poteſtate ſint, per vim & injuriam Adelboldo quondam à Theodorico Comite erepta, eademque nequicquam hactenus ab anteceſſoribus ſuis & à ſeſe repetita, ab avo quoque & patre
Impera-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Imperatoris arma ob hanc cauſam induta; dein ſua & majorum obſequia & ſtudia prædicans, æmulorum contumaciam jactans, reſtitui ſe in integrum ab Imperatore petebat. Nec impetratu difficile erat, quod tantis cauſæ patronis petebatur. Dataque ei diplomata duo: quorum priore pars Borealis Hollandiæ cum cœnobio Egmondano, quæ tum Weſtflingiæ Comitatus nomine indigitabatur; altero tractus circùm vetuſtiſſima Rheni oſtia in meridiem vergens cum ipsâ Flardingâ regionis olim metropoli, adeoque omnis Hollandiæ Comitatus, qui juris Imperii erat, eidem attributa. Vtrumque diploma Weredæ anno M.LXIV, illud pridie, hoc poſtridiè Kal. Maii, ſignata. Lætus epiſcopus jure
maximo auctus, ut perſuadebat ſibi, ſed gladio ad tempus vagina cōdito, quoad M.LXIV.
educere eum commodum eſſet, eodem anno cum Moguntino, Babenbergenſi, Ratiſponenſi, & omnis generis multitudine maxima, ſolvendi voti causâ, itinere terreſtri Hieroſolymam petiit: in eoque itinere cum omni comitatu, ob oſtentatas epiſcopales opes, in ſummum diſcrimen venit ab Arabibus cupidine prædæ incenſis, vulneratuſque & omnibus exutus vix incolumi vitâ evaſit; iterumque aliis atque aliis periculis jactatus, ſoluto tandem voto, anno altero M.LXV.
multò minore comitatu quàm abierat, Vltrajectum rediit. Inde occaſionibus intentus invadendæ Hollandiæ, quam fortiter pro privignis Robertus Flander tutabatur, poſt quinquennium demum reperit, quod prehendendum ſibi putavit. Obierat nimirum frater Roberti Balduinus Flandriæ Comes anno M.LXX, M.LXX.
menſe Iulio in ipſo ætatis flore, & impuberes filios duos ex Richilde Hannonia ſibi natos tutelæ fratris Roberti per tabulas teſtamenti commendaverat. At Richildis vidua, ferocis ac imperioſi ingenii fœmina, contempto mariti teſtamento, tutelam invaſit ipſa, nec rationibus ullis, non monitis amicis, non minis, ut à propoſito diſcederet, potuit permoveri. Nec eo contenta, cùm urgeret ac inſtaret Robertus, ac vim denunciaret, niſi teſtamento fratris pareretur, in partes Flandriæ, quæ Roberti erant ex diſpoſitione patris, involavit, M.LXXI.
filiiſque eas adſcripſit: quos ex proceribus ſenſit conſiliis ſuis adverſos, in eos duriter animadvertit, quoſdam gladio carnificis interemit. Simul operam dedit, ut, qui domo bello difficili jam implicitus erat, (Hollandiæ enim pars & Friſii ab Vltrajectino clam inſtigati commoverant ſeſe) plures hoſtes Roberto concitaret, ac ſi poſſet Hollandiæ opibus, à quibus ſibi metuebat, aliorum armis eum exueret. Itaque Vltrajectino jam antè in ſpem atque occaſionem erecto, rebuſque in Hollandia turbandis tum maximè intento hortatrix fuit, ut factionibus & armis inteſtinis laborantem bello externo, apertâ vi quoque invaderet. Et ut firmaret eum, atque ad audendum impelleret, ſocium ei conciliavit Godefridum Gibboſum Lotharingiæ ducem, qui nuper adeò parenti Godefrido Claudo, turbulentiſſimo homini, ampliſſimis in opibus ſucceſſerat, ſub dehoneſtamento corporis magnum animum gerentem, juvenem imperii & gloriæ avidum, & Roberto jam antè inimicum. Ab his exercitu quàm maximo celerrimè parato, atque in Hollandiam ducto, fæliciterque ad Leidam oppidum tum modicum, nunc urbem longè pulcherrimam, prælio commiſſo, Godefrido ipſo in acie curante, & rem ſtrenuè gerente, Robertus cùm ſtudia populi deficere, ac in partes ſcindi, ſe ſuſtinendæ fortunæ labanti parem eſſe non poſſe videret, cum uxore & privignis Hollandiâ exceſſit, ac in Flandriam ſe recepit ſui deſiderio, ſuprà quàm credi poſſet, ardentem. Ibi cùm magnus ad eum Flandrorum concurſus fieret in urbe Gandavo, omnibus de impotenti fœminæ viduæ imperio conquerentibus, dejectis cum matre pupillis, fratris filiis, imperium ſibi ſumpſit: annoque proximo duobus graviſſimis præliis, ab Hollandis & Friſiis adjutus, viris bello acribus, qui eum M.LXXII
ſecuti erant, contra Galliæ regem Philippum I reducere dejectos ſumma vi conantem, nepotum quoque altero cæſo, fæliciter aſſeruit. Cuncta hæc anno M.LXXI, & M.LXXII geſta. Lotharingus intereà, Hollandiâ cum Vltrajectino divisâ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

diviſâ, in proximos Friſios ſtatim bellum movit. Cauſas ejus plures habuit. Nam & parandæ potentiæ ac gloriæ peravidus ſuapte naturâ erat, & quod pro æmulo ſuo Friſii ſteterant, id ſe ulciſci bono jure poſſe putabat. Deinde & ignominiam domus ſuæ, quæ Godefrido avi ſui Gothelonis fratre capto accepta fuerat, animumque juvenilem recordatione ex viciniâ perurebat, aliquo præclaro facinore abolere cupiebat: denique qui Hollandiam jam tenebat, ex beneficio Imperatorum jus quoque in Friſios ſe aſſecutum eſſe ſibi perſuaſerat. Poſtremò cuncta hæc Hollandi Friſiis inſenſi, ſuffuſâ ubique frigidâ, magis incendebant. Itaque parato inſtructoque maximo exercitu cùm terram hoſtilem ingreſſus eſſet, Friſios, qui iis in locis erant, non expectatis ſociis concurrere auſos fudit, magnâque ex agro toto prædâ abactâ Alcmariæ conſedit, hoſtium ſecurus. Sed haud multò pòſt Friſii ingentibus contractis copiis adventantes, incluſum inter mœnia per totas novem ſeptimanas obſidione continuatâ in arctum redegerunt. Nec procul à deditionis neceſſitate fortuna aberat, cùm Vltrajectinus per emiſſum militem auxilia rogatus cum exercitu accurrens, depulſis
M.LXXIII cum magnâ clade Friſiis, obſeſſum periculo exemit. Tum verò Lotharingus, quem obſidionis dedecus vehementiùs etiam urebat, auctis copiis ſuis, eoſdem illos, à quibus paulò antè circumvallatus fuerat, quadam rerum viciſſitudine ultrò perſequebatur. Cumque ſemel atque iterum fæliciter pugnaſſet, tanto terrore hoſtium animos complevit, ut nemo reſiſtere ampliùs, aut occurrere auderet. Nam optima maximaque pars juventutis Friſicæ in primo prælio erat cæſa. Itaque viribus fractis dedere ſe Friſii, & neceſſitati parêre, deæ nempe invictæ & inſuperabili, coacti ſunt. Nec tamen diuturnum Godefridi in Friſios imperium fuit. Nam triennio pòſt à Florentii filio Theodorico adoleſcente,
M.LXXVI quem dolor erepti principatus aviti torquebat, aut à Roberto Friſio Flandriæ Comite, qui & ipſe eum peſſimè oderat, (utrumque enim traditur) aut conjuncto utriuſque conſilio, quod ego maximè credo, immiſſus percuſſor Richarius in Friſia tum fortè agentem, ut Sigebertus prodit, in ſeceſſu, in quo alvum purgabat, interemit. Schafnaburgenſis, qui eo tempore vixit, ait Antvverpiæ, cùm noctu levandæ alvi gratiâ ſeceſſiſſet, à ſpiculatore eum obſervante, Roberti potiſſimùm dolo, ut tum vulgò ſit creditum, telo per nates adacto, & in vulnere relicto, graviter percuſſum, atque inde navi devectum in urbem Trajectum, ſeptimo die pòſt, qui erat IIII Calend. Martii, anni M.LXXVI, eâ in urbe expiraſſe. Atque hunc haud multos poſt dies Guilhelmus epiſcopus, habitis vehementiſſimis pro Cæſare concionibus contra Romanum Pontificem, Vltrajecti fato ſecutus fuit. Sic Theodoricus ejus nominis quintus, à vitrico armis inſtructus, Hollandiam principe vacantem, utroque repentè æmulo ſublato, & Imperatore Henrico graviſſimo bello Germanico occupato, & pontificio fulmine ambuſto, repetiit, cupideque à plurimis receptus patriis opibus eſt reſtitutus. Vnum impedimento maximè fuit, præſidium validum in arce Iſelmondanâ ab epiſcopo collocatum. Quod dum obſidebat, & ſummâ vi urgebat, novus præſul Guilhelmo paulò antè ſurrogatus Conradus, è Suevis ortus, quàm maximo exercitu confecto, accurrit illuc, prælioque conſerto, amiſſo præcipuo robore ſuo, victus fugienſque, ut perſequentium manibus ſe eriperet, in arcem ſeſe intulit. Tum verò acrior quàm antè oppugnatio inſtituta, omni telorum genere eminùs cominùs res geſta, nec antè finis factus, quàm epiſcopus animo fractus, deſperatis auxiliis, compoſitâ cum Hollando re, arcem dedidit. Aiunt Hollandi, ut vitam & carcerem, cæteraque redimeret, jus omne in Hollandiam & Friſiam ſive à majoribus acceptum, ſeu recentibus Imperatorum tabulis acquiſitum ejuraſſe in perpetuum. Hollandiâ recuperatâ, ætate & fortunâ evectus Theodoricus, more majorum ſuorum Friſios quoque appetens imperium detrectantes, exercitu parato, bis uno die cum iis conflixiſſe in glacie, & victoriam illuſtrem retuliſſe dicitur. Victor fortunam aſpirantem ſecutus,
cùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

cùm nemo ampliùs occurreret, poſitis ad Staveram caſtris, eam urbem om-
nium Friſicarum eo ſæculo tum maximam, tum opulentiſſimam, obſidere in-
ſtituit, nec diutiùs quàm per viginti dies obſidione continuatâ, quòd & magna
mortalium multitudo illuc ſe receperat, & commeatus importatus tempeſti-
vè nō erat, obſeſſos famæ preſſos dedere ſe coëgit. Iis modicâ pecuniâ mulcta-
tis, & cæteris, quorum causâ venerat, confectis, in Hollandiam rediit. Sed &
antè hoc tempus, cū in toto hoc littoris tractu omnia incertis imperiis fluctua-
rent, Flandria, Selandia, Hollandia, Friſia rapinis atque injuriis expoſitæ occu-
pantium viderentur fieri, inopinus quoque turbo alius ex interiore Germaniâ
in hanc ipſam Friſiæ regionem incubuit. Erat cum in Saxonum gente clariſſi- M. LXXVI
mo genere natus Egbertus Marchio, Egberti filius, quem antè nominavi, ju-
venis fervido ingenio, gloriæ imperiique appetens, opibus ac neceſſitudini-
bus validus, naturâ turbidus. Is turbatâ tùm fortè factionum ſtudiis Germa-
niâ, quocunque colore uſus, ſive invitatus à Friſiis Hollandico nomini inimi-
cis, aut alioqui res novas quærentibus, ſeu ſponte ſuâ Hollando malè cupiens,
quem ſibi ac ſuis ob memoriam patris & patrui à parente quondam ſuo bello
petiti ac everſi norat infenſum, ſive à Lotharingo cauſam prætexens (nec enim
à veterum quoquam id expoſitum) proferendæ potentiæ ſuæ cupidus, cum ex-
ercitu in Friſiam ſubitus irrupit, & quicquid agri inter Lavicam & Flevum flu-
mina eſt, id omne in ſuam poteſtatem brevi momento redegit. In cæteris Fri-
ſiæ partibus quid factum, cùm ſileant monumenta litterarum veterum, dicere
non poſſum. Quanquam cauſas habeam, cur exiſtimem, eas quoque hujus
turbinis expertes non fuiſſe. Atque hanc rem geſtam etſi ſcriptorum noſtra-
tium plerique in annum M.LXXXVI conjiciant, tamen magnis & invictis ra-
tionibus convictus cogor diverſum ſentire, & X aut XI annos numero iſti,
quem illi ſcribunt, detrahere. Quid verò mirum, iſta, quæ dixi, Flandro, Lotha-
ringo, Hollando, Saxoni huic in Friſios impunè tum licuiſſe? Erant enim hæc
infæliciſſima illa tempora, quando deſpectui primùm majeſtas Imperii in
Henrico IIII ob ætatem ipſius erat, multaque paſſim aut pueri aut rectorum
vitio perperam fiebant: deinde adulto jam Henrico maximi quique Ger-
maniæ Principes jurejurando ſoluti à Gregorio VII Pontifice in Imperato-
rem ſuum incitabantur, omneque nomen Germanum pertinaciſſimis armis
in mutuam perniciem nequiſſimo ſcurrâ incentore ferebatur. Origo malo-
rum è Saxonia fuit, quam nuper ambitione Alberti Bremenſis Epiſcopi jam
antè aſperatam duo potentiſſimi principes æmuli gloriæ Imperatoris, atque
aliis incitati cauſis, denuò commovebant, Egbertus Marchio, quem modò
dixi, & Otto Saxonum Bavarorumque dux: è quibus hic ob majeſtatis confi-
ctum ab æmulis crimen Bavariâ exſpoliatus ab Imperatore, quam à patre
ejuſdem dudum acceperat, circà Viſurgim flumen regiones peramplas poſſi-
debat: ille in Saxoniæ medio, ubi Brunſuiga oppidum eſt, ditionem latam
tenens, arctiſſimâ etiam agnatione ipſum Imperatorem (ex patruele quippe
ejus Egberto, quem antè nominavimus, genitus) attingebat. Et hos Magnus
inferioris Saxoniæ dux ac patruus ipſius Hermannus ſequebantur. Hunc
ventum nactus Pontifex mox claſſicum cecinit, quo cuncta commota, atque
à fundamentis concuſſa ſunt, excitatis Henrico æmulis, qui imperium contra
eum capeſſerent, Rudolfo Suevo, Hermanno Lotharingo Lucelburgio,
hoc ipſo denique Egberto Saxone, feroci juvene: poſtremò à ſucceſſoribus
Gregorii filii quoque duo Conradus & Henricus in patrem armati. Quibus
procellis agitatus Imperator ſexagies bis coactus eſt acie cum hoſte dimica-
re. Tanto ſanguine ac ſceleribus tam fœdis Pontificum ſuperbiæ, qui ſe ſer-
vos ſervorum vocitabant, parentare Germaniam oportuit. Sed cæteris omiſ-
ſis, ad res Friſicas revertamur. Cæſo Rudolfo Suevo Pſeudo-Cæſare, & Her-
manno Lucelburgenſi in ejus locum ſurrogato, cùm Egbertus paulò antè

gratiæ Imperatoris reſtitutus perduellibus rurſum ſe junxiſſet, Imperator in
M.LXXXVI iram exardeſcens Wimariæ in Thuringia, ubi tum cum exercitu erat, conſtituto in eum judicio, principes Germaniæ, quid jus eſſet, expendere, & ſententiam dicere juſſit. Iudices hoſtem eum publicum habendum, atque armis perſequendum, opes ejus Imperatori vindicandas cenſuerunt. Imperator extemplò eodē loco regionem Friſiæ ab eo occupatam, quam dixi, Oſtergoæ & Weſtergoæ vocabulis notatam, Conrado Vltrajectino epiſcopo attribuit, per tabulas ſolenni ritu confectas, ſignatas V I I Idus Febr. anno M. L X X X V I. Tum pœnitudine ductus Egbertus, & cum Imperatore in gratiam reverſus, recuperatâ ab eo regione, cùm non multò pòſt ad ingenium rediſſet, armaque rurſum in eundem etiam acriùs quàm antè vertiſſet, denuò ad judices ab Imperatore res relata, forumque Quedelaburgi in Saxonia actum anno, qui prius judicium proximè eſt
M. LXXXVII. ſecutus. Ibi non à principibus ſolùm, ſed ab epiſcopis etiam in tribunali ſedentibus ſevera rurſum ſententia in perduellem lata, opeſque ejus Imperatoris arbitrio permiſſæ. Eo facto ditiones ejus in poteſtatem ab Imperatore redactæ, arces & caſtella occupata, veniæ tamen ſpes etiam tum pœnitenti facta. Verùm cùm pertinacem propoſiti, & vehementiùs quoque ſibi inſurgentem, & diadema appetentem vidiſſet Imperator, ac de capite etiam dimicare cum eo coactus eſſet, cæteris ditionibus ac rebus ejus in alios benè de ſe meritos collatis, Oſtergoam & VVeſtergoam eidem Conrado epiſcopo reddidit, donumque hoc ſtabile & perpetuum juſſit eſſe, à quo recedere nec ſibi nec ſucceſſoribus ſuis liceret. Teſtes tabulæ, Ratiſponæ Calendis Februarii, anno
MLXXXIX. M. L X X X I X, ritè ſignatæ, adhuc incolumes. Et Egbertus ab hoc tempore ultrà biennium non ſupervixit, à percuſſoribus haud longè ab urbe Brunſuigâ in molendino interfectus, Marchionum Saxoniæ ex Aucupis familiâ noviſſimus, unicâ ſolùm relictâ ſorore Gertrude, quam Henricus Craſſus Northemius Ottonis Saxonum ducis filius uxorem poſteà habuit. Pater ei fuerat, is quem dixi, Egbertus Marchio, ex patruo Imperatoris Henrici I V natus, avus Ludolphus Henrici I I I frater uterinus, proavus Bruno Giſelæ Imperatricis ante Conradum I I maritus, abavus ejuſdem nominis Henrici I I patruus, omnes Saxoniæ Marchiones, atavus Henricus ille rixoſus Ottonis I Imp. germanus, tritavus denique Henricus Auceps, à quo Imperii dignitas in gente Saxonicâ initium habuit. Sed tabulæ epiſcopo datæ vim armorum non habuêre. Nam Friſios hos aut eidem ipſi, aut ſucceſſoribus ejus, ex tabulis paruiſſe nulli annales oſtendunt. Non multò pòſt, imperante adhuc eodem Henrico I I I I, admirabilis fervor Principum Chriſtianorum animos invaſit Hieroſolymæ, univerſæque terræ ſanctæ à Turcis recuperandæ: annitente maximè Vrbano I I Pontifice, ac multam quoque operam navante habendis ad populum concionibus Petro quondam Eremita Ambianenſi. Conſenſitque infini-
M.XCVI. ta multitudo hominum omnis generis, qui nomina in hanc militam nullo ſtipendio dederunt. Inter Principes verò eminuit Godefridus Bulionæus, quem Imperator Henricus virtutis & meritorum gratiâ Lotharingiæ ducem non multos antè annos creaverat, cùm Godefridus Gibboſus in Friſia peremptus ſine virili ſtirpe deceſſiſſet, cujus ex ſorore Ida Bulionæus erat natus. Atque huic imperium ſupremi & ſplendidiſſimi exercitus permiſſum eſt, quamvis Hugo Philippi Francorum regis frater, Robertus Flander, & alter ejuſdem nominis Normanniæ dux, aliique magnæ potentiæ Principes exercitum illum comitarentur. Ad hunc poſt Petrum Eremitam concurrebant ex omni Germaniâ Galliaque viri militares incredibili multitudine, quos pietas & gloria ſtimulabant. Inter eos Friſii maximè conſpicui fuêre, qui majore numero pro gentis magnitudine quàm ulli vicinorum populorum, ac ſtudio ferventiore ſacram militiam profeſſi ſunt. Nec ſolùm ſinguli pedeſtrem exercitum Godefridi ſecuti ſunt, ſed claſſe quoque modicâ publicè inſtructâ, Galliâ,

Hiſpania-

Hiſpaniâque circumnavigâtâ, per Herculis fretum, ac mare mediterraneum, contemptis & ſuperatis omnibus difficultatibus, in Palæſtinam contenderunt. Illuc verò ut ventum eſt, tam conſpicua eorum virtus enituit, ut ab invidis etiam & gloriæ æmulis taceri non potuerit, laudemque ad poſteros quoque invenerit. Cæterùm terreſtris exercitus quadripartitus in eam expeditionem ivit. Primi agminis Petrus Eremita, poſtremi & validiſſimi Godefridus Bulionæus duces fuère. Ac reliquis in itinere per Vngaros Bulgaroſque magnâ clade affectis & conciſis, ſolus Godefridus cum ſuis incolumis in Aſiam pervenit. Vbi cunctis, qui è prioribus agminibus adhuc ſupererant, collectis, & cum Godefrido conjunctis, Nicæâ primùm difficili certamine occupatâ, deinde triennio Aſia longè ac latè victoriis peragratâ, Antiochia, Cæſarea, Hieroſolyma, aliæque urbes pulſis Saracenis captæ, regnum conſtitutum, M. XCIX.
Godefridus Hieroſolymæ rex declaratus. Pars exercitus illic retenta, reliqui partâ ingenti gloria domum redierunt. Godefrido autem rege paulò pòſt mortuo, Balduinus frater ipſi ſurrogatus. Poſt eum alter Balduinus. Quo & ipſo morte ſublato, paulatim ob contentiones ac diſſidia inteſtina, dum quiſque ad ſe trahere regnum conatur, fortuna peſſum ivit. Invenio in commentariò rerum Friſiæ Occidentalis (cui licet in omnibus fidem adhibere promiſcuè non auſim, tamen, quod veroſimile ac memorabile paſſim occurrit, præterire rectum non puto) præter cæteram plebeiorum multitudinem, nobiles quoque nonnullos ejus gentis Tjepconem Fortemannum, Iarichum Ludigmanum, Eponem Hartmannum, Igonem Galamæum, Feiconem Botniam, Eilconem Sicconemque Liaucamas, Vbbonem Harmanam, acceptâ pro more cruce Petri Eremitæ ſigna ſecutos eſſe. Eorumque tres Sicconem, Eponem, Tjepconem poſtremum Fortemannicæ familiæ, fortiter pugnando ad Nicæam occubuiſſe: Eilconem propinqui Sicconis virtute ac memoriâ, verbiſque Petri ducis incitatum ita ſe ubique geſſiſſe, ut ipſe cum Botnia alæ equitum III mill. cum omnium approbatione præficeretur: eundem captâ Nicæâ præſidio illic præeſſe juſſum, maluiſſe in Palæſtinam cum reliquis declarandæ virtutis causâ proficiſci: Vbbonem & Igonem ad prima pericula paratos, dum in Aſia cum hoſte Saraceno paſſim pugnatur, graviter eſſe vulneratos: Illum deinde captâ Antiochiâ ad Orontem, eâ in urbe cum Boëmundo Normanno manſiſſe: hunc ad Cæſaream denuò ictum, Antiochiamque relatum ad Vbbonem gentilem ſuum morte periiſſe: Sed & Sicconem Liaucamam, dum Hieroſolyma oppugnatur, telo percuſſum vix longâ medicorum curâ mortem fugiſſe: Botniam in ſtrage cæſorum repertum, invalidum vix vitam ſervaſſe: utrumque ſanitati reſtitutum, à Godefrido rege equeſtri honore donatum. Ad hos porrò, Balduino jam rerum potiente, Hommonem Hommingam, Godefridum Roordam, Sixtum Cammingam, Ziallingum Ockingam gentiles, notoſque homines, ex Italia viſendi cauſa eò profectos veniſſe, quinquenniique ſtipendio apud regem confecto, & inſigni gloriâ fortibus factis paratâ, cùm à rege retineri non poſſent, accepto honeſtiſſimo commeatu, unà cum Botnia, & Liaucama in Friſiam rediiſſe, multis honoribus à cunctis Ordinibus eſſe exceptos: Cuncta hæc ab Eilconis miniſtro in litteras relata: Deinde Eilconem pœnitentiâ tactum, quòd à rege ſui ſtudioſiſſimo diſceſſiſſet, ex ea cogitatione in ægritudinem incidiſſe, nec inhiberi potuiſſe, quo minùs ad repetendam Palæſtinam unà cum Botniâ, precibus ad hoc inducto, ſe pararet: his ſe comites addidiſſe Eponem Liaucamam Eilconis fratre natum, Watzonem Heremam, Godefridum Roordam, ſed cùm hic in morbum incidiſſet Venetiis, relicto cum eo Watzone, cæteros tres difficili navigatione Ioppen veniſſe, illicque eodem quo appulerant die Eilconem velut fatali loco expiraſſe, & corpus ejus magnâ pompâ Hieroſolymam devectum, ipſo funus deducente rege honoris causâ, eo in oppido eſſe tumulatum:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſic Botniam cum Epone ob dolorem amiſſi ſocii paulò pòſt domum quoque re-
M. C. V I. petiiſſe. Interea vero ad annum M. C. V I, qui armis civilibus inter patrem & filium Germaniæ perquàm infælix, imperiique patris miſerrimè à ſuis circumventi poſtremus fuit (quanquam anticipare rem quadriennio Crantzium haud ignorem) novum à Saxonia bellum Friſiis extitit, duce Henrico Craſſo Northemio Comite, Principe inter Saxones potentiſſimo. Is Ottone illo genitus, quem Bavariâ excidiſſe diximus, conſumpto exitialibus armis patre, Gertruden uxorem ducit ſororem unicam Egberti Marchionis, ex eaque Rixam filiam ſolùm ſuſtulit, Lothario Saxoni Imp. multò pòſt nuptam, magnarum opum hæredem. Quamobrem cùm omnia Egberti ſine prole defuncti ſibi vendicaret, in Friſiam quoque, cujus magnam partem ab eo occupatam fuiſſe ſuprâ oſtendimus, oculos ſtatim conjecit, armaque paravit, quibus illam ſibi parêre cogeret. Quod vel eo etiam promptius fuit, quòd etiamſi nullum jus à ſocero accepiſſet, tamen libertate populi ruſtici, in quam omnes adeò vicini Principes limis oculis intuebantur, ipſe augendarum opum ſuarum mirè avidus, & ambitionis plenus ægreſceret. Sed conſcióne ac permittente Imperatore novo Henrico V tantam rem cœperit, an ſecus, non facilè dixero: quamvis conjectura ſit, indulſiſſe cupidine ejus juvenem Principem, qui omnes patris ſui inimicos, quorum ſtudio ipſe evectus erat, favore complectebatur. Saxo autem, qui rem magnam & difficilem ſe moliri, ut erat non hebetis ingenii, facilè intelligebat (erat quippe ei mens univerſum nomen Friſicum inter Viſurgim & Flevum ſuæ poteſtati ſubjicere, atque à proximis, qui inter Viſurgim & Amaſum ſunt, initium facere) uti ſe benè munieret, complures ſibi ſocios adſcivit, atque inter hos Fridericum quoque Oldenburgicum Comitem, ejuſque propinquum Eilmarum, Idæ Suevicæ generum, qui Friderico in Comitatu ſucceſſit. Quâ ſocietate cùm aditum ſibi commodum in Friſios Orientales apertum eſſe exiſtimaret, (Oldenburgicus enim ager longiſsimo tractu ei Friſiæ parti, quæ inter Viſurgim Amaſumque jacet, ubique connectitur per paluſtria, tergumque ejus claudit) ſuaderentque Oldenburgici vicinis ſuis infenſi, ſtatuit quoque in proxima illàc irrumpere, atque aditus, qui paluſtrium in medio ſunt, antè occupare, quàm ad arma populus conſilii ignarus convenire poſſet. Quod cùm ſucceſſiſſet haud infæliciter, ſuperatiſque paluſtribus pleriſque in interiora Friſiæ jam eſſet penetratum, ipſe populabundus, & obvia vaſtans terroris concitandi cauſa, tandem in agrum pervenit qui oppido Nordæ eſt propinquus, ab aliquot jam ſæculis Normannicâ clade inſignis. Erat verò id oppidum omnium, quæ inter Viſurgim & Amaſum colebantur, ut tum res erant, in ſolo Friſico longè ſplendidiſsimum, atque opibus affluens, non procul vadis ad littus Boreum ſedens duobus maximis ab Amaſi alveo milliaribus Germanicis. Ad quod occupandum cùm exercitus Saxonicus prædæ avidus jam contenderet, non procul illinc in copias incidit Friſiorum, quos periculum commune, curaque defendendæ libertatis ex proximis locis undequaque conciverat. Experientiâ quippe edocti erant, dum ſinguli ſuis ſe locis tenent, ſuáve vicatim defendere conantur, omnes paulatim ſub jugum cogi, nec aliud remedium eſſe ad avertendam communem perniciem, quàm ſi conjunctis viribus univerſi ſimul hoſti publico obviam quàm primùm eant. Contracto igitur per antecurſores primo certamine, dum Saxones iter urgere, Friſii eos repellere ac morari ſtudent, Henricus explicatis, quantum loci ratio patiebatur, ordinibus, cohortatus ſuos eſt ut fortiter in effrenem inſolentemque gentem arma inferrent, hoc tempus, hunc locum eſſe, in quo ſi ſe viros, ſi fortes milites præſtarent, poſſe uno hoc prælio bellum ingens confici: de cætero, cis Amaſum præſertim, his profligatis copiis, prædam tantùm ac ditia ſpolia fore, omnem agrum opulentiſſimum in præmium victoriæ ceſſurum. Quibus clamoribus incitati, cùm

undique

undique jam ſigna canerent, & magnis animis Friſii quoque ſe objicerent,
concurrit atrox prælium, idque ſtetit aliquandiu anceps nuſquam ſe inclinan-
te victoriâ. Erat, in quo pugnabatur, ea loci natura, ut eques, quo pluri-
mùm Saxones valent, explicare ordines, ac in hoſtem inferre ſe, propter pa-
luſtre ſolum, quod equorum veſtigia ad pectus & ventrem uſque abſorbebat,
non poſſet. Id Saxonibus imprimis adverſum ac moleſtum fuit: Friſios ve-
rò, qui & locorum gnari jam antè hoc conjectaverant, & nunc conjecturæ
eventum reſpondere lætis animis accipiebant, fecit audentiores, ac in ſpem
majorem victoriæ erexit. Sic dum illis animus ex improviſo incommodo de-
jicitur, his autem ex eo, quod rectè proſpexerant, & fiducia creſcit, & vires
ſimul (ceu fieri ſolet) augentur, ingerentibus ſe audaciùs Friſiis, Saxonum
acies labare pedetentim, tandemque in fugam ſe conjicere cœpit, fruſtrà re-
vocantibus ducibus, atque ipſo imprimis ſummo Imperatore Henrico. Nec
defuerunt fortunæ ſuæ victores, fugientibuſque & perculſis ita inſtiterunt, ut
antequam curſu ac labore planè feſſi eſſent, à perſequendis iis, quos foſſæ aut
paludes paſſim tardabant, pedem non revocarent. Clades iſta Saxonum in-
gens fuit. Cæſa multò major pars exercitus cum ipſo duce Henrico ac pluri-
mis proceribus. Eilmarus fugâ evaſit. De Friderico Oldenburgico res in-
certa eſt. Hujus rei fama vulgata complures per annos pacem Friſiis cis Ama-
ſum præſtitit. Creſcebat tum frequentiâ & opibus GRONINGA ad ipſos
Drentiæ fines in agro Friſico ſita, in quâ prædium Bernolfo Vltrajectino epi-
ſcopo cum Drentiâ donatum eſſe ab Henrico, ad annum M. XL ſupra dixi-
mus. Ea propter muro etiam lateritio cingere ſe cœpit anno M.C.X, cùm ligneo M C. X.
ſepto pro muro uſa hactenus per XC annos eſſet. Tum portæ quoque, quales
reliquorum oppidorum ſunt, firmo opere ſtructæ, foſſæ ductæ, turres majo-
ris munitionis causâ in mœnibus excitatæ, denique in oppidi veri formam
tum primùm conciliabulum verſum: Sed cùm injuſſu Epiſcopi Vltrajectini,
in cujus clientela jam erant, adeoque contra pacta conventa id feciſſe oppi-
dani dicerentur, feroceſque gerere ſpiritus inciperent, poſt XII annum ab
Vltrajectinorum præſule Gondebaldo, homine Friſio, qui eorum fortunam ac
opera ſuſpecta habebat, compulſi fuêre, deſtructis novis operibus priſtinæ ſe
conditioni reddere: addunt nonnulli, juramentum quoque dare coactos, ni-
hil ſe impoſterùm tale ſine præſulum Vltrajectinorum conſenſu eſſe tentatu-
ros. Ita cohibita emergentis oppidi fortuna etiam ad poſteros viſa eſt: ſed
inani, ut pòſt apparebit, operâ. Intereà mortuo quoque Magno Saxonum du-
ce, poſtremo ex familiâ Hermanni Billichii, quem Otto I Imp. inferiori Saxo-
niæ ducem dederat, duabus tantùm filiabus relictis, Saxonia univerſa ad Lo-
tharium, qui magnam ejus partem per conjugem, ac armorum fortunam te-
nebat, beneficio Henrici V Imp. venerat. Quibus opibus ille auctus, cùm pru-
denter eas regeret, ut majoribus quoque dignus videretur, ad Imperium de-
inde ſuffragiis Principum promotus eſt. Hujus ſoror in matrimonio vixerat
Florentii II Hollandiæ Comitis, Theodorico V nati. Qui cùm patris exemplo
uſurpare in Friſios Occidentales imperiū tanquam jus ſuum, quod pater ſpon-
te illorum pòſt ſecundam prælii fortunam tenuerat, conaretur, haud ſatis peri-
tus tractandi liberos ſpiritus, repulſam ab iis tulit. Ac licet plurima variis modis
poſteà tentaret, haud potuit tamen, quoad vixit, pedem in Friſia ponere, non
ipſo magis quàm Petronellâ conjuge, feroce fœminâ, nequicquam indignante.
Quanquam non deſint ex Hollandis ſcriptoribus, qui, quæ à noſtratibus & cæ-
teris Florentio III aſſignantur ad annum Chriſti M.C.LXVIII geſta prope Scor-
lam vicum, ea huic adſcribant, & eorum quoque, qui illic occubuerint, proce-
rum nomina recenſeant. Quos ego nominum errore deceptos eſſe mihi per-
ſuadeo. Scriptum eſt in rerum Friſicarum commentariis, anno M.C.XIX quoſ- M.C.XIX.
dam è nobilitate Friſicâ, Heſſelum Harmanam, Goſſonem Roordam, Watzo-

nem Ockingam, Sicconem Cammingam, VVatzonem Heremam, Hommo-
nem Hommingam in Palæſtinam profectos militiæ regiæ illic eſſe aſſcriptos.
Atque horum poſtremos duos à paucis menſibus in Aſia minore à Turcis cæſos
in acie: VVatzonem verò Ockingam, & Sicconem Cammingam unà cum
Balduino rege II, magnâque procerum manu à Parthis captos, ac procul in
Parthiam abductos, tandem cum cæteris multo auro redemptos è cuſtodiâ
incolumes rediiſſe. Cujus narrationis fidem autoribus ſuis tuendam relin-
quo. Florentio Hollando triennio poſtquàm hi domo profecti fuerant vi-
M.C.XXII tâ defuncto, Theodoricus filiorum major, quos è Petronellâ Lotharii ſoro-
re ſuſceperat, VI ejus nominis, locum patris apud Hollandos ac Selandos te-
nuit, nondum annis maturus. Qui dum adoleſceret, mater virilis animi mu-
lier provinciam pro filio regens, cùm alia turbavit iis locis, tùm in fratris gra-
tiam in Saxoniâ res novas molientis arma Imperatoris Henrici V contra ſe
irritavit. Verùm Friſiam utrum appetiverit etiam iſto tempore, quanquam
veriſimile imprimis eſt, tamen ſine annalium teſtimonio dicere non audeo.
M.C.XXV. Aſt ubi pòſt, cùm annus à natali Domini ageretur M.C.XXV, ad Impe-
rium evectus eſſet frater, ipſa in omnes occaſiones augendi res filiorum in-
tenta hoc ſtatim operam dedit, ut illius autoritate, quod hactenus fruſtrà ex-
petitum erat, de Friſiâ Hollandiæ conjungendâ conficeretur. Lotharius à
ſorore exoratus, dubium an eâ poteſtate, quam in omnes Imperii provincias ſe
habere putabat, an verò quòd hæreditarium aliquod jus ob Egbertum Mar-
chionem ſibi illic tribueret, univerſam illam regionem Friſiæ ab Hollandiæ
finibus uſque in Lavicam amnem, repetitâ priorum donationum memoriâ, ſo-
M.C.XXVI roris filio Theodorico ſolenni more aſſignavit. Id juvenis cùm non ſecus ac-
cepiſſet, ac ſi jam in poſſeſſionem eſſet immiſſus, totum ſe ad uſurpandum no-
vum imperium paravit. Verùm ubi ſatis jam comperiſſet, niſi vis accederet,
nunquam ſibi ex Imperatoris aſſignatione ejuſmodi, ſcriptiſque tabulis paritu-
ros eſſe Friſios, non Oſtergoos ſolùm & Weſtergoos, ſed eos quoque qui cis Fle-
vum cum Hollandis cohærebant, ne avunculi beneficium ſibi periret, exercitum
M.C. conſcripſit, quantum omninò potuit. Cum eo Alcmariam veniens aſperrimâ
XXXII. hyeme & gelu omnia operiente, id quod maximè oportunum rebus ipſius erat,
ob aquarum iis in locis copiam, ac humiles campos, inde in proximos Friſiæ
agros excurrit. Sed cùm non longè progreſſus eſſet, exceptus à Friſiis occurren-
tibus, eos magnâ pugnâ ſuperatos in mediâ glacie in fugam dedit: cecidêre in
prælio Friſiorum multi, plures etiam capti, atque in vinculis habiti. Comes agri
hoſtilis parte evaſtatâ, incendioque conſumptis ædificiis, cùm ſe gelu remitteret
non auſus diutiùs in hoſtico hærere, infectâ re exercitum reduxit. Intereà dum
rursùm idoneam tempeſtatem inſtaurandi conatus expectat, frater Florentius
è diſſidio domeſtico exortâ contentione ſeceſſionem ab eo facit, ſeque ad Fri-
ſios proximos confert. Cujus adventu illi læti, quem hoſpitem primùm ho-
norificè receperunt, eum mox ducem ſibi in fratrem, cui infenſiſſimum eſſe in-
telligebant, ſtatuunt. Deinde exercitu conflato quàm maximo in Hollandiam
ultrò irrumpunt, Alcmariam civitatem ſibi inviſam oppugnatam vi capiunt,
flammâ & ferro vaſtant, denique cuncta quæ poſſunt ad ſolum detrahunt:
poſtremò in Kenhemariam proximam impetu verſo, eam omnem Harle-
mum uſque populantur, & exurunt, obviam ſe ferre aut reſiſtere audentes cæ-
dunt, aut in vincula abſtrahunt. Ita, ſat largè repoſitâ Hollandis calamita-
te, prædâ onuſti domum incolumes cum Florentio revertuntur. Majoraque
ejuſdem Florentii auſpiciis perfeciſſent, niſi Imperator Lotharius fratrum
liti maturè ſeſe interpoſuiſſet. Quibus reconciliatis, licet haud leviter Fri-
ſiis idem ipſe ſuccenſeret, vindicandamque eorum audaciam arbitraretur, ta-
men ob graviſſimas, quibus diſtinebatur, totius Imperii turbas, nec commo-
dare ſororis filio miſſis auxiliis, neque animo ſuo ſatisfacere unquam potuit.
Ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Ita aſſignatio illa, quoniam præter litteras inermes nihil ferebat, velut eva-
neſcens, Theodorico aut liberis ejus haud quicquam profuit, præſertim con-
trario decreto alio à pari poteſtate profecto enervata. Andreas enim Vltraje-
ctinus præſul ad injuriam eccleſiæ ſuæ eam pertinere exiſtimans, quippe cui
duorum priorum Imperatorum beneficio (nam Henricus v, Gondebaldo ho-
mine Friſio eccleſiam regente, novo diplomate parentis donum probaverat)
jus in Weſtergoam ac Oſtergoam acquiſitum putabatur, mox à morte Lotha- M C.
rii ad Conradum III ſucceſſorem ejus Coloniam ſe contulit, & causâ expoſitâ XXXVIII.
nullo negotio prioris beneficii confirmatione ab avo avunculoque ipſius pro-
fecti pro eccleſiâ ſuâ, reſciſſo Lotharii judicio, impetravit. Quinetiam, ne quid
juri huic Vltrajectino deeſſet, Andreæ ſucceſſor Herbertus genere Friſius ſe-
ptennio pòſt, cùm Conradus Vltrajectum fortè veniſſet, ut plenioribus quoque M.C.XLV.
tabulis idem ſanciretur denuò, ac robur à conſilio & aſſenſu procerum præ-
ſentium accederet, ab eo obtinuit. Sed cùm & hæc donatio in tabulis ſolùm
hæreret, armatâ autoritate deſtituta, tantundem apud Friſios, quantum illa Lo-
tharii valuit. Nam Friſii jure libertatis à majoribus accepto, ac Imperatorum
ſuperiorum diplomatis ſæpè comprobato freti, ejuſmodi litteras ſpernebant,
nec quæ ſanguine multo quondam à ſuis empta ſervataque erant, ea iniquis
judiciis per ſtilum & chartam ſibi eripi patiebantur. Itaque accidit, ut nec Hol-
lādus, nec Vltrajectinus in Weſtergoæ aut Oſtergoæ poſſeſſionem ex his tabu-
lis unquam venerint, nec poſteri ipſorum. At biennio antè quàm diploma po- M C.
ſterius à Conrado ſignatum (id factum anno M.C.XLV, Calend. Novemb. die XLIII.
XV,) Herberto epiſcopo Romam profecto, factioſi quidam in oppido Gronin-
gâ ſpeculati abſentiâ ipſius, quam ſuis conſiliis utilem arbitrabantur, duce Ro-
dolfo præfecto Coverdiano, fanum Walburgis, quod in oppido perantiquum
& firmiſſimo opere in modum propugnaculi eſſe oſtendi, occupant, ſubitâque
operâ munitionibus in ambitu cingunt: Eo pro arce utūtur, donec extorta ha-
beant, quæ ab Epiſcopi præfecto, & cæteris, à quibus diſſidebant, poſtulaverant.
Quæ cujuſmodi fuerint, ſcriptores non exprimunt. Jura tamen plebi commoda
fuiſſe, ſi conjecturæ locus aliquis eſt, dicere auſim. Erat eo tempore Groningæ
Egbertus Gronenbergius, familiâ clarâ & nobili inter ſuos natus, ad quem ve-
tuſta arx Gronenbergia haud procul Groningâ verſùs orientem ſolem ad Hu-
neſum amnem ſita, cum ditione præfecturæ ſuburbanæ pertinebat; idemque
judiciis in oppido velut prætor pro epiſcopo quoque præerat. Hic quod ſui of-
ficii eſſe videbatur, cum ſaniore civium parte, quam contagium ſeditionis non
attigerat, & quoſcunque aliunde habere paratos poterat, tentatis fruſtrà lenio-
ribus conſiliis, fanum obſidet, oppugnationem tentat, poſtremò, cùm expugna-
tio ob operum firmitudinem non procederet, ita in ambitu cingit, ne egredi ob-
ſeſſi, aut commeatum recipere, aut cuiquam in oppido per excurſiones nocere
poſſent. Intereà epiſcopus domum reverſus, re cognitâ, contractis celerrimè,
quas potuit, copiis, vectoq; ſecum inſtrumento bellico, iſtuc advolat, & vim ad-
movet: quā ſæpè repetitam cùm ſuſtinere ampliùs propugnatores non poſſent,
ſe epiſcopo permiſere. De Rudolfo ſeditionis duce, ac reliquis capitibus quid
ſtatutum ſit, quáve omninò fortunâ ſint uſi, nihil traditur. Ego pleroſque in
oppugnationibus cecidiſſe arbitror. Multitudini videtur ignotum: Munitio-
nes fani deſtructæ: Populus omnis oppidanus ab epiſcopo juramento adactus,
non ſe unquam fanum religioni dicatum in caſtrorum uſum eſſe converſu-
ros, non ſeditioſa conſilia contra Epiſcopos principes ſuos tentaturos, aut ar-
ma capturos, non oppidum ſuum muro clauſuros. Iis conſtitutis, epiſcopus oc-
caſionem ſibi oblatam putans ſuæ familiæ evehendæ, è fratribus duobus, quos
habebat, alterum Lefferdum nomine, Gronenbergio exautorato, perpetuum
Groninganis præfectum dedit, alterum Ludolfum præfecturâ Coverdiæ ac to-
tius Drentiæ donavit, juſſitque ambos beneficium ad hæredes tranſmittere,

ac more recepto clientelam præſulum Vltrajectinorum, quorum ea loca, ſive agri eſſent, profiteri. Ita dum ſuis impenſè ſtudet, privataque quàm publica potiora habet, non ſolùm fortunas Eccleſiæ ſuæ minuit, ſed maxima quoque pericula ac labores, de quibus ſuo loco dicemus, ſucceſſoribus creavit. Sed ad ea, quæ ad Viſurgim Albimque ſunt in Friſiis loca, revertamur. Lothario Imperatore humanis exempto, de Saxoniæ principatu, quem ille vacuum reliquerat, difficili bello certatum eſt, cùm duo ſummi principes è duabus Magni ducis poſtremi filiabus nati, Albertus Vrſus Anhaltinæ familiæ, & Henricus Superbus Bavariæ dux, VVelfi I I filius, pari jure ſibi eam vindicarent. Sed prævaluit tandem fortuna Henrici, qui jure quoque potior eſſe videbatur. Lotharii enim Imperatoris filiam alteram Gertruden uxorem habebat, & à ſocero Saxoniam ſibi in dotem aſſignatam eſſe, qui eam legitimè dare poterat, aſſerebat. Sed M. C. XXXIX. receptæ Saxoniæ non diu ſuperfuit, Henrico filio admodum puero relicto, cui Leonis cognomen poſteà datum, ob magnum & excelſum animum, ac res præclarè bello geſtas. Atque in his belli turbis bis calamitatem paſſa eſt Brema, ab Alberto priùs capta, (erat quippe in partibus Henrici, cujus ſocer pridem antè Imperium acceptum jus ſibi in eam, capto & dimiſſo Liemaro archiepiſcopo, acquiſierat) nec ita multò pòſt ab Henrici factione ex improviſo rurſum occupata, hoſtiliterque direpta. Erat eo tempore Rudolfus Princeps belli gloriâ celebris in partibus Henrici Superbi, qui ſe Comitem Ditmarſiæ ferebat, eamque hæreditariam ſalvo populi jure poſſidebat. De hujus majoribus ſic annales tradunt: Henricus quidam Calvus cognomine jus aliquod in locis Stadæ vicinis ſub Henrico II Imp. tenuit, Henricumque Bonum genuit. Hujus filii fuerunt Tyadericus & Sifridus ille, quem ad Stadam oppidum à Normannis captum, ac cuſtodiâ elapſum, prælium fæliciter inſtauraſſe ſuprâ dixi. Atquè hunc aiunt Stadam primùm muniviſſe, ut confugium eſſet, & propugnaculum contra Normannos: Cujus filius Sifridus alter Luderum genuit, quem Vnnum vocant, patrem Vdonis primi, qui Marchio Brandenburgenſis factus nomen quoque Marchionis Stadenſis tulit, Stadamque cum circumpoſitâ regione beneficio Bremenſis archiepiſcopi, cùm munus Imperatoris eouſque fuiſſet, id quod priùs oſtendimus, poſſidere cœpit. Nam quod jam olim etiam ſub Francorum imperio Bremenſes Epiſcopos jus aliquod iis in locis tenuiſſe ſupra demonſtratum eſt, id injuriâ Normannicorum temporum interciderat jamdudum, eoque modo ad Imperatorem reverterat. Ex Vdone primo fuerunt filii Vdo ſecundus & Rudolfus. Quorum ille cum Marchia Brandeburgenſi Stadenſem Comitatum, in quo partes Friſiæ erant ſecundùm Albim, ex opibus paternis accepit, patronumque Bremenſem epiſcopum agnovit. Huic Ditmarſia, ſemper hactenus Stadenſi Comitatui cohærens, in partem ceſſit. Vdonis autem filius Henricus ſine hæredibus liberis penè puer cùm moreretur, epiſcopus ad ſe poſſeſſionem ejus provinciæ revocavit. Rudolfus verò à Ditmarſis cæſus, quorum libertati gravis eſſe cœperat, (erat enim principatus ille, quem majores ejus in Ditmarſia habuerant, modicæ poteſtatis & libertati planè proximus, omneſque ultra tendentes malè mulctati fuerant) filium ſucceſſorem reliquit hunc eundem, quem Ditmarſiæ Comitem paulò antè dixi: qui ut nomen patris, ſic fatum quoque idem tulit. Nam victoriis aliquot, auſpiciis Henrici Superbi, ac filii ejus Leonis, ex hoſte relatis, Bremâque recens occupatâ (hujus quippe patratæ rei ille potiſſimus dux fuerat) cùm animus ipſi cum fortunâ creviſſet, in Ditmarſiam profectus eſt, eo conſilio, ut patris necem ulciſceretur, & ſeditioſis ad ſupplicium poſtulatis, ad exemplum aliarum gentium pati imperium Ditmarſos doceret. Sed in ipſo conatu à populo libertatem ſuam armis aſſerente eſt oppreſſus. Tum Harduicus frater ejus, qui Præpoſitus, ut vocant, in eccleſia Bremenſi erat, exemplo recenti patris, fratriſque ac aliorum, qui cæſi antè eos in eâdem terrâ erant, territus, cùm effrenem atque

exaſpe-

exaſperatum populum tractare, eique ſe committere non auderet, cum proceribus eccleſiæ Bremenſis ipſoque epiſcopo egit, ut Ditmarſiam ipſi haberent, ſibi autem Stadianus ager ejus loco concederetur. Sic Ditmarſia ad Bremenſes pervenit. Et Harduico quoque ad epiſcopatum promoto, extinctoque, Stada etiam, univerſuſque circumpoſitus ager ad Albim flumen paulò pòſt ex voluntate illius eòdem rediit. Sed & hanc & illam provinciam Henricus Leo, cùm pacto quodam niſus fruſtrà ab epiſcopis depopoſciſſet, tandem armis ſibi vindicavit, ut mox dicetur.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber Septimus.

ANNVS erat à Chriſto inter homines nato M.C.XLVII, cùm Conradi III Imp. voluntate Saxonum Principes in Vandalos dæmonum cultores arma ſumpſerunt, quò eos ad Chriſti ſacra accipienda compellerent. Eo in bello, quod memorabile ſtatim ab initio ad Friſios pertinens recitatum ab Helmoldo hiſtoriæ Slavicæ ſcriptore eorum temporum ferè æquali, ac repetitum à Crantzio, præterire non poſſum. Ejecerat paulò antè Henricus Badevidius, cui Holſatia erat aſſignata, Vandalos omnes è Wagriæ agro, & regionem cultore vacuam fecerat. Adolfus verò Holſatus recuperatâ patriâ, unde cedere antè juſſus erat, Holſatos, Hollandos, Flandros, Weſtfalos, Friſios evocatos ſuis ſedibus novos colonos iſtic conſtituit. In hos cùm Vandali non multò pòſt ingruerent amiſſa recuperaturi, quo tempore Conradus Imp. in Aſiam cum exercitu ibat, alteraque inferioris Germaniæ manus, in quâ complures Friſios fuiſſe accepimus, ſecundo Rheno in Oceanum, per Oceanum in Hiſpaniam contra Saracenos claſſe proficiſceretur, inſignis colonorum Friſiorum audacia & fortitudo emicuit. Nam eum vicum, quem ipſi fortè acceperant (Sluſla illi nomen) cùm Vandalorum aliquot millia urgerent, ſolâ foſsâ ruſticâ & tenui vallo contra ſubitos incurſus nuper cinctum, nec qui inerant plures quàm centum eſſent, eâ tamen animi promptitudine, virtute, conſtantiâ hi fuerunt, hortante ſacerdote Gerlacho, ut Vandali poſt multum laborem deſperatâ expugnatione, pollicitis blandis eos educere, ac de deditione faciendâ perſuadere niterentur. Permotis igitur hac oratione plerorumque animis, rurſum ſacerdos increpitâ ignaviâ & ſtultitiâ, qui ſe perfido hoſti permittere, & cùm vallum & arma tenerent, iis ſponte ſe exuere vellent, ad fortiter audendum verbis exſuſcitans, cùm ardeſcere animis cerneret, exemplo quoque incenſurus uno cum comite extra vallum progreſſus in hoſtes procurrit, utque ſe ſequerentur cæteri, hortatus eſt. Nec timidiùs, quàm dixerat, fecit. Nam oculo in primâ pugnâ amiſſo, & femore graviter ſaucio, non tamen priùs pugnare deſiit, quàm reliqui ejus exemplo animoſiores facti ſimul erumpentes auxilio adeſſent. Quorum audaciâ perterriti Vandali, & pudore confuſi pedem retulêre. Mox Holſatus cum omni exercitu adfuit, eoſque ad naves confugere, quibus Wagriam venerant, adegit. Tam amplum teſtimonium virtuti Friſicæ eo loco, M.C.XLVII.

quanquam obtrectator ingens majorum noſtrorum, ex Helmoldo Crantzius tribuit. Sed eodem ferè illo tempore eadem gens, quæ Daniæ conterminum agrum colit, Canuti profugi regis fortunam fulcire conata, ad Mildam flumen caſtello inſtar oppidi excitato, dum imprudenter elici à Danis ad tranſcundum flumen ſe ſinit, à Suenone rege, qui cum totius regni viribus aderat, oppreſſa maximam cladem accepit. Quod idem Crantzius in Daniâ ſuâ exponit. Sed in Vandalicâ expeditione, de quâ cœperam dicere, Henricus Leo Bavariæ & Saxoniæ dux potentiſſimus prima militiæ rudimenta admodum adhuc adoleſcens poſuit. Nec defuit his cœptis ejus fortuna, quam ita indulgentem ſenſit ad multos annos, ut ad arbitrium penè ſuum eâ uti videretur. Angebat verò jam indè ab initio ingentis & elati ſpiritus virum, quod proavum ſuum Henricum Northemium à Friſiis eſſe cæſum, ſigna militaria domus ſuæ amiſſa, tot proceres, tantumque exercitum, florem juventutis Saxonicæ, occidione occiſum, nec pœnam ab hoſtibus repetitam, à majoribus natu audierat: Eumque concoquere dolorem non poterat. Nec quicquam deſiderabat magis multo nunc tempore, quàm ut ruſtico populo ſub jugum miſſo, aut clade aliquâ inſigni fracto, dedecus familiæ abolere ſibi liceret. Sed quamdiu Conradus Suevus in imperio fuit, nec ipſe ſatis idoneus per ætatem ad tantam rem erat, nec propitio Imperatore utebatur: quo invito, ne aggredi quidem bellum difficillimum audebat. Extincto autem Conrado, cùm Fredericus Barbaroſſa,
M.C.LV. qui avunculo Leonis natus erat, ſecundo imperii ſui anno Romam peteret, Leo ipſum officii & honoris cauſâ comitatus eſt. Quibus rationibus factum eſt, ut animo ſuo; quem vindictæ cupido in Friſios ſtimulabat, ſatisfacere hactenus non potuerit. At ubi primùm in Germaniam rediit, compoſitâ quam habebat cum vitrico ſuo Henrico Auſtriaco graviſſimâ de Bavaria controverſiâ, cùm maturum id jam eſſe arbitraretur, quod diu diſtulerat, arma per Saxoniam cogit, tantumque apparatum facit, facilè ut appareret, nil vulgare eum in animo habere. Itaque omnes in circuitu populi terrore perculſi, dum ſibi quiſque ab eo timet, ſolliciti expectabant, quò arma hæc potentiſſimus Princeps eſſet converſurus. Tandem paratis omnibus in Friſios ducit. Friſii, qui ſuſpicati id fuerant, (nec enim ignorabant, quod vulnus à majoribus ſuis acceptum in domo Saxonicâ hæreret, quáſve minas Leo ſæpè jactaſſet) ſe quoque, locis idoneis occupatis, pararant: Nec animum deſpondebant ad tanti hoſtis adventum. Quinimò mutuâ ſe exhortatione omnes confirmabant, incitabantque ut moriendum potiùs ſibi in acie cum gloriâ, quàm deſertâ libertate, in quâ nati erant, pro quâ tot labores periculaque majores ſuſtinuerant, mortem quoque plurimi oppetierant, quò poſteris eam relinquerent, turpiter vivendum, iratique & inſolentis victoris libidinem ſubeundam communi decreto ſtatuerent. Et quæ animos hominum in periculis dejicere plerumque ſolent, hoſtis opes, gloria, ira, iiſdem illi ad audendum tum maximè ſtimulabantur. Iratum enim victorem vel morte fugiendum cenſebant, ſi fortuna ſic ferret. Præpotentem verò ſuſtinere, aut etiam vincere, quem omnes metuebant, magnæ gloriæ, ab eo vinci, minimo dedecori eſſe futurum. Sed nihil æquè quàm avorum virtus & fortuna, quam vindicatum iratus Saxo veniebat, eos forti ac bono quoque animo eſſe jubebat: Eandem gentem, eoſdem ſpiritus tum gerentem, eaſdem injurias intentantem, contrà quàm omnes expectaverant, dum fortiter obviam itur, eſſe victam, adeoque ad internecionem penè conciſam. Placere exemplum: Poſſe, qui ultum ſanguinem avorum ſuorum, ac dedecus oblitteratum veniret, eodem, quo illi occiderant, ferro occumbere, novæque cladis memoriam poſteris prodere: Haud temerè à fortunâ audentes deſeri. Quid mirum ſit, ſi victoris exercitus ſoboles ſperare auſit, eorum, qui fuſi fugatique aut cæſi ſunt, poſteros nihilo meliores denuò ſe poſſe ſuperare? Henricus promotis caſtris, cùm Friſiam ingreſſus eſſet, maiorum ſuorum caſu cautior factus, non temerè confligendum ſibi

ſibi niſi idoneo in loco, ubi explicare aciem, & equeſtri quoque Marte uti poſſet, ſtatuit. Verùm cùm Friſii loca contra eum maturè communita inſiderent, atque impedimento eſſent, quominùs exercitum ducere, quò volebat, niſi viâ ferro patefactâ poſſet, neceſſe fuit, ut vel invitus ad id deſcenderet, quod declinare in animo habebat. Redire enim nullâ tentatâ re, tantumque apparatum fruſtrà feciſſe, aut videri ruſticam plebem magnoperè metuere, id ſibi nimis turpe futurum exiſtimabat. Itaque acie directâ prælium cœpit haud magnâ vincendi fiduciâ, quòd equeſtres copias, quibus maximè fidebat, in hoſtes movere non poſſet. Nec alia eum, quàm proavum, ſecuta fortuna eſt, fortiter agentibus Friſiis, ac in Saxones ſummo animo, ſummâque vi ſeſe inferentibus. Minor tamen cædes hæc quàm ſuperior fuit, & dux incolumis evaſit, infauſtam Saxonicæ genti damnans deteſtanſque militiam. Mira res omnibus viſa ob fortunam Henrici, quæ hactenus fruſtrata conatus ejus non fuerat; utque ad conciliandam famam virtutis bellicæ id Friſiis plurimum profuit, ita terrorem vicinis omnibus principibus injecit, ne quis temerè quietem illorum laceſſere auderet. Henricus domum reverſus, ut amiſſam gloriam aliunde recuperaret, in Vandalos Obotritas, alioſque qui ad dæmonum cultum redierant, magis fælicia arma convertit. Deinde in Italiam ſecutus Imp. Fridericum, omniumque in ſe ora & mentem poſt Imperatorem vertens, magnum ſibi nomen comparavit. Tum Vandalos ad vomitum denuò reverſos, conjunctis cum Alberto Vrſo copiis tantâ vi rurſum adortus eſt, ut illi abjectis armis ſeriò demùm rebellionem execrari, ſuperſtitiones ejurare, ac Chriſto dare nomen omnes cogerentur. Tanta res fæliciſſimè confecta, ut opes, ſic gloriam, incredibile dictu, quantum auxerit: Sed gloriam invidia ſecuta eſt: invidia multos in perniciem ejus armavit. Quod eò etiam proclivius fuit, quòd ingenium ejus ſponte ſuâ ſuperbum, ſecundâ re facilè ſe altiùs efferret, reliquoſque principes è ſublimi deſpiceret. Itaque qui erant in Saxonia Principes, contumeliæ impatientes, velut in communem hoſtem magno conſenſu conjurarunt, Brandeburgicus imprimis, & Thuringus. Inter hos Chriſtianus quoque Oldenburgicus Comes, Elimari II filius, cùm reliqui aliâ parte Saxoniam bello premerent, ut Leonem diſtineret, ab occidente in eum motus concitavit. Qui cùm ſciret, quo animo in Saxones Friſii eſſent, haud difficilè putavit, illos ad arma exire. Nec fefellit eum ſpes. Nam, ſigno propoſito, tanto ad arma ſtudio concurrerunt, ut vindictæ cupidine flagrare etiam tum haud dubiè viderentur. Erat autem annus, cùm hæc gererentur, M. C. LXVII. His porrò viribus inſtructus Oldenburgicus rectâ Bremam duxit, quam Henricus Leo jamdudum tenebat cum univerſo agro, eique Stadam oppidum & Ditmarſiam addiderat, nullo quidem jure, ſed vi atque armis, quibus ſæpè uti pro jure ſolebat. Bremenſes, etſi præſidium ab Henrico acceperant, tamen cùm exercitum Friſiorum adventare, & ad mœnia jam adeſſe viderent, vim eorum extremam expectandam ſibi eſſe non putarunt. Quinimò, quòd Leonis imperio haudquaquam gauderent, qui epiſcopis commodioribus dominis uti ſolent, occaſionẽ hanc eſſe optimam judicarunt, quâ ſe honeſtè ſubducere jugo ejus poſſent. Itaque mœnibus quoque ſuis diffiſi, quæ valdè modica tũ erant, portas Chriſtiano aperuerunt. Oppido potitus Comes, omnem quoque provinciam, quæ epiſcopo parere ſolet, huc atque illuc raptans Friſiorũ cohortes, ab Henrico avertit. Hac tam ſubita ac inexpectata re, cùm ab omni parte arma ſibi inferri videret, conturbatus Henricus, prudenti conſilio ſibi opus eſſe ratus, ut ſe tantis periculis expediret (& erat non armis magis quàm ingenio & prudentiâ promptus, cùm res poſceret) Pribiſlaum Obotritã, quem omnibus finibus jam antè expulerat, quò beneficio eum maximo obligaret, operaque ejus fideli in hoſtes poſſet uti, conciliatâ gratiâ in integrum reſtituit. Tum ingenti coacto exercitu, Saxoniam, quæ ad Albim eſt, primùm ingreſſus, M. C. LXVII.

ita conterruit omnes,ut nemo aciem opponere, aut vim ejus expectare auderet. Itaque prædis actis, atque ut præſens ratio poſcebat, rebus ibi compoſitis, uti Chriſtianum quoque, Friſioſque compeſceret, ad Viſurgim cum expeditis copiis accurrens, Bremam nec præſidio ſatis munitam, nec mœnibus confidere auſam, cùm improviſus adeſſet, primo ſtatim impetu recepit, & quòd fluxâ erga ſe fide fuiſſe videretur, hoſtibus tam facilè admiſſis, civitatem in prædam militi conceſſit. Cives quicunque evadere potuerunt,iram ejus veriti, ac militum quoque inſolentiam formidantes ad caſtra Chriſtiani, aut in Friſiam, quam inperviam exercitibus ducis eſſe ſciebant, trepidi diffugerunt. At Chriſtianus collectis celeriter, quantas poterat,copiis, obviam duci tendit,ac ad Geram flumen ſtativa contra eum collocat,ut tranſitu progreſſuque longiore prohibeat. Stabantque duo exercitus in conſpectu mutuo totos quatuor dies ſine prælio. Quinto die Oldenburgicus milite Friſio confiſus, quem corpore atque animo validum, & terrori Saxonibus eſſe noverat, velut pugnaturus aciem quadripartitam hoſti oſtentat, atque adeò in eum ducere incipit. Quod cùm Saxo videret, nec ſatis ad pugnam paratos animo ſuos eſſe, qui Friſiorum ferociæ ac virium periculum malo ſuo nuper fecerant, animadverteret, multa ſecum querens & indignans, ne iterum adverſo omine pugnans cladem acciperet, averſâ ab hoſte viâ diſceſſit, ſeque cum ſuis abitu parum honeſto in tutum recepit. Verùm non multò pòſt auctis viribus reverſus, cùm jam plerique Friſii à ſignis dilapſi eſſent, ita ſe gerit, ut ſi quis pugnæ poteſtatem facere vellet, ipſe non detrectaturus eſſe videretur. Oldenburgicus verò donec ſuos ad ſigna revocaret, Oldenburgi,quò ſe receperat,cum eâ, quam paratam habebat validam & fidam manum, ſe continuit: ibique in morbum incidens vitæ finem accepit. Mors ejus, ſicut ipſe æger præceperat, miro ſtudio celata tantiſper eſt, donec hoſtiles copiæ,moræ tædio, quod futurum ipſe Comes proſpexerat,dilapſæ ducem deſeruiſſent. Sic oppidum ſervatum. Obiitque eodem tempore Henricus Chriſtiani frater, Henrico & Gerardo filiis relictis. Ex Chriſtiano autem filii fuerunt Mauritius & Chriſtianus, quibus tutor datus eſt patruus Otto, Bremenſis Eccleſiæ præpoſitus. Qui tandem cùm diſſentionibus exortis bello civili perniciosiſſimo ſe implicarent, ſe ſuaque perdidêre. Leo enim occaſione uſus, illis excuſſis, Oldenburgum occupavit, tenuitque quoad in re integrâ fuit. Verùm cùm ſecundas res, quæ immodicæ ad eum confluebant, animo ferre æquo non poſſet, & Fridericum Imp. optimè de ſe meritum, ac propinquum ſuum deſpiceret, peneque in medio belli ardore ad Mediolanum Italis proderet, juſtam iram numinis, quæ ſuperbis infeſta ſemper eſt, tandem ſenſit, ſuoque exemplo oſtendit,haud aliud certius magnæ ruinæ prævium ſignum eſſe,quàm ſi ex magnâ fortunâ magnos quoque ſpiritus mortales gerere incipiant. Proſcriptus enim decreto Imperii, fruſtraque aliquot annis à Principibus vicinis oppugnatus, (tantæ ejus vires erant) cùm tandem Imperator eum, compoſitis Italiæ rebus, bello ipſe perſequi cœpiſſet, exutus omnibus ſuis provinciis, exul in Angliam profugit ad affinem regem. Tum verò, quod cuique commodum ex tot provinciis ejus, in id vicini Principes involarunt: Saxoniæ majorem patrem Bernardus Anhaldinus, Vrſi filius; Stadam cum agro toto archiepiſcopus Bremenſis, Bernardi frater; VVagriam, multaque Holſatiæ vicina, Adolfus Holſatus; VVeſtphaliæ magnam partem Colonienſis archiepiſcopus; Otto Witteſbachius Bavariam occuparunt: quæque occuparant, Imperatoris decreto tenere permiſſi ſunt. De Ditmarſia Bernardus Anhaltinus, fraterque ejus archiepiſcopus Bremenſis cum Adolfo Holſato dimicabant. Etenim Holſatus archiepiſcopo militans cum Chriſtiano Oldenburgico in Ditmarſia, cùm ſtipendio ſolvendo epiſcopus non eſſet, Ditmarſiam, quam bello vicerat, ſibi vendicabat. Sed Ditmarſi haud multò pòſt ad Sleſvvicenſem epiſcopum, & Danos defecêre, manſeruntque in fide eorum uſque ad annum M.CC.XXVII, cùm
oneribus

oneribus gravati ad Bremenſes ſponte redierunt. At Leo ab exilio reverſus ad annum Chriſti M. C. LXXXVI. Brunſuicenſem & Luneburgenſem agrum M. C.
à mitiſſimo Imperatore, qui eum occupaverat, dono recepit, à reliquis abſti- LXXXVI.
nere juſſus. Nec tamen quievit diutiùs, quàm Imp. Fridericus in Palæſtinam cum exercitu abiiſſet. Nam Bardowico capto & everſo, ac Lubecâ receptâ, Holſatiam univerſam occupavit, iterumque amiſit. Poſtremò poſt varias fortunæ viciſſitudines feſſus ætate obiit Brunſuigæ, quam ſedem à reditu ſuo habuerat, anno Chriſti M.C.XCV. Quo eodem etiam anno cum Hartwico archi- M.C.XCV
epiſcopo Adolfus Holſatus tranſegit de Stadenſi Comitatu, quem nuper Leoni armis extorſerat, ut eum omnem ipſe beneficio archiepiſcopi teneret cum tertiâ redituum parte. A morte Henrici Leonis ſtatim ingens ſcelus in viciniâ Friſiæ contigit, imperante Henrico VI Friderici filio. Quippe Chriſtianus Oldenburgicus Comes, Chriſtiani filius, cùm ex Palæſtina nuper rediſſet, dormiretque fortè in horreo, inſidiis Mauricii fratris eſt interemptus. Sicarii, quorum operâ perierat, ſupplicio atroce affecti; parricida non ſolùm pœnâ caruit, ſed interempti fratris hæres fuit. Atque iſta quidem per Saxoniam locaque vicina dum fiunt, in Friſiæ quoque parte, quæ circum Iadam flumen eſt, graviſſimi ac diuturni tumultus extitère, è cæde viri nobilis exorti. De quibus ut in commentariis quibuſdam Oſtringiorum inveni, ita quam breviſſimè narrabo, fide penes autores relictâ. Sic igitur hi commentarii habent: in funere Mangii cujuſdam hominis prædivitis, ac inter ſuos honorati curando, juvenes duos nobili loco natos Hilderichum Oſtringium, & Rodowerdum Wangrum in rixam fortè incidiſſe, in eaque cùm ad pugnam exarſiſſent, à Wangro Oſtringium eſſe interfectum: interfecti propinquos non multò pòſt miſſis legatis, in Wangriam, pro more gentis, aut dedi ſibi noxium caput, aut aliis rationibus ſatisfieri pro cæde indignâ poſtulaſſe: Wangros non ſolùm nihil æqui reſpondiſſe, ſed impetu in legatos facto, cùm pertinaciùs niti, ac violentiùs, quàm legationis jus ferret (magno enim numero venerant) agere viderentur, nonnullos eorum occidiſſe, reliquos fugâ ſibi conſulere coëgiſſe: Ejus rei gratiâ indignatos Oſtringios contumeliæ & injuriæ impatientes, arma cepiſſe, & excurſione in Wangrorum agrum factâ, proximis quibuſque direptis, LV Wangros morti dediſſe: Wangros viciſſim querelis de vi paceque turbatâ ad cæteras Friſiæ provincias delatis, cùm nihil impetrarent auxilii, ſed ultrò monerentur, ut legibus ſatisfacerent, invitos ad ſatisfaciendum deſcendiſſe: acta hæc eſſe ad annum Chriſti M.C.XLVIII. Eoſdem verò anno proximo, cùm concoquere dolorem accepti detrimenti nõ poſſent, percuſſo cum Harlingis vicinis ſuis fœdere, auxiliiſque eorum adſcitis, invaſiſſe quidem in Oſtringiam, ſed cum detrimento ſuo eſſe rejectos: Ab eo tempore mutuis incurſionibus, rapinis, incendiis, cædibus eſſe certatum: in quibus cùm inferiores ſe eſſe Wangri ac ſocii experirentur, Broecmeriorum, Auricanorum, Lenganorum opem invocaſſe: deinde ne ſic quidem pares Oſtringiis, quibus in causâ meliore numinis gratia aſſiſtere videbatur, ex communi fœderatorum ſententiâ, peregrinos principes ac maximè Saxones, oſtentatâ Oſtringiæ poſſeſſione, in auxilium exciviſſe: Saxoneſque adveniſſe cum ſatis magnis copiis: Quâ re perculſos Oſtringios cùm tantum hoſtium numerum in ſe undique ingruere cernerent, votum ſolenne concepiſſe de templo in honorem Stephani protomartyris exſtruendo, ſi ſecundùm ſe prælii fortuna daretur, atq; ita in hoſtem Saxonem progreſſos tantâ vi pugnaſſe, ut ingenti cæde patratâ, lætam victoriam pepererint, in numero cæſorum fuiſſe viros principes Conradum Brochuſium, Chriſtianum Oldenburgicum, alium etiam è ſtirpe Comitum Iuliacenſium: pugna commiſſa in loco, quem Schacalhavam quondam vocarint, non procul Ieverâ: Oſtringios voti damnatos apud Schortenſes ædem illam præclaram ſtruxiſſe, aliaque addidiſſe, pro ſæculi illius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

conſuetudine, ſuperſtitionis plena. Tum viribus in domeſticos hoſtes VVangros & Harlingos converſis, eos ad redimendam pacem magnâ pecuniæ ſummâ, & ſanctiſſimo jurejurando ſanciendam facilè compuliſſe. Hanc pacem duraſſe ad annum M.C.LXIIII. Tum VVangros, Ruſtros, Harlingos fœdere conjunctos rurſum Oſtringios invaſiſſe Nordanis confœderatos, ſed fortunâ nihilo quàm dudum meliore: amiſſis enim ſuorum DCCC, victoribus Oſtringiis, quanquam in ipsâ acie à ſociis deſertis, ceſſiſſe: excitataſque ab Oſtringiis ſuo in agro contra hoſtium excurſiones arces tres, unam Dichuſæ ubi jam Godena eſt, duas reliquas apud Ellenſes, quorum jam ager ferè omnis aquis obrutus periit. Hinc iterùm mutuis detrimentis certatum: Ruſtros populabundos Ezelam & Horſtam pagos Oſtringicos, Oſtringios VVitmundam in Harlingia cum ſacris ædibus incendio primùm vaſtaſſe. Deinde Harlingiam totam, VVangriamque, omni injuriarum genere peſſimè mulctatas, Ruſtriam quoque divexaſſe: Poſtremò, cùm fortuna ubique ferè Oſtringiis faveret, hoſtes indignatos in perniciem eorum conjuratione graviſſimâ initâ, prælioque atrociſſimo infenſiſſimis animis conſerto, in Oſtringiæ agro, ubi Barkela pagus eſt, ad duo millia occubuiſſe. In hujus tam celebris victoriæ memoriam Oſtringios, qui CCC ſuorum tantùm in prælio amiſerant, ſolennem diem feſtum quotannis agendum inſtituiſſe, poſtridie Matthiæ Apoſtoli, quo die erat pugnatum. Et in has quidem Friſiorum clades mutuas, odiumque pluſquam capitale, intentum Henricum Leonem, qui Bremæ tum morabatur cum exercitu, occaſionem obſervaſſe denuò invadendæ Friſiæ, cœpiſſeque injuriis nonnullis Ruſtros proximos irritare: Quo animadverſo, partes, quas bellum diſiunxerat, alioquin etiam malorum pertæſas, principibus maximè Oſtringiis, atque ad pacem æquam pro ſalute communi ſe offerentibus, in concordiam rediiſſe non ſine dolore Henrici; res bello raptas, quæ integræ eſſent, reſtitutas; cætera detrimenta ex æquo & bono compenſata; captivos utrinque dimiſſos; fana, quæ bellum temeraverat, expiata Oſtringiorum præcipuè impendio; cædium, rapinarum, profanatorum ſacrorum locorum piacula, jejuniis, ſolennibus precibus, aliiſque rebus ſimilibus, denique liberalitate in ſacerdotes & pauperes, ex præſcripto Præſulis Bremenſis, publicè procurata deletaque: Fœderis hujuſce pangendi cauſâ ad Madam flumen omnium partium conventum maximè frequentem eſſe habitum. Sic Oſtringii: qui ſi vera omnia commemorant, inter utrumque tumultum illum civilem, cùm concordia Friſiis domi eſſet, neceſſe eſt Henrici Leonis iſtam, quam priùs expoſui, expeditionem in Friſiam incidiſſe. Iam in Hollandia, ut eò revertamur
M. C. aliquando, Theodorico VI filius Florentius III ſucceſſerat, nihilo quàm
LXIII. pater Friſiis aut gratior, aut amicior, imperante per Germaniam & Italiam Friderico Barbaroſsâ: cùm Oceanus præter ſolitum intumeſcens & tem-
M. C. peſtatibus commotus ad V Idus Ianuarias obſcurâ nocte ſuperatis omnibus
LXIIII. aggeribus in omnem agrum Friſiæ, qui ſe non attollit, exundavit, fœliciſſimamque regionem brevi momento afflictiſſimam reddidit. Etenim calamitas hæc tanta fuit, ut nulla par à fluctibus Friſiæ eveniſſe credatur, ſive hominum ſtragem ſpectes, quæ fide major fuit, (nam ſupra C millia hominum periiſſe dicuntur) ſive pecudum omnis generis interitum, ſive terras aquarum vi abſorptas, ſive agri totius, diſiectis paſsim ædibus, vaſtitatem. Diluvium hoc S. Iulianæ vocatum ad ſeros poſteros infame manſit. Eodem verò iſto anno, qui erat à Chriſto in terris nato M.C.LXIIII, haud parvus motus per Drentiam, maximeque in oppido Groningâ extitit. Is motus non aliunde, quàm ex Herberti epiſcopi pernicioſo illo erga ſuos ſtudio, de quo antè dixi, originem habuit. Nam Lefferdo fratrum ejus altero, cui beneficiario jure præfecturam oppidanam apud Groninganos dederat,
ſine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſine hærede maſculo extincto, nepotes ejus ex filiâ unicâ viro nobili apud Weſtfalos Godſcalco Supperochio nupta, Rudolfus, Menſo, Herbertus ad ſe devolutum omne jus, quod avus tenuerat, exiſtimantes, præfecturam quoque eam appetivêre. Nec deerant illis ſtudia vulgi in oppido, quo cum multùm, dum ſupererat avus, verſati fuerant. Sed Ludolfi hæredes, qui Coverdiam cum Drentiâ tenebant, ad ſe pertinere præfecturæ jus, qui agnati proximi eſſent, ex conſuetudine in rebus ejuſmodi uſitatâ contendebant. Epiſcopus verò Vltrajectinus Godefridus, qui poſt Hermannum Herberto ſucceſſerat, Rhenæ oppido ad Rhenum natus, peracris æquè ac ambitioſi animi homo, quique haud facilè ſibi aliquid, quod ad amplificandam diœceſim pertinebat, effluere patiebatur, morte Lefferdi ad ſe rediiſſe jus illud aſſerebat. Itaque triplicibus ſtudiis diviſa res ad turbas haud dubiè ſpectabat. Sed Supperochii, quoniam & Groningæ præſentes erant, & oppidanorum voluntate juvabantur, occupatâ poſſeſſione (nam pro præfectis ſe gerebant) in causâ anteire reliquos videbantur. Verùm epiſcopus injuriæ ejus (ſic enim vocabat) impatiens, cùm legationibus & verbis fruſtra amovere illos tentaſſet, ad vim ſe paravit. Cui cùm impares ſe eſſe juvenes cernerent, ex ſuggeſto tacitè ab amicis concilio, nec invitis oppidanis, ad Geldriæ Comitem Henricum profecti, quò auxilia ab eo impetrarent, in ejus ſe clientelam dederunt. Recepti à Geldro (nec enim is occaſionem augendæ fortunæ negligendam rebatur) ac copiis inſtructi, in quibus ipſe Comes inerat bellum adminiſtraturus, Groningam celeriter repetebant, ut epiſcopum, qui oppidum intereà occupaverat, atque adhuc in eo, conſtituendis rebus intentus, morabatur, interciperent, aut vi indè ejicerent. Quorum adventu inopino conſternatus epiſcopus, qui eam manum, quâ reſiſtere tantæ multitudini poſſet, oppidanis præſertim ægrè parentibus, ac ad adventum Supperochiorum arrectis, non habebat, cùm fluctuaret animo, vereque lupum, quod ajunt, auribus teneret, inter fugam manſionemque ambiguus, tandem ſubſidii ſubmittendi ſpe, quòd non turpem ſolùm fugam, ſed etiam periculoſam, ac cum maximo detrimento conjunctam exiſtimaret, editâ & firmis operibus ex latere ſtructâ domo in oppido, quam turrim ſcriptores nominant, ſe claudere, & fortunam operiri ſtatuit. Sed Geldro cum exercitu in oppidum ingreſſo, & cum plauſu ac alacritate totius plebis recepto, concidens animo cum Clivenſi Comite, quem ſecum eò duxerat, per tenebras noctis iſtinc aufugit, & ad Florentium Hollandiæ Comitem evaſit, præſidio in turri relicto. Quam dum oppugnat Geldrus cum oppidanis, ipſe inito cum Florentio fœdere confectiſque quàm maximis copiis, quas ducebat Florentius, Groningam quantâ poteſt celeritate revertitur. Nec propterea cœptum Geldrus omittit, ſed defendendo oppido omnia parat cum Theodorico Batemburgico, qui comes & laborum ſocius ei adhærebat. Tentataque ab Hollandis oppugnatio, ſed inani operâ, cùm, qui intus erant, quamvis fidere infirmis mœnibus non poſſent, virtute tamen & audaciâ ſe tuerentur. Deinde bellum hoc aliquandiu tractum, obſcurâ rerum geſtarum famâ. Nec antè finis fuit, quàm Imp. Friderici nomine Reinaldus Colonienſis archiepiſcopus, cujus eo ſæculo magnum in re militari nomen fuit, ex Italia, exciſo Mediolano, non ita pridem in Germaniam reverſus ſe interponeret. Ejus arbitrio ita compoſita controverſia eſt, ut Vltrajectinus acceptis argenti libris veteribus CCC præfecturam Supperochiis relinqueret. Atque ad hanc conditionem accipiendam id vel maximè epiſcopum impulit, quòd ſimultas & contentio cum Hollando ſocio hujus belli, ſine quo infirmiorem ſe fore ſentiebat, de Weſtergoæ & Oſtergoæ jure, ipſi gliſcere inciperet. Quæ res eò exarſit, de tergore urſi utroque contendente, quem urſum neuter adhuc in poteſtate habebat, ut arma utrimque circumſpicerent. Sed cùm paulò pòſt epiſcopus ſuas vires Hollandicis impares futuras eſſe, nullo belli ſocio, Friſiis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

æquè ſibi ac Hollando adverſis, ac peregrinum imperium recuſantibus, intelligeret, ad Imperatoris opem convolavit. Quippe eam ſibi proclivem, quòd à Suevo Imperatore patruo Friderici, poſt Henricum IIII ejuſdem proavum, & Henricum V avunculum magnum, collatum anteceſſoribus ſuis beneficium
M.C.LXV hoc eſſe meminiſſet, ſperabat. Nec ſanè eum ſpes fefellit. Nam Fridericus, priuſquàm incommodum aliquod acciperetur, Aquiſgrano, ubi natalem Domini egerat, Vltrajectum ipſe veniens, ab armis Hollandum ad diſceptationem cauſæ vocavit. Poſtremò re omni cognitâ, ita pronunciavit: Provinciam, de quâ contenderent, Epiſcopus & Hollandus communem pari jure poſſiderent: compararent inter ſe de homine idoneo ex Comitum ordine, quem Imperatori ſiſterent, quique jus dicendi poteſtate ab Imperatore acceptâ, utriuſque nomine eam provinciam adminiſtraret: Is priuſquàm quicquam rerum provinciæ attingeret, juramento ſe obligaret, utrique Principi ex æquo ſe conſulturum, nec prece nec precio perſuaſum in alterius gratiam quicquam, quod alteri detrimento aut præjudicio eſſe poſſet, commiſſurum. Si comparare Epiſcopus & Hollandus inter ſe de gubernatore ejuſmodi non poſſent, Imperator ex conſilio ſuorum aliquem ederet, qui eâdem illâ lege in provinciam iret. Ipſi quotannis menſe Majo, qui fori agendi antiquitùs majoribus in cauſis ſolennis eſſet, in Friſiam venirent cum XXX equitibus ſinguli, & foro ſoluto, commoda & reditus totius anni ex omni provinciâ æquo modo inter ſe partirentur: Vter horum aliquid violaret, is quingentas libras argenti puri quintum intra menſem Imperatorio fiſco mulctam ſolveret. Sic lis iis compoſita. At provincia non eâdem operâ in poteſtatem redacta, imò ne armis tentata quidem, quod ex annalibus intelligi poſſit. Nam Friſii, ut libertate ſuâ diſcederent, verbis perſuaderi ſibi non ſinebant. Imperatorem autem invitis imponere dominos præter fas, atque armis ad ſervitutem ſubeundam eos compellere voluiſſe, præſertim qui paulò antè Heſſelum Martenam Doconis filium, è primâ gentis nobilitate, virum fortiſſimum, ad Mediolanum nuperrimè cæſum, magno apud ſe loco habuerit, quis credet? Aut ſi voluerit maximè, quis exiſtimabit, ejus rei facultatem tum habuiſſe, cùm longè majoribus curis & ad turbas componendas inter VVelfum Bavarum ac Comitem Palatinum, & ad obviam eundum motibus Italicis multò graviſſimis, in quos pro inſtauratione Mediolani, Alexandro Pontifice autore, omnes Tranſalpini exarſerant, eodem tempore revocaretur? Nec iſtis quoque duobus tam benè conveniebat adhuc de omnibus, quæ ad bellum parandum pertinebant, aut alioqui animis inter ſe tam concordes erant, ut ſtatim rem aggredi tantam, tam magnos requirentem apparatus ac copias poſſent. Hollandum verò intra eundem vertentem annum inopina calamitas alia opprimens, dum Flandros inceſsit captuſque ab iis cuſtodia traditur, facilè dimittere conſilia hujuſmodi ad tempus coëgit. Sic alieno de jure cùm litigaſſent aliquandiu inter ſe, conſenſiſſentque, cùm ad eos ventum fuit, qui juris domini erant, in vanum tota res abiit, nec eſt ultra verba progreſſa. Non prætereundum videtur hoc loco, quod annotatum à pleriſque lego, quatuor cœnobia ad hoc ferrè tempus paucos intra annos cœpiſſe ab exiguis quidem principiis, Hortum Mariæ, Betlehemum, Clarecampum, Ludingkercum, & hoc quidem poſtremum à Ludingmannæ familiæ viris nobilibus fundatum: ſed ea ita crevêre ſequentibus ſæculis, ut opulentia & luxus modum exceſſerit. Nec multis annis pòſt Cœnobium quoque vetus, quod Floridum Campum vocant, ad Bolſuerdiam, colonis ex Clarecampo deductis, ſtudio ac liberalitate trium fratrum VVommeliorum inchoatum, eâdem fælicitate apud poſteros
M.C.LXVI profecit. Anno M.C.LXVI, qui tranſactionem inter Hollandos & Vltrajectinum ſecutus eſt, Friſii ad occidentem Flevi habitantes, præter inſitum ac inveteratum in Hollandos odium, recenti contumeliâ irritati (Scagenſium quippe

quippe magnum numerum Harlemii & Alcmarienſes paulò antè occiderant) obſervatâ captivitatis Florentii occaſione, raptim collecti ad ſigna, impreſſione in hoſticum factâ, Alcmarienſes invaſere: Ex quibus occurrere auſis cùm ad LXXX occidiſſent, reliquis perterritis, oppidum cepêre denuò, totumque, unâ æde ſacrâ exceptâ, in cineres redegerunt. Hac ultione exſatiatis animis cum prædâ domum ſe retulere, priuſquàm ab Hollandis ad ſigna concurri, & auxilium ferri poſſet. Secuto anno armis publicè nihil geſtum: ſed Hollan- M. C.
dus è cuſtodiâ Flandricâ eſt dimiſſus: & mors Saconem Reinaldam, anti- LXVII.
quiſſimâ nobilitate, virum pacis artibus egregium, & bis ſupremâ poteſtate in patriâ functum (annua quippe functio tum legitima habebatur) gentis ſuæ columen abſtulit. Quem anno proximo M.C.LXVIII Iuwo Galonis filius, M. C.
& Wilco Reinàlda, magni nominis inter ſuos, ſecuti ſunt. Sed idem hic an- LXVIII.
nus majore calamitate Friſios occiduos trans Flevum preſſit. Hollandus enim in patriam redux, agitatus Alcmarianæ cladis memoriâ, injuriæque ac ignominiæ æquè impatiens, ut pœnas repoſceret, ingenti exercitu coacto ex omni Hollandiâ terriſque vicinis, agrum Friſicum ingreditur, & caſtra ad Scorlam vicum non procul primis finibus diſtantem collocat. Illic hoſtium res, motus, conſilia ſpeculans, occaſionemque obſervans, de belli gerendi, ac ſubigendæ Friſiæ ratione conſultat. Intereà præfectorum ejus unus cum delectâ nobilitate Hollandicâ impatiens moræ, ac prædarum cupidine ardens, exorato Comite cohortibus aliquot aſſumptis in hoſtilem agrum excurrit, ac prædandi ſtudio evectus ad vicum Scagam uſque non minus ſenis paſſuum millibus à caſtris diſtantem pervenit. Friſii, eo cognito, nuſquam velut præ metu ſe oſtendentes, conſultò temeritatem ejus augent, atque oportuno loco, quà redeundum illi in caſtra erat, clam inſidias locant. Ad quem, Scagâ direptâ, & incensâ, & reliquo agro vaſtato, ſecuri hoſtium, ac prædâ agendâ impediti, cùm Hollandi acceſſiſſent, illi partim ex adverſo coorti, partim à lateribus proſilientes, conſerto acerrimo prælio, ad internecionem penè omnes conciderunt, in quibus multi fuerunt claro genere nati: quorum corpora ex ſtrage collecta in fano Egmondano condita ſunt. Pauci è clade elapſi nuncium ejus ad ſuos in caſtris retulerunt. Comes conſternatus (nam florentiſſima pars nec minima exercitus ea fuerat) priuſquàm adventarent Friſii eâ victoriâ ferociores facti, in Hollandiam ſuam ſe recepit. Nec victores eo tempore progreſſi longiùs ſunt, incertum quâ de causâ. Sed anno ſequente, qui fuit M. C. M. C.
LXIX, circiter Idus Auguſti, copiis coactis Alcmariam denuò adorti, cùm ex LXIX.
Kenhemariæ agro, cæteriſque vicinis locis Hollandi auxilio oppidanis oppugnatis advenirent, amiſſis ſuorum nonnullis, domum fugientibus ſimiles repetiverunt. Poſtremò Florentius controverſiis cæteris omnibus, quas domi foriſque habebat, (habebat autem cum Flandris & plurimas & maximas) quocunque modo compoſitis, exercituque majore quàm unquam antè conſcripto, ſemel debellare cum anniverſariis hoſtibus conſtituit. Itaque regionem ingreſſus, primis, qui ſe objicere auſi erant, cæſis fugatiſque, arma ubique circumtulit, agros diripuit, vicos & villas paſſim incendit, nonnulla terroris excitandi causâ penitùs exuſſit, nec pedem antè inhibuit, quàm vaſtando ad Flevum uſque perveniſſent. Worperius autor eſt, cæteris vaſtatis, in Wiringiam, & Texelam, quæ inſulæ jam ſunt, tum cum continente reliquo adhuc cohærebant, aut anguſtis intermeantibus aquis indè ſeparabantur, in Boream maximè ſe efferentes, etiam tranſgreſſum, quatuor millibus marcarum argenti puri eas mulctaſſe: quibus ſolutis, militem direptione prohibuiſſe. Quidam etiam memoriæ produnt, in omnem ſexum & ætatem ſæviiſſe promiſcuè, quò animos populi frangeret, nec priùs finem feciſſe, quàm obſequium omnes promitterent. Verùm cùm homines ejus conditionis valdè pœniteret, ubi primùm oportunum fuit, obſequio projecto, libertati ſe reddidere. Sed id

vivo adhuc Florentio acciderit, an à morte ejus, (nam in Syriâ ad annum M. C.
XC. oppetiit, ſecutus Fridericum I Imp.) nulli me commentarii rerum noſtra-
rum docent: Hollandis autem odioſiùs iſta memorantibus ubique adhibere
ſidem nolim. Vidi apud autorem quendam rerum Friſiæ Occiduæ neſcio quàm
certum ſidei annotatum, quatuor è nobilitate Friſicâ Franciſcum Roordam,
Cyprianum Meckemam, Taconem Ringiam, Franciſcum Aluam ſexenni mi-
litiâ in Britannia apud Anglos & Scotos expletâ ad annum M. C. L X X X. do-
M. C. mum rediiſſe: Nec multò pòſt Douvvonem Burmaniam, qui toto decennio in
L X X X. Italia fuerat, deinde in Palæſtinam, hinc in Arabiam, poſtremò Babylonem pro-
fectum, acceptâ ab Hieroſolymitano rege dignitate equeſtri, incolumen eodem
anno ad ſuos eſſe reverſum. Idem autor Vtgongum tum adhuc nuncupatum
eum locum aſſerit, quem hodie Berlecomum vocant, nec vilis oppidi for-
mam habuiſſe, nomenque ſortitum ex ſitu ad effluxum ſinus ejus in vada la-
tiora, qui ea tempeſtate VVeſtergoam & Oſtergoam dirimebat: quo de ſinu
non multò pòſt rurſum dicemus: Id autem oppidum inſigniter incendio de-
M. C formatum anno M. C. L X X X I: Verùm decennio poſt à prædonibus, quos
LXXXI. Normannos vocat, Friſiæ maritima incurſantibus longè gravius detrimentum
M. C. XCI accepiſſe: Direptum enim vaſtatumque penitùs ferro & flammâ in ruinis & ci-
neribus eſſe relictum: nec ab eo tempore fortunam recuperaſſe, donec in vi-
cum mutato etiam nomine abierit: Normannos quoque oportunitate portus
illectos ſæpè iſtuc rediiſſe ſequentibus annis, oppidi metu dempto: Et ejus pe-
riculi gratiâ turres lateritias validiſſimi operis, quibus prohiberi Barbarorum
incurſus poſſent, ad fauces ſinus utrinque excitatas primùm à Friſiis commu-
ni operâ: Id deinde imitatas familias nobiles defendendi ſui ſuorumque cau-
ſâ privatim per omnem eam viciniam complures ſtruxiſſe, quæ pedetentim
factionibus invaleſcentibus inſtrumenta civilis diſcordiæ & cruentarum con-
tentionum, vexationumque plebis, ac latibula prædonum factæ ſint: ſed
non aliam celebriorem, quàm eam quam apud Englumanos Siverdus Syr-
tema VVibone natus condiderit, quæ à murorum rarâ craſſitie Groveſte-
num ſit appellata. Sed ego non in prædones Normannos, verùm in pa-
triæ viſcera erectas eſſe pleraſque à factioſis nobilibus haud dubito. Et ad ea-
dem tempora Lidlumanum cœnobium in VVeſtergoâ à Sibodo Lidlumæo
ac Tziallingo Donya extructum, ac ſeptennio pòſt, creſcente ſuperſtitione,
ab Emone quodam viro docto ac divite VVerumanum in Fivelingiis condi-
tum ad obſtructum Fivelæ amnis alveum, ex eoque ſemotis virginibus à con-
ſuetudine monachorum ab annis x velut colonia deducta Schiltvvolda, viciſ-
ſimque ex Schiltvvolda Hilligerlæum: nec multò antè hæc Marnenſe virginum
Ioanniticarum. Adjicitur etiam ab eodem ſcriptore, poſt Vtgongum exci-
ſum à prædonibus, viciniam ruſticam Franekeram ab agro proximo nomen ſor-
titam, incremento indies auctam metu hoſtilium incurſionum muniri cœ-
piſſe, paulatimque in oppidi conditionem tranſiiſſe: idemque Leoardiæ ad ſi-
num poſitæ eodem iſto tempore accidiſſe: Et hæc duarum clariſſimarum in-
ter Flevum & Lavicam flumina civitatum fuiſſe initia. Eodem verò illo tempo-
re Guilhelmus Hollandus junior Florentii III Hollandiæ Comitis filius, Theo-
dorici VI nepos, & ipſe è Palæſtina fortè reverſus, in quâ tum Franciæ An-
gliæque reges bellum gerebant, cum fratre majore Theodorico VII concors
vivere, pacemque, ni omnibus cedere vellet, habere nequiit. Quapropter la-
queis elapſus, ut ſe præſidio aliquo tutum redderet, ad Friſios Hollandiæ fini-
M. C. XCV timos Hollandis tum malè pacatos ſe contulit, iiſque ad arma vocatis, atque
in fratrem eductis, poſt crebra certamina minora & excurſiones, ingenti
tandem prælio cum eodem ad Alcmariam oppidum conflixit, ſed non ſine
maximo diſcrimine. Nam Friſiorum nonnulli pecuniâ & pollicitationi-
bus Theodorici corrupti, è quibus VVinkeliani & Nydorpii fuerunt, ex com-
poſito

poſito ad primas velitationes à ſociis diſceſsêre: reliqui à ſociis deſerti, ab
Hollandis undique circumfuſi ſunt. Qui re inexpectatà vehementer attoniti
& perturbati, pugnæ immemores fugam propè ſolam ſpectabant. At Guil-
helmus, qui caſuum ejuſmodi gnarus, & in periculis intrepidus erat, ubique
accurrens animos eorum oratione erexit, hortatuſque eſt, ut ſecum fortunam
prælii experiri, quàm turpi & exitioſæ fugæ ſe mandare mallent. Tum re-
ſumptâ audaciâ, tantâ vi in hoſtes pedem intulerunt, ut perruptâ eorum acie
in tutum evaſerint. Atque hæc res majoris apud Friſios gratiæ Guilhelmo
cauſa fuit. Hoc modo pollutis jam utrinque civili ſanguine dextris, ne plus
ſceleris fraternum bellum traheret, tres patrui eorum Balduinus Vltrajecti-
nus Epiſcopus, Theodoricus ejuſdem eccleſiæ Præpoſitus, Otto Benthemius
Comes pacis arbitros ſe iratis fratribus interpoſuerunt. Pax his conditioni-
bus confecta, ut Theodoricus Hollandiam cum Selandia integram retine-
ret: Guilhelmus verò cis ultraque Flevum flumen Friſiam, quæ tum Orien-
talis & Occidentalis Friſiæ nomine cenſebantur, ad Lavicam uſque teneret
beneficio fratris, additâ inſuper vectigalium aliquâ parte in Hollandià. At-
que ita quidem tum inter fratres tranſactum. Quo verò jure illis hoc de Fri-
ſia licuerit, nulli annales exponunt. Ego ex Friſiorum conſenſu ſic eſſe de-
cretum faciliùs crederem, ſi de clientelâ, quod dicitur, non eſſet additum:
quà Friſiis nunquam quicquam fuit inimicius. Alioqui quid eâ ſententiâ ve-
roſimilius, ſive ſtudium Friſiorum ſpectes in tuendo contra fratrem Guilhel-
mo, ſive eam, quâ deinceps perpetuâ, quoad Princeps ſuperfuit, inter ſe ege-
runt, animorum conſenſionem? planè ut hujus causâ, quem tantopere co-
luerunt, præſertim fide ac virtute ejus in nupero prælio perſpectâ, de ſuo jure
ceſſiſſe ad tempus haud immeritò videri poſſint. Pace ſancitâ, quod fuit
anno M. C. XCVI, Guilhelmus à Friſiis ſuis honorificè receptus, ac pro Prin- M. C.
cipe perpetuo ſtudio deinceps, quoad vixit, cultus fuit. Quæ ad Hollandiæ XCVI.
fines dum geruntur, aliis etiam in partibus res quietæ non fuere. Cunera,
quæ ad ſinum Auſtrinum extrema in Friſiæ agro eſt, oppoſita Vltrajectinis,
Comitibus eo ſæculo parebat. Sed quæ eorum initia & progreſſus, quæ do-
mus, ex autoribus, quos mihi videre datum fuit, haud liquet. Iis tum bel-
lum cum Balduino epiſcopo diuturnum fuit, quanquam non ſummis viribus
geſtum: nec enim ſuſtinere Cunerani potuiſſent. Cujus is finis tandem extitit,
ut Cunerani prælio majore victi, cùm ſuorum quingētos amiſiſſent, redemptâ
epiſcopi gratiâ iis conditionibus quæ ferebantur, conquieſcerent. Inter con-
ditiones graviſſima erat, ut maſculis in familiâ Comitum deficientibus ager
omnis Vltrajectinæ diœceſi accederet. Atque hanc quidem compoſitio-
nem maturare alii longè graviores motus, quanquam à parvis profecti initiis,
epiſcopum coëgerunt. Fanum in oppido Groningâ virgini Walburgi ſa-
crum à ſeditioſis triginta ante annos fuiſſe occupatum, & inſeſſum ſuprà re-
tuli. De eo lis orta fuit hoc tempore epiſcopo, & oppidanis, cùm illa ſuum
id eſſe peculiari quodam jure, hi ſuum omninò, à majoribus ſuis contra incur-
ſus Normannorum quondam firmiore opere extructum, contenderent. Eo in
diſſidio Groningani dicuntur ob metum epiſcopi, dejectâ contignatione ac
parietum parte, humilius fanum reddidiſſe. Exacerbato verò epiſcopi animo,
qui vetera juramenta iis objectabat velut perfidis, longiùs contentio ſerpſit, ac
Florentium (ſic enim nonnulli eum nominant) Coverdiæ præfectũ, quanquam
epiſcopi clientem, in partes quoq; traxit. Is clam ab Ottone Geldriæ Comite,
Hollandicæ domus inimico, impulſus, & ſuapte avaritiâ inſtigatus, ſupra legiti-
mum modum vectigalia eos poſtulabat, qui ex Friſia in Benthemenſem agrum,
annonam & alias merces illac vectabant, ne ipſi quidem Benthemio Comiti
Ottoni, qui epiſcopi frater erat, hac in re vel minimum parcens. Itaq; graviter
offenſus epiſcopus, cùm ne admonitus quidem ille atque objurgatus deſiſteret,

arma induere coactus, ad oppugnandam Coverdiam, cujus munitionibus confidere præfectus videbatur, ivit, & omni vi admotâ ad deditionem faciendam præfectum adegit. Deditæ arci Ottonem Benthemium fratrem ſuum, cujus auxilio oppugnata erat, impoſuit, qui eam contra conatus inſidiantium tueretur. Sed non multò pòſt à privigno Florentii Folchero, impigro juvene, Geldricisque inſtructo occultis auxiliis, parato dolo eadem arx recepta eſt. Hinc Tuentia ac Drentia omnis, & plebs Groningana perpetuò mobilis, eodem autore à fide epiſcopi averſæ, adeoque ad arma concitatæ: præfectus oppidanus à Groninganis per ſeditionem occiſus: muri oppidi denuò inſtaurati, opus id magno ſtudio properatum. Hac injuriâ incenſus Epiſcopus, confecto raptim exercitu, agrum omnem Tuentiæ & Drentiæ miſerrimè quidem afflixit, veruntamen Folchero animos erigente, & Geldricam oſtentante opem, obſequio ſuo reſtituere nequiit. Intereà Philippus Colonienſis, & Conradus Moguntinus archiepiſcopi, Vltrajectum eâ de cauſâ venientes, controverſiam compoſuêre hac lege, ut Florentio è cuſtodiâ dimiſſo præfectura redderetur: Epiſcopus ab eo viciſſim pro tot illatis damnis ac belli incommodis argenti marcas mille acciperet. Groningani hac pactione comprehensíne ſint, non ſatis ex annalibus intelligi poteſt. Verùm iniquas in ſe ac fratrem conditiones has eſſe Benthemius querens, pacem ſtatim turbavit, armatuſque provinciam ingreſſus, & cum Vltrajectinis conjunctus, infælix contra Drentinos prælium iniit: Inſtauratuſque à fratribus conatus nihilo fortunatior fuit. His adverſis rebus æger Balduinus epiſcopus in morbum ſenex incidit, nec multò pòſt, cùm annus ageretur M.C.XCVI, in vivis eſſe deſiit. Ejus morte contentio inter Vltrajectinos fuit de ſucceſſore eligendo. Et iſtuc profecti Theodoricus Hollandiæ, & Otto Geldriæ Comites, pro ſuis propinquis laborantes, partium diſſidentium ſtudium acuêre. Geldrus pro Arnoldo Iſenburgio Præpoſito Daventrienſi, Hollandus pro Theodorico patruo ſuo, fratre Balduini defuncti, è collegio Vltrajectino nitebatur. Et cùm uterque paribus ſuffragiis lectus videretur, & huic Cis-Iſalani, illi Trans-Iſalani diverſis ſtudiis adhærerent, uterque ab Imp. Henrico VI Suevo, Barbaroſſæ filio, ad Pontificem ire, & ejus arbitrio controverſiam permittere juſſi ſunt. Arnoldo autem, quem prætulerat Pontifex, Romæ extincto, & Theodorico, quem idem ſubſtituerat, in itinere morte abſumpto, Theodoricus alter tandem ſuffragiis Canonicorum eſt ſuffectus. Intereà verò Hollandiæ Comes Theodoricus ex Imperatoris decreto diœceſin adminiſtrabat. Quod ægris oculis aſpiciens Geldrus vicinus & æmulus, ac Hollandico nomini infenſus, quique Drentinis & cæteris animos contra Balduinum occultis ſtimulis ac auxiliis addiderat, id operam dedit ſedulò, ne ea adminiſtratio illi fructuoſa eſſet. Hinc bello inter Comites vicinos exorto, Geldrus copias nonnullas clam, Henrico Crano ductore in Friſiam Ciſflevanam, quæ Guilhelmo Hollando parebat, propterea, quòd is fratri auxilia præſtare putaretur, emiſit prædandi cauſâ. Sed hæ rejectæ fæliciter à Guilhelmo, nec Geldri nomen profeſſæ, ſine prædâ, ſed non ſine detrimento redière. Deinde bello hoc per inducias intercepto, Guilhelmus cùm ad fratrem fortè iret, qui Horſtæ in arce Vltrajectini agri tum morabatur, in itinere captus occultis fratris inſidiis in vincula detruſus eſt. Sed fæliciter ex iiſdem elapſus, cùm ſcelus fraternum omnes deteſtarentur, in Geldriam incolumis pervenit. A Geldris ad Ottonem Comitem deductus, ab Ottone ex militiâ Aſiaticâ jamdudum ſibi familiariùs noto in Friſiam remiſſus, magno gaudio, magnâ gratulatione ſuorum, quibus impensè carus erat, excipitur. Mox arctior inter eum Geldrumque conjunctiò ex hoc beneficio ſecuta. Nam anno proximo Guilhelmus filiam illius Adelheiden conjugem ſibi adſcivit, eaſque nuptias incredibili Friſiorum ſtudio, apparatu, & feſtivitate maximâ peregit apud Staveranos. Is fuit annus à Chriſto nato M.C.XCVIII. Inde in Oſterſeam arcem, quam ſibi dudum ſtruxerat in Sylveſtrium

Marginalia: M.C.XCVI. — M.C.XCVIII.

veſtrium agro, & locum domicilio delegerat, cum novâ nuptâ conceſſit. Poſt hæc Vltrajectinus epiſcopus Theodoricus magno ære alieno preſſus, ut aliquod pecuniæ ſubſidium ex precario tributo conficeret apud Friſios, Staveram venit, idque inconſulto Guilhelmo annixus eſt. Quâ re cognita Guilhelmus ſuorum expilationes ægrè ferens, celeriter iſtuc profectus, quod etiam monitus non deſtitiſſet, manus in eum injecit, eo conſilio ut Oſterſeam pertractum in cuſtodiam daret. Feciſſetque, ni nobilium & monachorum precibus exoratus, qui Pontificias diras metuebant, ſententiam mutaſſet. Ita increpitus, ne quid tale impoſterùm tentaret, epiſcopus domum miſſus eſt. Mortuo deinde ſine hærede maſculo Theodorico Hollandiæ Comite ad annum M. CC. III, M.CC.III filiam ejus unicam Ludovicus Lonius è Comitum ordine, vi raptam conjugem habuit, & Hollandiam dotalem armis occupavit. Guilhelmus verò è Friſiis coacto exercitu occupatorem Hollandiâ omni expulit, & neptem in libertatem aſſertam, imperium provinciæ, quoad in vivis fuit, habere permiſit. Sic exteri ſcriptores. Sed noſtrates cum Hollandis conſentientes aliter commemorant, quibus ego fidem potiùs adhibeo, filiam nempe Theodorici ex voluntate matris præproperè ſtatim à patris exceſſu Ludovico Lonio unà cum Hollandiæ imperio uxorem eſſe datam. Hanc rem indignè tuliſſe patruum Guilhelmum, initâque conſpiratione cum proceribus nonnullis ejus provinciæ, ac exercitu ex Friſiis præſertim conſcripto, cùm in Hollandiam duxiſſet, ad Leidam oppidum cum eo conflixiſſe, ac victoriâ potitum, neptem quoque ſuam Lonii uxorem cepiſſe, vinculiſque mancipaſſe. Sed Ludovicum à Theodorico Vltrajectino epiſcopo, quem memoria injuriæ Staverenſis Guilhelmo placatum eſſe non ſinebat, adjutum, inſtaurato exercitu, præclarâque victoriâ relatâ, æmulum, paulò antè victorem, Hollandiâ expuliſſe. Hunc rurſum recollectis in Selandiâ viribus quâdam viciſſitudine fortunæ Ludovicum ſuperatum ita contriviſſe, ut fugiens impoſterùm Hollandiâ abſtineret: Ita imperium Hollandiæ apud Guilhelmum permanſiſſe, eſſeque illi ab Imperatoribus confirmatum: Poſtremò cum Vltrajectino gratiam eidem quoque ſartam.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber Octavus.

INTEREA à morte Henrici VI Imp. quæ incidit in annum M.C.XCVIII, Pontificum Rom. aſtu bello civili Germania lacerata totos decem annos multas calamitates pertulit, dum alii Philippum Henrici defuncti fratrem, alii Ottonem IV Saxonem Henrici Leonis filium ſibi Imperatorem eligunt, ac tuentur. Quorum altero fraude clientis Bavari tandem cæſo, vix quadriennium qui ſupererat Otto imperium ſolus tenere potuit, quin Pontifex offenſus, à quo priùs in Philippum concitatus erat, novum excommunicato ei æmulum Fridericum II, Suevum Henrici VI filium, Siciliæ ac Neapolis regem, ſubſtitueret, cùm annus ageretur M. CC. XII. Qui cùm quintum jam M. CC. annum imperaret, decurrentibus ad finem induciis, quas Chriſtiani in Palæſtina XII. & Ægypto cum Saracenis fuerant pacti, Innocentius III Pontifex cœptum

à Cœleſtino negotium, de auxilio maturè ſubmittendo laborantibus in Aſiâ Chriſtianis, ut conficeret, omne ſibi ſtudium adhibendum putavit. Itaque omnibus Eccleſiaſticis proceribus atque abbatibus ex univerſâ ferè Europâ Romam evocatis ſub exitum anni M. C C. X I I I, re cum præſentibus deliberatâ & M. CC. XIII. conſtitutâ, exemplo anteceſſorum ſuorum non ſolum principes viros, regeſque vel coram vel per legatos ac litteras hortatus eſt, ad opem rebus labantibus ferendam, ſed etiam viros doctos paſſim dimiſit, qui concionibus populum ad ſacram militiam vocarent. Idemque fecêre primates atque archiepiſcopi ſinguli in diœceſibus ſuis. E quibus Colonienſis utebatur operâ Oliverii, hominis, (ut ea ferebant tempora,) cùm primis eruditi & facundi, ab ipſo Romano Pontifice ad hoc munus autorati. Is Friſiam ingreſſus anno Chriſti M. C C. M. CC. XIV. X I I I I, concionibus paſſim inſtitutis, præſertim in locis celebribus, commemorato laudabili & ſæpè repetito exemplo parentum (ſæpè enim eam militiam ſub prioribus ducibus poſt Bulionæum Friſii inierant) & Pontificiâ indulgentiâ prædicatâ, ingentem hominum turbam ad profitendam eam militiam, recepto crucis ſigno, concitavit, eoſque in annum tertium paratos eſſe juſſit: perſuaſit etiam, ut trunci cavati ac ferro communiti omnibus in fanis ponerentur, in quibus pecuniam in apparatum claſſis & reliquum belli totius uſum populus per omnes dies feſtos conferret: adhæc qui vicaria poteſtate fungerentur cruce ſignandi, ac dandæ delictorum veniæ ab abitu ſuo ex ordine ſacro, item his rebus qui præeſſent, apparatumque urgerent, ex ordine politico certos homines deſignavit autoritate pontificiâ. Eo vix è Friſiâ profecto, tumultus circum Amaſum exortus ea loca nonnihil turbavit. De quo mirum quàm parcè ac jejunè annales loquantur, non cauſis, non progreſſu, non exitu memorato. Qualia ferè ſunt quæ à monachis de rebus politicis annotantur. Tantùm recenſent Rodbernum quendam potentem hominem in Fivelingiis inimicitias hoſtiles exercuiſſe cum iis qui ad orientem ſunt Amaſo flumini, nixumque eſſe propinquorum opibus ac gratiâ, & in partibus habuiſſe ejus agri magiſtratus pleroſque: eâ de cauſâ orientales manu factâ repentè in Fivelingios ingruiſſe, aut injurias aut contumaciam Rodberni vindicaturos, ipſoque & amicis diffugientibus, domum ejus & generi & cognatorum incendio dediſſe: indè in magiſtratuum plerorumque ædes ſimiliter impetum feciſſe, iiſque ignem etiam injeciſſe, attonito & ſe non movente reliquo populo: idque factum reverentiâ judicum juratorum ad Vbſtalleſbomum. Quod mihi ſuſpicandi occaſionem ſuggerit, hanc orientalium manum auſpiciis horum judicum contumaciam aliquam Rodberni non parentis judicato ultum veniſſe, & hoc quoque in magiſtratibus ad commiſſum ejus conniventibus eſſe perſecutam. Conſtat quippe judices ejuſmodi toti juratos reip. Friſicæ ad Vbſtalleſbomum Auricano in agro ſtato ac ſolenni tempore ſacramentum dixiſſe, & maximis de rebus cognitionem habuiſſe, contumaceſque ex legibus armatâ manu ad obſequium adegiſſe, pœnaſque ſumpſiſſe. Et hos quidem eo ſæculo ex iis, qui cis Amaſum ſedes habebant, ut plurimùm eſſe electos, multa annalium verba videntur convincere. Quid porrò autem ſecutum ex his, quæ dixi, prorſus ſilentio annales prætereunt. Sed haud frigidè procedebat id, quod ab Oliverio inſtitutum ſcripſi. Quod cùm aliis quoque in gentibus fieret, paravit ſe ad eam militiam ingens hominum multitudo, fidemque penè ſuperans. Quorum pars maxima Venetiis, alii Brunduſio, Genuâ, aliiſque è portubus Italiæ ſolverunt. In iis eminebant ipſe rex Vngariæ Andreas, tum Cyprius, ac Hieroſolymitanus; Auſtriacus & Bavarus duces; Balduinus Flander, Ludovicus Sabaudus, Bonifacius Montisferratenſis, Henricus Nivernenſis, complureſque alii è procerum ordine. Communi verò decreto pars in Syriam, reliqui in Ægyptum curſum tenuerunt. Sed Germanorum nulli frequentiores, quàm ex Trivirenſi & Colonienſi provinciâ eam militiam tum petiſſe feruntur. In quibus Friſii concionibus Oliverii

excitati,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

excitati, & prodigiis quoque, ut ajunt, moniti, qui citra ultráque Amaſum habitabant, conſtructâ armataque claſſe ingentium navium, quibus coggonum nomen erat, per tot maris & ventorum diſcrimina pro nomine Chriſti Palæſtinam petituri primis diebus Maii anno poſt Chriſtum natum M. CC. M. CC.
XVII ſuis à littoribus ſolverunt. Præceſſerat verò eos claſſis alia ingens ducen- XVII.
tarum & duodecim omnis generis navium ex omni orâ maritimâ collecta, in quâ frater Guilhelmi Hollandi, Comeſque Wedanus & Mareſcallus Colonienſis cum omni exercitu è vicinis collecto provinciis vehebantur. Eam ventis aſpirantibus ſecundis in Britanniæ littoribus aſſecuti, eidem ſe conjunxere. Indè porrò omnes, claſſiariis legibus in portu Britannico latis, & ordine inſtituto, Hiſpaniam versùs navigarunt ſub Hollandi auſpiciis: jactatique tempeſtate poſtridie quàm ſolverant, rebus nonnullis unâque navi amiſſis, die demum quarto ad portum S. Matthæi eodem in littore delati, atque illic quiete aliquandiu actâ, ac rurſum velis vento datis aſpirante aquilone ſeptimâ luce ad Galliciæ oppidum Pharium præcelsâ turre conſpicuum haud procul Compoſtellâ appulere. Ex quo oppido Compoſtellam ſuperſtitionis causâ cùm contendiſſent itinere pedeſtri penè omnes, qui in claſſe erant, atque ad claſſem rediſſent, in Phario portu in nonum uſque diem, quòd venti eſſent adverſi, commorati, pòſt, ſpatium aliquod maris in eam, unde venerant, partem remenſi, novo portu appetito, repetitaque navigatione à quarto die poſt pericula & jactationes in littora prima Portugalliæ pervenêre. Inde rurſus poſt dies aliquot oſtium Tagi fluminis ſubiere ad urbem totius Portugalliæ maximam & celeberrimam Olyſipponem. Cujus urbis epiſcopus, concione ad exercitum in terram egreſſum habitâ, perſuadere conatus fuit multis rationibus, ut poſthabito itinere reliquo in debellandis Saracenis per Hiſpaniam (eam præter Saracenos veteres quartum antè annum Hilminolinus ejuſdem gentis rex cum infinitâ multitudine ex Africa profectus invaſerat, totamque depopulatus, fruſtrà iſtuc cruce ſignatis ab Innocentio miſſis, tandem conſpiratione regum Hiſpaniæ ingenti ſuperatus pugnâ intra terminos regni Bætici concluſus erat) vires conferrent ſuas, non minorem in promovendâ pietate Chriſtianâ facturi fructum, quàm ſi in Palæſtinam proficiſcerentur. Verùm cùm recuſaret major exercitus pars, antè omnes verò Friſii in Palæſtinam feſtinantes, cujus causâ domo egreſſi erant, lecto reliquo Luſitaniæ littore, ſacroque promontorio, quod Vincentii nunc vocant, ſuperato, ad portum civitatis S. Mariæ, quam Saraceni tum tenebant, ob ventos adverſos ancoris jactis, in terram deſcenderunt, & de invadendâ civitate conſilia inierunt. Sed alternantibus ſententiis ob civitatis maximas munitiones (erat quippe civitas craſſiſſimo muro, qui occurrentes in ſummitate ſui equites duos ob latitudinem ferre poſſet, & turribus eſſet inſtructus compluribus, in circuitu cincta, atque inſuper duabus à partibus aquis circumdata) Friſii velut numine perciti, dum cunctantur & diſceptant reliqui, ſublatis ſignis in hoſtem pro mœnibus ſtantem in armis irrumpunt, eoque in fugam ſtatim compulſo, unà cum fugientibus ad ipſa accurrunt mœnia. Ibi res accidit mira, ac memoratu digna. Nam cùm Saracenus conſpectus fortè eſſet per funem occultè de muro ſe dimittere, & telis concurrentium Friſiorum occubuiſſet, ſtatim Friſiorum unus animo & manu promptus præmiſſo in murum telo, ſignoque proximo correpto, per eundem funem audaciſſimo facinore in murum ſe ſublevavit, ſignumque ſublimi de turri ſuæ gentis extulit. Mox ad portam proximam feſtinans deturbatis, qui perculſi erant, vigilibus portaque patefactâ per tenebras noctis commilitones ſuos in oppidum recepit. Hi ingreſſi ad libitum ſuum oppidanos diripuerunt, ac primâ luce oppido incenſo cum opimâ prædâ ad naves rediêre, ſtupeſcentibus & collaudantibus omnibus reliquis ſociis. Hoc eventu terror ingens omnibus in eâ viciniâ

Saracenis injectus, adeò ut cùm claſſis eo ex portu ipſis Auguſti Calendis ſolveret, Bætiſque fluminis oſtio ſuperato poſtridie ad Rodenum oppidum cis Gades claſſiarii audentiores jam facti in littus deſcenderent, oppidani ſine morâ deſerto oppido in fugam iverint, omniaque diripienda & incendenda advenis reliquerint. At poſtero benè manè cum recollegiſſent ſe Saraceni, impetum dedêre in eos, qui prædæ ſtudio cum cæteris nondum ad naves ſe receperant: verùm cùm auxilia laborantibus Germanis ſubmiſſa è navibus eſſent, Saraceni iidem poſt variam prælii fortunam, cùm ſuos magno numero cadere cernerent, ſole jam ad occaſum vergente, conglobati inter ſe, ſublato ingenti tubarum clangore & ſtrepitu, velut ſumma vi in hoſtes impetum facturi vix tentato pugnæ diſcrimine in repentinam ac inexpectatam fugam ſe effuderunt. Germani omnes ad claſſem cum gaudio reverſi eâ ſe nocte ibidem in ancoris continuêre. Poſtridie levatis ancoris Gades petiere: & mox ex prioribus (ceu fit,) fiduciâ ſumptâ in inſulam exſcendentes, in ipſam urbem infeſtum agmen verterunt. Quo viſo Gaditani timore correpti, relictâ non minus munitâ quàm omni opum genere refertâ urbe ſuâ in deſerta & avia inſulæ loca ſe receperunt. Germani advenæ ſine certamine captam urbem in prædam verterunt luxuriantem ædificiis, ſupellectile, operibus publicis & privatis, hortorum & vinearum amœnitate: quæ auferre non poterant, quàm maximè vaſta fecerunt: imprimis fanum Mahometis ſuperbiſſimum, ingenio æquè ac ſumptu incredibili ſtructum, ad ſolum uſque ſunt demoliti. Quæ prædæ ac vaſtationi ſupererant, ea in ignem conjecêre, & onuſti ſpoliis ditibus & ſaturati ad claſſem rediêre. Tum velis ſublatis ad fauces freti Herculei cùm perveniſſent, in eurum incidêre vehementiùs è freto expirantem, ut ſiſtere curſum, noctemque in ancoris ſtare cogerentur. Ita vix toleratâ nocte cùm major quoque venti ſævitia exiſteret proras vertere, & unde venerant, iſtuc vela referre neceſſum habuerunt. Quo tempore omnia perpeſſi ſunt, quæ aſperrimâ in tempeſtate accidere navigantibus ſolent, diſperſique, ut cuivis commodum, euro ac pelago ſe permiſêre. Ex omnibus verò naves LXXXVI Bætis oſtium ingreſſæ, portum Hiſpalenſem ſubivêre, & in tertium uſque diem in eo conſtitêre, ventis exitum prohibentibus. In his Friſicæ erant omnes. Cæteræ, quæ aperto in mari manſerant, vento in contrarium verſo celeriùs ſe inſtituto curſui reddiderunt. Quæ verò Bætim ſubierant, mare repetentes non minùs penè vehementi zephyro, quàm priùs euro excepti ſunt, atque ejus flatu ſecundo per ſumma pericula & moleſtiſſimas maris jactationes celerrimè ad fretum delati, fretoque ſuperato, ad Ebuſſam inſulam curſu devio, atque inde Tortoſam urbem amplam Hiſpaniæ in oſtio Iberi ſitam pervolarunt. Illic flumen ſubeuntes terminum gentis Saracenicæ in illâ Hiſpaniæ orâ, non ſolùm à jactatione inſolitâ maris, ſed etiam potu dulcis aquæ, quâ caruerant ad dies aliquot, qui erant in navibus, ad biduum ſe in terrâ pacatâ refecêre. Indè repetito itinere, Tarraconâ, ad lævam relictâ, in portu Barchinonenſi ad diem IX Calend. Septemb. ſociorum ſuorum partem, qui ipſos anteverterant, & cum his ſtatim progreſſi, quamvis laſſis corporibus, poſt milliaria VIII in Fœliciani portu cæteros etiam incolumes invenêre. Hic omnes conjuncti rurſum Maſſiliam, Tolonum, aliaque loca in Gallia, deinde Nicæam, Savonam, Genuam, portum Veneris, Piſas, Ligurnum in Italiâ prætervecti demum Plumbimum in Hetruſco littore, ubi Populonia quondam fuit, appulêre: illic octiduo exacto, cùm ſperarent Meſſanam Siciliæ ſeſe ante hyemem pertingere poſſe, egreſſi portu, ſed mox in curſu rejecti, die VII Iduum Octobris in portum Centumcellarum ſe conferre ſunt coacti. Qui cùm capax eſſe non videretur claſsis totius, naves XVIII, quibus Friſii vehebantur, eo relicto, proximum portum Cornetanum, quem Marza fluvius efficit, in eodem Hetruriæ littore hybernandi gratiâ petivêre. Quarum vectores fide publicâ acceptâ Cornetum ingreſsi, oppidum perantiquum tribus à

littore

littore paſſuum millibus interiùs poſitum in colle, ſub ditione Pontificiâ peramicè à Cornetanis recepti ſunt: deinde ab ipſo Pontifice Honorio III tum ob gentis nomen, quod fortitudinis & pietatis laude ſingulari per ſe erat celebre, tum ob recentes in Hiſpania geſtas res, quas conſentiens fama virtuti Friſiorum præcipuè tribuebat, non ſolùm Cornetanis, ſed vicinis quoque civitatibus diligenter commendati, atque ita mirâ hoſpitalitate habiti ab omnibus toto hybernorum tempore. Dimiſſi verò ſolutis hybernis, quod fuit ad XII M CC.
Calend. April. adeò amicè atque honorificè, ut non peregrinos, ſed propinquos XVIII.
aut fratres ab Italis dimitti putares. Nam multis, qui eandem in militiam ibant, Cornetanis, Viterbienſibus, Tuſcanis, Senenſibus, Vetrallanis, Monsflaſconenſibus, Monſaltanis, aliiſque in naves ac fidem ſuam receptis, ab omnium ordinum, ætatum, ſexus hominibus è vicinis oppidis ſolenni pompâ, comitantibus militiæ vexillis ſuprà XL, ad littus deducti ſunt. Illic verò in coronâ totius multitudinis prætor Cornetanus nomine omnium verba faciens, quibus & ad conſtantiam in propoſito abeuntes hoſpites hortari, & fælicia iis omnia comprecari inſtituerat, ita de Friſiorum virtute ac fide diſſeruit, ut majore omninò cum honore ac admiratione omnium viderentur dimitti, quàm fuerant recepti. Cui orationi cùm reſpondiſſent ſe digna hoſpites, & vexillum quoque, ſignum poteſtatis in Italos unà navigantes, è manu ſenatoris Cornetani accepiſſent, inter comprecationes & lacrimas conſcenſis navibus in altum iêre. Sed cùm venti non aſpirarent, in portum Centumcellarum cum cæteris navibus ſociis, quæ eodem quoque tempore ſolverant, ſe recipere neceſſe habuerunt. Verùm eodem adhuc die, qui fuit ad VIII Calend. April. repetito denuò mari poſt Tyberina oſtia ad ſiniſtram relicta pelagus omne in latere Latii, Campaniæ, Lucaniæ, Brutii, Siciliæ continuato curſu emenſi, in inſulam haud procul Africâ diſſitam imprudentes delati ſunt; erroreque cognito per Genuenſes, quos illic fortè invenêre, in Aquilonem rurſum evecti, Melitâque primùm à dextris, deinde Pachyno Siciliæ promontorio à ſiniſtris relicto, tandem Syracuſas pervenêre pridie palmarum: atque inde à quatriduo rurſum ſolventes ſecundis, ſed vehementioribus quàm vellent, uſi ventis, & periculis gravibus jactati ſub littoribus Cretæ, diſperſique Candiæ demùm portum totius inſulæ commodiſſimum plerique tenuêre: iterumque pelagus repetentes proſperrimo curſu contra orientem Solem diu vecti, Cnido, Rhodo, Cypro ad lævam præteritis, poſtremò die ſeptimo (is erat VI Calend. Maii) Ptolemaida omnibus petitam votis in conſpectu habere cœperunt. Cujus in portum fæliciter ſubvecti, ſubſecutis, qui in pelago diſjecti fuerant, reliquum omnem Chriſtianorum exercitum cum Ioanne Hieroſolymorum rege, quem LXXX millia bellatorum habuiſſe autores memorant, eodem in portu paratum ad navigandum repererunt. Conſtitutum quippe militiæ principibus erat, Ægyptum petere, & ejus regionis cum primis amplam, copioſam, munitam urbem Damiatam, ſitam inter Nili oſtia non procul extremo littore, expugnare. Erat enim id velut clauſtrum Ægypti: quo in poteſtatem redacto, expeditum videbatur regias ipſas Saracenicas Babylonem & Cairum, urbes in Ægypto longè ampliſſimas & ditiſſimas, non ſolùm incurſionibus infeſtare liberis, ſed commeatu prohibendo obſidere, atque ad deditionem compellere. Quibus amiſſis, exiſtimabatur Sarecenus infractâ potentiâ non ſolùm Hieroſolymam non retinere, ſed ne locum quidem conſiſtendi in omni Palæſtinâ, Syriâ, Ægypto habere poſſe. Iſtuc itaque cum omni claſſe profecti cùm Nili oſtium ægrè ſubiiſſent, perſpectâ loci naturâ, obſervatâque occaſione in terram cœperunt ſe dimittere. In quo res accidit memorabilis. Nam Saracenorum equitum nonnulli ad eum locum cùm accurrerent, ut aut ſpecularentur res hoſtium, aut in deſcendendo impedimentum adferrent, eſſentque inter primos, qui hoſtilem terram caperent, Friſii ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

proxima ſemper pericula parati, ex his unus extra ſtationem procurrens, ac voce & geſtu velut per ludum vibrato haſtili adventantes provocans, quem proximum habuit, eum magnâ vi trajectum ex equo dejecit. Quo viſo, cæteri omnes perterriti nullâ re amplius tentatâ pedem retulêre. Sita fuit Damiata in Nili inſulâ oblongâ, quam Nili pars à præcipuo alveo derivata, & rurſum in eundem confluens, juſti amnis inſtar lata & navigabilis, efficiebat: urbem verò ipſa hæc Nili pars longo ſpatio alluebat, & triplex murium lateritius gradatim aſſurgens in ambitu cingebat, tam firmi operis ut ferè inſuperabilis eſſe videretur. Dein ſuburbium ingens in urbis latere hærens verſus littus, omnium rerum copiâ imprimiſque mercimoniis negotiatorum refertum, ad eundem quoque ſe alveum extendebat. Et id ſuburbium cæteris partibus inacceſſum turris prævalida atque ampla à parte amnis protegebat. Ea in inſulâ ſtabat admodum anguſtâ, & vix turri ſedem præbente, Nilo circumflua, minimum ab alterâ ripâ, quæ urbi & ſuburbio adverſa erat, diſſita, à quâ catena ferrea maximi ponderis, ad claudendum fluminis alveum ac portum, ad turrim alteram minorem è regione poſitam in fine ſuburbii pertinebat. Quæ niſi expugnata eſſet, non ſolùm ſuburbium capi non poterat, ſed difficillima quoque ipſius urbis oppugnatio futura videbatur. Quod ſciens Saracenus cùm iſtuc venturos exercitus Chriſtianorum accepiſſet, non minùs turrim hanc, quàm ipſam urbem firmo præſidio atque omni apparatu militari probè inſtruxerat. Quapropter ad eam invadendam occupandamque ex conſenſu omnium militiæ principum cuncta comparata, machinæ diverſi generis ſtructæ & admotæ, oppugnatio ſummo ſtudio atque animorum contentione tentata, magnoque & pertinaci labore, maximiſque periculis iterata ſæpiùs, & in vergentem uſque æſtatem extracta, non ſine crebrâ noſtrorum ſimul & hoſtium propugnantium ſtrage. Nec tamen profectum quicquam, cùm ea eſſet propugnaculi conditio propter ſitum in amne, qui ſuffoſſionem non patiebatur, totiuſque operis firmitatem ſingularem: ut contemnere omnem vim & oppugnationem poſſe videretur: adhæc ea fortitudo præſidii, ut nullo periculo, nullo labore ſe terreri frangique ſineret: nec impediri à Chriſtianis poſſet, quin integri feſſis aut ſauciis cæſiſque identidem ex civitate, noctu præſertim, ſubmitterentur. Et jam in eo penè res erat, confractâ fortè ingenti noſtrorum machinâ, & omnibus in eâ propugnatoribus aut eliſis, aut undâ hauſtis, aut membra variè contuſis, ut propter tot detrimenta & tantam unius turris occupandæ difficultatem militum animi conciderent, ac de totâ belli fortunâ deſperarent: cùm, ecce, Friſii & eorum ſocii ex provinciâ Colonienſi, tantum dedecus non ferentes, ad ſtruendas novas machinas, quibus capi turrem poſſe putarent, ſe principibus militiæ obtulerunt. Quorum voluntate ab omnibus collaudatâ, incitatâque præmiorum promiſſis, illi coggones duos maximos, quibus erant advecti, compingunt validè, ut una navis lata videretur, inque ambitu velut vallo quodam trabium communiunt: tum pinus quatuor craſſiſſimas in quadrum erectas ſtatuunt: in quarum ſummitate caſtellum ligneum extruunt, tabulis craſſis tranſverſum reticulato opere compactis, ad recipiendos cum armamentis & telis milites, texturâ ejuſmodi, quæ ad uſum pugnandi maximè idonea, & ad vim ferendam perfirma eſſet. Id caſtellum totum foris madidis tergoribus contectum ab injuriâ ignis tutum reddunt. His omnibus ſcalas addunt in fronte totius machinæ, ubi proræ erant, firmas, latas, acclives, XXX cubitûm ſupra reliquam molem inferiorem editas, quarum in capite pontes affixi erant leves, & ita aptati, ut verti ac moveri ex uſu, & aditum ad turrim ſupremam in certamine præbere poſſent. Hac ingenti machinâ turris faſtigium, in quo propugnatores conſiſtebant, invadere parabant. Eâ confectâ, alteram quoque inſtituunt hoc modo: coggonem tertium in circuitu firmo opere propugnaculis cingunt

contra

contra vim telorum: His pontem jungunt, quem mobilem extendere ad imam turrim, cùm opus eſſet, & evadere ad turris pedem poſſent. Malo etiam valido caſtellum exiguum aliquod, unde infeſtare propugnatores promptum eſſet, ſummâ parte affigunt. Id opus oppugnando turris oſtio, quod in imo erat, parabatur. Abſolutis, inſpectis, probatis operibus, quæ Itali etiam, gens invida peregrinorum laudibus, mirari ſe profitebantur, ob ingenium & firmitatem, Friſii & ſocii, ne aliis pericula ſtruxiſſe videri poſſent, ipſi immunes, ad certamen quoque ſe offerunt, & parant. Per præconem tamen, illis non invitis, ne aliis gloriam invidere ac præripere velle arguerentur, ex omni exercitu invitantur à principibus, ſi qui laudis parandæ cupidi cum Friſiis diſcrimen ſubire vellent. Deinde, qui audebant, (hi erant ferociſſimi ex omni exercitu) Friſiis & Teutonibus additi, ad IX Calend. Septemb. permagno ſtudio & expectatione exercitus, ſed labore ſuo & diſcrimine maximo, machinas ad turrim propellere adverſo flumine aggrediuntur. Nam Nilus inopino auctu illo fortè tempore tumidus & præceps quæcunque vehebat, ea deorſum magnâ vi abripiebat. Poſtremò ſuperatâ difficultate amnis, inter pericula ignis, quem arte Græcâ confectum Saraceni è turri eminùs comminùſque magnâ vi in accedentes conjiciebant, ad boreum turris latus machinam illam majorem, alteram diverſò in latere applicant, ancoriſque & funibus immobiles ambas contra vim fluminis ſtatuunt. Erat, ut dixi, ignis is, qui in machinas conjiciebatur, arte Græcâ confectus, pertinaciſſimè correpta urens, peneque inextinguibilis, contra quem pari ingenio noſtræ gentis juvenes affuſo aceto & madenti arena, ſimilibuſque rebus, intrepidi & ſummâ animi promptitudine pugnabant. Stabat totus exercitus rem ſpectans, ſollicitus, anxius, clamoribus, quibus ſolis poterat, ſuos juvans, juvenumque audaciâ penè ſtupens. Sacerdotum verò omnis ordo cum ſupremo præſule Patriarcha in terram proſtratus cœlum precibus fatigabat, auxiliumque divinum poſcebat. Quippe ſummo cum diſcrimine res momenti maximi agebatur. Nam cùm ſcalarum prominentium & acclivium capita cum pontibus ſuis (quos ita ſtruxerant, ut per eos, cùm navigia ipſa ob ſaxa, in quibus turris ſtabat, propiùs admoveri nequirent, in turrim ſupremam evadere poſſent) jam murum attingerent, Saraceni nonnullis rebus ad id paratis in faſtigio turris ignem injiciunt, flammamque ad rejiciendos oppugnatores terribilem excitant, turri ipsâ ob operis naturam immuni. Ad quam machinas quoque ſuas invadentem, id quod neceſſe erat, reſtinguendam magno ſtudio ac audaciâ cùm noſtri concurrerent, quod eo facto turris faſtigio à propugnatoribus, qui ſe intus receperant, deſerto potituros ſe ſperarent, propè cuncta in diſcrimen dedere. Nam nimio pondere iſtuc concurrentium preſſæ in capitibus ſcalarum machinæ acclives inclinari cœpêre luxatis quibuſdam, quarum vi inferius continebantur, ponticuluſque unus verſatilis confractus vexilliferum principis Auſtriæ cum proximis deorſum dedit. Cæteri ſuis tantùm reſtinguendis occupati, recipere ſe, ac machinas reducere coacti ſunt. Tum clamorem tollere Saraceni, qui hoc è locis tutis aſpectabant, victoriam conclamare noſtris velut victis & fugientibus inſultare: contrà exercitus Chriſtianus in littore ſtans gemere, dolere, in genua ſubſidere, in terram devolvi, auxilium in extremo caſu à Deo poſcere, Bartholomæo quoque, cujus in feſto res fortè agebatur, ſuperſtitione tunc uſitatâ, peculiaria vota facere. Denique qui in machinis erant, reſumptis viribus, inſtauratoque conatu, cùm jam flamma reſediſſet, ex caſtello alii, alii in ſcalas rurſum enixi, gladiis, contis, lanceis, omni denique telorum genere in ſuperficiem turris regreſſos præſidiarios non audaciâ minore quàm vi inceſſebant, & loco dejicere nitebantur. Poſtremò in turrim evaſere lætiſſimis acclamationibus totius exercitus. Sed in commilitionibus his duorum virtus eminuit, quorum nomina quoque eam ob cauſam me-

moriæ poſterorum prodita ſunt, Henrici Leodii in Eburonibus orti, & Haijonis Fivelingii propè Groningam in agro Friſico nati. Ex quibus ille clavâ militari armatus primus in muro ſtetiſſe dicitur, Haijo verò terribile inſtrumentum manu ferens ſolidò è ferro, quali ferè è ligno ad excutienda frumenta uti agricolæ ſolent, ſed extremâ parte juncturis compoſitum propè in catenæ formam, juvenis corpore & animo validus, deturbato primum ſignifero locum tuente, ita porrò rem geſſit in ſublimi ſtans, ut quò impetum vertebat, nemo hoſtium in turris faſtigio conſiſtere auderet. Omnes enim quos contingere flagello ſuo poterat, non proſternebat modò, ſed cerebro effuſo, aliiſve confractis membris, miſerabili mortis genere elidebat. Tanta vis viri flagellique fuit. Ita in turrim poſt Henricum evadens ſubmotis propugnatoribus, aſcenſum reliquis propè liberum fecit, locoque potitus eſt. Sed Saraceni, qui denuò ad interiora turris confugerant, ignem rurſum excitarunt, quo correpta ſuperiora, quæ è materiâ erant, ac flammam fundentia, recedere, tot fruſtrà exantlatis laboribus victores noſtros, ac in machinas ſe recipere coëgerunt. Intereà verò per pontes inferiores ad pedem turris commilitones cæteri cum armamentis utraque è machinâ progreſſi, ſummiſque connixi viribus, ut oſtium pertunderent, cùm metu eorum, qui è faſtigio conjectis telis hactenus ſe terruerunt impeditaque omnia fecerant, jam eſſent levati, demùm tant: vi agere cœperunt, ut præſidiarii deſperatâ defenſione colloquium peterent, & vitam incolumem pacti noſtris ſe tandem dederent. Ea res ingenti lætitia acceptâ à toto exercitu. ſuburbiique direptio ſtatim ſecuta: in quo tanta rerum omnium reperta copia, ut tot millium militum non ſolùm inopiam ſublevare, ſed animos quoque explere, & ad pericula reliqua ac labores audentiores facere potuerit. Tum celebrati laudibus commilitones omnes, qui rem geſſerant; ad cœlum verò ſublatus totius exercitus voce Friſius, qui faſtigio primùm potitus erat. Hinc propiùs jam admota Damiatæ obſidio, & aſſultus ad munitiones facti, Sultano maximo cum exercitu non procul indè trans flumen caſtra habente, & res Chriſtianorum obſervante. Atque hoc
M.CC. modo ad medium hyemis ſine memorabili re geſtâ perventum, cùm inopina
XIX. calamitas à Nilo ſuperveniens priorem exercitus noſtri fortunam & lætitiam inſigniter compreſſit. Fluvius quippe alieno anni tempore aſſurgens, euri boreæque flatu acceptis à mari aquis, ita intumuit, ut ripis ſuperatis in caſtra plano fortè loco collocata ſeſe effuderit, ſarcinaſque & commeatuum partem magnam corruperit. Hinc animus Sultano auctus: noſtris famis metu non parùm diminutus. Nam perſtabat tempeſtas fœda atque atrox, majoraque his, quæ intulerat, mala minitans. Quam ob rem, procurante Columnâ legato Pontificio, qui caſtra comitabatur, ad jejunia & preces totus converſus exercitus, Deique imploratum auxilium: Et ſecuta mox maris tranquillitas, & amnis intra ripas collectus. Sed erat una res, quæ & obſeſſos maximè levabat, & noſtrorum ſpem ac conatum morabatur, Sultanus, ut antè oſtendi, penè infinito cum exercitu paulò ſuperius ad Nili totius ripam tendens, intermedio inter eum & noſtros alveo illo, quem dixi è Nilo derivatum inſulam facere; quâ in inſulâ & Damiata erat, & noſtri caſtra ſua habebant. Nam Sultanus & militem & commeatum navigiis ſecundo alveo deſcendentibus ferè ſine periculo in urbem poterat immittere. Eumque in finem pontem navigiis inſtratum ad imam urbis regionem oppidani obſeſſi inſtituerant, atque ad latitudinem præcipui alvei in flumine extenderant, præſidioque impoſito muniverant. Sic enim efficiebant, ne noſtri amnem adverſum ſubeuntes aut impedire commeatum illum in urbem, aut eo latere periculum moleſtiamve creare ipſis poſſent. Quod cùm ægrè haberet omnem exercitum, & de hoc quoque obſtaculo amovendo ageretur, rurſum Friſii cum cæteris Teutonum præſtantiſſimi, & navalium rerum gnaris, ſibi eam novæ gloriæ materiam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſolvendi ſcilicet pontis provinciam ante alios popoſcerunt, collaudatique ob egregiam voluntatem à militiæ principibus conſcensâ nave minore, quâ ad turrim uſi fuerant, toto inſpectante exercitu, & audaciam admirante, pauci numero ad pontem vecti ſunt. Res erat ardua & ſtupore digna, cùm in ponte denſiſſima acies Saracenorum armata ſtaret, in quam exiguâ juvenum manu completum navigium unum vix magno labore contra amnem impulſum deferebatur. Sed horum juvenum ea virtus fuit, ut ſtratis cæſiſque, in quos primùm inciderant, alii qui proximè ſteterant, periculo perterriti cedere, ac impellere cæteros inciperent, longinquiores tantâ audaciâ attoniti, & ſuorum quoque cedentium trepidatione perculſi ſe in ripam, quà pons primus oppidi angulo cohærebat, effunderent, denique perturbatione ortâ, & metu omnes occupante, cuncti pontem desererent. Tum ſolutis quatuor navibus, quibus extrema & potiſſima pontis pars in alvei profundo inſtrata fuerat, totoque opere illo corrupto, ſub oculis utriuſque exercitus, interque clamores diverſos, navigiis etiam captivis ſecundo amne ſecum tractis, victores ad ſuos ſunt reverſi. Sic alterâ jam vice fortitudine eorundem flumen ad ipſam uſque urbem patefactum. Verùm cùm ne ſic quidem ſatis arctè obſideri urbs videretur, nec averti poſſet, quo minùs litteræ, milites, commeatus furtim ſecundo amne à Saraceno obſeſſis mitterentur, iſtuc conſilia referre noſtri cœpere, ut parte exercitus trans amnem traductâ, ſi poſſent, caſtra altera inter urbem & caſtra Sultani locarent, operibuſque firmis contra hoſtilem vim communirent. Quod ſi effectum dediſſent, nullam deinceps auxilii ſpem habere obſeſſos poſſe arbitrabantur. Eo decreto, & tranſportatâ militum parte ad capiendum idoneum locum, Saracenus de re certior factus, confeſtim veſano correptus timore, præter omnem rationem deſertis caſtris ſuis, impedimentiſque omnibus relictis, in fugam ſe dedit. Cujus agmine conſpecto, Chriſtianorum nonnulli ſpeculaturi, quid id rei eſſet, ad caſtrorum Barbaricorum viciniam celeriter pervolarunt, & cùm rem ipſam cognoſcent, celeriùs revolantes nuncianteſque ad invadenda deſerta caſtra, majorem exercitus partem cis flumen excitarunt. Tum verò omnigenâ prædâ Barbaricâ copioſiùs quàm priùs exſatiati milites, majore quoque quàm unquam antehac alacritate & promptitudine ad reliqua perſequenda ſeſe compararunt, caſtraque altera, quorum causâ flumen tranſierant, nemine prohibente, loco tuto fixerunt. Corradinus Sultani frater de his omnibus factus certior, qui in Palæſtinâ præſidebat, ſpe retinendæ Hieroſolymæ abjectâ, ſi Damiatâ noſtri potirentur, munitionibus omnibus atque ædificiis publicis, præter ſepulchrum Domini & arcem Davidis (quibus ob Armenios, Syrios, Æthiopas, Georgianos peperciſſe creditur) civitatem nudavit, peneque totam vaſtam fecit. Intereà noſtri claſſe quoque adhibitâ, & excitatis hic illic caſtellis & turribus urgere obſeſſos, & omnibus premere modis non ceſſarunt. Nec minùs fortiter reſtitere illi, confiſi munitionibus, præſidio, apparatu, denique auxiliis, ſi res cogeret, à Sultano adfuturis. Sultanus quippe majoribus quàm antè cum copiis, recollecto ex timore animo, redierat, & inter Babylonem Ægyptiam & Damiatam loco medio caſtra poſuerat. Indè porrò oſtentato auxilio, promiſſis & monitis, ut poterat, obſeſſorum animos ſuſtentabat. Veruntamen caſtris egredi pugnandi causâ, aut ad hoſtem propiùs accedere non fuit auſus, ne quidem prolectatus à noſtris, atque etiam conviciis provocatus. Spem quippe habebat in flumine; quod ſi intumeſceret vel paululùm ſupra juſtum modum per æſtatem, id quod contingere ſæpè noverat, confidebat ſine periculo & ſanguine ſuorum futurum, ut Chriſtiani ab aquis malè accepti obſidionem relinquere cogerentur. Quam ob cauſam Galli, qui in exercitu erant, contemptu Saracenicæ ignaviæ, aut quòd Sultani conſilium olfacere ſibi viderentur, idque antevertendum tempore putarent, diſſentientibus diſſuadentibuſque cæteris penè

omnibus ob ingens in re periculum, Ioanne tamen rege pudore magis quàm ratione, ne deſeruiſſe gentiles ſuos videri poſſet (Gallus quippe ipſe erat) in ſuas pertracto partes; ſecumque ducto, ad caſtra uſque Saracenica ſucceſſêre: deinde cùm prodiret nemo, ipſi caſtrorum oppugnationem minitari, & velut aſſultum ad vallum atque adſcenſum parare, paucitatem ſuam ultrò oſtentare, denique extremam hoſtibus ignaviam exprobrare. Quæ cùm modum excederent, & in aperto Gallorum paucitas eſſet, Saraceni tandem indignati, ſublato incredibili clamore (ut mos gentis) è caſtris erupêre, atque hanc temeritatem Gallicam inſigni clade corripuêre, occiſis & captis quàm plurimis è procerum quoque numero, & Ioanne rege igne Græco manus & faciem uſtulato. Ex quo tempore, quod fuit ad initium Iunii menſis, non auſi Chriſtiani
M.CC. XIX. non ſolùm in Sultanum quicquam movere, ſed vix ab aliquot ſeptimanis in obſeſſos aliquid apertâ vi tentare. Saracenus etiam, quamvis victor, quievit. Quod cùm obſeſſi animadverterent, atque ideò deditionem ei denunciarent, ni auxilia mitteret maturè, nec Nilus voto ac ſpei reſponderet, (nam intra modum ſolitum per Iulium & Auguſtum menſes excreverat) Sultanus, ut eſt à quibuſdam traditum, à fame tandem & peſte, de quâ acceperat, magis quàm ab hoſtili vi obſeſſis metuens, honeſtiſſimas noſtris conditiones obtulit, ſi vellent ab obſidione diſcedere: imprimis regnum totum Hieroſolymitanum cum urbe regiâ, & cruce Domini à patre ſuo iſtinc quondam avectâ ſe reſtituturum, detrimentum murorum urbis regiæ, cæterorumque ædificiorum deſtructorum nuper à fratre ſuo pecuniâ ſarturum, captivos omnes ſine pretio dimiſſurum, pacem Chriſtianis omnibus perpetuam daturum promiſit. Et hæc quidem probata ferunt à cæteris pleriſque, & maximè à Teutonibus ac Gallis, adeoque ab ipſo rege Ioanne; ſed reclamaſſe legatum Pontificium & Templarios cum nonnullis aliis, quibus plus in deditione Damiatæ, quàm in omnibus à Saraceno oblatis poſitum videbatur. Itaque continuata obſidio, atque itentidem oppugnatio diverſis in locis rurſum tentata. Verùm enimverò nec obſidio profeciſſet quicquam propter commeatuum copiam, nec oppugnatio propter munitionum firmitatem, niſi peſtis in oppido populariter graſſans ingentem præſidiariorum multitudinem, & maximam populi frequentiam ad ſolitudinem ferè redegiſſet, & qui cladi ſupererant, eorum quoque animos pavore ſtraviſſet. Quod malum cùm caſtra quoque noſtrorum cœpiſſet tentare vergente jam autumno, accidit poſt multos utrinque exantlatos labores & pericula, ut ab uno atque altero noſtrorum audaciùs ad mœnia uſque hoſtilia fortè progreſſis inſolitum ſilentium, ſolitudoque in portis ac ſtationibus ſint animadverſa. Eo porrò militiæ principibus celeriter renunciato, cohortes iſtuc ſine morâ quàm maximo ſilentio ductæ, ſcalæque muris admotæ: per quas cùm pauci primùm, deinde plures ſe in muros ſuſtuliſſent, & confoſſis, qui in ſtatione erant, perpaucis, clauſtra iidem obiceſque portarum revulſiſſent, mox integræ cohortes in urbem admiſſæ. Tum cæſi, qui ſtrepitu exciti occurrere, aut in publicum prodire ex Saracenis auſi, ſed haud magno numero. Nam mœſta & velut ſtupens mali magnitudine civitas hærebat: atque ita oppidum, inſpectante propè cum imperatore ſuo univerſo Saracenico exercitu, captum ad VI Non. Novemb. cùm annus ageretur à Chriſto in terris nato M.CC.XIX, menſe, à quo exercitus ei admotus, XVIII. Hinc ira victorum in miſericordiam & gemitus verſa, cùm captæ civitatis miſerabilis facies fuit ob oculos. Nam præterquam quos ferrum toto obſidionis tempore hauſerat, infinita mortalium multitudo lue enecta, quâ cum gravius quàm cum hominibus bellum fuerat, per fora, vicos, compita, domos, areas, denique omni loco inhumata jacebat, ſpectaculum quovis ſpectaculo fœdius, ac miſerius. Tum aëris odor tam teter & gravis, ut de deſerendâ civitate victores cogitare coacti ſint. Ex LXX millibus virorum, præter cæteros omnis

ætatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ætatis & ſexus, quos prima obſidio incluſerat, vix millia tria ſuperfuiſſe capto oppido, & horum magnam partem languentes è morbo, memoriæ proditum eſt. Sed capta cum urbe ingens opum vis, aurum, argentum, pretioſa ſupellex, merces infinitæ, quas Oriens & Occidens mittit. Ea militibus æquâ portione diviſa arbitrio ducum. Prædâ egeſtâ, præſidium, quantum ſatis fuit, portis & propugnaculis tuendis impoſitum; urbs purganda Saracenis ſuperſtitibus, atque in eum conſervatis finem commiſſa, exercitus in caſtra ac loca alia ſanitatis cauſâ reductus, ibique hyems acta in Calendas uſque Februarias. Tum exercitus idem in urbem mundatam miſſus, eumque ſolenni pompâ legatus Pontificius cum omni ſacro ordine luſtrabundus incenſis ubique cereis poſtridie ſubſecutus. Sultanus cùm captam urbem cognovit, incenſis caſtris ſuis, Cairum ſe recepit de omni propè fortunâ deſperans. Chriſtiani poſt partam tam illuſtrem victoriam velut feſſi & exhauſti labore anno proximo per Syriam, Palæſtinam, Ægyptum quievêre. Nec quicquam in M.CC.XX eos ab hoſte, quod memorari operæ pretium ſit, tentatum. Damiata à novis colonis hominibus Chriſtianis frequens habitari cœpta. Et erant omnium animi ſpe pleni, fore hoc gaudium cultoribus Chriſti diuturnum, adeoque majoris gaudii & fortunæ principium. Sed Pontificii legati, ſive Pelagii, ſive Columnæ, (variant enim ſcriptores) improba ac pudenda ambitio perbrevì id in mœrorem his ipſis vertit. Namque iſto, qui proximè hunc excepit, anno, M.CC.XXI autore hoc legato, qui univerſam belli adminiſtrationem, & imperium militare ſibi vendicabat, coactus fuit Ioannes rex vel invitus reclamanſque alieniſſimo anni tempore, æſtate ſcilicet mediâ, cum exercitu Sultanum perſequi. Quo facto, caſtriſque ad Cairum uſque promotis, id quod futurum præviderat, intumeſcente tum Nilo, & agrorum planitiem repentino influxu contegente, incidit ipſe & univerſus exercitus in inexplicabilem difficultatem, ex quâ eripere ſe nullo conſilio, nullà vi poſſe videbatur, aquis & maximis hoſtilibus copiis pariter circumventus, niſi cum hoſte conditionem offerente paciſceretur. Ita ad redimendum exercitum florentiſſimum, quod unum hoſtis præcipuè petebat, Damiata ei eſt reſtituta, & tot laborum, ſumptuum, periculorum fructus tam brevi momento unius conſilii perverſi errore, uniuſque hominis ambitu amiſſus. Oliverius, qui expeditionis hujus hiſtoriam litteris prodidit, non veretur ſcribere, ſibi videri, non aliam magis ob cauſam oppidum tam validum & munitum, & cui ad obſidionem quantumvis diuturnam tolerandam deeſſe nihil poterat, Chriſtianis maria tenentibus, tam ſubitò eſſe amiſſum, quàm quod nec in Deum ſatis pii, cujus beneficio tantam victoriam recens retulerant, nec in Teutonas & Friſios præſertim grati, qui bellum adminiſtrabant, fuiſſent. Quod ſanè ab Italorum, Gallorumque ingenio, qui virtuti alienæ invident, ſuæque laudis immodici prædicatores ſemper ſunt, haud abhorret.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber Nonus.

M. CC. XVI. INTEREA in Friſiâ non procul Groningâ, eo in agro qui præfecturâ ſuburbanâ continetur, ad annum Chriſti M. CC. XVI, perinde ac ſi priora ſuperſtitionibus non ſufficerent, novum cœnobium inſtitutum fuit autore Theodorico quodam ſacerdote Groningano, quod ex nomine loci, in quo conditum eſt, Eſſæum primò, deinde Ieſſæum nuncupatum: nunc prius nomen retinet. Inſtitutum hoc ab Ottone epiſcopo Vltrajectino è Lippienſium Comitum familiâ Bernardi filio præſente inſpectum, & confirmatum anno eodem. Sed tenuis in initio res paucos intra annos, cùm ſuperſtitio animos hominum vehementer occupatos teneret, plurimum incrementi cepit. Familia virginum Ciſtercienſis illic collocata, præſeſque collegio data abbatiſſæ titulo. Deinde anno M.CC.XIX, cùm jam in Palæſtinâ & Ægypto eſſet Chriſtianorum exercitus, ad diem XVII Calend. Februarii (is XVI Ianuarii Marcello ſacer eſt) cùm aliquot diebus continuis velut à fundo commovendo Oceano ſpiraſſet Africus, eoque ipſo, quem dixi, die non multò poſt ortum ſolis, levante ſe tum ſupra horizontem lunâ, inſurrexiſſet vehementiùs, ac grandine in homines & pecora deſæviret, aquas Oceani in omnem regionem Friſiæ maritimam cœpit infundere ab horâ XII uſque ad primas tenebras: tum verò pro Africo corus ſe commovens ſævior adhuc quàm Africus, & velut habenas furori effundens, cùm jam reſidere maris æſtum oportebat, lunâ ad horizontem occiduum deſcendente, tanto tumore idipſum ſublatum incitavit, ut ab eo primum momento æſtus ejus initium capere videretur, atque ita continuato incremento & influxu in terras per totam noctem, miſerabilem calamitatem, qualem jam nulla ferè ætas meminerat, univerſæ regioni depreſſæ induxit. Vidiſſes, ubi primùm illuxit, homines, armenta, greges, domus, ſtabula, fœni ſtraminiſque cumulos, ſupellectilem omnis generis, & quicquid non ſidit, in aquis paſſim fluitare; multos etiam mortales vitæ ſpe tecti, tabulati, ſeptis parte, aut lignis aliis, aut fœno, aut ſtramine, quæ fors in periculo dederat, tanquam naufragii tabulis vectari, multos arborum ſummitatibus hærere, aut cacuminibus majorum ædium, quæ violentiæ fluctuum non ceſſerant, inſidere: eos porrò, qui vehebantur, fluctu & ventis (nam cum ortu diei Africus rurſum repreſſo coro ſe commoverat, & cuncta in Septrentrionem impellebat) in mare abripi. Periiſſentque etiam ii omnes, reliquiæ magnæ ſtragis, niſi paulò pòſt (tanta erat ventorum inconſtantia) exortus aquilo quibuſdam ſaluti fuiſſet. At cùm Oceanus jam in locum ſuum rediſſet, tum demum apparuit miſeranda terræ facies, rapti disjectique omnes aggeres, vici cum incolis paſſim ſubmerſi, & fœdè vaſtati, domus convulſæ, ſupellex hic illic ſtrata, cœnobia, templaque cætera magno numero ſubverſa, armenta gregeſque abſorpti, hominum, ut tradunt quidam, ad C millia aquis enecta, omnia ruinis & cadaveribus oppleta. Ea porrò cauſa populo infælici fuit, ut relictis littoribus, quæ humilia ſunt omnia, in interiora, quæ modicè ſe tollunt, promiſcuè ferè

rurſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

rurſum commigraret. Diluvium id S. Marcelli vulgò dictum, quod, ut oſtendi, in diem ei martyri dicatum, principium ejus incidit: ſecuta eſt fames, & omnium penè rerum inopia. Quâ cum dum conflictabantur miſeri, ecce ad initium anni ſequentis circiter Epiphaniæ, eluvies aquarum alia ſuper- M.CC.XX
venit non minore vi quàm prior, ſed minore hominum & animantium ſtrage. Quippè pecudes adhuc raræ in omni regione, & homines cautiores malo priore, ut dixi, ad editiora ſe ſuaque tranſtulerant. Et tamen multa mortalium millia etiam ſic conſumpta feruntur, malaque malis cumulata. Quorum in medio, (quis credat?) Amaſanis vacavit factionibus atque armis inter ſe contendere, quæ jam ante has eluviones, cùm fælicitate luxuriarent, induerant. Tam pertinax venenum factionum, ubi ſemel animos invaſit, ut ne miſeriis quidem communibus atque extremis poni poſſit. Nec diſpar veſania Oſtergoæ partem agitavit in VViggero & Tiardo hominibus nobilibus diſſidentem, quorum alter vulgi ſtudio, alter audacium quorundam robore nitebatur. Sed aliud mirare, tunc quod accidit. Theodoricus Monaſterienſis epiſcopus, familiæ Iſenbergiæ, homo ambitioſus æquè ac avarus, & pietatem ſuſque deque habens, Ottoni Benthemio recens qui ſucceſſerat, exemplo credo VItrajectini, in eam Friſiæ partem venit, quæ Amaſo & Lavicâ clauditur, velut religionis ac viſendæ provinciæ ſtudio: quam cùm obiviſſet magnam ſecum trahens familiam, reditus Synodales ejus anni, ut ajunt annales, ab antiſtitibus & Eccleſiis popoſcit prætextu operæ, quam viſitationi impenderat. Sed in præſens quidem impetravit nihil: quid enim ab iis, quibus præter ſolum & cœlum penè nihil mare reliquerat? Verùm in aliud tempus ſe differre poſtulatum profeſſus iſtinc ab Amaſanos abiit, ut eorum diſſidia, ſi poſſet, autoritate componeret ſuâ, aut potiùs ut aliquid diſſidentibus novi oneris irrogaret. Atqui & hîc ut opera inanis, ſic vana ſpes ejus; nec poterat quos miſeriæ communes conciliare nequierant, ipſe ſtudio ſuo in concordiam redigere; quoſque diluvia expoliaverant, ab iis pecuniæ aliquid emungere. Iam diſceſſerat epiſcopus venator nullâ prædâ captâ, populuſque ſpe rerum meliorum fortunam ſuam ſuſtentabat. Sed ſucceſſit annus, qui ſpem penè cum re ſuſtulit. Nam ad VI Calend. Martias, cùm lunæ M.CC.XXI
conjuncta cum ſole incederet, corus rurſum ultra ſolitum ſæviens Oceanum in infælicem & omnibus exhauſtam bonis regionem immiſit, immiſſumque refluere non eſt paſſus, cùm flamina ipſe ſua non remitteret. Quî factum, ut ſolum ſalſedine penitùs infectum, alieno præſertim tempore, ac ſiccitate immodicâ ſtatim ſequente, omnem generandi vim amiſerit. Indè aucta fames in præſens, & majoris in futurum metus. Et quod omnium deterrimum fuit, ad XIV Calend. Octob. ſilente lunâ intumeſcens Oceanus in omnem ſe agrum littori proximum, nullis tum munitum aggeribus, nullâ ſatiatum pluviâ, hiantem & ſitientem, denuò diffundit, ſitimque ejus aquis explevit amariſſimis. Ad tot & tantas miſerias quid adderes? Addidit annus ſequens à cœlo & ſalo ſaltem terrores. Nam circiter Ianuarium furere iterùm venti cœ- M.CC.
pere, infami nimirum ex memoriâ priorum malorum tempore: & per Au- XXII.
guſtum menſem terribilis cometa ad Septentrionem ſpectandum ſeſe præbuit, velut calamitatum novarum inviſus nuncius. Anni quoque tenuis ſpes intemperie aëris prorſus everſa. Et tamen inter hæc parum admodum abfuit, quin Fivelingii etiam & Huneſgonij inter Amaſum & Lavicam ſoluto, quod antiquitùs inter ſe habebant, fœdere, ad bellum inteſtinum provolarent, culpâ potiſſimùm Epponis Rembadæ Monemavvaldici inter Fivelingios gratiâ & opibus præcipui. Hic enim Huneſgonio homini cùm contumeliam cum injuriâ inſignem irrogaſſet operâ aliorum, fruſtraque hoc nomine poſtulatus eſſet apud judices Fivelingios, Huneſgonij coitione factâ, qui læſi caſum dolebant, ad diem II Non. Auguſti impreſſione in Fivelgoniam factâ Epponis

domum concremarunt, & occurrere ac defenſare auſos interemêre. Eâ re patratâ, & Fivelingiis ad vindictam paratis, uterque populus armorum civilium metu artus jam contraxerat; cùm viri graves & pacis amantes ſeſe interponentes conſilio & authoritate ſuâ jam emicantem flammam, maximaque minitantem mala oppreſsêre. Sic fœdus his populis continuatum. At per eam regionem, quæ cis Amaſum eſt, cohiberi erinnys non potuit. Ex Amaſanis nempe tumultibus diſſenſio Nordanos & Broecmerios corripuit. Ea hoc anno in bellum ſociale erupit acerbiſſimum: in quo Broecmerii Amaſanos primum, deinde Harlingios ſibi ſocios adſcivêre. Conflictus facti ſæpè, & multum ſanguinis utrinque fuſum: Viſi diu fortunâ ſuperare Nordani: &, quod mirum, ipſi ſoli contra ſocios & multos & validos. Pertinax partium odium, & ex odio bellum, utpote quod totos undecim annos finem invenire non potuerit. Sed maligni annales velut notâ de re punctim quædam annotantes, præteritis rerum circumſtantiis, oppidò incertos nos, ut ſæpè, ſic hîc quoque relinquunt. Sunt autores, qui tradant, cùm omnium hominum mentes in his miſeriis velut attonitæ ſtuperent, vulgò perſuaſum fuiſſe, ob cruſtulas miſſaticas petulanter è pyxide effuſas ab homine temulento eam pœnam Friſiæ irrogatam: idque à virgine Mariâ matronæ cuidam ſignificatum: tum demum nefas eſſe expiatum. Hæ verò toties repetitæ maris exundationes paucos intra annos quemadmodum vix reſpirandi facultatem indigenis, aggereſque inſtaurandi dedêre, ita maximam cùm alibi, tùm in eâ parte, quæ Lavicæ ad occidentem eſt, Friſiorum regioni mutationem, aut ſaltem mutationis principia attulêre. Nam ut permulta retrò ſæcula, ſic iſto adhuc tempore, quo Guilhelmus primus ejus nominis Hollandiæ Comes imperium Friſiæ uſque in Lavicam amnem tenebat, Friſiæque illa pars, compreſſis domi factionibus, autoritate amiciſſimi principis in omni fælicitatis genere florere videbatur antè has Oceani eluviones, alia prorſus regionis ejus facies fuit, quàm quæ ſecuta deinceps ad noſtra uſque tempora permanet. Etenim quondam inſulæ littoribus objectæ, quæ arenarum collibus mare ſubmovent, multò quàm hodie propiores continenti, aut etiam contiguæ fuerunt: Sed ſolum id medium depreſſum paluſtréve, & ſtagnis, rivis, paludibus diviſum: Inſulæ quoque pleræque inter ſe contiguæ, ubi fluminum oſtiis non dirimebantur. Deinde Oceani vi in terras influentis, oppreſsis humilioribus longiùs eædem à continenti ſubmotæ, & vada aperta diversâ latitudine. Eo verò ſæculo, de quo agimus, marini fluctus ex adverſo oſtii, quod inter Amalandiam & Scellingam patet, à Septentrionibus terris ſe inſinuantes ad Minnerſgaum, Berlecomum, Betgumum vicos, & Leoardiam, Wirdumum, Rardam, Boſumum, Goutumum alluentes obliquo meatu, Bolſverdiamque penè pervenientes ſinum ſatis latum efficiebant, quo VVeſtergoi ab Oſtergois, qui nunc continuis agris ubique cohærent, longo ſpatio à primo ingreſſu dirimebantur: Appellabantque vulgò hunc ſinum Friſii mare medium. Nec Lavicæ oſtium quamvis profundo, & haud parvis claſsibus navigabili alveo, tamen tam latis aquis, ut hodie, eâ ætate patebat. At verò contrariâ ratione verſùs occaſum, multum terrarum erat, ubi jam vaſtum pelagus ſe fundit. Iſala namque, qui per Druſianam foſſam à Rheno aquas accipit, ac in Oceanum defert, non, uti nunc, ad Campos oppidum ſtatim in ſinum illum vaſtum, quem Auſtrinum mare vocant, ſe effundebat, nomenque & ripas perdebat ſuas, ſed alveo aliquandiu uno ſervato per medios agros, Vidroque recepto, ubi Cuneram prætervectus erat, in plures ſe partes ſcindebat, quarum maxima in ſinum Auſtralem ſiniſtrorſum, cæteræ per agrum Friſicum ferebantur. In his verò quæ potiſsima erat, & nomen retinebat, Slotam, deinde Staveram alluens illic tandem in Flevum è lacubus effuſum exibat, nomenque ſuum cum nomine ejus permutabat, donec Oceano ad Texelam miſceretur. Aliud etiam brachium dextrorſum Weſtergoæ ſe inſinuans lacum efficiebat, ubi nunc vicus & ager Niclan-

Nielandicus ad Bolſverdiam eſt, è quo breviſſimo rivo rurſum in mare illud medium, de quo dixi, ſe ejiciebat. Flevus autem olim amplior, tum rivi modum eo loco, qui inter Enchuſam & Staveram medius eſt, non multum excedebat. Reliqua campi aut nemora tenebant, quorum dominos maximâ ex parte Galamæos nobiles fuiſſe memoriæ proditum eſt. Erat verò tum hæc eorum locorum fortuna, ut nuſquam toto eo littore vehementiùs, quàm in mare illud medium Oceani fluctus ſe incitarent. Itaque accidebat, ut cùm diluvia ingentia crebraque regioni incumberent, aggerum, qui illis objiciebantur, quotannis reparandorum perquàm difficilis eſſet ratio. Hinc porrò uſu veniebat, ut quos diluvia facultatibus exuerant, aut alioqui in re tenui erant, uti ſufficere ſumptibus ac laboribus non poſſent lege patriâ, agros deſerere, atque aliis relinquere cogerentur. Eos verò agros collegia monaſtica, quòd multitudine otioſorum hominum tum maximè abundabant (nam trecenta, quadringenta, quingenta, ſexcénta capita habuiſſe ſingula feruntur) unà cum aggerum curâ, ſecundiſſimâ omnium voluntate, ſibi vendicabant. A quibus cùm valido opere excitati eſſent aggeres ad æſtus marinos avertendos, foſſaque latior & altior ad exonerandas aquas haud multò pòſt à Ludingkerkiis deprimeretur inter Scellingiam & Flevolandiam, inſulas ad id uſque tempus continuis collibus conjuctas, adderenturque rivi effoſſi, qui aquam iſtuc deferrent, complures, paulatim etiam fluctus aliò verti, maximeq; eam in partem, quæ inter Medenblicum & Staveram porrecta Flevo flumine exiguo dividebatur, impetum facere cœperunt, demumque ſubverſis ac oppreſſis terris latiſſimum ſibi ſinum aperuerunt. Eo pacto & monachis ingens agri modus accrevit, & limus quotidiano maris æſtu invectus in vada, mediterranea primùm, quæ intima ſunt, explevit, deinde & cætera pedetentim ad agri altitudinem extulit, poſtremò pulcherrimum illud æquor, ac fœcunditate inclitum, ei Friſiæ parti adjecit, quod Biltam poſteri nuncupant. Neque dubium apud me, quin ad eadem hæc tempora pertineant, eaſdemque eluviones, quæ rapſodi nonnulli, ſi modò vera ſunt, ex vetuſto cœnobii Doccumani codice deſumpta ad decimum ab hoc annum inſcitè referunt, nullo memorabili diluvio, quod ſatis conſtat, infamem; Eſonſtadium ſcilicet, non vile ad id uſque tempus oppidum ad Lavicam flumen, convulſis aquarum vi omnibus ædificiis, tum penitùs interiiſſe: Cammingaburgum, Britſemburgum, compluresque alias familiarum nobilium arces, præſertim mari medio vicinas eſſe disjectas: paluſtres quoque terras tempeſtate ac fluctibus advectas, oppreſſis arboribus & domibus, agro Friſico inſediſſe: poſtremò oppidulum frequens in Sylveſtrium & Oſtergoorum finibus percommodo loco ſitum, Wardenæ nomine, everſum, agrumque ejus omnem fœcunditate præſtantem, aquarum derivationibus obſtructis, corruptum penitùs, illud in viliſſimi vici, hunc in paludum inviarum formam abiiſſe. Quorum omnium fidem ego autoribus tuendam relinquo. Temporis certè notati vanitatem ſcriptor ejus ſæculi æqualis antiſtes Werumanus primus ſatis evidenter coarguit, qui, ad diluvia quæ pertinent, diligentiſſimè poſterorum memoriæ commendavit. Reſtitutâ Saracenis in Ægypto (ut iſtuc revertamur) Damiatâ, & octennii induciis cum Sultano compoſitis Ioannes Hieroſolymæ rex, ut maturè ſibi de novis auxiliis proſpiceret, anno poſtero, qui fuit M. CC. XXII, in Italiam profectus, compellato Romæ Pontifice Honorio, precibus cum eo egit, ut Imperatorem Fridericum anathemate ſolutum ad ſuſcipiendam in Saracenos expeditionem extimularet. Quo impetrato, Imperatori filiam unicam Iolen, aſſignato in dotem omni jure quod in regnum Hieroſolymitanum habebat, deſpondit. Nuptiæ biennio poſt Romæ confectæ. Honorius autem mox ab adventu regis litteras dat in Germaniam, & quid à rege acceperit, quæ fortuna Chriſtianorum in Oriente ſit, edocet, auxiliaque rogat. Deinde Conradum Cardinalem Epiſcopum Portuenſem legatum cum amplis mandatis

M.CC. XXII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

mandatis eôdem mittit, qui & oratione,& delictorum veniâ propoſitâ ad arma
pro recuperandâ Hieroſolymâ Germanos exſuſcitet. Is Germaniam ingreſ-
ſus dum per Sueviam, Franconiam, Alſatiam, ac loca vicina negotium hoc
agit, præmiſſis litteris ad certum diem proceribus & cæteris ordinibus in
Germaniâ inferiore conventum indicit Coloniæ. Quò priuſquàm accederet,
jam Oliverius is ipſe, qui priùs eſt nobis memoratus, in Friſiam rediit ex aqua-
rum ac tempeſtatum clade vix tum caput erigere incipientem, & Groningam
M. CC. primùm ingreſſus circiter Idus Maii, anno M. CC. XXIIII, mortuo jam Guilhel-
XXIIII. mo Hollando, per biduum ſecundiſſimo populo concionibus habitis, inde
Bedumum uno ab urbe milliari vicum amplum, Bedumo porrò Winſumum
vicum alium conceſſit. Hinc Fivelingios adiens Loppershemi, Farmſumi,
Menternæ, quæ loca illic ſunt celebriora, vicanorum vicinorum conventus ha-
buit. Ex Fivelingiis porrò ad Reidanos, ab his ad Amaſanos, & cæteros ab
eâ Amaſi parte tranſiit, ut hos quoque inter ſe reconciliatos (arma enim non-
dum poſuerant) frequentes in Saracenos mitteret. Sed re fruſtrà tentatâ, con-
cionibus apud Vttumanos & Huſanos, quanquam frequenti in concurſu po-
puli, ſine fructu inſtitutis (partium enim duces obnitebantur) in Fivelgoniam
trajecto Amaſo rediit. Illic apud Huſingios plebe advocatâ, cùm judices edidiſ-
ſet quatuor, qui ſummæ rerum ad hoc negotium pertinentium ſe abſente præ-
eſſent, non ſolùm per agrum omnem Friſiæ, quæ Monaſterienſis diœceſeos eſt,
ſed in oppido quoque Groningano, autoritatemque velut à Pontifice habe-
rent diſſidia ac tumultus componendi, lites cruce ſignatorum cognoſcendi,
rebus omnibus ordinem dandi, (id autoritate Pontificiâ, à quo mandatum ac-
ceperat, faciebat) ad hæc ſacerdotibus præcepta dediſſet de concionum, vica-
riæ poteſtatis, cruce ſignandi, indulgentiarum, feſtarum pomparum, poſtremò
æris colligendi ratione & modo, diſceſſit Coloniam iturus in occurſum legati
Pontificii, qui ad exitum Iunii eâ in urbe ſe adfuturum ſignificaverat. Verùm
vixdum Coloniam ingreſſus Oliverius, ne quis languor populi animis ſe abſen-
te obreperet, litteras ſtatim ad eundem dedit, quarum hæc ſententia: Thurin-
giæ Lantgravium principem præpotentem, Vngari regis generum, Comiteſ-
que decem, ac nobilitatis Germanicæ maximum numerum, plebeioſque ſine
numero nomina ſacræ militiæ dediſſe: adhæc Danos cum maritimis Bremen-
ſis & Colonienſis provinciæ claſſem inſtruere, navaleſque copias: monere igi-
tur, in hoc ſtudium impendant, ut & ipſi naves ſuas ad ſtatutum tempus cum
omni apparatu expeditas habeant: addit poſtremò ad excitandos plebis ani-
mos, Fridericum Imp. in Siciliâ victoriam recentem de Saracenis iſtius inſulæ
eſſe conſecutum. Et circiter idem tempus pro antiſtite Werumano Emone
ad Præmonſtratenſe collegium mittens litteras ita ſcripſit: diligere ſe meritò
gentem Friſiorum, utpote in fide ſtabilem, in armis ſtrenuam, & denuò nunc
ſe parantem ad ferendam opem terræ ſanctæ, armatis non ſolùm ingentibus
bellatorum fortium copiis, ſed claſſe quoque non minùs ad expeditionis ſuc-
ceſſum neceſſariâ quàm utili inſtructâ. Quæ litteræ ne perferri quidem rectè
potuerunt, quò mittebantur, cùm ipſe ſalutato tantùm Portuenſe, qui con-
ventum differebat ob adventum Imperatoris, qui expectabatur, itineri ſe in
Friſiam reddidit, præterque expectationem hominum ad IIII Idus Iulias in
ſuggeſto viſus eſt Groningæ: atque iſtinc ad Fredowaldios, Suderhuſanos,
Doccumanos concionabundus adiit, & nuſquam non cum gratiâ eſt auditus:
lis quoque, de quâ dixi, in eâ Oſtergoæ parte inter Wiggerum & Tiardum ar-
bitrio ipſius permiſſa: cujus cauſâ cognitâ Wardenam, ultraque ad Sylveſtrium
proximos perrexit. Inde jam curſum reflectens, atque in Amaſanam feſtinans
(iſtuc enim crebres litteris & nunciis tum evocabatur) arbitrio, de quo dixi, in
hoc tranſitu pronunciato res ei accidit inopina & indigna. Nam Tjardus in-
ſequens eum, cui pronunciatum diſplicebat, ac præter benevolentiam nihil
præ

præ ſe ferens, ſimulato colloqui deſiderio, à turbâ pauliſper ipſum abduxit, & inopino impetu in comitem ejus aſſiſtentem proximè hominem Middelſtumanum irruit, percuſſumque enſe interemit, attonito & trepido ipſo oratore, totoque comitatu ejus, qui inermis erat, ſtupente: latro cum ſuis (nam ſtipatus advenerat) celeriter in tutum ſe recepit. Factum id VI Calend. Auguſti. Oliverius ad Amaſanos progreſſus, & inducias iis conſtituit, & militiæ ſacræ quàm plurimos illic autoravit. Sed & litteræ eo tempore in Friſiam ab Imperatore Friderico, & Pontifice Honorio ſeorſim per nuncios ipſorum miſſæ, conſilio Ioannis Hieroſolymitani regis. Quibus litteris exemplo majorum, & eorum, quæ ipſi nuper ſummâ cum laude in hac publicâ pietatis cauſâ patraverant, ad repetendum idem decus præ cæteris Germaniæ populis, quæ tota jam in hoc bellum exardeſceret, Friſii ſunt ſtimulati. Intereà Herdericus quidam cœnobii Sciltwoldici præfectus, vir nequiſſimi ingenii, miniſtrum ſeſe iniquitatis alienæ, cupidinis ſcilicet epiſcopi Monaſterienſis, præbebat. In quo cùm ab Emone Werumano antiſtite reprehenderetur, adeò tulit ægrè, ut re ad Monaſterienſem relatâ per mendacia & calumnias epiſcopalem ejus apicem contra Werumanum concitaret: Monaſterienſis delatum ad tribunal ſuum evocaret, procuratoreſque negotiorum ſuorum in Friſiam mitteret: decanos Loppershemium, Farmſumanum, Middelſtumanum in partes ſuas minis & promiſſis traheret: Werumano neceſſitatem imponeret collegium Colonienſe, & pontificem appellandi, ſeque coitione cum aliis ejuſdem ordinis Præmonſtratenſis factâ contra vim epiſcopi, & procuratorum ejus muniendi. Vnde factio in clero acerbis aliquandiu agitata odiis, interventuque magiſtratuum & populi, quibus violentia Monaſterienſium diſplicebat, malè coïens, rurſumque violentiùs ac nequiùs quàm priùs diſſiliens ſcelere ejuſdem Herderici in gravem & periculoſum tumultum prorupit, in quo fanum & cæteræ domus Schildtwoldicæ ab indignante populo incenſæ conflagrarunt. Atque hæc omnia antè exitum anni M. CC. XXIV acta. Cujus extremæ partes poſt Idus Novembr. glaciali frigore horridæ, ut & primæ anni ſequentis ad medium uſque Martium: deinde à Paſchatos toto octiduo eurus vehementiùs ſolito ſpirans, & nubes cogens ipſis Nonis April. denſiſſimam nivem fudit; quæ ſecum ſum- M. CC.
mam annonæ difficultatem, & luem pecorum traxerunt. In his malis rurſum XXV.
in Fivelingiam venit Theodoricus epiſcopus Manaſterienſis, & antiſtitem Werumanum Emonem ejus collegij autorem rex præpoſito abbatem declarat ad XX Calend. Maij, cæteraque controverſa cum eo componit. Deinde Farmſumum profectus convocato illic ſacerdotum cœtu, raptimque ſalutato, ad Werumanos properè reverſus adhibito ſummo ſtudio vix tandem Schildtwoldicum potuit, quod in votis habebat, conditionibus commodis iratæ plebi vicinæ conciliare. In conciliatione plebs recepit, præpoſito ſe M. DC, marcas ad ſarciendum incendii detrimentum, epiſcopo DCCCC marcas ob violatam religionem ſolutaram: præpoſito ſilentium perpetuum de fano parochiano, in quod ſibi jus vendicaverat, & cæteris omnibus impoſitum in perpetuum. Hæc pacta probata ſunt pridie Calend. Iunii. Atque ita epiſcopus domum reverſus non multò pòſt in crimen incidit, quod eum abſumpſit. Nam Engelbertus Colonienſis præſul, cùm eo fortè tempore Moguntiam ad conventum Ordinum Imperii à Portuenſe legato Pontificio petitum iturus Suſatum iter haberet, in ſylva ab epiſcopi hujus fratre imaniter occiſus eſt; ejuſque concepti facinoris conſcius, & conſilii dux habitus eſt ipſe epiſcopus, ut & frater præſul Oſnaburgenſis. Quam ob cauſam rei ambo facti, die Leodii dictâ in maximo præſulum & antiſtitum cœtu, quem hujus rei gratiâ Portuenſis iſtuc convocaverat, cùm inchoatæ actioni ſe ſubducerent, ſuſpenſi ab officio ſunt judicio totius concilii, adminiſtratoreſque diœceſeon ipſis ſubſtituti: dein Romam profecti ad Pontificem, ab eo quoque ſunt ordine moti. Quo dolore Mona-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſterienſis contabeſcens, priuſquàm redimere gratiam Pontificis poſſet, in rea-
tu vitam finiit. Succeſſit ei Ludolfus. Inter quæ diſſenſio orta Groningæ ſic
convaluit paulatim, ut bellum tandem dederit civile. Cauſa eadem, quæ
olim quoque civitati magno malo fuit. Erat tum pro epiſcopo Vltrajecti-
no præfectus civitatis Egbertus Gronenbergius, prioris Egberti nepos, vir acer,
qui Supperochiis extinctis aut ejectis (id enim non ſatis conſtat) avi locum re-
cuperaverat. Ab hoc Rudolfus Coverdiam Drentiamque eodem pro epiſcopo
gubernans præfecturam oppidanam agnationis jure ad ſe devolutam, repetitâ
veteri lite, repoſcebat. Et is fautores in oppido habebat plurimos: in quibus
Gelekingii eminebant opibus & autoritate inter cives præcipui, adeò ut no-
men partibus darent. Quorum lis cùm eouſque incenſa verbis & factis eſſet, ut
jam ad arma & cædes prorsùs ſpectare videretur, interventu tamen atque
arbitrio Ottonis epiſcopi, qui celeriter accurrerat, compoſita, citrà arma pau-
liſper conquievit. Verùm cùm is Vltrajectum rediſſet, Rudolfus, quem quie-
tis ac compoſitionis factæ pœnitebat, confectâ è promptiſſimis Drentinorum
manu validâ, captâque & everſâ apud Hammenſes Egberti æmuli ſui arce,
Groningam feſtinus venit, confeſtimque factionis ſuæ ſtudio, quæ potens in
plebe erat, receptus, Egbertum oppido relicto fugâ ſibi conſulere coëgit. Hic
ad Friſios vicinos veteres amicos ſe contulit, juventuteque eorum maximè per
Huneſgoniam & Fivelingiam armatâ, in oppidanos ac Rudolfum duxit, nec
antè oppugnare oppidum deſiit, quàm hoſtis defenſione deſperatâ ad XI Ca-
M.CC. lend. Maii profugeret, Coverdiamque cum ſuis ſe reciperet. Friſii vi potiti op-
XXVII. pido, atque in plebem ſeditioſam ab Egberto incitati, cuncta diripuêre, direptis
ignem injecere: qui adeò latè graſſatus eſt, ut paucis domibus demptis cætera,
quæ incendio corrumpi poterant, toto oppido in cinerem abierint. Id ſtultitiæ
ſuæ præmium improvida ac mobilis plebs tulit. His adminiſtratis Egbertus, ut
in poteſtate civitatem propè vacuam & mœſtam retineret, arcemque non in
oppidanos minùs haberet, quàm in hoſtes externos, fanum Walburgis rurſum
munit, reliquaque ad defenſionem oppidi parat, non dubitans, quin hoſtis ma-
joribus collectis copiis eſſet in ſe rediturus. Nec eum expectatio fefellit. Rudol-
fus enim quàm potuit ocyſſimè omni propè Drentiâ armatâ, & ad oppidum
ductâ, nihil eorum intermiſit quæ ad celerrimam expugnationem pertinere vi-
derentur. Verùm cùm acerrimè ab Egberto ac ſociis Friſiis reſiſteretur, minùs
quàm ſpe cõceperat, efficere potuit: neceſſeq; habuit diutiùs ad mœnia hærere.
Intereà Otto epiſcopus clientis ſui tantam audaciam ferendam non putans, à
præſulibus aliis ac principibus vicinis opem rogat, oſtenditque injuriam hanc
ad ſe, exemplum ad omnes pertinere: pœnam unius multorum ſeditioſis animis
comprimendis, quæ paſſim ſimilia conſilia coquant, impunitatem irritamento
ad eadem, aut majora etiam audenda eſſe futuram. Auxilio impetrato, quan-
tum ſatis erat (nec enim abs re ea dici principes exiſtimabant) omnique robo-
re exercitus ſui, quem ex diœceſi confecerat, contracto, in Drentiam ducit Ru-
dolfo obſequentem. Eum præter complures viros nobiles & illuſtribus familiis
natos, Geldriæ quoque Comes ipſe cum non contemnendâ manu comitatur:
Caſtra idoneo loco ad Anenim vicum metantur: hoſtem oppidi obſidioni
inhærentem invadere conſtituunt. Verùm Rudolfus viribus ſuis diffiſus, cogni-
to adventu eorum, & copiarum magnitudine intellectâ, maturè ſe iſtinc re-
cepit, Drentiamque magnis ac deviis itineribus emenſus, haud procul Cover-
diâ loco tuto conſedit. Illic quoniam à tergo arcem, à fronte paludem con-
tra hoſtes habebat, operiri motum eorum, adventanteſque excipere decre-
vit. At hi de receptu illius certiores facti, poſtero die ſtatim in eum conten-
dunt, pugnæ valdè avidi: ſed imprudenter paludem ingreſſi cum pondere ar-
morum, lutoque profundo impliciti maximum detrimentum accipiunt. Nam
Rudolfus cum ſuis, qui & armati leviter, & locorum gnari erant, accurrens,
impe-

impeditos, fruſtraque explicare ſe conantes interemit; in quorum numero cum plurimis nobilibus ipſe epiſcopus fuit. Cæteros ex perturbatione in fugam verſos ita ſecutus eſt, ut magnâ parte cæſâ, majore etiam captâ, pauci diſpalati ægrè evaſerint. Præſulis occiſi capiti petulanter illuſum multis modis, pellis vertici raſo detracta, corpus totum in profundum paludis demerſum, cænoq; obrutum. Cæſorum detrimentum virtute magis & fortunâ quàm numero magnum viſum. Quingenti enim fortiſſimi quique ex omni exercitu cecidiſſe feruntur. In captivis eminuit Gerardus Geldriæ Princeps, totius exercitus poſt epiſcopum facilè primus: & poſt cum Theodoricus Lippienſis, ipſius epiſcopi frater, præpoſitus Daventrienſis; tum Giſebertus Amſtelius Hollandus; quos Coverdiam abſtraxit Rudolfus. Res geſta eſt ad v Calend. Auguſti anno M.CC.XXVII, magnaque ignominia Vltrajectinis & ſociis inuſta. Ottoni cæſo Wibrandus Oldenburgicus, præſul Paderbornenſis ſurrogatus abſens, adeundi causâ Pontificis Romam profectus tum fortè. In horum motuum initio, cùm jam in proximo eſſet tempus ab Oliverio conſtitutum, ii qui ſacræ militiæ nomen dederant, parare ſe ad abitum, & quæ ad navigationem tam longinquam & periculoſam neceſſaria erant, ea expedire, ac navibus imponere. Et quanquam tumultus hi domeſtici occupatos hominum animos, in ſeque verſos diſtinerent, tamen quin inſtituta procederet expeditio, facere non potuère. Erant autem in claſſe naves certæ pecuniâ locupletum utriuſque ſexus, qui domi manebant, inſtitutæ in uſum pauperum, quibus pares ferendis ſumptibus facultates non eſſe conſtabat: numeruſque hominum, qui claſſem conſcendebant, diverſis in partibus erat ingens. Quorum magna pars maximè circa Amaſum utrinque habitantes, atque ad Lavicam amnem, circiter IV Idus Majus anni ejuſdem M.CC.XXVII ſolventes ad inſulam Borcumanam, quæ eſt ad Amaſi oſtium, coïère, atque inde mare petentes ad XI Calend. Iunias collectis, quæ eodem tendebant, circùm ſe navibus aliis Italiam versùs navigare cœperunt. At verò dum conciones hæ de ſacro bello ad plebẽ fuerunt habitæ, dum adornata expeditio, dum ubique perſtrepunt, & ob oculos & aures ſunt militaria, poſtremò dum tumultus etiam in viciniâ Friſios involvunt, aliquid vitii, ceu fit, moribus totius populi obrepſit. Ferox quippe Mars ferociam facilè ſui ſtudio animis hominum imprimit: præſertim hujus generis precaria quando militia eſt. Verùm vix ulla populi pars infecta magis erat, quàm ſacer ordo, in quo licentia, & avaritia, & ſpurci mores dominabantur. Hinc ordinis contemptus in plebe, & initiatorum quoque duorum triúmve cædes, hominum ſcilicet in cauponis, magis quàm in templis frequentium. Ad quæ inſpicienda Monaſterienſis epiſcopus Ludolfus nuper adeò Theodorico ſurrogatus in Friſiam cùm veniſſet ad id ferè tempus, quò jam à littoribus patriæ claſſis paulò antè memorata ſolverat, conſilio antiſtitum & ſacerdotum uſus, neglectâ, quam res requirebat, ſacri ordinis correptione ac cenſurâ, ad aſperandas tantùm pœnas eorum, qui in eundem ordinem aliquid delinquerent, ſe convertit. Itaque cùm alibi hujus rei gratiâ habitis conventibus tùm Farmſumi in Fivelgoniâ præſentibus decanis, abbatibus, præpoſitis, & toto ſacerdotum choro decretum edidit, quo ſanciit, ut eâ in provinciâ ſacerdotem qui occidiſſet, mille marcas monetæ Groningenſis mulctâ penderet, quæ hactenus multò fuerat minor. Pari modo de cæteris etiam delictis ſtatuit, atque ita Friſiâ rursùm exceſſit. Id verò augendæ cleri licentiæ ac nequitiæ potiùs quàm comprimendæ fuit. Quippe qui novâ hac aliorum pœnâ ſuam improbitatem munitam, id eſt, licentiam confirmatam rebatur: Et norat, ut ipſius abuti operâ ad id, quod concupiſcebat, epiſcopus deſiderabat, ſic illum ſibi indulgere viciſſim oportere. Quapropter inſolentiùs, ſolutiùs, turpiùs jam, quàm unquam antè, à diſceſſu epiſcopi agere, plebem deſpectui habere, pecuniâ emungere: Decani & cæteri epiſcopi miniſtri ex decreto nupero acerbè mulctas exigere,

gere, maximè per Fivelgoniam, ubi, ob commiſſa, materia hujuſce amplior. Plebs autem Ecello duce, homine prædivite & facundo, & maximâ apud ordines gratiâ contrà murmurare, epiſcopum non morum emendationem, non promotionem pietatis, ſed pecuniam & imperium quærere, atque hanc ob cauſam ad ſacerdotum crimina connivere, judices etiam & cæteri ordines ad illorum poſtulatum executionem non ſtatim feſtinare. De quibus certior factus epiſcopus, confeſtim ſacris univerſum ejus agri populum per graviſſimum interdictum arcet. Populus contrà eodem autore Ecello conjurat; interdictum iniquum contemnit; decretum facit, mulcta cæſi ſacerdotis marcis CCCC major ne ſit; reliqua etiam ad modum priſcum retracta habeantur: ſacerdotum improbitas & avaritia non ferantur. Hinc contentio & turbæ, imprimis epiſcopus irâ incitatus, querelæque ab eo ad Pontificem Romanum acerbiſſimæ delatæ. Pontifex tres deſignat ex ſacro ordine Weſtfalos, qui cauſam cognoſcant. Ii in Friſiam profecti quamvis omnia tentarent pro epiſcopo, & admonitionibus ac minis agerent frequenter, ſpeciem quoque aliquam juris inferrent (haud enim fas eſſe, non initiatos de rebus ac jure ſacro quicquam ſtatuere) poſtremò interdictum quoque gravius depromerent autoritate Pontificiâ, tamen ut à propoſito deſiſteret, perſuadere populo non potuêre. Etenim ita ſemel perſuaſum eidem populo erat, tam impuros ſacerdotes non poſſe pro ſacerdotibus haberi, nec veros præſules, aut antiſtites ſacrorum eſſe, qui his ipſis tam iniquè patrocinarentur, eorumq; causâ graviſſimis interdictis tam multos homines innocentes, totaſque adeò perſequerentur provincias: Eaque interdicta haud dubiè inania ac futilia habenda, contraria juri ac pietati indignum porrò eſſe, expilari ſe pro libidine Monaſterienſium, & ſub religionis prætextu tributo onerari, ſenſimque trahi in ſervitutem, qui eam libertatem à majoribus relictam habeant, ut nulli quicquam niſi Deo pietatem, Imperatori obſervantiam debeant. Atque in eo rerum ſtatu per annos aliquot continuatum. Circiter id temporis fundamenta quoque cœnobii novi Ciſtertienſis in Auricano agro poſita, medio ferè ab oppido Aurica milliari Germanico, familiâ virorum ex Adoardiano cœnobio iſtuc deductâ, quod ex loco Ilenſe, ex inſtituto ſchola Dei eſt nuncupatum; præfectuſque ei Abbatis titulo datus. Et hinc additum ſtatim ſacratarum virginum Collegium, ejuſdem Ordinis, eodem in agro, pari ferè intervallo, ſed diverſo à latere, Auricâ diſtans, cui Meerhuſij nomen tributum. Vtrumque cœptum ab Archiepiſco Bremen-
M.CC. ſi Gerardo, per tabulas probatum confirmatumq; anno labente M.CC.XXVIII,
XXVIII. & cum tempore fælicibus incrementis auctum, quanquam ſitu, haud quaquam fælice. Interea & Wibrandus Vltrajectinus, ut iſtuc redeamus, eodem illo M.CC.XXVIII anno, Româ reverſus, ut turbatis rebus maturè conſuleret, ſine morâ Groningam petiit. Illic antè omnia in originem & cauſam totius motus cùm inquiſiviſſet diligentiùs, & res civitatis præſens conſtituiſſet, advocatis in concilium prudentiſſimis quibuſque diœceſeos, imprimis nobilibus & antiſtibus Friſiæ, invenit unam eandemque ferè omnium eſſe ſententiam, omiſſis de compoſitione colloquiis cum Rudolfo, quæ perdendo tantùm tempori forent, arma eſſe contra eum, & ejus defenſores Drentinos capienda. Quo conſtituto, mox pro more tum vulgò vſurpato, quoties de violatâ religione, ſacroque jure pœnæ erant repoſcendæ, (& erat hac de re Romæ inter Epiſcopum & Pontificem actum) crux contra Rudolfum & Drentinos in auxilium Epiſcopi autoritate Pontificiâ per omnem viciniam prædicata eſt, homineſque velut ad ſacram militiam paſſim excîti. Quâ re perterriti Drentini cum Rudolfo ſuo, cùm maximam hominum multitudinem ad ſigna concurrere cognoſcerent, primùm quantum omninò potuerunt exercitum pecuniâ conductum contraxêre: deinde ſuam ipſi juventutem ad ſigna vocarunt: cunctos ad fines excubare cum armis, & aditus aſſervare juſſerunt:

poſtremò

poſtremò auro corrumpere nonnullos è præfectis crucigerorum militum, à quibus maximè ſibi metuebant, ſtuduerunt. Nec in aliâ re plus illis præſidii fuit. Nam cùm omni à latere invaderentur, & fortè ad aditus in agrum munitionibus impeditos pugnaretur acriter, nonnulli crucigerorum muneribus capti, deſertis ſociis, ſigniſque ſuis ſubmiſſis ad hoſtes tranſiere. Ita qui longiùs jam progreſſi intra munitiones erant, aut cæſi, aut capti ſunt: cæteri in fugam abierunt. Victores ad proximos aditus contendentes, terrore etiam illic quàm maximo excitato, eâdem fortunâ eos, qui Vltrajectinarum partium ad munitiones pugnabant, obruerunt. Quo caſu ſuorum audito Epiſcopus ipſe, qui diversâ à parte in Drentiam jam irruperat, quanquam robore exercitus cinctus erat, tamen formidine correptus, ſenſim pedem retulit, & in caſtra ſe ſua loco tuto recepit. Sed paulò pòſt, recollecto animo & viribus auctis, circiter Idus Octob. rurſum impreſſionem fecit, variatâque præliorum fortunâ, quoad operâ quorundam in inducias paucorum dierum tandem eſt conſenſum. Earum fiduciâ cùm Rudolfus uno tantùm comitante propinquo ſuo colloquii causâ ad Epiſcopum iviſſet in arcem Hardenbergicam, deque pace ac gratiâ ſarciendâ ageret, vi Hardenbergenſium & cæterorum epiſcopi clientium, incertum an invito ipſo epiſcopo, in vincula conjectus eſt, acclamantibus omnibus, proſcripto & damnato fidem non deberi: nil ei niſi æquum & juſtum accidere. Nec diu pòſt, multis in carcere ærumnis toleratis, capitis damnatus cum eodem propinquo ſuo, graviſſimo ſupplicio cecidit, corpuſque enecti, quod in latrones ſtatui extremum ſolet, ignominiæ causâ impoſitum rotæ fuit. Et ſic quidem ex codice monaſtico cœnobii horti Mariæ virginis Worperius. At Emo primus Werumani cœnobii antiſtes, cui plurimum tribuo, homo illorum temporum æqualis, & in Friſiâ vicinâ tum vitam degens, memorat, Wibrandum ſtatim à reditu ſuo ex Italiâ exercitum ingentem conſcriptum ultionis ſtudio in Drentiam duxiſſe, Drentinoſque magnis cladibus affectos ad obſequium adegiſſe; Rudolfum omni ditione expuliſſe: hæc facta eſſe anno M. CC. XXVIII, prid. Idus Octob. Verùm eundem Rudolfum anno ſequente ad III Calend. Septemb. arcem Coverdiam eſſe ingreſſum, occiſiſque aut captis præſidiariis in ſuam poteſtatem rurſum redegiſſe. Reliqua ſilentio præterit; eſt enim ſuccinctus: & hæc ipſa velut πάρεργα in opere ſuo tantùm notat. Vltrajectini cum Emone conſentientes eadem prolixiùs, Epiſcopum propoſitis autoritate Pontificiâ indulgentiis magnum exercitum ex diœceſi ſuâ & Friſiis confeciſſe; hunc in ſex diviſum partes diuerſis locis in Drentiam duxiſſe; Drentinos totidem locis ſimul occurriſſe, & aditus fortiſſimorum militum præſidio inſediſſe: ſed epiſcopum præſidiis ſuperatis magno labore multâq; cæde in Drentiam penetraſſe, ferro & flammis obvia vaſtaſſe, fugientes perſecutum eſſe, & extremos cecîdiſſe uſque in noctem. Poſtero benè manè, victos & conſternatos abjectâ reſiſtendi ſpe inermes & trepidos ex omni parte ad epiſcopum victorem veniſſe, veniaque & pace rogatâ obſequium promiſiſſe, & fidei ſuæ obſides dediſſe: epiſcopum liberaliter ſupplicibus indulſiſſe interdicto abolito; Rudolfum coactum eſſe epiſcopo cedere caſtellum Laræum, Coverdiamque cum omni, quod habebat, in Drentiam jure; ad hæc polliceri eidem epiſcopo ter mille marcas argenti, manumque centum armatorum mittendorum in Livoniam: poſtremò quoque promittere, cœnobium ſe ſtructurum non procul Swollâ, redituſque aſſignaturum in uſum XXV virginum familiæ Benedicti: Ita pace compoſitâ caſtellum Laræum funditùs ſtatim deſtructum, arci Coverdicæ præfectum datum, & præſidium impoſitum, exercitus dimiſſos: Sed Rudolfum poſthæc dolentem omnibus ſe opibus ſuis èxutum, corrupto è præſidiariis uno, militem clam collegiſſe, & in inſidiis conſediſſe propè Coverdiam: proditorem aſtutè præſidio perſuaſiſſe, ut ſacrorum causâ in feriis Ioannis Baptiſtæ decollati in oppidum ſe conferrent,

ejuſque ſignum Rodulfo extuliſſe: hunc celeriter cum ſuis provolantem in arcem evaſiſſe, occidiſſeque omnes in arce repertos: Epiſcopum re cognitâ indignatum, proximâ hyeme, cùm gelu fortè eſſet, coacto exercitu in Drentiam veniſſe, ſed reſoluto celeriter præter ſpem eodem gelu, oppugnatione arcis ne tentatâ quidem domum eſſe reverſum; & in proximam æſtatem rurſum per Friſiam propoſitis Pontificiis indulgentiis exercitum contraxiſſe: ſed Rudolfum rebus ſuis diffiſum inducias petiiſſe, eaſque dierum XV impetraſſe, ſimul promiſiſſe, judicio ſe antiſtitis cujuſdam in Friſia ſtaturum, denique his fretum induciis Hardenbergam ad epiſcopum veniſſe, ut cum eo præſens de compoſitione ageret, atque illic in vinculis eſſe retentum. Quæ ſi ego, ut ab illis memoriæ proditæ ſunt, non recitarem, verear, præter fidem hiſtorici facere, videri me poſſe. Intereà ſacram militiam profeſſi Friſii, de quibus antè dixi, multis variiſque exantlatis laboribus & periculis feſſi attritique in Palæſtinam tandem magnâ expectatione adventus Friderici Imperatoris, & aliorum militiæ principum, totiuſque Chriſtiani exercitus, qui Brunduſii in Italia ſe collegerat, ſuſpenſam appulêre. Quò cùm poſt longas moras haud ſatis firmo cum exercitu, quem lues & fames hærentem in Apuliæ regione fervidâ attriverant, Fridericus quoque Imperator anno proximo M. CC. XXVIII veniſſet, nullâ re memo-
M.CC. rabili geſtâ, inducias pactus decennes cum Sultano Ægyptio, Hieroſolymâque
XXIX. per induciarum conditionem recuperatâ, coronaque regni ejus in urbe regia acceptâ, exercitum ipſe omnem inglorius in Europam reportavit. Sic omnis ille apparatus, illi ſumptus, labores, pericula ſuſcepta cum multorum maxi-
M.CC. mo mœrore atque indignatione penè in fumum abierunt. Anno à Chriſto
XXX. in terris nato M.CC.XXX Florentius Hollandus, qui antè ſeptennium patri Guilhelmo ſucceſſerat, & hactenùs à patris morte Friſiam, incertum quâ de causâ, non attigerat, ad Friſios ipſius amantes venit. Veniendi cauſam tum habuit præcipuam, ut populum præſens in fidem ſuam reciperet. In fidem ejus poſt Transflevanos Hollandiæ finitimos Weſtergoi venerunt, qui hujus rei gratiâ Franekeræ ad eum convenerant. De Oſtergois, ac Sylveſtribus annales ſilent, ut mihi quoque de his dicere non liceat. Id modò traditur, benignè humaniterque eum populo uſum initio, ut dubitari nequierit, quin patris locum in omni uſque in Lavicam Friſiâ fuiſſet habiturus, niſi incautiùs, corruptâ nobilitate, novis rebus quæ Friſicæ libertati erant adverſæ, ſtudere maluiſſet. Quæ res animadverſa populi voluntatem ab eo alienavit, effecitque ut ab illo tempore ipſe in Friſiam redire non fuerit auſus. Sic illic. In Amaſi verò orâ eodem iſto anno nova tumultuum materia. Aſchendorpii in aditu diœceſeos Monaſterienſis, & Weſtfaliæ venientibus è Friſia Orientali non procul Amaſi ripâ odiorum cauſas in vicinos Reiderios habere ſe putabant. Hinc fiebat, ut injuriis eos afficerent diverſis, quoties occaſio ferebat: imprimis nundinationum gratiâ domo egreſſos frequenter in itineribus ſpoliabant. Quæ cùm ferre diutiùs Reiderii non poſſent, bellum illis denunciarunt. Sed earum rerum, quæ ad bellum pertinent, è longâ pace non ſatis tum gnari, ratique cum ſolis ſibi Aſchendorpiis, & proximis vicinis in eo agro dimicandum eſſe, magis ornati quàm armati, tranſmiſſo flumine (Amaſus enim inter eos & Aſchendorpios labitur) equites & pedites in hoſtem frequentes ierunt. Quos videns hoſtis, qui nobilitatem Weſtfalicam, cum quâ jam antè ſocietatem clam coïerat, antè omnes verò Freſenburgios è ditione Ravenſburgicâ, auxilio celeriter evocarat, minor quidem numero, ſed ad pugnandum multò paratior, & ipsâ, quam ex Friſiis bene cultis ſperabat, prædâ ad ſubeundum periculum, fortitèrque agendum incitatus, magno impetu in aperto campo aciem dirigentes invaſit. Nec diu hæſit incerta fortuna. Nam Reiderii inopinâ ferociâ & auxilio contra ſe inexpectato perturbati, quod ſolet ferè accidere animis ſecuris, terga verterunt: & quod deterrimum erat,

cò fugam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

eò fugam intenderunt, quò objectus Amaſus evadere fugientes non ſinebat. Adeò timor repentè ingruens mentes hominum in capiendo conſilio debilitat. Itaque accidit, ut qui tranare amnem impediti veſte & armis, quíve in naves in ripâ hærentes pervenire non potuerunt, ii in amne ſubmerſi aut ab hoſte capti ſint. Captivorum numerus fuit maximus: & in his penè tota nobilitas, ac ditiſſimi quique in plebe ruſticâ; quorum alii in terrâ deprehenſi, alii retracti ex flumine, qui hoſti ſe dedere, quàm aquis ſuffocari malebant. Magna in prehendendis navigiis, & conſcendendis confuſio ac perturbatio, dum feſtinant omnes & ſe premunt; in quâ non pauci quoque periêre. In prædâ nihil gratius nobilitati Weſtfalicæ, quàm generoſi & inſignes equi Friſici, quibus Reiderii vecti in pugnam deſcenderant, magis corpore præſtantibus, quàm ad prælii certamen exercitatis: quorum numerus erat non parvus. Captivi è cuſtodiâ nobilium, quibus in præmium navatæ operæ ceſſerant, magno ſe ære redemerunt. Inde inter vicinos inimicitiâ & minutis injuriis potiùs, quàm prælíis certatum aliquandiu; donec poſt quartum demùm annum tranſactione res compoſita. Et hujus quidem pugnæ tam infæliciter pugnatæ tempore loco, alio in agro propè Groningam, ne qua firma Friſiis eſſet quies, nova jam belli cauſa, ſed nondum bellum. Cauſâ ſanè vilis, & indigna tot ſecutis inde malis. Sed ut ſæpè in rebus hominum, ſic etiam hîc, ex ſcintillâ ingens incendium: quod anno demùm proximo erupit. Inſula erat non procul aggere iſtius agri boreo momenti non magni; nobis quidem jam ob mutationes, quæ illi oræ acciderunt, ignota. De ejus poſſeſſione Vthuſani, qui in orâ illa ſunt in Fivelingiis, cùm Ernerenſibus in Huneſgoniâ litem habebant. Ea cùm injuriis mutuis aliquandiu cauſam præbuiſſet, ad eorum tandem ſubſellia, qui ad Vpſtalleshomum coïbant, juratique jus reddebant nomine totius gentis, more patrio introducta, & ſecundùm Vthuſanos data fuit. Id factum ad Pentecoſtes anno Chriſti M.CC.XXXI. Ernerenſes, qui ſe lædi exiſtimabant hoc judicio, indigneque id ferebant, judicato parere recuſarunt. Iudices verò cum Vthuſanis indigniùs etiam ferentes Ernerenſium contumaciam, omnem commoverunt Fivelgoniam, ut judicatum quocunque modo tuerentur. In hoc diſcrimine Ernerenſes more humani ingenii in propoſito pertinaces, à multis primùm per Huneſgoniam animati, deinde ad Groninganos etiam quærendi auxilii gratiâ decurrerunt. Id totum ab Egberto Gronenbergio ferè pendebat, qui facilè in hanc illamve partem impellere plebem poterat. Apud hunc verò magna conſilii fluctuatio. Nam qui Ernerenſium eum ſollicitabant, accepti nuper maximi beneficii gratiam repoſcebant. Ab ipſis enim & qui iis in Huneſgoniâ adhærebant, adjutus præcipuè, & in civitatem nuper reductus erat. Contra ſuccurrebat ejus animo, non minùs ſtudii in Fivelingiis, adverſus quos auxilium rogabatur, quàm in Huneſgoniis, qui rogabant, ſe in calamitate illâ ſuâ deprehendiſſe: difficile itaque eſſe, amicum contra amicos auxilia amicis polliceri. Quod ſi faceret, ut hinc gratiam, ſic illinc invidiam & obtrectationem ſe ſecuturam proſpiciebat. Poſtremò, quò voluntates civium magis inclinare animadvertebat, maximè eorum, quibus ſe charum nôrat, eò ſe quoque cœpit vertere. Cives verò prædæ amor, animus iniquies, & factioſus, & quod plauſibile erat maximè, Fivelingiorum in epiſcopum, ac leges ſacras cum Drentinis hoſtibus ſuis contumacia, & impietas par, tacituſque haud dubiè hinc exiſtens animorum in utriſque conſenſus, ad bellum potiùs quàm ad pacem incitabant. Bello itaque decreto (nec enim ſtimulis opus erat ſic affectis) copiiſque ex oppido eductis, & cum Ernerenſium juventute conjunctis, atque agmine in hoſticum progreſſo, cùm objicerent ſe Fivelingii, id quod ad diem XIIII Calend. Auguſti factum, pugna commiſſa eſt, pertinax quidem; ſed in qua Fivelingii novis & inſolitis Groningenſium armis turbati tandem fugâ ſibi conſulere coacti ſunt. Oppidani & Ernerenſes

perſecuti fugientes acerbiùs, quàm in civili diſſenſione fieri æquum erat, terga eorum ceciderunt. Cæſi, vulneratique multi. Ex vulneratis Ecellus fuit, opibus & gratiâ, ut antè oſtendi, vel primus in Fivelgoniis, qui tertio à pugnâ die ex vulnere deceſſit, magno cum dolore omnium. Verùm Ernerenſes quanquam victoriâ hac parta, tamen quòd ſcirent, oppidanos apud ſe in præſidio manere perpetuò non poſſe, & hoſtes memoriâ cædis nimis avidæ aſperatos, ac vindictæ cupidine incenſos magis quàm animis fractos, ſine curâ ac timore non fuerunt. Itaque foſſam, quæ inſtituta antiquitùs in finibus Huneſgoniæ & Fivelgoniæ perpetua ferè litis materia utrique populo fuiſſe perhibetur, quàm poſſunt celerrimè omnibus viritim ad opus vocatis, dum trepidant adhuc ex clade Fivelingii, renovant. Simul etiam arctiùs ſe cum vicinis ſuis Huneſgoniis cæteris, imprimis cum Marnenſibus ac Medachiis, deinde & cum Hugemertiis (Hummercii hi ſunt) ipſiſque Groninganis fœdere jungunt, horumque ſocietate fortunam ſuam firmant. In his verò fœderatis eminebant ex ordine nobilium Eppo & Eizo, & Egbertus Gronenbergius; quorum voluntatem magna pars plebis ſine ratione ſequebatur. Fivelingii contrà miſſis ad Drentinos legatis,quos ſciebant in Egbertum & Groninganos infenſis eſſe animis, ſocietatem cum iis conſciſcunt, ac fœdus pangunt ad I V Calend. Auguſti: ex quo fœdere Drentini tenebantur ſummis viribus in Groninganos arma ferre, eoſque diſtinere, quo minùs auxilio eſſe Huneſgoniis poſſent. Similiter cum Fredowaldiis & Drentowaldiis (hi præfecturæ ſuburbanæ pars ſunt) paciſcuntur. De Longowaldiis hîc ſilentium apud ſcriptores: ut ſuſpicer, in primo hoc motu hos quieviſſe, ut & eos in præfecturâ veteri. Ex his porrò primi omnium cùm domo exire ad fœderatos Fivelingios vellent Fredowaldii, excepti à Medachiis prælio, & in eo inferiores domum redire compulſi ſunt. Sed cùm denuò ſe ad pugnam, tranſitumque vi aperiendum pararent, & populationibus eoſdem vexare perſiſterent, iſtuc eos adegerunt, ut tranſitum, & reliqua hoſtilia certâ pecuniæ ſummâ redimere cogerentur;atque ita ex ſociorum conſenſu conſilium ceperunt aliò vertendi vires ſuas,id eſt,cum Drentinis ſeſe conjungendi. Interim Fivelingii & Drentini ad expediendas copias ſuas omne ſtudium adhibent: & illi ad foſſam, de quâ dixi, in Huneſgonios, hi ad mœnia Groningenſium ex compoſito eodem die (is erat VII Iduum Auguſti) accedunt. Atque iſti quidem ſummâ vi nixi foſſam aliquot locis complent, transgreſſique in hoſticum, atque ab hoſtibus excepti prælium cum iis committunt: In quo cùm hoſtes Groningenſium ſociorum auxiliis, quos Drentini domi propioribus periculis diſtinebant, præter ſpem deſtitutos ſe cernerent, & aliquandiu molem pugnæ ægrè ſuſtinuiſſent; tandem, qui nuper adverſarios fugere coëgerant, in effuſam fugam vertuntur,nullius rei præterquàm conſervandæ vitæ & libertatis memores. Quapropter omnibus à tergo relictis fanis, vicis, arcibus, ad quæ recipere ſe, & fugam ſiſtere ſine periculo poſſe videbantur, id ſolum omnibus modis contendebant, ut manus victorum evaderent. Exiſtimabant enim non aliter ſecum actum iri, quàm ipſi nuper in perſequendâ victoriâ egiſſent. Verùm metus iis major ex conſcientiâ quàm periculum fuit. Nam Fivelingii, quos in acie fortuna ſervaverat, & in primâ fugâ velocitas pedum eripiebat, eos feſſos & fractos (nam in acie multum laboraverant) non obliti cognationis & communium fœderum acerbiùs proſequendos non putabant. Prædâ ſolùm ex proximo abductâ cum captivis paucis domum revertuntur. Poſt quatriduum velut aſperati ſucceſſu, ac ferociores facti, aut quaſi pœniteret prioris conſilii; indignati etiam foſsâ ſe adhuc prohiberi, quo minùs liberè incurrere in agrum Huneſgonium poſſent, cum omnibus, quas contrahere potuerunt,copiis,eandem ad foſſam rurſum accedunt,velut tum demum jam integri viribus univerſam victoriam perſecuturi, inviſamque in reditu

foſſam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

foſſam completuri. Sed enim eò maximè tempore, cùm viribus & fortunæ potiſſimùm confiderent ſuæ, à fortunâ magis etiam quàm priùs ſunt deſerti. Namque Drentini poſt primos ad munitiones Groningenſium aſſultus vix triduum in caſtris commorati pedem retulerant: perfidiáne quorundam, quod quidam eo ſæculo crediderunt, & Emoni Werumano perſuaſum fuiſſe apparet, an neceſſitate, quod Vltrajectini videntur dicere, eruptione ab Egberto factâ, & multis cæſis, an apparatus Epiſcopi timore, de quo apparatu acceperant, an quâ aliâ causâ honeſtâ, id ego in medio relinquo. Iis verò digreſſis, ſine morâ Groningani delectam & validam manum ſuorum Gronenbergio duce ad Huneſgonios emittunt: quorum adventu recreati Huneſgonii, qui de finibus quoque ſuis tuendis jam deſperabant, & ad ſigna collecti viritim ultrò ire in hoſtes, & commiſſum dedecus delere inſigni aliquo facinore conſtituunt. Ita ad munitionem ſuam profecti, cùm illic hoſtes quoque in armis tranſitum molientes invenirent, non ſolùm conatu eos prohibent, ſed invitis etiam iiſdem quantumvis feroculis ex recenti victoriâ, magnificeque de ſe & virtute ſuâ ſentientibus, ſagittarumque Groninganarum procellâ à foſſæ margine ſubmotis primis in agrum hoſtium tranſeunt. Tranſgreſſi poſt velitationes cum iiſdem totis copiis aperto in campo concurrentes, præeuntibus & turbinis inſtar ruentibus Groninganis (mirum) tam facilem victoriam reportant, ut è tantâ Fivelingiorum multitudine velut Panico correptâ terrore pugnandi causâ reſtiterit nemo, aut telum ullum in hoſtes rejecerit. Victores rurſum fortunâ uſi, ut priùs, cæſis avidè, ac ſine diſcrimine, quoſcunque aſſequi primâ curſus contentione potuerunt, cæteris poſt primam cædem captis, & veſte ſpoliatis, atque in carcerem abſtractis, inter quos viri nobiles complures, & in plebe præcipui. Præda quoque ingens abacta. Apud victos omnia luctu, dolore, lacrumis plena, aliis cædem ſuorum, aliis captivitatem, vulnera, direptionem deplorantibus. Campi ipſi, in quibus pugnatum, aut fuga facta, mœſti, & triſtem ſpeciem præferentes, cadavere multo ſparſim fœdati. Hac novâ conſternati clade Fivelingii ad Drentinos mittunt queſtum de fide haud præſtitâ, & incommodo ſuo inde ſecuto. Quod ægrè ferentes illi, & quocunque poterant modo excuſantes, id quod factum erat, (erat autem, ſi qua ſuberat culpa, factum culpâ paucorum) promittunt, denuò ſe cum exercitu exituros, & impreſſionem facturos ſi ſe commoveant Groningani: ſimul verbis facta jungunt, præmiſſis, qui in ſe civitatis curam vertant tantiſper, donec cæteri expedire ſe, & domi rebus conſtitutis, quibus imminebat epiſcopus, eôdem ſubſequi ſine periculo patriæ poſſent. Eâ fiduciâ Fivelingii ad IIII Calend. Septemb. viritim ad arma vocati ad hoſtiles rurſum fines accedunt, pugnæ copiam facturi, ſi pugnandi voluntatem hoſtis haberet. Sed cùm aciem offerret nemo, tantumque pro finibus excubantes pauci diffugerent, proxima modò populati domum ſe recepêre. Inde ad fines excubiæ utrinque aliquandiu actæ, expectatuſque à Fivelingiis Drentinorum motus. Verùm hi, qui etiam extra ordinem miſſuros ſe auxilia nonnulla in Huneſgonios promiſerant, quò ſuperius delictum egregio beneficio compenſarent, ad VII Idus Septembr. ſignificarunt ſociis; domo exire ſe hoc tempore non poſſe, propterea quòd ab Vltrajectino rurſum ſibi bellum denunciatum ſit ad IIII Iduum Septemb. velle nihilominùs in amicitiâ ac ſocietate perſtare, & ejus gratiâ obſides fidei ſociis dare. Quod ipſum cùm ſtatim, (quod fieri neceſſe erat in eâ utriuſque partis neceſſitudine,) ad hoſtes etiam emanaſſet, ipſi hoſtes Erneŕenſes, cum cæteris fœderatis, quos antè nominavi, tum Tranſlavicanis quoque plurimis, quos Vltrajectinus Huneſgoniis conciliaverat, & quos præterea ſtipendio hinc inde conduxerant, in unum omnibus coactis, hortante eodem Vltrajectino, ad v. Idus Septemb. ingreſſi Fivelgoniam ſine pugnâ longè lateq; omnia diripuerunt pro libitu, multa quoq; incendio vaſtarunt, ad ulciſcendos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

inimicos ſuos: inter quæ & fano Vſquerdano ignis injectus, inque eo cruſtulum conſecratum cum reliquo ſacrorum apparatu exuſtum. Fœminæ etiam malè habitæ: Nec ſenibus aut pueris parſum. Quæ res cùm cæteris ſociis, tum Egberto Gronenbergio potiſſimùm haud parvæ invidiæ fuit. Quippe meminerant omnes, quàm fida & prompta ei auxilia non ita nuper, cùm ſeditione civili ex oppido eſſet ejectus, præſtita eſſent à Fivelingiis, his inquam ipſis, quos ille tam acerbè in gratiam inimicorum perſequeretur. Acceſſit infamia violatæ religionis, ob quam epiſcopus Monaſterienſis Ludolfus de re certior factus, interpoſito interdicto ſacris Ernerenſes omnes cum ſociis prohibuit; interdictamque à Pontifice Romano Gregorio IX comprobatum: Epiſcopus, quod quærebat, pro commiſſo pecuniâ auctus. Vltrajectinus interim à Gronenbergio & Groninganis auxilium rogatus, Drentinis denunciaverat, ut ab armis abſtinerent: non parentibus bellum indixerat, Weſtergoos, Oſtergoos, Sylveſtres univerſos in contumaces, & fœderatos eorum Fivelgonios commoverat, venia delictorum omnibus in hanc expeditionem arma capientibus iterum propoſitâ. Hoc modo exercitu parato in Drentiam contendens, ut denunciaverat, menſe Septembri, ſolo adventus ſui terrore Groningâ decedere Drentinos, qui plures jam eò conceſſerant, coëgit: ita Coverdiam aggreſſus, oppidum ſine labore captum direptumque incendit; arce, quæ à paucis Drentinis tenebatur, potiri ſtatim non potuit: & ne quid ſibi ab hoſte per noctem accideret, ſub veſperam retracto illinc exercitu trans paludem loco tuto conſedit. Poſtero primâ luce exercitus eôdem ab illo reductus ad faciendum in arcem impetum. Verùm cùm eſſet cognitum, magnum Drentinorum præſidium per noctem iſtuc immiſſum, & commeatum, quantum ſatis, importatum, ne tentata quidem tunc oppugnatio fuit. Exercitus autem in Drentiam ductus ad agrum vaſtandum, cædeſque hominum faciendas. Sed cùm in copias hoſtiles incidiſſet, quas comitabantur Longowaldii & Fredowaldii magno numero, quibus cum Fivelingiis & Drentinis fœderis ſocietas erat, commiſſo prælio, cæde & vulneribus malè acceptus, atque impedimentis exutus, fugienti quàm diſcedenti ſimilior Drentiâ exceſſit. Epiſcopus Wilibrandus arcibus & oppidis vicinis præſidio munitis, ultione in aliud dilatâ tempus, irarum plenus domum rediit. Sic annus ille inter tumultus & cædes in eâ Friſiæ parte exactus. Nec, qui ſecutus,

M.CC. XXXII. à turbis immunis. Amaſani Reidanum in ſpoliandis negotiantibus deprehenſum hominem inter ſuos haud ignobilem in undas merſum ſuffocaverant. Id Reiderii perindignè ferentes, hominem ſcilicet ſuum non damnatum in judicio peremptum, qui ſi quid deliquiſſet, apud judices ſuos poſtulandum fuiſſe, autores facinoris pœnam legibus ſtatutam poſcunt: Rejecti ab autoribus, rejecti à judicibus, qui prædonis occiſi mulctam non eſſe ferebant, in vindictam exardeſcunt: Amaſanos ad ſe venientes, aut ubi poſſunt, injuriis afficiunt. Hi injuriarum haud patientes, paratis compluribus navigiis, magnâ manu in proximos ad imum amnem invadunt; perfoſſiſque eorum aggeribus, aquarum metu ad poſcendã pacem cogunt. Deinde ſuperiores quoque aggreſſi, quibus periculi ab undis erat minus, eorum virtute ac conſtantiâ repelluntur. Inde odia mansêre, & ex odiis ſecutæ mutuæ injuriæ, & minuta prælia eventu vario. Poſtremò Amaſani poſt tertium belli annum auxilia à veteribus Reideriorum hoſtibus in Weſtfaliâ, & ab ipſo Comite Ravenſbergio, Reiderii à Fivelingiis, petiêre, penè fruſtrà. Sed qui tandem hujus tumultus exitus, annales nos non docent. Inter Fivelingios verò & Huneſgonios per aliquot ejuſdem hujus anni M. CC. XXXII menſes magis tacitæ induciæ, dum utraque pars mutuo ſe metu ab armis continet, quàm pax certa fuit. Donec tandem Huneſgonii, neſcio quâ moti cauſâ, repentè in Fivelingios incurſione factâ vicum Vnbaldeſwerſum incendêre, & re nullâ aliâ geſtâ ſe recepêre.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

receperê. Id velut claſſicum fuit ad renovandos tumultus penè intermortuos. Nam non multò pòſt, circiter medium menſem Septemb. iidem Huneſgonii cum ſociis Tranſlavicanis, cæteriſque, Groningæ congregati, conſilio inito, cùm poculis exhauſtis animos ſibi auxiſſent, equites pediteſque urbe egreſſi magno numero in Fivelingios rursùm ivere prædandi cupidine. Qui cùm populabundi Emdam (vicum in iis partibus tum temporis celebrem) ad veſperam veniſſent, minaſque ingentes ſpirarent, ecce denſiſſimâ nebulâ repentè coortâ, eamq; ſecuto nolarum æ nearum ſonitu, adeò repentè conſternati ſunt animis, ut ſponte ſuâ, nullo hominum premente, in fugam trepidam ſe conjicerēt. Tum Emdani & Fivelingii cæteri perculſis inſtantes occurſanteſque, aliis quoque à lateribus utrinque aſſultum facientibus (nam nolarum crepitus, quod ſignum adventus hoſtium eſſe ſolet, ab omni parte vicanos exciverat) in viâ publicâ alios neci dederunt, alios vivos ceperunt: cæteri, ſed plerique vulneribus debilitati, per nocturnas tenebras inſequentium manus evaſère. Cæſi aut capti CCCC primi in Huneſgoniis: vulneratorum maximus numerus. Id piaculo commiſſo anni prioris divinitus tributum eſſe, vulgò creditum. Factum XV. Calend. Octobris. Fivelingii de cuſtodiâ tot captivorum ſolliciti, decreto communi turribus templorum eos incluſère, ut iſtic ſervarentur, quoad ampliùs eſſet de iis ſtatutum. Sed ecce priuſquàm ſtatui ampliùs poſſet, incertum quo caſu, omnes è cuſtodiis elapſi ad ſuos redierunt, & confuſionem conſilii cuſtodibus Fivelingiis reliquerunt. Hæc calamitas Huneſgoniis cùm accidit, in Friſiâ fuit Ludolfus Monaſterienſis epiſcopus, & ex proſperâ fortunâ Fivelingiorum, quos peſſimè oderat, (nam adhuc interdicto eos premebat) inſignem dolorem percepit. Dehinc à paucis diebus conventu cleri apud Bedumanos acto in Huneſgonia, pecuniaque quam quærebat, ex mulctis collectâ, iſtinc diſceſſit. Atque hic & proximè præcedens annus magnâ ſiccitate laborarunt: unde frugum & reliquæ annonæ penuria. At qui ſecutus eſt M. CC. XXXIII, præſertim à Calendis Iulii menſis, tam fœdos ac denſos M.CC.
imbres habuit penè ſine intermiſſione, ut quæcunque humilia erant per Friſiam, omniſque ferè agri planities his aquis oppreſſa, in vaſti ſtagni ſpeciem abiiſſe viderentur, navigiaque haud parva iſtic commearent, quâ greges, armenta, plauſtra commeare ſolent. Res prius inaudita, pro prodigio habita. Addunt quidam magnam multitudinem hominum, infinitam vim pecorum hac illuvie periiſſe. Sed tanto malo bonum cohæſit. Salſedo namque ſoli tot diluviis prioribus contracta, tum demùm diluta penitùs, priſtinæ fœcunditati locum dedit. XXXIII.

RERM FRISICARVM HISTORIAE
Liber Decimus.

EA verò, quæ memorata jam ſunt, in locis Amaſo vicinis dum geruntur, in aliâ Friſiæ parte longè gravior procella infælici populo parata fuit. Quæ res quia non parvi momenti in rebus Friſicis eſt, paulò eſt altius nobis repetenda. Stedingii poſt Butiadas, & Statlandos introrſum ad Viſurgis ripas in parte occidentali ex adverſo terrarum diœce-

ſeos Bremenſis ſedes antiquas habebant,populus Friſici generis, Ruſtris quondam accenſus. Hos neglectarum religionum, ac impietatis nefariæ infamiâ aſperſère proceres eccleſiæ Bremenſis. Nec tamen, quod ad memoriam quidem proditum ſit, aut facinus eorum demonſtrarunt, aut in doctrinâ errorum impium oſtenderunt. Hoc ſolum in ſcriptoribus aliis invenio, ſacerdotem in ſolenni Paſchatos die fœminæ ad aram accedenti numulum, quem ab ipſâ pridie acceperat, ad exprobrandam muneris oblati exilitatem, pro euchariſtiâ in os ingeſſiſſe: eam, cum glutire non poſſet, pavore correptam expuiſſe; rem cognitam marito ſuo viro militari ac feroci indicaſſe: illum contumeliæ impatientem ſacerdotem confeciſſe: hanc ob cauſam totum ejus agri populum, cædis autorem, ad ſupplicia non dedentem, interdicto à ſacris eſſe prohibitum: Sic populum injuriâ provocatum reditus præſuli Bremenſi conſuetos negaſſe; & contra ejus emiſſarios, miniſtros, milites, præſidio ad Viſurgim diſpoſito, fines ſuos defendiſſe; præſulem querelas ad Pontificem Gregorium IX detuliſſe; ab eo tres Epiſcopos nominatos, qui in cauſam inquirerent; inquiſitione ab his factâ circa contumaciam potiſſimùm crimen hæſiſſe; id ex ſententiâ Samuelis idolatriæ par eſſe judicatum: ita à Pontifice pariter & Imperatore proſcriptos Stedingios. Sed fuerat inter hos & præſulem jam antè quoque diſſenſio multò vetuſtior. Cujus initium, quantum ex annalibus licet videre, ſub Harduico ſecundo ejus nominis præſule Bremenſe fuit. Quo defuncto, imperante in Germaniâ Ottone IV, cùm Waldemarus regiâ domo in Daniâ natus cum Gerardo Lippienſi de epiſcopatu armis contenderet, atque à reliquis provincialibus deſereretur, Stedingii ſollicitati arma pro eo ſumpſerunt, arcibuſque Minzovio, Sehuſio, Sturloo captis & everſis, in reliquam diœceſin vim ſuam effuderunt, quoad ab Henrico Hoijenſi, non parvâ eorum manu cæsâ fugatâque, comprimerentur. Intereà & Imp. Otto IV, & Marchio Brandeburgenſis, aliique Germaniæ Principes ſuſcepto Waldemari patrocinio, quem propinquus Daniæ rex oppugnabat, cauſæ huic ſe miſcuerunt, copiiſque Hamburgo admotis, oppidum, quod Gerardo æmulo Waldemari adhærebat, in poteſtatem redegerunt. Idem & de Stadâ factum. Sed Hamburgum mox à Dano rege recuperatum. Nec multò poſt Stedingii, ut Bremenſes urerent, qui & ipſi pro Waldemaro ſtabant, (erat enim acerbum inter eos odium) deſerto Waldewaro, Gerardo ſe conjunxêre: tum verò ita Bremenſibus incubuêre infeſtis armis, ut illi Henricum Saxonem Rheni Palatinum, filium Henrici Leonis, atque Ottonis IV Imp. germanum in auxilium ſuum accerſere maximis ſtipendiis cogerentur. Verùm cùm ne ſic quidem defendere ſe ab hoſtibus Bremenſes poſſent, ut ſibi conſulerent, excedere ex urbe juſſo Waldemaro, Stedingios ſibi conciliarunt, & Gerardum epiſcopum admiſère, indignante, & arma in eos expediente Imperatore, qui ſolus jam Philippo æmulo ſublato rerum in Germaniâ potiebatur. Quod quidem operum ejus humanorum, quæ litteris prodita ſunt, ultimum fuit. Proximo autem à morte ejus anno, qui erat M. CC. XIX, deceſſit etiam Gerardus epiſcopus in comitiis Francofurti: quibus in comitiis paulò antè obitum tranſegerat cum Henrico Palatino Ottonis IV fratre, ut Stadenſis Comitatus illo moriente (nam eum ille à patre acceptum tenebat) ſine controverſiâ ad eccleſiam Bremenſem reverteretur. Quod factum poſtea eſt. Sed Gerardo alter ſucceſſit Gerardus ejuſdem familiæ, Bernardi Lippienſis filius, cujus frater Otto Vltrajecti epiſcopum agebat. Is cùm aliquot jam annos epiſcopatum tenuiſſet, incidiſſe perhibetur illa, quam oſtendi, ſacrifici cædes: quam ſecutum interdictum, & arma pro defenſione finium à Stedingiis ſumpta. Hos igitur ut ulciſceretur juſta negantes præſul arma iterum paravit, auxiliis undecunque convocatis, utque conſilium quoque viribus adderet, die VIII Calend. Ianuarii, qui dies memoriæ nativitatis Domini ſacer eſt, quò incautos & impa-

& imparatos deprehenderet, omnibus copiis in eos movit, impetumque fecit. Quis à ſacerdote eo die prælium expectaret? Verùm conſilio malo par fuit eventus. Nam & fortiter impetum eum excepêre Stedingii, & præſul, Hermanno fratre copiarum ſuarum duce in primo conflictu amiſſo, hoſtibus eſt cedere coactus: Creſcente dein ferociâ victorum, & Sluterâ arce ab iiſdem everſâ, cùm non ſatis virium ſe habere præſul ad coercendos eos experiretur, Imp. Friderici II, qui Ottoni jamdudum ſucceſſerat, auxilio implorato id effecit, ut non ſolùm contumaciæ ac rebellionis in præſulem rei, ſed & velut deteſtandæ in Deum impietatis convicti, communi Principum decreto in comitiis proſcriberentur. Iuſſi ſunt vicini in arma concurrere, & epiſcopo adeſſe. Plebs quoq; propoſitâ, quam promittebat Pontifex Gregorius, delictorum veniâ, more tum vulgato, in concionibus paſſim contra Stedingios, velut in Saracenos aut Turcas, aut Prutenos, ad militiæ ſacramentum vocata eſt. Vulgo perſuaſum fuit, projeciſſe eos Chriſti religionem, myſteria ſacra pedibus calcare, ad dæmonum cultum ſe recipere. Hoc neceſſe fuit comminiſci ſacerdotes avaros & ambitioſos, ut multorum animos, qui cauſam Stedingiorum tacitè probabant, ab illis averterent. Ex emiſſariis præſulis Bremenſis duo in Friſiam, quæ circum Amaſum eſt, venerunt ad initium anni M. CC. XXXIIII ferocis admodum ingenii, M. CC. & in concionibus incitati, penè ut furere viderentur. Hi Dammonæ, expo- XXXIV. ſitâ adventus ſui causâ, cùm agerent inſolentiùs, & in populum epiſcopo non parentem pro eâ, quam habere ſe putabant, autoritate inveherentur, parum res abfuit à populari tumultu. Ea propter properè iſtinc abeuntes Groningæ, & per Huneſgoniæ vicos ad populum concionibus effreni animo habitis Dammonenſes excommunicatos proclamarunt: quinetiam Stedingios, Drentinos, Fivelingios omnes, ſuis epiſcopis contumaces, eodem ſe loco habere profeſſi ſunt, homines ipſi vecordes, improbi, ſub ſpecie religionis patrantes, quæ cruce puniri, ſi fierent ab aliis, mererentur. Pauci eos è Friſiâ in militiam ſecuti propter ipſorum veſaniam, & quia Stedingiorum cauſam non procul à ſuâ abeſſe pleriq; in his regionibus arbitrabantur. Dammonenſes tamen metu correpti, & totâ Fivelgoniâ conſternatâ, adeò ut illi ſponte cæſi virgis, nudi ad genua nebulonum provoluti, vix veniam, quam rogabant, impetrarent: hi pavore perculſi, Stedingicum horrentes exemplum cum epiſcopo ſuo, recepto, quod hactenus detrectaverant, onere, in gratiam redierint: iſque interdicti contra Fivelingios finis tum fuit. Cæteris ex provinciis Saxoniâ, Weſtfaliâ, Circumrhenanis, Hollandiâ, Brabantiâ, Flandriâ ingens confluxit multitudo militiam contra impios profeſſa, Principes, nobiles, plebei. Qui priuſquam coire poſſent (dies coëundi omnibus, VI Calend. Iunii ejuſdem anni dictus erat) à proximis cum iis, quos in ſtipendio præſul Bremenſis habebat, impetus in eam Stedingiæ partem, quæ ad ortum eſt, factus; indigenæ magno numero cæſi, ager vaſtatus. Mox Oldenburgicus Comes Burchardus incautius regionem ingreſſus cum eâ, quam ſecum habebat, manu à Stedingiis in pugnâ interemptus. Viſæque ſunt Stedingiorum res hoſtium vim poſſe deinceps ſuſtinere: ac duces eorum magno animo eſſe omnes, patriamq; viriliter defendere juſſerunt. Sed novæ vires, & prioribus multò majores epiſcopo quotidie jam acceſsêre: imprimis Henricus Brabantiæ Dux, & Florentius Hollandiæ Comes Guilhelmi filius, Principes magni nominis: & his conjuncti Clivius & Geldrus, ac præcipua Flandriæ nobilitas. Qui magno ſtudio omnibus, quæ ad opprimendos proſcriptos pertinebant, comparatis, & claſſe quoq; omnis generis navium, quam præbuit Hollandus, adductâ, cum maximo exercitu, quem vel Principum autoritas, vel manubiarum ſpes, vel veniæ promiſſæ fiducia illexerat, comitante epiſcopo Gerardo, mediâ ferè æſtate Stedingiam ingreſſi, Othmundâ fluvio ponte ſuperato, ne quid imprudentiâ delinquerent, cõpoſito agmine in hoſtes duxerunt. Illi ne ſic quidẽ animo fracti, etiam ſponte obviam venientibus (quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

mirum eſt,pauci tanto exercitui) proceſſerunt, ne ordinibus quidem ſervatis. Tantum illis animi ad prælium ſuperat. Erant illis tunc ductores præcipui genere nobiles, Boleco Bardenfletus, Tammo Huntorpius, Thedmarus ab aggere cognomen ferens: quorum vocibus fortiter jactatis magis etiam ad audaciam incendebantur. Improbos & ambitioſos ſacerdotes ſanguinem ipſorum ſitiere, propterea quòd ipſi ſe dedere illis in turpem ſervitutem, & nugas eorum omnes pro ſacris adorare recuſent: Meminiſſe ipſos oportere, quâ in terrâ, quibus parentibus, quâ conditione nati ſint: quid patriæ, quid gloriæ majorum, quid libertati debeant: Alios alia habere, quæ eos vel ad fortitudinem exſuſcitent, vel vitæ conſulere moneant: Stedingios quidem decere vel bis mori potius in acie, quàm ſemet ludibrio & libidini nequiſſimorum ſacerdotum reſervare. Campus non procul Viſurgi eſt, quem Oldeneſcham vocarunt. In eo cùm occurriſſent ſibi acies duæ pari quidem animo ac impetu, ſed numero ac viribus multùm diſpares, pugna aliquandiu anceps ſtetit: donec tandem Clivenſis Princeps, circumductâ copiarum parte, denſum cuneum in tranſverſam hoſtium aciem à latere immitteret. Tum perturbati dejectiq; Stedingii, quicunq; fugere non poterant, gladiis ac haſtis confecti, aut equorum pedibus calcati protritiq; ſunt. Sex millia ita periiſſe dicuntur. Reliqui in fugam verſi magnam partem in foſſis, quibus regio plena eſt, à ſuis pariter & hoſtibus eliſi, plurimi etiam in Viſurgim flumen proximum perſequentium metu ſe præcipitantes occubuêre. Quos verò fuga ſervavit, extorres patriâ, in varias terras ſparſi ſunt. Decem omninò ex Epiſcopi & Principum exercitu cecidiſſe memorantur; quis credat? In quibus Henricus Comes Oldenburgius, Burchardi agnatus, avidiùs cæteris in primos pugnantes ſeſe inferens, item Guilhelmus Egmondanus Hollandus, Gerardus Dieſtanus, Henricus Wilthuſius fuêre. Quanquam ſint autores, qui multò plures periiſſe affirment: quod mihi veroſimilius. Commiſſum prælium anno, quem notavi priùs, M.CC.XXXIIII, die IIII Calend. Iunii. Exin Stedingiorum ager peregrinos colonos multos accepit. Gerardus epiſcopus bello huic ampliùs quàm XXIIII annos ſuperfuit. Hic terror latè ſparſus omnes corripuit, quibus aliquid cum epiſcopis controverſiæ erat, atq; ita ad Drentinos quoque ante alios haud immeritò pervenit. Nam Wibrando Vltrajectino nuper vitâ functo alium jam ſurrogatum ei epiſcopum videbant multò majoribus fultum propinquitatibus. Is Florentii Hollandi erat frater, Otto in præſulum Vltrajectinorum ordine ejus nominis tertius. Florentius autem cum magnâ exercitus hujus parte, quæ in Belgio & circùm Rhenum collecta fuerat, domum revertebatur, & Brabanti, Geldri, Clivici voluntates habebat ſibi addictiſſimas: ſororius quippe Brabanti erat, reliquos proximo ſanguinis gradu attingebat. Nec quicquam ei videbatur proclivius, quàm hos omnes, ſi vellet, ad invadendos ſecum Drentinos impellere. Criminis prætextus hic Stedingico par, præda etiam major. Quas ob cauſas, Drentini ut malo maturè occurrerent, ſponte ſuâ legatos Vltrajectum miſerunt, petitâq; per eos priorum veniâ ad honeſtas ac tolerabiles deditionis conditiones ſe obtulerunt. Epiſcopus quoq; æqua offerentes ſine bello in gratiam recipere, quàm per labores, impendia, pericula, ſanguinem, regionis totius vaſtationem aut perdere aut ad obſequium reducere maluit. In conditionibus hoc reliquæ mulctæ adjectum, ut ad expiandum facinus eo loco cœnobium populus conſtrueret, ubi Otto epiſcopus cum cæteris erat interemptus. Id cœnobium aliquot ab annis in viciniam Roldæ deinde tranſlatum Aſſenæ nomen tulit, & domicilium virginum Ciſtertienſis familiæ fuit. Tum quoque tumultus, qui totos jam annos duodecim Orientalem Friſiam inquietam ac ſollicitam habuerant, per tranſactionem compoſiti, & quies illi oræ reddita. In tranſactione lex hæc Nordanis, qui viribus inferiores fuerant, dicta, ut cæteris omnibus mille marcas auri puri, & quinquies mille argenti penderent: ad hæc

tantun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

tantundem argenti Vttumanis in Amaſanâ reſtituerent, quantum ipſi olim ab his acceperant in eum finem, ne ſe cum eorum hoſtibus conjungerent: hoc eſt, quanti iis pacem vendiderant: cuncta verò hæc pondere & monetâ EMDENSI præſtarent. Trans Amaſum autem motus adhuc iidem inter partes continuati: Et Reiderii quidem ab Amaſanis belli Nordani curâ jam liberatis magis ſibi cœperunt metuere, auxiliumque à Fivelgoniis, ſi res auxilium poſceret, petierunt. Sed eo uſos eſſe nuſquam legiſſe me commemini. Tranſlavicani verò à Lavicâ in Flevum uſque & oratione Huneſgoniorum, & proprio dolore incitati, in Longowaldios & Fredowaldios, atque eorum ſocios Fivelingios ſe commoverunt. Huneſgonii enim Groningenſium ſubſidio deſtituti, (hi Drentinâ pactione ab armis receſſerant) novis auxiliis in hoſtes opus habebant: & Tranſlavicani nuper Vltrajectini ſigna ſecuti in Drentiam à Longowaldiis & Fredowaldiis, qui à Drentinis partibus ſteterant, malè ſe mulctatos eſſe concoquere non poterant. Accedebat, quòd Fivelingii prædatoriis navibus inſtitutis in Amaſo Tranſlavicanos negotiatores paſſim deprehenſos injuriis afficiebant. Sic apparatus ubique factus maximus, & auxilia hinc inde rogata: ſed memorabile nihil geſtum, quod Tranſlavicani inter ſe ſtudiis diviſi, ſuperante odio mutuo, ante pugnam in partes abierunt. Dehinc inimicitiis magis exercendis, quàm juſto bello gerendo proximi ſunt anni aliquot ab Huneſgoniis & Fivelingiis traducti. Groningani verò cùm foris quietem jam haberent, domi in ſe verti cœperunt. Nam cùm Egbertus Gronenbergius fato deceſſiſſet, inimici ejus Gelekingii, priùs memorati, odium quod dudum in eum geſſerant, in ſobolem ejus adhuc improvidam effundere ſtatuerunt. Quamobrem conjuratione in capita trium fratrum in- M. CC.
ſtitutâ, principibus Thezone equeſtris ordinis viro, & Rudolfo Egberti ne- XLII.
ceſſario, adſcitis quoque in conſilii ſocietatem Papingiis, Rudolfum Egberti filium natu maximum primùm invadunt, & occidunt. Deinde in Egbertum & Godſcalcum fratres ipſius verſi, ſed conatu ſuo fruſtrati ſunt, illis fugâ ſibi oportunè conſulentibus. Qui ſimul ac conſiſtere ex timore potuerunt, accerſitis ad ſe Rudolfo & Menſione patruelibus ſuis, & fœdere cum Pedeſanis equeſtris familiæ viris inito, compluribuſque aliis factioni adjunctis, domum ſuam, quæ per ſe operibus firma erat inſtar arcis, præſidio munierunt. Adverſarii contrà, ut ſe quoque tutos ſiſterent, Walburgis fanum, domumque Thezonis cum duabus aliis præſidio armatorum inſederunt. Atque hoc modo velut bellum civile intra ejuſdem urbis mœnia gerentes, caſtraque caſtris oppoſita habentes mutuis in ſe injuriis, ac cædibus graſſabantur, majuſque detrimentum iis accidebat, penes quos concitati motus culpa major ac certior erat. Qui tandem multis ſuorum occiſis cùm impares jam eſſe ſe inimicis cernerent, ceſsêre fortunæ; domuſque cedentium captæ, direptæque, nonnullæ etiam penitùs everſæ, nonnullæ incendio datæ; atq; hoc porrò igne totum penè oppidum afflatum ingens rurſus detrimentum accepit. Tum impetus in arcem Denerdewinkel confugium Gelekingiorum factus, arx capta, & ſubverſa, & Wigboldus Wiggero genitus cæſus: Elecha vicus celebris in Drentiæ aditu uno ab oppido Groningâ milliari ob Schulteſium ſuum Rotgerum Thezonis partes ſecutum exuſtus. Nec à Thezone & ſociis intereà ceſſatum, quorum vi Gronenbergia arx principium omnis mali, ut ait annalium ſcriptor, cecidit; deinde Pedeſanorum turris lateritia, & domus alia munita familiæ ejuſdem, omniaque partis illius, quæ adiri ab adverſariis poterant, igne aut ferro corrupta. Sic odia utrinque pro virium modo expleta. A triennio inſolitum gelu Sole jam ad arietem accedente terram conſtrinxit, ut arari tempeſtive ac ſeri non potuerit: deinde immodicâ circiter Pentecoſten cœlo delapsâ pluviâ cuncta penè ſata corrupit. Vnde annonæ ſecuta caritas per proximos aliquot annos vicinas regiones preſſit: eamque anni proximi diluvium per menſem

M. CC. XLVI. Novemb. etiam intendit. Anno eodem, qui fuit M. CC. XLVI, Moguntinus archiepiſcopus Pontificis nomine in hanc Germaniæ oram emiſit Wilibrandum monaſticæ vitæ hominem in dicendo pollentem, inque hoc negotio jam antè verſatum, ad concitandos paſſim homines in Fridericum II Imp. tanquam in Saracenum, & à Chriſti religione deſciſcentem: Qui in Friſiam cùm veniſſet, à ſociis cœnobiis, qui eum ſecuti fuerāt, violati obſequii inſimulatus, poſtquàm multos jam commoviſſet, à cœpto deſiſtere eſt coactus. Sed in cœnobium ne retraheretur, appellato ſummo Pontifice, ad principium anni ſequentis M. CC.
M. CC. XLVII. XLVII Lugdunum in Galliam, ubi tum fortè concilium habebatur, ſe contulit. Ibi cùm ageret cùm Pontifice Innocentio IIII, & de Friſiorum promptitudine aſſiduò loqueretur, pecuniam, arma, viros, apparatus iſtinc venturos, ſi quis eò mitteretur, in ore haberet, advenit eòdem Ludovicus IX Galliæ rex, ſingulari pietate ac juſtitia princeps, de expeditione in Palæſtinam, quàm animo jam conceperat, cum Pontifice conſilium collaturus. Is ſive ab hoc homine inſtigatus, ſeu ſponte ſuâ, à Pontifice petiit, ut oratores in Friſiam mitteret, qui eam gentem denuò ad ſacram militiam habendis concionibus exſuſcitarent. Miſſus ſtatim Rigenſis archiepiſcopus Albertus, & cum eo idem hic Wilibrandus. Quorum adventu in urbem Groningam (venêre autem poſt Idus Septembres) antiſtites, ſacerdotes, nobiles, prætores, aliique viri ſpectati, imprimis quotquot ſignati cruce erant, eòdem convocati, quid hi à Pontifice in mandatis adferrent, inſpectis diplomatis, ac mandatorum litteris cognovêre. Deinde concionibus habitis hic illic, ac multis militiæ autoratis, cæteriſque rebus conſtitutis, jam diſceſſuri præcipiunt, ut omnes nomina profeſſi ad Calendas Maij anni ſequentis ad iter ſint expediti, quòd eo tempore Gallorum rex eidem ſe itineri daturus diceretur. Verùm clamantibus omnibus non poſſe tam citò expediri, quæ iſtuc pertinerent, arma, naves, pecuniam, commeatus, ad eaſdem Calendas anni alterius tempus eſt ampliatum. Et hic idem quoque annus eſt mortis Ludolfi Monaſterienſis epiſcopi, XXII, ab eo, quo epiſcopatum inierat. Ei ſucceſſit Otto II è domo Lippienſi, nepos ex fratre Ottonis Vltrajectini ad Coverdiam interempti. Aliud etiam tum accidit memorabile, à rebus Friſicis non alienum. Florentio Hollando mox ab expeditione Stedingiâ fraude Claromontani, ut fertur, equeſtri in ludo peregrè perempto, Guilhelmus II ex eo genitus ſucceſſerat parvo natu. Huic vixdum adoleſcentiæ annos egreſſo, ſed indole eximiâ, cùm fulmine Pontificio afflatus, & deſertus à ſuis per Germaniam eſſet Fridericus II Imp. & cum eo jaceret filius ipſius Conradus IIII, Henricuſq; Thuringiæ princeps, qui ei ſurrogatus fuerat, ad Vlmam telo ictus periiſſet, à principibus Germaniæ vergente jam Septembri menſe Imperium fuit delatum. Sed maxima tum inerat capeſſendo, adminiſtrandoq; Imperio difficultas. Nam & valdè turbatæ res Germaniæ erant ſcelere Pontificum, & Suevicæ domus gratia nondum in animis Principum & populorū tota evanuerat, nonnullæq; civitates peramplæ, quarum magna tum authoritas & jus erat, in Friderici & Conradi fide conſtantes manebant. Inter has & Aquiſgranum fuit; quo in oppido ſolennem coronationem peragi oportebat. Quod cùm eum non admitteret, magno impedimēto erat, quo minùs ea fierent, ſine quibus ritè conſecratus Imp. videri, ac de Imperio certus eſſe haud poterat. Quocirca cùm legationibus fruſtrà patefacere ſibi oppidum tentaſſet, nec ſpem haberet ampliùs inermem ſe receptum iri, ad arma ſe vertit, auxiliaque pro rei magnitudine neceſſaria circumſpexit. Nec viſum quicquam magis idoneum, quàm ſi Brunſuicenſis Ottonis, principis eo tempore per Germaniam antè alios potentiâ atq; opibus validi, affinitate, cujus uti re atque operâ poſſet, adſcitâ ſibi in uxorem filiâ ejus, ſe muniret. Dehinc ad Friſios vicinos cōverſus, quos audierat avo quōdam ſuo conjunctiſſimos vixiſſe, magnoq; honori & præſidio contra inimicos fuiſſe, eorum ſibi ſtudia quoq; concilia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

conciliavit. His præſules & proceres per Germaniam ac Belgicum complures adjicit. Sic exercitu ex Hollandis, Selandis, Vltrajectinis, & iis, quos conferebant ſocii, confecto, imprimis è Friſiis inſigni manu armata, Colonienſe, Leodienſe, Geldro, Hannonio comitantibus, Aquiſgranum ducit ad æſtatis initium, haud deſperans, conſpecto exercitu aliam eſſe mentem cives induturos. M. CC. XLVIII.
Sed cùm perſtare eos in ſententiâ videt, nec exercitus aſſultu terreri, quòd à Friderico auxilia expectarent, caſtra contra urbem ponit, obſidionemque inſtituit. Quâ ad æſtatis uſque exitum continuatâ, cùm nihil ſe proficere cerneret (erumpebant enim ſæpè oppidani, & commeatus, ac cætera neceſſaria urbi inferebant) ad Friſios mittens auxilia eos majora popoſcit. Illi validiſſimam fortiſſimorum juvenum legionem ex omni regione ſuâ collectam armant, & Aquiſgranum ire jubent. Hæc ad ſocios in caſtra profecta, cognitâ Imperatoris & procerum voluntate, ſine morâ campum, qui à boreâ civitati imminet, celeriter occupat, quem nulla pars exercitus propter eruptiones Aquenſium inſidere priùs fuerat auſa, & licet erumperent ſuo more obſeſſi, ſummâque vi depellere loco legionem niterentur ter repetito conatu, cædeſque & vulnera inferrent, tamen efficere non potuêre, quo minùs illic quoque caſtra ab obſidentibus collocarentur. Quibus communitis, tum demùm civitas verè obſeſſa, & in anguſtiam redacta virtute Friſiorum videbatur. Sed adjectum ſtatim arctatis induſtriâ eorundem incommodum aliud. Nam aggere maximæ molis objecto eâ parte, quæ infra civitatem eſt in convalle ſitam, aquarum derivatio è montibus circumpoſitis in cõvallem & civitatem deſcendentium eſt impedita: aquæque ſtagnantes, quas pluvius autumnus augebat plurimum, haud minùs tertiâ parte civitatem obruerunt. Hoc modo tandem fracti animis cives, deſperato à Friderico auxilio de pace oratores ad Guilhelmum miſerunt, civitatemque illi dediderunt. Quod factum die XV Calend. Novemb. Addunt noſtratium nonnulli, ob cæſum Meinoldum Onſtium ſupremum vexilliferum ſuum irritatos animis Friſios, repentè in mœnia impetum feciſſe tantâ vi, ut cives defenſionem deſperantes deditionis ſigna extulerint: Friſios oppidum jam penè in poteſtate ſuâ habentes ab Imperatore poſtulaſſe, ut dedititiis ignoſceret, neu fieri direptionem nobiliſſimæ civitatis pateretur: ſic deditionem Guilhelmo factam. Guilhelmus oppido potitus virtute Friſiorum, quod omnium voce ac ſermone ferebatur, præſentibus Cardinalibus duobus, & magno epiſcoporum, nonnullo etiam cæterorum Germaniæ procerum numero, à præſule Colonienſe ſolenni ritu Imperator inauguratus, & coronâ ferreâ Caroli Magni antè aram maximam in fano Mariæ virginis inſignitus eſt ipſis Calendis Novemb. Tum petentibus Friſiis, (quos ſecum retinere Imperator ad terrendos, qui nondum obſequium induebant, concupiverat) intercedente Thetardo Dodingâ è nobilitate Friſicâ, viro primario & inclyto, dimiſſio confeſtim data: quinimò gratiæ referendæ ergò toti genti libertas, & jura omnia, ſicut ea Carolus Magnus quondam & ſucceſſores attribuerant, ab eodem Imperatore novo Guilhelmo ſolenniter confirmata, tabulæque hac de re confectæ cum Imperatoris ſigillo: quæ etiam nunc extant. In his expreſsè teſtatur Imperator, ob captum Friſiorum virtute Aquiſgranum hoc ſe illis tribuere. His addita ferunt in memoriam ejuſdem virtutis Friſicæ liberum balnei uſum apud Aquiſgranenſes, peculiaremque ſpectandi ſanctorum reliquias locum, & commorandi diverſorium in eâdem civitate, quæ etiam nunc ſervat poſteritas. Hac ad Aquiſgranum expeditione impeditus eſt apud Friſios apparatus ille armorum & itineris in terram ſanctam: in quam Ludovicus Galliarum rex ampliſſimâ cum claſſe & exercitu maximo, comitantibus Carolo & Roberto fratribus, & principibus ex Galliâ & Belgico aliis iturus ad x. Calend. Septemb. è portu Maſſilienſi ſolvit, Cyprumque hyemis illic agendæ gratia petiit. Fratrem verò Alfonſum cum altero exercitu,

atque alterâ claſſe in proximum ver ſe parare, & in Ægyptum ſubſequi juſſit. Hnic Alfonſo ſe Friſii magno numero eandem militiam profeſſi junxêre: de quorum fortunâ, & totius expeditionis eventu, poſt erit dicendi locus. Sed & iiſdem diebus quibus Friſii Aquiſgrano diſceſsêre, recruduit tumultus Groningæ inter factiones eaſdem: in quo circiter Calendas Novembres Thezo turbulenti ingenii homo Gronenbergiæ domus hoſtis autore Rudolfo Pedeſano eſt interemptus. Eâque cæde non compreſſa, ſed aſperata, & longiùs propagata ſunt inteſtina odia. Hanc excepit ad XIII Calend. Decembris horrenda cœli tempeſtas primùm ab aquilone, deinde à zephyro, tum à circio, & rurſum ab aquilone commota: cujus vi concitatum mare ſupra aggerum altitudinem ſe ſuſtulit, & omnem planiciem agri Friſici oppreſſit: nec ſolùm exteriores in littore aggeres, ſed interiorem quoque in Fivelingiis & Huneſgoniis, qui rivum Delfam præcingit (is eſt rivus, quem nunc cataractæ in ora claudunt) disjecit. Et hujus diluvii cùm nondum oblitterata veſtigia eſſent, ecce ad initium anni
M.CC. XLIX. M.CC.XLIX, tonante zephyro, & in circium declinante, conſpicuis in ſublimi nocturnis ignibus ſucceſſit diluvium aliud; ac rurſum pridie Idus Februarii aliud. Quod poſtremum quia corus perſtabat diutiùs, & aggeres disjecti jacebant, per aliquot continuatum dies, & latiùs etiam ſolito in agros à littore procul remotos diffuſum. Poſt, digreſſis aquis, cùm arrideret labor agricolis, (putre enim & pingue ſolum videbatur) agri latiùs quàm ſolent, arati ſatique ad levandam annonam. Sed id gravem jam antea multò etiam graviorem fecit. Nam ſalis vis, & penitùs ſolo hauſta tot diluviis; & ſubſecutâ per æſtatem ſiccitas immodica, proventum ſegetum impediit, atq; ita ſementis pariter cum meſſe periit. Hinc fames aucta, & lues in pecudes primùm, quas infinito ſuſtulit numero, paucæ ut reſtarent, mox & in homines deſæviens atro-
M.CC.L. citer, prorogataque in annum ſequentem M.CC.L, ejuſque præfervido calore per æſtatem aſperata magis, peſtilentiæ illius Atticam quondam depopulatæ tempore belli Peloponneſiaci miſerabilem memoriam & exemplum hominibus eruditis renovavit. Quam rem qui in litteras retulerunt, arbitrari ſe oſtendunt, ex inſepultis pecudum cadaveribus paſſim per agrum putreſcentibus aëra infectum: hinc luem tam atrocem & lethiferam enatam: quâ correpti pauci admodum fatum evadebant, quoad docente tandem uſu cauterii remedium fœdis ulceribus adhibitum. In his tam magnis malis feruntur Groningani, qui negotiationibus & rei maritimæ pro temporum illorum modo dediti copiam aliquam frumenti habebant, periniquâ ratione annonam flagellaſſe, & immoderatiùs quàm deceret, vicinis inſultaſſe ſuis. Cauſa ex memoriâ prioris belli partim, partim ex ſeceſſione civili fuit. Etenim ita inter ſe vicini omnes ab aliquot jam annis agitabant, ut nec bellum illis apertum, nec pax certa eſſe videretur. Oppidani quidem Drentinorum armis aliò primùm averſi, deindè tranſactione eorundem cum præſule ſuo velut bello ſubducti: Fivelingii autem cum Huneſgoniis inducias potiùs armorum tacitas, dum utrique quieſcunt, quàm pactionibus certis interceptum bellum, habebant: diffidentiâ verò inter ſe, & tacitis odiis omnes laborabant. Adhæc oppidani agrarios in univerſum, & ſine diſcrimine, agrarii oppidanos diverſarum injuriarum inſimulabant: eaque per factioſos familiarum nobilium utrinque incendebantur: in quibus Gronenbergicarum partium duces etiam ex Huneſgoniis pleroſque de ſuggeſtis contra ſe occultis auxiliis factioni adverſæ accuſabant, maximumque urbanæ plebis numerum in partes trahebant. Et hæc cùm ſic haberent, tamen commerciis inter ſe mutuis per haſce armorum inducias non abſtinebant, imprimiſque nundinarum conſuetudine uſitatâ utebantur. Ad quas cùm tribus ruſticæ, ut aſſolent, equos armentaque cætera adduxiſſent in oppidum, qui maximè factioſis ingeniis erant ex oppidanis, autoribus Conrado Groningano, Adolfo ac Rudolfo Pedeſanis equeſtris ordinis homini-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

hominibus, in hæc, quæ venum adducta erant, manum injecêre: deinde pluribus ſibi aſſociatis, & paulatim majore civium numero in partes tracto, injurias inferre alias, detrimenta alia; nec ab Huneſgoniis veteribus ſociis magis quàm à Fivelingiis ſibi temperare: è Fivelingiâ quoque nobilitate quoſdam in cuſtodiam dare: eaque ſe jure facere omnia diverſis agrariorum injuriis provocatos profiteri: agrarii perplexi hærere, nec conſilii, nec animi certi: quoties tamen occaſio ferebat, quiſque dolorem ſuum ulciſci, universâ ac publicâ vindictâ inteſtinâ diſſenſione prohiberi. Erat tum apud omnes agrarios ordines magnâ gratiâ & autoritate Sicco decanus Fermſumanus, qui Haiconi parenti, Sicconis filio, aliquot antè annos in eo honore ſucceſſerat, prudentiâ, doctrinâ, facundiâ plurimum valens: Is occaſionem rapiens, quod ſapientiæ erat, communes injurias, ignominiam, periculum apud Fivelingios, & Huneſgonios commemorare, traducereque acerbiùs, dicere, utriſque pariter infenſos eſſe Groninganos, libertati inimicos, acerbos hoſtes, inſolentes ſocios, noxios vicinos, universis exitio futuros, ni reſipiſcentes maturè ex ſtultitiâ priore litem ipſi, quam inter ſe habeant non dignam ſanè tot cladibus, quot nunc iſtinc extiterant, componant, & in hoſtes communes ſe fœdere muniant: his addere amicitiam & ſocietatem veterem, eundem ſanguinem, eandem linguam, inſtituta, jura, mores: oſtendere, quam veſanum ſit, homines ejuſmodi penè ſine causâ ſe mutuò atterere, & ſtultitiâ ſuâ gaudium ac riſum communibus inimicis creare. Hujus autoritatem & conſilium ſequebantur alii utroque ex ordine viri prudentes, nec ſatis oppidanis æqui: quorum operâ effectum, ut colloquiis inſtitutis bellum à vigeſimo, quàm cœperat, anno inter ſe Fivelingii & Huneſgonii tandem finierint. Is fuit annus, quem priùs notavi, M. CC. L, æſtate jam ad exitum properante. Conditiones placuerunt hæ: Ernerenſes, quadrantem inſulæ, de quâ lis fuerat, Vthuſani dodrantem haberent: pro numero cæſorum hinc inde principes partis utriuſq; Ernerenſes & Vthuſani mulctas penderent: captivos dimitterent: redemptionum pretia jam ſoluta bonâ fide refunderēt: detrimenta læſorum nobilium membrorum pretia ſolverēt: cætera vulnera & læſiones in gratiam pacis mutuò ſibi omnes condonarent: poſtremò pro omnibus illatis damnis, incendiis, prædis, ſpoliis Ernerenſes XXIV marcarum Fivelingicarum millia Vthuſanis & Fivelingiis, Vthuſani DCCCC marcas Ernerenſibus & Huneſgoniis dependerent: ſic pax inter partes eſſet, & fœdus perpetuum. Tum patuit ſtatim, non benevolētiâ mutuâ, aut quod ita expedire utriſq; putaretur, commotos, ſed odio in Groninganos conſenſiſſe. Nam priuſquam redigi in tabulas conditiones poſſent, velut moræ impatientes in communes inimicos ſtatim ſunt profecti: & primùm Gronenbergiam arcem in conſpectu Groningæ ſitam versùs ortum amne Huneſo, qui Huneſgoniæ nomen dedit, penè in orbem circumfluam, vixdum è clade nuperâ reſurgentem, invaſerunt ſummâ vi, captamq; funditùs ſunt demoliti. Oderant enim locum ob principes factionis inimicæ, quorum domicilium erat præcipuum, & quod præſidium in Drētowaldios extructum eſſe, cervicibuſq; eorum imminere videbatur. Hinc Groninga ipſa appetita, caſtriſq; circumpoſitis obſidio ejus tentata: ſed ob præcipitem & pluvium autumnum humilibus & uliginoſis locis incommodum, ſine profectu rurſum ſoluta. Hoc ipſo anno menſe Octobri ſeneſcente Henricus pręſul Vltrajectinus antiſtiti Adoardiano, totiq; collegio monaſtico defenſionē pollicitus eſt, per univerſam diœceſin ſuam, & emendi, vendendi, contrahendi facultatem cōceſſit cùm alibi, tùm nominatim Groningæ, & in territorio Groningano: addidit de vectādis per Drentiam aliaſq; diœceſeos regiones lignis & ceſpitibus, ac agēdis pecoribus, ſimiliaq;, ſcriptione haud digna. Anno proximo M. CC. LI, iidē Fivelgonii & Huneſgonii fœdere ſuo tum demùm ſolenniter cōcelebrato, obſidibus fidei mutuæ datis, adjunctis quoq; novis è præfecturâ veteri ſociis, confeſtim à Paſchatos in Groninganos rurſum ſe expediunt; qui interea

novæ obſidionis metu per homines nobiles,cives ſuos,conducto milite ſe communierant. Sed fœderati ad oppidum reverſi non obſidere ſolùm, & civibus exitum claudere, ſed oppugnare quoque mœnia occœperunt. Et jam nonnulli ſuperatis foſſis in vallum ac murum eniti,faſtigiumque appetere,in id evadere, viriliter rem gerere:obſeſſi contrà ſummâ vi & virtute ſe tueri,ſcorpionibus, lapidibus, haſtis, gladiis in hoſtes pugnare, eoſque muris dejicere: ſperare, ſi primos impetus ſuſtinuiſſent, qui ſanè acerrimi ac vehementiſſimi erant, confœderatos,ut aſſolent, velut effuſis viribus languidiores futuros, adeoque tædio fractos domum eſſe dilapſuros. Verùm cùm cernerent pertinaciùs eoſdem niti, & menſem jam totum indefeſſos oppugnationem urgere, nec ſibi in civitate concordiam conſtare (necdum enim civilis factio expiraverat) atque ideò ſegniùs jam nonnullos reſiſtere, dejecti animis, quòd latè graſſaturum irati victoris enſem vererentur, ſi vi capi oppidum contingeret, poſtulato colloquio, oppugnantibus ſeſe dedidère. Deditionis leges dictæ quatuor: ut muri civitatis ſubverterentur: ædificia etiam privata in civitate lateritii operis valida atque edita, unde vis fieri poterat, ad cellaria uſque dejicerentur: forum mercatorum in urbe liberum eſſet, & nulli prohibitum: nobilitas equeſtris, quæ turbas has dederat, cæterique homines militares, ſalvis rebus ſuis civitate excederent, nec domicilium ibi unquam rurſum figerent. Sic oppido mœnibus omnibus nudato, domibus ad præſcriptum modum dejectis, nobilitate militari ablegatâ, pars exercitus Pedeſam profecta ejus loci caſtellum ac munitiones omnes invaſit,cepit,penitùs deſtruxit,ne quis illic receptus eſſe inimicis poſſet. Tum à fœderatis domum diſceſſum. Exin opera data,quemadmodum convenerat in deditione, ut pax cum conditionibus ſuis ab Vltrajectino epiſcopo Henrico, cujus intererat, rata haberetur: idque ab eo in pacis gratiam facilè impetratum, & jusjurandum etiam firmandæ fidei causâ autore epiſcopo interpoſitum. Atque ita ab armis quies aliquandiu iſtis locis fuit. Sed cum armorum quiete non quieſcere ſimul animi omnium potuêre. Nam qui excedere patriâ juſſi erant viri nobiles & militares cum comitatu ſuo, proculque rebus ſuis extra Drentiæ fines in Tuentiâ aut Weſtfaliâ exilium tolerabant, ignominiæ atque incommodi æquè impatientes aſſiduò cum fortunâ rixabantur ſuâ, & vel cum morte eam ſibi commutandam, ſi aliter non poſſent, arbitrabantur. Itaque conſilia clam coquere de repetendâ civitate, de ulciſcendis inimicis, atque hoc in corde, hoc in ore, cùm ſoli erant, verſare, in eo omnes ſuas cogitationes conſumere: imprimis in Gelekingios fremere, & eorum ſocios: hos dicere, fœderatos occultis exciviſſe nunciis, multò minùs eam præſtitiſſe fidem & conſtantiam in civitatis defenſione, quàm præſtare fuerat æquum: imò deditionem, antequam urgeret neceſſitas, præcipitaſſe; atque hoc modo omnem ſuam fortunam eorum perfidiæ imputare. In hæc verò conſilia ſocios ſibi occultò adſciſcere ex numero civium, cum his conſtituere,quæ ad rem pertinere videbantur. Inter quæ Gerbrandus Ingaldumanus, gentis ſuæ eo ſæculo doctiſſimus, domi ſuæ ſtrangulatus ſcelere Eſculfi hominis factioſi indignâ morte periit. Et Repertus decanus quondam apud Loppershemios, vir rapax, cùm vitæ tandem nequiter actæ eum piguiſſet, ab antiſtite Werumano in monachum attonſus, reſtitutis, quæ antè rapuerat, in cucullo deceſſit:eumque ſecutus Menco Ripenſis ſacerdos inter litteratos ejus temporis non poſtremus. Huneſgonii verò pace jam fruentes,quòd per diuturnos tumultus multa in rep. ſua peſſum iiſſe viderent, conventu omnium ſuorum ordinum eam ob cauſam habito, leges patrias ſummatim recenſuerunt, additis, explicatis, reſtitutis, quæ res ac ratio præſens reſtitui, explicari, addi poſtulabat. Imprimis paci publicæ & privatæ conſultum,injuriis obviam itum,pœnarum modus certus ſtatutus,ſucceſſionum jura paucis repetita.Quæ omnia vetuſto ſermone Friſico exarata, etiam nunc extant. Principes actionis

M.CC.LII.

hujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

hujus in calce nominantur Eilwardus Adoardius, Haico Rottumanus, Fridericus Mernæus abbates, & qui cæteros ſapientiâ anteibant in Huneſgoniâ. Hinc omnibus jam paratis, ac conſilio adulto, exules, quos dixi, per autumnum anni ejuſdem M. CC. LII celeriter & quàm maximè poterant occultis itineribus Groningam advolant, adjutique à ſuis ſummo diluculo in oppidum penetrant, primoque ſtatim impetu Henricum Butelium nihil hoſtile ſuſpicantem trucidant. Deinde Gelekingiorum fortunas diripiunt, ipſos multis contumeliis afficiunt. Quibus rebus commoti fœderati per agrum (nec enim ignari eſſe poterant in tantâ propinquitate) copias rurſum cogere, & expedire arma cœperant, cùm illi deſperatâ contra tantam vim defenſione ad conſilium magis neceſſarium quam ferocibus ipſorum animis decorum aut gratum, convolarunt. Nam miſſis oratoribus in gratiâ fœderatorum ſe ſpem habere ſignificarunt. Iuſſi ſe dedere, & arbitrio gratiæque fœderatorum cuncta permittere, & imperatis ſine exceptione parere, conditionem acceperunt: obſideſque fidei Conradus Huneſgoniis, Egbertus Fivelingiis ſemet tradidere. Tum omnibus, ut convenerat, conſtitutis, probatiſque, cùm ſe tandem ampliſſimis promiſſis ex hac cuſtodiâ expediiſſent, circumſcriptos ſe nimis iniquis conditionibus arbitrati contra pacta conventa militem ſibi adſciſcunt audaciſſimum quemque: & Groningam reverſi cœnobium Franciſcanum repentè occupatum præſidio & rebus aliis communiunt. M. CC. LIII. Similiter domos alias lateritias, ex quibus infeſtare inimicos, & ſe tueri poſſent, oportuno loco per urbem ſitas invadunt, armaque ac commeatum iſtuc comportant. Adverſa factio ſtatim ad Martini fanum, & Walburgis, & Nicolai tanquam ad aſyla confugit; oppugnata ab hoſtibus omni vi, & in arctum redacta auxilium rurſum ab ordinibus agrariis in homines perfidos rogat. Fivelingii confeſtim parati ob rei indignitatem, & qui non alienam, ſed ſuam eſſe cauſam exiſtimarent, Huneſgonios etiam appellant, fœderiſque eos in communem hoſtem admonent. Hi diverſis ſtudiis diviſi, & priorum memores ac novis Gronenbergiorum promiſſis oppugnati, cùm conſentire non poſſent, domo non exeunt. Sic deſtituti à ſociis ſoli tamen Fivelingii Groningam contendunt, & præſidiis hoſtium ſine intermiſſione oppugnatis, per vulnera & cædes tandem eos ad deditionem compellunt. Conradus factionis dux ab irâ victorum ſibi metuens, premente conſcientiâ, in tumultu & pugnæ fervore elapſus fugâ ſibi conſuluit. Obſes pro eo captus Adolfus Pedeſanus, & cum eo idem Egbertus Gronenbergius, ac tres alii, omneſque in Fivelgoniam ducti in liberis cuſtodiis habiti ad dies aliquot. Sed cùm inſtarent cæſorum ac vulneratorum propinqui, qui mulctam poſcebant, memorarentque, quid accidiſſet ante decennium, & horum quoque obſidum fluxam fidem traducerent, & vociferari inciperent vehementiùs, & ad tumultum ſpectare res viderentur, ſtatutum tandem, ut Appingadami (ea Dammona eſt) loco tuto in compedibus haberentur tantiſper, donec vades idoneos dediſſent. Ita ad ſeptimanas ſex in cuſtodiâ & compedibus retenti: deinde vadibus datis dimiſſi. Sed lupo prædandi ſtudium, quàm factioſis ingeniis tumultuandi morem ac inſtitutum citius ademeris. Quapropter domum reverſi hi ipſi (hoc enim illis licebat) paulatim ſtudia ſibi ultimorum in plebe adſciſcendo, deinde cōjurationes occultè inſtituēdo, Conrado eodem, de quo dixi, per internuncios & litteras (aberat enim) maximè impellente, iſtuc rem perduxêre, ut in partes iterum & civilia arma civitas diſceſſerit. De quo ſcribam paulò pòſt. Et hic jam quartus erat annus, ex quo Ludovicus Galliæ rex è Cypro in Ægyptum claſſe profectus difficili pugnâ littus Damiatæ proximum cepit: mox Damiatâ ipsâ ſine prælio alio, ſine obſidione, Barbaris metu prioris eventus diffugientibus potitus, adventu fratris ulterioribus appetitis, quæ Cairum ducunt, in prælia incidit cum hoſte, mirabili fortunæ varietate. Nam victor exercitus cùm nimis latè prædandi

ſtudio ſe diffunderet, & victoriam perſequeretur, parte ſui haud parvâ à Saracenis circumventus cladem accepit, & Robertum regis fratrem amiſit. Deinde locorum difficultatibus, inopiâ commeatuum, ſævâ lue, ipſiusque adeò regis invaletudine ſimul impeditus dum hæſitat, à maximo exercitu Saracenico, duce Sultano novo, qui celeriter ex Aſiâ juſſu moribundi parentis advolaverat, circumfunditur, & ad iniquam pugnandi conditionem adigitur, captis illîc ab hoſte duobus reliquis regis fratribus. Tum rex è morbo languens ultrò oblatas à Saraceno conditiones deditionis & pacis recipere coactus. In his ingens auri pondus pro capite regis & fratrum addictum: in dimiſſionem captivorum utrâque à parte, quotquot in cuſtodiis erant, conſenſum: Damiatæ reſtitutio antè omnia poſtulata & promiſſa. Inter quæ Sultanus magno Chriſtianorum bono à ſervis ipſe ſuis occiſus: ſervorum unus Imperator factus. Is eaſdem conditiones ratas eſſe voluit. Ita tum ut cæteris pactis à parte noſtrorum ſatisfactum, ſic Damiata quoque diſceſſum. Rex in Palæſtinam reverſus, præmiſſo in patriam Alfonſo fratre, in quintum uſque annum ab eo tempore, quo ex Gallia diſceſſerat, ibidem remânſit magno provinciæ illius bono. Quippe qui omnium labantes animos, & jam tum de rerum ſummâ deſperantes mirificè rurſum erexit, propugnacula magno impendio ſuo contra Barbaros extruxit, denique univerſum regnum nutans, ſapientiâ, induſtriâ, liberalitate confirmavit. Tandem revocatus à ſuis in Galliam eodem ferè tempore, quo poſtrema hæc, quæ narravi, Groningæ ſunt geſta, incolumis rediit, cùm jam ante triennium è vitâ exceſſiſſet Fridericus II Imp. Hunc annum qui excepit deinde, &
M.CC. Conradum IV, Friderici filium, cui pater Imperium moriens commendaverat, ſuſtulit, & orientalibus Friſiis valdè turbidus fuit. Nec tamen ſatis con-
LIV. ſtat, an eodem illo, quo initium habuerunt, anno, turbæ etiam hæ ſint finitæ, an verò in annos ſequentes procurrerint. In quo rurſum queri libet de annalium, quos monachi condiderunt, brevitate præpoſterâ, tam conciſè, tam obſcurè iſta ad poſterorum memoriam pertinentia commemorantium. Sic enim tantùm habent, Amaſanos eo anno Federgoniorum & Huſenſium diſſidentium ſtudiis in ſeditionem verſos ad arma prorupiſſe: & iſtos quidem ſuas in partes traxiſſe primùm Hintanos, & cæteros vicinos, præfecturaſque Sibetadiam, & Euoniam: deinde cùm bellum ſerpens progrederetur longiùs, etiam hinc Nordanos, illinc Reiderios ſibi aſſociaſſe: Huſenſes autem poſt initam cum Broecmeriis ſocietatem, cum hoſtibus ne ſic quidem ſe pares viderent, non propterea tamen deſeruiſſe ſe, aut animis fuiſſe dejectis, ſed depulſis viriliter periculis primis mox Harlingios in Nordanos, Amaſanos ſuperiores in Reiderios armaſſe, fœderibuſque ſibi devinxiſſe, atque hoc modo omnem eam Friſiæ regionem ad orientem Amaſo flumini in exitiales partes diſceſſiſſe; eoque bello, quod fortiter geſtum, aggerem illum, qui ſtagno Gentæ objectus erat ad coercendas ejus aquas, cui nomen tum Caldamereſdom, à Federgoniis eſſe perfoſſum, aquaſque in agrum Broecmerium effuſas permagna illi detrimenta attuliſſe. Cætera ſilentio prætermita. Atque hic mecum quæro, (quinam illi Federgonii in Amaſanis? quæ illæ præfecturæ Sibetadia & Euonia? (*Sibetates ombechta*, *Eues ombechte* indigetant annales) quæ ratio cognominis Huſenſium, quos Hemſetanos nuncupatos memorant? quo ſe uſque ſuperiores extenderint Amaſani? aliaque nonnulla. Et quanquam occurrant veroſimillima, nec abs re aliena, tamen adjicere ea hîc non lubet, ne receſſiſſe à certis in texendâ hiſtoriâ, & eam conjecturis meis infarſiſſe, ac ſuperfluam quæſiſſe prolixitatem videri queam. Interea Groningæ eòuſque rurſum progreſſa ſeceſſio civilis fuit, de quâ ſcribere cœperam, ut qui ſibi maximè metuerent à factione Gelckingiâ, ii fana urbana inſiderent, iſtuc tum cætera ad uſus neceſſaria, tum jumenta quoque ſua transferrent, loca ſacra ferè in militaria caſtella converterent. Cuncta tamen hæc citra cædem hactenus. Sed vindictæ deſi-
derium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

derium diutiùs non ferens Conradus exul, adjuncto ſibi audaciſſimorum hominum ejuſdem factionis globo, per tenebras noctis è viciniâ Silowerdiæ, cui Padapala tum nomen inerat, velut è latebris advolans, facinus conſcivit, quod vecordis audaciæ ac ferociæ nomine infamem apud poſteros memoriam meruit. Scalis quippe in fornicem templi Martiniani clam enixus, & quod reliquum noctis erat, ſilentio ac quiete tranſigens, mox cùm diluxiſſet, per cochleas ſe dimittens celeriter, quoſcunque in templo invenit attonitos, & nihil minùs expectantes gladiis invaſit, confoditque viros novem: cæteri per oſtia aut feneſtras, quâ quiſque in eâ conſternatione potuit, ſaucii integrique evaſerunt. Quæcunq; in templo reperta, ſupellex, commeatus, vinum, pecora, ſine diſcrimine in prædam verſa: nonnulla ſtipendio conductis in ſolutum data. Sic omnia tumultu mixta in oppido, & ſurſum deorſum raptata. Nec antè finis fuit, quàm ex nobilitate exterâ nonnulli in oppidum venientes, accinctis jam ad vindictam ordinibus agrariis, ſeſe interpoſuêre. Quorum operâ rurſum res compoſita his conditionibus: ut ἀμνηςία eſſet omnium injuriarum inter partes, nec iis, qui in partibus non erant cives quietis amantes, damnorum actione convenire liceret eorum autores. Ita pax optata rediit. Eadem à vicinis probata. Facta hæc anno à Virginis partu M. CC. LV. His tot malis edocta civitas multo dehinc tempore pacata vixit. Præſedit ei pro epiſcopo Vltrajectino Egbertus Gronenbergius, loco ſuo cum reliquis reſtitutus, velut judiciorum ſupremus præfectus. Cætera in rep. oppidanâ Senatus XVI-virûm moderatus eſt. E XVI-viris, quatuor Conſulari poteſtate Rationales, reliqui Seniores dicti: omnes ex vetuſtis aut opulentis familiis lecti. In quibus Hugingios, Papios, Folcherdingios, Hubaldingos, Reimannos, Sickingios, Buningios, Calmerios, Gelekingios, Wichelingios tum fuiſſe reperio. Quorum prudentiâ & moderatione factum etiam paulatim, ut muri civitatis, quos bellum ſubverterat, vigente pace reſurrexerint. Sed vix hæc compoſitio hîc coierat, cùm aliâ in parte renatum bellum pro patriâ libertate pugnare Friſios coëgit. Cujus origo à Guilhelmi Imperatoris ingenio ambitioſo, & inveteratâ Hollandicæ gentis in vicinos invidiâ atque inimicitiâ fuit. Guilhelmus quippè, magno ipſe animo, ac bellorum avido Princeps, quanquam virtute Friſiorum delectaretur, tamen omnibus inviſâ dominantibus ac potentiæ cupidis libertate per ſe tacitè offendebatur. Sed obſtabant cupidini ejus tot Regum atque Imperatorum ſanctiones, obſtabat, quod ipſe nuper dederat, diploma; obſtabat pudor, & rerum majorum, quas animo jam metiebatur, ſpes, ad quas Friſiorum virtute ac fide ſibi opus eſſe exiſtimabat. Id verò Hollandos vehementer urebat, qui circùm Principem erant aſſiduò. Hi inſtillare ejus auribus, quæ maximè incendendo animo juvenili eſſe putabant: in his recenſere jus vetus, quod ex Imperatorum decreto in Friſiam tot annos habuerint Comites Hollandiæ majores ipſius, adeoque multi in poſſeſſionem quoque ejus venerint: refricare memoriam vulnerum veterum: monere, hortari, impellere, ut ad vindicandum jus majorum ſuorum, delendumque tot cladium dedecus divinitùs oblatâ occaſione, id eſt, Imperii, quod gerebat, poteſtate uteretur: turpe illi eſſe, quæ majores obtinuerint, longè ipſo & dignitate & opibus inferiores, ea ipſum hoc honore, poteſtate, viribus præditum non habere: Adhæc commoda commemorare, quæ ex eâ provinciâ confectâ ſupra fidem acceſſura domui Hollandicæ eſſent, nec ex agro ſolùm quanquam fæliciſſimo atque uberrimo, ſed ex flumine quoq; ipſo, & portuum commoditate ſingulari: deniq; aut ſubigendos armis Friſios, aut anniverſarios & perpetuos Hollandiæ hoſtes habendos demonſtrabant. Et jam in hanc ſententiam deſcendiſſe videbatur Imperator, atq; iſtuc conſilia referre, cùm graviſſimum illi bellum in Selandiâ à Flandris motum. Id verò non ſolùm curas ejus in ſe vertit, ſed experiundæ rurſum Friſiorum fidei ac virtutis occaſionem præbuit. Adfuêre periclitanti ac M.CC.LV

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

petenti Friſii, qui Hollandiæ ſunt proximi, & promptiſſimâ fortiſſimâque operâ ſuâ maximam ſplendidiſſimamque, quam unquam retulit, victoriam ejus adjuverunt, cæſâ aut captâ maximâ nobilitatis Flandriæ, Arteſiæ, Hannoniæ parte. Quam ob cauſam mutato iterum animo in Germaniam curandis Imperii rebus anno proximo (is erat M.CC.LIIII) Imperator abiit: inde in Belgicum reverſus copiis Francicis, quas Ludovicus IX Galliæ rex è Palæſtinâ redux duce fratre Flandris auxilio miſerat, occurrit. Quibus dum occupatur, Hollandici præfecti, qui oram Friſiæ finitimam curabant, ut bello viam ſtruerent, minutis primùm, deinde majoribus injuriis Friſios irritabant. Friſii injuriarum impatientes, maximè quæ inferebantur ab his, à quibus beneficiorum gratiam expectabant, armis eas reprimebant, mox par quoque pari rependebant. Quæ cùm acerbiùs ad Imperatorem deferrentur, ferox juvenis ſummis negotiis diſtentus, atque irâ præceps, Kenhemariæ præfecto Gerardo mandavit, ut Friſios, quacunque poſſet ratione, ulciſceretur. Hoc belli initium. Tum incurſionibus vexatus Friſiæ ager, & arx Hemskerckia contra eundem communita; proxima quæque, quæ pervia erant militibus, direpta. Friſii viciſſim impreſſione in Kenhemariam factâ longè lateque prædas abegêre, multa etiam incendio perdidêre. Interea Imperator conventui Principum Germaniæ operam dabat Coloniæ Agrippinæ, ſeque ad eundam Italiam, & coronam à Pontifice petendam comparabat. Qui de hiſce certior factus, ingenti conceptâ indignatione, relictis, quas in manu habebat, rebus, in Hollandiam feſtinavit eo animo, quòd ſpem haberet antequam ingrueret autumnus, (erat hoc vergente menſe Iulio anni M.CC.LV) bellum ſe Friſicum eſſe confecturum. Quò cùm veniſſet, expeditis celerrimè omnibus, quæ ad tumultuarium ac ſubitum apparatum videbantur pertinere, haud ſegnior, quàm in apparatu fuerat, in hoſtilem agrum invaſit. Verùm circà prima adhuc præſidia ejus hærens (nam quædam in aditu Friſii communiverant, quæ à tergo relinquere tutum non erat) opinione & ſpe citiùs à præmaturis autumni pluviis opprimitur. Quæ cùm ingruunt, omnem belli adminiſtrandi rationem iis in locis propter ſoli conditionem, quod paluſtre ac humile foſſis, incilibus, lacubus, ſtagnis obſitum, impediunt. Itaque indignans & dolens retractis copiis coactus eſt hibernum gelu, ſi quod fortè futurum eſſet, circumferendis illic armis etiam ipsâ æſtate commodius operiri. Nec enim ullo ſibi modo committendum putavit, ut inultis Friſiis, atque ad facienda imperata non adactis Italiam appeteret, aut quodcunque bellum aliud aggrederetur: quippe ſi faceret, nec domi res tranquillas & tutas ſe relicturum, nec eam famam atque exiſtimationem apud exteros, quam affectabat, habiturum. Medio tempore ingentes copias ex omnibus Hollandiæ Selandiæque partibus coëgit, cùm nulla civitas, nulla ora eſſet, quæ non in hoc præcipuè bello alacritatem obſequendi declarare Principi ſuo cuperet. Simul verò miſſis caduceatoribus in Friſiam, adhuc ſatisfieri ſibi pro injuriâ, præfectoſque à ſe recipi, atque obſequium, quod Hollandiæ Comitibus debebatur, præſtari deinceps poſtulabat: Quod niſi fieret, denunciabat in animo ſibi eſſe, ferro & flammâ univerſam regionem perdere. Sed Friſii nec poſtulata audivêre, nec apparatus terrore quicquam in ſtudio tuendæ libertatis remiſêre. Quamobrem cùm deſiderio ſuo mirè favere cœlum videretur,
M.CC. omnibus gelu conſtrictis, ut quoquò ducere exercitum penè ſine periculo poſ-
LVI. ſet, Imperator, quâ maximè commodum erat, procul relictâ Veronâ in aditu poſitâ viâ Alcmarienſi, totius regionis capite, aliiſque declinatis præſidiis, in agrum Friſicum eſt ingreſſus, eaque patravit, quæ ad terrendum populum ruſticum quàm maximè facere arbitrabatur. In his cùm audiſſet, magnas copias Friſiorum ad Hoochwoldam celebrem vicum coiviſſe, iſtuc ducere exercitum ſuum conſtituit, ut iis copiis cæſis, quod non difficile futurum credebat, velut aditum ſibi ad celerem victoriam univerſam aperiret. Spem enim habebat,

bebat, ſi id è voto ceſſiſſet, cæteros metu conſternatos, circumlatis porrò Hollandicis armis, priuſquàm ſe gelu reſolveret, deditionem eſſe feſtinaturos. Sibi verò nihil magis quàm celeritate in re gerendâ propter aëris rationem inſtabilem ac incertam, opus eſſe intelligebat. Eo ſtatuto, quò tutius & promptius univerſus ſequeretur exercitus (inſidiæ enim in pagis ac villis inter eundum metuebantur) ipſe cum ſelectiſſimis equitibus, qui facilè peditum inſidiantium vim pernicitate equorum effugere poſſe putabantur, ut erat ingenii nec trepidi, nec ignavi, ad vias & res hoſtium cognoſcendas eſt prægreſſus. Et cùm non procul Hoochwoldâ abeſſet, ſubitò provolantium ex arundineto vicino Friſiorum impetu cum ſuis perturbatus dum declinat periculum, & hoſti magis quàm viæ intentus incedit, ceſpitantis equi lapſu impulſus in glaciem fortè incidit, quæ fragilior erat, quàm ut equitem armis gravem, caſuque ipſo pondus adjuvantem poſſet tranſmittere. Quapropter confractâ glacie, cùm in ſolo, quod proximè ſuberat, paludoſo hæreret, nec expedire ſe poſſet adacto calcaribus equo, frequentes circùm eum concurſarunt juvandi ejus ſtudio cæteri equites. Verùm accidit, ut quò ferventiùs ac majore numero concurrerent, eò plures, ceu fit, cum ipſo, cui ſubvenire ſtudebant, implicarentur. Simul Friſii, quos dixi, certatim eòdem ſe inferentes locorum gnari, & nullis gravati equis luctantem adhuc in luto regem, regioſque ſtipatores circumfudêre, contiſque prælongis transfixos ad unum omnes, ignari qui eſſent, interemerunt. Accidiſſe id ad V Calend. Februarii, anno M. CC. LVI conſenſus autorum tradit. In hoc variant nonnulli, quod memorent, non antè è latebris proſiliiſſe Friſios inſidiatores, quàm hærentem jam in palude regem, & tumultuantes circùm eum ſatellites conſpexiſſent, atque ita accurrentes celeriter eos confixiſſe. Quibus ego accedere non poſſum. De Siccone Siarda autem quæ quidam in hac hiſtoriæ parte commentantur inſipidè, ea ne commemoratione quidem digna puto. Cæſo Guilhelmo, ut iſtuc redeamus, cùm reditum ejus fruſtrà aliquandiu exſpectaſſet exercitus, nec quid Imperatori accidiſſet ſuo, poſſet cognoſcere, perplexus, & conſilii inops, neque regredi ſine dedecore, ac regis deſerti infamiâ, neque progredi ſine periculo ſe poſſe intelligebat. Nec una mens omnibus, nec Imperii reverentia inerat, cùm ſine Principe eſſent. Et quemadmodum in ſubitis & improviſis fieri ſolet, ſimul animus, ſimul conſilium eos defecerat. Quod cùm ex compluribus indiciis animadverterent Friſii, & per exploratores certius quoque cognoſcerent, non contandum rati, donec ex confuſione ſe hoſtes recolligerent, conjunctis copiis ſuis omnibus, quas conflare repentè poterant, in eos hærentes adhuc & perturbatos impetum fecêre, facilique momento disjectos, cæſos, fugatos magnâ clade corripuêre. Sic dies iſte luctuoſiſſimus toti Hollandiæ & Selandiæ factus. Sed privatim nullis luctuoſior, quàm Delphenſibus & Dordracenis, qui quòd primum impetum exceperant, majore numero, quàm cæteri, cæſi erant. Imperatoris corpus, cùm ſpolia legerentur, ex inſignibus agnitum, pauci è Friſiis conſcii ſublatum, ſive ut ſuſpenſos Hollandos tenerent, ſive ut memoriam facinoris ingratam abolerent, ignobili ſepulturâ in villâ quadam vicinâ occultè defoderunt. Hic finis Guilhelmi fuit tanti Principis, quem ſibi accerſiit, dum populo benè merito pro gratiâ, quam debebat, ſervitutem parat reponere, pluſque apud ſe ambitionem, & prava calumniantium conſilia, quàm jus ac ſuamet decreta valere patitur. Sepulchrum ejus diu incognitum manſit. Filium reliquit in cunis adhuc vagientem Florentium ejus nominis V. Hujus tutelam egit primùm Florentius patruus, & eodem, quo cæſus eſt Guilhelmus, anno pacem Hollandis cum Flandris perpetuam compoſuit, ſublato quod inter eos erat, de Selandiâ diſſidio: dimiſſiq; ſunt è cuſtodiâ Hollandicâ duo fratres Flandriæ Comites Guido & Ioannes Balduini Imperatoris ex filiâ Margarethâ nepotes, à Guilhelmo antè triennium in prælio capti: Selandiæ jus omne ſine lite Hollandis relictum: Beatrix Flandrica Guidonis filia Florentio puero conjux

deſtinata. Eo tutore biennio pòſt inopinâ morte perempto in decurſu equeſtri, Brabantiæ Dux Henricus, cui Guilhelmus Imperator amitinus fuerat, in tutelâ ſucceſſit: & poſt eum Adelheidis Guilhelmi ſoror, Hannoniæ pro filiis rectrix; illiq; æmulus excitatus ab Hollandiæ proceribus Geldriæ Princeps: quorum contentio Hollandis & Selandis bellum peperit civile. At Bremenſi archiepiſcopo Gerardo, de quo diximus priùs, poſt confectum bellum Stedingicum nova cum Bremenſibus cõtentio, & ex contentione bellum eſt exortum. Statuerat quippe vectigal imponere omnibus rebus, quæ per Viſurgim è mari Bremam ſubvehuntur exemplo Principum, qui idem in Rheno faciunt. In eum finem arcem exſtruxit, ad quã vectigal penderetur, quam Wittenborgum vocat. Quod cùm abnuerent Bremenſes, cogere eos voluit. Itaque haud procul ab arce trabibus adactis flumen obſepit, tramite tantùm in medio relicto, cui catenam ferream magni ponderis prætendit. Sed vanus conatus. Nam oppidani navem maximam & firmiſſimam, ferro præmunitam, obſervato vehementi & ſecundo vento, magno impetu in opus illud immisêre, catenamque perfregêre: dein & trabes extraxêre. Præſul miſſum facere inſtitutum coactus fuit. Sed iniquies animus ejus quieſcere diu non potuit. Nam Danicis contentionibus de regno, quæ inter fratres vigebant, ſe miſcuit. Erat Erico regi frater Abel, qui depellere Ericum regno moliebatur. Verùm id cùm non ſucceſſit, ſceleratâ fraude hoſpitem fratrem interemit, malefici inſtar capite truncatum. Quod fuit anno Domini M.CC.LI. Nec diu ſcelere gaviſus eſt parricida. Nam ſtatim ſuorum ſeditionibus agitatus, cùm earum cauſam Friſiis vicinis ac Ditmarſis acceptam ferret, copias ingentes contraxit, ut utroſq; bello perſequeretur. Verùm in Friſiam cùm perveniſſet, quæ à boreâ Nordſtranda vocatur, a vidiùſq; ac incautiùs fortè in hoſtes pugnaret uliginoſo in ſolo, in quo turmas ſuas explicare non poterat, à ruſticâ cohorte, quæ tuendi ſui causâ ad vexillum concurrerat, magnoq; animo regem excipiebat, eſt cæſus altero regni ſui anno. Triennio pòſt, quod coincidit

M.CC. LVI. cum anno, quo cæſus eſt à Friſiis in occidente Guilhelmus Imperator, in diœceſi Bremenſi, ut notat Albertus Stadenſis, præſidiarii arcis Bederekeſæ, adſcitis in auxilium compluribus aliis, invasêre vicinos Worſtenſes Friſios, & cladẽ illis intulerunt. Deinde ſucceſſu hoc audaciores facti, cũ ſecundò ad diem IV Iduum Septemb. perinde ac de victoriâ rurſum certi, ſecuri ac populabundi regionem eſſent ingreſſi, concurſu multitudinis penè inermis ipſi benè armati magno numero nobiles ignobileſq; conciſi fuêre. Gerardo autem archiepiſcopo ejuſdem Bremenſis diœceſeos extincto, cùm totos XXXIX annos, quod rarum, ſedẽ eam tenuiſſet, Hildeboldus è collegio Eccleſiæ Bremenſis Ruſtringiæ præpoſitus, quem archidiaconum tum vulgò dicebant, in ejus locũ ſufficitur familiæ Brochuſiæ. Verùm is ſine æmulo non tulit honorem. Nonnulli enim procerum ſuffragia ſua in Gerardum Lippienſem, nepotem è fratre defuncti, contulerũt. Qui dum inter ſe de ſucceſſione diſceptant, Stedingii cõmovere ſe iterum viſi ſunt. Quos ut inter initia motuũ comprimeret, Simon epiſcopus Paderbornenſis, qui & ipſe Gerardi Lippienſis demortui ex altero fratre nepos erat, & partem diœceſeos Bremenſis nomine patrui adminiſtrabat, exercitum ſubitò coëgit, inque eos ducere cœpit. Sed cùm Wildeshuſam jam perveniſſet, Comites Oldenburgici fratres, qui tum à Stedingiis ſtabãt, cum ſuis accurrentes conſertâ pugnâ cæſis quàmplurimis in fugam eum egerunt. Ipſe Simon mentitus monachi habitũ, vix perſequentium manus evaſit. Hildeboldus Romam interea profectus, impetrato conſenſu Pontificis, æmulum prævertit, & honore dejecit. Sed domum reverſus, cum civibus ſuis, quibus invitis arcem Bersfletam excitaverat, ac validis munierat operibus, bellum grave & diuturnum, totiq; diœceſi calamitoſum cœpit. Imprimis ea calamitas vicinis Friſiis incubuit. Nam aliquot millia eorum occubuiſſe, dum armis inter ſe epiſcopus & civitas diſceptant, feruntur. Quam ob cauſam compoſito demùm bello, magnam pecuniæ vim ad ſarcienda detrimenta ſolvere illis Hildeboldus coactus fuit.

PRIMÆ DECADIS FINIS.

RERVM
FRISICARVM
HISTORIAE
DECAS SECVNDA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Illuſtri ac Generoſo

DOMINO

D. GVILHELMO LVDOVICO,

COMITI IN NASSAV,

Catzenellebogen, Vianden, Dietz, Domino in Bielſtein;

GVBERNATORI FRISIÆ,

Civitatis agrique Groningani & Drentiæ, ac ſupremo ibidem rerum militarium præfecto, & belli duci,

Domino ſuo clementiſsimo.

QVAM moleſtum ac difficile opus ſit, Generoſe & verè illuſtris Princeps, domine clementiſſime, de vetuſtis rebus, & ignorationis caligine obtectis hiſtoriam condere, quæ aliquid ſaltem gratiæ atque vtilitatis, & genuinæ formæ ſit habitura, non ſolùm in primâ delineatione laboris huius noſtri ſum expertus, quâ de re in Epiſtolâ, quæ primæ parti iam editæ præfixa eſt, expoſui, ſed etiam in eorum, quæ nunc edo, & pòſt editurus ſum, recognitione. Nam quemadmodum plurimis inquirendis, legendis, ſcribendis, conferendis inter ſe, contexendiſq; quæ diſperſa & luxata erant, ac reſecandis quæ falſa, longus tum atque improbus fuit labor exantlandus, quò informia formam aliquam caperent; ita in recognoſcendo, dum fidem etiam hîc præſtare ſtudeo, incredibile, quanta rurſum moleſtia, quàm longa laboris ſeries hîc ſeſe mihi obtulerit. Primùm enim qui in hac civitate iam verſabar, in quâ multa aſſervari vetuſtatis monumenta dudum ſæpè audieram, non committendum mihi vllo modo exiſtimavi, vt ad recognitionis inſtitutam operam accederem, niſi antè in ijs conquirendis & excutiendis, quotquot omninò eius generis poſſem conficere, omne ſtudium & induſtriam adhibuiſſem. Impellebat me vt ita facerem, id quod mihi propoſitum maximè fuit ab initio ſtudij huius, vt de rebus antiquis & obſcuris quàm maximè vera & certa proderem, atque à fabulis hiſtoriam liberarem. Ad quod quanto preſidio mihi fuiſſent, & in dubiis ac incertis quantam lucem & certitudinem attuliſſent huiuſmodi litterarum publicarum monumenta, velut indubitata actorum teſtimonia, iam antè experimento eram edoctus. Eius verò generis præter ea, quæ privatorum multorum ſtudio, hominum erga bonas litteras & vetuſtatis memoriam benè affectorum, ad me venerunt, benevolentiâ & humanitate ampliſſimi atque optimi Senatus huius Vrbis tam amplam mihi copiam ſola curia ſuppeditavit, vt quantumvis magna animo meo de his conceperam, tamen opinionem meam res ipſa procul vicerit. Plurimas quippe fœderum & pactorum tabulas antiquas ritè ſignatas, plurimas controverſiarum publicarum compoſitiones, arbitrorum ſententias latas, actorum publicorum membranas, conſultationes in chartam congeſtas, epiſtolas de Rep. ſcriptas, conſiliorum & eventuum indices ac teſtes illic inveni; ipſoq; adeò re deprehendi, civitatem hanc verè conſervatricem & cuſtodem eſſe propè vnicam antiquitatum Friſicarum, & curiam eius totius Friſiæ commune velut tabularium poſſe videri. Ad ea verò omnia, nullis exceptis, liberum mihi acceſſum dedit ampliſſimus Senatus, exoratus à me in gratiam naſcentis hiſtoriæ Friſicæ, incorruptæq; in ipſa veritatis, voluitq; nihil celatum eſſe me, quod in chartis aut membranis Reip. eſſet, quod quoquomodo ad illuſtrandas res veteres, & ſinceriùs proferendas in lucem, poſſet facere; animis ſanè ſinceris, ac veri non minus quàm bonarum litterarum amantibus omniumq; bonorum & ſtudia hæc colentium ore meritò prædicandis. Itaque compluſculas hebdomadas cùm impendiſſem, præſente Conſule ac Senatus parte, excutiendo toto chartophylacio, laborioſiſſimoq; legendo, notando, pleraque etiam exſcribendo verbotenus, quæ res moleſtiæ & tædii habuit multum, confeci mihi rurſum tumultuariâ ac feſtinâ operâ pro memoriæ ſubſidio perpetuos rerum commentarios, ſed confuſos & ſine temporum ordine. Deinde otium nactus ſucceſſivis horis redegi eoſdem paulatim in ordinem. Poſtremò diligenter omnibus inter ſe collatis, & circumſtantijs expenſis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

expenſis, tum demùm ad operam illam recognitionis multò paratior acceſſi. Quæ quanquam tædii ac laboris rurſus habuerit plurimum, animumq́ meum fatigatum ſæpè de abiiciendo cœpto tam moleſto cogitare coëgerit, tamen amore veritatis in prodendis rebus noſtratibus, quam unam ſemper in hoc ſtudio ob oculos habeo ac habui, & tædium & laborem conſtantiâ atque induſtriâ ſuperavi. Acceſſit, quòd ea, quæ iam emiſi, viris doctiſſimis & clariſſi. per Germaniam & Belgium intellexeram non improbari, & ab iiſdem, quæ reliqua ſunt, vehementer deſiderari. Quod quomodo non alacrem redderet animum bonis, & benè iis loquentibus probare ſe, & iiſdem gratificari cupientem? quomodo non contra oneris preſſuram faceret aſſurgere? Ego verò fateor, id me incitaſſe vehementer, ac novas quaſi vires fatigato ſuffeciſſe, effectúmque dediſſe, apud animum meum vt ſtatuerem, quidlibet potiùs laborando ſufferre, quàm committere, vt, quæ expectantur à me, non quàm optima, id eſt, quàm veriſſima, quantum eius fieri poſſet per me, in lucem prodirent: præſertim cùm fides hoc ipſum me poſcere videretur. Ita enim exiſtimo, officii eius eſſe, qui rerum geſtarum narrationem ſe ſcribere profitetur, non ſolùm conſultò à veritate non recedere, gratiæ, odii, ſpei, metus cauſa, ſed etiam ad ſummam diligentiam nihil reliquum ſibi facere, nullumq́ defugere laborem, quò poſſit id, quod memoriæ prodere vult, quàm maximè verum & certum prodere. Suſtinui igitur, vt dixi, quantumvis moleſtum & longum recognoſcendi hunc laborem, tandemq́ ex eo eluctatus in his, quæ ad proxima aliquot ſæcula poſt cædem Guilhelmi Imperatoris narratam ad finem primæ partis pertinent, non ſolùm certiorem ex actis publicis contextam, ſed etiam multis partibus ampliorem hiſtoriam feci. Hanc verò partem ſic recognitam vt emitterem ſtatim, priùs quàm reliqua abſolverentur ſimiliter, non ſolùm inductus ſum plurimorum flagitationibus, verùm etiam quòd exiſtimarem ipſe, aliquem eius fortaſſe in Rep. vſum eſſe poſſe. Quis enim neſcit, ignorationem rerum præteritarum (ſunt autem hæ de quibus hac in parte ſcribo, aut nullis, aut oppidò paucis hominibus hactenus notæ) errores ſæpè magnos parere in rebus præſentibus, & ex erroribus lites ac odia, atque hinc porrò multa mala alia deſcendere? Quibus mederi videtur, qui caliginem rebus prioribus demit, & earum notitiam in theatrum reducit. Atque in hac re dum verſor, ſiquid fortè alicubi à me dictum, quod alicui parum gratum erit, & περιλήψει eius falſæ contrarium, eum rogatum volo, ut iſtius mihi veniam tribuat, neu ægrè ferat, plus me veritati, in cuius verba ſemel iuravi, quæque ante Platonem & Socratem eſſe omnibus bonis debet, quàm ipſius gratiæ aut cupidini in ſcribendo tribuiſſe. Vero conſulere ſi debeo, id eſt, officium meum facere, omnibus placere, contrariiſque hominum affectibus & deſideriis ſatisfacere quomodo poſſim? Non eſt hoc ſpei meæ, nec voluntatis. Mihi propoſitum, recto pede pergere, quæcunque etiam me hominum bona maláve gratia ex eo ſit ſecutura. Præmium ſat locuples erit per ſe, ipſa veritas expoſita, & eorum, qui veritatem diligunt, benevolentia. Nomini verò Clementiæ tuæ, inclyte & generoſe Comes, Princeps genere & factis verè illuſtris GVILHELME LVDOVICE, *hanc hiſtoriæ partem inſcribendam putavi non unam ob cauſam. Es enim maxime Friſiæ huius partis, cuius res veteres tenebris erutas hic ob oculos pono, Gubernator optimus & laudatiſſimus; cuius etiam intereſt, res ſuorum non ſolùm præſentes, ſed & præteritas noſſe. Deinde non ingratum eſſe Cl. tuæ ſtudium hoc meum ex parte iam edita perſpexi. Et extant benevolantiæ ſingularis ac beneficiorum inſignium eiuſden tuæ Cl. erga me, & totum ludum noſtrum litterarium documenta tam evidentia, ut ſilentio præteriri à me ſine ingratitudinis crimine non queant. Denique animi tui heroici eximia & perfecta virtus omni à parte eluceſcens ita me affecit dudum, ut nihil magis mihi fuerit in voto, quàm debitam obſervantiam meam aliquâ ſaltem ſignificatione publicè teſtatam facere. Etenim tam nota & illuſtris eſt pietas tua virtutum omnium mater, tam excellens iuſtitia, tam conſpicua temperantia & abſtinentia, ut tota vita tua harum omnium exemplar vivum videri poſſit. Quid porrò dicam de ſummâ prudentiâ civili in regendis provinciis? quid de ſcientiâ & fortitudine militari, quibus omnes huius ſæculi belli duces, unà cum illuſtriſſimo Auraïcæ Principe* MAVRICIO, *patruele tuo, Hollandiæ, Selandiæ, Geldriæ, ditionum Vltraiectinarum gubernatore, procul dubio, antecedis. Documento ſunt tam multæ ac magnæ res geſtæ, tot illuſtres & nobiles victoriæ proximis his annis partæ; imprimis oppida & caſtella opere, milite, commeatu, omnibúſque rebus ad defenſionem neceſſariis munitiſſima, tanto numero, tam brevi trium menſium ſpacio non militum multitudine, ſed virtute veſtrâ ſingulari nuper ſuperata, hoſtiq́ue potentiſſimo ac maris & terrarum imperium iactanti, & ne quicquam indignanti ac frementi è manibus extorta. Quorum ſingula ſi ſinguli exercitus eo temporis ſpacio, quo à vobis capta ſunt omnia, cepiſſent, non pœnitenda eorum opera ac ſucceſſus videretur; cùm ignotum non ſit, etiam longè maioribus cum copiis non maiores munitiones haud ſegniter oppugnatas multò longiore tempore vix tandem eſſe ad deditionem compulſas. Certè victoriarum harum tam illuſtrium curſus omnium & hoſtium & amicorum expectationem ſuperavit. Quam ob cauſam multi deverſis è regionibus Germaniæ Principes, & multorum Principum legati admirabundi præ rei magnitudine & novitate ad vos in caſtra concurrerunt, ut quæ ex aliorum ſermonibus acceperant, ea ipſi coram oculis viderent ſuis, gratulantéſque vobis rerum ſucceſſum, dextras ſuas dextris veſtris iungerent, denique militiæ totius veſtræ diſciplinam ac apparatum, invictóſque milites contemplarentur. Fama verò armorum veſtrorum, & nominis gloria non Belgicam ſolam & vicinam Germaniam, ſed univerſas ferè Europæ provincias implevit. Quæ quidem omnia tantò etiam maiora haberi debent, quo pretioſiora ſunt reli-*

gio & patriæ libertas; pro quibus iſta ſunt geſta. Atque hanc ſummam in re militari virtutem & gloriam, & cum his coniunctum illuſtris familiæ veſtræ NASSOVIÆ, *Imperatorum quoque imaginibus fulgentis, ſplendorem antiquum non vitiat aut obfuſcat in animo Cl. tuæ invidioſus faſtus, ſed facilitas & admirabilis humanitas adornat: Quam ſicut ipſe priùs expertus ſæpè ſum, ita mirari & venerari ſum coactus, cum nuperis à victorijs redux inſigni cum triumpho ingreſſurus urbem Groningam, inter gratulantium & gaudentium voces, in viâ publicâ ultrò ex agmine ad me obviam fortè progreſſum & nihil tale expectantem adequitans Cl. tuæ manum illam victricem mihi collegiſq́ue meis, unà mecum urbe egreſſis, porrigere es dignatus. Quod reſtat, Cl. tuam etiam atque etiam rogo, ut conſecratum nomini tuo illuſtri libellum, indicem animi mei eiuſdem Cl. tuæ obſervantiſſimi, benignè & clementer, recipere, & contra malevolorum morſus autorem eius tueri non dedigneris. Vale, Generoſe atque inclyte Domine, & pro honore Dei vivi, & libertate Reip. fæliciter porrò rem gere. Groningæ die* XVI. *Ianuarii, anno à partu Virginis* M. D. XCVIII.

Cl. Tuæ

deditiſsimus

VBBO EMMIVS.

RERVM

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber Vndecimus.

ANno, qui cædem Guilhelmi Imperatoris ſecutus eſt, ma- M.CC.
lum Friſiæ familiare ab Oceano ſe rursùm commovit an- LVII.
tè Gereonis: cujus vi agger in agro Groningano ad Son-
dam locum, quo Fivela amnis novo opere præſeptus fue-
rat, rursùm eſt disjectus, Oceaniq; aquæ, quibus tumebat
ex tempeſtate Amaſus, Fivolæ alveo primùm, dein agris
vicinis ſunt infuſæ. Opus tamen inſtauratũ ejuſdem anni
æſtate. Eadem irruptio facta etiam alibi eodem in agro,
ſed clauſa tardiùs, ideò magis noxia toti viciniæ. Cæteroqui & ille annus, & qui
ſecutus, ſine armorũ motu in his Friſiæ partib. traductus. Hac pace durãte fœdus
inter ſe inierunt Groningana civitas, & omnes Fivelgonii in perpetuum, in quo
modus coercẽdi & corrigendi injurias, puniendi cædes, ferendi in eã rem, ſi uſus M.CC.
poſcat mutua auxilia, eſt deſcriptus: cõmeatus liber & indemnis utrinq; cũ com- LVIII.
merciis decretus: ob debita detentiones vetitæ: ſancitũ deniq; ut pax bonâ fide
inter partes coleretur. Signatum hoc fœdus v Id. Iunii an. M.CC.LVIII. At anno
proximo qui fuit M.CC.LIX, cùm reliqua etiã quieſcerent, Vltrajectinus præſul
Henricus, homo avarus vltra conſuetum modum, pecuniã Drentowoldos, qui M.CC.
in præfecturâ ſuburbanâ ſunt ad Groningam, popoſcit. Quod cùm hi ob iniqui- LIX.
tatem recuſarent, ipſe perindignè ferens ſuum imperium contemni, Drentinos
contra eos armavit. Drentini miniſtri cupidinis alienæ nõ parvâ manu vicinos
& cognatos invadunt, adituq; regionis occupato, ædificiiſq; primis, quæ occur-
rebant, incenſis, triumphum penè agunt antè prælium. Sed accurrẽtes mox ejus
viciniæ homines armati, & è proximâ Friſiæ parte ſocii, quibus libertas cara
erat, penè ſine prælio in fugam eoſdem vertunt, XX in primo conflictu occiſis,
C, qui ad Huneſum amnem fugam intenderant, in amne ſubmerſis. Ex cæteris
vulnerati multi, pauciores capti. Res ſic geſta, vt Drentinos turpis miniſterii
Epiſcopo præſtiti & pœnituerit & puduerit meritò. Huneſus eo tẽpore è Dren-
tiæ paludibus profluens, Drentowaldioſq; permeans, Gronenbergiam arcem
circumluebat: inde ad locum à ponte alto nunc nominatum devolutus Gro-
ningâ à ſiniſtris relictâ, præteritâq; in proximo Selwerdiâ cœnobio, per humi-
lia agri ejus prope Werumum vicum, in alveum ſe egerebat, qui nomen nũc ab
arundinibus habet; atque ita porrò per medios Huneſgonios decurrens inter
Marnẽſes & Hummerzios in æſtuaria Lavicæ effundebatur. Nũc à loco, in quo
quondam Gronenbergia arx ſtetit, Groningam derivatus objecto in lateribus
aggere. ſecundùmq; mœnia ejus longo ſpatio lapſus in veterem alveum, quem
dixi, ad Werumum contendit, magnumq; vſum civitati præſtat. Mortuus verò
eſt eodem hoc anno Monaſterienſis epiſcopus Otto familiâ Lippienſi, ſucceſſo-
remque ſine morâ accepit Guilhelmum Ludolfi ex fratre nepotem. Is vixdum

inſulâ acceptâ in Friſiam properavit: eoque coram dedicatum eſt fanum We-
rumanum, anno, à quo conſtrui cœperat, XXI, ab initio verò conditi ejus cœno-
bii iſto loco, XLVI, à morte Emonis conditoris primi ſimiliter XXI, Mencone
antiſtite tertio cœnobium regente, cui multa in annalibus annotata debemus.
M.CC. A triennio deinde per menſem Ianuarium terræmotus, rarum hiſce locis ma-
LXII. lum, Friſiam afflixit. Sed nullibi graviùs quàm ad Werumanum hoc ipſum cœ-
nobium, de quo jam loquor, terram concuſſit. Nam & turris ejus, recens opus,
ingenti ruinâ concidit, & fanum reliquaque ædificia ita tremuêre, vt penitùs
collapſura viderentur. Terræ motum comitata Oceani commotio, aggerum-
que diſſipatio plurimis in locis cum diluvio, & cataractæ Fiſchmarinæ in præfe-
M.CC. cturâ veteri disjectio. Anno proximo M.CC.LXIII in Midachiis conſummatum
LXIII. dedicatumq; eſt ſolenni ceremoniâ celebre fanum cœnobii Adoardiani, cùm
collegio illi præeſſet Gaico abbas VII, & jam XXIII annis integris in extruendo
vrgendoque opere eſſet laboratum ab hominibus amplius CC. Cœptum erat
opus ſub abbate tertio Wigboldo, inſtitutumq; & perfectum ad exemplar fani
Clarevallenſis à Bernardo quondam extructi, ſeruatis dimenſionibus omnibus
iiſdem: artificio ac opera vnius è collegio architecti inſignis, qui hujus rei gra-
tia Clarevallem fuerat miſſus, vt menſuram & formam ædificij illius caperet.
Atque is propterea hoc promeruit, quod nulli prætereà, ne antiſtiti quidem,
nedum alteri è monaſtica familiâ conceſſum fuit, vt defunctus honoris ergò in
ipſo fano conderetur. Operis ſanè ſubſtructio admirabilis non ſolùm magni-
tudine, ſed etiam arte ac ſpecie, ſpectabili & præcelſo fornice, & ſuper eum fa-
ſtigiato tecto clauſa, ſubnixa columnis ingentibus XVIII, porrecta in longitu-
dinem ad paſſus L, lata paſſus XV, dein tranſverſo quoque ædificio, qua media
longitudo, ampliata in modum crucis, faſtigij altitudine pari, in longum paten-
te paſſus XXV, in latum paſſus XIV, in quo aliæ etiam columnæ ſimiles VIII. Et
præter has dimidiata vtroque in ædis latere non paucæ numero, ſublimes ſtru-
cturæ parietes, quibus fornix incumbit, ſuſtinentes. Ara ſumma, in cellâ fani in-
timâ ſemicirculari, cincta columnis minoribus teretibus vno lapide exciſis, binis
& binis, numero XII, quibus cellæ interioris tergum clauditur, modico inter
aram & columnas relicto intervallo: cellamque ipſam exteriùs formâ eâdem
ambientia ſacella XI cum aris totidem: cuncta intùs ſupra fidem ſumptuoſo
opere nitentia. Et hæc ædes in latere alterius eâdem in areâ extructa, quæ etiam
nunc cum hac majore ſupereſt, quâ antè dedicatam hanc cœnobitæ, & tota vi-
cinia ſunt vſi. Deinde tantum ſpatium muro valido & foſsâ velut mœnib. clau-
ſum, & ædificiis omnis generis ac hortis occupatum, vt oppidi modum & ſpe-
ciem clauſtrum monaſticum tenuerit, Adde opes, agros, vicos totos cum fanis,
ſacella fanorum inſtar, villas amplas ac ſplendidas, poteſtatem prætoriam, me-
ritò ſuperſtitionis vim, & plebis ruſticæ munificentiam miraberis. Florebat
tum Nordæ collegium ſacrarum virginum in valle Mariæ, (hoc cœnobio no-
men) quæ Benedicti leges ſequebantur: habebaturque longè primum inter
Amaſanum Viſurgimque. Sed cùm locus amœnus & fælix videretur, (quales
iſtud hominum genus imprimis ſequi ſolet) alia etiam monachorũ familia, quæ
Dominici Caliguritani nomen profitetur, verſari hîc, & ſedem domicilio quæ-
rere cœpit. Placebat novum inſtitutum, quia paupertatem & laborem docen-
di, cui ſe monachi cæteri jam ſubduxerant, in profeſſo habebant. Ita factum, vt
anno, qui huic ſucceſſit proximè, Reinerus Egeramus, Hicco Idſinga, Harco
M.CC. Vdenga, qui è nobilitate tum Nordanis jus dicebant, conſentiente populo, areá
LXIIII. fano extruendo, figendoq; domilio donatam è publico iis aſſignarent. Domus
quoque addita in areâ eâdem, in quâ monetaria officina hactenus fuerat. Ædes
ſtatim extructa perelegans, & multi in familiam aſſcripti. Biennio poſt mo-
M.CC. nachi Werumani cum Sondenſibus & reliquâ viciniâ novum aggerem prio-
LXV. ribus annis disjectum excitarunt ad excludendas Amaſi aquas. Et Gerardus
Monaſte-

Monaſterienſis Epiſcopus Guilhelmo nuper ſurrogatus in Aſchendorpios non
ſatis obſequentes,ac eorundem ſocios Fredoburgum arcem extruxit.Henricus
verò Vltrajectinus præſul arcem apud Elethanos in Drentiæ principio inſtitu-
tam à Rutgeri ejus viciniæ Sculteſii filiis, ejuſdemq; ex fratre nepotibus firmiſ-
que communitam operibus velut confugium in periculis,per ſuos everti juſſit:
eamq; in rem operam ſuam præſuli commodarunt Pedeſani fratres Adolfo ge-
niti, & cum his Gerardus Clingius: quos eam ob cauſam ab æmulis procurata
non multò poſt cædes ſuſtulit. Secutus annus altero jam diluvio incidente in
noctem Marcelli Pontificis Romani eandemq; noctis horam infamis,quadra- M.CC.
geſimus nonus à diluvio illo priore. De quo qui ſcripſere annalium autores,af- LXVI.
firmant,ingens fuiſſe,concitatum Africo primùm vehementer furente,deinde
Circio ſæviente quoq; vehementiùs:expertem tamen ejus manſiſſe propter ag-
gerum molem in iſtâ Friſiæ orâ ſolam Fivelgoniam. Poſtero,qui fuit M.CC.LXVII, M.CC.
magnus tumultus fuit in diœceſi Coloniēſi:in quo commiſſis aciebus à Comite LXVII.
Iuliacenſi captus fuit archiepiſcopus Colonienſis cum proceribus multis, &
præſul Paderbornenſis à Gerardo Monaſterienſi. Iterum verò Galliarum rex
Ludovicus IX, cui minus proſperè ſucceſſerat expeditio prior,ſacræ militiæ au-
toratus à Pontifice Romano claſſem & militem paravit in Saracenos ex clade
Tartaricâ (hæc gens ad Chriſtum converſa ducibus Magio Chamo,& Hielone
in Syriâ & reliquâ Aſiâ eos proximis annis vehementer attriverāt,& in arctum
redegerant)alas tum fortè movere rurſum incipientes. Itaq; ad Friſios litteras
dedit per Gerardum hominem doctum,& facundum,quibus litteris prædicata
eorum virtute ac pietate ad militiæ huiuſce ſocietatem comiter ipſos invitavit.
Quod vt faceret, non ſolùm experimentis prioribus,quibus ei perſpecta gentis
fortitudo erat,ſed amicitiâ quoque ex communi hoſte Guilhelmo Imperatore
nuper cõtractâ movebatur. At Gerardus legatus poteſtate à Pontifice acceptâ,
adhibitis quoq; in ejus muneris ſocietatem aliis,Friſiæ partes omnes obibat di-
ligenter, populumq; ad ferendum Chriſtianis in Palæſtinâ auxilium, quantum
poterat,concionibus habendis extimulabat. Cæterùm nuſquam verſatus fuit
libentiùs aut frequentiùs,quàm Nordæ,loco antè omnes inter Amaſum & Vi-
ſurgim celebri,vbi familiæ Dominicanæ adhuc informi ordinem & leges dedit.
Cujus concionibus motus populus,quoties ſacra adibat,collatâ liberaliter pe-
cuniâ, gazophylacia omnibus in fanis inſtituta replebat in vſum ſacri belli: in
quod ſeſe plurimi vbique, recepto crucis ſigno,omnium ordinum viri nobiles,
divites,inopes per Friſiam rurſum accingebant. Et qui hiſce rebus præfecti erāt,
adornandæ claſſi ſummum ſtudium adhibebant. Inter quæ iterum Ludovicus
rex per antiſtitem Doccumanum Gerbrādum iiſdem Friſiis,quos vnicè ſecum
trahere in expeditionem cupiebat, publicè ſignificat, anno proximo paratum
ſe fore ad iter,& ante VIII Calend. Iulii omnino cum copiis omnibus,comitan-
tibus regibus,principibus, epiſcopis,ad petendam Palæſtinam à littorib. Galliæ
Narbonenſis eſſe ſoluturum: rogat vt quàm maximo numero ipſi quoque pa-
rare ſe in id tempus,neu cauſæ tam piæ, neu gloriæ ſuæ tam certæ,tam commo-
dâ ſe offerente occaſione, deeſſe, id eſt, à majorū laude degenerare velint. Sed
Friſii ſtimulis his,& precibus opus non habebant. Nam conferebant adeò libe-
raliter,nomina tam prompti & frequentes dabant, vt patriam nummis pariter
& viris exhaurire velle viderentur. Superabat tamen virorum militiam peten-
tium numerus modum pecuniæ. Quod ne rebus obeſſet,inchoante M.CC.LXIX M.CC.
per omnes Friſiæ partes publicè ſtatutum, talis vt ratio iniretur, ne hominum LXIX.
multitudo,qui naves aſcēſuri erant,pecuniæ,apparatus,claſſis inſtitutæ magni-
tudinem excederet. Quorſum enim major numerus,niſi vt neceſſariis deſtituti
aut præproperè, & ſine fructu diſcedere domum,aut oneri eſſe provinciæ, cui
ſubſidio veniebant,cogerentur? Deinde edictum propoſitum, ut qui conſcen-
dere claſſem vellet, marcas monetæ Sterlingenſis VII, butyri cados VI,bovis di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

midium,pernam porcinam vnam,farinæ ſemodium,ad hæc armorum,& veſtis quantum ſatis eſſet,haberet parata. Fœminæ verò comitari exercitum vetitæ. Tum cunctis ritè inſtructis, & Pontificio more ceremoniis adhibitis, diverſis in partibus eâ ſeptimanâ, quæ Paſcha ſequitur, conſcenſæ naves: quarum quæ cis Lavicam in Albim inſtructæ fuerant, ad Borcumum inſulam collectæ ob Zephyri flatus illic in ancoris ſtetere dies non minùs viginti. Poſt omnes cōjunctæ, quas armarant Friſii,coggones L, præter navigia minora,ſimul ventis vela dantes circiter aſcēſionis Domini feſtum in portum Flandriæ delatæ,hoſpitaliterq; habitæ aliquandiu à Margaretha Principe,quam maximo periculo dudum Friſii liberaverant cæſo Guilhelmo Imperatore Flandrorum infenſiſſimo hoſte,& rebus neceſſariis adjutæ, mox repetito mari poſt multiplices caſus tandem incolumes omnes Maſſiliam venêre, vt ſe cum regiis jungerent. Verùm ſolverat jam rex Gallus cum Navarreno & tribus filiis, Principibuſq; plurimis ex Aquarū mortuarum portu nō procul Maſſiliâ, Friſiis aliquandiu etiam poſt dictum diem fruſtra expectatis,Africamq; petierat. Huc eum plures cauſæ impulerant. Nam audierat Tunetanum regem in religione nutare, & ſpem eſſe, ad Chriſtum acceſſurum, ſi per populum liceret: Deinde ex Africâ noverat, ſobolem & vires Saracenis in Ægypto & Syriâ ſuffici perpetuò, quibus ſubtractis, & regno Africano deſtructo,faciliùs omninò cum Sultanis earum regionum debellari poſſe. Adhæc Africanos aſſiduò provinciis fratris ſui Caroli in Siciliâ, Italiâ, Narbonenſi Galliâ moleſtos eſſe; nec poſſe fratrem niſi illo metu liberatum in expeditionē ſecum proficiſci: periculumq; omnibus Chriſtianis Aſiam aut Ægyptum petentibus eoſdem Afros creare,& nunc quoq; Franciæ claſſi minitari: poſtremò Ægyptium ſive Tunetanis metuentem,ſive de Europeis invadendis, ac diſtinendis conſilia agitantem ingentes copias Tunetum jam miſiſſe. Sic conſultiùs exiſtimabat,id quod proclive arbitrabatur,Afros primùm debellare,atquè hunc metum perpetuum Chriſtianis,ſubſidii fiduciam Barbaris adimere, deinde in Orientem victorem exercitum ſtatim traducere. Cujus rei gratia Eduardum Angliæ regis filium,aliâ cum claſſe, & exercitu alio,ex pacto cōvento jam in Palæſtinam præmiſerat, qui & occupatos teneret illis partibus Saracenos, ne Afris ferre ſuppetias poſſent, & viam ad reliquā victoriam præſtrueret. Et prima quidem fælicia regi evenêre, vt fortuna reſpondere pietati ejus videretur. Portum enim Carthaginis nequicquam prohibentibus Afris tenuit ſine offenſâ: Carthaginem ipſam vi cepit: Tunetum victor petiturus,in itinere non minus x millibus Barbarorum vnâ acie interemit: vrbem aſſultu,& obſidione ita preſſit, vt jam deditio in proximo eſſe videretur. Sed lues peſtilens ex aëris intemperie exercitui ingruēs, filio primùm regis Ioanne, deinde ipſo rege ſublato(quod factum ad VIII Cal.Septemb.)omnem fortunā repentè evertit. Friſii, vt eò revertamur, in Sardiniam cum claſſe delati,perplexi animis,variantibus conſiliis,atq; aliis aliò trahentibus,poſtremùm à concionatoribus perſuaſi penè inviti,omiſsâ Palæſtinâ,ad petendam Africam ſeſe compararunt.Sed,(vt fit,cùm quid adverſis animis geritur,) tardè procedunt, in Siciliâ quoq; hærent, & demum aut ſub mortem regis,aut in ipsâ morte ad littus Carthaginis appellunt. Regis morte inſperatâ perturbati, ob quem ſe iſtuc trahi ſiverant, ſolvere indè, & Palæſtinam ſtatim petere conſtituunt. Verùm ſuperveniens Carolus Neapolis rex Ludovici frater cum claſſe, & novis copiis, eumque mox ſecutus Henricus Anglus Richardo Imperatore natus, Cornubiæ Princeps, & ipſe cum haud pœnitendis auxiliis, totius exercitus conſternati animis rursùm erectis, Friſios etiam ab eâ mente averterunt: Tum Caroli conſilio vſi, quamvis id Guido Flander ambiret,Henrico Lucelburgico Comiti regendos ſe tradidêre. Bello recrudeſcente, cùm trahi id viderent ſedendo ad mœnia, ipſi moræ impatientes, & animis intrepidis vix contineri à duce ſuo potuêre, quin in Saracenos ante vrbem maximo numero ſe oſtentantes impetum darent extra ordinē, & non ſuo tempore.

Et tandem

Et tandem ordinibus ſervatis vnà cum equitatu in hoſtem cùm ducerẽtur præſultantem caſtris, obſecrante duce, ne quid præfervidè ac temerè cœptarent in incurſu, facto ipſo probarunt, non minus virium quàm animi in prælia ſe ferre. Totum enim exrcitum hoſtilem multâ cæde perturbatum, & in fugam conjectum in flumen egerunt, quod Tunetum alluit: cujus vorticibus haud pauciores periere, quàm gladio. Sic nomen Friſiis rurſus partum, & hoſtis novâ clade intra mœnia concluſus, poſtremò factum, vt idem animis fractus pacis conditiones Chriſtianis offerret. Putaturque civitas capi potuiſſe, aut ad deditionem compelli, niſi & peſtis nimis atrox in exercitum ſæviſſet, & Carolus hujus prætextu præcipitare trãſactionem commodo ſuo, & in Europam redire maluiſſet. Conditiones dictæ, vt captivi redderẽtur, tributum regibus Siciliæ ſolvi ſolitum Carolo penderetur, pax Chriſtianis toto mari ſervaretur. Sic exercitus abductus. Carolus cum Philippo fratris filio & Gallis atq; Italis in Italiam, reliqui in ſuam quiſq; patriam ferè reverſi, velut vires & apparatum inſtauraturi in proximum ver. Friſij cum paucis moræ tædio in Palæſtinam profecti, permultis in itinere jactati incommodis, permultis affecti detrimẽtis, infeſto, dum navigant, pelago, morbo, morte. Qui Ptolemaida cùm venẽre, hui! quàm reperẽre miſeram reip. Chriſtianæ illic fortunam? Veneti, Genuates, Piſani, qui in vrbibus dominabantur, auditâ regis morte, inter ſeſe exitiali diſcordiâ exarſerant, ordines militares, Templarij, Teutonici, Ioannitæ factionibus pudendis tempore alieniſſimo laborabant: rex erat nullus, aut princeps, quem audirent, præter Anglum, qui ſopiendis cõtroverſiis minùs, quàm par erat, proficiebat: patriarcha obierat diem ſuum, nec erat alius adhuc propter diſſenſiones ſubſtitutus: Saracenus occaſioni intentus Teutonicorum & Ioannitarum caſtella firmiſſima, & quæ inexpugnabilia videbantur, invaſerat, ceperat, everterat, aut præſidiis ſuis occuparat. Recepti tamen Friſii ab ordinibus honorificè, & cum gaudio, parſq; magna à Tyri præſule in eam vrbem periculo proximam ducti, ſuſtentantes ſe ſpe adventus principum, & novorum exercituum. Quâ cùm falli ſe cernerent, æſtate proximâ jam adultâ (nec enim hactenus erat ſecutus quiſquã, nec eo anno venturus expectabatur Carolo ſuis rebus, ſuis augendis commodis occupato, & ti- M.CC.
tulo regni Hieroſolymitani contento, Germaniâ verò diſſenſionibus ſine capite LXX.
fluctuante) quid facerent tantulo numero contra hoſtes tam potentes, præſertim inter tanta ſociorum diſſidia? Ea propter petitâ atq; impetratâ ab ordinibus copiâ quotquot ſupererant, diverſi diverſis vecti navigiis (ſuis enim corruptis & exarmatis non ſatis fidebant) in portus Græciæ, Siciliæ, Italiæ, Sardiniæ, Galliæ delati, & variis tentati periculis, à Græcis, Siculis, Italis, plerique ſpoliati, diſperſi, acciſi, tandem alii poſt alios in patriam redierunt. A quorum abitu ſtatim Sultanus Ægypti Tripolim invadens propoſitis optimis cõditionibus, & anno proximo Ptolemaida quoque deditione in fidem ſuam recepit, omnibus omni hominum generi, quæ poſſidebant, relictis, & pace Chriſtianis in annos XI datâ. Sic indignans & fremẽs Anglus, qui pactiones averſabatur, & ipſe domum repetiit. Poſtremò, cùm pacis tempus expiraſſet, Tyrus etiam & Berytus, quæ ſolæ jam Chriſtianis iſtic reſtabant (nam Antiochia, Cæſarea, Ioppe, & cætera jam antè receſſerãt) à Sultano in poteſtatẽ redacta. Is finis imperii Chriſtianorum in Aſiâ fuit, tot ſumptibus, periculis, cladib. parti, & defenſi, vno diſſenſionis malo everſi. Accidẽre extrema hæc circiter annum Chriſti M.CC.XC. Imperatum in vniverſum annos ferè XC. At ii, qui ex Palæſtinâ diſceſſerunt noſtrates Amaſi accolæ, ad ſuos reverſi in medios tumultus patriæ ex ambitione atq; avaritiâ Monaſterienſis, & miniſtrorum ejus enatos incidẽrunt. Quæ res quoniam ad Friſica noſcenda pertinet, ab ovo (quod ajunt) retexenda. Erat in his locis ad Amaſum ſacerdotiũ quod decanatum, & eo præditos Decanos dicebant, inſtitutum, quantum mihi perſcrutanti vetuſta perſpicere licuit, non admodum vetus, & ſextam tum ſucceſſionem vix ſuperans. Hi à præſule Monaſterienſe primùm inducti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

autoritate ſacerdotes cæteros antecedebant,imò in eos autoritatem ac jus aliquod habebant, vniverſamque Friſiam diœceſeos iſtius, velut in provincias quaſdam deſcriptam, & diviſam cum quadam poteſtatis ſacræ ſpecie obtinebant,ſinguli octonis, denis, duodenis, quindenis, vicenis,nonnulli etiam tricenis parochiis præfecti nomine epiſcopi, ſacerdotum provinciæ ſuæ, & rerum ſacrarum ἔφοροι: quæ vel à ſacro ordine,vel in ſacrum ordinem, aut in res quaſcunque ſacras committebantur,de his cognoſcebant, judicium ferebant, mulctas capiebant;præcipuè cognitionem cauſarum matrimonialium & ſimilium tenebant perpetuam, errataque, ſi qua inciderent, corrigebant, ac pœnam irrogabant: jus reddebant ſtatis temporibus,aſſidentibus è ſacro ordine ſuæ provinciæ aliis doctrinâ & pietate præcipuis, interdùm etiam antiſtitum nonnullis. Ius hoc ſuum, Dat Schendzucht; judicium aut tribunal, Die Schendſtoel dicebant.Omnia hæc pro epiſcopo faciebant abſente, ejuſque vices gerebant: qui ſi ipſe in Friſiam veniret officii exercendi causâ(veniebat autem illo ſæculo perſæpè) operam antè omnia dabant, ut ei & miniſtris ejus præſtaretur ſecuritas; eum aſſectabantur, ei erant à conſilio,ejus autoritatem fulciebant: ad hæc templorum,locorum, vaſorum,redituum ſacrorum curam atq; inſpectionem ſupremam habebant, æditoſque in parochiis ſingulis ad rationes reddendas, quoties libebat, adigere poterant, ceſſantes in officio corripere, ac punire jus habebant: denique velut minores quidam erant epiſcopi. Quò autem munus hoc obirent diligentiùs, & ſtatum ſuum tueri rectiùs cum dignitate poſſent, in hunc collata finem, aut à populo aſſignata prædia habebant, ac reditus quoſdam alios, quos pòſt avaritia & ambitio cum diminutione juris populi auxit: interdum & ſacerdotium parochiæ, in quâ ſedes tenebant, huic decanatus honori,atque ita reditus etiam reditibus his conjungebant, ſacriſque operabantur: ſed id rariùs. Et cœperunt progreſſu temporis pro decanis Præpoſiti audire: poſtremò eò jam res reciderat, vt ſacerdotii hoc genus politico honori quàm ſacerdotio ſimilius videretur, ideoque à nobilibus familiis ambiebatur, & à parentibus paſſim jam ad liberos, & nepotes deferebatur, ac legitimo in conjugio viventes, quod pati verum ſacerdotium in regno Pontificis Romani non poteſt, haud reſpuebat. Vnde factum tempore ſequenti, vt decanis velut degenerantibus magis ac magis ab inſtituto primo,ac ſacrorum curam pro deſertâ habentibus epiſcoporum exemplo, epiſcopiſq;, vti ſolent, in Friſiam non ventitantibus, officialium & commiſſariorum nova nomina, & nova miniſteria in eorum munus ferè ſucceſſerint. Sed hoc, vt dictum, poſt ea, de quibus jam ſcribimus, tempora. Tum autem etiam procuratores quoſdam negotiorum ſuorum ſolet epiſcopus in Friſiam mittere, nonnunquam quoque in Friſiâ ſedem habentibus iſtam perſonam imponere, qui cùm alia agerent ipſius nomine, tùm pecuniam, ſi qua ex mulctis debebatur, exigerent, hominum genus inſigniter inviſum plebi. In his Herdericus ille Schilwoldici cœnobij antiſtes, Emonis Werumani æmulus,de quo ſcripſimus priùs, novo exemplo perpetuum hoc munus à Theodorico XLVII antè annos cùm accepiſſet,miniſter cupidinis alienæ ad demerendum avarum præſulem iniquis & acerbis exactionibus haud parum animos populi aſperaverat. Deinde cùm licentia,improbitas, avaritia ſacerdotum gliſceret, atque hinc cædes horum aliquot exiſterent, hominum ſcilicet peſſimis moribus ſacrum ordinem turpantium, Ludolfus Theodorici ſucceſſor in Friſiam veniens,neglectâ in ſacerdotes cenſurâ, quam res flagitabat, ipſis autoribus ſacerdotibus in populum nova, & prioribus duriora edicta cudit: Vnde ſecuta, quæ ad annum M.CC.XXVIII, & deinceps commemoravi. Quæ licet ſopita tum quoquo modo, perculsâ terriculamentis ſimplice ac religioſâ plebe, vixère tamen in animis multorum: & nequitia avaritiaque ſacerdotum, quæ continere ſe non poterant, per temporis medelam penè ſanata ſæpiùs recrudùere. Nam religionum prætextu illi indies magis

& magis

& magis emungere plebem, & expilare, non vivos ſolùm, ſed etiam mortuos
quæſtui habere, & vt ipſis indulgebant Monaſterienſes, ſic horum cupidini &
conſilio ipſi viciſſim ſubſervire. Monaſterienſium verò conſilium & conatus
erat, augendis pro libitu pœnis populum liberum & divitem tributo aſſueface-
re, atq; ita paulatim poteſtatis Eccleſiaſticæ prætextu in ſervitutem trahere, id
per procuratores ſuos, per decanos, per officiales in Friſiam miſſos variis modis
ſenſim tentare. Quæ quandiu modum habuêre, tolerarunt homines religioni
multùm dediti, & injuriis querelas tantùm oppoſuêre; ubi modum injuriæ ex-
ceſsêre, & tanquam irritatæ querelis prorupere longiùs, exactiones auctæ &
aſperatæ, rigor ad terrendam plebem vbiq; ingeſtus, populus tandem, cùm ſe
offerret occaſio, frenum mordens ad tuendam libertatem ſuam, reprimendaſq;
injurias exarſit. Occaſio ex Decanatu Fermſumano extitit. Nam Siccone de-
cano, qui Fivelingiis & Huneſgoniis pacem conſcivit, dudum vitâ functo, & fi-
lio quoque ejus Gaicone extincto, (is ſextus erat hujus familiæ, in quâ à patre in
filium honos ordine jam tranſierat) Rodbernus homo potens, ejus, quem antè
memoravi, nepos ob ſanguinis propinquitatem filiolo ſuo adhuc impuberi ſa-
cerdotium ejus vici cum annexo decanatu confecerat apud Gerardum epiſco-
pum Monaſterienſem, qui Ottoni Lippienſi ſurrogatus erat, aut ab eo emerat
potiùs. Id indignè ferens Walbertus Eppinga inter ſuos gratiâ & opibus valens,
Rodberno jam antè inimicus, re cum paucis primùm, mox cum pluribus com-
municatâ in præfecturâ veteri, in quâ domicilium habebat, poſtremò palam ja-
ctare cœpit, non ferendam nundinationem ſacerdotiorum eſſe, non ambitio- M. CC.
nem aut avaritiam epiſcopi, non ſacerdotum nequitiam: quorũ omnium unum LXXI.
idemque ſtudium, poſthabitâ pietatis curâ, excoriare populum, & ſervitutem ei
imponere: Satius igitur eſſe, obſiſtere, dum integrum ſit, & jus ſuum etiã exem-
pli gratiâ pro poſteris aſſerere. Facilè erat impellere ſuâ ſponte huc inclinantes.
Quo confecto per Herćwerdum quendam cognomento luſcum, hominẽ con-
citando populo idoneum, Reidanos etiam omnes, qui inter Amaſum & vete-
rem præfecturam ſunt, cauſæ cõjungit. Mox exemplum ad Amaſanos, ab Ama-
ſanis ad Broecmerios manavit. Cùm pro libertate conſpiraſſent omnes, à prio-
ribus conſiliis & inſtitutis abſiſtere decanos, quiq; cum iis faciebant, atque intra
officii metas ſe continere juſſerunt: deinde colloquiis de re inſtitutis, cùm obſi-
dibus traditis liberis ſuis decani promiſiſſent, judicio bonorum & prudentium
virorum delectorum ex agro ſuo ſe ſtaturos, & tamẽ interea ad epiſcopum cau-
ſam referrent, nec arbitros admittere delectos à populo vellent, Amaſani con-
curſu facto domos decanorum incenſas demoliti ſunt, ipſos exules eſſe juſſerũt.
Eo patrato mox confœderati omnes conjuncto agmine in Fivelgoniam profe-
cti, vt Rodbernum vlciſcerentur, ejus domum, quam prævalidis exſtructam
operibus habebat, ad quamlibet etiam vim ſubitam ſuſtinendam, invaſerunt.
Sed, quòd de præſidio ei in tempore Rodbernus proſpexiſſet, tentatâ oppugna-
tione, defendentibus ſe fortiter præſidiariis, amiſſis ſuorum XVI promptiſſimis,
cùm non ſatis ad oppugnandum inſtructi acceſſiſſent, & Fivelingios ſe commo-
turos vererentur, (ſic enim rumor ferebat) infectâ re, non ſatis propitio in Five-
lingios animo ſunt domum reverſi, non ut à propoſito deſiſterent, ſed ut magis
parati paulò pòſt eôdem redirent. Quapropter Snelgerus Scermeranus, & reli-
qua nobilitas, & judiciis præfecti per Fivelgoniam Rodberno denunciarunt,
vt defendi à Fivelingiis ſi vellet, de ſarciendis belli detrimentis, quæ poſſent ſe-
qui, cautionem præſtaret: ſi facere nollet, non eſſe, quòd defenſionem quoque
ab iiſdem expectaret. Ille conditionem tanti periculi ſapienter defugiens, rebus
omnibus ſuis quàm potuit celerrimè in tutum tranſportatis, domoque vacuâ
deſertâ cum omni familiâ fortunæ ceſſit. Domus à confœderatis vaſtata, & in
ruinis eſt relicta. Monaſterienſis hæc ad ſummam ſuam injuriam pertinere ar-
bitratus, jus ſacrum, autoritatem, honorem ſuum peſſundari, conſilia & ſpes

everti,plenus ira ad uſitatæ ſacerdotibus arma in extremo caſu decurrit, inter-
dictum, quo à ſacris omnes earum terrarum incolæ arcebantur, promulgavit.
Ita templa clauſa;eorum liminibus vivi,ſepultura in cœmiteriis mortui prohi-
biti,deniq; univerſum ſacerdotũ officium conticuit.Id moleſtum populo,& vix
tolerabile. Itaque Walbertus & ſocii in præfecturâ vetere,ut periculum motus
popularis averterẽt,ſacerdotibus denunciarunt,uti ſacra curarent,aut dimiſſis
ſacerdotiis,in exilium proficiſcerentur: eoq; modo ſacrorum uſus apud eos hic
illic reſtitutus. Hoc exemplum cæteri etiam frequentes imitati: ſed non pari
ſucceſſu omnes, ob ſacerdotum multorum in propoſito pervicaciam. Deinde
rationem facti ſui publicarunt, oſtenderuntque,nihil à ſe committi contra pie-
tatem: iniquo enim interdicto & impio quis moveatur? ſe loco moviſſe deca-
nos, hirudines populi, maritos, hæreditatibus jura ſacerdotii evertentes, non
electos ſuffragiis, aut ritè immiſſos: epiſcopum ipſum in canones peccare, ven-
dentem pro libitu, quæ gratis conferri debeant, & pueris, quorum nullus eſſe
uſus queat, honores ac beneficia Eccleſiæ præcipua tribuentem, neſcio ipſo
Romano Pontifice. His ſcita adjecêre quædam ad infringendos epiſcopi cona-
tus & conſilia,ad coercendam ſacerdotum ſuorum nequitiam, ad tuendam li-
bertatem patriam pertinentia. Reſponderunt alii pro epiſcopo: etiamſi juſta-
rum fortè querelarum aliquid habuiſſent ab initio,non tamen iis fas fuiſſe,præ-
teritâ juris viâ, ad vim & exturbationem ſacerdotum deſcendere: quo facto,
velut divini juris majeſtate læsâ, è fidelium conſortio ejectos meritò jus ſuum
omne perdidiſſe; adeoque ne audiendos quidem eſſe in judicio, niſi priùs ido-
neam cautionem præſtent, ſeſe læſis pro criminis & injuriæ magnitudine ſatiſ-
facturos: quinimò inania eſſe ipſorum ſcita, ſacris canonibus & libertati cleri
adverſa, quibus qui derogent, & derogantibus qui pareant, pariter à ſocietate
piorum alienos haberi.Sed populus his nihil admodũ moveri ſui juris certus,ſa-
cerdotes non parentes magis contemni indies, nonnulli ſacerdotiis & ſedibus
quoque eiici,in his multa fieri confusè,& delinqui,ut mos hominum,utrâque à
M.CC. parte. Simul in Friſiâ universâ cum diuturna pecorum lue fames invaleſcere;
LXXII. ſed nuſquam graviùs quàm utrinq; circùm Amaſum, & quæ inde ad orientem
ſequuntur: quas partes in Palæſtinam expeditiones penè omni pecuniâ exhau-
ſerant, diluvia afflixerant vehementiùs, armentorum & minorum pecorum
ſtrages præ reliquis ad inopiam ferè redegerant. Accedebat epiſcopus infeſtus,
qui nundinarum & quibuſvis aliis commerciis cum excommmunicatis ſeverè
ſuæ diœceſeos hominibus interdixerat; idque fecerat, non ut frumenti co-
pia eos iſtinc (nam omnis regio Weſtfaliæ, ut & Drentia, & partes vicinæ eâ-
dem hac inopiâ urgebantur) ſed pecuniæ prohiberet. Quâ deſtituti à Danis,&
civitatibus ad mare Balticum, quæ frumento abundare dicebantur, mercari
nil poterant. Deinde cum civitatibus his egerat quoque idem epiſcopus,ne in-
terdicto obnoxiis hominibus copiam commeatum faciendo cõtumaciam eo-
rum,atq; impietatem promoverent.Ita factum,ut mercatores undequaq; con-
fectis & collectis nummis ad Gryphiſwoldios,& vicinos in eâ orâ profecti cum
magno pretio vix quædam coëmiſſent, exportare tamen coëmpta à magiſtra-
tibus ſint prohibiti;nec antè faciendi ejus facultatem conſecuti, quàm à longâ
morâ alterum velut pretiũ iiſdem avaris magiſtratibus numeraſſent. Eoq; mo-
do ſerum & pertenue ſubſidium inde ad Friſios tandem venit. Interea gliſcere
atrox fames,& plebẽ premere,pro frumento caſeus in uſu eſſe,is quoq; deficere,
caro & lac, ſolita famis remedia in Friſiâ, ob luem,quam dixi, parcè admodum
haberi,multi in plebe patriâ diſcedere peregrè quæſituri quoquo modo, quo fa-
mem propellerent,& vitã tolerarent,alii ad mendicãdum invitis animis deſcen-
dere;ad aquas qui habitabãt,piſcibus victitare,nec pauci lanceolis,graminis ge-
nere ſucci pleno, cujus eo tẽpore benè magna copia provenerat, in pratis veſci
cum pecudib.eoq; cibi genere novo & abjecto eſuriẽ explere, nõnulli etiam in-
ediâ extingui.Lego in annalib.quos Menco Werumanus antiſtes tertius cõfecit,
circiter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

circiter Pentecoſtes anno M. CC. LXXII, quo hæc fames potiſſimùm ſæviit, modium majorem frumenti veniiſſe XVIII ſolidis monetæ Sterlingenſis, cum conditione ſolutionis præſentis: & rurſus eundẽ modium emptum marcis quatuor ejuſdem monetæ, cum lege ſolvendi poſt exactum annum: argumentum & annonæ caritatis ſummæ, & nummorum inopiæ etiam multò majoris, quippe cùm vſuræ hujus modus penè triplus fuerit ad pretii totius ſummam Hinc porrò agrorum vilitas fidem ſuperans, præſertim in regione depreſsâ, & aquis obnoxiâ. Inter quæ mala media Gerardus epiſcopus diem obiit. Quo ſublato, ſtatim Aſchendorpii Fredoburgum ſuum nuper in ſe erectum ſunt demoliti: & Friſii in Fivelgoniâ ad Sondam locũ priùs memoratum, quãquam in hac rerum anguſtiâ, tamen deducendarum & coërcendarum aquarum clauſtrum novum in novo aggere conſtituerũt. Anno proximo M CC. LXXIII annonæ ratio melior M. CC. LXXIII.
jam in Friſiâ, difficillima in oppidis Germaniæ maritimis, quæ hactenus copiâ abundaverant, quâdam rerum viciſſitudine ſubitò ſe vertente, vt neceſſe fuerit levamen famis aliquod eorum locorum hominibus ex Friſiâ conquirere. Sed pro fame peſtis ſenſim ſe proferens ad exitum anni prioris, hoc anno magnâ vi Friſios invaſit, omneſque ejus pervaſit partes, & multam hominum ſtragem traxit. In Hollandiâ, mortuâ Guilhelmi Imperatoris matre Mathilde Brabantinâ, fœminâ ætate & gratiâ gravi, impubere adhuc Florentio Comite Guilhelmi filio, circiter annum Chriſti M. CC. LXVIII plebs Kenhemaria injuriis nobilitatis ſuæ provocata, vt ajunt annales, coitione factâ, ingentem tumultum concivit. Cujus vitandi gratiâ cùm nobiles Harlemum ſe recepiſſent, eadem plebs in arces profugorum impetum vertit, eaſque penè omnes delevit; reliquas fortunas eorundem, quas adire poterat, omnibus incommodis affecit. Hoc ſucceſſu elata, Friſiis vicinis in ſocietatem adſcitis, in agrum Amſtelium, cui Amſtela nomen dedit, eſt ingreſſa agmine infeſto. Ejus agri dominus tum erat Giſbertus Amſtelius, Giſberti filius, à Drentinis olim bello Vltrajectino capti, callidi atque acerbi ingenii vir, qui Iſelſtenias quoque opes dotales poſſidebat. Is obviam profectus adventantibus, mitigatâ eorum irâ, & fœdere cum iis inito, ducem ſe ad reliqua contra nobilitatem perſequenda profeſſus eſt, vnoque conſilio & ſuis à rebus tempeſtatem avertit, & inimicis, quod diu quæſierat, magnum malum paravit. Nam in Vltrajectinam diœceſin ducto hoc exercitu, cui ſuos quoque addidit, omnium, quibus cum inimicitias habebat (hi erant major pars nobilitatis eâ in diœceſi) procerum arces & res vaſtavit. Inter hæc occaſione obſervatâ improviſus Vltrajectum petiit nocturno itinere, attonitiſq; Vltrajectinis, & quid ſibi vellet exercitus adventus percontantibus reſpondit, Kenhemarios libertatis aſſertores poſtulare, vt nobilitatem, quæ iſtuc confugerat, aut domicilium in vrbe habebat, plebis libertati gravem ex vrbe eiicerent, pecuniam eorum pauperibus diſtribuerent: ſi non facerent, vim in civitatem verſum iri. Oppidani repentino periculo commoti, & jam antè non ſatis propitii familiis pleriſq; nobilibus, concitato tumultu, proceribus ejectis, & magiſtratu ſuo omni abrogato, viros ex ſe XL ediderunt, qui & civitatem regerent, & jus civibus redderent. Atq; hoc exemplum ad alia quoque oppida ejus viciniæ, imprimis ad Amersfordios ſtatim manavit. Epiſcopus Vltrajectinus Ioannes Naſſovius, qui Henrico Viãdenſi, quemadmodum iſte Goſuino Amſtelio, in munere ſucceſſerat, cõtumeliæ impatiens cum Ottone Geldro, cõfectis copiis, cũ ad reducendos exules ad vrbẽ tenderet, obijcientib. ſe majore numero Kenhemariis & eorũ ſociis, pedẽ referre coactus eſt. Quo ſucceſſu elatus Amſtelius, quanquã epiſcopum augendis virib. intentum eſſe cum eodẽ Geldro nõ neſcius eſſet, tamen occaſionẽ haud neglıgẽdam ratus, qui ſupererant inimicorũ ſuorũ, eorũ arces & caſtella invaſit, evertitq;: in quibus Giſbertus Apcoudius, Guilhelmus Riſenburgius, Hubertus Vianẽſis fuerũt. Tum hortãte Amſtelio, quòd meſſis inſtaret, Kenhemarii & Friſii domũ quiſq; ſuam petẽtes ex itinere Harlemum

tentarunt, receptaculum ſuorum hoſtium. Sed erumpens in eos Ioannes Perſinæus è vetuſtâ nobilitate Batavicâ, & perrumpens in Kenhemariam infeſtus invaſit, atque ita de ſuis rebus ſollicitos, Harlemo abſcedere coëgit. Quos abeuntes inſecuti Harlemæi, poſtremorumque terga cedentes haud parvâ ſpoliorum ac prædarum parte, quibus impediti erant, exuerunt. Iis domum dilapſis Epiſcopus & Geldrus Vltrajectum cum exercitu reverſi, cùm defenſionem parare cives viderent, deſperato per vim potiundæ vrbis eventu, quarto ſtatim die iſtinc Amersfordiam ſe contulerunt; idque oppidum deditione captum magnâ calamitate affecerunt. Poſt quæ Hildeboldus Bremenſis præſul Monaſterienſium exemplo monitus, ni quid ſibi à Friſiis ſuæ diœceſeos ſimile accideret (id verò facillimâ ratione fieri poterat in tantâ propinquitate & conjunctione) Nordam ipſe venit extremam provinciæ ſuæ in ſacrorum curâ, & Broecmeriis Amaſaniſque confinem. Ibi coram omnibus inſpectis, & cauſis offenſionum, ac tumultuum ſublatis, cenſurâ ſacri ordinis, quam res inquirebat, actâ, Dominicanæ familiæ, ad quam diverterat, collegio & inſtituto confirmato, Miſsâ decantatâ, denique populo officii admonito, & pietate commendatâ, ad ſuos rurſùm diſceſſit. A cujus abitu qui proximè ſecutus eſt annus M.CC.LXXII cœno-
M.CC. LXXII. bio Canonicorum Veldenſium in Oſtringiis inſigni calamitate notatus fuit. Nam & fanum exuſtum eſt, & Canonici cœnobitæ omnes quodam quaſi fato in lue epidemiâ paſſim ſe tum proferente obierunt. Iacuitque vaſtum & deſolatum cœnobium ex eo tempore toto penè ſæculo, ad annum vſque poſt Chriſtum in terra natum M.CCC.L, quo anno tandem, ſed mutatâ ſacris operantium familiâ, eſt inſtauratum. Inde Kedingios, qui ad Albim ſunt, inter Friſios numeratos, malum apprehendit. Nam cùm non ſatis dicto audientes eſſe viderentur, populus quippe naturâ liber, Giſelbertus Brunchorſtius archiepiſcopus Bremenſis, qui Hildeboldo nuper ſucceſſerat, egregiâ fraude inermes oppreſſit. Quippe diſſimulans offenſam, velut altâ in pace ad certamen ludicrum armorum & ſuos & vicinos Stadam exciverat. Tum ludis cœptis, cùm armati magno numero adeſſent, nec quiſquam niſi de ludis cogitaret, repentè omnes in Kedingios duxit, magnâque cæde imparatos inopinanteſque caſtigavit. Captivos quoque nonnullos abduxit: atque ita, qui ſupererant, imperata facere coëgit. Nec multò pòſt ſeditio vehemens eum Bremæ excepit: quæ etſi compreſſa ab archiepiſcopo, & pax gratiaque reſtituta civitati fuit, animorum tamen conjunctio reſtitui tam citò non potuit. Quâ occaſione obſervatâ Friſii Viſurgis & Iadæ accolæ, cùm ſcirent civitatem domeſtico metu occupatam emittere copias non poſſe, injurias ſuas, quæ raro inter vicinos deſunt, ſpoliatis Bremenſium negotiatoribus, navibuſque direptis vlti ſunt. Res deinde ſine armis compoſita. Et hoc maximè tempus eſt, quo Bremenſes zythum ſuum quam cereviſiam vocant, primi omnium in Friſiam, aliaſque regiones, maximo ſuo commodo & publico & privato exportare cœperunt: Quod Hamburgum reliquæque civitates maritimæ, quæ artem coquendi nondum tum didicerant, poſt centum demum annos imitatæ dicuntur: Magno ſanè Friſiæ malo, cùm luxuriæ infinitæ materia cupidè æquè ac carè ematur. Et in his, quæ recenſui, totius gentis incommodis Tranſlavicana nobilitas ex æmulatione & odio in factiones, hinc in tumultus, & cædes mutuas verſa: populus tamen quietus, & velut ſpectator fabulæ, ac nondum tum in partes tractus, quod poſtea eſt factum. Tunc quidem initium datum ſtruendarum tot ædium turritarum firmo opere lateritio eâ in regione, dum aut ſibi quiſque confugium, aut in inimicos arcem ſtatuit. Quarum fiduciâ magna poſteris ſæculis mala excitata cum ſummâ totius gentis pernicie. Et jam adoleverat in Hollandiâ Florentius V ejus nominis Comes, Guilhelmi filius: cujus in animo paternę cedis memoria, quam cum corpore ipſo terrâ obruere Friſii fruſtra ſtuduerant, cùm viveret, fieri non potuit, quin cupidine vindictæ, & dedecoris abolendi adoleſcentem per ſe ferocem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

rocem incenderet. Accedebant ab Hollandis ſtimuli, qui invidiâ, detrimento,
ignominiâ fortunæ prioris pariter vtebantur. Itaque tyrocinio in reducendis
exulibus Vltrajectinis depoſito, capitibuſque factionis adverſæ proſcriptis, &
in exilium actis, pacatis & placatis Kenhemariis, ac Amſtelio in gratiam rece-
pto, ad annum M.CC.LXXIIII, prompto ſtudio omnium ſuorum ordinum exer- M.CC.
citum confecit, quem putabat rebus in Friſiâ gerendis fore parem. Quo facto, LXXIV.
cunctiſq; ad bellum neceſſariis comparatis, in Friſiam ingreſſus ferox juvenis, &
dolore incenſus id operam dedit, ut quâcunq; iret, monumenta iræ ſuæ poſt ſe
relinqueret. Verùm accidit, vt opinione citiùs in hoſtiũ copias incideret ad Ol-
dorpium vicum haud magnas quidẽ numero, ſed peracres, & ad audendum, pa-
trandumque fortiter juxta paratas. Cum quibus cùm conflixiſſet ad VIII Idus
Auguſti incommodo exceptus loco, victus tandem atque in fugam actus eſt:
amiſitque ſuorum in conflictu quingentos plus minùs, quos inter præcipuæ no-
bilitatis viri fuere, Iacobus Waſſenarius equeſtris ordinis, Gualterus Egmon-
danus, cum filio Guilhelmo, Gerhardus Harlemæus ad Friſiæ reges priſcos fa-
miliam referens, Theodoricus & Gerardus Raphorſtii fratres germani, Veren-
baldus Haganus, Albartuſque filius ejus, Gualterus Friſo. Florentius hâc fortunâ
aſperatus magis quàm fractus, ubi in tutum veniſſet, inſtaurato exercitu ac plu-
ribus copiis aucto, dum recens ira erat, in hoſtem rursùm contendit, eumque
nactus è fortunâ fortè, qui mos hominum eſt, fidentiùs incautiùſque agentem,
ita invaſit, ut poſt acre prælium cæſis quàm plurimis, reliqui, quâ quiſque pote-
rat, fugæ ſtuderent. Hac in pugnâ captus quidam vir ſenex mortis metu ad-
actus prodidit, quo loco Guilhelmi corpus Friſii XVIII ante annos condidiſſent.
Cujus reliquiis refoſſis, ſublatiſque, quaſi ſatisfactum honori patris & familiæ
eſſet, Florentius cum exercitu in Hollandiam rediit. Sed aliud eum quoque ur-
gebat, ne plura tentaret. Nam & autumnus ſuberat, omnium maximè incom-
modus ad res eo loco gerendas, & Hollandi ita vicerant, ut temerè ſibi tentan-
dum Friſiorum Martem, qui parati rursùm eſſe ad confligendum dicebantur,
non arbitrarentur. Ita Friſiis libertas relicta; oſſa Guilhelmi Middelburgum Se-
landiæ devecta, ac regio luxu condita ſunt. Nec tamen ignoro, hoc ultimum
prælium aliquot annis poſt commiſſum, & pugnatum tum bis, primò ad Schel-
lincholtum, iterum ad Hoochwoldam, utraque vice cum clade Friſiorum in-
genti à nonnullis tradi, & poſteriore demum prælio captum ſenem Guilhelmi
oſſa quærenti filio demonſtraſſe. Quibus ut non repugnem valde in cæteris, in
cladium magnitudine certè aſſentiri non poſſum: quod, ea, quæ ſecuta poſtea
ſunt, cum iſtis non conveniant. Circùm Amaſum autem ne tum quidem com-
poſita res erat cum Monaſterienſi, & ſacerdotum ordine. Nam populus niſi
cautum integrè libertati ſuæ eſſet, de tranſactione audire non volebat. Præſul
verò Eberhardus, qui Gerardo ſucceſſerat anteceſſoris ſui veſtigiis, urgendo
interdicto, cæteriſque, quæ interdicto cauſam dederant, inſiſtebat: paulatimque
plura ſe mala cum diſſidio, atque odiis ingerebant. Quæ ne cuncta tandem ſub-
verterent, intercedentibus aſſiduè viris gravibus, inter quos familiarum mona-
ſticarum vicini antiſtites, epiſcopus velut ad mentem reverſus remittere ſen-
ſim de pertinaciâ ac propoſito, & ſaniora jam conſilia audire, & populus quo-
que ad compoſitionem magis ac magis inclinari incipiebat. Poſtremo arbitris
permiſſa res eſt ad principium anni M.CC.LXXVI. Arbitri deſignati antiſtites M.CC.
iidem interceſſores, Eggardus Adoardiæ, Hatebrandus Thedingæ, Adolfus Ilæ, LXXVI.
Hugo cœnobii veteris, Rembartus Silomonachi, Remboldus Fildwardiæ ab-
bates, Otto Floridi horti, Suido Langernæ præpoſiti, Lud. commendator Sten-
vordicus, Albertus Dominicanorum apud Nordanos Prior cum Suppriore
ſuo, uti vocant. Qui omnes, poteſtate utraque à parte acceptâ, Valderæ in vico
Embdæ proximo (is jam oppidi hujus mœnibus dudum incluſus & oppido ad-
ditus eſt) congreſſi, poſtquam abundè partem utramque audiſſent, ac diu mul-

tumque rem agitaſſent, tandem in hanc ſententiam pronunciarunt. *Primum, oblivio eſſet perpetua, & condonatio mutua omnium priorum injuriarum. Deinde, quoties epiſcopus, aut vicarius ipſius in Friſiam cogitaret obeundi muneris ſui, aut tribunalis eccleſiaſtici pro more exercendi gratiâ, tum antè adventum eius ſolenniter indictum tribus ſeptimanis quies eſſet ab armis, ac omni tumultu, totidemque ab abitu eius ſeptimanis pacatè viveretur. Quod ſi toto illo tempore cædem quis perpetraret, ut epiſcopo mulctam* XX *marcas veteres ſolveret: ſin etiam eo loco in quo cum familiâ fortè ageret epiſcopus iudiciorum causâ, id facinus committeret, tum ut mediâ parte mulcta quoque major eſſet. Templum incendio, aut aliâ quacunque ratione profanans* (quod in civilibus turbis fieri ſæpè ſolet) *expiationis ſumptus ſuſtineret: In hoſtem in templo impetum faciens, marcas* X *mulctæ nomine penderet: In templo ſi quis alterum vulneraret, marcas veteres itidem* X; *ſi etiam occideret,* XXX *marcas eiuſdem generis Præpoſito epiſcopi nomine exſolveret: in cœmiterio autem vulnere afficiens alterum, marcas* V; *occidens verò* XV *marcas veteres ſimiliter Præpoſito, epiſcopi nomine mulctam daret: convictus & mulctæ reus, ſi admonitus intra ſeptimanas* VI *non ſolveret, excommunicatione premeretur: ſi nihilominus in pertinaciâ perſiſteret, poſt* VI *ſeptimanas alias ad interdictum procederetur contra totam eccleſiam eius loci, ubi reus ageret: profugum vero excommunicatum, atque ad aliam eccleſiam ſe recipientem interdictum ſequeretur: Sacerdotes pro auſcultatâ confeſſione, ægrorum viſitatione, Sacramentorum adminiſtratione, unctione, corporum ſepultura ne quid exigerent, ſed contenti eſſent eo, quod ſponte ipſis pro piorum conſuetudine offerretur. Iidem ad certum tempus tantum Sacerdotijs præeſſe ſoliti, impoſterum perpetui eſſent: poculis dediti, contentioſi, pugnaces, improbis atque indignis ſacerdote moribus præditi, ſi ter ritè admoniti graviſſima epiſcopi autoritate non reſipiſcerent, ſacerdotiis privarentur: nec judicijs civilibus ſe miſcerent, nec cauſarum patrocinia ſuſciperent niſi in caſibus in iure conceſſis: omnibus liberum eſſet locum ſepulturæ ſibi eligere, ſine impedimento à ſacerdotibus illato: ut poſt profeſſionem vitæ monaſticæ coniugium iniens, exhæres in perpetuum eſſet, ac iudices civiles ſecus iudicantes excommunicati haberentur. Cædes ſacerdotis marcis veteribus* LX, *diaconi verò & lectoris* L, *hypodiaconi & epiſtolæ lectoris* XL; *cuſtodis vel acolyti, aliorumque, qui in ultimo initiatorum ordine ſunt,* XXXVI *ſimilibus marcis luerentur: hæreditatem Friſij inter Teutonas, Teutoniſque viciſſim inter Friſios mortui, ſine impedimento, aut contradictione cuiuſque propinqui proximi caperent: Friſius naufragium faciens in diœceſi Monaſterienſi, res naufragas ſine lite ſtatim recuperaret: Idem boves, equos, haleces in Weſtfaliam venum importans adducenſve, novo vectigali ſupra ſolitum modum non oneraretur: poſtremò fas non eſſet, Saxonem Friſiumve noxæ debitive alieni gratia detinere, aut quoquo modo moleſtiam ei creare.* Sic omnis controverſia finita ſacerdotibus honos & locus redditus, ſacra ubique reducta, denique cuncta priſtino ordini reſtituta. Sententiæ in ſcriptum relatæ ſigilla agri Amaſani, Broecmerii, Reidani, præfecturæ veteris, teſtimonia conſenſus, & fidei firmamenta, adiecta. Factum hoc anno dicto, die XV Calend. Aprilis. Ab hac tranſactione ſtatim legati ad Imperatorem Rudolfum Habſpurgium, ſextum jam annum in imperio agentem, nomine totius gentis miſſi, qui confirmationem omnis juris patrii ac libertatis ab eo peterent. Auditum namque erat, præter Hollandum alios quoque eſſe in numero Principum, qui libertatem gentis appetere apud Imperatorem putarentur. His auditis, Imperator haud ignorans, quo ſibi præſidio contra æmulos in hac emergente fortunâ ſuâ eſſet opus, & quàm validum & fidum id à Friſiis habere poſſet, haud gravatè petitioni per ſe æquiſſimæ aſſenſit: præſertim cùm nonnullos hujus gentis viros fortes magnâ in gratiâ circum ſe haberet, qui cauſam patriæ ipſi commendarent. In quibus Watſonem Ioulſmæum præcipuum commentarii quidam in Friſiâ occiduâ ſcripti recenſent. Sed conditiones idem Imperator viciſſim has Friſiis dixit, vt auxilia ad reliquias regni Hieroſolymitani tuendas (eæ tum adhuc ſupererant Chriſtianis) repetendamque ipſam vrbem regiam, cùm uſus poſceret, pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

pro modo virium præſtarent: vt Romam petenti ſibi, honoris & præſidii cauſa, cùm item opus eſſet, armati adeſſent, ac Italis in obſequio retinendis, opem ferrent: vt urbes arceſque ad Rhenum, quæ Imperii ſunt, contra eos, qui invadere illas conarentur, omnibus viribus defenderent, ac Imperio conſervarent, denique ut patriam ipſi ſuam, ita, vti æquum eſſet, contra Hollandum, cæteroſque hoſtes ſtrenuè tuerentur. Adjecit etiam capita decem juri antiquo Friſico, quæ cum reliquis in codice legum noſtratium ante annos CXXX Coloniæ typis excuſo, patrio ſermone edita in manibus omnium habentur. Sed ab imperitis aut ineptis potiùs, dum neſcio quam gratiam rythmis malè contextis addere argumento voluerunt, ita corrupta eſſe videntur, quæ extant, vt habeant ſanè, qui fidem derogare illis, ac pro commentis traducere volunt, quod non iniquè cavillentur. Verùm hoc quicquid eſt vitii, inſulſo poetæ, qui res non noverat, non rebus eſt acceptum ferendum. Et ſic quidem contra inſidias & vim peregrinam ſatis proſpectum univerſæ Friſiæ hoc novo diplomate, & Imperatoris gratiâ videbatur. Sed domi claudicare ordinum concordia una omnium ad tuendam ſalutem communem maximè neceſſaria, & tumultuum principia hic illic ſe proferre cœperunt: maximeque apud eos, qui longiſſimè ab hoſte externo putabantur abeſſe. Cui malo ut M.CC.
occurrerent qui inter Amaſum & Viſurgim habitabant, (de cæteris certum LXXVII.
dicere non habeo) hortatu & precibus virorum prudentum conventui diem dixêre apud Nordanos. Ad quem conveniſſe feruntur ex omnibus locis ſpectatiſſimi quique. Et è Nordanis quidem qui tum concilio præ cæteris interfuêre, notati in annali vetuſto ſunt Edo Alderſna, Hicco Izinga, Erboldus Ebbena, conſules Nordani, & Fridericus conſulum orator. De cæteris nihil proditum. Actum illic diligentiſſimè de ſarciendâ inter ordines gratiâ, & de pace tenendâ. Et lites quidem compoſitæ, decretumque factum de novo magiſtratu creando per ſingulas, ut quibuſdam placere video, provincias: Ejus magiſtratus munus eſſet, non ſolùm jus dicere æqualiter, ſed id quoque operam dare, ut pacem inter ſe omnes colerent. Hos Fredomannos ſuâ linguâ, id eſt, pacis præfectos nuncuparunt. Ex Nordanis primi hunc honorem meruerunt Bebbo Vbbena, Folpetus Reindſena, Elo Aggena, hiſque additus orator Vlricus vir doctus. Sic conventus ſolutus. Pacis præfecti induſtriè, & ſummâ fide functi ſuo munere, quamvis vitæ & fortunarum ſuarum periculum propoſitum ſibi viderent à potentibus & factioſis, qui nec pacem ferre, nec imperium cujuſquam pati poterant, tamen eò rem magnâ contentione deduxêre, ut, tumultuandi licentiâ poſitâ, decreto conventus ab omnibus pareretur. Eaque quiete aliquandiu magno bono publico uſa hæc pars Friſiæ fuit.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber Duodecimus.

EOdem verò illo anno, quo hæc acta Nordæ, qui fuit poſt Chriſtum in
M. CC. terris natum M. CC. LXXVII, ſtatim ineunte Ianuario menſe, aquæ ma-
LXXVII. rinæ disjectis aggeribus in agros influentes ingens rurſus detrimen-
tum Friſiis intulerunt. Et ſub exitum Decembris eadem ab Ocea-
no clades quantò maior, eò pernicioſior fuit. Nam reliquiis agge-
rum à fundo convulſis, quâ Emda & Larletum Reideriæ oram aſpiciebant,
non ſolùm immiſſi in terras fluctus ſunt, ſed agri quoque tota penè Friſiâ pul-
cherrimi cum vicis plurimis diluvio periêre. Quod eò etiam proclivius fuit,
quòd planicies camporum illic, introrſum præſertim, humilior, & ſoli natura
ſub ceſpite primo ſpongioſa, ac paluſtris erat. Quas ob res fiebat, ut & undæ
illuc faciliùs ác vehementiùs ſe incitarent, difficillimè autem, niſi flantibus
euris emitti rurſum poſſent, ſolum verò leve, & rarum, naturâque ſuâ fluitans,
& ad percuſſum pedis quoque ſubſultans ac tremens, non tantùm aggeribus
gravioribus inutile ſit, ſed etiam incumbentium vndarum mole preſſum ma-
gnis fragminibus ſuberis inſtar ſe levet à fundo, atque innatet, ſæpè quoque
M. CC. magno impetu ad ſuperficiem aquæ prorumpat. Acceſsêre tempeſtates fre-
LXXVIII quentes triennio proximo, deinde à decennio eluviones etiam novæ his ipſis
M. CC. non minores, facultatem inſtaurandi convulſa adimentes. Et, quod omnium
LXXIX. deterrimum erat, diſſidia atque odia mutua eorum, qui in orâ ſedes habebant,
M. CC. voluntatem quoq; conferendi operas in bonum publicum tardabant. In qui-
LXXX. bus vox hominis prædivitis & potentis in populo audita memoratur, quæ ad
poſteros manavit, dicentis, malle ſe omnes agros ſuos ad lanceæ longitudinem
fluctibus opertos cernere, quàm in cõmodum vicinorum, à quibus diſſidebat,
aggeres reparare. Ita tempeſtatibus, ſoli naturâ, hominum malitiâ concurren-
tibus, ſinus ille ingens primùm apertus; deinde temporum tractu iiſdem malis
auctus, & amplum in ſpatium fuſus, cui à fluctuum rabie Dullarti nomen à po-
ſteris impoſitum. A quo tempore alia jam rerum facies, atq; olim fuerat, iis locis
eſſe cœpit. Nam Reidanus ager, qui nunc vaſto fluctuum ſpatio, in quod ſe ſinus
hic pandit, à præfecturâ vetere dirimitur, antè calamitatẽ iſtam exiguo tantùm
amne ab eâdem disjungebatur. A Pawingano enim angulo ad auſtrina inſulæ
nunc Neſſanæ, & hinc ad Oſterreidam terra continuo tractu ſe extendebat:
Oſterreida, quæ poſtrema ſuperfuit, ab occidentali Reidâ ultima nunc in præ-
fecturæ veteris orâ per cataractas ſeptem intermedias amnis oſtio impoſitas ſe-
parabatur. In quo tractu Neſſanus ager, reliquis in occidẽtem ferè porrectis, in
boream ſe plurimùm efferebat, Amaſiq; fluxum ſinuabat in hemicyclij formã,
cujus parti gibbæ Emda & Larletum aſſidebant. Inter Pawingam verò & Neſ-
ſam Vterpawinga & Wilgumum, & paulò interiùs Torumum oppidulum lau-
tum, & frequẽs, inter Neſſam porrò & Reidam Berumum, Fletum, Ianſumum
in littore poſita erant penè contigua inter ſeſe. At intus vici plures, & in medio
horum Reiderwolda duobus fanis cum collegio canonicorum eminẽs, inſignis
fori

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

fori inſtar, opulentiâ, ædificiis nobilium, amplitudine illuſtre:nec procul inde diſtans cœnobium Palmarinum, & aliud ad Septentrionem hinc vergẽs Menternæum: cuncta fluctibus profundis nunc oppreſſa, abſorptaq;. Amnis, quem dixi, in Monaſterienſibus ortus, emenſuſq; omnem Weſterwoldicum agrum, eodem, quo etiam nunc, curſu, deinde campos ingreſſus, vbi jam Dullartus eſt, poſtquam ad ejus ſpatii medium pervenerat, amniculum alium ſinuoſo atque errabundo lapſu venientem ab occiduo latere recepit, Reidanos à præfecturâ vetere illic olim disjungentem, atque ita porrò cum eodem hoc progreſſus dictorum agrorum diſtinctor meatu curvo inter occidentalem & orientalem Reidam ſeptem clauſtris emiſſus in Amaſum exibat. Huic *Ea*, minori *Tiamma* nomen erat. Atque hac finium deſignatione Palmarinum cœnobium, Reiderwolda, & nonnulla, quæ nunc in præfecturâ vetere vulgò cenſentur, loca non ignobilia, totuſque adeò ager Weſterwoldicus, Reidanis quondam ſunt annumerata. Sinus ad Iauſumum cori vi primùm, deinde inter Wilgumum & Torumum boreæ ſævitiâ recluſus:& vt quæque introrſum magis ſita ob humile ac ſpongioſum ſolum ita citius aquarum vi ceſſere;vt verò propiùs littori, ita diutiùs etiam aggerum præſidio nudata reſtitere. Cætera de his alibi nobis dicta. Inter hæc mala, mirum, Huneſgoniis libuit turbas civiles movere, & poſt eos Fivelgoniis etiam, & eorum vicinis ad orientem, qui erant malis iiſdem proximi. Huneſgonii poſt tumultus varios ex ambitu ortos pacem inter ſe compoſuerant in annos quatuor, & puberes omnes in eam quotquot erant XII annis ætate majores juraverãt. Quod factum anno æræ Chriſtianæ M.CC.LXXVIII. Verum cùm vixdum exacto biennio viri nobiles duo de judicatu cœpiſſent inter ſe rurſum contendere Diurdeco Caldeberanus, & Eizo Gerbrandæus, iique factionibus ſe utrimque armarent, magnamque ſibi multitudinem adjungerent, pax denuò rupta, armaque reſumpta ſunt, cædes, incendia, prædationes factæ. Sed interventu prudentiorum brevi tumultus iterum compoſiti. At pertinaciùs in Fivelgoniis & vicinis eſt certatum. Origo ex conjugum duorum diſſenſione extitit. Erat apud Hellumanos in Duirſwoldiis vir nobilis, & opibus validus Elbo Meneldæus. Ejus filius, cui idem cum patre nomen, anno à natali Chriſti M.CC.LXXXII uxorem duxerat juvenculam Idam Menterwoldenſem. M. CC. LXXXII. Sed hæc cùm annum unum cum eo in conjugio vixiſſet, pœnitens conſortii non reſpondentis genio ſuo, deſerto marito ad patrem remigravit. Quam paulò poſt cum matrimonio ſibi junxiſſet Folbertus quidam Theodorici filius Midwoldanus, ipſe cum conjuge novâ & patre ab Elbone contumeliam non ferente, expugnatâ domo ſuâ per noctis tenebras captus, & in carcerem Hellumum abſtractus fuit. Indè fruſtrà ſe interponentibus judicibus inermibus, mox armis ſumptis variæ turbæ concitatæ, arbitriis & pugnis certatum, minutumque bellum eâ in orâ geſtum, diſſenſiones ex diſſenſionibus natæ: nec potuerunt niſi poſt longum tempus animi ad concordiam, quietemque admittendam redire. Quæ ſi exponere, ut in quibuſdam annalibus fusè memorata habentur, vellem, fierem ineptus, & à propoſito brevitatis aberrarem. At Groningani à compoſito poſtremo bello ſapientiores jam calamitate ſuâ facti, pacem & amicitiam cum proximis primùm, deinde cum cæteris omnibus, qui Lavicâ & Amaſo clauduntur, conſtanter colebant: & ut res dabant, ita cum his illiſve pacta ſeorſim inibant. Inter quæ cum Mentenenſibus in Fivelgoniâ non procul Amaſo in hæc capita, tenendæ causâ pacis, convenere: Videret M. CC. LXXXIII quiſque quo cum contraheret, ne cui res ſuas concrederet, à quo, quod ſuum eſſet, præfixo tempore non poſſet obtinere : ſi debiti ſolutio ſpontanea non procederet, jure experiretur: à ſpoliis, & carceribus abſtineret: ſpoliato judices auxilio eſſent: ei ſpoliator pro injuriâ marcâ Britannicâ, judicibus pro turbatâ pace pari ſummâ ſatisfaceret. Additaque de probationibus in re dubiâ per jusjurandum. Signata hæc anno M.CC.LXXXIII, die IV Iduum Auguſti.

 Cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Cum Huneſgoniis verò non pacem ſolùm, ſed etiam fœdus, & conventuum communium ſocietatem iidem Groningani jam tum tenebant: conventuſque hos ſocii haud temerè alibi quàm in opp. do propter commoditatem agebant: in conventibus de re communi cònſultabant, pacis vitia tollebant, cauſas bel-
M.CC. li avertebant, judicia ſuperiora exercebant. Quo in ſtatu cùm res eſſent, acci-
LXXXIII dit fortè, vt Selwerdicæ familiæ fratres duo Egbertus & Ludolfus, quorum parens Godſcalcus ad equeſtrem fuerat dignitatem evectus, ob peregrinum hominem è Tuentiâ oriundum in vincula conjectum violatæ pacis publicæ in conventu ſociorum, qui tum in oppido habebatur, arceſſerentur. Ea res diſſenſionem ſociis peperit, cùm incertum videretur, quibus in reos hos judicium jure competeret. Domicilium enim eorum, vbi nunc cœnobium ejuſdem nominis eſt, velut in trivio poſitum à trium diverſarum ditionum, Huneſgoniæ, oppidanæ, ſuburbanæ, quam Gronenbergius habebat, finibus attingebatur, atque ita fiebat, vt ſinguli harum domini ſibi judicium deberi arbitrarentur. Et cùm conſentire inter ſe aliter non poſſent, moderato ac ſapiente vſi conſilio, ne qua hinc turbandæ rurſum concordiæ occaſio exiſteret, in hoc tandem convenerunt omnes, vt reorum arbitrio permitteretur liberum, vt quos vellent ex ipſis judices ſibi eligerent, & poſteris ſuis. Ille re cum propinquis deliberatâ, quorum intererat, ex horum conſilio Egbertum Gronenbergium elegerunt, velut perpetuum ſuburbanæ præfecturæ prætorem. Electionem ſocii omnes ratam habuerunt, vel eò promptiùs, quòd olim quoque ſic fuiſſe ex ſeniorum ſermone, ac litterarum teſtimoniis comperiebant. Datumque hac de re diploma Gronenbergio, quo cautum expreſsè, vt Selwerdici impoſterum omni Huneſgoniorum & Groningẽſium, & quorumvis aliorum juriſdictioni exempti Gronenbergii ſolùm, ac hæredum ejus in præfecturâ ſuburbanâ prætoriæ poteſtati ſubjacerent. Diplomati ſigillum additum agri Huneſgonii. Actores & teſtes aſcripti nominatim Diudo Dodinga edictor terræ Huneſgoniæ, Sifridus Gelekinga, Reuro Brederdus, Ino Francius, Eltetus Gaikinga, Siabbo Folkerda, Focco Wydria. Actum anno M.CC.LXXXIII, poſtridie Idus Septemb. Atque ita obſervatum deinceps, quoad Gronenbergia familia per connubia ac hæreditatem in Selwerdicam tranſiit. Eâ extinctâ, prætorium jus diſtractum, do-
M.CC. micilium etiam familiæ in cœnobium verſum. Annus ſequens, quo conſulari
LXXXIV. poteſtate Rectores Groningæ fuerint Hugo Aggerius, Gerardus Spegelius, Fridericus Butzelius, Ludolfus Sickingius, pro Vltrajectino judicia exercebat Egbertus Gronenbergius, præterea nec pace, nec bello quicquam habuit memo-
M.CC. riâ dignum. Altero, cùm gliſceret diſcordia eodem in agro inter monachos
LXXXV. Adoardianos, & vicanos Oſterwoldios & Goos aquæ ductuum cauſa, quos obſtrui ſibi objecto aggere in rivo, cui Growæ nomen, monachi querebantur, arbitri componendæ litis gratiâ ſe interpoſuêre Egbertus Gronenbergius, Adolfus Gronenbergius Egberti filius, Otto Groninganus eques, Snelgerus Scermeranus, & acceptâ vtrinque poteſtate, ad XIIII, à paſchatos diem latâ ſententiâ, ad conſenſionem rem reduxêre. Quo eodem etiam anno, cùm octennium jam pacis edictum apud Ciſamaſanos ſervatum penè ſine vitio eſſet, labare quies publica apud Nordanos cœpit. Ambitio quippe nobilium factiones in plebe concivit, hæ porrò ſeditionem & tumultus, excuſſâ magiſtratuum reverentiâ, peperêre, ſeditio demùm cædes ſecum promiſcuas traxit. Quæ cùm reprimi aliter non poſſe viderentur, coërcendæ cauſâ tumultuantium & ſicariorum audaciæ arx illic excitata, & præſidio munita. Ea prima arx fuiſſe dicitur, quam Nordani in ſolo ſuo habuêre. Sed quænam illa fuerit, (plures enim Nordæ fuerunt, quarum veſtigia adhùc reſtant) non ſatis liquet. Nimis enim parcè hæc annales attingunt: quemadmodum nec hoc explicant, populi voluntate ac impendio, decernente magiſtratu pacis præfecto, an nobilium operâ privatâ contra plebis commoda arx ſit extructa. Ego prius verum eſſe, & arcem, de quâ quæritur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

quæritur, eam fuiſſe, quæ vetus poſteà dicta, exiſtimo. Alibi aliis modis, ſi quæ proferre ſe cœperant, maturè ſeditionibus occurſum, & quies firmata. Per eadem hæc tempora Friſij trans Flevum ab Hollando nuper victi Wideneſſam arcem, quam Hollandus contra ipſos extruxerat, repentino impetu invaſerāt, & ſummâ vi oppugnaverant: ſed tamen reſiſtentibus fortiter præſidiariis, & omni telorum genere oppugnantes infeſtantibus, non ſine clade dimittere cœptum coacti ſunt. Hollandus hoc factum indigniſſimo ferens animo, ſed ultionem in oportunius tempus differens, in Angliam conceſſerat, ad conficiendas filio illuſtres nuptias cum Eliſabethâ Eduardi I, regis filiâ. Quibus confectis, filio apud ſocerum relicto, cùm domum revertiſſet, majores jam animos gerere, nec minùs regiâ affinitate quàm patris imperio inflari, princeps alioqui magnificus, elatus, ferox, oſtentator rerum ſuarum, Friſiis cum primis iratus, & in omnem contra hos rei gerēdæ occaſionem intentus. Ea haud multò poſt quaſi ad votum illi oblata, cùm annus flueret M.CC.LXXXVII. Ejus namque anni die, qui Idus Decembres proximè ſequitur, cùm quartum jam antè menſem Groningani cum Menterewoldiis, quos eoſdem cum Mentenēſibus eſſe exiſtimo, pacta priora repetiviſſent, diluvium rursùm magnis calamitatibus totam Friſiam involuit. Erantque agri paſſim aquis obruti, ut vicinus opem ferre vicino, impeditis viis, multò magis copiæ armatæ coire, & quò neceſſe erat, duci haud poſſent. Id ſpeculatus Florentius, cum claſſe minorum navium in Friſiam Theodoricum Brederodium propinquum ſuum, quantâ poteſt celeritate, mittit, jubetq; nobilium primos, qui opibus & autoritate in populo anteibant, ſuorum præſidio deſtitutos, ſeorſim opprimere, atq; in Hollandiam captivos abducere. Quod cùm ex animi ſententiâ confeciſſet Brederodius, tum demùm exercitu coacto, cùm aquæ liberum ſolum reliquiſsēt (quod tardius ob agri humilitatem iis præſertim in locis fit) Florentius victoriæ certus Friſiam ipſe ingreditur, ac propè ſine omni certamine ſibi parere cogit. Tum populo in fidē accepto quatuor arces imponit, è quibus Neoburgum nomine, ad Veronæ urbis ampliſſimæ mœnia, non procul à primis Friſiæ finibus: altera Medenblicum in oppido cognomine, propè littus: reliquæ duæ Eningoburgum & Neoburgum, medio in agro. Nec antè domum ſe refert, quàm omnibus perfectis, præſidio impoſito, cōtra vim ſatis proſpexiſſet. Eo modo Friſiæ pars uſq; in Flevum Hollandiæ imperium accepit: nec à fide receſſit, quoad Florentius Comes in vivis fuit. Placet hoc loco referre, quod alicubi annotatum invenio, cùm poſt hoc diluvium, quo infinita prope vis mortalium omnis ordinis periit, familiæ Præmonſtratenſium magiſter cenſum ſuorum in cœnobiis per legatos iniiſſet, Lidlumi DC; in Horto Mariæ CCCC; Doccumi totidem; Wittowerumi inter Groningam & Dammonam ad M; in cœnobio veteri Marnēſis agri CCXL; Bertæ in Mormeria CXL; Langæ CLX, in Bouwonis cœnobio CLXX, Hilligerlæi CLXXX; Palmarii, quod jā Dullartus hauſit, CXC; Alandiæ in Amaſana XC raſorum capitum numerum eſſe in tabulas relatum. Quod ſi verum, & pari modo cætera quoq; cœnobia tum hujus ejuſdem, quæ plura fuêre, tum reliquorum ordinum cenſere ſi cui libuerit, quàm magnum ille exercitum ignavorū ventrium, in deſidia vitam tranſigentium confecerit? Atq; hoc ipſo calamitoſo Friſiæ tempore Nordani compreſſis domi tumultibus, toti erant in extruendo ornandoq; templo ſuo majore, quod Andreæ Apoſtoli memoriæ dicatum voluerant, idque impoſito faſtigio ad annum Chriſti M.CC.LXXXVIII, qui diluvium proximè eſt ſecutus, tandem abſolverunt. Opus egregium, & tribus inſignibus ac præcelſis turribus latè ſpectabile. Quarum una ad occidentem templo cohærens, è topho, ut & ipſum templum, conſtructa uſque ad faſtigii initium: ingens moles per ſe, tum faſtigium ſublime in conum ſe attollens moli impoſitum, altitudine ei par, atque ita in tantum per aëra conſurgens ſpatium, ut per multa milliaria navigantibus in Oceano, adeoq; in ipſo Albis fluminis oſtio conſpici poſſet, non exiguo rei maritimæ

M. CC. LXXXVII

M. CC. LXXXVIII

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

commodo. Reliquæ duæ graciliores lateribus rectis aſſurgentes modico faſti-
gio clauſæ, è latere coctili, unà cum templi parte, quam chorum vocant, cui
utrinque imminent, duarum virginum nobilium ſumptu ſtructæ eſſe memo-
rantur. Quæ, quòd ſanguine junctæ inter ſe eſſent, nomen iis turribus de-
derunt, ut ſobrinæ dicerentur. Quod nomen etiam nunc in uſu communi eſt.
Et cœmiterium quidem illud ſpatioſum tum ritu Pontificio conſecratum ſta-
tim fuit, ut ritè illic condi corpora poſſent. At templi dedicatio, ut ſolennior
ac auſpicatior eſſet, dilata eſt in adventum epiſcopi. Dedicavit demum poſt
annos viginti ſex, archiepiſcopus Bremenſis Ioannes natione Danus die v. Non.
Maij, cùm Nordam eâ de causâ veniſſet. Atque illic dum moratur, ut erat paſ-
ſim vilis, & ſuis omnibus, domi foriſque contemptui, inſigni contumeliâ à fœ-
minâ quâdam læſum eſſe, indeque diſcedentem Wildeſhuſæ etiam vinctum
& cæſum fuiſſe Crantzius autor eſt. Interim vicini principes, aliique apud Ru-
dolfum Imp. ſedulò agunt, omnemque adeò operam dant, ut animum ejus be-
nevolum à Friſiis obtrectando, libertatemque illorum nimiam traducendo,
averterent. Quippe nec fælicis provinciæ, cui inhiabant, cupido, nec invidia,
quâ ob libertatem Friſicam æſtuabant, quieſcere eos ſinebat. Itaque effecere
tandem, ut Imperator quoque extinctis jam, qui in aulâ gratiâ pollentes è no-
ſtratibus patriæ patrocinari ſolent, tantam libertatem gravem ſibi eſſe ſtatu-
ens, modum quæreret, quo eam primum in arctum redigeret, deinde in ſe
ſuoſque jus illud provinciæ ſenſim, ſi fieri poſſet, revocaret. Erat verò ad hoc
tempus ob fidem & induſtriam contra æmulos præcipuè Imperatori charus
Reinoldus Geldriæ Comes è Naſſaviorum veteri familiâ, cujus filius ejuſdem
nominis, à Ludovico IV Imp. primus ejus gentis Dux appellatus, trinepotem
M.CC.XC Carolum ultimum Geldriæ principem habuit. Huic Reinoldo, qui & vicinus
Friſiis erat, & impensè eam provinciam ambierat, navatæque operæ præmium
aliquod expectabat, Imperator Friſiam penè omnem ſub leges revocandam,
ac gubernandam Imperii nomine attribuit. Aſſignationis hæ conditiones fuê-
re, quæ in diplomate etiam nunc extant: *Vt Geldrus omnem Friſiam, quæ Orienta-
lis dicebatur, (ea à Flevo incipie,at, & Weſtergoam ac Oſtergoam potiſſimùm comple-
ctebatur) reliquamque uni ver ſam, quæ juris Imperij erat, exceptâ Transflevanâ Hollan-
do multò antè aſſignata, ex decreto Imperatoris & Principum haberet, legibus ordinaret,
regeret, jus ibi non ſolùm ıpſe diceret, ſed & iudices reliquoſque magiſtratus ex arbitrio
ſuo conſtitueret judicia etiam ıapitis exerceret, reditus provinciæ ſolitos perciperet,
omnia denique ageret plenâ poteſt ate. Quicquid ita factum ab eo eſſet, non ſecus ratum
haberetur, ac ſi Imperator ipſe præſens id feciſſet: Redituum tamen illorum rationem Im-
peratori Rudolfo, vel ſucceſſori redderet: præter hos quicquid extra ordinem vel donativi
nomine, vel quovis modo legitimè acciperet, quandiu provinciam adminiſtraret, id ſibi
retineret, nec reſtituere eius quicquam cogeretur. Provinciam non antè deponeret, aut
Imperatori ſucceſſoribúſve reſtitueret, quàm ſumptus in recuperandâ ac reformandâ Fri-
ſiâ facti* (ſic enim loquitur diploma) *integrè & bonâ fide ipſi hæredibúſve ipſius eſſent
refuſi: Si quid etiam agrorum aut ditionum per Friſiam ad Imperium non pertinentium
ſibi compararet, id ut beneficio Imperatoris poſſideret, retinerétque: Poſtremò in laboris
& curarum præmium beſſes argenti puri quater mille ab Imperio acciperet: nec priùs è
Friſia diſcedere, ac Imperatori eam relinquere neceſſe haberet, quàm hæc ipſi pecunia eſſet
ſoluta.* Scriptæ tabulæ hæ, & ſignatæ multis adhibitis teſtibus Erphordiæ, ad
diem IIII Calend. Auguſti, anni à Chriſto nato M.CC.XC. Huic verò diplomati
dato non diutiùs anno ſupervixit Imperator Rudolfus: ſubmiſſuſque illi Adol-
fus Naſſovius, cùm conſulari poteſtate præſiderēt Groningæ Ludolfus Sickin-
gius, Meinoldus Ruffus, Fridericus Butzelius, Rudolfus Wicheri filius. Nec
quicquam adhuc in Friſios moliri auſus fuit ob rei difficultatem Reinoldus,
cùm illi ſe ſponte, ſineque vi ſubijcere imperio ejus, & rectorem exterum ad-
mittere relictâ libertate recuſarent, & ipſe clade & captivitate correptus non

ita nuper,

ita nuper, dum contra Brabantum pugnat, quàm periculoſa Martis alea, didi-
ciſſet. Erat tum adhuc in epiſcopatu Bremenſi Giſelbertus Brunchorſtius: il-
liique jam ſeni rebellionem denuò moverunt Kedingii ſervitutis impatientes.
Quos cùm compeſcere ipſe non poſſet, vicinorum Principum auxilium invo-
cavit. Et præſto illi cum copiis fuère Saxo & Brunſwigius Duces, Holſatus &
Oldenburgicus Comites. Qui magno cum exercitu in Kedingios profecti, nec- M. CC.
dum animos remittentes, latiſſimâ editâ cæde, ac gente propemodũ deletâ, iis XCIV.
qui cædi ſuperfuerunt, jugum epiſcopi nomine impoſuère. Tum novis colonis
ager eorum patuit, Friſiumq; nomen paulatim illic oppreſſum. Atq; hæc geſta
ſunt circiter annum Chriſti M. CC. XCIV. Anno verò altero ab hac Kedingio-
rum clade, hoc eſt, M. CC. XCVI, Nordanis improviſum malum cælitùs evenit. M. CC.
Nam oppidum de cælo tactum, cum fœde tempeſtates exortæ fortè eſſent, ma- XCVI.
jore ex parte conflagravit, templis etiam, ac ſacris ædibus eodem incendio in-
volutis. Hollandia intereà magnis agitata motibus vitio & caſu principis ſui.
Nam Friſiis vicinis ſubactis efferri altiùs, & ſubditis quoque ſe gravem præbere,
atq; (ut fit) cum faſtu onera etiam adaugere. Quod cùm ferre Selandi non poſ-
ſent, ad Guidonem Flandrum de iniquitate principis ſui conquerentes ſe con-
tulère. Vnde arma inter Hollandos & Flandros commota: inter quæ inſtituto
colloquio componendæ rei gratiâ Hollandus præter exſpectationem à Flandris
in cuſtodiam abductus eſt: deinde ingenti pecuniâ pro dimiſſione promiſſa fi-
dejubente Ioanne Brabanto è cuſtodiâ emiſſus. Domum verò reverſus, nec re-
liquis conditionibus ſtetiſſe, nec Brabanti fidem ut liberaret, perſuaderi potu-
iſſe dicitur. Quam ob cauſam renatum gravius bellum in Selandiâ, in quo Fri-
ſiorum virtute, qui principem ſuum frequentes ſecuti fuerant, pro Hollando
victoria ſtetit, Flandris magno numero cæſis, & Selãdiâ ejectis. Sed odium Bra-
banti acerbum ac grave Hollandum ſecutum fuit, viamque ei ad exitium præ-
ſtruxit. Ipſe verò ita ſe vitiis dedit, ut exitium idẽ quærere, idque, quod accidit ei
atrox, meritò accidiſſe videretur. Imprimis in libidines profuſus nõ ſolùm con-
jugi cõcubinas inducere, ſed & aliorũ etiam thoros adulteriis polluere, nec ple-
beias tantùm, verùm nobiles quoq; virgines & matronas ad ſtuprum pellicere:
& hæc impunè ferre, quia princeps. Ferunt Gerardo Velſio è primâ nobilitate
Hollandicâ frequenter tum in aulâ verſanti concubinam quandã ſuam obtru-
dere uxorem voluiſſe: reſpondiſſe Velſium, meretricem principis ducere non
convenire natalibus ſuis, nec animo honeſto: principẽ verò ſubjeciſſe, ineptum
eum eſſe, nec unquam tam probatæ pudicitiæ uxorem reperturum, quam non
ipſe, ſi viveret, ad ſtuprum ſe pertracturum confideret: pòſt Velſium Herman-
ni Wordeni filiam magnis propinquitatibus nixam uxorem cepiſſe, eamque
abſente fortè marito à principe priorum memore eſſe ſtupratam. Ea verò in-
juria atrox atrociſſimè accepta à Velſio marito, à patre Wordeno, ab avunculo
Giſeberto Amſtelio, hominibus haud inertibus aut contumeliæ patientibus,
opibus quoque validis, & cum his tres ampliſſimæ familiæ odio in principem
incenſæ. Et Velſium vetus etiam injuria interfecti fratris ſui, & carceris pro-
prii hoc novo refricata facinore acerbiùs in vindictam incitabat. Itaq; coëun-
tes inter ſe hi tres (nam latè ſtatim ſociare conſilium non expediebat) in caput
principis conſpiratione initâ, & cum Florentio Cukij domino, cui capitalia
odia in eundem principem erant, ac per eum porrò cum Brabantiæ Duce re
cõmunicatâ, per inſidias inopinantem intercipere, & in Britanniam abducere
conſtituerunt. Tum aliis quoq;, quibus fidebant maximè (nam ſolos non poſſe
ſe rem exequi intelligebant) quos poſſeſſionibus in gratiam Ioannis Vltrajecti
antiſtitis idem Florentius ejecerat, cõſilio adjunctis, obſervatis principis itineri-
bus, cùm is fortè cum comitatu ſuo aulico Vltrajecto in Hollandiam rediret, nõ
procul urbe inſidiis exceptum diffugientibus comitibus, inter quos Hannonij
duo, uterq; amitini ejus filius, & Ioannes Arkelius per noctẽ in arcem Mudẽſem

pertraxerunt, ad oſtium Vectæ amnis in orâ Auſtrini ſinus ſitam. Indè poſt diem quintum, id quod fuit die IIII Calend. Iulii, ob populi metum, cùm traducere in arcem aliam occultè conarentur, illigatum equo Nerdenſes vicini conſilio eorum per indicem cognito, idoneis ipſi locis abditi, ſtudio principis ſui, in viâ ex improviſo in eos impetum dedére. Quo facto, cùm tumultus circùm Comitem oriretur, & equus ejus in foſsâ paluſtris ſoli hæreret, Velſius videns vivum ſe avehere, ac eripere perſequentibus non poſſe, audaci facinore educto gladio hærentem cum equo medium tranſverberat, & celeri ſe fugâ proripit. Idem à conjuratis cæteris factum. Florentius à Nerdenſibus ſublatus Alcmariam deportatus. Illic conditus aromatis in adventum filii, in templo repoſitus, incluſus ſarcophago. Hunc pollutus conjugii thorus exitum habuit: præſtitumque in eo illuſtre exemplum juſtitiæ divinæ, quæ ne in principibus quidem facinora ejuſmodi dimittit impunè, ſed in hac quoque vitâ inſignibus plerumque pœnis corripit. Velſius cum plurimis ſociorum captus à populo in arce Cronenburgiâ, ad quam ſe receperat, & cuſtodiæ traditus: Wordenus & Amſtelius pœnæ metu è patriâ exceſſere. Propinqui occiſi principis, inter quos Clivenſis, & Hannonii frater in Hollandiam evocati. Quorum adventu atrox ſtatim majeſtatis judicium in reos cõſtitutum, capti omnes quæſtioni ſubjecti, dein capite mulctati, & rotis impoſiti. Velſius ſolus atrociore exemplo, quo olim Attilius Regulus à Pœnis excarnificatus periit, nudus vaſi ligneo incluſus denſis & acutis clavis confixo, & in eo volutatus, donec per lentos & diuturnos cruciatus animam exhalaret: tum demum rotæ etiam ignominiæ causâ traditus. Hinc pœna in agnatos, & propinquos cæteros evagata acerbiùs, quã par eſſet. Wordenus & Amſtelius, qui aufugerant, omnibus exuti facultatibus, infamiâ & exilio perpetuo damnati ſunt. Wordeni frater Gerardus, quanquam conjurationis inſons, tamen eidem pœnæ ſubjectus. Arnoldus Amſtelii filius cum matre totum annum Iſelſteini obſeſſus per deditionis leges omnibus rebus paternis, quæ ampliſſimæ erant, renunciare, maternis tantùm retentis, coactus fuit. Deniq; multi etiam innocentes hoc fulmine afflati, & illuſtrium familiarum opes infractæ. Hoc caſu perturbatâ penitùs omni Hollandiâ, filio verò principis cæſi vixdum pubere apud ſocerum Angliæ regem adhuc commorante, arrecti animis Friſii Transflevani, qui imperium Hollandicum concoquere nondum poterant, ſed timidè primùm, & non pari omnes voluntate, ac concordiâ, propterea quòd multi periculis & moleſtiis, multi religione, & infamiæ metu, quo minùs cum aliis conſentirent, tardarentur. Verùm acceſſit Vltrajectinus epiſcopus Guilhelmus Ioanni nuper ſurrogatus, vehemens inimicus domus Hollandicæ, quem dolor ingens non liberatæ a ſe arcis Cronenburgiæ ab Hollandis captæ perurebat. Is dum omnia apud Hollandos adhuc fluctuant, conflato repentè exercitu, Mudam invadit, concuſſamq; tormentis dedente ſe Theodorico Harlemæo loci præfecto capit. Eâ captâ ad Friſios profectus appellandis primoribus, habendis concionibus, pollicendo auxilio iſtuc rem deduxit, ut populariter omnes ad repetendam libertatem exardeſcerent. Eratq; hoc in corde & ore omnium, periniquum eſſe, ſervire, atq; in hac conditione manere, qui non prælio fracti, non virtute aliorum ſuperati, integris viribus, caſu quodam adverſo in alienum imperium conceſſiſſent: nec poſſe infamiæ ſibi eſſe, ſi occaſione calamitatis publicæ oppreſſi à vicinis, ſimilem ſe offerentem occaſionẽ in ipſos viciſſim verterent, id eſt, contra jus ereptam libertatem, omnium liberorum hominum animis faventibus bono jure oportunè repeterent. Ita vocato viritim ad arma populo, quod res ipſa requirebat, arces cervicibus ſuis impoſitas invadunt: ex his Wideneſſam in Hornano agro, dedente Balduino Nalduiceno præſidii præfecto clariſſimi generis viro, capiunt, captam ſolo æquant. Idem Eningeburgo faciunt. Tum Medenblicum veniẽtes oppidum coloniâ Hollandicâ inviſum vaſtant: arcem, quam vi expugnare non poterant, propugnante fortiter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

fortiter Florentio Egmondano, obſidione premunt: nec procul ſpe deditionis aberant, cùm Ioannes Hannonius, qui ſobrini ſui adoleſcentis abſentis res curabat, Galliæ regi Philippo Pulchro fœdere conſociatus, bello in Selandiâ contra Flandros jam confecto, quod eum detinuerat, improviſus cùm claſſe benè armatâ Enchuſam appellens, expoſito illic milite, & paucis, qui ibidem in ſtatione erant, Friſiorum profligatis, in hos ipſos obſidentes venit, conſertaq; acerrimâ pugnâ, & funeſtâ editâ ſtrage, poſtremò terga eos vertere, & obſidionem relinquere coëgit. Alii tradunt, non navibus eum appuliſſe, ſed terreſtri itinere veniſſe Enchuſam, atq; ibi Friſiorum primis copiis diſſipatis, mox Medenblicum duxiſſe: ejus adventu cognito Florentium præſidii Medenblicenſis præfectum cum præſidiariis etiam ex arce erupiſſe, Friſioſque ancipiti pugnâ circumventos eodem tempore, & fortiter diu prælia ntes tandem fugâ ſibi conſulere eſſe coactos. Inde arx novis operibus, quæ Friſii machinis bellicis ab Vltrajectino acceptis aut corruperant, aut penitùs dejecerant, rursùm firmata, commeatuque & cæteris rebus ad ſuſtinendam vim, quantum ſatis erat, inſtructa. Sic ab Hannonio tum diſceſſum, nullâ re aliâ confectâ: hyems enim ingruebat omnem rationem belli illis in locis impediens. Nec multò pòſt qui in Angliam miſſi fuerant proceres accerſendi Ioannis Comitis ſui gratiâ, in quibus Theodoricus Brederodius & Guilhelmus Egmondanus erant, unà cum Comite in Hollandiam redierunt. Inter hunc adoleſcentem, & Hannonium ſtatim ſimultas cùm extitiſſet, & mutua diffidentia, ob diverſa ipſorum inter Gallos Angloſque ſtudia, Hannonius, ne ſalutato quidem adoleſcēte, qui ipſum Roterodamum evocaverat, ex Hollandiâ exceſſit. Adoleſcens Hollandus, rebus, quæ cæde patris turbatæ fuerant, compoſitis, ordinibuſque omnibus Hollandiæ & Selandiæ ſacramento ſibi obligatis, cum iiſdem conſilium iniit de bello Friſico perſequendo. Bello decreto, omnibuſque per hyemem expeditis viribus, in quibus etiam Anglicæ copiæ erant à ſocero juveni Comiti additæ adfirmandam in novo & dubio principatu autoritatem ejus, primo ſtatim vere Alcmariam, unde proximus in Friſiam tranſitus, cuncti ſigna ſecuturi convenêre. Exercitus numeroſus erat & validus, ex Hollandis Selandis, & iis, quos dixi, Anglis, aliiſque ſtipendio conductis è vicinis provinciis conflatus: eumque præter principem adoleſcentem comitabantur nobiliſſimi proceres Hollandiæ, Selandiæque. Qui in Friſiam cùm tenderet, non procul Veronâ urbe propè in conſpectu Alcmarienſium ſitâ, in agmen incidit Friſiorum, in præſidio illic contra incurſus collocatum. Atque ibi ſine cunctatione à duobus exercitibus pari impetu, & animorum ardore, quanquam non paribus viribus (pauci enim cum hoſtibus comparati Friſii) aperto in campo concurſum: pugnatumq; diu ſummo labore & pertinaciâ, & cum multâ partis utriuſque cæde. Tandem multitudine ſuperati, & longo feſſi labore ceſsêre Friſii, ac hoſti cruentam admodum victoriam reliquere. Pugnatum eſt ad diem VI Calend. Aprilis, anno M.CC.XCVII. Friſiorum cecidêre in acie quater mille: reliqui fugâ ſe ſervarunt. Ex Hollandis, qui cæſi ſunt, Ioannes Arkelius inter proceres præcipuus, tritavus Arnoldi Egmondani Geldriæ Ducis, fuit. Partâ tam illuſtri victoriâ, Ioannes hoſtium dux, ut terrorem victis iniiceret, relictâ Veronâ, cujus expugnatio difficilis eſſe videbatur, latè per agrum incendiis ſævire cœpit: Si qua loca præſidiis tenebantur, ea in poteſtatem redigere ſummâ adhibitâ celeritate, ſummoque ſtudio conatur. His de rebus cùm Guilhelmus epiſcopus Vltrajectinus, Friſici nominis ſtudioſus, audiviſſet, ad Cisflevanos profectus, qui tum Orientales Friſii dicebantur, ad auxilium ferendum propinquis ſuis, quos Hollandus contra fas & leges, decretaque Imperatorum in ſervitutem traheret, eos excitavit: delictorum etiam veniam, Pontificis Romani nomine, publicè in concionibus propoſuit iis, qui ad tuendam libertatem gentilium ſuorum contra Hollandum accingerentur: Idque rectè ſe facere oſtendit, quòd Pontifex ita juſſerit, ut à ſacris excluſus dam-

M.CC. XCVII.

natuſque haberetur, quiſquis Imperatoris legem de libertate Friſiorum violare
auderet. Atque his concionibus magno numero Weſtergoi & Oſtergoi inter
Flevum & Lavicam fluvios permoti, intereà dum bello Gallico Flandria ar-
det, captis armis epiſcopum ſunt ſecuti, ut è Friſiâ Hollandum graſſantem re-
pellerent. Sed bis infæliciter cùm hoſte in armis parato, atque ex victoriâ fe-
roce congreſſi, magnis & difficilibus præliis non procul Monachodamo oppi-
do, cùm non parvum ſuorum numerum amiſiſſent, domum redierunt. Epiſco-
pus adverſo fato tantam rem conatus, reconciliatâ nequicquam cùm Hollando
gratiâ, variis & duris caſibus domi artibus Hollandi jactatus, ad Friſios ampliùs
reſpicere non potuit. Friſii autem Transflevani ab omnibus deſtituti, tentatis
denuò pro libertate certaminum periculis, ſed viribus impares, victi ubique fu-
gatique, cùm fortunam Hollando contra epiſcopum & cæteros inimicos im-
pensè favere viderent, proſtrati animis, abjectâ defendendæ libertatis ſpe, lega-
tos ad Hollandum miſere, ac in fidem illius concedere ſe paratos eſſe, ſi honeſtæ
conditiones dicerentur, oſtenderunt. Comes perbenignè eos audiit, & tractãdo
huic negotio, conditionibuſque deditionis conſtituendis diem Alcmariæ illis
dixit. Illic ex ſententiâ confecta omnia, litteriſq; conſcripta, & obſignata poſtri-
M. CC. die omnium Sanctorum, anno poſt Chriſtum natum in terris M.CC.XCIX. Huic
XCIX. deditioni Veronenſes ne etiam aſſenſerint, idq; ſponte ſuâ, an armorum neceſ-
ſitate ſuperati fecerint haud planum ex annalibus eſt: quod ſanè mireris in for-
tunâ civitatis tam illuſtris. Itaq; nec ego quicquam hic affirmo. Sed Hollandus,
M.CCC. hac tantá re foris fæliciter geſtâ, domi non eâdem fortunâ eſt uſus. Nam levi ex
re, dum prætor ejus apud Dordracenos miſcere ſe rebus Senatus in oppido cõ-
tra morem & jura vetuſta conatur, nec eum Senatus admittit, Comes verò ju-
venis improvidus, & animorum civilium regendorum nondum ſatis gnarus ab
aulicis proceribus incitatus principe Wulfardo Borſelio Selando Verienſe re-
gulo, cujus in poteſtate animus ejus totus erat, Senatum reum ob id factũ citat,
miniſq; armorum non ſtatim parentem territat, ad hæc reliquos populi ſui or-
dines in ſubſidia armorum uſuſq; alios tributum poſcit, turbatis & conſpiranti-
bus pro cõmuni causâ civitatibus reliquis, fremente quoque nobilitate, Borſelii
potentiam, & ſuperbiam non ferente, in non levem ipſe perplexitatem incidit.
Cujus declinandæ causâ cùm Sciedamo in Selandiã ſe recipere ex Borſelii con-
ſilio vellet, à Delfenſibus è navigio retractus invitus in Hollandiâ manſit. Borſe-
lius autem malorum conſiliorum autor, ab iiſdem oppidanis paucos poſt dies è
ſublimi feneſtrâ præcipitatus, & ſubjectis furentium plebeiorũ haſtis ac gladiis
exceptus miſeram mortem oppetiit. Eo excitati exemplo Dordraceni præto-
rem etiam ipſi ſuum Slidrechto arce extractum, & in oppidum abreptum, cum
germanis duobus ac pro prætore interfecerunt. Eratq; res in periculo, ne majo-
ra mox mala, quod fieri ſolet, ex hoc fonte porrò ſequerẽtur. Quapropter edo-
ctus hoc caſu, & errorem agnoſcens ſuum, id quod ſapientiæ proximum erat, ju-
venis Comes ad Hannonium, quem populo carũ noverat, litteras dedit, eumq;
rogavit peramicè, ut horum motuum componendorum gratiâ in Hollandiam
celeriter advenire non gravaretur: ſe, quem infæliciter depoſitum tirocinij ru-
dimentum meliùs jam erudiiſſet, id eſt, imperitiam in regendo populo ſuã do-
cuiſſet agnoſcere, totum in poteſtate ipſius eſſe futurum. Cujus adventu, omni
gubernãdi poteſtate in annos quatuor in ipſum tranſlatâ, donec Hollando ætas
matureſceret, motus ubiq; quievére. Neque diu poſt hoc tempus Hollandus ipſe
ſuperfuit, mœrore (ut creditur) confectus, videns gratiã omnem & autoritatem
apud ſuos periiſſe ſibi, & penè in ordinem ſe redactum. Quod aulicis magis ſuis,
peſſimis conſultoribus, imprimiſq; Verio, quàm ſibi acceptum debuit & debere
ſe agnovit. Deceſſit anno Chriſti M.CCC, die IIII Iduũ Novemb. ſine omni pro-
le, ultimus maſculini ſexus ex Theodorico primo ejus gentis Comite: à cujus
initio ad hoc tempus anni ſunt CCCC.XXXVII. Hæreditatem ejus omnem adiit

Ioannes

Ioannes Hannonius idem, qui tum in regimine pro adoleſcente erat, Guilhel-
mi Imperatoris ex ſorore natus, è clariſſimâ Flandrorum Comitum familiâ.
Mejerus Hannonio periniquus in ſuis rerum Flandricarum commẽtariis autor
eſt, Ioanni Hollando in patriã reverſo ex conſilio ſoceri regis & Guidonis Flan-
dri avi Rectorem datum Wulfardum Borſelium Selandum è clariſſimâ ejus
gentis familiâ virum ſtrenuum, ſed Hannonio ob partium ſtudium (Hannonius
namque, ut oſtendi, Gallorum amicus, Anglis & Flandris hoſtis erat) inviſum:
quapropter ab hoc concitatam tempeſtatem popularem, & percuſſores Bor-
ſelio immiſſos: mox ab Hannonio advolante in Hollandiam tutelam principis
eſſe raptam: poſtremò per dolum veneno propinato ipſum principẽ adoleſcen-
tem enectum, atque ſummo ſcelere vacuum factum Hollandiæ & Selandiæ im-
perium ab eodem Hannonio occupatum. Sed hoc rerum incremẽtum quoquo
paratum modo ferre ſine invidiâ ac tempeſtate non potuit. Nam Borſelii pro- M.CCC. I
pinqui, & amici omnem lapidẽ moverunt ad res ei turbandas. Imprimis Ioannes
Reneſſius Selandiam contra eum cõmovit, atq; indè expulſus ad Cæſarem Al-
bertum Auſtriacum profectus eum ſtimulavit, ut Hollandiam vacantem, nullâ
defuncti Comitis prole, pro jure Imperii Imperio aſſereret. Albertus rei per ſe
avidus, nullâ interpoſitâ morâ, confecto ingenti exercitu, nõ paucis ſtipatus Im-
perii proceribus, Hollandiam petiit, vix dubitans, quin ſine diſcrimine ac pugnâ
regionẽ eſſet occupaturus. Sed in propinqua cum veniſſet, audiſſetq; non tem-
nendas copias, & ad dimicandum paratas habere Hannonium, Wahalimq; jam
tranſiſſe pugnandi cupidum, conſternatus inopinâ re, & de receptu cogitans,
intercedente Colonienſi archiepiſcopo magnæ autoritatis principe, quò hone-
ſtior receſſus eſſet, cum Hannonio tranſegit, eiq; Hollandiam Imperii nomine
tenendam attribuit. Hoc periculo depulſo, nova eidem Hannonio tempeſtas è
Flandria cõcitata eſt ab eodem Reneſſio: qui ad Guidonem profectus ejus pro-
vinciæ principem natu jam grandem vendicãdæ Selandiæ illi autor fuit. Guido
quanquam bellorum eo tempore ſatis à Gallo habere videretur, tamen fortuna
ſuperioris anni elatus (ingenti enim prælio ad Cortracum Flandriæ oppidum M.CCC.
Gallos ſuperaverat, ipſumq; regem præſentem in fugam dederat, in quo prælio II.
Hannonii quoq; filius Ioannes natu maximus regi militans occubuerat) Selan-
diam tanquam beneficiario principe extincto ad ſe rursùm devolutam Guido-
ni filio ſuo debellandam aſſignat. Is magno ſtudio littoralium Flandrorũ paratâ
claſſe, Sluſã in munitam Selandiæ inſulam Cadſandam, cum fratre Ioanne Na- M.CCC.
murci Comite, & idoneâ armatorum manu dum traijcit nondum adulto vere, III.
atq; ibi cætera, quæ bello uſui erant futura, parat, ventoſq; expectat, Guilhelmus
alter Hannonii filius ex Armorico littore ſolvens, itinere per Brabantiam impe-
dito ob initum nuper inter Brabantum & Flandrum fœdus, inque Hollandiam
ad parentem ſenem delatus, comparato celeriter exercitu ex Hannoniis, Hol-
landis, Selandis, Friſiis eôdem devectus non parvo eum incommodo affecit, &
re benè geſtâ in Hollandiam rediit. Flandri magis irritati quam perculſi hac cla-
de ad VII diem Calend. Maij in Walachriam inſulam Selandicarum maximam
tranſvecti, Veram oppidum, quò appulerant, oſtentatis Borſeliis, deditione op-
pidanorum ſine morâ capiunt, eodemque die cum Guilhelmo Hannonio illuc
jam reverſo, in auxilium oppidanorum nequicquam accurrente, portis oppidi
effuſi anguſto in aggere acriter confligunt, Guilhelmumq; in fugam actum, al-
teràque, dum fugiens conſiſtit, ad Armudam clade affectum, Zirixæam trajecto
freto trepidum ſe conferre, & ejus civitatis mœnibus tueri compellunt. Hinc
virtute propugnatorum cum detrimẽto ingenti, amiſſis mille viris, rejecti, Mid-
delburgum oppugnatum euntes id oppidum brevi labore poteſtatis ſuæ faciũt.
Tum X menſium induciæ inter Flandros, & Hannonios, ac Hollandos factæ cir-
citer Calend. Iunias: Flanderq; in patriam contra Gallos cum exercitu, Hanno-
nius ad Ioannem patrẽ in Hollandiam diſceſſit. Interim Veronenſes, ſive illi in

Hollandi fidem nondum venerant,ſive morte ejus,qui ſine hærede ſuo deceſſe-
rat, exemplo inſtinctuq; aliorũ priſtino ſtatui ſe reſtitutos eſſe, nec Hannonio,
aut cuiquam mortalium obſtrictos arbitrati, libertatem intermiſſam repete-
bãt,ita quidẽ rem geſsêre,ut cauſam Hannonio præſtiterint æquo iniquóve bel-
lo ſe perſequẽdi. Sed quomodo ea acciderint,nulli ſcriptores explicãt.Hoc tan-
tùm poſterorũ memoriæ proditum à majoribus, bellũ quo petiti ſunt, atrox &
grave fuiſſe, Britannicaq; auxilia veteranorum militũ eo in exercitu meruiſſe:
oppidanos,qui primam belli vim fortiter depulerant,proditione conſulis ſui in
Hannonii poteſtatem veniſſe: illum victoriâ peraſperè uſum ad Hollandorum
libidinem civitatem penitùs excidiſſe, omnia ſubruiſſe, everſæ ſolum inaraſſe,
inſtaurationem edicto perpetuo vetuiſſe: Ita celeberrimam civitatum Friſica-
rum iis in locis nullo ædificio reliquo in vaſtum ſolum,& infælix oppidi buſtum
abiiſſe: poſtremò conſulem proditorem,cui Phobi nomen, ignominiæ cauſa in
pœnam unà cum auro proditionis præmio vivum ſub terram defoſſum ab ipſo
victore, cui ſcelus nefarium collocavẽrat; ejuſq; rei memoriam ſervare turrim
eodem loco excitatam, quæ ſcelerati illius nomen etiam nunc gerat: memora-
bili ſanè documento facinora ſine pœnis non abire, viroſq; principes nonnun-
quam,cùm uſus eſt,ſcelera iſtiuſmodi amare,ſceleratos quidem ſemper odiſſe,
& ſuppliciis addicere. Facta hæc eſſe anno Chriſti M.CCC.III hemiſtichium ve-
tus memoriæ excidii hujus dicatum ſignificat: *eCCe CadIt Mater FrIſIæ*, quod Ha-
drianus Iunius recitat. Et hic demũ finis bellorum fuit inter Hollandos & Trãſ-
flevanos Friſios: Friſiæque hæc pars, oblitterato ſenſim apud vulgum & exteros
patrio nomine, Hollandiæ deinceps eſt aſſcripta: licet in actis publicis vetus no-
men ad hoc uſq; tempus manſerit in uſu. Nec fuit alius Hollandiæ populus reli-
quis Friſiis, quod mireris, impoſterum æquè infeſtus: ſeu quòd indignarentur,
priùs, quàm neceſſe eſſet, à ſociis & conſanguineis ſuis ſe eſſe deſertos, atque ita
porrò, quam libertatem iſtorũ culpâ dimittere coacti fuerant, eam incolumem
apud eoſdem æquis oculis videre non poſſent. Induciis cum Hannonio exeun-
M. CCC. tibus,& Gallico bello aliis etiam induciis intercepto, Flandro Guidone ſuo du-
IIII. ctore, medio menſe Martio, in Walachriam, quam ex pacto tenuerãt hactenus,
tranſvecti ad obſidendam Zirixæam ſe expediunt. In hos Guilhelmus Hanno-
nius,& Guido Vltrajectinus epiſcopus patruus ejus, quibus cura defendẽda Se-
landiæ erat à ſene Ioanne Hannonio delegata, duobus cum exercitibus, in qui-
bus maximus Friſiorum numerus, cùm tenderẽt, Duvelandiam inſulam legen-
tes, præter opinionem in Borſelios & Ioannem Reneſſium virum bello mariti-
mo expertum cum bènè magnâ exulum & Flandrorum multitudine incidunt,
graviſſimâque pugnâ navali per tenebras noctis excepti inſigni clade obruun-
tur, nequicquam fortiter & prudenter præ aliis ſe gerentibus Friſiis, ut eſt à
Flandris memoriæ proditum. Cæſa aut merſa tria hominum millia, captus
Guido Vltrajectinus, captæ naves & apparatus bellicus: inter cæſos fuerunt
clariſſima nobilitatis Hollandicæ capita. Pugna hæc commiſſa ad diem XIII
Calend. April. neſcio totius rei Guidone Flandro ad Zirixæam bellum geren-
te. Guilhelmus Hannonius inopinâ clade conſternatus, vix fugâ ſe eripiens ex
inſulâ in Hannoniam ad parentem ægrum pervenit. Flander de fortunâ fa-
ctus certior poſtridiè, omnibus viribus Zirixæam invadens, quam Vitus Ham-
ſtedius, Florentii poſtremi Comitis filius nothus, cum præſidio Friſico ſingu-
lari fortitudine tuebatur, cùm fruſtrà ſe illic laborare videret, ipſis Calendis
Aprilis dimiſſâ oppugnatione, exercituque Moſam trajecto, omnem tractum
Hollandiæ, qui in boream vergit, unâ civitate Harlemo exceptâ, in ſuam po-
teſtatem redegit, ductu Ioannis Reneſſii exulis. Inde Vltrajectum quoque ca-
ptivitate epiſcopi ſui in ſeditiones verſum in fidem recepit. Quæ videns Bra-
bantus in Hollandiâ geri, cujus partem ſibi quoque dudum jurè deberi exiſti-
mabat, in auſtrinam ejus oram impetu dato, univerſa ejus ſuæ poteſtatis facit,
ſolis

ſolis reſiſtentibus Dordracenis. Quos dum continuo aliquot dierum labore ferro & flammâ oppugnat, illi duce Puteano, viro nobili ac ad arma prompto, ſubitò erumpẽtes ex oppido inſigni ſtrage eum à mœnibus abigunt, veſtigiaq; fugientis perſequentes totâ eijciunt Hollandiâ, poſtremò proximos Brabantiæ fines eodem curſu longè lateque vaſtantes populantur. Hoc ſucceſſu animoſior factus Puteanus, converſo in Flandros agmine, hos ad Iſelmundam graviter cecîdit. Guido Comes vix elapſus Trajectum venit, & remp. illic conſtituit, abrogatâ captivo epiſcopo dignitate Guilhelmum Iuliacenſem ſororis ſuæ filium ei ſuffecit. Intereà Hamſtedius firmato præſidio Zirixæano in Hollandiam adveniens, ex Caninefatibus & maximè ex Friſiis cis ultraque Flevum confectâ manu, non procul Harlemo occurrentes ſibi Flandros ad internecionem delevit. Mox Delfis Flãdricum præſidium ejectum. Sconhovia recuperata virtute ejuſdem Hamſtedii, quem tum vulgi dicterium terrorem Flandrorum nuncupabat. Cujus abſentiam ſpeculatus Guido Flander in Selandiam cum exercitu reverſus Zirixæam tertiò invaſit adhibitis omnibus belli machinis, nec tamẽ impedire potuit, quo minùs Hamſtedius auxilio veniens cum delectis militibus è gente Friſicâ eam ingrederetur. Tum oppugnationum genus omne tentatum ab indignante Flandro, foſſæ completæ, tormenta majora admota, turres ambulatoriæ excitatæ, & ad murum actæ, ignes cum miſſilibus magnâ vi in oppidum conjecti, impetus hîc illic ſummo ardore & contentione in murum factus: cuncta nequicquam. Nam tanta fuit Friſici præſidii virtus verbis & exemplo Hamſtedii incitata, ut in admirationem ſui oppugnatores cum clade ſæpiùs rejectos abripuerint, & eruptionibus factis, machiniſq; & turribus incendio corruptis, deſperatâ expugnatione longiùs recedere ab oppido coëgerit. Atq; hæc quidem geſta durantibus Gallicis cum Flandro induciis. Iis finitis circiter Calendas Iulias Gallus magnas rurſum copias in Flandriam ducit: & Guido cæteris fratribus in defendẽdâ patriâ ſatagentibus obſidione lentâ Zirixæos urget terrâ marique. Ad quos liberandos paratâ ingenti claſſe à Guilhelmo Hannonio, qui patris ſenio & morbo invalidi, ac in Hannoniâ commorantis vices gerebat, & milite Friſio, Hollando, Hannonio, Gallo completâ, aliâque item claſſe multarum triremium, duce Grimoaldo Ligure Genuenſe rerum navalium peritiſſimo, à rege Galliæ eôdem miſsâ, cùm omnes eſſent expeditæ vires, & gloriâ titillatus Flander adventantibus & provocantibus occurreret in conſpectu Zirixææ, vergente jam die tam acre certamen navale eſt ortum, ut fragore ejus per aliquot millium paſſuum intervallum exaudito, multis utrinque cæſis militibus, multis navibus everſis, vix denſiſſima noctis caligo dirimere pugnantes potuerit. Poſtero, qui fuit III Iduum Auguſti, ubi primùm per æſtum maris & lucem licuit, concurſum rursùm pari ardore, ſed fortunâ impare. Nam Flandricâ claſſe disjectâ, & magno claſſiariorum numero cæſo, Guido ipſe cum proceribus aliquot captus: mox pedeſtres copiæ in inſulâ circumventæ, & quæ diffugere non poterant navium copiâ deſtitutæ, ad trium millium numerum dedere ſe coactæ. Hic finis belli in Selandiâ fuit. Nec multò pòſt Ioannes Hannonius per menſem Septembrem in Hannoniâ deceſſit. Qui Hollandiæ & Selandiæ imperio nuper auctus immunitatis aliquid in negotiãdo per omnes ſuas provincias civitati Groninganæ dedit. Annoque proximo pax iniquis conditionibus, ut Mejerus queritur, inter Gallos & Flandros coijt: duoque captivi Guidones Flander & Vltrajectinus permutatione è cuſtodiâ dimiſſi: ſic hic ad epiſcopatum reverſus. Ea dum his in partibus aguntur, occiſo in acie Adolfo Imperatore, fideli & forti cum primis operâ militum Friſiorum uſo, Albertus Auſtriacus Rudolfi filius in Imperio ſucceſſerat. Hic ſtatim primo imperii ſui anno, qui fuit à Chriſto in terris nato M.CC.XCIX, tum quòd patris memoria id videretur poſcere, tum ut Friſiis pro navatâ hoſti ſuo operâ malefaceret, Reinolnoldo Geldro, qui hactenus quieverat, jus Friſiæ à patre traditum denuò cõfir-

mavit, datis ei litteris quibus teſtatur, patris tabulas munuſq; ratum ſe habere:
Hæ ſcriptæ ſunt Bopardiæ ad Rhenum, die VII Calend. Maij. Sed ne ſic qui-
dem rem armis tentare auſus fuit Geldrus: verùm quietus in omnes occaſiones
animum intendit. Invenio in commentariis quibuſdam annotatum, anno ab
hoc proximo, qui fuit à Chriſto nato M.CCC, monachos, qui Dominici inſtituta
ſequuntur, è proximis provinciis magno numero congregatos pro more ſolen-
nem conventum egiſſe Nordæ in æde Dominicanâ, quod generale capitulum
ipſi vocant. Qui quidem conventus iſtius familiæ apud Nordanos primus fuit.
Quo tempore Conſules oppidi agrique Nordani fuêre Martinus Alderſenius,
Keno Kenonius, Meno Mogena, & his additus orator ac jureconſultus Sipte-
tus Haijena, quem Syndicum vocant: Groningæ verò Conſulatum tenebant
Gerardus Hugingius, Ioannes Hugingius, Meinoldus Leo, Allerdus Papinga.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XIII.

IIſdem etiam illis annis bellorum Transflevanorum, inter Flevum & Lavi-
cam diſſenſionum furiæ in nobilitate, deinde & in plebe exarsêre. E nobi-
libus Worpius Ropta, Teto Camminga, cum Ioancone Helbadâ & factio-
ne ejus, hoſtium in morem contendere armis, donec tandem Helbada à
Tetone oppreſſus occubuit ad exitum anni M.CC.XCVII, Septennio poſt,
ſive ea fabula ſit, ſive vera res (nam id diſcernere mei judicii non eſt) in com-
mentariis nonnullis rerum Friſicarum ſcriptum invenio, inter Scarlam ac Wa-
renam vicos agri Oſtergoi conticinio noctis clariſſimam vocem in aëre audi-
tam, velut auxilium in extremo caſu implorantis, ter repetito verbo Help/Help/
Help: ad quam vocem cùm multi mortales attoniti domo ſe ejeciſſent, ut quid
rei eſſet cognoſcerent, viſos in aëre viros duos armis inter ſe dimicantes, duo-
rum exercituum in medio velut ſpectantium, & ſuum militem utrinque geſtu
motuque juvantium: idq; viſum tantiſper duraſſe per horæ ferè ſpatium, quoad
alter in duello occideret: deinde à triduo ſolem ſanguineum apparuiſſe, ſecu-
M.CCC.V tamq; pluviam, pro aquâ cruentas guttas fundentem: Anno proximo M.CCC.V,
ad Nonas Maij Scarlenſes, & Warenios factionum ſtudio graviſſimè diſſiden-
tes, eodem loco, quo ſpectrum viſum fuerat, armis inter ſe concurriſſe, pugnaſ-
ſeque infenſiſſimis animis, claſſicum ex ſublimi canente diabolo: cujus ter-
ribili voce perculſos nonnullos, cùm jam cædes quàm pro multitudine pu-
gnantium major eſſet edita, è pugnâ ſuos revocaſſe: tum in duellum à parti-
bus conſenſum, fortiſſimo ad id utrinque delecto: eique duello partium for-
tunam permiſſam: in quo concidentem alterum, clamantemque eo, quo di-
ctum eſt, modo, prodigii fidem impleviſſe. Addunt iidem commentarii, Nor-
mannos ſub finem Auguſti, anni ſequẽtis in Friſiæ littora incubuiſſe magno nu-
mero, repreſſoſque gravi pugnâ ad Lavicam flumen à Regnero Camminga, cui
tum fortè ſumma Poteſtas reip. patriæ erat, receſſiſſe magnâ ſuorum parte amiſ-
ſâ, Regnero quoque lethaliter vulnerato, ſurrogatumque ei mortuo Heſſelum
M.CCC. IX. Martenam: Hujus porrò tempore, cùm annus ageretur M.CCC.IX, Hollandiæ
Comitem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Comitem cum cohortibus nonnullis per Geldriam facto itinere, Weſtergoos
appetiſſe, ſed Heſſeli adventu, qui exercitu è Friſiorum promptiſſimis celeriter
confecto in occurſum properabat, cognito, maturè, priuſquam ad manus veni-
retur, ſe recepiſſe: Friſios verò cùm intellexiſſent Enchuſanos, & cæteros trans
Flevum gentiles ſuos Hollandis jam parentes eâ in expeditione fuiſſe, & antè
alios hoſtiliter feciſſe, indignatos vehementer in Enchuſanos primùm, deinde
in proximos alios irruiſſe viciſſim, direptiſque omnibus quos contingere, ante-
quam ab Hollandis occurreretur, potuerant, prædâ onuſtos domum reverſos
eſſe. Nec multò pòſt incendia complura nocturna per autumnum permultos
in Weſtergoâ afflixiſſe, captoſque demum nonnullos, ſe autores ab Enchuſa-
nis pecuniâ conductos eſſe profeſſos, & ſupplicio adfectos: Eâ re porrò aſperatis
è nobilitate nonnullis, qui detrimentum acceperant, collectâ audacium juve-
num manu, ac Flevum repentè traductâ, Enchuſanis calamitatem repoſuiſſe.
Anno proximo, qui tertius erat imperii Henrici Lucelburgii, renatum inter M.CCC.X
Flandrum & Hanonium Hollandiæ Comitem bellum de Selandiâ, cujus nomi-
ne clientelam profiteri apud Flandrum hic recuſabat. Sed in maximo apparatu
deſtitutus ſtudio ſuorum, facere imperata, & magnum prætereà æs quotannis
pendere, juriq; in partem Flandriæ Orientalem renunciare coactus fuit. Altero, M.CCC.
patruus ejus Vltrajectinus epiſcopus, loco nuper reſtitutus malum parare Friſiis XI.
vicinis, qui cis Flevum ſunt, libertatique eorum imminere cœpit. Cauſæ quibus
ad hoc impellebatur, hæ erant: Cupido proferendorum finium; odium in Friſios
propter fratris filium, cui Friſii erant inimici; fiducia opum ejuſdem, quibus uti
ut ſuis poterat; denique juris antiqui prætextus, quod priores Vltrajectini epi-
ſcopi ab Imperatoribus accepiſſe dicebantur. Ad hanc rem caſtellum excitare
validum in agro Stellenwerfico, qui conterminus ditionibus Vltrajectinis eſt,
præſidioque munire exorſus fuerat, unde premere aſſiduò Friſios, atq; in regio-
nem eorum apertam excurrere poſſet. Et jam magnâ ex parte opus confectum
erat, cùm abſente eo, (erat quippe in concilium Viennenſe, quod tum in Galliâ
agebatur, à Pontifice in medio hoc opere evocatus) Friſii repentè advolantes,
quicquid ſtructum erat, id omne funditus diſiiciunt. Mox ulteriùs progreſſi ar-
cem Vullenhoam aggrediuntur, quã cùm fortiter præfectus defenderet, oppu-
gnanteſq; reijceret, propoſiti tenaces machinam ingentem è ligno conſtruunt,
atq; in altum educunt, ut faſtigiũ ejus murorum ac propugnaculorum arcis alti-
tudinem excederet: & ne igni obnoxia eſſet, madidis pellibus undequaq; con-
tegunt. Ex hac munitiones & præſidium omni telorum genere infeſtant. Inter-
eà epiſcopus de fortunâ ſuorum certior factus, repentè è Galliâ in Hollandiam
advolat ad fratrem, ejuſque ope exercitu celeriter parato & navibus impoſito,
cùm jam adnavigare è locis ſublimibus cerneretur, præſidiarii alacriores facti,
ad corrumpendam machinam omnes vires, omne ſtudium intendunt, nec antè
deſinunt arte quoque adhibitâ (hamatum enim vaſculum ſulphure, pice, ſtupâ
plenum, igne addito, in pelles ita conijciunt, ut pellibus adhæreſceret) quàm
flammis correptam cum magnâ propugnantium clade incendio perdidiſſent.
Tum Friſii non hac magis re quàm cõſpectu adventantium in navibus hoſtium
perculſi, ab obſidione diſcedunt, & ab erumpentibus præſidiariis, dum fugien-
tibus ſimiles abeunt, detrimentũ haud parvum accipiunt. Epiſcopus appellens,
cùm cognoviſſet eos diſceſſiſſe, concilio advocato, in quo & Brederodius erat,
copiarum Hollandicarum ductor, ſententiiſq; auditis, mox per præconem toti
exercitui edicit, ut in craſtinum ſe omnes ad invadendam Friſiam parent, ha-
bere enim in animo, dum perterritæ hoſtium mentes ſunt, nec auxilia advenire
à longinquioribus poſſent, Stellenwerfios & proximos quoſque in ultionem
oppugnatæ Vullenhoæ diripere. Fueratque haud dubiè ingentem cladem agro
Friſico illaturus, niſi divino numini extra ordinem inſtitutum illud avertere
placuiſſet. Namq; intempeſtâ nocte, quæ ſecuta eſt, tanta cæli tempeſtas repẽtè

extitit, tam largus imber fuſus eſt, ut disjectis latè tentoriis, cunctiſq; corruptis, viæ omnes, quibus in Friſiam eundum erat, impeditæ ob aquarum copiam poſtridie conſpicerentur. Quapropter velut religione tactus epiſcopi animus, & cæteri non ſecus ac prodigio attoniti ab inſtituto deſtitêre domumque ſe recepêre. Friſii ejus oræ, qui jam ſummo in metu erant, divino beneficio ſervati ab hoſtili vi, læti plaudenteſque Servatori Deo gratias egerunt. Anno
M. CCC. proximo, qui erat M.CCC.XII, cùm vitia paſſim inoleſcerent, nec ſatis præſidii in
XII. legibus antiquis eſſe videretur, multæque contentiones ex jure interpretando exiſterent, Friſii Orientales, qui ad Amaſum potiſſimum habitant, remedium adhibendum eſſe putarunt. Itaque repetitâ antiquâ conſuetudine ad Vpſtalleſbomum frequentes, quibus ſententiæ dicendæ, ac ſuffragiorum jus erat, antiſtites, nobiles, optimi quique è plebe, convenêre. Delecti illic communi conſenſu è judicibus ac nobilium ordine viri prudentes, quibus emendandi leges veteres, ſi quid vitii haberent, ac ſcribendi novas, quæ deeſſe viderentur, poteſtas permiſſa. In his celebrantur Luerdus Aindſena Weſterhuſanus, Wiardus præfectus Emdanus, Habbo Hintanus, Sibrandus Viſquerdanus, Folcardus Tuixlumanus, omnes ex Amaſano agro. Quâ de causâ ſuſpicari licet, hujus provinciæ negotium hoc potiſſimum fuiſſe: præſertim cùm leges ab his ſcriptæ, provinciæ quoque ejuſdem nomen præferant. Reliquorum nomina interierunt. Leges, quas ediderunt, in tres ſunt claſſes digeſtæ: quæ omnes etiam nunc in codice juris Friſici extant. Claſſis prima duodecim capita habet, quæ Amaſana cita nuncupantur: altera ſex capita complectitur, Die Overkore dicta: tertia de vulnerum mulctis agit. His addita poſtremò ſanctio de comitiis quotannis apud Vpſtalleſbomum habendis. Quo eodem tempore Heſſelus Martena, de quo diximus, aliquot per annos ſummo magiſtratu inter ſuos geſto, diem obiiſſe dicitur, vir bello & pace egregius. A cujus morte cùm de ſucceſſore creando multo tempore conſenſus iniri non poſſet, velut amoto concordiæ publicæ cuſtode, factiones rurſum ſe commoverunt, magno patriæ malo, maximo verò monachorum laſcivientium ſcelere & culpâ. Secutumque eſt
M.CCC. anno proximo M.CCC.XIII, qui Henrici VII Imperatoris nefariâ morte infa-
XIII. mis fuit, diluvium in Friſiâ ad diem XI Calend. Novemb. quo & domus plurimæ disjectæ, & pecudum ingens numerus hauſtus, homines etiam non minus D abſorpti periere. In quibus cæteris celebrior Wibo Gravenſtenius è primâ nobilitate Oſtergoâ, ac magnis opibus & autoritate inter ſuos fuiſſe me-
M.CCC. moriæ proditum eſt. Biennio poſt, prælucente malis horribili face in aëre, à
XV. Calendis Maij incipiens, & totos penè durans menſes X, fœda tempeſtas pluviæ impedimento fuit, ne quid in agro matureſcere poſſet. Hinc pergravis, & quantam nulla ferè hominum memoria noverat, conſecuta annonæ difficultas omnem Friſiam, populoſque vicinos preſſit. Eam porrò comitata peſtis tam vehemens ac ſæva, ut ejus vi tertiam mortalium partem periiſſe in hoc Oceani littore, totâque adeò Europâ, à bonis autoribus proditum ſit. Coloniæ quidem Agrippinæ ad Rhenum XXX, Moguntiæ XVI, Argentinæ XIII millia abſumpta eſſe in commentariis earum civitatum eſt annotatum. Et in horum malorum exortu libuit Gallis & Flandris bellum reſumere: cui cùm ſe non ſatis ex fide etiam Hollandus miſcuiſſet, vaſtatis proximis Flandriæ finibus, ſine gloriâ & fructu, pede cum hoſte non collato, ſe domum recepit: bellumque ei ſimul cœptum & finitum, ſed inter Gallos & Flandros diutiùs tractum. Hinc paulatim malè compreſſa per Friſiam turbarum civilium ſemina, paſſim coaleſcere & mala minitari. Inter quæ violentæ & iniquæ actiones ex debitis ortæ: quæ ne incendium majus darent, Groningani & Doccumani primùm, circiter Calen-
M.CCC. das Majas, deinde iidem Groningani & tota Oſtergoâ pridie Gordiani, anno
XVIII. Chriſti M.CCC.XVIII in certa capita huc pertinentia convenere, pacemque inter ſe firmarunt: cùm conſules Groningæ eſſent Ioannes Poder, Bernardus

Wicheri,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Wicheri, Albertus Bottingus, Otto Hartingus. Imprimis vetitum, ne quis ho-
minem, aut rem litis æriſve alieni gratiâ detineret præter juſtiſſimam ratio-
nem, ne quis quem præter ipſum reum aut debitorem poſtularet, moleſtiámve
ei ullam exhiberet. Atque hæc prima pacta Groningenſium cum Oſtergois, ex
his, quæ mihi videre contigit. Sed non æquè fælices in hoc Nordani: apud quos
XXII antè annos grave incendium paſſos factionum vi novi tumultus rediê-
re. In quibus qui factioſi maximè erant, per vim multa facientes, quò magis
impunè hæc poſſent, fanum Dominici, totumq; cœnobium occupatum, mu-
nitumque inſederunt. Eodemque anno ad IV Non. Octobr. qui Franciſci me-
moriæ dicatus eſt, primarium templum ibidem, de quo expoſui prius, noctu
terræ motu concuſſum, turres ruinâ deformatæ, faſtigium omne templi ſolu-
tum, collapſumque, atque ita incendii memoria cum moleſtiâ refricata. De-
inde diſſenſiones per varia loca latiùs diffundi ſenſim, & robur accipere: ma-
lum in liberis rebuſpubl. penè perpetuum, quæ ſi foris hoſtem non habent, do-
mi extialibus factionibus agitantur. Et id quidem ſæculum tulit velut meſſem
copioſam factioſorum & audacium ingeniorum, quæ nullis legum repagulis,
nullo legitimo magiſtratuum imperio, nullâ patriæ fortunâ inhiberi ſe ſine-
bant, quo minùs irent, quò ludebat. Et licet ad Vpſtalleſbomum quotannis
coirent, pro more, magiſtratus & judices, tamen quòd minùs frequentes hu-
juſmodi conventus eſſent, nec ſatis autoritatis propter coëuntium conditio-
nem haberent, in quorum nonnullis voluntas, & ſtudium quoque deerat, non
facilè ſuccurri per hos reip. contra tam robuſtum malum poterat. Nec enim
qui in plebe ſolùm, ſed antè alios, qui genere, opibus, potentiâ præſtabant, erât
coërcendi. Et hi id maximè operam dabant, ne iſtiuſmodi, cujuſmodi præ-
ſens reip. neceſſitas poſtulabat, & numero & dignitate majora comitia totius
populi, à quibus ſibi metuebant, cogerentur. Anno M. CCC. XXI de aquarum M. CCC.
clauſtro amniculo Bedumum alluenti imponendo, de quo diſceptatum fuerat XXI.
aliquandiu, conſenſus initus inter Groninganos, Huneſgonios, Fivelgonios,
Drentowaldios, conciliantibus, qui cõcordiæ erant amantes. Placuit, ut clau-
ſtrum ſtatueretur ad auſtralem partem pontis Walfridæi: id fieret impendio
eorum, quorum intererat, clauſtrum conſtitui: conſtitutum tertio quoque
receſſu maris teneretur clauſum in uſum Groningenſium & Drentowaldio-
rum, qui hoc juris habere ferebantur antiquitùs in reciprocationem iſtam ter-
tiam: deinde, ſi ob clauſtrum hoc deprehenderetur vitium contrahere amnis
alveus, ceu fieri ſolet, invecto limo, Groningani ejus rei causâ Huneſgonios, &
Fivelgonios, imprimis verò novi operis autores convocarent: re perſpectâ, cæ-
teri juberent autores opus ſuum vicinis noxium deſtruere intra menſem ter-
tium: quòd ſi Huneſgonii & Fivelingii vocati ad diem non adeſſent, Gronin-
gani novi operis deſtructionem autoribus denunciarent: iis non parentibus,
ipſi ſine ſociorum offensâ clauſtrum amoverent. Ita decretum Calendis Au-
guſti: annoque proximo ad VI Calend. Maij idipſum repetitum, noviſque in- M. CCC.
ſuper ſigillis firmatum, ſignatoribus adhibitis Egberto Gronenbergio præfe- XXII.
cto, Adolfi filio, Egberti prioris nepote, Egberto altero itidem præfecto Gro-
ningano Godekini filio, Ottone Buningio Sculthesio oppidano; cùm conſules
ibidem eſſent Eno Wigboldi, Ioannes Poderus, Otto Hartingus, Hugo Cal-
marus. Atque eodem iſthoc anno reperio Ilenſi cœnobio, quod ſcholam Dei
vocabant, protectionem à Nordanis promiſſam eſſe, cùm civitatis ejus con-
ſules aut advocati eſſent Tyrlingus Addinga, Poppo Idringa, Thyo Addana, &
eorundem orator Hero. Geldrus interea occaſionibus invadendæ Friſiæ ad-
huc intentus, à ſuo ejuſdem nominis in carcerem conditur: filiuſque imperio
Geldriæ ſumpto, ut viam ſibi in Friſiam ſtruat, ingentem pecuniæ vim mutuò M. CCC.
dat epiſcopo Vltrajectino Ioanni, & ipſe viciſſim Vullenhoam peroportuno XXIII.
ad id, quod agitabat, loco in ora ſinus Auſtrini ſitam accipit. Eo commodo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

potitus, atque inſuper pullulantibus tum in Friſiâ reip. malis illectus princeps natura & ætate ferox arma quàm celerrimè in Friſios parat. At Friſii proximi, qui ad Auſtrinum ſinum, qui à Flevo uſque in Lavicam habitant, obſervatis contrà Geldri molitionibus & hoc potiſſimum armorum apparatu, pro more ſuo in caſibus hujuſmodi, operam antè omnia dant, ut offenſiones civiles vel remiſſæ in gratiam communis patriæ, vel ſuſpenſæ ſaltem ad tempus conquieſcant. Mox vocatam ad arma juventutem ſuam etiam ipſi ad fines in procinctu habent. Et cùm moram traheret Geldrus callido conſilio, ut eos, ſi poſſet, conjunctos rurſum diſpergeret, aut fervorem in iiſdem extingueret, ipſi & moræ tædio, & prudentum conſilio, qui ingenium ſuorum norant impetu magis quàm conſtantiâ pollens, ultrò in terram hoſtilem ducunt, hoſtemque non procul Vullenhoâ ſecum ſummis dimicare viribus cogunt. Id prælium diu anceps & cruentum tandem Geldrum victorem facit. Friſii multis ſuorum amiſſis in fugam verſi. Sed Geldro tam difficilis victoria viſa, ut perſequi eam periculoſum putaverit, & aliis ſtatim poſt alia negotiis gravibus implicitus à Friſiis deinceps abſtinuerit. Pugnæ tempus tam variè ab autoribus traditur, ut certi, quod ſequar, hîc nihil habeam. Hæc verò ad Vullenhoam à vicinis dum geruntur, in reliquis Friſiæ partibus, quibus ab externo hoſte pax erat, diſcordia domeſtica magis & magis adoleſcebat, & civilia arma minitabatur. Quapropter, quos è populo ingenium & uſus rerum prudentiores fecerat, quique patriæ caritate tenebantur, ii obviam eundum, priuſquàm erumperet, atq; ad hoc, quod optimum & maximum noverant, remedium maturè decurrendum ſtatuerunt. Hi rem in medio proponere de populi majore conventu: à pleriſque cum aſſenſu audiri: ab aliis, quibus pax & æquum commoda ac grata non erant, ferociùs obturbari. Sed tandem conſenſus valuit, libera populi totius comitia eſſe convocanda, in quibus & cognoſci cauſæ, & leges controverſiis dari, & de rep. conſultari ſtatuique poſſet. Sed nihil æquè eos movit, in hanc ſententiam pronis animis ut deſcenderent, quàm quòd ab externis principibus omni à parte ſe impeti, inſidiaſque libertati ſuæ tendi, aut aperta arma inferri ob oculos habebant: hoc Hollandum, Geldrum, Vltrajectinum, Monaſterienſem, Oldenburgicum, Bremenſem agere: omnes liberum populum pariter odiſſe, fortunæque invidere, proximos quoſque ſemper atterere, ac ſub jugum trahere, iis ſubactis mox longiùs niti, nec finem antè facturos, niſi maturè proſpiciatur, quàm minutim divulſis à corpore partibus, tandem in arctum fortunam ejus omnem redegerint, totumque adeò cum libertate oppreſſerint: Ita pericula & detrimenta prima ad eos, qui in finibus habitent, metum eorum ex æquo ad omnes etiam intimâ in Friſiâ ſedentes pertinere: nec quenquam omninò, immunem ſe aliquando futurum, confidere poſſe. Itaque quod fauſtum & fælix reip. Friſicæ eſſet, ad Pentecoſten (quod tempus comitiis ſolenne eſſe ſolet) dies ſtatutus eſt, ad quem Vpſtalleſbomi omnes, quibus hoc juris erat, convenirent. Id fuit anno Chriſti M. CCC. XXIII. Erat verò patrius mos, quoties ad Vpſtalleſbomum eſſet eundum in comitia totius gentis (quod à multis ſæculis in uſu fuerat frequenti, quamquam tum ob diſſenſiones aliquandiu intermiſſum, propeque intermortuum) præſertim ſi qua difficultas major aut periculum reip. incumberet, ut quò expeditiora illic omnia eſſent in conſiliis capiundis, domi priùs præconſultationes inſtituerentur; eumque in finem minores conventus haberentur ſeorſim in ſingulis Friſiæ partibus, ſeu populis, in quos tota gens eſt diviſa: iis in conventibus commoda incommodaque ad remp. pertinentia cognoſcerentur, deque iis ſententiæ audirentur omnium, conſiliaque caperentur. Quibus peractis, tum judices illius anni omnes, cæterique, qui hoc jure præditi erant, quive ad id obeundum munus deſignati à ſuis, tam ex ſacro quam ex reliquo populi ordine, (hi erant ſapientiá, integritate, opibus maximè ſpectabiles) ad Vpſtalleſbomum ibant. Is locus,

ut dixi,

ut dixi, in agro Auricano eſt, in Friſiâ Orientali Ciſamaſanâ, haud plus medio ab Auricâ oppido milliari Germanico, ad Occaſum hybernum, ubi tres ingentes quercus, quarum una ad noſtram uſque memoriam penè emortua pervenit, aperto ac patente campo propè contiguis ramis ſe attollebant, ad bina ternáve ſtadia circumcirca ædificiorum nihil habens. In hoc porrò, quaſi in propriâ libertatis areâ, tentoriis ad uſum lato ſpatio in modum caſtrorum militarium poſitis, poſtquam illuc perventum erat, ſub dio peragebantur velut cælo teſte, quæ comitiorum ratio poſcebat. Igitur deliberationibus domi habitis, convenêre, ſi quando aliâs, tum iſto potiſſimùm tempore, de quo dicere inſtitueram, frequentes è cunctis ordinibus, omnibuſque cis Lavicam locis uſque in Viſurgim. De cæteris extra Viſurgim non liquet. Tranſlavicani verò, qui in Flevum uſque habitant, Oſtergoi, Weſtergoi, Sylveſtres haud æquè frequentes adfuêre, propterea quòd belli Geldrici ſubitò, præterq; expectationem exorti mole, propterq; Hollandicas, quæ ſe prodebant inſidias, non eo, quo par erat, quemque rei magnitudo tum maximè poſtulabat, numero, domo exire comitiorum causâ permittebantur. Quorum cùm præcipuæ opes, magnaque autoritas in totâ gente eſſent, quanquam multa ſanè ab iis, qui aderant in medium proponerentur, multa etiam à ſapientibus ad patriæ communis ſalutem pertinentia graviter dicerentur, deliberationeſque inſtituerentur, cùm aliis de rebus tùm de tollendis civilibus diſſidiis, offenſionibuſque patriæ condonandis, cauſæ quoque multorum, pro more, cognoſcerentur, tamen, ob iſtorum abſentiam, decerni eo tempore de totâ rep. nil potuit. Comitia tantùm alia in finem Auguſti anni ejuſdem, ad quæ, qui jam aberant, venturos ſe promiſerāt, indicta: juſſiq; intereà, dum ea coëunt, pacem inter ſe omnes colere. Novorum comitiorum tempus cùm adeſſet, Geldro jam in patriam ob motus domeſticos reverſo, magno numero rurſum eôdem advenerūt magiſtratus, nobiles, antiſtites, ſacerdotes, delecti è plebe, ex omni agro, qui à Flevo in Viſurgim patet. Illi tum liberæ Friſiæ termini erant. Tunc præſentibus Tranſlavicanis repetita ea, quæ ſuperioribus in comitiis fuerant agitata: & res ſeriò admodū acta, magniſq; contentionibus, ut penè dimidio menſe decerni de rei ſumma nil potuerit. Quod ex præſcriptione fœderis & legum, quæ latæ illic ſunt, ſatis patet. Tandem ſuperante æquitate & bono publico, compoſitis pleriſq; civilibus diſſidiis, atq; offenſis reip. condonatis, communi cõſenſu decreta ediderunt partim nova, partim è veteribus repetita, quæ in multorū manibus habentur. Quorum præcipua ad univerſam remp. pertinentia hæc ſunt: *Pacem & concordiam inter ſe colant omnes. Rata ſint ſuperiorum comitiorum in Vpſtalleſbomo decreta, niſi quatenus his capitibus emendantur.* Libertatem à majoribus relictam contra quoſvis Principes, aut cuiuſcunque conditionis homines, coniunctis viribus, defendant, ſibique mutuo auxilio ſint: *Novi magiſtratus iudicéſve ſingularum provinciarum quotannis recens ſuffragijs electi, in Paſchatos feſto priùs ipſi iurent in has leges, & hoc pacis decretum; deinde populum, cui præficiuntur, ſinguli in idem iuramentum adigant. Qui contumax magiſtratui ſuo, ac rebellis erit, ut vicinarum Friſiæ provinciarum auxilia contra eum evocari neceſſe ſit, ſingulis provincijs evocatis, centum marcas mulctæ nomine pendito. Secedens verò à magiſtratu ſuo ex contumaciâ, per præfectos eius provinciæ, in quam ſeceſſerit, ad ſuos redire compellatur. Iudices periurÿ rei ſint, qui non ſincerè operam dabunt, ut litigantes diſſidentéſque per ſententiam in iudicio ritè latam, ad concordiam reducantur. Iudex negligens, aut iniquam ſententiam ferens marcas* XX *reip. ſolvat. Sententiæ finiendis controverſijs à iudice pronunciatæ ratæ ſint: nec à ſucceſſore, niſi adhibito antiſtite vicino cum quatuor alijs doctiſſimis ex ordine ſacerdotali, graviſſimas ac evidentes ob cauſas retrectentur. Friſij, in vicinis provincijs Friſicis litem habentes, intra triduum à iudice expediantur: ſin minùs, ab eo tempore ſumptu iudicis illic ad perſequendam litem agant. Electiones magiſtratuum iuriſdicundi cauſa, ritè quotannis, & ſecundùm leges fiant. Magiſtratus, qui in imperio adhuc ſunt, priuſ-*

quàm eo ſe abdicent, illos, quibus ius eſt novos magiſtratus eligere, cogant, ut in legibus præfixo tempore id ritè faciant, nec ultra differant: ſi diſtulerint, ut marcas XX mulctæ nomine eos poſcant. Quinetiam minus ritè electus ſi in electionem conſenſerit, tantundem mulctæ reip. ſolvat. Idem in eo quoque valeat, qui ad iuramentum reip. præſtandum, quo electi velut in poſſeſsionem poteſtatis ſuæ mittuntur, illum admiſerit. Electus à maiore ac ſaniore parte, per magiſtratum ſolenniter populo quàm primùm renancietur. Eam renunciationem ſi ille ultra triduum diſtulerit, non aliter cum eo, quàm cum homicidâ agatur, ac gravis mulctæ reliquis iudicibus vicinis pendendæ reus ſit. Sacerdos, aut quilibet ſacris initiatus, ſi pecuniam accepiſſe ob ſuffragium in electione magiſtratuum convictus fuerit, non ſolùm quadruplum reſtituat, ſed etiam electionis ius impoſterum amittat, idque ad populum redeat. Similiter ſi quem in electione ediderit ſine conſilio illorum, quorum intereſt, is deinceps quoque edere eundem ritè non poſsit. Editus verò ſi conſenſerit, in XX marcas magiſtratui damnas ſit, & electio irrita habeatur. Iudicis vel magiſtratus in territorio provinciâve ſuâ, quâcunque ratione violati, decupla pœna eſto. Conſules, alióſque magiſtratus reip. nomine ad comitia in Vpſtalleſbomum euntes, aut inde redeuntes detinere in itinere, aut quocunque modo violare nemo audeat. Si quis contrafaxit, XL marcis reip. & propinquis ſatisfaciat. Eadem pœna in illum ſit, qui in eoſdem in reip. negotio Vpſtalleſbomi agentes quicquam deliquerit. Reliquis, qui ad comitia commeant, aut ex comitijs diſcedunt, ſi quis vim fecerit, in C. LX marcas, partim propinquis eorum, partim magiſtratui obnoxius habeatur. Omnis homicida, facinore patrato, anno integro à ſacris liminibus abſtineat: ſecus faciens, X marcas mulctam magiſtratibus luat. Friſius Friſium alterius provinciæ occidens, magiſtratui LX marcas, totidem hæredibus cæſi pendat. Communis hominis cædes & vulnera in ſeptuplum, initiati in decuplum deinceps puniantur. Poſt ſartam gratiam alterum interficiens, toto anno exul ſit, nec niſi ab ipſo Pontifice Rom. præſens veniam patrati facinoris petat conſequatúrque: in patriâ ſi quam arcem habet, ea ignominiæ causâ evertatur: ſin domum communem, ea haſtæ ſubiiciatur. Mutilationes membrorum nobilium, vt oculorum, pedum, manuum, labiorum, eo modo, quo cædes puniantur. Cædis reus, ſi ſolvendo non ſit, captus hæredibus occiſi tradatur. Eum verò poſtulatum detinens, aut defendens, pro eo mulctam ſolvere teneatur. Quòd ſi iudex, in cuius territorio reus detinetur, monitus hac de re fuerit, nec ut exhibeatur ſons, operam dederit, XX marcarum pœnam eo nomine reliquis iudicibus ſolvat. Fures ſuſpendio afficiantur: furtivæ res ubicunque & apud quemcumque repertæ, ſine pretio, domino legitimo cedant. Eos, qui fures, aut res furto ſublatas ſcientes per vim detinent, magiſtratus compellent, ut de furto ſatisfaciant, ac pœnam inſuper XX marcarum exſoluant. Idem in ſpoliatoribus & ſpolijs ius ſit. Incendiarij nocturni igne exurantur: diurni verò damnum omne incendio factum in decuplum reſtituant, & magiſtratui, XX marcarum mulctam pendant. Qui eos domi ſuæ ſcientes habuerint, ac ad pœnas poſtulatos non exhibuerint, hos eadem pœna ſequatur, quæ furibus dicta eſt. Idémque de ijs valeat, qui publicè agros depopulantur. Qui dominum ſuum, pecuniâ corruptus, vel ipſe occiderit, vel ad cædem alteri prodiderit, eodem ſupplicio, quo incendiarius nocturnus, vitam finiat. Sacerdotem in vincula coniiciens, in X marcas læſo, & totidem magiſtratui ſolvendas, condemnetur. Idem in profanum commiſſum, mulctæ eius dimidium ſequatur. Contra remp. atque haſce leges omnes ſi qui conſenſerint, aut conſilium inierint, in XX marcarum mulctam incurrant. Monetæ niſi probatæ uſus in Friſiâ ne ſit. Magiſtratus civiles rebus Eccleſiaſticis ſe non miſceant. Voti monaſtici reum deſerentem votum ſuum, ac ritè ab antiſtite admonitum, ſi quis domi ſuæ foverit, id facinus XX marcarum luat. Eidem mulctæ obnoxius ſit, qui quocunque modo antiſtiti in ſuos diſciplinam exercenti impedimento erit. Puerum puellámve impuberes in matrimonium pelliciens ſine conſenſu tutorum aut proximorum propinquorum, non ſolùm pellectum reſtituat, eíque ſecundùm leges priſcas & recentes ſatisfaciat, ſed etiam centum marcis inſuper mulctetur. In prædijs emendis & vendendis ius proximitatis valeat, habitâ ratione eius lineæ, à qua illa provenêre. Idem in adeundis hæreditatibus ſervetur, niſi aliter teſtamento defuncti

fuerit

fuerit cautum. Contra facere præſumens, in mulctam XX *marcarum incurrat. Sacerdoti ſoli, ſine tribus aut ſaltem duobus hominibus fidis teſtibus, in teſtamentariâ re non credatur. Actor in principio, cauſæ ſuæ firmamenta omnia coram iudice proferat, ut reus ijs cognitis deliberandi facultatem habeat. Quod ni fecerit, pòſt fruſtrà ſe audiri poſtulabit.* Hæc in tabulas relata, & ſubſcriptionibus firmata ad diem XIII Calend. Octob. Atque ita Vpſtalleſbomo diſceſſum, Iacobo Buningio, Bennone Folcherdingio, Ioanne Calmaro, Theodorico Plutero apud Groninganos conſulibus. Quæ ideo prolixiùs, quàm ſuccinctæ alioqui hiſtoriæ ratio poſtulat, explicanda putavi, quòd ejus ætatis reip. Friſiorum liberæ formam nobis magnâ ex parte aperiant. Ab his comitiis aliquot annis armorum civilium expers Friſia manſit, pacateque per magiſtratus annuos, ringentibus ſe nequicquam inquietis ingeniis, adminiſtrata fuit. Nec à vicinis Bremenſibus, Oldenburgicis, Monaſterienſibus, Vltrajectinis bello quicquam contra quietos, & conſentientes primis temporibus motum. Guilhelmus quoq; Hannonius Hollandiæ & Selandiæ dominus, quanquam optimâ conditione pactus paulò ante cum Flandro, tributoq; & clientelâ ejus in univerſum abſolutus, tamen concordiam hanc Friſiorum metuens, aut pacem, aut inducias cum iis fecit. Sed in eo, quod pactus eſt, quicquid fuit, certè ultra quinquennium non ſtetit. Intereà verò populus ad Vpſtalleſbomum coire per legatos quotannis, reique publicæ conſulere, offenſiones enatas ſanare, cauſas momenti majoris ad remp. pertinentes cognoſcere, legum juriſq; tum omnium, tum ſingulorum rationem habere. Erat tum in auctu, & oppidi formam jam induerat Dammona, Fivelgoniæ in agro ad occidentem fluminis Amaſi, de qua dixi priùs, rivo diviſa navigabili, vulgò etiam tum Appingadamum nuncupata: frequentari opificum vulgo, forum rerum venalium habere, negotiaq; gerere cum iis, qui in agro erant, oppidani juris & muneris pluſculum exercere, quàm cæteri per agrum vici majores. Eam rem moleſtè videbantur ferre viri nobiles iſtic ſedem domicilii habentes, qui exercitium illud juris oppidani, ſui juris, quod à majoribus acceptum habere ſe putabant, diminutionem interpretabãtur. Et, ut fit, haud æquis oculis vicinorum creſcentem fortunam intueri, qui Groningæ negotiis erant dediti, poterant. Itaq; hi cum vicanis paſſim, ſed maximè cum Fivelingiis Dammonenſium vicinis, agere blandè, rebus & verbis ad commercia exercenda ſecum invitare: ſi quid fortè commiſſum, quod eos offenderet, ejus emendationem ſpondere, omniaque à ſe prolixè polliceri: incommoda quoq; Dammonenſis fori, & pericula, & cõtemtas res ponere ob oculos: ſui verò commoditatem & dignitatem amplificare. Ea propter commoti Dammonenſes, periculi aut detrimenti, quod iſtinc exiſtere rebus ſuis poſſet, avertẽdi causâ in tempore, cum Fivelgoniis primùm egerunt, ut quo jure, quibus inſtitutis uſi eſſent hactenùs complura per ſæcula, (ſic enim tabulæ hac de re loquuntur) eorum uſum retinere ſibi etiam nunc, & poſteris ſuis tradere voluntate ac patrocinio ipſorum liceret. Fivelgonii in conventu ſuo per judices & magiſtratus prolixè tribuerunt omnia: judicii juriſque oppidani, nundinationum, tabernarum inſtitoriarum, exercendarum officinarum uſum, cæteraque civilia inſtituta non ſolùm rata eſſe juſſerunt, ſed etiam tueri paratos eſſe ſe, ſi quis quid contra auderet, profeſſi ſunt, confectis hac de re ad memoriam poſteritatis tabulis ſolennibus. Factum id anno Chriſti M.CCC.XXVII, octiduo antè Pentecoſtes, cùm conſules Groningæ eſſent Gerar-
M. CCC. XXVII.
dus Sickingius, Ioannes Poderus, Rudolfus Buningius, Lubbertus Leo. Tum quò plus roboris in ſanctione ineſſet, ſtatim ad generalem Friſiæ conventum, qui iiſdem illis diebus pro more coibat ad Vpſtalleſbomum in Auricano agro, profecti, explicatâ re, ut ejus quoque autoritate confirmaretur, obtinuerunt. Extant etiã nunc tabulæ hæ, quamvis vetuſtate penè corruptæ, quibus Ordines Friſiæ generales ſubſcripsère, & ſigillum, quo tum uſa eſt tota Friſia, publicum, eo more, quo vulgò fieri ſolet, adjecère. Quod factum octiduo poſt Pentecoſtes.

Ejus ſubſcriptionis formulam, quoniam memoriâ poſteritatis dignam puto,
deſcriptam ad verbum, hîc ſubijciam: *Et nos iudices Selandini* (hæc tum erat ap-
pellatio vulgata magiſtratuum provincialium) *totius Friſiæ in Vpſtalleſbome con-
gregati, ſtatuta oppidi in Appingedamme coram nobis recitata, ac ſigillo ſuæ terræ Fivel-
goniæ roborata, tanquam rationabilia & honeſta ex certâ ſcientiâ ratificamus, ac præ-
ſentibus confirmamus: contradictores ſtatutorum prædictorum, tanquam reip. rebelles,
cenſemus pœnâ publicâ vindicandos. In cuius rei perpetuam memoriam, hanc litteram
inſtrumento ſuper ſtatutis prædictis confecto duximus transfigendam, atque ſigillo to-
tius Friſiæ roborandam. Datum & actum in Vpſtalleſbome in octava Pentecoſtes, anno
Domini milleſimo trecenteſimo viceſimo ſeptimo.* Sigilli imago erat vir toto cor-
pore armatus, dextra lanceam tenens, ſiniſtrâ ſtrictum enſem ferens in hu-
merum inclinatum, conſiſtens ſub arbore. His ad hunc compoſitis modum,
controverſiæ aliquid ſerpere cœpit inter Vltrajectinum antiſtitem Ioannem,
& Drentinos, præfecturamque ſuburbanam, quâ ipſa quoque urbs Gronin-
ga attingebatur. Vltrajectinus quippè longiùs extendere jus & imperium
ſuum, ac plus ſibi vendicare, quàm mos priſcus ferret, & contrà minùs fa-
cere in obeundo munere ſuo, quàm ratio poſceret, ferebatur. Cui contro-
verſiæ finiendæ gratiâ arbitri tandem delecti ſunt Godefridus Borcolous,
Reinaldus Coverdius, Siſo Rutenbergius. Hi Coverdiæ coëuntes vocatis ad
M. CCC. ſe partibus & causâ examinatâ, anno M.CCC.XXVIII, quinto à Pentecoſtes die
XXVIII. ita pronunciarunt: ut jura à majoribus accepta Drentinis & cæteris manerent
integra in perpetuum: Decanus ab Vltraiectino deſignandus in Drentiâ, præ-
fecturâ ſuburbanâ, oppido Groningano caſus, uti vocant, epiſcopales, quos ipſe
ad ſeſe trahebat Vltraiectinus, haberet: ſuffraganeus ab eodem Vltraiectino
mitteretur quotannis in hæc loca ad faciendum pro eo officium in confirman-
dis pueris, conſecrandis fanis & ſacris locis, abſolvendis pœnitentibus ab Eccle-
ſiâ eiectis: Vltraiectinus tueretur & promoveret Drentinos & Groninganos
bonâ fide in cauſis æquis contra quoſlibet, eoſque non evocaret citationibus
extra terminos præfixos & uſitatos: Drentini viciſſim, & cæteri C.XLII mar-
cas Britannicas, minus ſolidis quatuor, tributi nomine, quod precarium di-
cunt, quod ſingulis ſeptennijs ſe debere prædicabant, quarto quoque anno, &
quidem biſextili ſolverent pro ratâ parte Vltraiectino, huius rei gratiâ Hulsfer-
diam, aut ad epiſcopi Montem venturo: qui niſi compareret, ipſe ſtato & certo
die, eo quidem quadriennio, iure ſuo excideret: ſin veniret, & eſſent, qui non
ſolverent antè Lamberti, non per alios, quàm per præfectum Coverdicum, &
prætorem Groninganum tergiverſantes ad ſolvendum compelleret: poſſeſſio-
nes ab Vltraiectino tenentibus non liceret alienare eas, aut transferre ſine ip-
ſius Vltraiectini conſenſu: nec fas eſſet pro ſervis hominibus liberos inducere,
qui ad præſtanda ſervilia non poſſent ab epiſcopo & Canonicis adigi: deci-
mas qui debebant eidem Vltraiectino, ſolverent ei more ſolito: contra hæc
facientes iure agere, atque in eos animadvertere eidem ipſi liceret ſine offen-
ſione cæterorum in populo utroque. Sententia utrimque probata, & hac quo-
que in regione, atque in negotio metus tumultuum averſus. Hollandus hanc
quietem & conſenſionem omnium Friſiæ partium, omniumque ordinum vi-
dens, ac moleſtè ferens, qui alienam ſtultitiam, ſibi bono futuram diu expe-
ctaverat, cùm eam ſpem haud ſuccedere comperiret, à Flandricâ expeditione
in ſeditioſos, in quam pro Comite eius regionis omnes vicini Principes coniu-
rarant reverſus, & fortunâ ipſa ac uſu armorum incitatus continere ſe diutiùs
M. CCC. non potuit, quo minùs meditatum iamdudum bellum in Ciſflevanos tan-
XXVIII. dem inchoaret. Itaque inſtructâ claſſe magno Transflevanorum ſtudio, qui
præ cæteris gentiles ſuos oderant, primùm deprædari proxima littora iuſſit. Fri-
ſij, eo cognito, & ipſi claſſem armarunt, atque aſperiùs in Hollandos in mari
deprehenſos ſuas iniurias ſunt vlti. Hinc res ad atrox bellū ſpectare, direptiones,
incen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

incendia, cædes minitari. Hollandus, quò graviùs incumberet,copiis ſuis peregrinas ære conductas addere, ingentem exercitum jam in hoſtem movere. Qua re commoti ex antiſtitum ordine viri graves miſerati fortunam patriæ, adjunctis ſibi Staveranorum civium primis quibuſque, & maximè idoneis, interponere ſe, ac pactionibus belli mala avertere ſtuduerunt. Hi induciis impetratis, per quas de cæterâ pace agi poſſet, Harlemum profecti,& cum delectis Hollandis collocuti, multis fruſtrà tentatis, cùm dimoveri alio modo à bellandi propoſito Hollandi non poſſe viderentur, immodico pacis ſtudio in has tandem conditiones parum honeſtas patriæ ſuæ conſenſerunt: ut intra biennium nobiles Friſii clientelam Hollandicam profiterentur, judiceſque à Comite miſſos admitterent: hæc legati gentilibus ſuis perſuadere niterentur: intereà bellum ceſſaret: niſi intra tempus præfinitum conditiones reciperentur, tum Hollando liberum eſſet, jus ſuum armis perſequi. Verùm Friſiis tam turpis deditio ſine ſanguine perſuaderi nequiit. Induciæ tamen prorogatæ, denuoque novis colloquiis res tentata, atque extracta, donec tandem Hollandus majore rurſum vi bellum meditans, ante cœptum è vitâ migrat, anno M.CCC.XXXVII. Sic turbo ille à Friſiâ ad tempus averſus. At eodem,quo Hollandus obiit, anno apud Nordanos alterum conventum ſolennem Dominicanæ familiæ antiſtites egerunt, cùm agri oppidique ejus conſules eſſent Poppo Idſinga, Vlferdus Vldinga,Alo Omminga, qui Syndico utebantur Meinardo Gibbonis filio. Intereà & in agro propè Groningam de aquarum deducendarum lege aliquid conſtitutum, novique tumultus commoti, & in Tranſlavicanis res patrata atrox, ac digna, quæ memoriæ prodatur, ad improbitatem & ſcelus monaſticum arguendum: de quâ dicam priùs. Lidlumanni monachi in Weſtergoâ & numero & opibus affluentes, ut mos erat iſtius hominum generis per Friſiam eo ſæculo, libidine & luxu ignavam vitam ducebant, multaque petulanter & improbè, indigna nomine Chriſtiano, committebant. His tum fortè antiſtes erat nobili è genere Eelco Lijaucama, vir gravis, &, ut ea ferebant tempora,pietatis ſtudioſus:qui monachos identidem ex officio corripere, modeſtiæ ac mitioris vitæ admonere. Ea verò re velut injuriâ irritati inſolentiſſimi homines, qui ex eorum numero ſceleratiores erant, facinore atroce concepto in villâ Buxunanâ, occupatum nocte intempeſtâ antiſtitem ſuum in lectulo cubantem crudeliter occidunt, occiſum contumeliæ causâ, ut animum ſuum explerent, nudum ſublimi è feneſtrâ præcipitant, ac corpori illudunt. Ob quod facinus ſceleſta capita à magiſtratu comprehenſa damnataque, & exempli causâ igne omnia exuſta ſunt. Hæc tum monachorum pietas fuit. Erat,cùm hoc fieret, annus à partu Virginis M. CCC. XXXII: quo eodem vix inito leges de aquarum clauſtris propè Gronenbergiam arcem ab hominibus præfectura ſuburbanæ, & civibus Groninganis latæ, clauſtraque ipſa cum curatoribus edictis munita, aperiendi, claudendique modus ſtatutus, oppidanorum commodo præ cæteris conſultum. Neque multò pòſt turbæ illæ,quas dixi, ad Groningam enatæ,quarum vi totus ager inter Lavicæ & Amaſi oſtia quietè excuſſus, & multis malis affectus. Cauſa,initium, progreſſus,incerta. Quod vel incuria majorum, qui nihil horum litteris conſignarunt, vel invidiæ ac malevolentiæ eorum, qui hujuſmodi commentarios veterum, non bono ſanè in remp. animo premunt, debere nos conquerimur. Vulgò tamen ii, qui per agrum ſunt, cauſam Groninganis tribuunt: eos impenſiùs fori jus quæſiſſe, nec in collybo,nec in totâ numariâ re quod æquum eſſet,ſervaſſe,nec alioqui commercia etiam juſtè coluiſſe,quædam item violentiùs,quàm ferri poſſet,in familias nobiles, & cæteros vicinos feciſſe: aquarum corrivationes ex uſu ſuo inſtituiſſe inconſultis ac invitis ordinibus agrariis,quorum maximè intererat. Groningani contrà,majores ſuos injuriis petitos fuiſſe priores,contendunt. Nos ea in medio relinquimus. Id modò repertum in commentariis,aut ex tranſactionis

M. CCC. XXXII.

formulâ, quam integram adhuc habemus, obſervatum memoriæ poſteritatis
tradimus,iſſe ad arma, qui vicinum agrum incolunt,Huneſgonios,Fivelingios,
Fredowaldios, Langowaldios, Hummerzios, Octopagicos: his è Drentinis
nonnullos ſe junxiſſe à civitate diſſidentes: plures hujus gentis pro civitate ſte-
tiſſe,atque ei auxilio fuiſſe: ſed bellum lentè,& non ſummis viribus geſtum, va-
riante fortunâ: ter majoribus concurſum copiis, victoſque ſemel in Huneſgo-
niâ, iterum in Fivelgoniâ agrarios: tertiò majore ab iiſdem clade caſtigatos
eſſe oppidanos: eâque clade animis concidiſſe: arcem Gronenbergiam iner-
mem, aut in ruderibus jacentem, quam Adolfus Gronenbergiæ familiæ pro
Ludolfi fratris ſui filiis habebat,ab agrariis occupatam ſtatim cum belli initio;
eandemque novis munitionibus ac præſidio firmo inſtructam in belli uſum:
Alteram Cortingiam in oppidi quoque conſpectu, Selwerdico cœnobio vici-
nam,& auxiliari manu Drentinorum nobilium pro oppidanis munitam, agro-
que proximo perinfeſtam, ab iiſdem demum agrariis expugnatam vi, arciſque
dominum Henricum Cortingium cum omni præſidio ab iratis interfectum:
cætera in arce direpta,aut corrupta,hac re plurium Drentinorum animos, qui
Cortingium, & cæſos cæteros aliquâ conjunctione ſanguinis aut amicitiæ at-
M.CCC. tingebant, in Friſios aſperatos, armaque ab his correpta. Poſtremò poſt illata
XXXVIII. acceptaque detrimenta complura Huneſgonios & ſocios frenum mordentes
ſimul omnes ingentibus copiis ad urbem acceſſiſſe, oppugnatamque atque in
extremum periculum adductam capturos haud dubiè per vim fuiſſe, niſi per
arbitros oportunè fuiſſet interceſſum. Groningenſium commentarii adijciũt,
mœnia vi expugnata, magnum civium numerum per diverſas urbis regiones
primo impetu cæſum: Ex cæteris ad ſexaginta, qui duces & incentores belli
fuerant, ac furorem illum primum effugerant, prehenſos & capitis damnatos,
perque carnificem in foro gladio percuſſos. Tum demum arbitros interveniſ-
ſe. Cujus rei cùm tranſactionis formula, quam extare dixi, nec mentionem
faciat,nec judicia ulla oſtendat, conjectare libet, aut fabulam eſſe ex bello alio
priore poſterioréve depromptam, aut oppidanos arbitrorum ſententiæ pa-
rêre noluiſſe; atque ideò ab iratis hoſtibus bello acriùs rurſum petitos ſupera-
toſque,everſis mœnibus, tam atrox ſupplicium luiſſe. Arbitri, qui ſe inter-
poſuêre, in quos utraque pars conſenſit, ex omni agro Friſico cis ultraque
Amaſum ac Lavicam antiſtites, deinde & Nobiles complures, aliique viri
graves, qui bello ſe non miſcuerant, fuêre, non paucis etiam è Drentiâ, qui-
buſdam quoque ex ipſo oppido antè cæteros moderatioribus additis, quo-
rum omnium nomina in formulâ arbitrii reliqua ſunt. Hi die Iunii penul-
timo Selwerdiæ in hanc ſententiam pronunciarunt: *Groningani ante om-
nia in honorem populi Friſici murum oppidi ſui lateritium longo tractu à portâ Eb-
binganâ ad turrim vſque Botteranæ portæ proximam ſponte demoliantur, locúmque
eum, ſi velint, ligneo ſepto viciſſim claudant: deinde ſex domos lateritij operis in op-
pido reliquis editiores & firmiores, quæ arcium inſtar ad vim propellendam erant, ſu-
premâ parte uſque ad medium fornicem deijciant. De damnis cuiuſcunque generis, quo-
cunque omninò loco, mutuò illatis pars utraque ſecundùm leges, aut æquum & bonum
alteri ſatisfaciat. Pro omni pecuniâ, quam Groningani captivis Friſiis extorsêre, mar-
cas Britannicas* CCC *refundant intra triennij ſpatium æquis portionibus. Si qui capti-
vi, aut obſides pro captivis, adhuc in cuſtodiâ ſunt, ij ſtatim dimittantur. Similiter obcæ-
des in Friſios commiſſas ijdem oppidani marcas Britannicas* M *populo Friſico, & viciſſim
eiuſdem generis marcas totidem Friſii hæredibus ac propinquis cæſorum in arce Cortingiâ
eodem modo ac tempore dependant. Hæredes ac propinqui ſi eâ mulctâ contenti eſſe non
volent, hoſpicium & auxilium illis impoſterùm à ſuis denegetur. Si quis eos receptabit
aut tuebitur, ſive Friſius, ſeu Groninganus, ſeu Drentinus, everſione domus ſuæ, &* C *mar-
carum mulctâ corripiatur; mulctam ſi ſolvere recuſabit, ſex proximi propinqui pro eo te-
neantur. Si ea contumacia in Friſiâ committetur, Friſiorum quoque mulcta ſit: ſin in oppido,*

aut Drentiâ, oppidani & Drentini eam inter ſe pro more ſuo dudum uſurpato partiantur. Quòd ſi cæſorum propinqui in oppido recipere hanc pecuniæ ſummam non volent, annumeretur eadem hæredibus eorum, qui è Friſiis ſunt cæſi, ijſque in ſolutum cedat. Solutio tum huiuſce, tum cuiuſcunque alterius pecuniæ hac formulâ tranſactionis definitæ tribus penſionibus æquis fiat. Vti quiſque aliquid iure poſsidebat antè bellum motum tum in agro, tum in oppido, ita deinceps quoque poſsideat, teneátque. Hac lege Adolfus Selwerdius cum nepotibus ex fratre & hæredibus comprehendatur. Antiſtitum ſacerdotúmque res, quas in oppido Groningani invaſerunt, quæcunque hoc momento, quo pacis hæc formula publicabitur, reperiri incolumes poterunt, ſuis quæque dominis, aut poſſeſſoribus reſtituantur, in eámque rem de bonâ fide quatuor civitatis conſules (hi erant Ioannes Leo, Ludolfus Buningius, Alardus Folcherdingius, Ioannes Mauritius) iuramentum deponant. Friſios contra quoſvis hoſtes in defendendâ libertate, ad arbitrium bonorum virorum, oppidani adiuvent. Si quis vindictæ ſtudio ab hoc tempore adverſæ partis aliquem occiderit, ob contumaciam contra hoc arbitrium C *marcis Anglicis cæſi hæredibus teneatur. Cædes non conſulta* XVI *marcis ſimilibus luatur. Oppidani cum Friſiis & Drentinis commercia exercentes diverſis ponderibus & menſuris non utantur, in fraudem eorum, quibuscum contrahunt, ſed æqualitatem in ijs ſervent. Iidem ab inſtitutis veteribus & pactis conventis olim cum ijſdem initis non recedant: prætextu propolij, item in collybo,* (id eſt, pecuniarum permutatione,) *ijſdem fraudem omnino non faxint, aut ullo impedimento ſint, quominus pro arbitrio rebus ſuis emendo vendendóque vtantur. Aquæductuum inſtituendarum ex uſu ſuo, modò non in detrimentum alterius, cuique libera facultas ſit. Si quis Groningæ hoſpitio civis uſus ad quatriduum cæde aut vulnere, aut quâcunque iniuriâ aliâ alterum violaverit, ac facinore patrato apud eundem rurſum diverterit, nec pœnam ex legibus ſolverit, civis ille, aut eius nomine tota civitas ad præſtandam mulctam teneatur: ſontem verò ipſum, nemo ſeu Friſius, ſive Groninganus, aut Drentinus receptet defendatve; contra qui faciet, eâ corrigatur pœnâ quæ receptatori priùs eſt irrogata: mulcta eorum iudicum ſit, apud quos contumacia commiſſa. Munitiones Gronengicas Friſii demoliantur, locúmque formæ priori, quam habebat antè bellum, reſtituant: ſi ſecus factum fuerit, in* C *marcas Anglicas condemnentur. Controverſiæ & offenſiones inter Friſios & Drentinos huius belli tempore ortæ hac compoſitione etiam comprehendantur. Dubiorum in hac formulâ interpretatio penes hos ipſos arbitros ſit. Quotannis alterâ à Pentecoſtes dominicâ Groningæ in curiâ conveniant quatuor Prætores iudiciorum præfecti ex Huneſgoniâ, quatuor item ex Fivelingiâ, quatuor ex eo agro qui ad occidentem rivi Groningani iacet, quatuor è Drentinis, quatuor reip. Groninganæ conſules, item artiſtes Adoardicus & Werumanus, vt monetam examinent, ac nummariam rem ex commodo totius regionis conſtituant, eodémque in conventu ſimiliter quotannis formula hæc arbitraria ſolenni more publicetur. Qui quicquam huius violabit, is graviſsimè ſocios ſimul omnes offendet, &* C *marcarum Anglicarum mulctam ſtatim reip. debebit.* Subjectum in formulæ calce, uti mos habet, tabulis hac de re confectis ſigilla addita eſſe octo, Huneſgonicum, Fivelingicum, Drentinum, Groninganum, Fredowoldiorum, Langowoldiorum, Hummerziorum, Octopagicorum. Sed in tabulis ipſis, quæ ſuperſunt, ſigilla tantùm tria habentur, Huneſgonicum, Fivelingicum, Drentinum: cæteris quidem locus quoque paratus, verùm ipſa non adjecta. Vnde ſuſpicio mihi eſt, conditiones illas duriores à civitate recuſatas eſſe: cùmque ea ſignationem detrectaret, cui ordo poſt Drentinos tributus erat, reliquorum quoque ſigilla tabulis non acceſſiſſe. Atque hanc ob cauſam an arma reſumpta, & vi ſuperata urbs, murus ex arbitrio victorum ſubverſus, domus ex arbitrorum formulâ mulctatæ, denique ea facta ſint, quæ ex commentariis aliorum recitavi, incertum relinquo. Pax certè cum civitate, & quies per omnem agrum vicinum mox ſecuta eſt. Propinqui etiam & amici Cortingii, ac cæterorum è nobilitate & plebe in arce cæſorum ex Drentiâ, cùm conſenſum in tranſactionis capita diſtuliſſent aliquandiu, ad principium tandem Octobris ejuſdem anni victi autoritate Reinoldi Coverdiæ præfecti & magiſtratuum

provincialium, aſſensêre, ſartâ cum Friſiis gratiâ, fidemque ſuam jurejurando firmarunt. Reinoldus quoque, & populus Drentinus promisêre, ſi qui iſtorum recederent à fide, & pacem turbarent, ex præſcripto formulæ de pace ſe in eos animadverſuros, profugorumque propinquos proximos ſex pro profugis ad pœnam vocaturos. Durante hac quiete emersêre rursùm res Groninganæ, ac non parum quoque incrementi cepêre. Invenio verò dominatos in Senatu oppidano eſſe circa ea tempora, quibus hi tumultus fuêre, & quæ proximè ſunt ſecuta, conſulatuſque alios ſuper aliis cepiſſe præter iſtos, quos jam nominavi, Gerardum Sickingium, Theſonem & Hermannum Hugingios, Eberhardum Wigboldum, Henricum Calmarum, Rudolfum & Iacobum Buningios: deinde Albertum Folcherdingium, Wicherum Enium, Ottonem Nidingium, Enonem Album. Et poſt hos, Cateros, Rengeros, Polmannos, Mauriſſingios, Leones, tum Thedemæos, Hornekingios, Coppenos, Windios, alioſque: quorum conſilio & induſtriâ, ſopitis diſſenſionibus, amicitia & ſocietas arctior primùm cum vicinis in agro cis Lavicam, deinde cum cæteris Friſiis inter Lavicam & Flevum juncta & repetita ſæpius cum commodo & honore civitatis ad Hollandica uſque & Vltrajectina arma commota pervenit. Reperio etiam Senatum populumque Staveranum, cujus erant civitatis etiam tum non parvæ opes, honoris & amicitiæ ergo, & ut negotiationes ſuorum hominum commercio augerent, in medio belli prioris fervore, vectigal negotiantibus illic civibus Groninganis publicè remiſiſſe in perpetuum; eâque immunitate impoſterùm iſtic uſos Groninganos.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XIV.

ET hoc quidem tempus inauſpicatum universæ Friſiæ fuit origine pudendorum nominum, quæ tenues initiò, mox in immenſum invaleſcentes, & patriæ omni exitiales factiones ſibi indiderunt. Quâ unâ peſte, exhauſta ſanguine civili, ac cladibus feſſa Friſia concidit, libertatemque tandem dimiſit. Initium hujus in Oſtergoâ & Weſtergoâ trans Lavicam extitit. Fuêre illic eâ ætate opibus prævalida cœnobia, Clarocampus, Floridocampus, Lidlumum, aliaque, quæ multitudine monachorum, hominum ſcilicet otioſorum, abundabant. Cum his fœdus inibant Nobiles nonnulli, qui factiones tacitè alebant, quo fœdere tenebantur ſibi mutuò ſuppetias ferre ad tuendas contra æmulos res ſuas, ſi vis fieret. Idem facere pars altera viribus impar cœpit, diverſæque familiæ monachis ſeſe adjunxit. Atque hi utrimque vulgus in diverſa traxêre: abiitque in partes univerſa Friſia, cùm hi Vetcooperi, illi Sciringii barbaris & infauſtis nominibus appellari gauderent. Nec nobiles ſolùm familiæ ac monachorum collegia, ſed oppida etiam & provinciæ in partibus eſſe voluerunt. Verùm hæ factiones priuſquam invaleſcerent in occiduis Friſiæ partibus, ardente in Galliâ bello Anglico, jam Burchardus Grellius Bremæ natus, qui ex archidiacono Ruſtriæ pridem epiſcopus Bremenſis creatus poſt Ioannem Danum fuerat, primùm cum Kedingiis, quos nobiles quidam è diœceſi Bremenſi ad turbas incitaverant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

citaverant, deinde cum vicinis Friſijs bellum geſſerat. Cum Kedingiis facilis res epiſcopo fuit. Maior difficultas in bello Friſico, in quo diu mutuis cladibus certatum. Sed nihil Friſijs gravius, quàm quòd perfoſſis ab hoſtili exercitu aggeribus, aquas marinas agro ſuo ſæpè infuſas viderunt. Quo malo penè fracti, non iniquis conditionibus pacem petere coacti ſunt. Nec multò pòſt cum Bremenſi civitate Ruſtris exorta controverſia novas clades dedit. Nam Ruſtri, qui Viſurgim accolunt, eius fluminis navigationem infeſtam Bremenſibus fecêre, navibus eorum, quaſcunque intercipere potuerunt, incendio conſumptis, mercibuſque direptis. Quod ut facerent, Bremenſium iniurijs ſe moveri teſtabantur. Et erant ſanè eo tempore Bremenſes nimiâ fortunâ, quâ tum reliquas civitates facilè antecedebant, ebrij: eoque inſolentiæ devenerant, ut nec foris cum vicinis æquam pacem, nec domi inter ſe concordiam ferre poſſent. Sed & hoc bellum per epiſcopum Burchardum, qui ſe interpoſuit, finem accepit. Obiit deinde Burchardus anno M. CCC. XLIIII, locumque Ottoni Delmenhorſtio vacuum reliquit, homini decrepito, quem domi ob ætatem velut in caveâ ſediſſe toto quinquennio, quo epiſcopus fuit, nec quicquam earum rerum, quæ extra urbem, adeòque extra aulam ac cubiculum ſuum fierent, tenuiſſe, omni aditu ad eum per miniſtros obſepto, annales memoriæ prodiderunt. Quam rem, quod fieri neceſſe erat, &c, multa mala in ſubditos, & deſpectus infamiaque in ipſum principem eſt conſecuta. Interea Guilhelmus IIII, ſuperioris Guilhelmi filius, & ſolus hæres, vir acri ingenio, quique omnem ætatem in bellis contriverat, ac magnam fortitudinis militaris laudem meruerat, tertiò iam è Boruſſiâ, in quâ contra dæmonum cultores arma geſta fuerant, domum reverſus, belloque etiam Gallico defunctus, ad annum Chriſti M.C C C. X L V, cùm eſſent inter Gallum & Anglum induciæ, conſcripto ingenti exercitu ex Hannoniâ, Selandiâ, Hollandiâ, viciniſque locis, in quo L X X X V millia armatorum fuiſſe dicuntur, Vltrajectum duxit, eamque urbem ſeſquimenſem obſedit. Sed non fuit Guilhelmo ea mens, ob ſolum Vltraiectum copias tantas in armis habere. Quin imò Friſiam ab initio cogitabat, cum quâ ſolida pax à morte patris ei non coiverat, conſtitueratque Lotharij Imperatoris donum ſupremo conatu tandem ſibi ſuiſque vendicare. Itaque ad x diem Calend. Auguſti cum Vltrajectinis de controverſiâ tranſigens, exercitum in Hollandiam reduxit, cunctaque ad bellum Friſicum gerendum expedivit. Iis expeditis, copias omnes navibus impoſuit, ut Flevo traiecto in proxima Friſiæ littora exſcenderent. Sed accidit fortè, ut claſſis ſeu vento deſiecta, ſeu aliâ de cauſâ diviſa, nec uno tempore, nec uno loco appelleret. Quanquam in loco haud multum erratum. Omnes enim ad vicina Staveræ littora curſum tenuerunt. Eſt haud procul Staverâ cœnobium vetus mari imminens memoriæ Odulfi, qui temporibus Ludovici Pij Imp. ijs locis docuit, conſecratum. Ad huius partem auſtralem primus cum exercitus parte Ioannes quidam Hannonius claro ſtemmate ortus applicuit: factâq; exſcenſione in terram, dum reliquæ etiam naves appellerent, in cohortem quandam Friſiorum fecit impetum. Quâ in cœnobium proximum confugiente, ſecutus cum ſuis cœnobium etiam vi militari invaſit. Id verò Friſicus exercitus, qui in proximo erat (nam erant Friſij omnes illorum locorum, qui arma ferre poterant, ad excipiendum hoſtem, ac libertatem defendendam parati) conſpicatus, celeriter motis ſignis eò accurrit, illamq; hoſtium partem ex improviſo oppreſſam ad internecionẽ penè delevit. Vix cædes ea patrata erat, cùm Guilhelmus ipſe cum maioribus copijs ac cohorte prætoriâ, in qua viri nobiles, & ſummis familijs nati militabant, non longè ad boream ab eodẽ cœnobio littus tenuit. Ad hũc vixdũ è navibus cum exercitu egreſſum adhuc madentes ſanguine cæſorum Friſij, atq; ex ſucceſſu magnũ animum gerentes infeſto agmine cõtendunt. Hollãdus etiã quid ſuis accidiſſet ignarus, ut erat animo

M.CCC. XLIIII.

M. CCC. XLV.

intrepido ac gloriæ avido, ne expectandum quidem ratus, donec cæteræ quoque manus, quæ expectabantur, adeſſent, & ipſe aciem explicuit, atque ultrò in hoſtem impetum fecit: Ac ſanè viriliter rem geſſit, nec quicquam omiſit, quod in eo caſu fortem imperatorem præſtare par erat. Sed circumfuſus multitudine Friſiorum, qui ex omni parte ad pugnæ ſignum advolabant, poſt multa fortiter manu patrata, cum univerſo, quem ſecum habebat, exercitu, tãdem occubuit. Alii, qui paulò pòſt ad eadem illa loca appulerant, ac ad pugnam accurrerant, ſimiliter cæſi, paucis per fugam elapſis. Sic ab exortu ſolis in veſperam uſque continuus labor Friſiis fuit. Cæſa gladio, aut undis, cœnoque merſa octodecim armatorum millia feruntur. In his ducenti quadraginta præcipuæ nobilitatis viri. Quorum maximè illuſtres Hornanus, Lignæus, Valencenius, Manius, Antonius, Hamſtedius Selandus, Marvedius Flander, Barones omnes: Gerardus Balderius, Guilhelmus Naelduicus, Simon & Theodoricus Teilingii, Guido Aſperanus, Ioannes, Regnerus, & Guilhelmus Montfortii, Theodoricus Santhorſtius, Hermannus Suitenus, Florentius Mervenus, Odgerus Spangius, Everardus & Vlferdus Bergerhorſtii, Guilhelmus Pongius, Theodoricus Vlancertus, Gerardus Florenwegus, Equeſtris ordinis. Cætera multitudo plebeia fuit. Prælium hoc memorabile ad Staveram commiſſum eſt die VII Calend. Octob. anni à Chriſto nato M. CCC. XLV. Nec victoria ulla major Friſiis in ſolo patrio contigit. Decretum, ut ſolennis ſupplicatio eo die quotannis per omnem Friſiam, quæ inter Flevum & Lavicam amnes eſt, in honorem Mariæ virginis, perennandæ memoriæ cauſa, habeatur. Idque poſteris ad hoc uſque ſæculum ſervatum. Guilhelmi Comitis corpus è ſtrage ſublatum, unaque nobilium aliquot, in cœnobio Floridi campi victores condidêre: reliquorum oſſa confusè congeſta, in vicino Benedictinorum cœnobio multis ſæculis oſtentui cunctis fuêre, monueruntque, quàm magno ſæpè conſtent, quæ ſolâ regum aſſignatione per tabulas armorum expertes principibus addicuntur.
M. CCC. XLVI. Anno hanc cladem Hollandicam ſecuto minutum bellum ſubortum eſt inter Hamburgenſes & Huneſgonios ob detrimenta naviculariis illata ab Huneſgoniis. Cujus pertæſi tandem Hamburgenſes, qui ægrè commerciis Friſicis carebant, perbenignè ad antiſtitem Adoardium ſcripſerunt, petieruntque, ut pacis autor eſſe ſuis vellet. Verùm cùm parum proficerent, alios excitarunt, qui ſe interponerent. Ac demùm miſſis utrimque legatis reconciliatio facta, & pax ſarta eſt anno M. CCC. XLVII, menſe Auguſto. At Guilhelmo à Friſiis cæſo, cùm liberos non reliquiſſet, Margarita ſoror, quæ in conjugio Ludovici IIII Imperatoris Bavari erat, hæres opum fraternarum, in Hollandiam veniens, ſumpto principatu omnem bilem in Friſios effudit, attamen publico bello laceſſere eos auſa non fuit. Mox filiorum maximo Guilhelmo per patrem ſolenni more in poſſeſſionem miſſo, principatum tradidit. Ipſe matri deinde reſtituit, ſed pravo quorundam conſilio, invitâ matre reſumpſit.
M. CCC. L Factum id anno M. CCC. L. Quâ re offenſa mater, filio quoque invito imperium retinuit. Certatumque odio acerbo domeſtico, & ſubditi quoque in partes diviſi, infauſtis factionum nominibus ſponte ſumptis, Hollandiam totam conturbarunt. Matri qui ſtudebant, è quibus Brederodius & Brunchorſtius ceu duces factionis erant, Hoexios ſe appellari, qui Guilhelmum præferebant, Cablauij, id eſt capitones, à piſcibus dici voluerunt. In his Egmondanus, & Arkulæus facilè eminebant. Quæ peſtis ad poſteros quoque propagata multis cladibus Hollandiam afflixit. Et videntur fato quodam iidem furores proximis provinciis incubuiſſe. Nam & Geldri, fratrum principum Reinoldi & Eduardi contentione, quos ex Eduardi III Angliæ regis ſorore Reinoldus primus Geldriæ Dux, qui patrem in carcere mori coëgerat, cum filiâ Ioannâ genuerat, eodem penè anno in partes ſeceſſerant, Brunchorſtii & Hekeri dicti ſunt. Quæ factioſa nomina & fratres inter ſe impiis armis commiſêre,

& Geldriam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

& Geldriam multo tempore variis calamitatibus involuerunt. Pertinax enim rabies hujuſmodi cùm ſemel mentes occupavit, haud facilè deinde expelli poteſt. Rediitque eodem tempore furor Friſiis, aut potiùs tenuis, ac languens hactenus invaluit, perinde ac ſi exemplis incitaretur. Cujus cauſa inſana monachorum odia inter ſe potiſſimùm fuère. Huic malo peſtis acceſſit, quæ omni oræ maritimæ atque ipſi imprimis Friſiæ tam vehemens incubuit, tantamq; hominum multitudinem proſtravit, ut ſepeliri corpora à ſuperſtitibus, quos lues tum ad paucitatē redegerat, tum metu contagii perculerat, non benè poſſent. Habent annales nonnulli, multos mortales ſtantes eunteſque per vicos concidiſſe repentè extinctos: obſervatumque eſſe, in uno cœnobio Clarecampo homines C.LXXXIII, in Foſwardico non minus CC.VII interiiſſe. Tum tacti religione Nordani collegium virginum ſacratarum, quod injuria temporum pene conciderat, in valle Mariæ ex integro inſtaurant. Id exemplum imitati Oſtringii cœnobium iſtic celebre non longè Ieverâ, quod Canonici pridem tenuerant, ac jam ſeptuaginta octo totos annos vaſtum jacebat, communi ope, velut iram Numinis eo opere à ſe averſuri, cœperunt reſtituere, idq; virginum collegio, mutatâ religione, dicatum deinceps voluerunt. Colonia eo deducta Nordâ, è familiâ Dominici. Atque hæc omnia eo anno, quem paulò antè dixi, M.CCC.L evenêre, cùm jam triennium imperium in Germania à morte Ludovici IV tenuiſſet Carolus IV Bohemiæ rex, non ſine æmulis. In Ruſtris verò Cis-Iadanis, caput tum efferre cœpit *Edo* quidam, qui nobili quidem ac veteri, ſed pertenui familiâ ortus Sibetum patrem, Wijmconem avum, Edonem proavum, Wijmconem alterum abavum recēſere poterat. Horum pleriq; magiſtratus domi geſſerant, & pro ut uſus poſcebat, arma quoque pro patriâ ſæpè tulerāt contra hoſtes. Sed eorum nullus ſupra reliquos, qui ſtemma habebant, opibus aut potentiâ eminuerat. In magiſtratu, quem populus dederat, poteſtate annuâ uſi erant: eo depoſito, privatâ fortunâ ceu cæteri nobiles contenti vixerant. Edo autem diuturnâ ac proſperâ militiâ aliquod ſibi nomen apud ſuos comparaverat: ineratque ei ingenium, quo & ſua mirificè oſtentare, ac inſinuare ſe animis hominum poterat. Itaq; cùm autoritas magiſtratuum, quos in annos ſingulos legere ſuffragiis ſolent, labaſceret, atque illi, qui genere aut opibus in Ruſtris valebant, ſpreto legitimo imperio, multa impotenter agerent, alioſque qui minore fortunâ erant, injuriis læderent, nec quiſquam ferè bonorum eſſet, quem non præſentis ſtatus pœniteret, facilè ei fuit viam ad fortunam aliquam majorem ſibi invenire: Semet offerre, ſubvenire cùm neceſſe eſſet: magiſtratus, in quibus non ſatis præſidii erat contra potentes, calumniari, defenſionem oppreſſorum ſponte profiteri. Tandem ſtudia vulgi nactus, caput ſe magnæ parti Ruſtrorum cis Iadam, invitis æmulis, impoſuit, eo anno, quo Veldenſe cœnobium eſt reſtitutum. Sed præfectura adhuc iſthæc fuit in populo libero, quæ autoritatis quàm imperii plus habebat: quam tamen ille paulatim in dominatum vertere conatus eſt, caſtellis ad premendam libertatem populi excitatis. Et hoc maximè tempore creſcere paſſim ſupra priſcum morem cœperat nobilium familiarum potentia, & cum eâ, ceu fieri ſolet, ambitio quoq; incrementum capiebat. Vtramq; autem multum promovit factionum ſtudium. Nam cùm ſinguli, quos partium duces habebant, eos quàm potentiſſimos eſſe cuperent, ut adverſæ factioni graves eſſe poſſent, de ſuo quoque multa iis ultrò conceſſerunt. Contentione autem, velut igne ſubjecto, incenſa longiùs ambitio eſt. Tum frequentiùs quàm antè extrui arces, aut extructæ validiùs muniri cœpêre, quibus ſe contra æmulos tueri capita factionum poſſent: Et ſi quæ in inimicorum poteſtatem veniebāt, ne commodæ ipſis
inimicis eſſent, rurſum ſolo æquabantur. Quod anno M.CCC.LIII ei arci evē- M.CCC.
nit, quàm familia nobilis Alderſenia Lintelæ, qui locus domibus frequens LIII.
Nordæ oppido à borea proximè imminet, habebat. Capta enim ab æmulis,

M. CCC. LV. penituſque exciſa eſt. Locus & rudera terra obruta adhuc monſtrantur. A biennio deinde cum Groninganis, quibuſcum commerciorum ſocietas atque amicitia jam conſtabat cæteris in eâ orâ Friſiis, Stellenwerfii, & Scoterwerfii etiam, qui Vltrajectinis finibus objecti ſunt ad ſinum Auſtrinum, fœdere ſe jungunt: in quo in hæc ſe obſtringunt capita; *Non ſe paſſuros, quantum viribus ſuis impedire poſsint, ut Principes peregrini, præſertim ab Auſtro venientes (id ad Vltrajectinos pertinebat) Groninganæ civitati detrimentum aut injuriam adferrent: negotiandi liberum commeatum Groninganis ſuo in agro præſtituros, vim prohibituros, ius poſcentibus contra quemvis ſuorum ſine vitio reddituros, ac iuſtitiam adminiſtraturos, illicitas & violentas litium perſequendarum rationes auferendis pro libitu pignoribus, & hominibus in cuſtodiam dandis non amplius cuiquam permiſſuros: Et ſunt de commercijs, & iudicijs Groningani eadem his ipſis polliciti.* Sic decretum circiter Idus Decembres. Erat tum, cùm iſta agebantur, inter primos nobilium, qui in Amaſanâ, Friſiæ regione, domicilium habebant, adoleſcentiæ annos vixdum egreſſus, ſed acerrimi ingenii Folcmarus Allenius Oſterhuſanus, cujus parens Allo etiam tunc ſuperſtes, ætate adhuc firmâ, Oſterhuſæ & Hintæ arces, ac prætorium imperium tenebat.

M. CCC. LVI. Huic ad annum à Chriſto nato M. CCC. LVI lis ac contentio vehemens nata fuit cum Boijngo Suderhuſano nobili, cùm in hæreditate herciſcundâ, quæ ipſis fortè obvenerat, conſentire non poſſent. Erat verò Folcmarus, ut adoleſcentiæ vitio fervidior, ita naturâ quoque inimicitiarum acerrimus perſequutor: judicabatque nullam in vindicando inimico rationem inhoneſtam eſſe. Itaque cùm injuriam ſibi fieri omninò putaret, ac nocere ſe Boijngio vi apertâ, qui arcem bene munitam tenebat, poſſe diffideret, ad dolum ſe vertit. Corrupto quippe magnâ pecuniâ miniſtro ejus adoleſcente, portam arcis Suderhuſanæ clam ſibi patefecit, atque in ipſam arcem nocte concubiâ, quæ ſolennem reſurrectionis Domini diem antecedit, cum manu ſuorum penetravit, inimicumque inopinantem dormientemque oppreſsit. Eo deinde in vinculo conjecto, arcis mænia omnia demolitus eſt, domumque ſe cum captivo ad patrem recepit. Sed tantam circumvento factam injuriam propinqui ejus, quos plurimos & maximis opibus valentes per Friſiam Ciſamaſanam habebat, non negligendum ſibi putantes, cùm æqui nihil à Folcmaro aut Allone referrent, ad vim ſe viciſſim pararunt. Ea cæpta utriſque clades dedit. Tandem, cùm ſe vicini interponerent, ad colloquia res deducta, controverſiaque compoſita eſt. Sed odium tamen animis utrinque retentum; quo factum poſteà eſt, ut pax publica violata. Folcmaro poſteriſque bono non fuerit. Alterum deinde exemplum Nordæ editum, biennio proximo, quo diſſoluta legum vis, ac magiſtratuum in rep. authoritas prorſus convulſa fuit. Hylo Attena præpotens in

M. CCC. LVIII. eo agro opibus & clientelis erat, factionibuſque ſtudere videbatur. Eum cùm quiete agere, ac legibus parere magiſtratus, juberet, ipſe ut contemnere imperium tutò & impunè poſſet, communicato cum Martino Speiza homine alienigena conſilio, ad diem v Calend. Octob. anno M. CCC. LVIII ſilentio noctis cum clientibus ſuis Dominicanum templum repentè invaſit, occupatumque quantâ potuit celeritate contra primum impetum communiit. Auctâ deinde munitione cùm ſatis ſe jam tutum eſſe videret, ulterius quoque progreſſus magiſtratum pacis præfectum ſe abdicare coëgit, totamque illam poteſtatem impoſterum auxilio ſuorum apud Nordanos abrogavit. Hic finis conſulum, pacis præfectorum, Nordæ fuit. Exemplum id ad alios etiam vicinos cis Amaſum tum manaſſe haud dubito, & magno malo toti illius oræ reip. fuiſſe. Certè Edo Ruſtrus, quem dixi, qui Ruſtriæ parti cis Iadam jam præſidebat, non contentus eâ fortunâ, Wangrorum ac Oſtringiorum nonnullos pecuniâ ac gratiâ corruptos eò induxerat, ut popularium ſuorum animos in prætores ſuos exacerbarent, fomentaque ſeditionum inconſultæ plebi ſubiicerent; Edonis etiam erga ſuos benignitatem tempeſtivè prædicarent. Quod cùm feciſſent illi,

illi,ac frigidam ipſe quoque Edo ſuffunderet, anno à mutatione Nordanâ pro- M.CCC.
ximo in ſeditionem ac tumultum res verſa eſt, & Edo in auxilium à ſeditioſiſ- LXIX.
ſimo quoque vocatus. Ille oportunè advolans Heddone Welenſi, Tammone
Sandelio, Inone Tiarchæo, Vlricho Cnipenſi præturâ amotis, ſemet Oſtringiis
& Wangris, ut anteà Ruſtris, rectorem ſuffecit. Verùm nec dominatus,nec in
integros hoſce agros imperium illud fuit. Nobilium quippe familiæ in utrâ-
que regione, multique alii, qui libertatem malebant, rectorem eum agnoſcere
recuſabant. Quæ res multis objectum difficultatibus ad peregrina evocanda
auxilia eundem tandem adêgit. Tum verò inſtitutum paſſim, cùm Edo aliis
immineret, ut templa caſtellorum in modum contra vim munirentur, ad quæ
receptum habere vicini, cùm uſus poſceret, poſſent. Hi verò motus dum Fri-
ſiam Ciſamaſanam turbant, interim ab externis armis poſt Guilhelmum Hol-
landum cum exercitu cæſum ſatis pacatè Tranſlavicani agebant. Nam Guil-
helmus Bavarus, qui Hollandiam à matre acceperat, à morte matris, quâ cum
vivâ magnas contentiones exercuerat, inciderat in amentiam, carceremque
paſſus erat uſque ad vitæ finem. Qui verò ſucceſſerat in Hollandiæ imperio Al- M.CCC.
bertus frater, tum quòd avunculi caſum horreret, tum quòd domi non ſatis LVII.
quietas haberet res, pacem quàm bellum malebat: eâque in ſententiâ conſtans
totos triginta octo annos manſit. De Selwerdiis, quorum in poteſtate ager
ſuburbanus circa Groningam erat, dixi priùs. Eâ in familiâ è maſculis unus jam
Adolfus ſupererat, provectâ tum ætate, & nullis liberis, qui nepotum ſuorum
tutelam complures per annos geſſerat. Sed opes familiæ omnes ad puellam
virginem reciderant, Idam nomine, tum fortè primùm pubeſcentem ſub
Adolfi tutelâ. Ei pater fuerat Henricus, patruus Ludolfus, haud ita nuper mor-
tui Adolfi fratre, quantum conjectare licet, nati, qui ab obitu Ludolfi Gro-
nenbergii avunculi ſui, ejuſque filii Bertholdi, fortunas omnes & ſtemma Gro-
nenbergium in domum Selwerdicam intulerant. Hæc jam viro matura, au-
tore Adolfo, cæteriſque propinquis, denubit egregiâ nobilitate juveni Herman-
no Coverdiano, cujus frater Coverdiam, beneficio epiſcopi Vltrajectini, poſſi-
debat, cùm annus Chriſtianus ageretur M.CCC.LX. Eo modo rurſum præfectu- M.CCC.
ra urbana, omneſque Gronenbergiorum opes unà cum Selwerdiis in aliam LX.
familiam ſunt devolutæ. Sed in pactis dotalibus cautum, ut ſi fortè Ida ſine li-
beris decederet, maritus, eiúſve propinqui, res omnes dotales, arcem ipſam
Selwerdiam, ditionem ſuburbanam cum arce cohærentem, denique præto-
riam apud Groninganos poteſtatem proximis Idæ hæredibus bonâ fide reſti-
tueret. Atqui generatis liberis opes apud Coverdicos manſère per annos cir-
citer L, exceptâ arce: cæteræ deinde diſtractæ ad Vltrajectinum præſulem re-
diêre, ut poſtea oſtendetur. Arx Cortingiæ vicina, non urbi Groningæ ſolùm
inviſa ob munitiones, ſed agro quoque univerſo inter Amaſum & Lavicam, ut
credebatur, periculoſa, hoc ipſo, uti exiſtimo, aut proximè ſequenti anno, bono
publico, non nolentibus ſociis, empta à civitate, ac funditus deleta eſt. Pretium
ex tributo in eam rem ex urbe & agro collecto confectum: tributum id ab aliis,
uti fit, promptiùs, quod ſua plus intereſſe putarent, arcem exſcindi, ab aliis lon-
ginquioribus ægrius, nec ſine murmuratione ſolutum. Credo in arcis excidium
conſpiratum, quòd & indignum, & ſuis rebus periculoſum omnes putarent,
locum tam commodum, & munitum teneri ab homine extero & potente, &
qui cum arce Coverdiæ præfecturam Drentiæ haberet in poteſtate. Anno eo-
dem LX poſt milleſimum trecenteſimum, cùm reliquis in partibus Friſiæ, tùm
Nordæ potiſſimùm, peſtis ſæviſſima populariter iterum graſſans magnam va-
ſtitatem fecit: multaſque illic nobilium familias, & totum ferè collegium mo-
nachorum continuis funeribus exhauſit. Et quæ ſecuta eſt hyems, fœdiſſimâ
tempeſtate infamis fuit. Nam ad XVII Calend. Feb. mediâ nocte tantus ſubitò M.CCC.
coortus ventus fuit, ut terræ motus inſtar turres, templaque, & alia ædificia LXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

quaſſata in præceps dederit. Nec hîc malum ſtetit, ſed marini quoque fluctus tempeſtate concitati in Friſiam ſe, non ſine magno plebis ruſticæ detrimento, infuderunt. Conditumque tum cœnobium in ripâ Amaſi ex adverſo ejus loci, ubi poſteris temporibus arx Orthana exſtructa fuit, ac S. Ioannis memoriæ dicatum, quod Mudam vocarunt. Annotant Ieverani, tumultus etiam iſtâ æſtate anni M. CCC. LXI in Oſtringiâ fuiſſe concitatos, autore Kenone Broecmerio, Hilmari filio, homine jam ſene, ſed potente inter ſuos: templumque Scortenſe haud incelebre iis locis violatum à Broecmeriis arſiſſe. Sed nec cauſæ traduntur, quæ Kenonem in Oſtringios armaverint, nec omnino quicquam eventuum cæterorum. Ei ſcribentium oſcitantiæ quis non meritò ſuccenſeat? Nobis in omnia ejus temporis diligenter intuentibus nihil veroſimilius hîc occurrit, quàm oppreſſos ab Edone Ruſtro auxilium à Kenone quæſiſſe, hujuſque autoritate & armis Edonis conatus eſſe tum inhibitos. Habui litteras publicas in membranâ ſcriptas, & duobus ſigillis ſignatas, teſtantes illo quoq; anno, vergente Auguſto menſe, Langowoldios, quibus controverſiæ aliquid cum Groninganis de tributo, quod pretio arcis Selwerdicæ diſſolvẽdo erat impenſum, ſuccreverat, cum civitate hac de re tranſegiſſe, juriq; repetendi quicquam ejus pro ſe & poſteris ſuis plenè renunciaſſe, pacem perpetuam cum eâdem ſanctè colendam ſtabiliviſſe denuò, fatentes, non à civitate ſolùm, ſed ab Huneſgoniis etiam, & Fivelingiis, & ſeſe arcem illam bono publico emptam dirutamq; eſſe. Ex Langowoldiis de aliis quoque in hoc agro conjecturam capio. Atque hoc ipſo tempore habebat Friſia viros graves & catos, qui reip. tempore tranquillo & fælice non ſolùm ea, quæ jam antè pedes erant, ſpectabant, verùm etiam, quæ fieri poterant, cõſiderabant: imprimis quàm exoſa principibus multis eſſet Friſiorum libertas, quàm ægris animis acceptas & olim & nuper ab hoc gente clades quidem eorum ferrent, qui nunc, non quòd pacem amarent, aut Friſiis benè vellent, ſed quòd tempori ſervirent, & occaſiones expectarent, aliquantiſper quieſcerent, expendebant: ſuorum quoq; quorundam ambitionẽ & dominãdi deſiderium formidabant, Edonis Ruſtri, Kenonis Broecmerii exempla intuebantur. Horum conſilio, & hortatu, vixdum confecto inter Groninganos & Langowoldios negotio, ii, qui in magiſtratu erãt per totam ferè Friſiam, cui re & nomine tum temporis priſca adhuc libertas conſtabat, Weſtergoi, Oſtergoi, Hummerzii, Huneſgonii, Fivelgonii, & qui in Præfecturâ veteri: item, Reiderii, Amaſani, Broecmerii, & cum his antiſtites ac ſacerdotes Groningæ congregati de fœdere priſco renovãdo egêre, adſcriptâ quoq; in id ipsâ civitate Groninganâ: fœduſq; inſtauratum ſancitumq; denuò die V I Iduum Septemb. cujus tabulæ ſigillis firmatæ etiam nunc extant. Ejus ſcopus fuit, & præcipuum caput *defenſio libertatis, & pacis concordiæq; conſervatio. Hunc in finem ſtatutum, ut rata eſſent omnia, quæ iam olim in ſolennibus gentis comitÿs apud Vpſtalleſbomum fuerant decreta, eadem ſanctè colerentur. Deinde adiecta, quæ in ſexennium proximum valerent: ut prætores omnes cum ſingulis aſſeſſoribus aut iudicibus ſuis, & ſingulis antiſtitibus aut ſacerdotibus, hominibus idoneis, Groningæ quotannis convenirent ipſis Calendis Iulÿs, ac de reip. negotÿs conſultarent, ſtatuerέntq;, nec indè niſi ex conſilio communi negotÿs infectis diſcederent: monachos apoſtatas ne qui receptarent, neu cædis reos profugos tuerentur, aut quâcunque de causâ domi proſcriptis apud ſe morandi copiam facerent, nec novis inſolitiſque vectigalibus Friſios gentiles ſuos onerarent: imprimis, ſi qua Friſiæ pars in diſcrimen libertatis vocaretur, aut notoriâ peteretur iniuriâ, ut ſocÿ omnes auxiliũ rogati quàm celerrimè, & quidem intra definitum hoc fædere tempus præſtò ei eſſent, præſentéſque conſilio aut armis, aut quacunq; ope aliâ adſiſterent, nec antè iſtinc recederent, domûmve repeterent, quàm periculum eſſet depulſum, aut iniuria reparata; nec omninò fas eſſet cuiquam niſi de conſilio voluntatéq; præſentium omnium abire: emanentes autem aut alio modo contra hæc delinquentes cæterorum iunctis viribus ad faciendum officium, aut corrigendum delictum ex fæderis huius præſcripto compellerentur: Sicubi etiam quæſtio aliqua aut controverſia naſceretur de re apud*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

re apud Vpſt alleſbomum aut hîc non definita, de eâ valeret id, quod iuri, legibus, inſtitutis, mori eius loci eſſet conſentaneum. Denique, ut fœdere hoc comprehenderentur, quotquot probarent iſta, & pro libertate facere vellent per omnes Friſiæ regiones, formulæ adſcriptũ. Sic comitiorum generalium totius gentis locus eſſe cœpit GRONINGA, qui hactenus VPSTALLESBOMVM fuerat. Nec ab eo tempore hujuſmodi comitia ulla apud Vpſtalleſbomum habita fuiſſe, in monimentis rerum noſtratium reperio: quod ob invaleſcentem potentiam domus Broecmeriæ ad dominatum jam tum adſpirantis eveniſſe, non eſt cur dubitem. Triennio pòſt, exſpirante jam
anno M.CCC.LXIIII, Albertus Bavarus Hollandiæ, Selandiæ, Hannoniæ dominus, M.CCC.
cõmerciorum & immunitatis præclara jura à Ioanne Hannonio antè conceſſa LXIV.
per omnes ditiones ſuas, quas habebat ampliſſimas, civitati Groninganæ, repetitâ priorum memoriâ, confirmavit. Quod teſtantur litteræ cum ſigillo etiam
nunc incolumes. Anno deinde altero, qui fuit M.CCC.LXVI, ingens & cruenta M.CCC.
ſeditio vicinos Bremenſes afflixit. Erat in civitate factio quædam plebeiorum LXVI.
cõtra Senatum jam ad aliquot annos durans, quæ tributum quoddam poſcenti Senatui ad redimendos captivos cives iniquiſſimè recuſabat. Hujus duces nacti oportunitatem plebem in Senatus necem concitaverant. Sed vicit fortuna Senatus; Factioſi numero XIII aut gladio cæſi, aut in exilium miſſi. Exules initâ cum iis, qui in urbe remanſerant, ſociis ſuis conſpiratione, & communicato cum archiepiſcopo Alberto Brunſuicenſi conſilio, in urbem per inſidias redeunt, multamq; illic cædem bonorum edunt: Qui evadere manus eorum potuerunt, ad Conradum Oldenburgenſem Comitem magnâ ex parte, quidam etiam ad Delmenhoſtanum confugiunt. Ab his non multò pòſt armatâ manu reducuntur, juvante conatum eorum multitudine bonorum, qui in civitate manſerant. Tum dignis ſuppliciis ſeditioſi affecti; nec fœminis parſum; cæſi ad fores ædium ſuarum in ſpectaculum & terrorem reliquis ſuſpenſi. In quibus Ioannes Holmannus fuit totius ſeditionis dux & incentor. Tertia hæc civitatis luxuriantis inſolentia paucos intra annos caſtigata, cùm pridem à Mauricio Oldenburgenſi, injuriâ inſigni læſo, deinde à Gerardo Hoyenſe clades haud leves accepiſſet. Redditâ Bremenſibus quiete domeſticâ, ijdem à biennio cum
Alberto præſule ſuo, & cum Oldenburgicis Comitibus vicinis & fœderatis cõ- M.CCC.
ſpirarunt in ſervitutem & perniciem Ruſtrorum Tranſiadanorum: quorũ ager LXVIII.
utriſque ut percommodus erat, ita jamdudum vehementer arridebat. Iactata à Bremenſibus eadem cauſa, quæ ſemper, naves ſuas direptas, homines malè mulctatos, & quæ recentia probare non poterant, ea, quia bellare omninò conſtituerant, ne prætextus pulcher deeſſet, ex antiquo repetebant. Oldenburgenſes facilè ſe in ſocietatem hanc pertrahi paſſi ſunt, cùm ipſi ſpontè id bellum multò antè deſiderarent, magiſque occaſio hujus rei, quàm animus dudum iis deeſſet. Tantâq; omnes cupidine ardebant belligerandi, ut judicio, & actionibus amicis ſeſe efferentes, Ruſtros ne audire quidem dignarentur. Rebus igitur omnibus paratis, junctoq; fœderatorum exercitu, cùm nemo jam niſi de cæde & direptione loqueretur, in eam Ruſtriæ partem, quam petebant, ſecundùm flumen Viſurgim deſcẽdunt. Erant in eo exercitu Mauricius, Chriſtianus, Conradus, Gerardus, Comites Oldenburgici omnes. E quibus Mauricius gubernator dudum diœceſeos Bremenſis, tractatis aliquandiu armis, magnam in re bellicâ habere ſcientiam credebatur. Et Conradus paulò antè vi armatâ exulibus Bremenſibus patriam reddiderat. Hiſque avidè ſe junxerant Conradus Broechuſii Comes, atq; ex omni ordine nobilium viri militares è vicinâ diœceſi, partim prædarum cupidine, partim quòd fortunas & libertatem Friſiis impensè inviderent. Et hi quidem plurimam auri vim ſecum ferebant, nõ aliam ob cauſam, ut memorat Crantzius, quàm ut omnem prædam à gregario milite minimo pretio oportunè coëmerẽt. Adeò dubiæ Martis aleæ immemores victoriam & prædas animo devorarant. Iamq; omnes in hoſticum penetraverant, cùm in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ternuncius ab Icone Bolinge è primariâ ejus oræ nobilitate, qui Blexenam vicum cum viciniâ regebat,ad eos venit, per quem Blexēſis ſignificabat, ſe ad eos ſponte eſſe conceſſurum, Ruſtriamq; omnem facili ratione ipſorum poteſtati traditurum,ſi modò ipſi viciſſim pollicerentur,ſibi ſuiſq; parſum iri.Sed rejecerunt eum cum poſtulatis ſatis inſolenter duces exercitus, & nobilitas, vociferantes,quicquid ita concederent, id certiſſimæ ſuæ prædæ decedere: Deſipientium porrò eſſe, cùm integro victoriæ præmio potiri liceat, ad arbitrium devictorum hoſtium cum ipſis illis hoſtibus id velle partiri: Et ut ad præmia militiæ ampliùs,ita ad laudem multò illuſtriùs, apertâ vi omnes ſimul hoſtes unâ acie ſuperare,quàm velut metuentes cum hoſte paciſci,& ab iis victoriam mercatos videri:Et quis dubitet ruſticam plebem militiæ rudem ſine periculo vinci poſſe? Quin imò hanc potiùs operam dandam, ne dum tempus deliberando teritur, illi è manibus evadant, ac dilapſi in diverſa quærendi ad pugnam, & ſæpè vincendi ſint,qui uno prælio confici ſimul haud difficulter poſſint.Quibus vocibus cùm mutuò ſe incendiſſent, qui in primo agmine erant (duobus enim agminibus incedebant) tam feſtini in hoſtes properarunt, ut ne expectare quidem ſocios commilitones, qui in proximo erant, voluerint: Auxilia verò reliqua præſtolari,quæ longiùs adhuc aberāt,ſtultum eſſe rebantur. Sed multò ſanè citiùs, quàm utile ipſis erat, in hoſtes adverſos, quos fugituros opinati fuerant, inciderunt.Ruſtri enim cognito Bremenſium,ſociorumq; apparatu, maturè ſe quoq; ad vim hoſtilem depellendam paraverant, atq; ultrò obviam venientibus magno animo procedebant. Ad quod tum ſpontè proclives ipſi erant, tum magis etiam Blexenſis illius nobilis,quem hoſtes ſuperbè ſpreverant,quemque pudor impellebat, ut magno auſu ac merito dedecus elueret, clamoribus incitabantur. Commiſſum prælium eſt XIII Calend.Aug.in viciniâ Blexenæ: Nec dubia ſtatim erat Ruſtrorum victoria; quippè hoſtibus qui de victoriæ præmio tantùm,non de pugnâ cogitaverant,cùm viros ex adverſo in acie ſtare viderēt,ceu fieri ferè ſolet,animus concidit.Nec fuga quidem illis facilis,ob agrum foſſis ac magnis rivis interſciſſum. Ita conciſum totum agmen, in quo erat prætoria cohors nobilium,& ipſi è Comitum ordine omnes. Pauciſſimi evaſerunt, qui reliquis cladem nunciarunt,ſæviente in omnes promiſcuè Ruſtrorum irâ,cui Blexenſis ſtimulos ſubijciebat.Cæſorum numerus ad ſeptingentos fuit.Auro,quod coëmendis prædis nobiles ſecum tulerant,ruſtici ditati ſunt. Cæſi à propinquis ad ſepulturam oblato etiam pretio fruſtrà petiti: univerſi in unam foveam grādem hujus rei gratiâ,uti ajunt, depreſſam conjecti, ac terrâ obruti, ut perpetuò haberent terram,quam appetiverant. Hanc verò cladem ſuorum, totiuſq; nobilitatis ut ulciſceretur, ſimul ut ignominiam familiæ auferret, Conradus alter
M. CCC. Oldenburgicus,prioris filius,qui pugnæ calamitoſæ non interfuerat, anno pro-
LXIX. ximo, majorem, quàm prior fuerat, exercitum partim ſuo ex agro, partim ex Weſtfaliâ lociſq; vicinis conſcriptum in Friſios rurſum duxit.Sed indignati Friſii, atque ad ſigna alacriter iterum concurrentes, qui animos etiam ex victoriâ auxerant,fortiter eum exceperunt: & cùm pugnatum aliquandiu eſſet, exercitum hoſtilem in fugam compulerunt, interfectis ampliùs quingentis, plurimis etiam captis. Ipſi Friſii pauciſſimos ſuorum deſiderarūt. Conradus vix fugâ trepidâ elapſus, novâ clade & detrimentum ingens accepit, & familiæ dedecus, quod delere concupiverat,conduplicatum domum retulit. Edo Ruſtrus Ciſiadanus quomodo hoc in bello ſe geſſerit,patriæ'ne cauſæ, an hoſtibus conſenſerit,non vidi, qui tradat. Quod ſi tamen ex ſequentibus de his conjecturam capere licet,ita amicus Bremenſibus poſteà vixit,eorumq; cupidini contra commoda vicinorum gentilium ſervivit, inimicis eorundem Hollandis prædando incubuit, tam gravis denique libertati ſuorum fuit, ut hoc potiùs quàm illud haud abſurdè de eo dici poſſe videatur:quod tamen nos in medio relinquimus. Per quod tempus, cùm iſta in Ruſtriâ ſunt geſta, ſexennio jam elapſo, quod
ſtatutum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſtatutum poſtremo fœdere fuit, in agro Groningano pacatè quidem adhuc vivebatur, ſed ita, vt pax vitiis non careret. Ea verò diverſis ejuſdem agri in partibus, inter ſe magis, quàm inter agrum & civitatem hærebant. Nam de iudiciis multæ paſſim querelæ, ſeu judicum culpâ, ſive eorum, quibus apud eos actio. Munera enim capi, gratiam ſpectari, odia valere, confusè & negligenter jus dici vulgò ferebatur. Et qui controverſiæ aliquid cum aliis habebant, ii violentiùs in vindicando iure ſuo, quod habere ſe putabant, quàm legitima & pacata judiciorum ratio patiebatur, ſæpè agebant, pro judicum ope & operâ, vi ſuâ utebantur: judices prohibere conantes injurioſiùs reiicebant. Hinc rixæ, probra, vulnera, etiam cædes aliquando: poſtremò eò prolapſa res, incenſis contentione & injuriâ animis, ut publica pax, partium convulſa diſſidiis, nutare videretur. Sed ancora pacis fluctuantis civitas ſocia erat, quam libidine turbandarum rerum prurientes metuebant, cæteri velut cuſtodem quietis in oculis habebant: ejus opibus autoritas judicum per omnem agrum firmabatur, exorbitantes ſocii in officio continebantur, diffluentia membra ejuſdem corporis in unum colligebantur. Quod eò proclivius erat, quòd conventus ſociales, & ſúprema judicia in oppido agebantur, ſed magis adhuc more, quàm lege. Verùm vitia ne robur caperent, ac paci periculum crearent, in ortu & invalida adhuc, qui in provinciâ ſapientes erant, opprimenda putarunt. Cujus rei causâ omnium, qui imperii partem, comitiorúmve jus habebant ab Amaſo in Lavicam flumen, conventus indictus eſt Groningæ circiter Idus Auguſti anno, quem dixi, M.CCC.LXVIII. In eo re conſultatâ, fœdere renovato, memoriâ juris à Carolo Magno collati repetitâ, unanimi conſenſu omnium complura ad ſanitatem reip. & judiciorum caſtimoniam pertinentia ſalubriter ſunt decreta: *Imprimis ut à vi privatâ & publicâ abſtineatur, poſſeſſiones non turbentur, pax ſervetur: Magiſtratuum ac iudicum vita, corpus, honos ſancta ſint, & graviſſimis pœnis legum munita: hi omnes è totâ provinciâ, nominatim ex Reideriâ, Præfecturâ vetere, Fivelgonijs, Huneſgonijs, Weſterwoldijs, Præfecturâ ab occaſu dictâ, Fredowoldijs, Langowoldijs, Groningæ coëant quotannis bis cum magiſtratibus oppidanis, prius octiduo à Pentecoſtes, iterum totidem diebus à feriâ nativitatis Mariæ virginis: interdum & pluries, ſi res poſcat: In oppido, octiduo antè conventum, octiduo poſt cum ſecura quies ac intemerata pax ſit: Iudicem ad conventum hunc euntem, in conventu morantem, à conventu domum diſcedentem occîdens cæſi hæredibus marcas* CC, *iudicibus totidem, partim ijs, ſub quibus domicilium ſons habet, partim ijs quorum ibi iuriſdictio eſt, ubi cædes patrata, ſolvat, groſſis veteribus* XXIIII *pro marcâ computatis: Iudices non audeant emanſitare; ſi quis audeat, atque in conventu non adſit, pro abdicato ſtatim habeatur, idq́ue ibidem in conventu publicetur, atque inſuper marcarum* V *mulctam reip. pendat: ſi quem pro ſe mittat, per eum non niſi iuratum purgetur: Ab hoc iudicum cœtu Groningæ quod definietur, id ratum ſit: contrà committens marcarum* C *mulctam luat: Actor & reus, & advocati eorum, præterquam in notorijs cauſis, iurent veritatem ſe dicere, putare iuſtam eſſe cauſam, quam agant, in morâ non fore, quin ad interrogata rectè reſpondeant, muneribus aut promiſsis nec quæſiſſe, nec quæſituros eſſe, ut pro ſe ſententia feratur: actor iuramentum hoc detrectans mox causâ cadat, reus pro convicto habeatur: edictor etiam, id eſt, præſes in collegio iudicum, iuratus profiteatur, ex animi ſui ſententiâ ſe dicturum, quid iuris ſibi in causâ videatur: dein ſingulos iudices officij quoque in eo admoneat: tum rogatis ſententijs, in quod maior pars conſenſerit, id pro totius collegij ſententiâ teneatur: eáque ſententia ex ſcripto proferatur: alioqui pro nullâ ſit: minor pars non acquieſcens ſententiæ maioris, ad arbitros utrimque delectos re delatâ, ſi iniquè niti convicta fuerit, unius marcæ mulctam debeat parti alteri: Si concordes eſſe non poterunt, convocentur qui iuris peritiores ſunt in provinciâ homines privati, & denuò re agitatâ, quod tum definitum à parte maiore fuerit, id extremæ ſententiæ robur teneat, nec liceat ſub pœnâ ſolvendarum marcarum quinque amplius ab eâ diſſentire: haud temerè tamen, niſi cùm acrior diſſenſus iudices diſtinet, privati, qui iuramento reip. & legibus non tenentur, fatigentur: inſolenter in conventu ſe gerens, rixam in-*

ſtituens, convitia dicens, cœtum iurgio turbans aut diſſipans, convitia regerens, pro delicti modo legibus ſatisfaciat aut marcâ, aut marcæ dimidio: Iudex iudicium dare poſtulatus ter coram teſtibus, & diem iudicio non ſtatuens, aut ſtatutum nec per ſe, nec per collegam obiens, marcam ſolvere poſtulanti damnas ſit; cauſæque cognitio ad collegas aſſeſſores devolvatur: Actionem inſtituens, initiò fideiuſſoriam cautionem præſtet: Edictor aliter ne edicat, quàm ab aſſeſſoribus collegis fuerit decretum; contra ſi faciat, marcam luere reip. teneatur: Iudex ultra præſcriptum in mulctis & aliјs rebus nihil capiat, aut delictum quinque marcis ſimiliter luat: Adhæc, arma, niſi ad defenſionem patriæ, aut ad coërcendos contumaces, ne quis omninò ferat: Iudex acceptorum munerum convictus cum aſſeſſoribus duobus honore ac poteſtate excidat in perpetuum, & accepta inſuper cum dedecore reſtituat: procul ſit negligentia & procraſtinatio in iure reddendo, cauſa malorum multorum: Iudiciíſque præfecti operam dent, ut intra tempus iuriſdictionis ſuæ lites finiant: ijdem functione deceſſuri proximo, antequam decedant, menſe, ſucceſſuros in iudicatu deſignent: qui ſi conſentire nequeant, ij, qui in proximâ agri parte iudicia regunt, eiuſdem tamen Selandiæ, in electionis ius ſuccedant: mortuo alius ſtatim in poteſtate ſurrogetur. Poſtremò, quod pulcherrimum decretorum eſt, & graviſſimis verbis conceptum, ſic ſcitum: *ut qui in iudicatu ſunt, quemadmodum in exordio muneris ſanctiſſimo iureiurando reip. ſe obligant, integrè ſe munus obituros, ius omnibus æqualiter ſine reſpectu perſonarum dicturos, iuſtitiam quantum in ſe ſit adminiſtraturos; ita munere decedentes ſimiliter pulcherrimum iuſiurandum iurent, nihil ſe eorum, quæ iſtuc pertinerent, ſcientes & volentes omiſiſſe, fidémque in omnibus intemeratam reip. præſtitiſſe.* Hac duplici religione conſcientiis judicum obligatis, qui vivum eſſe jus debent, caſtius eos in officio verſaturos inter tot illecebras à recto abducentes arbitrabantur. His adjecta de vectigalibus fuerunt: *ne Friſius in Friſiâ vectigal pendat: olim definitus vectigalis modus, Imperio aut Imperatori ſolvendus, ſine variatione maneat.* Edita hæc, & ſignata die XIIII Calend. Septemb. ſigillis publicis X. Sic pacatè Groningâ tum diſceſſum, & quod moris priùs fuerat de conventu ordinum iſtius viciniæ in civitate, id legis jam factum. Eodem quoque anno, graſſante per univerſam oram maritimam fœdiſſimâ peſte, pons ſublicius EMDÆ rivo majori, cui Delfæ nomen, primùm impoſitus fuit, quo Franciſcanæ familiæ cœnobium, quod niſi navigio iſtinc adiri priùs non poterat, oppidulo connectebatur.Additusque murus cum anguſtis & humilibus portis duabus; quo aditus ad pontem præcingebatur è regione cœnobii: Ea tum iſtâ parte mœnia nova erant, quæ ad noſtram uſque memoriam, quanquam ſine uſu, perdurarunt. Sed munitiones primæ hujus oppidi quando cœperint, dictu non eſt facile: fuiſſe quidem antè id tempus, & quidem multò antè fuiſſe, non eſt dubium, quanquam & tenues & peranguſtas: Quippè, quæ à Delfâ ferè ad regionem arcis per vicum ſutorium pertinuêre. Quin imò mœnia aut domos primis quoque temporibus à ripâ ejuſdem rivi receſſiſſe modico ſpatio extra controverſiam eſt, vicique non maximi inſtar initia oppiduli in latere Amaſi fanum ac arcem versùs, ubi piſcatorum olim tuguria ſteterant, arcto ambitu hæſiſſe. Agger enim, qui tum rivum coercuit, cùm nullas adhuc cataractas Emda haberet, ab Amaſi littore Oſterhuſam uſque pertingens, cujus etiam nunc ex utroque rivi latere veſtigia conſpicua ſunt, ſitus illic quondam fuit, ubi jam nomen inde trahens vicus celebris extat. Tantula tunc Emda fuit, quæ nunc hos pauculos intra annos quibus hoſpitium Eccleſiæ præbuit, opibus, negotiationum magnitudine, pulchritudine ædificiorum, hominum frequentia & cultu ita crevit, ut in fortunatiſſimis, quæ ſunt ad mare Oceanum, urbibus cenſeri queat. Verùm eo tempore, quo pons ſublicius inſtitutus fuit, jam emergere dudum inter loca vicina cœperat, ac formam nomenque oppidi complures per annos tenuerat, jus quoque & uſum cudendæ monetæ jam indè ab anno æræ Chriſtianæ M.CC.XXXIIII, ut ex iis, quæ ad eum annum recitata ſunt, cognoſcere licet, habuerat: ipſique oppidani, relictis paulatim operibus ruſticis negotiandi

ſtudio

ſtudio ſeſe tradiderant illecti commoditate portus ac fluminis, artificiaque omnis generis quæſtus causâ, uti in oppidis mos eſt, frequentes exercebant, commercia rerum ejuſmodi cum vicinis in agro præcipua ac plurima habebant, denique emporij qualiſcunque vice Amaſanis ac cæteris in eo tractu oppidum id jam eſſe videbatur, non ſine æmulatione duorum vicorum inſignium haud longè iſtinc diſtantium, Oſterhuſæ & Larleti: quorum alter in Septentrionem, alter ad occaſum pari fere ſpatio ab eo recedunt, & hic quidem ad Amaſi oram, ſitu ad navigationes non inidoneo, ille interiùs in agro. Conſulum tamen & Senatus iſtic nulla adhuc ad id tempus in monumentis litterarum, quæ mihi viſa ſunt hactenus, mentio. Sed rectores viri nobiles loco præerant, quibus domicilium in arce erat oppidulo connexâ: quorum indulgentiâ & ſtudio creditur factum, ut non parum emergenti ejus fortunæ ſit adjectum. Hi erant eo ſæculo nepotes pronepoteſque Wiardi illius, quem antè inter nomothetas Amaſanos retuli. Huic nomen Præfecti Emdani vulgò datum, nullâ aliâ in parte hujus oræ per Friſiam tum uſitatum: quo magiſtratus oppidani poteſtatem eſſe ſignificatam, eandemque hanc à populo ſimul & nobilibus in unum aliquem collatam exiſtimo. Eo natus Luverdus circiter annum M.CCC.LVIII grandi ætate è vitâ decedens filios Fridericum, Wiardum, Luverdum, Emconem, Camponem reliquit, ex duabus ſuſceptos conjugibus. Quorum primus Præpoſiti, alter Wiardus Præfecti nomen & honorem tenuere. Campo, ætatis beneficio, qui minimus inter fratres erat, jure patrio in parentis locum præ cæteris in imperio prætorio ſucceſſit, rectorque oppidi dictus fuit. Fratres & agnati honoris titulum eundem, rem non item, more gentis ferebant. In ſacris poteſtatem maximam is, qui dicebatur Præpoſitus, uſurpabat; eumque ſequebantur Decanus & vicedecanus, tum reliquis ſacerdotum ordo. Sed præter Emdenſes, quos jam dixi, & Edonem Ruſtrum, ſupra reliquas familias nobiles, quarum annales meminerunt, in Ciſamaſanâ ſe extulêre Idſingij apud Nordanos, Sircſenij (ſic enim à pleriſque nominari eos video, neſcio quàm rectè) Greetſilæ, Allenij Oſterhuſæ, Beningij Grimerſhemi & Grothuſæ, in Harlingiâ Cankenij, Larletani & Valderani Emdanis vicini, & his omnibus potentiores Brokij, quibus Broecmeria ſedes hoc cognomen dedit. Hujus porrò familiæ Keno tum princeps fuit, paulò antè mihi nominatus, grandi natu, Kenonis illius, qui ad annum Chriſti M.CCC conſulatum Nordæ geſſerat, ex Hilmaro filio, niſi me animus fallit, nepos. Is Oldeburgi in Broecmeriâ, in arce benè munitâ, ſedem habens non Broecmeriam ſolùm omnem ac Auricanum agrum ditione, qualis in liberâ gente eſſe poterat, comprehenderat, ſed amplas etiam opes per Amaſanam poſſidebat, ſeque Brokiæ, Marienhovæ, Aurichovæ Rectorem vocitabat. Duo ei filii erant, cum totidem filiabus, qui jam tum vivo adhuc patre omnium in ſe oculos ac mentes converterant, Occo & Imelo. Quorum hic natu minor, qui commune cum patre domicilium in arce Oldeburgicâ multo tempore habuerat, cùm fortè ab equo ferociente excuſſus in terram gravi ruinâ concidiſſet, antè patrem deceſſit anno Domini M. CCC. LXXII, die x Calend. Iulii, relictâ unicâ tantùm M. CCC.
hærede filiâ, Addâ, Folcmari Allenij Oſterhuſani uxore. Quæ res magnarum LXXII.
turbarum, de quibus poſtea dicetur, fons fuit. Eodem verò etiam anno Idſingiæ familiæ princeps Euvenardus Nordanus trucidatus eſt. Cædes autem ubi, & à quibus patrata ſit, annales non dicunt. Sed à Wimodiis, qui ultra Viſurgim flumen ſunt, facinus concinnatum, vero ſimillimum eſt: idque annalium verba indicare videntur. Nec aliam ob cauſam conflatum bellum illud reor in eoſdem Wimodios, quod proximo anno Keno, licet feſſus ætate ſenex, & Vlricus Sircſenius Greetſilanus Edſardi filius confœderati Idſingiorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

iis intulerunt,non ſatis proſpero eventu. Nam cæſo in acie Vlrico,multiſque in pugnâ cadentibus,pluribus etiam ex Broecmeriorum cohorte captis,ipſe Keno
M.CCC. cum reliquiis vix incolumis feſſo corpore evaſit. Verùm cùm victi bellum ma-
LXXIII. jore apparatu inſtaurarent duce Occone Kenonis filio,victores ſponte de pace agere cœperunt. Pax cõfecta per arbitros,his conditionibus:ut ab armis utrimque diſcederetur: captivi reſtituerentur: ſocietas in poſterum eſſet. De cæde quoq; Ewenardi pactionibus res tranſacta,quæ cauſa belli fuerat. Eâ pace conſtitutâ, ad VII Idus Octob. ſecutum eſt ingens, & quantum illa ætas non meminerat,diluvium,quod univerſam hanc Friſiæ oram exterruit,magnæque calamitati incolis fuit. Nam Weſtelam vicum nobilem, loco ubere duobus ferè paſſuum millibus in meridiem ab oppido Nordâ ſitum, atque ad orientem ſolem Oſtelam intuentem,univerſum brevi momento tantâ aquarum vi obruit, ut ſtratis disjectiſque cum templo ædificiis omnibus,ſolo quoque ipſo magnam partem convulſo, jumenta hominesque abſorberentur:magno ſanè documento, mortalibus fortunam divinitùs conceſſam reverenter eſſe habendam. Nam eo in vico, ut à majoribus traditum eſt, divitiæ luxuriam, luxuria petulantiam & contemptum numinis pepererant: Feruntur portenta multa cladi præmiſſa, quibus moniti incolæ ſunt, ut ab exitio ſibi metuerent, panes in lapidem duratos,piſces vivos in clibano ignito,attonitis omnibus qui aderant, eſſe viſos: ſed vitiis induratos animos molleſcere non potuiſſe. Superſtitio miraculum quoq; affinxit, ſigna ſacrata cum templi cuſtode locuta, juſſiſſe Nordam ſe portari, eumque cuſtodem ſolum cum Ludgeri ſimulachro è clade evaſiſſe. Solum ejus vici habitari ab eo tempore non potuit, quanquam reliquiæ ſoli etiam nunc oſtentui ſint cum rudere, aquis circumfluæ,non procul ab aggere. Tum verò aggeribus toto eo tractu fluctuum rabie penitùs disjectis, & quæ propè continuæ proximis aliquot annis ſecutæ ſunt,quarum etiam in Metropoli Crantzius meminit,tempeſtatibus inſtaurationem impedientibus, diu pulcherrimus ager ſine cultu humano ac fructu vaſtus jacuit, cùm quotidianus in eum æſtus immitteretur: pars etiam aſſiduo aquarum influxu velut in ſinum maris verſa ad ipſam uſque Marienhavam navibus curſum aperuit. Vnde loco illi nomen datum pleriq; autumant, velut ſi Mariæ portum dicas: ſed errore manifeſto, cùm nomen id aulam hortúmve ejuſdem divæ ſignificet. Et in hoc tempus incidit id, quod de Diepholdio Comite idem Crantzius refert, inimicitias exercuiſſe cum Conrado Oldenburgico; ſocium habuiſſe Decanum Bremenſem: Hos juncto conſilio & operâ cum cohorte armatâ celeriter accurrentes per noctis tenebras Oldenburgum invaſiſſe; ſuperatiſque mœnibus penetraſſe in intima oppidi,ſed concurſu oppidanorum,quos ſonus nolarum exciverat, repreſſos, &
M.CCC. magnam partem cum Decano captos ludibrio hoſti fuiſſe. Trienniò dein pòſt
LXXVI. diluvium Dionyſianum(ſic enim nuncupatum eſt,quòd in eum diem,qui Dionyſio Areopagitæ ſacer habetur,inciderit)cùm Edo Ruſtrus in Bremenſium,ut fertur,gratiam Hollandos navigantes infeſtaret, Keno ſenio confectus, quarto pòſt filium Imelonem anno Oldeburgi ſuâ in arce diem obiit. Quanquam ſint, qui aliter de morte ejus exiſtiment, ac proximo anno, qui fuit M.CCC.LXXVII, cum Remboldo Elenga, Boijone Martena Nordæ per inſidias interfectum eſſe in arce Idſingiorum arbitrentur, errore nominis ejuſdem haud dubiè decepti. Nam hunc Kenonem à ſeniore diverſum fuiſſe, eâdem tamen familiâ ortum, tam certæ rationes evincunt,ut mihi id extra dubium ſit. Et per omnes quidem hos annos XL graviſſimo bello inter Anglos & familiam Valeſiam de regno Gallico eſt concertatum,quod ex fælice,& opibus,honoribus,viris florente Galliâ fecit miſerrimam: nec etiam eo adhuc tempore, de quo jam poſtremum ſcribo, finem invenit.

RERVM

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XV.

MORTVO Kenone, in quem omnes, dum viveret, ceu pacis belliq́ue arbitrum reſpiciebant in Ciſamaſanâ Friſiâ, haud parvi ſunt rerum motus ſtatim conſecuti. Aberat tum rurſum filius ejus Occo peregrinis hauriendis moribus & diſciplinæ militari percipiendæ peregrè profectus. Id namque exiſtimationem ac famam ſibi additurum, & viam patefacturum ad res majores, quas jam tum animo conceperat, elati ingenii juvenis arbitrabatur. Itaque, rebus Germaniæ dudum cognitis, in Italiam ſe contulerat, in qua tum per Campaniam, Samnium, Lucaniam, Brutios, Apuliam, Calabriam, reliquamq́ue magnam Græciam Ioanna I, fœmina inſolens & procax, Roberti regis è filio neptis, multos jam annos regnabat. In hujus reginæ, cui continua ferè cum Gallis & Vngaris bella erant, ſtipendia militaria primùm authoratus Occo, deinde, cùm fortiter ſe geſſiſſet, in aulæ etiam miniſterium aſſcriptus in nonnullo honore habebatur. Et quoniam juſto & decoro corpore conſpicuus antè omnes erat, animoque corporis dotibus haud impare, facilè ut oculos omnium in ſe verteret, non abſimile vero eſt, quod quidam tradunt, reginæ quoque animum procacem, ac libidinum famâ celebrem, quæ maritos & concubinos in annos & menſes mutabat, ſpecie ſuâ commoviſſe. Ibi de patris obitu certior factus à ſororibus Elborga & Doda (hæ in matrimonio Haronis Aijoldi Valderani, & Edſardi Sircſenii Greetſilani erant) ac de omni ſtatu patriæ per litteras edoctus, ſimulq́ue rogatus, ut reditum accelerarет, vix tandem impetrato à reginâ commeatu, atque equeſtri dignitate meritorum causâ, quod ambitioni ejus conveniens inſtrumentum erat, acceptâ, in patriam rediit. Sunt qui memorent, cùm reditum ſuum poſt primum nuncium à reginâ impensè retentus diſtuliſſet, ipſas ſorores germanas ſtudio fratris, quem unicè complectebantur, mutato habitu Neapolim petiiſſe, præſenteſq́ue tum fratrem ad reditum extimulaſſe, tum à reginâ etiam, quæ videre eas deſiderarat, commento ſponſionis conjugalis antè abitum in patriâ à fratre initæ, dimiſſionem faciliorem impetraſſe: numos quoque à reginâ deſiderio Occonis cudi tum cœptos, quibus nomen ex eo inditum. Quæ ego ut damnare falſi ſimpliciter nolim, ita temerè credere omnia ſanè non auſim. Friſiam verò ubi redux attigit, magnâ gratulatione à propinquis amiciſq́ue initiò exceptus, nec ſine admiratione à populo conſpectus eſt. Verùm cùm novum decus nimis oſtentaret, ac peregrino faſtu patrios mores ſpernere & damnare videretur, haud parvum gratiæ naufragium fecit. Dein cùm & inſolentiùs ſe ferre ſupra cæteros, & iniquior quoque in ſuos eſſe inciperet, magis à ſe animos hominum avertit. Primum operum ejus bellum Wimodicum fuit. Nam cùm à morte Kenonis patris Wimodij ſe denuò commoviſſent, initâ belli ſocietate cum Chriſtiano Oldenburgico Comite, junctiſq́ue cum eo copiis, parandæ gloriæ causâ ad medium menſis Iunii anno Chriſti M.CCC.LXXVII in eos duxit, uſuſq́ue fortunâ eſt mirè proſperâ. Nam cæſis primùm hoſtibus ad quadringentos, M.CCC. LXXVII.

 non

non multo deinde labore agrum omnem in poteſtatem redegit. Reverſum ad ſuos Occonem victorem Folcmarus Oſterhuſanus adiit, de hæreditate uxoris, quæ integra hactenus apud patruum remanſerat, cum eo acturus. Is verò Italicâ imbutus diſciplinâ, quanquam jam tum ſecum haberet conſtitutum, nolle quicquam Folcmaro concedere, dimidioque opum, qui majoribus quoque inhiaret, ſemet exuere, tamen ne quid offenderet in principio, perbenignis verbis ſpem ejus aluit: rem tantùm differri in tempus aliud petiit. Et feruntur hunc animum ipſius duæ ſorores ambitioſis fœminæ ingeniis, etiam incendiſſe, quæ modò fratrem auctum honore & fortunâ poſſent cernere, de nepte nihil penſi habebant. Annotatum in annalibus eſt, eodem illo anno, ad diem VIII Calend. Auguſti, Kenonem Kenonium, Remboldum Elengam, & Boijonem Martenam, viros nobiles, Nordæ in Izingiorum arce, quæ in vico Lintelâ erat, intempeſtâ nocte eſſe interfectos. Sed quis autor, quæ ratio cædis fuerit, non additur. Adeò parci ſunt annales in iis explicandis, quæ maximè ad hiſtoriam pertinebant. Ego exiſtimo à Iadæ & Viſurgis accolis paratas inſidias, & facinus commiſſum. Cujus vindicandi cauſa Occo denuò Chriſtiano Oldenburgico ſociatus arma in illos vertit, duabuſque nobilium arcibus captis præſidium impoſuit ad agrum omnem in obſequio continendum. Verùm vixdum hi exercitum victorem reduxerant, cùm iidem illi reparatis viribus, & auxiliis vicinorum accitis, & arces receperunt vi expugnatas, & præſidium omne, in quo Broecmerij, Nordani, Amaſani erant ſtipendia merentes, interemerunt. Mox ſecutum diluvium aliud, haud paulò pernitioſius ſuperiore, ad XVII Calend. Decemb. quo magnis detrimentis omnis ora Friſiæ rurſum affecta; Hollandia etiam ac Selandia afflictæ graviter; in Flandriâ ad XXX fana cum vicis abſorpta; In agro Nordano agger, qui Bergumum & Luteſburgum præcingit, paſſim diſiectus, gurgiteſque illic vi fluctuum in terram depreſſi; fluctus in muros cœnobii Dominicani apud Nordanos impacti; multum hominum pecorumque paſſim enectum.

M. CCC. LXXVIII

Anno huic proximo M. CCC. LXXVIII Folcmarus & Occo, quorum amplæ erant per Amaſanam poſſeſſiones, inter amicos & inimicos medij, juvante Harone Valderano, & Luverdo Weſterhuſano, collatis operis, cœnobium Dichuſanum in agro Viſquerdano inſtituerunt dicatum memoriæ ac honori Margaretæ, virginibus è Reidano collegio, quod trans Amaſum eſt, iſtuc traductis. His verò virginibus tabulas ſignatas dederunt, quibus ſuâ in tutelâ ſe collegium contra vim eſſe habituros profitebantur: Idque ratum eſſe juſſit epiſcopus Monaſterienſis Florentius. Præſes prima collegio data fuit Hintana virgo, ſoror Foelquæ, quæ in matrimonio erat Occonis. Atque idem Occo eodem illo anno die XIII Calend. Iunii in Ilenſi fano, quod cœnobium in agro Auricano eſt, ordinis Bernardini, ad fani ipſius aram jusjurandum dedit, cœnobium id cum Merhuſiis, coloniâ Ilenſium, cōtra omnes omnium injurias, quantum poſſet, ſe eſſe defenſurum: & jurisjurandi formulam idiomate Friſico vetere ſcriptam aræ impoſuit: quæ etiam nunc ſupereſt. Interim reſurgere paſſim factiones inteſtinæ in omni Friſiâ: in Fivelingiis autem, & Huneſgoniis audaciùs quoque ad initium anni hujus ejuſdem prorumpere, ac pugnas, rapinas, incendia dare. Quarum autores ex nobilitate homines ambitioſi, & inquieti, & monaſticarum familiarum otio & opibus luxuriantes antiſtites: qui eò licentiæ & ferociæ jam proceſſerant, ut magiſtratuum imperio coërceri ampliùs non poſſent. Quâ neceſſitate adacti, qui in judicatu, aut aliâ poteſtate publicâ erant per Huneſgoniam, ut autoritatem fulcirent ſuam, & mala à rep. averterent, fœdus cum vicinis Groninganis ſeorſim percuſſerunt. In eo præcipuum caput fuit, *factionum compreſſio: quarum causâ ſi quis domo exiret, arma caperet, factioſis ſe iungeret, prælio ſe miſceret in Huneſgoniis, læſæ Reip. reus eſſet, mulctam gravem centum marcas monetæ Groninganæ penderet: contumacis aut profugi bona publico addicerentur: huius omnis pecunia*

cuniæ medictas civitati ſociæ cederet. Magiſtratus Huneſgonii ſi auxilio uti ſociorum oppidanorum vellent in contumaces, obſides iis darent quaternos è ſingulis præfecturis, arbitrio ſociorum eorundem lectos, non ſolùm fidei pignora, ſed etiam ſarciendorum detrimentorum, ſi quà in expeditione à ſociis cæde hominũ, aut rerum iacturâ acciperentur: Præfectura præfecturam in eâdem Huneſgoniâ ſi poſceret, cognitio eius, ac iudiciũ civitatis eſſet: huius ſententiam in damnatos cæteri exequerentur, obſidéſque fidei ſibi quoque mutuò darent: alioqui ſuis ſumtibus & periculo rem gererent. Ad hæc cautum, *itinera ab Huneſgoniis præſtarentur tuta per agrum ſuum: amicitia arctior ſociis eſſet: pacta priorũ temporum rata manerent: hæc euſque valerẽt, quoad eſſet iis ſolenniter renunciatum, annóque integro poſt renuntiationem proximè ſecuturo.* Huic fœderi ſtatim ſubſcripſère, qui Adoardianis parent, ipſumq; collegium monaſticum Adoardianum. Et poſt ſemeſtre Hummerzii quoque acceſsere, ad occidentem cis Lavicam ultimi, Huneſgoniis confines. Sed Hummerzio fœderi expreſſim aſſcriptum, *ut ſi res poſceret ad coërcendos contumaces ac ſeditioſos, oppidani Hummerziis magiſtratibus auxilio mitterent armatos homines centum impendiis ſuis. Hummerzii viciſſim oppidanis præſtò eſſent cis Huneſum amnem in agro Medachio cum decuriis ſex, trans Huneſum verò in Huneſgoniis orientalibus cum numero omnium ſuorum iudicum dimidio, biniſque cum vnoquoque iudice armatis, ſumptu itidem ſuo: Vtroque in caſu, ſeu ferrent opem, ſeu poſcerent, iidem Hummerzii obſides darent quatuor cariſſimos quoſque: pacem & amicitiam cum Huneſgoniis colerent.* Hoc modo rurſum quieti illarum regionum ad tempus conſultum. At circa Amaſum jam magis & magis labare illa qualiſcunque concordia ac pax publica incipiebat, eâdem, de quâ dixi priùs, ambitione, violentiſque conſiliis Occonis. Is enim non ſuopte ſolùm ingenio elatus, ac imperii avidus, ſed à ſimillimæ quoque indolis conjuge Foelquâ, ferociſſimâ fœminâ, aſſiduò incitatus haud facilè intra metas ſe continebat. Itaque non contentus ea fortunâ ac opibus, quas per magnas à parentibus relictas acceperat, plura ſibi indies parare jure aut injuriâ, altiùſque conſcendere ſummo ſtudio nitebatur, maximeque in Amaſanam, regionem uberrimam, longiùs iniicere manum quocunque colore cœptabat. Erant verò tum illic antè cæteros conſpicui, & opibus florentes viri nobiles, Geroldus Beninga Luverdi filius, quatuor Amaſani agri vicis Grimerſhemo, Wirdumo, Ienleto, Compæ imperitans, antiquiſſimo inter vicinos ſtemmate ortus, Folcmarus Oſterhuſanus, perarctâ, ut oſtendi, affinitate Occoni junctus, Campo Emdanus, fratribus quatuor defunctis nunc ſolus ſuperſtes, libro priore nobis memoratus, Reduardus item & Haitetus Grothuſani, Enno & Haitetus Haiteti filii Larletani. Ex his Folcmarum vanis promiſſis lactatum hactenus eludere, & reiicere jam liberiùs, Geroldo litem movere, & poſſeſſiones turbare, Emdano ob oppidi iſtius ad paranda majora oportunitates inſignes, quas animadvertebat, inſidias tendere, atque ita omnibus his tribus (nam cæteros tum quidem non tentabat) ſimul dum imminet, omnium in ſe indignationem eodem quoque tempore vertit. Itaque fœdere inter hos percuſſo in communem inimicum, pluribuſque adſcitis ſociis bellum inchoatum eſt, & acerbis animis aliquandiu geſtum. In eo bello Occo duorum ſororiorum Greetſilani & Valderani auxilio fretus cùm in Amaſanam penetraſſet cum exercitu, multaque M.CCC.LXXIX. detrimenta Geroldo, hominibuſque ejus in itinere intuliſſet, propè Lopperſhemum in copias hoſtiles incidit. In quas cùm alacriter & magnâ vi ſe inciaſſet, eo eventu pugnavit, ut Camponem Emdenſem agminis adverſi ductorem cum XC ſociis in acie aut fugâ occideret, reliqui tergis verſis vix incolumes evaderent: inter quos an Folcmarus ipſe quoque fuerit, ſcriptores non edunt. Victor populationibus fædato vicino agro Folcmari & ſociorum, ac munitionibus quoque nonnullis Suderhuſæ, Lopperſhemi, Sircwerumi, Canhuſii repentè occupatis, deſperatâ Oſterhuſanæ arcis, & oppidi Emdani expugnatione, cùm quòd in proximo eſſet hyems illis locis ad bellum

gerendum valdè incommoda, tùm quòd Oceanus menſe Octobri exundans cuncta in agro impedita feciſſet, præſidio captis in locis relicto, cum cæteris ſuis prædâ onuſtis in Broecmeriam redijt. Eo digreſſo, & aquis rurſum ſubſidentibus, fœderati Haronem Valderanum vicinum ſuum infeſtare ſtatim cœperunt, actumque de fortunis hujus fuiſſet, niſi communes amici maturè ſe interpoſuiſſent: Quorum operâ effectum, ut avertendæ imminentis cladis gratiâ, Folcmari filius Aijoldus Occam Haronis filiam conjugem duceret, atque ita, inductâ injuriarum memoriâ, fœdus impoſterum, ſicut antè fuerat, & concordia utrique familiæ perpetua eſſet. Factum hoc eodem, quo pugnatum fuit ad Lopperſhemum, anno M.CCC.LXXIX, ad diem III Nonarum Decembris. De Occone autem, utrum cautum aliquid eâ in tranſactione ſit, mihi ſanè non eſt liquidum: quanquam Egericum Grimeſhemium dicere videam, ſtatim ab hiſce nuptiis confectis, Folcmarum ab Occone fortunis exutum, aut metu virium ejús perterritum, relicto Oſterhuſæ præſidio, in exilium ad Friſios Occidentales abiiſſe. Cujus ſententiam in hac re ſequi temerè non audeo. Inducias verò interceſſione Haronis & aliorum conciliatas inter utrumque, per quas de tranſactione integrâ poſſet agi, credo: quæ deinceps prorogatæ tandem in graviſſimas turbas deſiêre. Cum Geroldo certè, quod tabularum monumenta teſtantur, per colloquia amicorum, eodem illo tempore Occoni pax compoſita. De Emdenſibus æquè incerta res, an cum Folcmaro induciis ſint aſſcripti, an, quòd conditionibus nonnullis aſſentiri nollent, præteriti. Pax quidem neutrâ cum parte his diuturna fuit, ut ea, quæ ſequentur, declarabunt. Atque his belli malis haud levibus diluvium id, quod dixi, ingens acceſſit ad diem VI Iduum
M.CCC. LXXX. Octob. Anno proximo M.CCC.LXXX in Ruſtria trans Iadam tumultus fuere. Erat iis locis è nobilitate quidam Hayo cognomento Huſechus autoritate & opibus inter ſuos valens, apud Eſenſhamios, non procul Hota amne Butiadas à Stadlandis ſeparante, domicilii ſedem tenens. Is jamdudum Bremenſibus infeſtus, multaque per viciniam illam intra extraque flumen Iadam ſeu libertatis tuendæ ſtudio, ſeu ut ſibi opes acquireret, tumultuoſiùs agens, & Bremenſium arma, & Edonis Ruſtri Wijmconis nepotis, de quo dictum priùs eſt, cujus ſororem è matrimonio ſuo expulerat, indignationem in ſe irritavit. Bello igitur decreto, quod prætextu direptarum navium in ſervitutem Ruſtrorum parabatur, Bremenſes Edonem infenſiſſimum Hayoni ob repudium ſororis, ac incrementis ejus ægreſcentem, alioſque præterea nobiles Friſios in belli ejus ſocietatem adſcivêre, obſideſque fidei in bello ſervandæ eos poſtulavêre. Quos cùm illi dediſſent, arma Hayoni intulerunt. Hayo, qui templa quædam ejus oræ vallo præſidioque munierat, cùm viribus par illis non eſſet, cum validâ manu in arcem ſuam, cui maximè fidebat, ſe receperat. Sed præſidiis templorum expugnatis, atque in arcem omni vi hoſtili conversâ, cùm tueri ſe diutiùs non poſſet, in Bremenſium poteſtatem venit. Illi ex pacto Edoni poſcenti eum tradiderunt ex libidine illius miſerrimo ſupplicio afficiendum. Edo cùm eum accepiſſet, vt odio ſuo ſatisfaceret, dicitur diuturnâ torturâ cruciatum, novo & exquiſito ad dolorem ſupplicii genere, fune canabeo tandem medium diſſecuiſſe. Bello confecto, redditiſq; obſidibus, Bremenſes Eſenſhamum, & quicquid antè hoc bellum Hayo tenuerat, id omne, Lubboni Tranſiadano Siberti filio, Lubbonis nepoti, cujus per Stadlandiam vicinam etiam nonnullæ opes erant, quoque etiam belli ſocio præcipuo ac fideli fuerant uſi, beneficio ſuo poſſidendum tradiderunt. Oſterhuſanus interea omnem movebat lapidem, vt aliquid ſaltem æqui ſuâ in re ab Occone impetraret. Verùm in animo hujus poſt prioris belli eventum, cùm fortunæ ſucceſſu tantoperè ambitio ac ferocia creverat, ut neminem jam penè à ſe jure aliquid petentem ferre poſſet. Ea vitia invidiam majorem, & commune propè odium ei pepererunt. Quæ ne quando tempeſtatem in ſe cierent improviſam, cui ſuſtinendæ ſuis ipſe viribus par non

M.CCC. LXXXI.

non eſſet ad nova conſilia, & multis tum ſæculis apud Friſios inaudita deſcendit. In Hollandiam namque profectus per menſem Martium anni M. C C C. L X X X I, domi, ut poterat, rebus conſtitutis, diſſimulatoque, quod coquebat, conſilio, ſua, qua per Friſiam jure aut injuria poſſidebat, omnia Alberto Bavaro Hollandiæ Comiti, qui Guilhelmo furioſo fratri ſucceſſerat, principi proferendi imperij avidiſſimo, ſponte tradidit: ſed eâ id lege, ut eadem iſta utenda fruenda ipſe beneficio Alberti retineret, eoque nomine dominum & patronum Albertum, cæteroſque ab eo Hollandiæ Comites cum poſteris ſuis agnoſceret, & coleret: illi patrocinium & opem cùm opus eſſet, his viciſſim præſtarent. Ita factus alterius eſt cliens, qui ſi æquam pati libertatem, & juri dare locum dare ſciviſſet, honoratiſſimus & fæliciſſimus inter ſuos, in populo nimirum libero, ac fælice ipſe liber, ac ſui juris, & nobilitatis patriæ facile princeps eſſe potuiſſet. Sed in his, quæ tradita Alberto tum ſunt ab Occone, hæc nominatim fuerunt expreſſa: ager Broecmerius omnis & Auricanus, arces Olderſhemiæ duæ, itemque Suderhuſana, Lopperſhemia, Sircwerumana, Canhuſina, cum univerſo arcibus annexo jure: fanumque illud famoſum & turris apud Mariæhavanos. Factum Hagæ in Hollandiâ ad initium menſis Aprilis. Hoc ubi Weſtergois, Oſtergois, Sylveſtribus periculo in Hollandi proximis innotuit, (quid enim occultum in civili diſſenſione?) ſoliciti de ſtatu & libertate ſuâ, ſi ingrueret vis Hollandica, quod optimum factu in hoc diſcrimine rebantur, cum Groninganis de ineundo fœdere arctiore pro defenſione communis patriæ & libertatis egerunt. Videbant enim civitatem validam opibus & viris, & magnis operibus munitam, & apparatu bellico præ cæteris in Friſiâ oppidis inſtructam probè; quæ cuncta magno ſibi uſui futura contra hoſtem, & ſi prælii aliqua calamitas accideret non alium ſe tutiorem receptum non aliud firmius præſidium, quàm hanc civitatem habere in universa Friſia poſſe arbitrabantur. Adhæc metuebant, ſi ipſi fœdere civitatem non implicarent, facilè poſſe fieri, ut Bavarus vafer & rerum peritus princeps, cui jam antè amicitia cum eâ ipsâ conſtabat ex beneficio ut eſt antè demonſtratum, bonis conditionibus ineſcatam cum ſummo totius Friſiæ detrimento ad ſe taaduceret. Quid enim obſiſtere potenti principi poſſet Groningam tenenti, quo minùs vicinum agrum & cæteras omnes Friſiæ regiones ſub jugum traheret? Nec ſolùm à Bavaro hunc metum habebant, ſed etiam à præſule Vltrajectino Florentio, quo minùs propitio tum fortè propter Stellenwerfios utebantur, homine haudquaquam inerte. Sed maximè tamen Bavarum formidabant ob opes, (Hannoniam enim Selandiam, Hollandiam & cætera in Flevum uſq; tenebat) & obligatum ipſi Broecmerium hominem potentem inter ſuos, acrem, ambitioſum, rei gerendæ gnarum, per quem intelligebant diſtrahere eum gentem in factiones & inteſtinis armis committere poſſe. Cujus mali jam tunc ſcintillæ in ortu. Quippè præter Occoniana cis Amaſum, nonnulli quoque in occiduis partibus inter ipſos, ſed timidiùs, plures verò in Huneſgoniis & Fivelgoniis liberiùs ac apertiùs factionum ſtudio & Hollandicâ ſocietate titillari ſe demonſtrabant. Groningani cognitâ eorum voluntate etſi in omnem partem rationibus impellerentur, tamen libertati quoque ſuæ, quâ pretioſius nihil habere ſe ſtatuebant, à Bavaro metuentes, ſi ad eum inclinarent, & Vltrajectini etiam conſilia ſuſpecta habentes, deindè pulcherrimum judicantes vicinorum quoque gentilium ſuorum libertatem tam illuſtrem, tam vetuſtam ſuâ virtute, ſuis facultatibus tueri, & periculo pro ſociis ſuſcepto, ac eorum ſalute defensâ & gratiam & bonum nomen mereri. & ſimul fortunam ſuam, quæ cum fortunâ ſociorum cohæreret, tutiore collocare loco, die demum x Calend. Octobr. ad feriendum fœdus conſenſerunt. Cujus fœderis tabulæ mihi viſæ & lectæ etiam nunc in archivis civitatis cuſtodiuntur. Ejus capita fuerunt: *Groningani fideles ſocij eſſent Oſtergois, Weſtergois, & cæteris Friſijs omnibus, ac ſocietatem hanc fortunis &*

corporibus ſuis tuerentur, adeóque vitam pro eâ tuendâ, ſi neceſſe eſſet, impenderent: libertâtem primùm ipſi ſuam & oppidum, deinde agrum libertatémque ſociorum pro virium modo contra peregrinos principes, aut factioſos viros nobiles defenderent: ſi qua clades ſocijs accideret in conflictu, confugientibus ad ſe in periculo portas ſuas aperirent, & præſidio eſſent: principes factionum quaruncumque in Huneſgonijs & Fivelgonijs huic fœderi aſſentiri non volentes, & à concordiâ alienos, velut ſeditioſos coërcerent. Huic fœderis formulæ aliæ quoque pactorum tabulæ additæ ſunt eodem die, & utrâque à parte ſigillis ſignatæ, quibus perſcriptum de actionis modo, ſi Groninganus ſocium, Groninganum ſocius poſtularet, ad fovendam concordiam accommodato: de criminum ac iniuriarum mulctis: de ſpolijs, & ſpoliatis reſtituendis in integrum auxilio iudicum: de concilio ſociorum omnium quotannis Groningæ habendo ad octavum diem à Pentecoſtes conſultandi causâ de rebus communibus, avertendíſque aut corrigendis, ſi quæ exiſterent, quæ concordiam ſcindere poſſent: denique repetitum etiam hîc pactum de libertate patriæ utrimque ſummis viribus ſummâ fide defendendâ. Fœderi feriundo adfuerunt omnium ordinum ſocii initiatorum, & civi-
M.CCC. lium. Anno poſtero M.CCC.LXXXII iidem ſocii, adſcitis etiam nominatim in
LXXXII. eandem ſocietatem Huneſgoniis, Fivelingiis, & cæteris, qui inter Lavicam & Amaſum ſunt, idem fœdus ampliatum & novis cõditionibus auctum, in ſeptennium, & pluribus celebratum ceremoniis eodem in oppido denuò ex curiâ promulgarunt die III Iduum Novemb. quem Martino Turonenſi ſacrum majores colebant. Ita venientibus malis denuò occurſum, & Bavarus occaſionem aucupans in propoſito tardatus, aliòque vertere curas compulſus. Præterea in Friſiâ eo biennio memorabile nihil geſtum: niſi quid Ditmarſi anno priore Holſatiam invadentes, abactâ ingenti prædâ, cum Nicolao Comite incertâ victoriâ dimicarint; altero verò anno vetuſto in annali notatum legam, ter-
M.CCC. tium conventum provincialem à Dominicanis antiſtitibus Nordæ eſſe actum,
LXXXIII ad diem natalem Mariæ virginis, atq; apud Nordanos imperium tum habuiſſe Hilonem Attenam, & Luverdum Izingium, Occonem autem equitem eundem, quem dixi, apud Broecmerios & Auricanos gubernacula tenuiſſe. Et his armorum induciis ab Occonis ex Hollandiâ reditu de tollendâ inter ipſum & Folcmarum controverſiâ per amicos enixè rurſum eſt laboratum. Sed ab eo, qui Hollandico patrocinio fidebat, feroxque per ſe, & potentiæ atq; opum cupidus erat, æqui impetrari nil potuit. Quapropter nec tantam inſolentiam & injuriam diutiùs animo ferens Folcmarus, & fiduciâ fœderis ejus, de quo dixi, factus etiam paulò animoſior arma corripuit, adiutus ab Emdenſibus & amicis aliis, ut vi repeteret ab inimico, quod vi ab illo detinebatur. Verùm cùm ſemel atq; iterum adverſo Marte dimicaſſet minoribus præliis, & ab amicis pleriſque ſe deſeri hoſtilis potentiæ metu, & hoſtem peregrinis viribus augeri (venerant quippè jam à Bavaro quanquam tenuia adhuc auxilia, ſed quæ oſtenderent, majora, ſi res requireret, non defutura) & fœderatos, nihil movente contra eoſdem Bavaro, quieſcere cerneret, concidens rurſum animo iramque victoris metuens, tum demùm, ut poſteri ipſius prodiderunt, arcibus ſuis, quas Oſterhuſæ & Hintæ habebat, præſidio pro tempore munitis, atq; uxori commendatis, Groningam, atque inde porrò in Friſiam occiduam, quæ cis Flevum eſt, ſeſe cum paucis ſuorum contulit, ſive quòd auxiliorum ſpem ſequeretur apud homines Hollandis inimicos, ſive quòd exilium illic tolerare ad tempus, quàm contumelias aſperrimi hoſtis ferre meliùs arbitraretur, ſive etiam, quod vero maximè ſimile eſt, quòd ceſſione ſpontaneâ è patriâ leniturum ſe hoſtis animum eſſe, ne ad extrema progrederetur, conjugiq; ac liberis calamitate ſuâ placaturum ſperaret. Quod poſtremùm certè ſic etiam accidit. Nam miſertus Occo propinquæ ſuæ, mariti exilio ſatis ſuperque afflictæ, nihil in eam deinceps fecit aſperius, reſque exulis penè intactas reliquit. Cum Embdanis autem Folcmari ſociis, qui mœnibus ſuis confiſi reſiſtere audebant, belli tumultus cõtinuatus. Apud eos tum adoleſcebat acerrimi ingenii juvenis

Hiſco,

Hiſco, Camponis ad Lopperſhemum nuper cæſi ex fratre Luverdo natus, cui
Præpoſiti cognomen ex ſacerdotio fuit, itemque frater illius Wiardus, & ejuſ-
dem cum fratre nominis patruelis, Wiardo præfecto juniore genitus, qui omnes
ætate fervidi atque audaces cùm eſſent, facilè in bellum quoque cum vicino-
rum odio, tum ſpe rapinarum cæteros oppidanos impulerunt. Interea Broec-
merius, quanquam ab Emdanis adhuc contemnebatur, tamen Foclmaro jam
ejecto ex patriâ, quem potiſſimùm æmulum hactenus tulerat, cæteris verò oc-
ciſis aut compreſſis hoſtibus ſuis, eò jam conſcenderat, ut proximæ Ciſama-
ſanæ Friſiæ moderatorem ſe ferre, reliquoſque eorum locorum nobiles mul-
tùm infra ſe ducere inciperet. Quod tandem illi exitio maturo fuit. Quò magis
miror eſſe à quibuſdam notatum, Edonem Ruſtrum, Luverdum Izingium
Nordanum, Popconem Inemium Wangrum tutelam cœnobij Dichuſani,
quod in Amaſanâ eſt, eodem illo tempore eſſe profeſſos, Occonis nullâ factâ
mentione: præſertim cùm & fundator cœnobii præcipuus ipſe eſſet, & glos
ejus, quod dictum eſt priùs, collegio virginum præſideret. Quæ me rationes
movent, ut ex nomine ſimili errorem eſſe natum ſuſpicer, cùm vicus & fanum
in Oſtringiæ finibus adhuc extent, quæ patrocinio eorum oportuniora videri
poſſunt. Sed & eodem illo anno, qui fuit M.CCC.LXXXIII, Edo Ruſtrus, qui jam-
dudum inter primos inſtitutam motus arcem Ieveram tenebat, ut imperium in
vicinos ſibi firmaret, in Banthano Ruſtriæ vico, cujus vix exigua nunc veſtigia
inter fluctus Iadæ extant, arcem aliam quoq; excitavit, ac de patris ſui nomine
Sibetſburgum dixit. Sic compedes duæ illius oræ populo libero ab eo injectæ.
Biennio pòſt ad novos tumultus rurſum res ſpectare inter Amaſum & Lavi-
cam, cùm in Fivelingijs & Huneſgonijs factionum veneno imbuti, ambitioſi, M.CCC.
vindictæ cupidi quieſcere non poſſent. Eâ peſte nihil pervicacius in liberis po- LXXXV.
pulis, nihil perniciosius, nihil familiarius. Quam cùm incenderet quoque occul-
tè Bavarus ex viciniâ, deventum paulatim iſtuc, ut factioſi turbatâ pace inimi-
corum domos oppugnarent, validiores tormentis quoque maioribus & alijs M.CCC.
belli machinis concuterent, labefactataſque à fundamentis everterent, deniq; LXXXVI.
minuta bella inteſtina acerbis odijs gererent. Quâ re moti Groningani, qui
concordiæ cuſtodes ac vindices erant à ſocijs deſignati, monitis & minis auer-
tere eos à furore, cùm nihil proficerent, armorum terrore comprimere, tandem
eò perpellere, ut promitterent, obſides utrinque ſe in oppido ſervãdos ad diem
XIV Calend. Septemb. eſſe daturos. Sed cùm terrore amoto nõ darent, aut da-
tos clam rurſum abduxiſſent è cuſtodiâ (ambiguum enim hoc ex monumentis)
ſocij trans Lavicam frequẽtes Groningã profecti ad VI Idus Septemb. primùm
pacem mandarunt factionibus per Huneſgoniam & Fivelgoniam in menſes
XXVIII proximos: actionibus violentis interdixêre, maximâ pœnâ conſtitutâ, ſi
quis contra faceret, obſides Groninganis exhibendos imperarunt. Ita quies re-
ſtituta, odium animis partium non exemptum. Quapropter eadem decreta hæc
anno proximo M.CCC.LXXXVII ad Calendas Maias in conventu frequenti ſocio-
rum omnium Oſtergoorum, Weſtergoorum, Stellenwerfiorum, Scoterwer- M.CCC.
fiorum, & aliorum in eâ viciniâ, item eorum, qui inter Amaſum & Lavicam in- LXXXVII.
colunt, cum Senatu populoque Groningano eodem in oppido memoriæ causâ
repetita, & ex curiâ ſolenni more publicata, aſperatis etiam pœnis, ſi quis non
pareret: atque hæc in litteras publicas omnia relata. Id factum ob irreconcilia-
bile factionum odium mutuum, vindictæ libidine pruriens, & vix ſe continens,
quin turbas daret. Id terrori fuit Hummerzijs, apud quos factio quædam Hil-
lingiam ſe nuncupabat, contumax, inquieta, turbis dedita; cui cùm arma à
Groninganis intentarentur, perculſi factioſi ad compoſitionem ſe obtulêre:
compoſitioq; facta vergente Septembri menſe in hunc modum: *Hummerzij fa-
ctionis eius tradunt domus & prædia ſua poteſtati Groningenſium, præſtabuntque eaſdem do-
mus ſuas Groningenſibus apertas in omnes uſus rebus poſcentibus; atque inſuper recipiunt, ſe*

nec domos nec prædia ſua alienaturos ſine voluntate ac permiſſu conſulum Groningenſium: ijdem ad urbem euntibus, atque ab urbe venientibus per agrum ſuum commeatum liberum ac tutum præſtituros ſeſe promittunt. Si qua ipſis controverſia exiſtet cum Friſijs aut Friſiorum aliquo, ſtabunt arbitrio conſulum eorundem, & eorum pronunciato parebunt. Si pars adverſa contumax erit, Groningani ad parendum eam cogent impendio ſuo, acceptis obſidibus in iſtam rem ab Hummerzijs. In ſingulos tamen cæſos, ſi quos continget cædi, Hummerzij Groninganis ſolvent marcas XXX: *& de vulneribus ac læſionibus alijs ſatisfacient ex arbitrio quatuor virorum utrimque delectorum: Civitati viciſſim auxilia ferent ſumptibus ſuis. Controverſiæ, ſi quæ exiſtent inter civitatem & Hummerzios, permittentur arbitris utrâq; à parte binis datis, iíque pronunciabunt intra bimeſtre, aut pœnam ſolvent marcas* XXX. *Ab his pactis, aut pactorum aliquo ſi recedent Hummerzij, & quoties recedent, luent culpam illam marcis* C. Hæc ſignata partis utriuſque ſigillis publicis. Aſſensêre his & Fredowoldii Langowoldii, Medachii, antiſtes Adoardius cum ſuis. Ita omnia in orâ illâ ſiluêre. At versùs orientem iis annis, qui Banthanæ arcis extructionem ad Iadam ſunt ſecuti, cùm Bremenſium ſocietate niteretur, per Oſtringiam, Ruſtriam, Wangriam imperium priore majus uſurpare ſibi Edo cœpit: ajuntque Ieverenſes, quanquam non ſatis ex fide, ſic ſe à majoribus accepiſſe, reliquorum nobilium operâ vicariâ in arcium ac templorum, quæ vulgò tum vallo foſsâque cincta, & contra vim validiſſimis muris & valvis munita erant, præſidio eum eſſe uſum: Ex his porrò Accumani templi præfectum Wilmethum Tammium anno M.CCC.LXXXVII Foleſum Sibrandum, qui Scortenæ præerat, interceptum in vincula conjeciſſe: ipſum viciſſim ob violatam pacem, facinuſque in Scortenſem commiſſum Senguerdico in fano, quò ſe fortè receperat ad Tiardum Heddonis F. Tiatſhuſium ſobrinum ſuum ejus fani cuſtodem, quòd ſuis munitionibus diffideret, obſeſſum ab Edone, deditumque capite fuiſſe mulctatum: domum quoque hujus, atque item Tiardi, qui manus hoſtiles fortè evaſerat, funditus ſubverſam: tum fano Seuguerdico, quod exſcindere Ruſtrus jam ſtatuerat, interventu populi conſervato, præfectum datum Popconem Inhuſanum Ruſtro ſanguine junctum, armorumque horum ſocium præcipuum: atque hunc Inhuſæ arcis ſuæ cuſtodiam Taddichio cuidam Boijonis filio intereà demandaſſe: quam cùm is poſtea ſui juris facere, nec repetenti domino cedere vellet, indignatum Popconem, relicto Senguerdiæ pro ſe præfecto Heddone Cankenio Inhuſam ſubitò intempeſtâ nocte advolaſſe, Taddichiumque in lectulo cubantem obtruncaſſe. Quæ licet ſuſpectæ fidei nonnuſquam ſint, atque in gratiam poſterorum Edonis à vero detorta, præſertim ad miniſteria illa nobilium quod attinet, tamen ut ab illis narrantur, ita referenda hoc loco putavi. At verò Popco, qui ſummâ gratiâ apud Edonem erat, filiamque ſuam Algethen illius filio unico conjugem dederat, cùm diu cupiditatibus ejuſdem ſerviiſſet, tandem & ipſe circumventus ab eo, vitam fortunaſque amiſit. Extincto enim ſine prole genero, cùm dotem filiæ ab Edone repoſceret, ille indignum ratus à ſe quicquam poſtulari, quod ſponte non traderet, offenſuſque inſuper novo conjugio nurus ſuæ, novoque Popconis cum Broecmeriis fœdere, non ſolùm reſtituit nihil, ſed de ultione quoque minas jactavit. Deinde exorto hinc inter eos tumultu, cùm ad Scortenam fortè equo dejectum vivum cepiſſet, præter datam fidem per ſatellites ſubornatos eum curavit interfici. Quo patrato, Iconem Oncœum Cnipenſem, ut quidam tradunt, propinquum itidem ſuum Hilledæ alteri Popconis occiſi filiæ, aſſignatâ illi in dotem Inhuſanâ arce, non ſecus ac ſi ſuum beneficium eſſet, maritum dedit. Atque is, etiamſi nil liberorum ex Hilledâ ſuſtuliſſet, tamen extinctâ eâ, cùm matrimonium repetiſſet, prætextu ſumptuum, quos in arcis inſtauratione maximos ipſe fecerat, nequicquam repetentibus Hilledæ cognatis, invito quoque Edone, Inhuſam retinuit, atque ad hæredes ſuos, qui etiam nunc eam habent, tranſmiſit.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Sed hæc aliquot annis poſteriùs evenêre. Interea verò Edo idem Bremenſibus amicus, quibus, uti & cæteris Germaniæ maritimis civitatibus, non benè cum Hollandis eo tempore ob uſum maris conveniebat, & per ſe prædæ dulcedine illectus portus, flumina, mare Hollandis reddebat infeſta: ipſe verò ab iis preſſus ad munitiones ſuas, quas contra hoſtilem vim extruxerat, tutum receptum habebat: atque ita velut minutum bellum cum Hollandis gerebat. Quod indignè tandem ferens Albertus Bavarus Hollandiæ princeps, dicitur mandaſſe ſuis, operam darent, ut quoquo modo hominem ulciſcerentur. Ex his navarchus homo vafer & audax in littus Ruſtriæ delatus, cùm & mercandi ſpeciem, & patriam aliam prætuliſſet, Edonem incautiùs ad naves accedentem, inopinè occupatum, atque in naves abſtractum vinculiſque oneratum vela vertens in Hollandiam avexit. Illic prædonum more Ruſtrus in carcerem datus, longaſque ærumnas perpeſſus, poſt quadriennium demum, ſolutis XIV aureorum numûm millibus, libertati redditus ad ſuos rediit. Per eadem verò hæc tempora, quibus Edo Ruſtriam turbavit, in Amaſi orâ cum Emdenſibus Occo bello, de quo retuli, deſtinebatur. Nec tamen totis viribus, aut aperto Marte uſquam inter eos pugnatum, quod oppidani numero diffiſi, aut mœnibus ſe continerent, aut ſubitâ eruptione non niſi inopinatos nonnumquam aggrederentur, alter autem in tanto vicinorum erga ſe odio atque invidiâ vi capere ſe mœnia poſſe diffideret. Erant in hujus partibus cùm alii nonnulli è nobilitate Amaſana, tùm Haro Valderanus ſororius ipſius, qui quòd ætate jam gravi eſſet, & Emdenſium hoſtium vim in eâ vicinitate non abs re metueret plurimùm, neſcio an etiam religione fœderis obſtrictus, maluerat à bello quieſcere, induciaſque illibatas ſervare. Verùm ab Occone penè invitus dicitur ob affinitatis jus in armorum ſocietatem pertractus. Vnde infælici ſeni non multò pòſt calamitoſus exitus extitit. Oppidani enim occaſione obſervatâ, quod facile in eâ viciniâ fuit, duce Hiſcone ſuo erumpentes ſubitò è portis, vivum eum ceperunt. Hiſco porrò acerbiſſimus odiorum perſecutor captum & vinculis indutum cùm aliquandiu carceris pædore cruciaſſet, tandem cum ignominiâ publicâ ad palum manu carnificis interemit. Id datum manibus ac ultioni Camponis patrui, fremente nequicquam, ac irarum plena conſilia coquente Occone. Intereà Folcmarus Allena in exilio vitâ diu toleratâ, paratiſque peregrè amicis, conſilium tandem cepit revertendi in patriam, hoſtemque ulciſcendi. In hunc finem eorum auxilio, quorum ſibi gratiam conciliaverat, militum aliquam manum confecit ſtipendio conductam: ſimul propinquos ſuos in Amaſanâ & clientes, quos illic habebat plurimos, quàm maximè occultè ſe parare juſſit. Tum conſtituto tempore ſubitò ipſe cum manu illâ ſuâ cis Amaſum accurrens, aſſumptis, qui ibi parati erant, ſummâ adhibitâ celeritate Auricam advolavit, ut inopinum Occonem illic opprimeret: conſiliumque ſecutus eſt non infælix eventus. Nam oppido, quod tenuiſſimè tum munitum erat, primo impetu repentè capto, arcem in quâ hoſtis erat imparatus, invadit, & ſummâ vi oppugnat. Hoc caſu inexpectato perterritus Occo, inducias & colloquium poſcit: iiſque admiſſis, ex arce in oppidum deſcendit, de controverſiâ componendâ cum Folcmaro ipſe collocuturus. Ibi cùm compoſitio non procederet, atq; Occo ex oppido in arcem ſe referret, à perſequentibus inimicis, quos priorum injuriarum dolor ſtimulabat, repentè circumventus, atque aliquot vulneribus confoſſus occubuit, ad VII Idus Aug. Quanquam non neſciam, alios eſſe qui ſcribant, à proprio ſatellite ſuo, dum in digreſſu cum inimicis vehementiùs verbis contendit, inopino atque inconſulto ictu percuſſum cecidiſſe. Nec deſunt, qui iiſdem in ædibus, in quibus colloquii causâ conventus agebatur, Auricæ cæſum eſſe aſſerant. Hic finis vitæ Occonis fuit, qui primus poſt tot ſæcula novum equeſtris dignitatis decus Friſicæ nobilitati cis Amaſum rurſum intulit, quam cauſam necis ejus fuiſſe falsò Crantzius autumat. De

M.CCC. LXXXVIII

liberis ejus multiplex autorum diſſenſio eſt. Inter omnes tamen conſtat è Foelqua conjuge natos, Kenonem virilis ſexus & Occam filiam, ambos adhuc impuberes ab eo relictos. Nec de Tetta quidem mihi dubium, quæ Sibrando Brungeri filio Loquerdico conjux data à matre, Occonem & Brungerum filios edidit. Præter hos illegitimo etiam thoro antè nuptias ſibi editum filium habuit, cui Vidſello nomen fuit, pubertatis annos jam tum egreſſum: quem, quòd genio ſuo congrueret, Foelqua noverca haud multùm infra modum liberorum ſuorum complexa eſt, & rebus quoque gerendis, dum tenera ætas Kenonis erat, admovit. Crantzius rogatum auxilia Chriſtianum Oldenburgicum Comitem à Foelquâ viduâ in ultionem cæſi mariti, cum exercitu in Friſios ait veniſſe, & eos clade affeciſſe. Sed cùm nulla ejus veſtigia in annalibus noſtratibus extent, pugnetque cum omnibus iſtius temporis circumſtantiis, in falſis, ut multa ejuſdem de rebus noſtris, duco. Verùm nondum ex humanis ſublato Occone, in eà parte, quà Reideria ſuperior cum Silveſtribus Præfecturæ veteris cohæret, quaque Dullarti ſinus intima ad Auſtrum nunc fluunt, ſopita olim colloquiis, renaſci denuò cœpit inter vicinos contentio de aquarum paluſtrium deducendarum ratione ac modo. Etenim quòd magna copia è paludum lato ſe ſpatio illic Meridiem versùs porrigentium uligine aquæ defluerent, cælo præſertim pluvio, agroſque paſcuos naturâ iis in locis humiles inundarent, primùm, ut quæque vicinia potuit, à ſe agriſque ſuis, excitatis contrà, objectiſque aggeribus avertere influxum illum ſtuduit. Deinde cùm ea res aliis, ad quos aqua ſubmota deferebatur, magno incommodo eſſet, inſtituta demùm ratio fuit, diſpoſitis meliore ordine aggeribus terreis, rivis depreſſis, clauſtris canalium in aggerum vallo idoneo ſitu collocatis, quibus coërceri emittique aquæ pro arbitrio poſſent, quæ omni ſimul oræ eſſet accommodata. Ea cùm valuiſſet diu, hoc, quo dixi, tempore conturbata rurſum vicinis diſſenſiones dedit. Verùm nobilitas, priuſquam è diſſenſionibus pugnæ & cætera mala orirentur,
M.CCC. tur, conſilio atque autoritate ſuâ intervenientes eo anno, qui Occonis mor-
XCI. tem eſt ſecutus, denuò ad compoſitionem rem perduxère: perſuaſaque utraque pars eſt, ut quæ olim hac de re definita à majoribus fuerant, oblitterataque longo tempore in oblivionem jam venerant, producta rursùm in lucem pro ratis haberentur. Itaque veterum ſtatutorum tabulæ, quæ apud familias nobilium latuerant, prolatæ, publicatæque fuère: in quibus diligenter olim cautum erat de aquis deducendis, canalibuſque certo tempore aperiendis claudendiſve, rivi quoque multi, multa loca deſignata, quæ jam pleraque ignota incolis ſunt, partim temporis ſpatio in aliam formam aut nomina converſa, partim à Dullarto penitùs obruta: imprimis terminus Præfecturæ veteris, & agri Reiderii diligenter deſcriptus, per rivum, cui TIAMMA nomen, obliquo admodum varioque flexu ex paluſtribus decurrentem, effundentemque ſe in EAM rivum alium navigabilem, aut flumen potiùs. EA autem, ut eſt ſupra quoque à me expoſitum, ex Monaſterienſibus veniens, Weſterwoldico primùm agro, dein omni regione, quam jam Dullartus occupat, diviſa, receptis utrimque rivis minoribus aliquot, inter orientalem & occidentalem Reidam in plura diductus oſtia per canales ingentes ſeptem in Amaſum olim efferebatur: tum verò, abſorptis hinc indè terris magno tractu, Dullarto ſpatium dederat, in quem Tiamma quoque deſcendebat. Hoc termino antiquo præter alia Ianſumum, Lidda, orientalis Reida, Beda, Garmeda, Hommingamum, Winelhamum, Reiderwolda, vicus totius oræ illius ampliſſimus & ditiſſimus, cœnobium Palmare, Keppelbeerda, Torpera, Marchuſium, Hommingaſtum, Oſtfinſerwolda, undis jam hauſta, deinde Berta, Vinſcota, Hilligerlæa, Weſterlæa, totuſque ager Weſterwoldius etiamnunc ex fluctibus reliqua in Reideria olim fuere. Additum quoque

in tabu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

in tabulis, eundem Oſnaburgicæ ac Monaſterienſis diœceſeos in ſacrorum jure terminum illic antiquitùs obſervatum, ne tum quidem ratione mutatâ. Sed de rivis his, deque Dullarto alibi nobis eſt dictum fuſiùs, multaque poſterorum memoriâ haud indigna explicata. Hujus verò conſenſionis repetitæ autores recenſentur in tabulis aſſcripti, Eggo Addinga Weſterwoldius, Occalo Noneca Bundenſis, Winico Occoweranus, Campo Berumanus, Wiardus Vlſdanus, Luverdus Hayonis filius, Beerdanus in parte Reideriorum: Tammo Gockinga Sudebrocenſis, Diurtus Sibbinga, Sebo Ennema Midwoldani, Hemmo Huninga Oſtwoldanus, Eltco Scemedanus, Tiacco Tiddinga Ecextanus, in Præfectura vetere. Atq; hæc res ne obſoleſceret denuò, iiſdem autoribus nobilibus, uno alteróve dempto aut commutato, poſt annos XXVIII ſolenniter eſt renovata. Inter hos Friſiæ motus varios, & cætera, quæ recitavimus, poſt Ioannem Arkulæum, magnæ doctrinæ & virtutis virum, quo ſedente Ida Selwerdica in domum Coverdicam denupſit, quique Stellenwerfios ac vicinos, uti autor eſt Guilhelmus Hæda, dictis non parentes geminatâ clade corripuit, Vltrajectini præſules fuêre Ioannes Verneburgius, Arnoldus Hornenſis, Florentius Wevelichovius ex Monaſterienſi ſede in Vltrajectinam tranſlatus. Ex his Verneburgius quietis amans cùm ſeptimum jam annum, qui fuit à Chriſto in terris nato M. CCC. LXXI, diœceſin regeret, ſurgente menſe Iulio collegii ſummi decanus, totumque adeò collegium jure an injuria (hoc enim definire mihi non eſt promptum) ei, quod Idæ Selwerdicæ in dotem datum erat, non parvam mutationem induxêre. Nam poteſtatem prætoriam, quam utrâque in præfecturâ urbanâ ſuburbanâq; apud Groninganos beneficio ejuſdem collegii Gronenbergii, Supperochii, Selwerdii hæreditariam poſſederant hactenus, in ſpeciem emphyteuſeos certo tempore circumſcriptæ converterunt. Et quanquam dolerent ii, quorum intererat, tamen quod contra facerẽt, non habuêre. Pactio itaque inita hujuſmodi: *Ioannes Coverdius, Coverdiæ regulus, Idæ Selwerdicæ levir, eiúſque filius minorennis Reinoldus, Hermannus Coverdius Ioannis frater Idæ maritus, & Henricus Hermanni filius itidem minorennis, (is ex Idáne natus ſit, mihi non certum) Godefridus denique Hovius Idæ ſanguine iunctus, velut emphyteutæ teneant à collegio ſummo prætoriam poteſtatem, ditionémque omnem, quæ collegij eſt & in urbe Groningâ, & in ſuburbano agro, cum annexis commodíſque omnibus, ſed non diutius quàm duratura eſt vita eius, qui longiſſimè vivet ex horum numero: exceptis cenſibus, decimis, reditibus, hærediíſque alijs, quæ iſtic habent tum canonici tum eccleſia Vltraiectina: Penſionem annuam ſolvant quinque beſſes argenti puri ponderis Vltraiectini ſine vitio, aut pecuniæ tantum, quanti argentum id erit, faciantque hoc in æde Vltraiectina ad diem* VIII *Calend. Martij: nec ullo modo, aut ullam ob cauſam hîc tergiverſentur. Quod ſi aut omnes, aut unus omnium hac in parte in morâ aut vitio fuerit, ſtatim omnibus pereat emphyteuſis, totúmque ius ſine controverſiâ redeat ad collegium, niſi aliud placuerit collegio: & nihilominùs liceat collegio penſiones præteriti temporis non ſolutas ab emphyteutis exigere: emphyteutis autem non liceat emphyteuſin hanc, aut quamlibet eius partem in alios transferre ſine conſenſu collegij: ſi contra fecerint, iure ſuo univerſo eo facto cadant: alioqui mortuis omnibus expiret tota emphyteuſis, redeatque ius eius ad collegium. Cuncta hæc ſine dolo malo.* Atque hæc cùm ſignata Vltrajecti eſſent prid. Non. Iulij, epiſcopus Ioannes triduo poſt repentinâ morte deceſſit, nõ ſine veneni propinati ſuſpicione. Manſitq; res in eodem iſto ſtatu ad ultima Florentii tempora.

M. CCC. XCII.

Tum labante jam hujus valetudine, vergente anno Chriſti M. CCC. XCII, collegium ſeu morte emphyteutarum, ſive eorum culpâ aliquâ, ſive cupidini indulgens ſuæ, totâ emphyteuſi versâ in ſeſe, in ſenatum populumque Groninganum eam contulit in annos proximos centum, exceptis rurſum ſolummodò iis, quæ pactione priore etiam exceperat. Emphyteuſi verò has tunc conditiones dixit: *ut ſolveret civitas quotannus canonis loco ad Calendas Iulias collegio aureos ſcutatos veteres monetæ Francicæ* LXXXIII *cum ſemiſſe: quod niſi faceret intra*

*ſecundum à præſtituto termino menſem, in ſingulos menſes pœnæ loco quatuor penderet au-
reos eiuſdem generis: & ſi ne intra menſem quidem tertium, tum verò ſimul & pœnæ cum
penſione annuâ ſolvendæ eſſet rea, & penitùs omne ius præturæ, ac poteſtatis reliquæ ac fru-
ctuum amitteret, idq́ue revolveretur ad idem, unde profectum, collegium Vltraiectinum:
nec hîc ulla ullum momentum haberet excuſatio. Dein vigeſimo quoque anno eadem civitas
per legatum recognoſcendi causâ autores beneficij, & recolendæ memoriæ ergò, oblatis in
templo primario Vltraiectino ſeptem beſſibus argenti puri confirmationem huius contra-
ctus quæreret, haudquaquam negandam à collegio. Ad hæc iuris huiſce nihil alienaret,
alterive addiceret ſine expreſſo conſenſu collegij eiuſdem. Contra faciens, ut antè dictum,
omni iure ſuo in hac re excideret. Hovijs duobus Godefrido & Ioanni, ac ipſorum matri,
quibuscum collegium paulò antè de relinquendo emphyteuſeos huius triente tranſegerat,
reditus certos ex conventione præcedente relinqueret ad tempus vitæ ipſorum, & ab his
iſto nomine in annos ſingulos viciſſim argenti puri beſſes duos perciperet. Amicitiam cum
Vltraiectino collegio coleret, commercia cum omnibus diœceſis hominibus exerceret more
ſolito. Poſt annos centum, ſi eâdem in conditione manere, & contractum eundem ſervare
in totidem annos proximos vellet, & rurſum ijs elapſis in alios annos centum, atque iterum
in alios id peteret, intra ſecundum à Calendis Iulij menſem legatum eius rei gratiâ mitte-
ret Vltraiectum, ac dono offerret argenti puri beſſes L. quod ſi faceret, fas non eſſet collegio
canonicorum petitionem reijcere, & diploma novum in omnibus conforme diplomati huic
denegare. Eaque ratio valeret in perpetuum.* Percommodum hoc & gratum ci-
vitati, quamvis ſine auri diſpendio non paratum, quo ſui juris ac arbitrii ipſa
M.CCC. facta fuit. Proximo vere, exeunte menſe Martio, eadem civitas cum collegio
XCIII. monachorum Gerriconio, quod ad Lavicam amnem ſedes habet, (ſi hoc quo-
que memorandum in hiſtoriâ) in certas leges convenit de avertendis definien-
diſque in futurum litibus atque offenſionibus. Secutaque ſtatim mors eſt Flo-
rentij epiſcopi Vltrajectini prid. Non. Aprilis. Poſt quem, variantibus diu ſuf-
fragiis, ſtudio præcipuo Guilhelmi Geldriæ Cliviæque Ducis, in epiſcopatu
ſurrogatus tandem fuit Fridericus Blanchenhemius, Argentinenſis eo tempo-
re præſul, vir vivido, acri, inquieto ingenio, ad arma magis quàm ad ſacrorum
cultum, aut ad litteras ac libros prompto. Huic inviſa res, & velut ſudes in ocu-
lis jus illud nuper in civitatem collatum. Sed quod factum à collegio erat, id
reſcindere ſtatim in exordio muneris, cùm nondum ſatis confirmatus eſſet,
non audebat. Nec enim ſine æmulis magnis, ac ſine Principum aliquot vicino-
rum invidiâ, honorem tenebat, nec ſatis proclivia omnia domi, atque obſequio
parata habebat. At ubi ſatis ſe ſua domi ſtabiliviſſe arbitratus fuit, ea quæ fo-
ris erant, circumſpicere, & ſi quæ Martini pallio avulſa viderentur, iis vindican-
dis dare ſe cœpit. Huc verò, præterquàm quod æquum id, ſuique eſſe officii di-
ceret, etiam jurisjurandi religione ſe moveri ferebat: Sic enim in inauguratio-
ne tactis altaribus promiſiſſe, quæ alienata deprehenderet, ea eccleſiæ pro vi-
ribus ſeſe aſſerturum. Erant autem eo in numero, quæ ſocordiâ aut avaritiâ
anteceſſorum defluxiſſe ſibi perſuadebat, complura quoque alia, & in his tota
Drentia cum præfecturâ & arce Coverdianâ, quas familia præfecti, ingenti pe-
cuniæ ſummâ in rem procerum Vltrajectinorum erogatâ, ſibi acquiſiverat, &
velut feudum perpetuum longo jam tempore poſſederat. Sed fuerat in con-
tractu nuncupatum, ut reſtitutâ pecuniâ regio ipſa cum arce ad epiſcopum re-
M.CCC. verteretur. Quapropter Blanchenhemius ab eo, quod & æquiſſimum & facil-
XCV. limum, proculque offenſionis periculo eſſe putabat, incipiendum ratus, miſſâ
ad præfectum Coverdicum legatione, oblatâque, quæ ei debebatur, pecuniâ,
reſtitui ſibi ex pacto conventu præfecturam poſtulavit. Præfectus autem ter-
giverſans & cauſas prætexens, quanto provinciam quàm pecuniam mallet,
oſtendit. Ita bellator ad arma proſiliens epiſcopus, confecto quàm ocyſſimè
exercitu, Brederodio, Vianæo, Apcoudio, Reneſſio ducibus Coverdiam inva-
ſit. Quod cùm ſuſpicionem movere Groninganis poſſe metueret, non abs re,
ne quid

ne quid ab his turbaretur, aut cœptis ſuis impedimenti exiſteret, miſſis hominibus ſuis optima quæque eos de ſe ſperare iuſſit. Et cùm verbis nudis fidere Groningani non auderent, ut animis eorum diffidentiam demeret, diploma ijs dedit Suollæ inclinante Februario, quo teſtatus fuit, *ſe quietis & concordiæ firmandæ ſtudio cum Groninganis egiſſe, ijſque conſervationem & defenſionem omnis iuris eorum veteris ſine ullo vitio promiſiſſe, cum benevolentiâ ſuâ: recipiſſe quoque, cùm ex more donativum ab ipſis petiturus eſſet, ſe anteceſſorum ſuorum diplomata de libertate & privilegijs civitatis omnia eſſe confirmaturum, civitatemque protecturum, immunitatem vectigaliū per diœceſin Vltraiectinam parem cum reliquis diœceſeos habitatoribus eſſe tributurum: Et ſi Coverdia in poteſtatē redacta fuerit, per ſe non ſtaturum, quo minùs arx maneat fidum propugnaculum omnium Friſiorum: adhæc tabulas pactorum cum Coverdijs, & cum univerſâ regione Drentinâ ſuo etiam ſigillo probaturum. Denique profeſſus eſt, ſe contentum ijs, quæ diœceſeos ſuæ olim fuerint, haud quaquā quicquam concupiviſſe, aut flagitaſſe à Groninganis, nec iam concupiſcere aut flagitare præter id, quod iure debeant, quódq; anteceſſoribus epiſcopis Vltraiectinis præſtare ſint ſoliti.* Ita ſatisfactum tunc Groninganis. Coverdiæ præfectus obſidione preſſus arcē dedidit, & pecuniâ ex pacto receptâ provinciam præſuli reſtituit. Et hoc quidem tempus fuit, quo, cùm induciæ potiùs ab armis, quàm certa pax aut concordia inter Viſurgim & Amaſum eſſent (Occonis quippe cæde flamma parumper compreſſa videbatur, ſed ignis odiorum, intereà dū adoleſceret Keno, ſub cineribus conditus viviſcebat) prædones Saxones animadverſâ portuum commoditate Friſiæ littoribus inſueſcere cœperunt. De quorum origine, quod celebris eorum memoria eſt, & multis involuta fabulis, breviſſimè exponam. Erat illo ſæculo Margareta Waldamaro Daniæ rege nata, trium Septentrionis regnorum Daniæ, Norwegiæ, ac Sueciæ domina, fœmina opibus ac ſapientiâ illuſtris, interque paucas memoranda. Ea Albertum Megalburgicum Sueciæ regem anno M. CCC. LXXXIX cum filio in acie captum in cuſtodiâ habebat, reliquâque Sueciâ occupatâ Stocholmum urbem regiam diuturnâ obſidione premebat. Albertum verò miſerati tum propinqui ipſius Megalburgici principes, tum Roſtochiū & Wiſmaria civitates conjunctis viribus ad liberandum eum multa moliti ſunt. Quæ cùm non ſatis ex animi ſententiâ evenirent, anno demum M.CCC.XCIII, qui quintus erat captivitatis Alberti, Roſtochienſes & Wiſmarienſes publicâ voce omnes, qui piraticam factitare, & ſuo quiſque periculo aut lucro paratis undecunq; navibus Danos, Norwegios, Suecos deprædari vellent, ad arma excîverunt, ſuoſque ijs portus ac oppida diſtrahendis prædis aperuerunt. Coivitque ſtatim infinita hominum vis rapinis inhiantium, & toto mari Baltico volitavit. Quæ res temerè ſemel cœpta in hoſtes, cùm latiùs ſe extenderet, ac licentiæ frenum laxaſſet, non æquè facilè conſilio regi, ac comprimi ad arbitrium autorum potuit; magnæque omnino invidiæ civitatibus illis apud vicinos fuit. Nam ſine duce, ſine imperio legitimo, ſine diſciplinâ ad prædandum emiſſa improborum manus vaſto in mari, quam nec metus nec reverentia retinebat, quid non committeret? Sed belli tamen legitimi nomen prædones adhuc præferebāt. At biennio pòſt, cùm operâ ac ſponſione civitatum maritimarum ad littus Balticum Albertus cuſtodiâ liberatus, Stocholmum ſponſoribus traditum, pax publica reſtituta regnis Arctois eſſet, ipſi, amiſſo belli titulo, prædandi tamen morem & licentiam, cui tot iam annos inſueverant, haud facilè miſſam facere potuerūt. Quapropter cùm in omnes promiſcuè navigantes, unde auferre modò aliquid poſſent, invadere cœpiſſent, egreſſiq; maris Baltici fretū cum maximo negotiantium Germanorum detrimento, qui magnas res illic in mercaturâ poſitas habebant, Bergā clariſſimum Norwegiæ emporium diripuiſſent, pro publicis omnium hoſtibus habiti, conſpirationeq; civitatum maritimarū è mari Baltico ſunt eiecti. Inde diviſi inter ſe, ac diverſa ſecuti conſilia, pars circumnavigatâ Norwegiâ ignota Septētrionis ac Orientis littora adiêre, varijſq; iactati caſibus pauci numero tādem ad ſuos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ad ſuos rediêre: pars oportunitatem ſpeculati in Friſiæ portus proximos cum navibus ſuis ſe recepêre. Quod fuit ad annũ Chriſti M.CCC.XCVI. Illic vi primùm potiti loco, cùm prohibere tantis copijs & apparatu inſtructos homines audaciâ & manu promptos nemo poſſet, nullâ tum per Friſiam paratâ navium copiâ, deinde ut hoſpites potiùs, quàm intolerabiles hoſtes admiſſi, poſtremò venditatâ operâ ſuâ à nonnullis, quibus contentio cum vicinis eſſet, in amicitiam quoque paulatim recepti, ubi confugia hyemis, ac omnis fortunæ idonea ſe nactos viderunt, ſtatim longè lateque occidentem verſus prædarum causâ nauigare inſtituerunt, Belgium, Galliam, Britanniam, Hiſpaniam appetiverunt, portuſque in ijs regionibus complures ad commercia ſibi aperuêre. Ex ijs verò, quos in Friſiâ ſibi conciliarunt, primi fuiſſe memorantur, Hiſco Emdanus & Keno Broecmerius, eiúſve mater Foelqua filio necdum pubere, quanquam ſtudijs ac voluntatibus inter ſe diſparibus. Poſt bello cum Hollandiæ Comite exorto, Groningenſibus ac cæteris ad occidentem Friſijs operam locarunt ſuam, multumque omninò detrimenti Hollandis intulerunt.

M.CCC. XCVI.

RERVM
FRISICARVM
HISTORIAE
Liber XVI.

BEllum ſequitur Hollandicum ab Alberto Bavaro Hollandiæ Comite Friſijs illatum: quo nec formidabilius aliud ob hoſtis prudentiam & opes, nec temporis diuturnitate memorabilius, nec fortunæ & caſuum varietate magis inſigne ad commota uſque Saxonica arma geſtum in Friſiâ fuit. Quapropter accuratiùs etiam & paulò fuſiùs ſi id ſcribendo perſequar, nec abſurdum, nec lectori ingratum me facturum arbitror: præſertim cùm ſine ijs, quæ hoc bello evenêre, benè cognitis, ea quoque, quæ proximis deinde ſæculis aliquot acciderunt, & quæ etiam nunc multorum animos in diverſa agitant, intelligi rectè non poſſint. Cauſæ belli variæ fuêre. Sed una omnium maxima, proferendi imperij in Alberto cupiditas, quam invidia libertatis populi vicini, & memoria cladium ſuperiorum, quas eodem à populo maiores ipſius acceperant, incendebant. Iis verò acceptum à maioribus antiquum ius, & ſtudium honeſtum abolendi dedecoris, more ingenij humani, prætendebantur. Occaſiones diverſæ à diverſis memorantur autoribus. Annales patrij ferunt, Guilhelmo Oſtrovantio Alberti filio iuveni, cùm in aulâ Caroli VI Gallorum regis ad menſam fortè ſederet, conſciſſo ante ipſum linteo menſali, ut in aulis Principum, interque magnates mos habet, cùm ignominiâ aliquem notare volunt, magno convicio à Philippo Nivernenſi, (is erat Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filius) obiectum fuiſſe, quod inſignia non haberet, quæ avunculus illius magnus Guilhelmus bello Friſico amiſerat: quapropter contumeliæ impatientem iuvenem, expeditis, quorum cauſâ in Galliam venerat, negotijs, ſalutatoque rege, ubi primùm adire patrem potuit, & quid ſibi accidiſſet, ſummoperè indignantem expoſuiſſe, & ad bellum Friſicum abolendi cauſa dedecoris plurimis querelis, precibúſque eum incitaſſe: patrem animo filij obſecutum ad paranda in Friſiam arma ſe totum dediſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Alii aliter: ob incredibiles Bajazetis Turcæ progreſſus in Europâ magnos paſſim apparatus eſſe factos à Chriſtianis in bellum Turcicum pro Sigiſmundo Vngariæ rege: Antè omnes è Galliâ iſtuc iviſſe cum magno exercitus robore Ioannem Burgundum Philippi filium, & cum eo proceres Galliæ illuſtriſſimos quoſque: Hujus verò expeditionis, quæ in ore erat omnium, ſocietatem expetiviſſe incenſum ſtudio gloriæ Guilhelmum Oſtrovantium Alberti filium, ſororium ipſius Burgundi, qui Burgundus ejus viciſſim ſororem uxorem habebat: Albertum autem cautum & providum ſenem ex faſtu & inſolentiâ Gallorum, qui non pietate, ſed inani gloriâ ducerentur ad arma hæc ſumenda, auguratum id quod poſt accidit, infælicem ſcilicet exitum rem habituram, ut filium ab eâ cogitatione revocaret, animoque ejus rerum gerendarum cupido ſatis faceret, bellum ei Friſicum monſtraſſe, ſegetem gloriæ ac fructus multò propiorem, tum abolendæ domus ignominiæ penè neceſſarium, ab ipſoq; hactenus filio vehementer expetitum. Igitur parante ſe in Turcas Burgundo, iterque jam ingreſſo, Albertus quoque cum filio inſtruendo bello intentus ingentem numerum militum ex Germaniâ, Galliâ, Angliâ, Belgico collectum confecit; iiſque ſuos ex Hannoniâ, Hollandiâ, Selandiâ conſcriptos tantâ multitudine addidit, ut, quod de eâ litteris proditum eſt, fidem ſuperet. Ad C. LXXX namque millia in armis fuiſſe cum Alberto feruntur. In his poſt ipſum Albertum & Guilhelmum filium ductores eminebant Valeranus S. Pauli Comes, Carolus Albretius, Walranus Brederodius, Gerardus Egmondanus, Ioannes Arkulæus, Nicolaus Porſelius, Guilhelmus Croneburgius, magnaque vis nobilitatis Hollandicæ, Selandicæ, Hannonicæ. Atque hic omnis exercitus numeroſæ claſſi, qualis antè non viſa fuerat iis locis, maturâ jam æſtate impoſitus, & ſinum, cui Auſtrini maris nomen, tranſvectus, unà cum ducibus ſuis ad Cuneram deſcendit in terram. Friſij, qui nihil horum ignorare poterant, ſe quoque ad vim depellendam intereà comparaverant. Erat tum in iis vetuſtæ & claræ nobilitatis vir Iuwo Iuwingæus Bolſuerdianus, qui & à naturâ ſolers ingenium, & à militiâ variâ ac diuturnâ toleratâ exteris in regionibus (nam in Lithuanos in Boruſſiâ, in Turcas in Thraciâ arma tulerat) magnum rerum militarium uſum habebat. Is cùm intelligeret majores eſſe hoſtium copias, quàm ut ſuſtineri in acie à Friſiis poſſent, ſuis autor fuit, ut diſpoſitis præſidiis ad fines, & hic illic per agrum, ubi locorum natura, oppidáve aut arces ferebant, hoſtium iter morarentur, difficiliuſque redderent in regione crebris rivis, foſſis, incilibus diviſâ, magniſque exercitibus per ſe impeditâ: ſummis verò viribus cum iiſdem cum totius periculo reip. non congrederentur: ita non factâ pugnandi poteſtate, non ſuppetente ad tantum alendum exercitum commeatu & ſtipendio hoſtes moleſtiis & incommodis feſſos ſponte ſuâ domum redituros, ingruente præſertim pluvio plerumque atque ita incommodo illis locis ad gerendum bellum autumno. Sed cæterorum victus conſenſu, quorum plerique propriis magis quàm reip. incommodis movebantur, cum iis in occurſum hoſtis ad eum ingreſſu regionis prohibendum ad fines ejus contendit. Non aliàs alacrior populus ad ſigna viritim coivit, ardore tuendæ patriæ incenſus &, quod mireris in tanto hoſtis apparatu, ſpe bonâ plenus. Nam quorum parentes avunculum hujus Principis non minùs ſuperbo apparatu venientem ceciderant, eos hunc quoque ſuperare exercitum poſſe locorum incommoditate impeditum non diffidebant. Caſtella paſſim in orâ, quâ naves appellere, aut exſcenſus in littus ab hoſte fieri poterat, excitata, ac præſidia diſpoſita: exercitus reliquus, qui etiam fide major erat, in aditu regionis, quâ Cunera venitur, locatus ad prohibendum hoſtis iter, rivorum pariter, qui eâ parte agrum humilem ſecant, & armorum objectu. Quem in finem & munitiones ſubito opere inſtitutæ ad rivorum clauſtra, aquiſq; per eadem clauſtra immiſſis, quantum res dabat, agri humilia circùm rivos cõtecta. Ita tanti exercitus Alberti quanquam cupidi rei

gerendæ, & multa hic illic moventis progreſſus in hoſticum per aliquot dies inhibitus, præliaque minora ad munitiones ac rivorum oras complura nullo profectu inita. Demum longiore circuitu ab equitum peditumque hoſtilium parte via reperta, cùm hos jam à latere in ſe atque à tergo venire Friſii è longinquo proſpicerent, relictis præſidiis & ſtationibus ſuis tranſitum dare liberum univerſo exercitui neceſſe habuerunt. Nec tamen deſeruêre ſeſe animis, ſed memores libertatis & fortunæ ac virtutis majorum ſuorum, conſiliumque à ſolâ fortitudine mutuati, in tres diviſi acies, ad IV diem Calend. Septembr. patentibus in campis propè Scoterſylam haud quaquam pari numero in maximum illum exercitum Hollandorum impetum fecerunt, fruſtrà obnitente & diſſuadente eodem Iuwone. Is namque in conſilio perſiſtens ſuo declinatâ prælij aleâ, ſolâ morâ & itinerum impedimentis ſolvēdam vim hoſtis in agrum ſeſe ſine fructu effuſuri arbitrabatur. Verùm cùm pugnandi ardorem reſtinguere ſe non poſſe cerneret, idem ipſe necubi patriæ deeſſet, aut metu inerti abhorrere à prælio videretur, generoſâ ſtimulatus indole inter primos in aciem progreſſus, exemplum fidei & virtutis inſigne proditurus, alacris & intrepidus voce pariter & manu pugnantes in hoſtem præivit. Pugna cruenta commiſſa ad aliquot horas incertâ victoriâ, dum hi corpore & animo connixi frangere adverſam aciem conantur, illos verò cedere paucioribus pudet, conſtitit. Tandem multitudine hoſtium obruti Friſii terga dederunt, victique etiam terrorem victoribus reliquerunt. Nec enim illi tum perſequi ſtatim victoriam, & progredi longiùs ac fugientiûm terga premere ſunt auſi. Ceciderunt in prælio è Friſiis DC, promptiſſimi quique, ac multi inter eos viri nobiles: quorum in numero Iuwo etiam fuit in acervo cæſorum repertus. Ex Hollandis Guilhelmus Croneburgius cum filiis duobus navatâ fortiſſimâ operâ primam laudem & gratiam Principis ſui meruit. Secuta pugnam eſt illuvies aquarum pluviarum, viarum difficultatem exercitibus concilians: ſuberatque proximus autumnus omnium incommodiſſimus, ſi quid imbrium habet, ad res in Friſiâ gerendas. Quas ob cauſas, audito quoque novarum copiarum Friſicarum adventu, Albertus maturè domum ſe recepit. Non multò pòſt triſtis fama percrebruit, Chriſtianorum exercitum maximum ad Nicopolim Mœſiæ à Turcis conciſum inſolentiâ ac temeritate Gallorum, culpâ potiſſimùm Philippi Atrebatis Comitis ſtabuli; captum Ioannem Burgundum, ipſum Philippum Atrebatem, Ioannem Marchianum, Henricum Barenſem, proceresque alios complures vix precibus ab irâ victoris ſervatos in cuſtodiâ; reliquam captivorum multitudinem, in quibus ad CCC è nobilitate, à Barbaro fœdum in modum trucidatam: Sigiſmundum fugâ Conſtantinopolim delatum ægrè manus victorum evaſiſſe: rem Chriſtianam in ſummo eſſe diſcrimine. Ea fama ut omnium mortalium animos per Europam perturbavit, Gallos verò & Belgas ſummo affecit mœrore, ita Albertum Bavarum prudentem ac providum rerum futurarum principem comprobavit. Hujus in Hollandiam receptu, terrore belli peregrini liberata videbatur Friſia, cùm factiones deteſtandæ ſubitò ardeſcentes, claſſicum canentibus monachis, eam plurimis malis rurſum affecêre. Factionum duces fuêre Odo Botnia cum Iacbone Ieppemio Oſtergous, à Vetcoperis; Sextus Decama, & Galo Hannia, Weſtergoi peregrinis ſtudiis per Italiam ac Germaniam imbuti, à Sciringiis. Sic enim tum res habebat, ut Weſtergoi ferè has, Oſtergoi illas partes ſequerentur. Hi prædando, urendo, cædendo per mutuas clades eos agros afflixerunt, magnis ſæpè copiis in modum juſti belli in ſe invicem eductis. Tanta vis furoris, ac libido adverſarios lædendi non in proceribus ſolùm, ſed etiam in plebe, quæ ſponte ad arma concurrebat inerat. Sed plebs niſi à ducibus commota per ſe quietura fuerat. Quod ex eo emicuit, quod non multò pòſt evenit. Nam ad fines Weſtergoæ cùm fortè in ſe incidiſſent duarum partium exercitus, magnâque contentione

M. CCC. XCVII.

tentione

tentione & pertinaciâ utrimque pugnarent, principes factionum Galo & Sex-
tus Decama inter ſe quoque infeſti concurrerunt. Eo in concurſu uterque
graviter vulneratus ac labore feſſus concidit, & ſemivivus ſublatus à ſuis, in tu-
tum ſubductus eſt. E reliquis cùm multi utrimque cecidiſſent, tandem O-
ſtergoi ceſsêre. Pugna hæc commiſſa dicitur haud procul Marſumo vico ad
diem x v Calend. Septemb. cùm annus poſt Chriſtum natum ageretur M. CCC.
XCVII. Vulnerati duces cùm operâ medicorum convaluiſſent, poſitis offenſio-
nibus velut mitiores facti oppidanorum hominum ſtudio in concordiam con-
ſenſerunt. Tum ſtatim vulgus, velut iners corpus, capitibus pacatis, & ipſum
conquievit. Feijonis modò Doccumani res inter principes factionis victæ, &
paucorum aliorum, propterea quòd Hollandos exciviſſe ferebantur, ab iratis
victoribus, cùm ferrum adhuc in manu, graviùs afflictæ. Et in his turbis Cla-
rocampici monachi à Foſwerdicis diſſidentes, ut animum ſuum ex inimico-
rum dolore explerent, fanum eorum, quod longè pulcherrimum ac ditiſſimum
habebant, incenderunt: incendium pertinax reſtingui nequijt, quoad quic-
quam, quod igni corrumpi poſſet, supereſſet. Inde incitari odia monaſtica, &
velut bellum inter cucullatos geri, viciniaque tota turbari, donec tandem
populi decreto quieſcere omnes juſſi. Sed armis poſitis odia in multorum
animis ſupererant. Ea malè condita factiones rurſum commoverunt, novis
capitibus inventis. Quæ cùm audiſſet Albertus, ſuiſque rebus percommoda ar-
bitraretur, ſive ille ſponte ſuâ, ſeu invitatus à nonnullis, qui odium & vindictæ
cupidinem caritati patriæ anteponebant, quod quoſdam ſentire, ac præcipuè
ad Feijonem rurſum referre video, collecto celeriter exercitu, aſſumptis expe-
ditionis ſocijs Guilhelmo filio, Brederodio, Egmondano, Arkulæo, primo vere
anni ſequentis in Friſiam rurſum trajecit, claſſemque in Lemmerana littora, ad M. CCC.
eum locum, quem Taconis canalem appellant, applicuit. Sed à Friſijs exce- XCVIII.
ptus, qui intellecto apparatu ejus in omnes occaſiones & motus hoſtium in-
tenti erant, ac ad eam oram magnis agminibus convenerant, deſcenſuq; pro-
hibitus, accepto non parvo detrimento, altum rurſum petiit. Deinde Flevi me-
dia emenſus, ſuſpenſis Friſiorum animis, inter Staveram & Hindelopam naves
iterum appulit, invitiſq; Friſiis, ac omni ſtudio arcere eum connixis, littore po-
titus eſt, non tamen ſine clade. Rurſumq; cùm Staveram contenderet, anguſto
in aggere deprehenſus, ac multo in luto hærens, non parvo in diſcrimine fuit.
Sed omnibus tandem difficultatibus ſuperatis, cùm in viciniâ oppidi Stavera-
ni, ubi Odulfi cœnobium extra mœnia eſt, aciem explicuiſſet, pugnamque cum
Friſiis difficilem, & diu ancipitem commiſiſſet, victor evaſit. Tum, cùm hoſtium
copias nullas pugnandi cauſâ contra ſe videret recolligi, (animis enim Friſij
conciderant, & magnam partem Staveram ſe receperant) ipſe depopulatus
proxima quæque ad oppugnandam Staveram ſe vertit. Et cùm aſſediſſet ali-
quandiu, intereaque ad eum veniſſent Vetcoperæ factionis principes, collo-
quiis hinc inde inſtitutis, civitas pro hominum incluſorum multitudine non ſa-
tis commeatu inſtructa, conſenſu omnium ordinum, qui aderant, totaque una
regio uſque in Lavicã ei dedita. Conditiones deditionis perduræ ſatis demon-
ſtrant, aut corruptos gratiâ ac odio ejus autores fuiſſe, partiumq; ſtudio amo-
rem patriæ poſthabuiſſe, aut adversâ fortunâ perculſum populum & fractum
de tuendo ſtatu ſuo deſperaſſe. *Nam Alberto & hæredibus eius cum imperio permiſſa
poteſtas extruendi arces & munitiones in omni regione pro libitu: promiſſúmq; auxilium in
ſubigendis huic deditioni non aſſentientibus: adhæc definitum, ut populus pro cæde ceteriſq;
iniurijs & detrimentis prioribus, próque tributis hactenus non ſolutis omníque contumaciâ
in Albertum ac omnes eius maiores, in levamen cæſorum in Friſia, fanum extrueret, in quo
ſacris operarentur Canonici* XII *eo loco, ubi placeret Alberto, idque opus poſt deſignatum lo-
cum abſolveret intra vertentem annum, reditúſque aſſignaret fano ad arbitrium virorum*
XIIII, *ex quibus medium numerum daret ex ſe populus, medium ex proceribus ſuis*

ederet Albertus: ac, prætèr fanum hoc, ptochodocheum quoque idem populus ædificaret, receptandis hoſpitio egenis, cum certo lectorum, & miniſtrantium fœminarum numero, Poſtremò, vt cæteras parendi leges deſcriberent, ijſdem XIIII *viris poteſtas ſine exceptione permiſſa.* Has conditiones cum Hollandis qui pro populo pepigêre, nominati in ipsâ tranſactionis formulâ ſunt, Geroldus Camminga, Hero Hottinga, Feijo Doccumanus, Tiarcho Waltha, Siurtus Wiarda, Goſlicus Heſſelinga, Tiadmarus Hopperus. Quibus expeditis, ſacramentoque illic à populo poſtridiè Idus auguſti accepto claſſem milite & omni inſtrumento bellico inſtructam in Lavicam emiſit; vt ancipiti terrore diſſentientes ab hac deditione, quorum erat longè maximus numerus, diſtineret. Simul ipſe etiam Staverâ profectus itinere terreſtri cum exercitu totam Weſtergoam primùm, deinde & Oſtergoam obijt, reſtitanteſque paſſim ad recipiendum obſequium adegit. Poſtremò Doccumi caſtris poſitis, citatis omnibus ex toto agro, qui ſervare incolumes fortunas ſuas, & vitam volebant, fidem ab iis, qui venerunt, in coronâ recepit. Sed erat, vt dixi, permagna multitudo eorum, qui imperium peregrinum admittere dimiſsâ libertate, multo magis verò conditiones imperij tam iniquas tolerare, recuſabant, in quibus penè omnis Sciringica factio. Hi ſeſe aut locis opere naturâve munitis continuêre, aut plures in unum coëuntes ad repellendam vim pararunt, aut ad populos confugerunt vicinos. Igitur ad has hujuſce belli reliquias perſequendas, atque ad appetendas cæteras Friſiæ partes ſe expediens, creatis è nobilitate Friſicâ prætoribus, Hollandicum in morem, & nonnullis honoris causâ equeſtri quoque cingulo donatis, præſidia locis neceſſarijs hic illic conſtituit. Ipſe in littus Lavicæ proximum progreſſus cum exercitu in locum, quò claſſis ejus omnem jam Weſtergoam & Oſtergoam circumvecta in ancoris ſtabat, cui loco Lunæ nomen, ad portum percommodo, caſtris ampliſſimâ formâ collocatis, conſpicuis longè lateque tentorijs, caſtellum illic validum, circumductis vallo ac foſsâ, excitavit. Id voluit & præſidium claſſi ac portui eſſe, & cum Staverâ alteram regioni in littore injectam compedem, ad eam in obſequio retinendam. Deinde hanc commodiſſimam quoq; arcem fore ad invadendam reliquam Friſiæ oram princeps ſuopte ingenio, & lõgo rerum uſu prudens arbitrabatur: quò omninò, ut oſtendi, conſilia referebat ſua. Etenim non ſolùm imperij proferendi latiùs cupidine quamvis ſenex ardebat, ſed etiam ſine agro atque oppido Groningano in poteſtatem redacto poſſeſſionem ſe retinere Oſtergoæ & Weſtergoæ haudquaquam poſſe proſpiciebat. Itaq; ſtatim ab initio belli hujus legationibus eo miſſis, exploratis hominum animis, factionum igni faces ſedulò ſubjecerat, commendataq; imperij ſui commoditate, multorum voluntates ad ſe pellicere fuerat conatus: idq; non in agro ſolùm, ſed etiam in oppido, cujus imperium utiliſſimum rebus ſuis antè omnia enixè appetebat. Nec his contentus, ad Amaſanos etiam, & cæteros cis flumen ſuorum nonnullos legaverat, quibus locis acceptum incommodum & ignominiam morte Occonis hactenus ſarcire & vindicare non potuerat. Horum legatorum adventu, & crebreſcente famâ de inſtituto Alberti exercitum in ea quoque loca adducere volentis, varius animorum motus cùm alibi, tùm in Ciſamaſanis fuit. Multi improvidi aures præbere, tanti Principis adventantis, tanti exercitus famâ percelli, nonnulli quoque conſcientiâ conſiliorum & facinorum moveri, & ſibi præ alijs expectanda mala putare, atque ita in timore verſari: alij animis hærere: plurimi vel cum vitæ diſcrimine tuendam libertatem, extremoſque pro eâ caſus ſubeundos ſecum ſtatuere. Quæ cùm ſic haberent, conventus & colloquia ſæpè habita hic illic, prout tempus, locus, animorum habitus dabant. Comitia univerſa ob mutuum metum & odium, maximè ob diſſidium Alleniorum à domo Occonis pluſquam capitale, convocari, multò magis de ſummâ reipublicæ iniri conſenſus haud poterant. Diſſidebat tum fortè etiam graviſſimè à novercâ, & fratre Widſeldus

Occo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Occonis filius nothus, qui rebus tractandis aſſuetus, ferox à naturâ, & paternum ingenium ſpirans, nec facilè conditionem agnoſcens ſuam, pubeſcente jam, & ad virilem ætatem accedente Kenone, permoleſtè ferebat, contemni ſe, ac velut concubinâ natum omni hæreditate parentis excludi. Accedebat dolori huic novercalis ferocia, quæ querentem contumeliâ quoque lædere non dubitabat. Itaque is occaſionem rapiens conſilium, quod dominandi cupido & vindicta ſuggerebant, animo concepit ad Albertum ſe conferendi. Ei ſe Folcmarus Oſterhuſanus, quem facinoris conſcientia angebat, conjunxit. Nam hic incolumem eſſe ſe, niſi in ordinem redactâ Foelquâ, & cæterâ Occonis domo, haud poſſe ob memoriā patratæ cædis, Albertum verò etiam iratum ſibi, eundemque quâ erat potentiâ, haud dubie deſtinata confecturum iudicabat. Præveniendum igitur, & inſigni obſequio ac beneficio occupandam gratiam Principis arbitrabatur. Ita communicatâ inter ſe re duo hi, quos acerbis odijs hactenus diſiunctos nunc commune periculum atque eadem cupido ſociaverat, dum fluctuant reliqui, & eventum expectant, in Tranſamaſanos ſunt profecti. Illic non ſolùm animorum diſſenſione, ut in Ciſamaſanis, ſed etiam tumultibus & armis, factionum vi, res commotas invenêre. In quo motu, qui Vetcoperorum principes erant, paucis è plebe conſentientibus, quos nobilium gratia aut error ducebat, odio, metu, ambitione, incitati de paciſcendo cum Alberto conſilia inierunt. Coiiſſe eos Saverdiæ in Huneſgonijs patrij annales perhibent. Fuêre hi Onnonis Ferhildemæi filij ſeptem, quorum princeps Ailco, & ab eo Aepco, Meinoldus, Ioannes, Edſardus, Abelus, Folcmarus, quibus Saverdiæ in arce domicilium erat, Onſtenio nomine apud poſteros noti; dein Omco Snelgeri filius Dammonēſis, Menno Houwerda Muntenſis, Tammo Gockinga Oſterbrocæus, Reinerus Eizinga Huſingæus, Haijo Wibenius Weſteremdanus. Quibus cùm ſe aſſociaſſent iſtuc advenientes Widſeldus & Folcmarus, relictis, qui domi res interea curarent, ipſi ſimul omnes in caſtra ad Bavarum profecti, de parendi conditionibus cum eo egerunt. Bavarus cognitâ eorum voluntate, ſui tantùm imperij ijs in locis quoquo modo conſtituendi avidus ac memor, nec quicquam curans prætereà, adeò cum iis egit liberaliter, largiendo nimirum res alienas, ut nihil ſint auſi petere, quod non illis facilè prompteque indulſerit. Tranſegêre in hanc ſententiam: *Widſeldus & Folcmarus cedebant Principi Bavaro Comiti Hollandiæ, & poſteris ipſius, dominium & ius omne arcium & regionum, quas tunc tenere ſe profitebantur inter Amaſum & Iadam, nominatim verò agri Broecmerij, Auricani, Harlingij, Oſtringij, Mormerij, Lengani, Nordani, Amaſani, cum poſitis è regione inſulis, Borcumo, Iuſtâ, Buſâ, Oſterendâ,* (quæ Norderneia nunc eſt) *Balteringâ, Langogâ, Spikerogâ, Wangerogâ: ad hæc cæterarum regionum omnium, quas aut tenerent eo tempore, aut ſui ſe iuris facturos impoſterum pace, armis, intra, extra hos terminos, ſeparatim coniunctimve ſperarent. Albertus cuncta viciſſim ipſis, & ipſorum hæredibus in feudum conferebat perpetuum; cuius hæc conditio, ut ſi quis ipſorum decederet ſine liberis legitimè natis, ei ius eſſet per teſtamenti tabulas aut codicillos id transferre in quemvis alium, ſive agnatum, ſive extraneum, pro arbitrio ſuo; imò coniunctum uni relinquere, vel diſtributū pluribus: nec obeſſet hæredi vel ſucceſſori, ſi ſtatim ad fidem præſtandam nomine feudi ſeſe non offerret, modò id faceret intra triennium. Ipſi porrò homagium præſtabant Principi more conſueto, id eſt, iure iurando ſe obligabant ad omnia obſequia, quæ à vaſallis exhiberi domino ſolent, præſertim in tuendis finibus agri Friſici, & compeſcendis contumacibus, aut quoquo modo impedire Principē in hoc iure, atque imperio Friſico conantibus, ne tamen extrâ Friſiam, quod excepêre nominatim. Princeps viciſſim promittebat, ſi quis hos vaſallos ſuos in his rebus ac iure turbare vellet, ſe ijs, ut patronum clientibus facere deceret, omni ope auxilio futurū.* Atque hæc ſcripto conſignata: actum die III Iduum Septemb. anno M.CCC. XCVIII in caſtris. Quis non miretur iſta? data Principi, quæ non erant dantium? reddita ijſdem ab eo, cuius fuerant nunquam? Simili prorſus modo & lege Ailco Ferhildemæus, & Reinerus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Eizingæus de omni agro Huneſgonio, Tammo Gockinga & Menno Houwerda de Præfecturâ veteri, Omco Snelgeri & Haijo Wibenius de agro Fivelingio ſtatim cum eodem Alberto tranſegêre, univerſamque, quæ eſt inter Lavicam & Dullartum, regionem ſine lite, ſed & ſine conſenſu eorum, quorum maximè intererat, ex æquo & bono inter ſe ſunt partiti. Deinde de liberis commerciis inter Friſios omnes horum locorum, Hollandoſq;, & cæteros Alberti ſubditos ſine vectigalis aut portorij onere pactio inita. Demum auxilia ab omnibus his nominatim contra Groninganos, ſi contra ipſos bellandum imperata recuſantes, contraque Vltrajectinum, ſi is Drentiâ non decederet, eamque vendicare Alberto aut pro ſe, aut pro regulo Coverdiano placeret, eidem Alberto peculiari ſyngraphâ promiſſa. Poſtremò opera in vindicandis aut ſarciendis injuriis & detrimentis, Feijoni Doccumano dudum illatis à factione adverſâ, Principi etiam addicta. Facta hæc poſtridiè. Ita ad ſuos ſinguli reverſi, accepto à Principe, quo contra vim ſuorū, ſi qua fieret, tuti eſſe poſſent, pro cuiuſque neceſſitate atque uſu, præſidio. Interea Albertus Groninganos etiam, qui animum eius imprimis urebant, ſedulò ac ſeriò urgere, promiſſis, minis, terrore tentare, arbitrari, niſi hos ſuæ poteſtatis feciſſet, parum ſe tot laboribus & impendiis profeciſſe. Nam aſylum hoc eſſe exulum ac profugorum è Friſiâ, confugium inimicorum ſuorum, non ſolùm animos addens factioni adverſæ, quæ obſequium adhuc detrectabat, ſed pro arce quoque aliquando futurum ad bellum contra ſe movendum, & Tranſlavicanos, quos jam addictos ſibi habebat, à fide rurſum avertendos. Poſtulabat verò ab his, exules hoſtes ſuos ut civitate eijcerent, dominum ſe reciperent, prætores & judices cæteros dandi & abdicandi poteſtatem, mulctaſque, & quæ alia prætorii juris ſunt commoda, capiendi, ſibi concederent. Quod ſi facerent, reliqua relicturum ipſis integra & incolumia, ac ſingulari benevolentiâ civitatem complexurum. Quæ cùm Vltrajectinus audiret, ſollicitus, quamquam domi maximis implicatus rebus, tamen nihil non egit, quò ab ejuſmodi mente civitatem averteret: litteraſq; & legatos illuc clam rurſum miſit, quibus animos civium in ſpem erigeret, nō defutura ipſis auxilia, ſi contingeret ab hoſte eos oppugnari. Erant tum Groningæ in ſenatorio ordine cæteris gratiâ & opibus præſtantes, ambitioſis plerique & non dejectis aut inertibus ingeniis, Eberhardus Sickinga, Wigboldus Eberhardi, Albertus Wigboldi, Suederus Windius, Fridericus Arlous, Iarges Coppenius, Reinoldus Huginga, Ioannes Rengerus, quorum nutu ferè civitas regebatur. Sed nemo Iarge Coppenio factionum ſtudio ſuperior, qui Staverâ ortus cùm magnas opes poſſideret, quamvis aſſcriptitius civis ac novus, tamen facilè in civitate divitias admirante emerſit, & inter primos ſeſe collocavit; paribuſque paſſibus ſe ſequentem filium, jam tum in Senatu vivo patre allectum, Coppenum Iargæum habuit. Hi ut demiſſa libertate peregrinum imperium reciperent, non facilè ſibi perſuaderi patiebantur: nec quandiu eſſent per agrum, qui perſiſtere in libertate vellēt, id facere ſibi per fœderis antiqui leges licere exiſtimabant: fœderis quoq; ruptores nuncupabant omnes, qui inconſultis ſociis cum Alberto tranſigere, & eum adſciſſere dominum velle dicebantur. Pavidos porrò ac parum viros eſſe ajebant, qui Hollandicæ potentiæ metu terreri ſe, quo minùs pro libertate facere auderent, præ ſeſe ferebant. Quòd ſi ipſi tantùm hoſti ſe objicere inciperent, & curſum fortunæ ejus morari, haud defuturos ipſi ſocios magno numero, quibus æquè inviſum peregrinū eſſet imperium, pluſq; omnino virium in partibus fore, quàm ut hoſti expedita queat eſſe victoria: Oſtergoos & Weſtergoos longè plures etiam nunc eſſe, qui liberam agere vitam, quàm dominum pati malint: cis Lavicā omnem penè agrum adhuc in partibus perſiſtere: Reiderios, Mormerios, Amaſanos, cæteros ad orientem non dubitare ſe in eâdem etiam eſſe tuendæ libertatis ſententiâ; imprimis Hiſconem cum Emdenſibus Hollandico nomini infenſiſſimum,

& præter

& præter eum magnam nobilitatis partem. Quæ ſi quis parva exiſtimet, næ illum hominem eſſe inſcitum, & rationum Friſiæ inſigniter ignarum. Atque hunc procerum ſuorum motum plebs oppidana alacriter ſequebatur, avida ſemper nominis liberi, ac ſervitii impatiens; magnaque ejus pars, non ſecus ac pleræque nobilium domus, factionum odio commovebantur. Nec deerant calcaria ab exulibus Oſtergois & Weſtergois, qui fœderum veterum pacta occinentes fidem oppidanorum juratam appellabant: Principum animos liberis populis adverſos, eorum ſtatui ſemper inimicos, etiam cùm blanditiis ſe oſtentant, commemorabant; eoque modo ſpontè currentes magis & magis in hanc partem incitare ſatagebant. Quibus omnibus cùm epiſcopi quoque accederet autoritas, ita affecti civitatis animi fuêre, ut fruſtra laboraturus eſſe in urgendis poſtulatis Albertus videretur. Quæ cùm animadverteret, perplexus hærere ipſe, (præter opinionem enim eveniebant, quòd ſuæ etiam factionis homines non paucos nec viles in urbe ſe habere putaret) atque inter manendum aut procedendum incertus, intereà dum id ſtatuit, terrendi causâ aliquot adhuc cohortes ſævitiâ nobiles (quam gloriam in Octopagicis ſibi paraverant) in agrum Groninganum emittit. Nam rumor erat allatus, per agrum etiam contra ſe haberi conciones, & tumultus cieri, eſſeque ſuos, quos tuendos ſuſceperat, in nonnullo periculo. Etenim cùm emanaſſet, quantovis ſtudio preſſum, ad paucos primùm, deinde, ceu fit, ad plures, demum rumuſculis in omnem partem differretur, quid inter Albertum & eos, quos recenſui, nobiles, eſſet actum, & facta horum cum rumore convenirent, (rem enim ad Hollandos trahere omnibus ſermonibus, quoſcunque poterant gratiâ, pollicitatione, metu, minis, verbis, armis tentatos in iſtam ducere partem deprehendebantur) commoti Sciringicarum partium duces in agro, qui libertatis defenſionem in profeſſo habebant, omnes ordines paſſim, ſuæ conditionis ac juris admonitos, ad coërcendos iſtorum conatus excitarunt. E quibus genere, opibus, partium ſtudio facilè primus erat Eppo Nitterſhemius Stedumanus. Is ut erat ingenij vehementis, apud eos, quorum habere copiã poterat, aſperrimis verbis rem totam traducens, atque exaggerans, omnium animos irâ in autores incendebat. Egregios ſcilicet homines, patriæ patronos, libertatem populi, ignoto & inconſulto ipſo, ſingulari liberalitate peregrino Principi addixiſſe, ſeque viciſſim exuviis his ipſis, præclari nimirum facinoris præclarâ mercede ornari ab eodem Principe eſſe paſſos, & ſervos fieri voluiſſe alterius, ut ſeſe viciſſim dominos imponere proditæ patriæ poſſint: Quos ſi ſemel admitterent ſeſſores, ac frenum reciperent, quod blandis nunc verbis imperitæ atque imprudentis plebeculæ ori ingereretur, haud facile ipſis fore, quibus nunc recuſare difficile non ſit, ſubeunte dein animos pœnitentiâ, priſtinæ ſe conditioni reſtituere. Animis ſolùm nunc eſſe opus in diſcutiendo malo præſente; qui ſi adſint, nihil proclivius eſſe, quàm periculum in autores vertere, Groningâ adhuc in partibus permanente. Ea autem ſi inertiâ atque incuriâ ordinum agrariorum defenſionem libertatis deſerentium permota vacillare incipiat, deſtituta ſociis vicinis, paciſcaturque cum Alberto ſeorſim ſuis rebus conſulens, haud dubium eſſe, quin peſſum itura ſit omnis illa præclara, & multo majorum ſanguine ſæpè defenſa libertas: Et qui liberos homines non malâ conditione perpetuum gerentes imperium legitimum ferre hactenus non potuerunt, clientium ac ſervorum ſervi perpetui ſint futuri. Quòd ſi ſe ducem ſequi velint, patriæ virtutis memores, exemplum ſe proditurum in homines iſtos, quo alii impoſterum ab imitatione facinorum hujuſmodi abſterreantur. Æquum eſſe, ut qui violare libertatem ambitione ſuâ ſint auſi, eandem ſanguine rurſum ſuo ſanciant & inſtaurent. Hoc modo Fivelingiorum vicinorum concitatâ multitudine, in quibus domicilium ipſe habebat, domoque eductâ, cùm Weſteremdam veniſſet, Haijonem Wibenium, ſeu fortè, ſive metu periculi latebras in loco ſacro quæ-

rentem, ſtipatum comitatu ſociorum ac ſatellitum in fano deprehendit. In quem cùm impetum pararet, ille per tumultum in proximam ſacerdotis domum eſt elapſus. Verùm igne in domum eam cõjecto, cùm cedere etiam iſtinc cogeretur, in fanum refugiens nequicquam ſalutem trepidus quæſivit. Nam Eppo ſecutus eum ad ipſam, quam amplectebatur, aram comprehenſum protractumq; cũ omnibus, quos ſecum habebat, occidit. Eo facinore patrato, cùm alia quoque manus ex Præfecturâ vetere, factionis ſimul & libertatis tuendæ ſtudio, odioque nobilium eius oræ incenſa per duces ſuos, ad ipſum veniſſet, & confluerent è Fivelingiis etiam plures, ad reliqua progreſſus, quæ animo agitabat, turrim, quæ inter Mudam ac Poſtum ad Dammonenſium rivum erat ſita, Hollandico præſidio occupatam ad firmandas partes inuadit, & priuſquam ſuccurri à ſocijs poſſet, expugnat, præſidiarios omnes cum præſidij præfecto Petro Reinero Hollando neci dat, quos ferrum non hauſerat, eos in aquam præcipitatos ſuffocat, omnium corpora in orâ rivi tumultuariè terrâ obruit. Plura parantem, ac viribus confluxu ſociorum auctum Ferhildemæi concitatâ universâ factione ſuâ, Hollandíciſq; cohortibus compluribus in auxilium excitis in ſe vertunt. Quos cùm ſuſtinere non poſſe ſe cerneret, converſo ſtatim itinere Groningam cum omni agmine confugij causâ properè ſe recepit, ſequentibus eodem, ac velut ad arcem confluentibus ex omni agro, qui partium earundem erant. Verùm cautus æque ac prudens ſenatus, inſidias ab hoſte metuens adventantem promiſcuam multitudinem in tantâ rerum perturbatione intra mœnia recipere ſtatim non fuit auſus. Adijciunt alij: cùm preſſorum neceſſitatem videret idem ſenatus, occaſionem negligere ſtultitiæ arbitratum portas venientibus præcluſiſſe, vt perterritis & extremo circumventis periculo auxilium oportunum majore mercede venderet. Quod mox factum. Nam cùm premeret hoſtis, & ultimos jam cæderet, jactari cæptum à trepidâ multitudine, ſi ſe defendendos in tanto diſcrimine Groningenſes ſuſciperent, impoſterum in poteſtate ciuitatis ſe eſſe futuros. Tum ſtatim portæ apertæ, ac defenſio promiſſa. Sed pacta hæc vel quia expreſſa metu, vel quòd à paucioribus ſine cæterorum conſenſu inita, non eam vbique, quam ſolent ritè confecta, ſequenti tempore vim habuère. Hæſiſſe tamen videtur aliquid, quod prætoriæ poteſtati iudicum in vrbe per omnem agrum vicinum principium haud multò poſt dederit. Hoc rerum in Ciſlavicanis eventu conſternatus Albertus, quamvis eum ad progrediendum hortaretur filius, & ex proceribus Hollandis nonnulli, maximè verò rogarent novi clientes, & in eo ſalutem ſuam, ipſiuſque adeò fortunam Principis ſitam dicerent, affirmarentque, ſi exercitum oppido ſtatim admoveret, facilè ipſum terrore præſentium armorum ad ſubitam deditionem perterritos oppidanos eſſe compulſurum, tamen ut Lavicam cum univerſis copijs tranſiret, perſuaderi non potuit. Nam ſenex prudens, & rerum belli gnarus, nec ſatis virium ſe habere ad oppugnandum putabat, & à trahendo bello, ac civitatem obſidendo magnitudine ſumptuum deterrebatur; & minùs roboris in partibus apud Ciſlavicanos eſſe quàm perſuaſus à nobilitate expectaverat, deprehẽdebat, imò totius penè populi animos à ſe experiebatur alienos: deinde inopiâ rerum omniũ, morbis aliiſque incommodis affligi indies milites cernebat, atque his majora per hyemem, quæ in proximo erat, metuebat. Quibus commotus rationibus & laborum militarium ob ætatem pertæſus redire in Hollandiam cum exercitu conſtituit. Itaque præſidiis hic illic diſpoſitis, partem exercitus Staveram ire, ut iſtic naves conſcenderet, reliquos, qui plurimi erant, ad Lunæum caſtellum, ubi erat ipſe cum omnibus tentoriis & impedimentis cæteris, in claſſem imponi iuſſit. Quæ cùm celeriùs, & magis tumultuariè adminiſtrari viderentur, quàm ſolet fieri

ab iis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ab ijs, qui timore non ſunt correpti, animos ſuſtulere, qui adverſarum partium in ea Friſiæ orâ erant. Et cùm poſtremæ naves ſolverent, agerentque feſtinantiùs, & earum duæ omnibus rebus inſtructæ in vado fortè hærerent, Octopagici è Friſiis ferociſſimi, quique atrociſſimis erant iniurijs læſi ab Hollandis, concurrentes celeriter eas circumſtitere, & deſertas à vectoribus fugâ ſibi conſulentibus in ignominiam abeuntium injecto igne perdidere. Sic digreſſus è Friſiâ Albertus, avectis ſecum, quas è ſepulchro ſuſtulerat, avunculi reliquijs, plus trepido hoc diſceſſu poſt ſe dedecoris, quàm benè geſtis gloriæ reliquit. In hac rerum Friſiæ perturbatione epiſcopus Vltrajectinus Fridericus diminutionem juris ſui metuens, ſi rediret eôdem Albertus, id quod futurum primo vere fama ferebat, ſtatim ab abitu eius, miſſis permagnæ autoritatis viris, quantâ potuit contentione cum Groninganis egit, tum ut controverſias ſecũ componerent, tum ut obſequium apud ſe, fidemq; , quam debebant, profiterentur. Verum cunctantibus ijs, hoc tamen obtinuit tandẽ, cùm crebreſcerent de novis Alberti apparatibus rumores, ut cæteris ſuſpenſis in tempus aliud, tum ſolùm promitterent oppidani, in fraudem Eccleſiæ Vltrajectinæ alium ſe dominum non eſſe cooptaturos; atque ipſe viciſſim pollicitus eſt, ſe iis laborantibus & preſſis auxilio futurum. Interea deſignati vtrimque, de quibus dixi, XIIII-viri ſcribendarum reliquarum conditionum imperandi parendique in Friſiâ jam ſubacta: editique ab Alberto è procerum ipſius numero Ioannes Arkulæus, Guilhelmus Couſenius, Philippus Waſſenarius, Gerardus Egmondanus, Ioannes Hemſtedius. Nicolaus Borſelius Selandus, Gerbrandus Conſtræus antiſtes Bringenſis Hannonius: à Friſiis nominati iidem, quos priùs recenſui, Geroldus Camminga, Hero Hottinga, Feijo Doccumanus, Tiarcho Waltha, Siurtus Wiarda, Goſſicus Heſſelinga, Tiedmarus Hopperus. Qui cùm coiiſſent huius rei ergò in Hollandiâ ad finem menſis Aprilis, hæc tandem capita edidere; ſanè haud decora libertati gentis: *Primùm, remiſſo, quod ſibi alioqui imperij ratione competere, & à maioribus ſemper ſuis vendicatum eſſe aſſerebat Albertus, tributo annuo in ſingulas domos, remiſſis etiam ex gratiâ decimis rerum minorum, ut vitulorum, agnorum, porcellorum, anſerum, ac ſimilium, idem Albertus haberet quotannis ex omni agro Oſtergoo & Weſtergoo frugum omnium pro decimis duodecimas, excepto tantùm hortorum proventu: retineret tamen decimarũ ius in agris decumanis, antiquitùs ſcilicet oneri huic ſubiectis: auliciſque prædijs in uſus aulæ pro arbitrio, ut ſuis uteretur: venationes & aucupia populo eſſent libera: rivorum, aquæductuum, emiſſariorum, cataractarum, & cum his cohærentium piſcationum ſummus haberetur dominus Albertus, & eius hæredes; quique hactenus ea pro ſuis tenuerant, ij eadem retinerent quidem, ſed beneficio Principum, exceptis iterum piſcinis, quas ſinguli haberent depreſſas in ſolo ſuo: Monaſtica verò huius generis omnia ſimpliciter Principibus cederent; hi pro arbitrio de ijs diſponerent: molarum quoque ius, quæ ventis aguntur, in universâ regione, in ſolidum eſſet eorundem: item collationes beneficiorum ſacerdotalium, ac cæterorum Eccleſiaſticorum; atque item agri omnes, qui ex alluvione aut accreturi erant impoſterũ, aut iam accreverant, nondum aggere cincti. Fani & ptochodochei extructio ob belli calamitates populo remiſſa à Principe in quinquennium. Interpretatio dubiorum in his capitibus reſervata ipſis autoribus: è quibus ſi quos contingeret mori intereà, aut impediri quoquo modo, ut adeſſe cæteris conventuris non poſſent, poteſtas facta reliquis, ſubſtituendi collegas in eorum locum.* Hæc probata vtrimque, & Alberti, Friſiorumque ſigillis publicis firmata v Nonas Maij. Publicata verò in populo ſummæ invidiæ autoribus, ſummo odio imperio Hollandico fuerunt, facilè hinc ut appareret iam tum, non eſſe diutiùs in obſequio manſuros, qui tunc parebant quàm cogeret neceſſitas. Nã ſub imperij æqui, & legitimi ſpecie ſervitutẽ ſibi irrogari quomodò poſſent concoquere liberi ſpiritus? Acceſſerunt feſtinandis tumultibus prętores novi, &

præſidiorum præfecti in Friſiâ relicti: qui ignominiâ Principis ſui exacerbati
aſperiùs tractare plebem, bellique prætextu tributa poſcere, recuſantes ſpo-
liare. Interim Sylveſtres quoque, ac Stellenwerfios armis ad profitendum ob-
ſequium, ac ſacramentum Principi præſtandum adigere: iis domitis tum verò
multò inſolentiùs etiam ſe ferre, conditiones has ipſas quantumvis iniquas ex-
cedere, querentes propterea, aut imperatis non parentes exempli causâ gra-
viùs mulctare, irridere inſuper & ſtultitiam objectare: denique id conſilii ha-
bere, ut metu potiùs quàm benevolentiâ populum libertatis uſu ferocem in
officio continerent. Hoc ſtabiliendo imperio medium quæſitum, maturioris
defectionis cauſa fuit. Nam plebs planè jam circumventam ſe cernens, ipſa
per ſe ſervitii ac injuriæ impatiens, & nutans tacitè fremebat, dolebatque, mi-
nus ſibi animi fuiſſe quàm Octopagicis, quorum maxima pars hactenus ad ob-
ſequium cogi ſe, contemptis omnibus injuriis Hollandicis, non ſiviſſet. Huic
porrò faces ſubiiciebant è nobilitate non pauci Sciringicarum partium, qui,
tùm factionis ſuæ amore ac ſtudio, tùm quòd ægris oculis ſolos Vetcoperos
Sciringiis omnibus præteritis ad honores & munera reip. eſſe admotos cerne-
rent, Hollandicum nomen impensè oderant. Hi aſperè traducere tam turpes
parendi leges, invehique in eos, qui iis ſcribendis adfuiſſent, libertatis patriæ
proditores, ſervos gratiæ Principum hos ipſos vocare: dein hoſtiles exaggerare
injurias, incuſare & deteſtari fluxam fidem, vires exhauſtas elevare, atq; ita me-
tum ex his demere: Groningam & omnem eum agrum, cæteraq; ad orientem
Amaſi oſtendere, ſine quibus ne fidat quidẽ ipſe Albertus quicquam cis Flevum
ſe retinere poſſe, niſi populus ſpontè ſervire quàm liber eſſe malit: denique epi-
ſcopus vicinus frigidam etiam ubiq; per ſuos ſuffundere. Sic tumultus minutus
primùm factus aliquot locis ad compeſcendos injuriam inferentes: deinde la-
tiùs fuſus: poſtremò ad omnes pervenit, conſenſuſq; valuit de imperio Hollan-
dico cis Flevum excutiendo. Tum fœdus cum Senatu populoq; Groningano,
cumque iis, qui per agrum vicinum & per omnem Amaſanum tractum Sci-
ringico nomini ac libertati tuendæ contra peregrinum imperium inhærebant,
percuſſum: decretum etiam de claſſe communi ſumptu parandâ ad infeſtãdos
hoſtes, & Friſiæ littora ab eorum protegenda iniurijs, deq; piratis, qui in orien-
tali Friſiâ hyberna habebant, hunc ipſum in uſum conducendis. Claſſis inſtitu-
ta ſtatim, præſertim in Lavicæ portibus, prædones quoque acciti. Deinde ar-
mis correptis, quæ in promptu erant, ſociorumque orientalium auxilijs etiam
evocatis, ducibus Sixto Decamâ, Galone Hanniâ, Odone Botniâ, præſidium,
quod Doccumi erat, obſeſſum, & cùm ſe dederet, incolume dimiſſum: Cam-
mingana arx primo impetu furentis populi capta, præſidijque magna pars cæ-
ſa: Prætores ſupremi, qui in fide Hollandi erant, quòd pro Principe niti vide-
rentur, nomenque Hollandicum ejurare ſtatim nollent, pro perduellibus ha-
biti, patriâque & fortunis expulſi: domus eorum everſæ. Sed maior difficultas
reſtabat, in Staverano & Lunenſi præſidio eijciendo. Nam Staveram diſce-
dens Albertus tum alijs operibus, tum arce prævalidâ & eius generis primâ per
Friſiam muniri juſſerat: Et in Lunenſi caſtello promptiſſimam c c iuvenum
manum impoſuerat: eaque repetendæ aliquando Friſiæ in omnem eventum
velut inſtrumenta oportunis in ipſo littore locis præparaverat. Huc igitur
animis omnium converſis, in Lunenſes, ob munitionum firmitatem, & in in-
timâ Friſiâ ſitum, priùs ire viſum. Quos tantâ multitudine, (nam ab omni parte
velut ad commune incendium reſtinguendum avidè illuc concurſum eſt) tan-
tâque vi & contentione ne noctu quidem intermiſſo oppugnandi labore urſe-
runt, portu quoque navibus obſeſſo, ut niſi ſe maturè dederent, paulò pòſt ex-
tremo conatu expectato, de vitâ & fortunis ſuis actum eſſe præſidiarii intelli-
gerent. Itaq; præſidii præfectus Gellius Scengius, deſperatis ex Hollandiâ auxi-
liis, advocatâ ſuorum concione, præſentique periculo poſito ob oculos, ad de-
ditionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ditionem faciendam ſe paratum oſtendit. Ejus ſententia collaudata ab omnibus, colloquijq́ue copia petita, & impetrata, caſtellum omnibus rebus munitiſſimum opinione celeriùs deditum, præſidiarii cum rebus ſuis ſine detrimento dimiſſi. Albertus, his rebus cognitis, deteſtatus fidem præfecti, levitatemq́ue Friſiorum immeritò accuſans, de ultione cogitabat. Igitur præmiſſis celeriter, qui Staveræ præſidio eſſent contra primos impetus, oppidumq́ue majoribus operibus communirent, ipſe interea majores copias cogere, naves inſtruere, omnia parare non ſolùm ad Staveram retinendam, ſed ad Friſiam omnem in Amaſum uſque, ſi poſſet, recuperandam. At Friſij haud ſegniter peragere reliqua conductâ prædonum operâ, de quibus dictum, navigiis Hollandos ubique inceſſere, maleq́ue mulctare, ſi quid uſquam præſidii eorum per Weſtergoam ſupererat, id eijcere, mox Staveram univerſi ire, caſtriſq́ue haud longè contra oppidum poſitis ad vicum Molcwerumum, caſtelliſq́ue minoribus hic illic etiam erectis ad munitiones uſque excurrere, obſeſſos omni vi urgere. Tum verò feſtinandum ratus Hollandus, priuſquam ea quoque civitas rebus ſuis oportuniſſima, & cum eâ reliqua etiam ſpes amitteretur, Egmondanum & Brederodium (ſic enim nonnulli annales habent) cum iis, quas in promptu habebat, copiis ſanè ingentibus atque optimè inſtructis, navigare ſine mora juſſit, ac Friſios ab obſidione depellere, tum cætera agere, quæ fors offerret, quæq́ue ex uſu reip. Hollandicæ eſſe viderentur. Illi ociùs paratis, quæ illuc pertinebant, enavigatoq́ue ſinu, cùm ad oppidum obſeſſum appuliſſent fæliciter, egreſſi in campũ ſub ipſis oppidi mœnibus conſederunt. Inde pugnâ cum Friſiis conſertâ, primùm in fugam ab iis acti, detrimentoq́ue affecti, mox cùm ſecuriùs eoſdem agentes obſervaſſent, in caſtra eorum invadentes, cæde nonnullâ in principiis editâ, tumultum & terrorem maximum totis caſtris excitarunt: nec deſtiterunt deinde die ac nocte ipſos aſſiduò inceſſere, omnibúſque afficere incommodis, donec laborum ac periculorum tædio tandem feſſi, relictâ oppidi obſidione, caſtríſque deſertis domum dilaberentur. Nec tamen Hollandi cælo & ſolo diffiſi ob annum in autumnum vergentem, & tempeſtatibus imbribúſque fœdum, præter direptionem locorum proximorum, quicquam ulterius tentare auſi: Neque multò pòſt, relicto cum cohortibus aliquot ad ſecurius præſidium apud Staveranos Brederodio, quæ contra Friſiorũ repentinos conatus per hyemen in procinctu eſſent, Egmondanus cum cæteris copiis in Hollandiam rediit. Et quanquam ſecuta aſperrima hyems fuerit, ac in paucis memorabilis, quâ omnia conſtricta gelu, & exercitibus pervia jacuerunt, non tamen id animi Albertus habuit, ut repetere provinciam amiſſam, ac denuò ſummas Friſiorum vires, nullâ tum diſſenſione diſtractas tentare auderet, præſertim ſenio jam confectus, cui ætati quies quàm belli labor ac moleſtia eſt gratior: contentus Staveram, inſtrumentũ commodiſſimum inſtaurandi quondam belli, defenſam hæredibus ſuis relinquere, littoráque ſua à prædatoriis Friſiorum navibus, quæ multum detrimenti paſſim dabant, deinceps tueri. Atque hæc trans Lavicam & Amaſum amnes eo anno geſta. Cis Amaſum verò Widfeldus & Folcmarus ad ſuos reverſi tegere ea, quæ cum Alberto egerant, exſpectare exercitus ejus adventũ, ſuas interim res agere: ubi verò nec ad Groningã negotium ſuccedere, & parum honeſtè ex Tranſlavicanis Albertum diſceſſiſſe, fortunámq; ejus iſtic quoq; nutare audiſſent, perplexi animis, ſpe tamẽ reditus Alberti aut filij ejus in annum ſequentem ſe ſuſtentarunt. Intereà eorum alter Broecmerius, qui Mormeriã tenebat ſive de voluntate novercæ & fratris, ſive invitis his (id enim parũ conſtat) in tumultũ eâ in regione incidit, qui ejus fatũ maturavit. Hujus principium à Foccone fuit Vconis filio, Edermoræ in Mormeriâ, familiâ nobili, ſed haudquaquam locuplete, nato, ingentis ſpiritus viro, qui tum primùm ad famam cœpit clareſcere, magnum poſteà nomen domi foriſq; adeptus. Is Foelquæ, ut ego arbitror, quanquam id non dicant annales,

inſtinctu celeberrimum ijs in locis cœnobium virginum Benedictinarum Thedingam, quod tum Folco abbas regebat, celeriter occupatum præſidio militari inſedit, vt eâ velut arce contra Widſeldum vteretur. Verùm cùm virium ſatis non haberet, oppugnanti Widſeldo cedere ſtatim fuit coactus, magno cœnobij malo. Nam iſte eiecto æmulo iram in locum effundens, ignem in omnia eius ædificia iniecit, fani ipſius teſtudinem, quam ignis diſſoluere non poterat, diruit, cæteráque ab incendio reliqua ſolo æquauit. Atque hoc modo mulctatum cœnobium toto octennio in ruderibus & ſine habitatore vaſtum jacuit. Non multò pòſt epiſcopi vicini Monaſterienſis, Bremenſis, Mindenſis cum Comite Oldenburgico conſpiratione in eundem factâ, quibus non ferenda hominis nothi arrogantia & impietas videbatur, collectam militum manum eâ viâ, quæ Oithâ venit, in Mormeriam miſère. Quos cùm aditu editioris campi, qui illic poſt humilia non procul à finibus ſe attollit, prohibere Widſeldus iſtuc repentè accurrens inani operâ eſſet conatus, pedem referens in templum Deteranum, quod in proximo ibi eſt, & communitum ab ipſo erat, ſe recepit, malo fato ſuo. Hoſtes enim fugientis veſtigia perſecuti obſeſſum in templo, & tormentis, ferro, flammâ oppugnatum dedere ſe ſine conditione coëgerunt; deditumque cum commilitonibus, qui cum eo ſe templo incluſerant, gladijs confecère. Quod factum VIII Calend. Maij, anno eodem M.CCC. XCIX, quo priora trans Lavicam geſta retuli. Nec militum ea manus longiùs tum progreſſa eſt. Quod mihi argumento eſt, à Foelquâ & Kenone, aut à Foccone, qui tum iſtorum in ſtipendio erat, rogatos epiſcopos hanc Widſeldo tempeſtatem immiſiſſe, ſimulque violatæ religionis crimen incenſo nuper vaſtatóque ſacro cœnobio eſſe vltos. Memoriæ proditum eſt à ſcriptoribus, tam aſperum anni huius M.CCC.XCIX hyemem fuiſſe, vt ex Pomeraniâ reliquóque Germaniæ littore rectà in Daniam pedites per glaciem mare tranſmitterent, res inauditi antè exempli, ideóque à nobis hoc loco non prætereunda. Quâ occaſione vſus Albertus Holſatiæ Comes, Gerardi Sleſwicenſis frater, Tranſeidoranam Friſiam bello vexatam ad extremam vaſtationem redimendam ingens tributum ſibi ſolvere coëgit.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XVII.

M.CCCC. PROXIMO anno, qui fuit à nato in terris Chriſto M.CCCC, cum novo ſæculo novi quoque tumultus in Friſiâ per agrum Groninganum enati: quorum tamen origo non aliunde quàm ex bello Hollandico fuit. Namque Ferhildemæi fratres cum ſocijs, cùm ſeſe deſertos ab Alberto viderent, mœſti ac perplexi animis in ſummâ difficultate verſabantur. Nam quâ erant ingeniorum ferociâ, nec imperare ſibi poterant, vt temporibus ſervirent, nec, ſi maximè poſſent, expeditum id ſibi, ac honeſtum arbitrabantur. Erat quippè ingens, quo laborabant apud omnes ferè ordines, odium, quod vendidiſſe libertatem patriæ, vt ſe dominos conſtituerent, dicerentur: eamque ob cauſam in perduellium erant numerum à fœderatis relati, bonaque

ipſorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ipſorum publicata.Itaque de Alberti auxilio jam prorſum deſperantes, non ſo-
lùm Oſtergoâ & Weſtergoâ rurſum ejecti, ſed domi etiam difficillimis rebus
ex bello inteſtino impliciti, nec videntes remedium aliud, ad Vltrajectinum
epiſcopum Fridericum Blanchenhemium ſe contulerunt. Cum hoc, cui ſarta
nuper cum Alberto gratia erat, & ditio ad mœnia propè Groningæ ſe porri-
gens, & opes magnæ, & animus ad arma promptus, idemq́ue Groninganis
haud æquus, agunt, haud invito, ut ſuſpicor Bavaro, ut ſe reducendos in pa-
triam,atque in integrum reſtituendos ſuſcipiat: magnamq́; pecuniæ ſummam
hoc nomine offerunt,ampliora in futurum pollicentur.Ille pecuniæ,potentiæ,
gloriæ æquè cupidus, imprimis in Groninganos cauſam & vires quærens, pro-
clivia cuncta & facilia ſomnians in fidem eos recipit, operam & opem prolixè
promittit,in ſinu ridet. Mox ne quid cupide, aut violenter agere videatur,le-
gatos Groningam,& ad ſocios mittit,exules recipi,atq; in integrum reſtitui,ar-
ma dimitti, prætorium jus non bonis quæſitum rationibus intra extraq́ue op-
pidum reddi poſcit. Ambigere primùm Groningani in exulibus ob epiſcopi
nomen: ſed ſocij agrarij recuſare omninò, nec velle poſtulata audire, & oppi-
danos promiſſi & fœderis admonere.Itaque de eorum ſententiâ reſponſum le-
gatis, haud æquum eſſe,à ſe id peti,nec poſſe hic morẽ ſe gerere epiſcopo: per-
duelles quidem receptum non iri, etiamſi graviſſima ejuſce rei cauſâ pericula
ſint ſocijs ſubeunda: Cætera, quæ poſcerentur, quæſita rectè ab ijs,qui eorum
poteſtatem habebant, nec integrum civitati, ea dimittere: Rogare omnes ſa-
crorum antiſtitẽ, ne quid ageret cupidè,aut temerè turbaret, neu memoriam
tranſactionis nuperæ tam citò apud animum ſuum oblitterari pateretur. Quæ
dum hic illic aguntur, legatiq́ue eunt & redeunt, fœderati nihil de propoſito
remittentes,adſcitis in fœdus ſociis pluribus Reideriis, Amaſanis,Hiſcone Em-
dano,confecto quàm celerrimè exercitu,duce Alberto Wigboldo Conſule op-
pidano, cujus magna erat autoritas, ac peritiæ rei militaris opinio apud vul-
gum, in Æpconem Onſtenium Ferhildemæum, qui domi in præſidio reman-
ſerat,ducunt, eumq́ue Saverdiæ in arce, quâ nulla per totum illum agrum erat
validior, (XII namque pedes latum murum cum patente & profundâ foſsâ ha-
bebat; cui foſſæ etiam altera exterior quinque in ambitu alias turres lateritias
includens accedebat) obſident atque oppugnant: verùm non magno ſucceſ-
ſu, propter operum, quam dixi, firmitudinem. Quæ tanta omninò erat, ut
fruſtra fuiſſe laboraturi viderentur, niſi tandem ſubitâ operâ rivò proximo na-
vigabili cum arcis foſsâ cõjuncto, atq; ita ſcaphis compluribus in ipſam foſſam
inopinatò inductis, è quibus oppugnare arcem, & muros cavare poterant, ob-
ſeſſos terruiſſent. Sunt tamen, qui multo difficiliq́ue labore tandem expugna-
tam,ac vi captam eſſe arcem affirmant. Alii etiam fruſtrà diu oppugnatam de-
mum fame domitam, deditamq́ue tradunt. Aepco captus cum præſidiariis, ac
Groningam ductus multos annos in vinculis fuit.Sed vix eam rem confecerant
Groningani cum confœderatis, cùm epiſcopus Fridericus, precibus fratrum
Aepconis ac cæterorum ad accelerandum excitatus, poſtquam litteris & le-
gatis, quos eam ob cauſam miſerat, profectum nihil eſſe comperiſſet, cum
magno exercitu advolat, & caſtris ad meridiem poſitis, terroréque primo ad-
ventu quàm latiſſimè fuſo, obſidere civitatem inſtituit ad medium menſem
Septembrem: foſſam verò antè caſtra ducit longiſſimam, ad repentinos oppi-
danorum incurſus inhibendos,& tormenta, quæ ſecum adduxerat, recens tum
adhuc inventum ac terribile, poſt foſſam ſtatuit eo in loco, quẽ Kempij collem
incolæ vocant. Eâ obſidione durante, cùm excurrerent frequenter oppidani,
ac velitationibus cum hoſte certarent, præter alios capti ſunt duo juvenes au-
daciùs ſeſe inferentes, Ioannes Hovius, de quo ante dixi, nobili ſanguine or-
tus, & Folcherus Mauriſſingius, patritiæ familiæ in oppido, cujus parens Wig-
boldus Mauriſſingius multis annis conſulare imperium tenuerat, magnâque

gratiâ

gratiâ & virtutis opinione vixerat inter ſuos, ipſe verò à Iarge Coppenio gener electus, egregiæ ſpei adoleſcens; hique ambo Vullenhoam in cuſtodiam ſtatim miſſi: nec indè dimiſſi priùs, quàm hic magnam auri vim, ille prætorij juris trientem, ad ſpeciem ſaltem, cùm poteſtatem ejus ampliùs non haberet, epiſcopo dediſſent. Sed enim epiſcopus difficultate rei, quam agebat, animadverſà, quod & ſatis inſtructam contra vim & obſidionem civitatem intelligeret, & majorem ſociorum concordiam & robur eſſe experiretur, quàm expectaverat, atque ita minus virium, quàm perſuaderi ſibi ſiverat, in exulum factione eſſe comperiret, incommodumque bello gerendo tempus ingrueret; poſtremò, quod à nonnullis annotatum eſt, peſtis quoque toti illi oræ incumbens exercitum graviter affligtaret, diſcedendi conſilium magis neceſſarium ſibi quàm honeſtum cepit. Sed ne deſerere rem, nihilve egiſſe videretur, caſtello militari quatuor ab urbe paſſuum millibus in meridiem loco idoneo juxta ſtagnum excitato, foſſam cum minutioribus munitionibus hinc uſque in Hornanum rivum pertinentem addit, ad præcludenda iſtuc itinera, ibique præſidium collocat ſatis validum: ita futurum opinatus, ut & ſpeciem obſidionis relinqueret, & metu præſidii pra ſentis futurique reditus ſui contineret ab injuriis ſociorum civitatem, & Drentiam quoque ab incurſionibus tueretur. Quibus omnibus celeriter confectis, poſt tertiam obſidionis ſeptimanam exercitum reliquum indè reducit. Ab ejus abitu peſtis vis remiſſa ingruente frigore, quæ tanta fuiſſe per Friſiam eo anno à nonnullis proditur, ut tertiam hominum partem rurſum ſuſtuliſſe vulgò ſit creditum: clades profectò omni ævo memorabilis. Groningani ſociique diſceſſu epiſcopi erecti, non tamen ſine metu fuêre. Nam trahere illum bellum ſtatuiſſe ex præſidio Blancowerano (hoc enim ei nomen datum) perſpiciebant: & de reditu majoribus cum copiis minas jactare, cùm primum anni tempus bello gerendo commodum adeſſet, ex rumore & nunciis accipiebant: audiebant etiam occupatum in adſciſcendis vicinorum auxiliis & amicitiâ, maximeque Monaſterienſem ſollicitare, quem noverat ob opes & acrem bello animum, ſed imprimis ob confines agros, & apertos ex ejus diœceſi in regionem Friſiorum aditus tum ſibi prodeſſe plurimum, tum hoſtibus ſummo incommodo eſſe poſſe. Itaque ipſi, qui idem quoque norant, antè omnia ei etiam fœderi impediundo, conciliandoque ſibi epiſcopi animo legationem amplam Monaſterium decernunt. Mo-
M.CCCCI naſterienſis neceſſitatem eorum perſpiciens, tergiverſatus aliquandiu, ex conſilio demum & conſenſu ſuorum ordinum ad VI Idus Martias his conditionibus amicitiam iis bis mille aureis vendidit: *Groningani, Hunſingonij, Langowaldij, Fredowaldij, Hummerzij, Fiveſingij, quique in Præfecturâ veteri, item Reiderij, Amaſani, Hiſco Emdenſis, omnéſque huius amici, Monaſterienſium ſocij, mercatum & commeatum liberum haberent per univerſam diœceſin, uterentúrque ubique benevolis epiſcopi præfectis ac miniſtris, promptâque eorum operâ, quotieſcunque res requireret: nemo verò impedimento his ipſis eſſet, aut incommodum afferret durante hoc bello Vltraiectino: nec fas eſſet aut epiſcopo, aut ſucceſſoribus, aut ſubditis, ab his pactis diſcedere, niſi antè bis mille aureos ſociis reſtituiſſent.* Hac expeditâ re, cùm vix domum rediſſent legati, oppidani portis egreſſi magno ſtudio juventutis ſuæ proximas nobilium domos munitas, qui cum Oſteniis ſentiebant, invadunt, & diſijciunt. Deinde convocatis ſociorum copiis ex omni agro, in quibus multi inerant viri nobiles, ulturi dolorem ſuum prætextu perduellium puniendorum. Dammonam contendunt, in quâ domicilia habebant fratres duo Omco & Popco Snelgeri è primâ ejus oræ nobilitate, Onſteniorum factionis ſocii: quæ domicilia utrimque juxta fanum oppidi ſita, haud magno capta labore funditus evertunt. Inde Farmſumum in Amaſi ripâ vicum duobus ferè paſſuum millibus Dammonâ diſtantem omnes profecti, cùm temerè in Vniconis Ripperdæ arcem iſtic impetum facere pararent, inopinam cladem accipiunt. Ripperda enim tempeſtatem hanc pro-

ſpiciens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſpicens operâ Ennonis Greetſilani Sircſeniæ familiæ, ad quem eo ſe nomine
contulerat, cccc prædones Saxones iſtis, ut dixi, portibus hybernantes, ſti-
pendio conductos per tenebras nocturnas clam in arcem immiſerat, ut ei præ-
ſidio eſſent. Hi cùm viderent improvidum agmen, ac de invadenda arce tan-
tùm cogitans propiùs ſuccedere, repentè erumpentes nonnullos Groningen-
ſium, plurimos verò ruſticorum occiderunt. Quâ re inexpectatâ cæteri perter-
riti incompoſitè pedem retulerunt Dammonam verſus fugientibus ſimiles;
multi etiam, dum in primâ conſternatione ſe urgent, in rivum Farmſumanum
impulſi ac ſuffocati vitam amiſerunt. Deinde Dammonæ triduum morati ad
recolligendum animum, parandaque ea, quæ ad oppugnandam arcem præſi-
dio munitam neceſſaria videbantur, in quibus magnus erat ſcapharum ac lin-
trium numerus undequaque contractus, & curribus impoſitus, collectâ majore
irâ, eòdem rediêre. Tum naviculis in arcis foſſam dimiſſis, quibus armati ad
ipſum murum confertim ſubire poterant, & oppugnatio ſummis viribus ten-
tata: demum arx poſt longos labores, plurimaſque cædes capta. Prædones
præſidiarii partim primo impetu gladiis confecti, reliqui in ultionem ab ipſis
cæſorum in arcis foſsâ, aut in vici rivo ſubmerſi, enectique, Haijo Addinga
Weſterwoldius vir nobilis, &, ut in liberâ gente, potens, Weddæ dominus,
ſive ille præſidio arcis pro Vnicone præfectus, ſeu caſu quodam in arcem dela-
tus, cùm eam oppugnatum confœderati venirent, ibidem captus, ætate jam
gravis, Groningam in carcerem mittitur, in quo totum ſeptennium manſit.
Arce vaſtatâ, Muntam, quæ in Præfecturâ veteri eſt, ſine morâ itum, faciliq; la-
bore arx Mennonis Houwerdæ illic occupata & ſolo æquata: eodemque mox
impetu Oſterbrocam perventum, quæ in eodem agro eſt, expugnatâque arce
Eioldi Gockingæ Tammonis filii, cujus erant iis locis præcipuæ opes, & autori-
tas, idem quoq; in eam exemplum fuit à victoribus ſtatutum. Hoc modo vel iræ
ſatisfactum à factioſis, vel perduellium pœnis patriæ libertati violatæ parenta-
tum ab iis, qui eam defenſam volebant. Socii agrarii à ſignis dimiſſi, oppidani
domum reducti. Senatus populuſque oppidanus Gockingæ, Houwerdæ, alio-
rúmq; exulum jura per Præfecturam veterem, non invitis ordinibus vicinis, ad
ſe traxit. Ferhildemæorum quoq; reditus per proximos aliquot annos fiſco il-
lati. Reliquorum exulum bonis quid acciderit, mihi exploratum non eſt. Atque
harum rerum geſtarum, quæ ad incrementum civitatis plurimùm pertinere vi-
debãtur, memoriæ cõſervandæ gratiâ, dies is, quo Gockingæ arx everſa fuit, qui
fuit IX Cal. Maij, in oppido ut ſupplicationibus ſolẽnis eſſet & ſacer apud omnes
poſteros, decretum. Reliquum æſtatis ejus, & autumni mutuis infeſtationibus &
variis belli negotiis traductum. Nam præter Blancoweranum præſidiũ caſtel-
la minuta hic illic collocandis ſtationibus Vltrajectinus conſtituerat, & aver-
tendis commerciis, prædiſq; abigẽdis ex omni fœderatorum agro, quantũ om-
ninò poterat, oppidanos ac ſocios premebat; nec quicquam omittebat, quod ad
frangendos eorum animos putaret pertinere. Fœderati autem cuſtodiis paſſim
contra hoſtis conatus diſpoſitis, nõ ſolùm præſidiis minoribus viciſſim immine-
bant, paulatímq; deſerere ea hoſtẽ cogebant, ſed excurſionibus longè latéque
factis, & inſidiis paſſim cõparatis itinera Vltrajectinæ diœceſeos reddebant in-
feſta, ac pluribus penè incommodis, quàm afficiebantur, epiſcopi ſubditos, ſed
maximè omniũ Tranſiſalanos, ipſi afficiebant. Quæ cùm moleſta eſſent utriſq;,
operâ interceſſorum induciæ inter eos ſunt conciliatæ pridie Cal. Decemb. du-
raturæ ad Idus uſq; Novemb. proximas. *Per has conſtitutũ, ut de toto bello componen-*
do, & dirimendis controverſiis ampliùs ageretur. Intereà liceret captivis omnibus utrimque
è cuſtodiâ dimiſſis, aut datâ fide, aut præſtitâ cautione, domum reverti, & ſuis rebus uti,
frui, quales tum erant, ad finem uſq; induciarum: ante quas exeuntes niſi pax coiret, ſinguli
pridie Iduum Novemb. cuſtodijs ſe redderent. Epiſcopus munitiones Blancoweranas hoc
toto tempore non augeret, nec alias in Drentiâ, aut præfecturâ ſuburbanâ in Groninganos,

ſocióſve eorum Friſios inſtitueret : Groningani manerent tantiſper in poſſeſſione iuris prætorij in oppido & vicinâ præfecturâ, ac penſionem conſtitutam eo nomine Canonicis Vltraiectinis ſolverent, uti ſolent. Amicitia & libera commercia eſſent omnibus Friſiis inter Amaſum & Flevum cum hominibus diœceſeos Vltraiectinæ. His inducijs animi utrimque ex longis malis recreati, & quies toto anno ſine vitio culta. Sic ſanè commentarij, quos his de rebus vidi, omnes. Sed chartæ Ejoldi & heredum ejus, quæ iſto ſæculo ſunt ſcriptæ velut hypomnemata actorum defendēdarum partium gratiâ, paulo aliter atque etiam accuratius ea quæ ad Eioldum pertinent, recitant: Eioldum nimirum flagrantem invidiâ, & periculis preſſum anno æræ Chriſtianæ M.CCC.XC.IX, commotis in eum ciuitatis & omnium ordinum inter Amaſum & Levicam animis, prid. Michaëlis amicè cum omnibus tranſegiſſe, pollicitum, iudicijs & legibus patriæ ſe eſſe ſtaturum: ſed hanc tranſactionem haud multò pòſt rurſum turbatam: eumq́ue à civitate & cæteris, quos dixi, ordinibus evocatum Groningā, ut conventui iuridico ſe ſiſteret, & ſimul iuſſum, ut vallum arcis Oſterbrocæ dirueret, ac foſſas terrâ compleret, & præſidiarios armatos dimitteret, aut extrema expectaret: & in his omnibus obſequentem fuiſſe: Verùm cùm ne ſic quidem placare animos vicinorum ordinum in Præfecturâ vetere potuiſſet, (hi enim vt omnia ejus, ita reliquas quoq́ue arcis Oſterbrocææ munitiones & occulta conſilia ſuſpectabant: libertatique ſuæ gravem eum eſſe querebantur) & nova pericula proſpiceret, obtuliſſe judicibus eorum anno ſequente M. CCC, circiter Nonas Maij conditiones varias, & ex mente ipſius æquiſſimas in ijs & has fuiſſe, obſecuturum ſe judicijs & legibus aut arbitrio Groningenſum in controverſiis omnibus, ſi idem adverſarij quoq́ue pollicerentur: item judicibus Brocmis quatuor, & hominibus alijs idoneis per ſacerdotes duos edendis arcam ſuam commiſſurum hac lege, ut compoſitis omnibus litibus ſibi integra & indemnis reſtitueretur: & tum porrò ex conſilio & arbitrio ſacerdotum quatuor, & aliorum ſapientum, munitiones arcis aliquâ parte deſtructurum: addidiſſe etiam, ſi fors id magis allubeſceret, ut ordines vicini judicum ſuorum unum, quem vellent, deligerent, & huic alterum adjungeret Ejoldus, duoq́ue hi ſuſpectæ arcis cuſtodes eſſent tantiſper, donec lites omnes finem reperirent: ſed cuncta pariter fuiſſe rejecta: Poſthæc, ne quieti & concordiæ deeſſet, miſiſſe eum viros duos ad conventum juridicum, qui Midwoldæ tum habebatur, qui cautiones deferrent per pignora aut ſponſiones, aut obſidum traditiones de periculo damnóque publico & privato præſtando, nec appetendâ poteſtati, quæ modum libertatis patriæ excederet: Sed & iſtis recuſatis, ad alia etiam offerenda deſcendiſſe, quorum ultimum hoc, iturum obſidem Groningam, nec inde diſceſſurum niſi omnibus compoſitis: Demum diem ei dictum Dammonæ ad VI Calend. Martij anni M.CCCCI, atque illum arbitris Alberto Wigboldi & Adolfo Scelgio Groninganis, & cum his Lectore Dammonenſi in hac leges conveniſſe, ut Eioldus pacatè viveret; legibus & judiciis parêret; libertati gravis non eſſet; è populo conduceret, quos vellet cuſtodes arcis ſuæ; filium, (qui tum apud Weſterwoldios erat) obſidē Groningā adduceret intra dies octo: intereà agnatum Tammonē Gockingā obſidis loco futurum Groninganīs daret: Túm Eiolda in Weſterwoldios profecto, ut conventis ſatisfaceret, veniſſe ad arcem Oſterbrocæā proximos quoſq; homines turbulentos è præfectura veteri, Duirſwoldioſq; & matrē Eioldi deditionē poſtulaſſe, atq; eâ negata, publico conſilio arcē obſediſſe: Et tamē Eioldum è Weſterwoldijs revertentē, licet non ſine periculo, unà cum filio in eam per tenebras noctis evaſiſſe, ac quæſtum de vi & pactis ruptis homines ſuos alios poſt alios Groningam mittere conatum fuiſſe, ſed eos interceptos ab obſidentibus pertingere iſtuc non potuiſſe: Obſidentes verò cùm vidiſſent, viribus ſuis nihil proficere ſe, fruſtráque auxilia aliorum aliquandiu reſpexiſſent, aurum argentúmque è templis ſublatum, ac ſimul ob-

ſides Gro-

ſides Groningam miſiſſe, atque ita projectis pactis auxilia à civitate cunctiſque
ordinibus inter Amaſum & Lavicam impetraſſe, arcemq; tormentis Gronin-
genſium concuſſam fuiſſe: eâ porrò neceſſitate compulſum Eioldum die IX
Calend. Aprilis deditionem obtuliſſe, his conditionibus: ut Eioldus ipſe & Haijo
(hunc puto filium ejus fuiſſe è Weſterwoldiis adductum) obſides irent Gronin-
gam, & ſine vinculis apud civem haberentur uſq; in IV diem Eid. Aprilis: inter-
eà prædes darent probatos civitati & ordinibus agrariis, qui præſtarent ea, quæ
civitas eadem atque ordines agrarii eſſent judicaturi: id ſi obſides hi intra tem-
pus dictum non facerent, à civitate in cuſtodiam darentur honeſtam: reli-
qui armati, in arcis præſidio qui erant, illæſi dimitterentur: Sic Albertum
Wigboldi & Fridericum Arloum, qui pro civitate curabant, cum milite ſti-
pendiario in arcem ingreſſos cuncta fœdè diripuiſſe, homines penè nudos di-
miſiſſe, eorum XI egreſſos arce trucidatos, alios membra contuſos, alios vul-
neratos, alios in arcis foſſas fugâ compulſos eſſe: Eioldum & Haijonem in
vinculis Groningæ manſiſſe: intereà inducias illas cum Vltrajectinis eſſe ini-
tas: his verò fretos propinquos Eioldi cum matre & uxore dimiſſionem ejus
datis ſponſoribus flagitaſſe, & in eam rem operâ præfecti Blancowerani eſſe
uſos, & ad interceſſionem ipſius epiſcopi Vltrajectini convolaſſe, ſed actum
egiſſe, ſemperque negandi cauſas ab oppidanis & ſociis fuiſſe quæſitas: Eiol-
dum in vinculis retentum in quintum uſque annum, quo pax demum perpe-
tua conciliata eſt inter eundem præſulem, & civitatem, cujus beneficio omnes
utrimque vincti dimiſſi ſunt, ut infra dicetur: at arcem Oſterbrocæam mox
poſt ejuſdem occupationem eſſe deſtructam, lateritium opus dirutum, lateres
aliò devectos, foſſas terrâ completas. Quæ narratio etſi ſuſpectæ fidei meritò
cenſenda ſit, ad accuſandam civitatem ſociosque confecta, tamen actorum ſe-
riem certam complectitur, eamque ob cauſam cùm in chartas iſtas incidiſſem
carie jam correptas, omittendam hoc loco non putavi. Ad idem verò tempus,
quo hæc cis Lavicam acta, conturbata tum fortè domeſtico tumultu Hollan-
diâ, autore Ioanne Arkulæo homine præpotente, inter Hollandos quoque &
Friſios induciæ in annos complures coïere: quarum beneficio exulibus per
Oſtergoam & Weſtergoam, atque agrum ſylveſtrem, qui nomini Hollandi-
co inhæſerant hactenus, in patriam redire permiſſum: in quibus Geroldus
Camminga, & Renico Boccama fuêre. Et hic quidem ob virtutis ſtudium,
quo omnibus ſuis carus erat, inſigni cum honore, Staverano ex oppido, quò
ex Hollandiâ appulerat, Snecam reductus anno M.CCCC.II ad initium menſis
Februarij. Secutaque amicitia Groninganis cum Worſtenſibus inita circiter M.CCCC.
Idus Apriles, ac negotiorum gerendorum libera & tuta facultas per omnem II.
agrum Worſtenſem his ipſis conceſſa. Quo anno toto civilibus armis arſit
Hollandia, cùm Arkulæus Alberto contumax ditionibus ſuis pulſus, totâque
ejectus regione, armatâ manu in patriam reverteretur, magnas ſecum partes,
magna ſtudia, magna auxilia trahens. Nec antè fuit finis, quàm obſeſſo jam
maximis copijs Gorcumo oppido, quod Arkulæus tenebat, ipſo ſe medium
interponente Ioanne Bavaro Alberti filio, quem Leodienſes epiſcopum ele-
gerant, vix exoratis diſſidentium animis, cùm jam annus flueret à nato Chri-
ſto M.CCCC.III, compoſitioni res permiſſa, & Arkulæus ad genua ſe Alberti M.CCCC.
ſubmittens, gratiæ ipſius eſt reſtitutus. Atque id extremum operum & mo- III.
leſtiarum Alberto fuit: quippe, quem annus ſequens M.CCCC.IIII ad finem
jam properans ætate gravem, durantibus adhuc cum gente Friſiorum indu-
cijs, è medio ſuſtulit. Ei Guilhelmus filius ſucceſſit: De cujus voluntate, au-
tore Margaretâ novercâ, Alberti uxore viduâ, quæ abſente in Hannoniâ &
Flandriâ Guilhelmo, Gallicisque rebus ac bello contra Leodios occupato,
Hollandiam rexit, induciæ eædem cum Friſiis ſunt in annum uſque quartum
prorogatæ, liberaque commercia partis utriusque continuata, injuriarum

priorum perſecutio,& vindicta vetita. Quæ quanquam ſic haberent, non ideo tamen metus ab Hollandis Friſiorum animis exceſſerat. Stavera quippe ab hoſtibus adhuc poſſeſſa quomodo non eos angeret? quomodo ſine ſollicitudine eſſe pateretur? tam commoda ſcilicet arx, ex quâ quocunque tempore, quacunque ſe offerente occaſione bellum in ſe periculoſum inſtaurari, patriæ fortuna omnis turbari poſſet? Quapropter ut in futurum rebus conſulerent, periculaque novarum ſeceſſionum civilium, quæ bonos omnes ſollicitos habebant, averterent, initio ſtatim quietis publicæ coitionibus primùm factis, deinde generali totius populi conventu inſtituto, deliberatum de uno supremo Rectore rurſum creando, Poteſtatis nomine, quæ conſuetudo multis jam ſæculis intermiſſa fuerat; tandemque decretum de eo editum. Id enim tam dubio tempore maximè è rep. eſſe viſum, ut unus aliquis ſummo cum imperio eſſet, qui diſſidentes voluntates colligeret, & ad omnes caſus ducem ſe atque autorem profiteretur. Sed cùm honos hic ad Sixtum Decamam primùm, de quo diximus antè, ſummâ gravitate & virtute virum, populi ſuffragijs eſſet delatus, ab eo verò modeſtè recuſatus, ac in Galonem Hanniam, & ipſum præclarâ laude, ſed ætate magis integrâ, eodem approbante populo, rejectus, à Galone demum pari modeſtiâ Odoni Botniæ, quanquam inimico nuper ſuó, ſed inter omnes ad arma longè præſtantiſſimo remiſſus, nec ab hoc quoque receptus, omnibus pari ſtudio ſua extenuantibus (tam procul ambitione eorum ingenia abfuêre) poſtremò populo cauſa data eſt, ut decretum antiquaret. Tum placuit duos pro unó eligi, qui reip. pace belloque, ſi quod ingrueret ab Hollandis, pari imperio præeſſent. Electi Siurtus Wiarda Oſtergous ex Goutuno vico, Haringus Haringſma Weſtergous Hachanus, ex quo Haringæi, familia nobilis, orti, ambo excellenti virtute viri, & patriæ rerum periti. His fides data ab omnibus more priſco. Additi ijſdem veteri conſuetudine prætores ac judices annui in ſingulis foris: inſtitutumque ut quotannis comitia convocarentur Barrahuſæ in Oſtergoâ, Hertverdæ in Weſtergoâ, quibus in comitijs præſidibus duumviris controverſiæ cognoſcerentur eæ, de quibus à judicibus cæteris eſſet provocatum, aut quæ majus aliquod momentum cùm alijs de rebus tùm maximè de criminibus habere viderentur: huic verò judicio ſupremo qui non pareret, is hoſtis publicus haberetur, quoad legibus ac judicio ſatis faceret. Atque hæc inſtituta quandiu valuerunt, reſp. iis locis, & pax contra hoſtes inconcuſſa ſtetit. Verùm paucis ab annis factionum ſtudium cùm erupiſſet denuò, primùm hæc peſſum ivêre, deinde cuncta mala, quæ ſequi oppreſſas leges ſolent, armáque ſimul interna & externa redierunt: nec antè finis factus, quàm tandem admiſſis Saxonibus libertas ſimul omnis concidit. Quod centum penè poſt annos demum contigit. Quo toto tempore continuis ferè diſſenſionum fluctibus, atque hinc ſecutis armis civilibus, quàm variè jactata ſit apud eos reſp. quot modis divexata, dum quiſque eminere ſtudet, aut inimicos factionum ſtudio perſequitur, ſi vita nobis ſupererit, in ſequentibus enarrabimus. Hæc in Occidentis partibus & circa Groningam dum fiunt, prædonum duces è mari Baltico ſubmoti, hoſpitiis in Friſiâ Orientali ſibi conſtitutis, ut antè oſtendi, longè lateque maria pervolitabant. In quibus primi facilè erant Wichmannus, Wigboldus, Godefridus Michaëlius, & antè alios apud poſteros celebris Nicolaus Stortenbeker. Hi compluribus navibus armatis Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, Norwegiæ, Daniæ littora portuſque infeſtos reddebant, nec quicquam tuti navigantibus relinquebant: Quas prædas ceperant, eas æquâ ſorte inter ſe partiebantur: quâque illas arte paraverant, ita viciſſim decoquebant. Nullos verò infeſtius, poſt Danos ac Norwegios veteres hoſtes, quàm Saxones, qui ſe mari Baltico ejecerãt, perſequebãtur, hosq; hoſtes ſuos nuncupabãt. Eos verò fama fert, quã à majoribus poſteri per manus acceperunt, Foelquam

primùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

primùm Kenonis matrem, dehinc ipſum Kenonem jam pubeſcentem, opibuſque & potentiâ inter ſuos validum ſibi conciliaſſe, ejuſque voluntate, Amaſi portibus pleriſque uſos, quoties ratio poſtulabat, ad Marienhovam potiſſimùm naves ſubduxiſſe: hæc hybernacula, hoc hoſpitium, cùm maris ſatias cepiſſet, habuiſſe: hîc templum illud viſendum multo magnificentius, quàm prius fuerat, turrimque ac muros cum portis, quæ mœnium inſtar erant, ex manubiis exædificaſſe: hiſce velut primitiis Deo conſecratis iram ejus à ſe avertere voluiſſe. Ex his Nicolaus Wichmanuſque Albis oſtium ad Saxonum inſulam cum ſuâ claſſe fortè ſervabant, ut commeantes mercatorum naves exciperent. Quod cùm Hamburgenſes per indicium accepiſſent, naves etiam ipſi ſuas, quas jam antè publicè in prædones armatas habebant, quarum è numero erat, quam verſicolorem vaccam nuncupabant, celerrimè expediunt, tormenta, arma, militem imponunt, mixtaſque onerariis civium navibus ſecundo Albi deſcendere, hoſtemque prædæ intentum oportunè invadere jubent. Cùm in conſpectum mutuum ventum eſſet, prædones ſolas onerarias has eſſe rati, præſentiſque prædæ ſpe læti, ad invadendas eas ſe pararunt. Sed ab armatis contra ſpem excepti, commiſſo acerrimo prælio, ac promptiſſimis ſuorum XL amiſſis, qui reliqui erant LXX, cum ipſis ducibus multitudine circumventi, ſeſe Hamburgenſibus permiſêre. Victores cum ſpoliis & captivis ovantes Hamburgum reverſi; ibi captiva capita omnia carnificis gladio ſubjecta, pinniſque in terrorem & ſpectaculum navigantibus ad Albim longâ ſerie impoſita. Nec multò pòſt, cum Godefrido quoque & Wigboldo, qui in ſociorum vindictam contra victores exarſerant, ſimili eventu, majoribus etiam viribus ab Hamburgenſibus dimicatum: capti præfecti ipſi cum manipulariis ad LXXX omnes gladio percuſſi, capitáque in maris littore tignis præfixa. Hamburgenſes purgati à prædonibus maris egregium nomen meruerunt. Friſia quoque nefariis & gravibus hoſpitibus tum liberata, magnâque invidiâ levata. Quæ ſupererant reliquiæ prædonum, faciliùs deinceps ſubmoveri à littoribus, aut in ordinem redigi potuerunt. Facta hæc anno Chriſti Servatoris M. CCCC. II, aut eo, qui proximè præceſſit: è quibus utrum ſequar, certum non habeo. Hoc loco res poſcit, ut in Ruſtriâ geſta exponam. Bremenſes, ut ſupra oſtendi, jam aliquot antè annos ſublato Haijone Huſechio, clientelæ jus nonnullis in Ruſtriæ locis, quæ ad Viſurgim ſunt, ſibi conſtituerant. Eorum locorum homines queſti de injuriis gentilium ac vicinorum ſuorum, qui ad Iadam flumen ſunt, uti autor eſt Crantzius, auxilia civitatis contra eos flagitarunt. Quibus auditis, Bremenſis ſenatus adſcitis in belli ſocietatem Comitibus Oldenburgicis, &, qui in clientelâ archiepiſcopi ſunt, nobilibus expeditionem in Iadenſes Viſurgi, Iadâ & Hetâ tribus fluminibus finitos paravit: omnibuſque inſtructis triplex exercitus, adjunctis quoque ſibi vicinis, quorum cauſa bellum movebatur, ac Hetâ flumine connexis navigiis ſtrato, in hoſtilem agrum ductus eſt. Cæſi fugatique Friſij, qui occurrere auſi ſunt; ædificia paſſim incenſa; præda ingens omnis generis à victoribus abducta. Idem anno proximo, qui fuit M. CCCC. I, iteratum, Delmenhorſtano & Diepholdico Comitibus in conſortium prædæ à Bremenſibus evocatis. Quorum impetum ſtatim in initio belli ut à ſe ſuiſque averteret Dido Lubbonis filius, è Stadlandiâ oriundus, Langowordam, ſedem ſuam, vicum totius oræ Tranſiadanæ longè maximum, quam petere videbantur, ſine expectatâ vi Bremenſibus tradidit, eâque pactione neceſſariâ magis quàm honeſtâ pacem ſibi ac ſuis redemit. Eodem tempore varii animorum motus, varia diſſenſionum & turbarum ſemina partim veterum partim novarum per univerſam Ciſamaſanam Friſiam emerſêre. Fons omnium in Kenone, Folcmaro, Hiſcone fuit. Cætera nobilitas & plebs horum ferè motus ac ſtudia ſunt ſecuti. Ex iis Folcmarus, quantum poterat, Hollandica occultans & corrigens, libertatis amorem

rem ac patrocinium oſtentans,gratiæ populi rurſum obrepebat.pleriſq; tamen
viris nobilibus per Amaſanam ſuſpectus,& inviſus.Sed nulli inviſus magis quàm
Kenoni Broecmerio ob mortẽ patris;& quia multa prioribus occupata tumul-
tibus in Amaſanâ detinebat loco dotis uxoriæ,quæ Broecmerij ad ſe pertinere
dicebant. Et erat Keno non ſolùm ætatis fervidæ vitio, (ex ephebis enim tum
excedebat)ſed à naturâ quoque aſper ac ferox,& inimicitiarum perſecutor ve-
hemens,eique naturæ mater etiam incitandæ in animo ipſius vindictæ cupidi-
ni aſſiduos ſtimulos ſubiiciebat. Itaque res ad arma inter eos ſpectare videba-
tur.Sed in oculis vtriq; erat Hiſco Emdanus,factioſus,& potentiæ,ſi quiſquam,
avidus, omnem occaſionem augendæ fortunæ obſervans, nomen Sciringicum
in odium nominis Hollandici, invidiamque eorum, qui Hollandis putabantur
addicti, apertè præferens cui; quotquot ſe non jungerent, hos patriæ liber-
tatis hoſtes occultos appellitabat: nec verebatur horum ſe hoſtem viciſſim,
& Groningenſium ſocium, quibuſcum, ut dixi, fœdus inierat, profiteri. Hoc
porrò fœdere,& munitionibus oppidi ſui confiſus; audacior erat in offenden-
dis vicinis, ſuoque commodo cum iſtorum incommodis quâquâ ratione ac
modo promovendis. Id adverſum Kenoni æquè & Folcmaro, conſilia ipſo-
rum, atque animorum impetum haud parum tardabat. Nam licet Hollan-
dicam ſocietatem non profiterentur palàm, tamen quia Vetcoperorum fa-
ctioni nomen dudum dederant, Sciringicum nomen occulto odio perſeque-
bantur:Et Oſterhuſano inveterata inimicitia cum Emdano ex injuriis inter vi-
cinos,Broecmerio metus ab eodem,ex æmulatione potentiæ erat:atque ita fie-
bat,ut cõmune periculum,communis cura,commune unius odium retunderet
primùm in iis acerbitatẽ odij mutui,deinde tractu temporis infenſiſſimos inimi-
cos ſi non amicos,ſaltem eorundem armorum ſocios ingruente diſcrimine effi-
ceret. Accidit enim tum, ut novam cauſam nactus Hiſco ab Haicone Valde-
rano Haronis filio, qui ſocius & agnatus Oſterhuſano erat, graviſſimè diffide-
ret: quippe multa ab eo teneri, quæ ſua eſſent, arcem, dotem uxoriam, mun-
dum muliebrem magni pretij, nec juri, nec legibus locum relinqui, acerbiſ-
ſimo ſermone ferebat. Id verò ut vindicaret, fretus cùm civium ſuorum ſtu-
dio, tùm Tranſamaſanâ ſocietate, correptis armis Valderano primùm, dein-
de Oſterhuſano moleſtus & infenſus incubuerat, arciumque utriuſque op-
pugnationem tentaverat. Quo cognito, Keno ſubitò accurrens, præterque
expectationem, ita eum conterruit, ut omiſſo cœpto in oppidum ſe recipiens
M. intra mœnia ſua ſe deinceps contineret, & pacem concederet vicinis. Vtrum
CCCC. pactus cum adverſariis ſit de pace ſervandâ, mihi incertum. Hiſcone com-
IIII. preſſo haud multò pòſt ex ſuſpicionibus ſimultates, inde diſſidia inter ſocios
rediêre. Imprimis vicini per Amaſanam viri nobiles ab Oſterhuſano & Val-
derano ſe ſejunxêre, qui neſcio quam ob cauſam Beningamannos ſe eo tem-
pore appellarunt; quanquam in partibus nec Grimerſhemij, nec Grothuſani
tum eſſent. In his nominantur in vetuſtis commentariis noſtratibus Imelo
& Haro Grethani, Ennoque Nordanus fratres germani, Edſardo Grethano
& Dodâ Broecmeriâ Kenonis amitâ omnes geniti: tum Enno alter Pilſuma-
nus Tijonis filius, Dodeco Peuſumanus, Wiardus Viſquerdanus. Et his Be-
ningamannis Enno etiam Larletanus, & Sibrandus Loquerdicus, ſororius
Kenonis ſeſe addidêre. Diſſenſionum cauſæ, & progreſſus litteris mandati
non ſunt. Sed originem fuiſſe ex πλεονεξία Folcmari, acceſſiſſeque factionum
ſtudia, ex circumſtantiis facilè colligo. Res ad injurias, & vim, & metum non
dubij belli progreſſa eſt, in quo bello auxiliis Hiſconis & Groningenſium uſu-
ri eſſe Beningamanni, & fœdus cum iis in capita inimicorum percuſſuri puta-
bantur. Ab eo bello ſibi metuens Keno, diſcutiendis hujuſmodi cõſiliis intentus
cum Beningamannis ſe jungere propiùs, territare Oſterhuſanos & Valderanos,
quietem mandare, deniqueadomnem finiendã controverſiam ducẽ ſe & auto-
rem

rem profiteri. Quibus rebus motus Folcmarus, quanquam eſſet ferox, & opes
non vulgares poſſideret, & Haicone ſocio, & Harone fratris ſui filio niteretur,
tamen vires Kenonis expendens, ſi is hoſtibus accederet, aut ſi bello abſtineret,
Hiſconem & Groninganos formidans, imprimis litem cum Kenone ſemel fi-
nire cupiens, ad moderata conſilia tentandæ compoſitionis animum cum ſuis
adjecit. Statimque compoſitio coijt, ad libitum ferè Kenonis dictatis condi-
tionibus, quæ in tabulis hac de re confectis expreſſæ etiam nunc extant, in hanc
ſententiam. *Vt ſuperiorum omnium ἀμνηστία, & conſtans deinde pax eſſet utriſque: ut
controverſiæ, ſi quæ deinceps exiſterent, iudicio ac legibus definiendæ permitterentur:
quæ legibus terminari non poſſent, de ijs Kenoni velut ſupremo arbitro iudicium eſſet:
Folcmaro imperium, quale hactenus habuerat, liberum ac nemine impediente, Oſterhuſæ,
Suderhuſæ, Lopperſhemi, Eiſenhuſæ, Canhuſæ, Sircquerumi, Frebſumi, Canumi maneret:
reliqua, quæ Folcmarus idem uſque eô per Amaſanam tenuerat, Kenoni deinceps regen-
da, utenda, fruenda relinquerentur: Beningamanni, corúmve hæredes nullo unquam
tempore nec ſinguli nec univerſi cum Groninganis, Hiſcone Emdano, aliiſque Folcmari &
ſociorum hoſtibus fœdus ſeorſim inirent contra ipſum Folcmarum, & ſocios propinquóſve
ipſius. Quod ſi Groningani, Emdenſes, aut alij partis adverſæ, Valderæ aut Oſterhuſæ
vim inferrent, eius ſe vindicem fore, & corpore, ac rebus omnibus auxilia oppreſſis eſſe
laturum, exemplo priore, Keno profeſſus eſt. Latrones, fures, incendiarios nemo recepta-
ret, ſed deprehenſos quilibet ſupplicio afficeret, aut alijs ſupplicio afficiendos traderet:
Aquæductibus & clauſtris eorum apud Valderanos & Oſterhuſanos præfecti in iure ſuo
priſtino non impedirentur: Epiſcopo Monaſterienſi locarium regium (ita tum neſcio quos
reditus vocabant) ſicubi ei hoc iure competeret, liberum permitteretur: ſacerdotes, reli-
quíque ſacrati ordinis, qui ad eiuſce iuriſdictionem pertinerent, cum ſuis rebus ſancti eſ-
ſent: Ius omnibus utrâque in parte æquabiliter diceretur. Omnia hæc iunctis dextris, &
ſanctiſſimo firmata iuramento rata eſſent in perpetuum tùm ipſis, tùm hæredibus ipſorum
ſine dolo malo: ſi quis contra delinqueret, is eam ob rem ab altero admonitus & citatus unà
cum eodem Monaſterium ſtatim iret epiſcopi cognitioni ſe ſiſteret, nec antè ex oppido hoc
interdiu noctúve pedem efferret, quàm epiſcopus iure ac legitimo iudicio cauſam diſceptaſ-
ſet, & litem finivíſſet.* Acta, & litteris ſigilliſque conſignata hæc IV Idus Iulij,
anni M.CCCC.IV. Hoc fœdere compreſſius Hiſco ab injuriis vicinorum ſe con-
tinuit aliquandiu: paulatim etiam ſic ſe comparavit, ut amico quàm inimico
propior videretur. Ita ſociis ejus Tranſamaſanis tum facto opus eſſe viſum ad
bellum civile à Friſiâ avertendum, à quo ſibi meritò, tanquam à pernicie præ-
ſentiſſimâ eo maximè tempore metuebãt. Nam Vltrajectinus cùm pacis actio
per inducias nuperas non ſucceſſiſſet, arma reſumpſerat, atq; omnibus belli in-
commodis confœderatos intereà ad hoc uſque tempus, de quo jam ſcribo,
preſſerat: confœderati autem quandiu inteſtino bello non affligtabantur, haud-
quaquam de conſtantiâ, & conſilio tuendæ patriæ dejecti, armis arma ejus
fortiter repulerant. Quod cùm facerent, omnes epiſcopi ſubditos, ceu fieri
ſolet, ubicunque deprehenſos domi ac foris perſequebantur. Quam ad rem
magno ipſis uſui fœdus Monaſterienſe erat, cùm ejus diœceſeos fines longiſſi-
mo tractu cum finibus Vltrajectinis cohæreant, nec poſſint Vltrajectini niſi per
hos eoſdẽ fines cum Saxonibus, ac omni orâ maritimâ Germaniæ colere com-
mercia. Atque hoc in ſtatu cùm res diu etiam poſt conſtitiſſent, tandem Tran-
ſiſalani magnis incommodis fracti, vergente jam in autumnum anno, qui M.CCCC.
proximè eſt ſecutus, epiſcopum penè invitum ad tentandam cum hoſte qua- V.
lemcunque tranſactionem compulerunt. Nec Friſii cum Groninganis ſic af-
ficiebantur armorum uſu, ut non potiùs pacem quàm bellum vellent. Verùm
cùm coijſſent hujus rei gratiâ legati, cæteris ſatis proclivibus, unum maximè
caput conſenſionem aliquandiu diſtinuit. Nam epiſcopus niſi promiſſo à
Groninganis fidelitatis juramento paciſci omninò noluit, & civitas, ut domi-
num eum reciperet, ſic uti ipſe poſcebat, perſuaderi non potuit. Demùm

ne pacis tantoperè deſideratæ ſpes propterea diſperiret, id ipſum caput controverſum cognitioni & arbitrio Everwini Comitis Benthemij ab utriſque eſt permiſſum, promiſſumque, quod is judicaret, ei ſe parituros. Cætera ſic compoſita: *Groningani primùm ius prætorium in præfecturâ ſuburbanâ, quod controverſum fuerat, epiſcopo integrum reſtituunt. Is de eo in gratiam civitatis ita definit, vt prætor in vrbe more à maioribus accepto iudicia exerceat, ac ius reddat. Captivi utrimque ſine pretio dimiſſi: quicquid ex pacto convento nondum ſolutum, id omne remiſſum: damna & iniuriæ mutuæ priores condonatæ: gratia inter omnes bello huic implicatos ſarta. Exulibus reditus permiſſus, & reſtitutio bonorum, qualia tum erant, cùm pax hæc conficeretur.* Hæc ab epiſcopo comprobata ſolenniter Vltrajecti, & ordinibus Tranſiſalanis, pridie Michaelis. Deinde de poteſtate prætoriâ urbanâ ſeorſim ſic tranſactum, *epiſcopus ut addiceret eam civitati cum omnibus fructibus in annos proximos centum, reciperétque pro eâ quotannis à civitate ſcutatos aureos Franciscos* XXVIII, *exhibendos præfecto Coverdico antè exitum menſis Octobris: civitati liceret è numero civium ſuorum pro arbitrio prætorem deſignare, eíque poteſtatem continuare, aut abrogare, & ſucceſſorem dare, quando & quoties liberet: deſignatus iuramentum diceret apud prætorem ſuburbanum epiſcopi miniſtrum, ac promitteret, ius ſe dicturum & iuſtitiam adminiſtraturum omnibus ſecundùm leges & conſuetudinem priſcam fori illius: Quòd ſi ultra triduum requiſitus ſuburbanus rem differret, ius eſſet conſuli oppidano eâdem formulâ eundem ſacramento adigere. Ad hæc civitas vigeſimo quoque anno oblatis beſſibus argenti puri duobus, & uncijs duabus, memoriæ conſervandæ gratiâ, huiuſce iuris confirmationem peteret à præfecto Coverdico, & eius rei ſcriptum teſtimonium, ſi vellet, ab eodem reciperet: Ei verò fas non eſſet ſine conſenſu epiſcopi huius iuris quicquam vendere, permutare, quoquo alienare modo: in aliquo horum omnium delinquens univerſum ſuum ius ſtatim amitteret, rediturum ad epiſcopum ſine controverſiâ: A centum annis, ſi vellet, idem ius civitas ab epiſcopo, aut ſucceſſore eius, honoris causâ oblatis beſſibus argenti* XVI, *vncijs* V, *& vnciæ triente, eodem prorſus modo, rurſum peteret in annos totidem, nec fas eſſet epiſcopo petentem reijcere: atque hoc valeret in infinitum.* Ita ſignatum ab epiſcopo & ordinibus ejus ipſis Calendis Octobr. Vltrajecti: bellumque diremptum. Exul nobilitas, & aſſeclæ ejus in patriam reverſi, & ſuis rebus reſtituti; amicitiaque ab his cum civitate culta: canon quinquennij, quem civitas ex pacto anni M.CCC.XCII cum decano & canonicorum collegio ab initio horum tumultuum Vltrajectinorum nondum ſolutum debebat, epiſcopo à civitate ad XIII Calend. Novembr. ſolutus. Et ab hoc tempore animadverto collegium judicum, quod creditæ pecuniæ judicia ampliſſimâ cum poteſtate exercet per omnem agrum vicinum, multaq; alia reip. curat, in uſu fuiſſe: quod ad tuendam crediti fidem, & concordiam ordinum conſervandam ſalubriter fuit inſtitutum. Totoq; deinde octennio inter Lavicã & Amaſum quies manſit: nec quicquam intereà geſtum, quod annalium memoriâ ſit dignùm. Hoc

M.CCCC. VI. ſolùm notatum reperio, anno à pace Vltrajectinâ proximo Fivelingios Dammonæ coëuntes ex utroque ordine civili & ſacrato decretum ſcripſiſſe ad V Idus Iulias, quo avaritiæ præpoſitorum & ſacerdotum emungentium plebem religionis ac ſacri juris prætextu voluerunt occurrere. *Vetuerunt enim delictorum causâ ne quicquam præpoſiti ſupra modum veteribus ſcitis definitum exigerent: iuſſeruntq; ut antequam ad poteſtatem exercendam admitterentur, fideiuſſionem præſtarent, intra præſcriptum hoc ſeſe manſuros, nec cuiquam facturos iniuriam: morituri lautioris fortunæ homines, qui res ſoli poſſiderent in Fivelingiâ, ne adigerentur vel à præpoſitis vel à ſacerdotibus, ut ſupra marcas veteres duas in uſum templorum, & rerum ſacrarum legata dent: quibus ſi addere aliquid hæredes velint, id eſſet ipſorum arbitrij liberi: nec cereorum gratiâ toto anno à morte defuncti plus poſcerentur hæredes ijdem, quàm ſcutatos veteres duos: Cæteri plebeij pro facultatum modo & conſilio hæredum in eundem ſacrorum vſum legarent: viduarum, & minorennium negotia civilia ex præſcripto legum provincialium in favorem ipſorum latarum tranſigerentur. Si quis omnium, qui in ſacro ordine non ſunt, contra hæc*

*tra hæc, aut quæcunque ſtatuta vetera Pontificijs aut Epiſcopalibus, aut quibuſcunq; alijs à
ſacro ordine datis litteris niteretur, eum ſtatim proſcriptorum in numero habendum inſ-
ſerunt: ſimiliter præpoſitum aut ſacerdotem à tertiâ admonitione cœpto non deſiſtentem:
in quem quicquid à competentibus iudicibus, aut alijs huius rei gratiâ ſtatueretur, id omni-
bus ordinibus Fivelingijs pariter tanquam factum ſuum eſſe præſtandum, nemine omninò
excepto.* Intereà Hiſco Emdanus omnibus ad quietem ſpectantibus magis ſe
jam vicinis dare, cùm iis miſceri, negotia communia tractare. Quâ ratione in-
venio, eum paulò pòſt hunc Fivelingiorum conventum cum Haicone Valde-
rano, Embecone Weſterhuſano arbitrum fuiſſe componendæ controverſiæ,
quæ inter Folcmari filium Aijoldum Haiconis ſororium, itémq; alterum ejuſ-
dem nominis Ainteti filium, ac ſorores duas, illorum propinquas, Alam & Igam
Ommingias fortè extiterat. At ſequentis anni principio mortem obiit domi M.CCCC.
ſuæ Enno Larletanus, ipſis Calendis Ianuarij, relictâ conjuge Sibbâ, Folcmari VII.
Oſterhuſani filiâ, quam non ita nuper virginem duxerat, ex teſtamento om-
nium rerum ſuarum hærede, ſi proles ex eâ non ederetur. Hinc occaſio novo-
rum tumultuum eâ in orâ. Nam Sibba nihil pariens cùm Larleti in poſſeſſio-
ne rerum mariti maneret, dolorem propinquis ejus omnibus creavit. Inter
quos etiam Hiſco cùm eſſet, dolore eodem incitatus fecit facilè aliquid, quo
Kenonis, cui omnia Hiſconis ſuſpecta erant, arma rurſum in ſe irritavit. Is præ-
ter Folcmarum Sibbæ parentem, ejúſque filios, Valderanum etiam amitinum
ſuum, cæteróſque fœdere aut amicitiâ ſibi junctos auxilia poſcit; eorum quoſ-
dam, Haiconem imprimis exemplum patris horrentem, quibus tutior gratior-
que quies, & ſuſpecta Kenonis conſilia, forſan etiam cauſa armorum non ſatis
probata, penè invitos, ac reſtitantes in belli ſocietatem pertrahit. Ita preſſus
Emdanus, ac oppido ſe defendens primus omnium noſtræ gentis, quod qui-
dem conſtet, auxilii causâ cum Lubecenſibus ac Hamburgenſibus, quorum
tum maritimis in rebus permagna erat potentia, quique claſſes expeditas ha-
bebant, ſocietatem coit; eorum milite, ac tormentis, & cætero apparatu in-
ſtructus, non ſolùm jam parem, ſed etiã metuendum ſe hoſtibus præſtat. Tum
verò diffiſus ſociorum animis Keno, utpote quos non ſpontè arma induiſſe no-
verat, déque periculo ſuo ſollicitus, indignans ſecum & fremens, & vix ma-
gnitudinem iræ capiens, quam conceperat, negata, aut minùs promptè præſti-
ta à ſociis auxilia proditionem vocans, ubi primùm poteſt, ſeorſim cum Hiſco-
ne paciſcitur: ſimulque ultionem meditans Lubecenſes & Hamburgenſes, qui-
bus nihil accidere poterat gratius, facili ratione ſibi conciliat: hos unà cum Hi-
ſcone in Haiconis arcem, quæ in majore Valderâ erat, immittit, eam vi occu-
pat, diruit, omnia, quæ in eâ erant, prædæ dat: plúſque omninò in animo ſuo
odium, atq; iram, quàm ſanguinis propinqui rationem valere ſinit. Indè Ama-
ſanum agrum percurrens, cùm Pilſumum veniſſet, illic etiam arcem Ennonis
invadit deſtruitque funditùs. Nordam quoque profectus cum eodem agmi-
ne in turrem Ennonis Attenæ Grethani alterius ſocii ſui ſimile exemplum
ſtatuit. Cæteris munitionibus quæ per Amaſanam fuerunt in poteſtate fœde-
ratorum, quos inſimulabat, Grethanæ, Viſquerdanæ, Peuſumanæ quid accide-
rit eo in furore, mihi incertum eſt. Oſterhuſanæ, quoniam Folcmarus pro filiâ
laborans ſtudium ac fidem probaverat, parſum. Vici Larleto vicini Sibbæ re-
licti. Cæterùm ipſe afflictis hoc modo pleriſque, aliis metu oppreſſis, indies al-
tiùs aſſurgere, imperioſiùs agitare, non ſocios ampliùs æquo gradu, non pares
reliquam nobilitatem ducere, ſed infra ſe ponere, aſſecláſq; potiùs quàm ſocios
putare, deniq; propè eſſe, ut non dominum quidem, ſed patronũ tamen aut re-
ctorem ſummum per Amaſi hanc oram ſeſe profiteretur. Et hæc ad annum M.
CCCC. VII, quo cœpiſſe primos motus dixi, quidam referũt: alii in annum proxi-
mum reijciunt, quibus ego accedo faciliùs. Verùm anno M.CCCC.VII vergente,
cùm Huneſgonii in Trãſamaſanis viderẽt bono publico vicinos ſuos Fivelingios

cupidini

cupidini præpoſitorum ſacerdotumque obviam iviſſe, ſibi quoque exemplum eorum ſequendum putarunt. Quapropter adſcitis in conſilii ſocietatem iiſdem Fivelingiis, ut conſociatione hujuſmodi robur rei adderent, ex eorum voluntate conventui diem ſtatuerunt Groningæ. Ibique utriuſque populi nomine lex priori ſimilis lata eſt prid. Calend. Decembr. Et ut aliud quoque pondus, aliuſque nervus accederet, Groninga etiam legi adſcripta, eique mul-
M.CCCC. VIII. ctarum triens aſſignatus. Anno M.CCCC.VIII Hollandi, quibus cum Hamburgenſes bellum habebant ob uſum maris, cùm audiſſent in Amaſanâ hos verſari, horumque operâ Kenonem & Hiſconem eſſe uſos, in Amaſum claſſe delati, Larletum in orâ fluminis paulùm infra Emdam ſubito incurſu invaſerunt, & Sibbâ cæteriſque ejectis repentino opere munitiones caſtelli (nam vallo foſſâque tenui pridem circumductum erat) augere cœperunt. Quo Kenoni nunciato, ipſe non tam miſertus fœminæ propinquæ, quàm ſua intereſſe putans peregrinos, inimicos ſuos quamprimùm loco rurſum deijci, adſcitis in commilitium duobus Sibbæ fratribus Imelone & Harone, juvenibus impigris, quantâ potuit adhibitâ celeritate cum copiis tumultuariis iſtuc contendit. De Folcmaro nulla mentio, ut ſuſpicer ob ætatem ingraveſcentem, aut quod minus eſſet Kenoni gratus, non adfuiſſe. Vbi ad caſtellum ventum, hoſtes adhuc in opere occupatos tantâ vi adorti ſunt, ut omnes relicto muniendi labore, correptis raptim armis, pro ſalute dimicare ſummâ contentione neceſſe habuerint. Ea duravit oppugnatio aliquandiu, fortiter rem gerentibus Hollandis qui deſerere locum, aut ſe dedere, niſi extremâ urgente neceſſitate, nolebant, Friſiis autem fortiùs etiam ſe in propugnatores inferentibus, conſpicuâ antè alios ipſius Kenonis virtute, & ad quævis pericula intrepidis Oſterhuſanis. Nec priùs certaminis cruenti finis factus, quàm hoſpites, qui pauciores numero erant, feſſi labore, & vulneribus fracti deſertâ ſtatione ad naves ſe retulêre. Caſtellum recuperatum cum arce, ne quid novi illic periculi exiſteret, ſi fœminæ relinqueretur, deinde & belli jure ab hoſte vindicatum Keno ſuâ in poteſtate retinuit: eique Tuixlumum, Gerdeſweram, Folcherſweram, Winelſum vicos vicinos ab eodem Ennone Sibbæ relictos addidit. Sibbæ ex uſufructu reditus ad alendam familiam reliquit: Ea mox ſecundis petita nuptiis eſt ab Evenardo Idſinga Nordano Luverdi filio illuſtri & egregio juveni, cujus ſoror Adda in Kenonis degebat matrimonio. Quo tempore ita cum fratribus tranſegit, autore patre, ut pro dimiſſo Larleti jure, quod incertâ ſpe à Kenone petendum erat, dos honeſta in auro, argento, veſte, prædiis ex facultatibus mariti defuncti ipſi conſtitueretur. Hoc modo cùm Keno opes ab Ennone relictas tenuiſſet annos aliquot, tandem Haronis filiorum Folcmari unius fidei Larletum commiſit, nullâ expreſſâ lege. A quo tempore caſtellum cum vicis proximis penes Haronem & hæredes ejus manſit, magis certo jure, quàm ceſſione Broecmeriorum expreſſâ & ſolenni, quoad contentio de eo orta, & per tranſactionem cum Kenonis filio poſt annos demum multos finita fuit. Nunc ad ſeriem geſtorum redeamus. Seneſcente jam anno, de quo poſtremum dixi, Hiſco, cui veteres & acerbæ inimicitiæ erant cum Geroldo VViardi minoris Valderæ rectore, affinitate conjuncto cum Haicone, (erat enim ejus ſororius) occaſione obſervatâ conſilium capit ejus perdendi. Emdanos igitur, quanto poteſt ſilentio, convocat, deque animo ſuo edocet: oſtendit, occaſionis rem eſſe: poſſe jam, ſi velint, communem inimicum (erat enim Geroldus etiam oppidanis inviſus, ut ſolet ferè in tantâ vicinitate fieri) vicinum incommodum propè ſine moleſtiâ & periculo evertere: Kenonem, quod ſatis ſibi conſtet, eo eſſe in illum animo, ut perditum quàm incolumem malit ob Haiconis propinquitatem: certè vindicandi causâ injurias ejus, gladium non educturum: Si oportunitatem negligant, quæ nunc ſe offerat, quamq; perſpectam habeat, fruſtrà eandem poſtea ipſos eſſe deſideraturos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

raturos. Perſuaſum facilè vulgus. Oderat enim, ut dixi, vicinum, cujus arcem
velut præſidium aliquod ſibi impoſitum exiſtimabat. Itaque paratis omnibus
ad x Calend. Decembr. eruptio ſubita fit ex oppido, Geroldo nihil mali me-
tuente per inducias, vicuſque leviter munitus, inopinatò opprimitur, Geroldi
arx capitur, ac ſolo æquatur, quicquid erat toto vico, unde noceri oppido aut
oppidanis poſſe putabatur, eodem furore diruitur: poſtremò cùm nemo jam
reſiſtere poſſet, canalis etiam aquæductum coërcens, magno ſtudio ac conten-
tione vulgi ſolo erutus, propiùs oppidum, ut in poteſtate oppidanorũ eſſet, non
longè à Franciſcanorum cœnobio rurſum eſt defoſſus. Ita demum odio in vici-
nos ſatisfactum, & oppidi commodo cum aliorum incommodo ac injuriâ con-
ſultum. Geroldus ex eo tempore tranſlatis inde ſedibus, Vphuſæ domicilium
poſuiſſe creditur. At eo quo fœdus Kenonianum eſt ictum anno, M. CCCC. IIII
arx nova Haſdeterijs quoque impoſita eſt ab archiepiſcopo Bremenſi Ottone,
quam novam domum appellarunt: Et in Ditmarſiâ magni etiam motus fue-
runt. Ericus Saxoniæ inferioris Dux, abſente Alberto Holſato genero ſuo, per
ipſius agrùm in Ditmarſiam ob ſimultates quaſdam impreſſionem fecerat, ac
prædas abegerat. Id factum Ditmarſi Holſato crimini dant, atque infamiam
ejus publicis literis vertunt. Albertus indignè hoc ferens, ſuamq́ue innocen-
tiam dolore teſtaturus, cum magnis copiis Ditmarſiam ingreditur, proxima
quæque diripit, caſtellum non procul Meldorpâ oppido excitat, præſidioq́ue
munit, ipſum oppidum Meldorpam vi capit, agrum latè vaſtat. Sed in regreſſu,
cùm victor agmen cogeret, equumq́; fortè calcaribus adigeret, in terram ſal-
tu ejus excuſſus, ipſoq́ue ſuper eum concidente equo, eliſus, paulo pòſt expi-
rauit. Tum Gerardus Sleſuici Dux, frater ejus, atque in Holſantia ſucceſſor,
cauſam & necem fratris perſequuturus, cùm Ditmarſi dominum eum agno-
ſcere nollent, in eos exercitum firmiſſimum movit. Et quidem primò egit ſa-
tis fæliciter: ſed mox in anguſtiore viâ cum longè maximâ copiarum parte à
Ditmarſis, qui exitus etiam viæ interſciderant, deprehenſis, cùm tranſverſo
in eum latere confertim hoſtes incurrerent, oppreſſus eſt: totuſq́ue ille exer-
citus pauciſſimis non ſine admiratione elapſis circum cæſum Ducem ſuum oc-
cubuit. Magna illa clades fuit, & luctuoſa univerſæ genti Holſatica: renova-
taq́ue memoria veteris cædis antè anno LXXXIIII ſub avo Gerardi hujus ibi-
dem accepta. In cæſorum numero. XII equeſtris ordinis viri fuerunt, è reliquâ
nobilitate CCC. Vidua Gerardi ad libitum victorum pacis leges accipere coa-
cta eſt. Et tum quoq́ue ſimultas inter Bremenſes & Didonem Lubbonis, de
quo ante dictum, denuò ſe prodere, ac gliſcere pedetentim, & criminationi-
bus mutuis adeò incendi, ut jam malum gravius minari videretur. Ventumq́ue
eodem anno ad arma fuiſſet, niſi Dido ſuadentibus petentibuſq́ue amicis ci-
vitati, ut impar, ceſſiſſet. Biennio pòſt mortuus eſt Otto archiepiſcopus, eique
ſurrogatus ſtatim Ioannes Slamſtorfius, vir induſtrius & prudens, cum annus
flueret M. CCCC. VI, Ab hoc recens electo Bremenſes aliquid petebant, quod
ipſe antè in minore fortunâ, ut æquum ac juſtum, ab Ottone poſcendum
eſſe ſuggeſſerat. Ille autem nec recuſare planè audens, nec tamen concedere
volens, benignè primùm ſed ambiguè reſpondere, dein moras nectere, deniq́;
quo minùs id facere ſibi integrum eſſet, in Didonem Friſium cauſam confer-
re. Tum exardeſcentes rurſum ac frementes Bremenſes coërcere Didonem,
& ne quid deinceps contra civitatem poſſet, excitare arcem in agro ejus,
quem ſuo beneficio ab eo poſſideri dicebant, id eſt, frenum ori ejus inijcere
decreverint. Sed priuſquam ordirentur opus, compararunt cum eo, atque ita
egerunt, ut non minus bono ipſius quàm civitatis id, quod parabant, fu-
turum eſſe perſuaderent. Tum ad archiepiſcopum verſi, commendata ei
quoq́; conſilij utilitate, & ſubſidio ejus in idipſum contra tumultuaturos ſine
dubio Friſios rogato, ſic ab eo diſceſsêre, ut nec aduerſum animæ ipſius futu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

rum opus, nec deſutura ſibi ab eodem auxilia, ſi res poſceret, arbitrarentur. Sed errarunt toto, quod ajunt, cælo. Nam & Didoni alia mens erat, qui arcem iſtam jugum cervicibus ſuis, & peſtem univerſæ ſuorum libertati futuram interpretabatur: ſed nec profiteri hoc tutum ſibi, & quod avertere non poterat, patienter ferendum putabat. Præſul verò detrimento quoque fore juri ſuo Bremenſium inſtitutum judicabat. Quam ob cauſam non ſolùm auxilia ab eo nulla ſunt miſſa, ſed arcanis conſiliis impedimenta etiam alia atque alia injecta. Quod quanquam animadverterent civitatis rectores, haud tamen propterea à propoſito deſtiterunt, ſed paratis aliunde auxilijs quàm potuêre celerrimè arcem extruxêre, præſidioque impoſito firmatam à pacis cuſtodiâ Freburgum vocarunt. Hanc verò ego arcem diverſam eſſe ab iſtâ, quam hodie ad fines Oldenburgicos in Oſtringiâ loco paluſtri ſitam Comites Friſiæ Orientalis tenent, haud quicquam dubito, quicquid etiam alij ſentiant. Alioqui enim concedere nos neceſſe fuerit, cis Freburgum iſtud, quod jam extat, Iadam quondam fluxiſſe, ac Stadlandiam aliam ab hodiernâ tum fuiſſe: ad hæc patuiſſe quoque illuc uſque Bremenſis epiſcopi jus, aut Bremenſium civium imperium in hanc Friſiæ partem, quam Comites tenent, ſe extendiſſe: Quod quomodo aut ille reliquerit, aut hi tam pertinaces juris ſui ſemper aſſertores, non verbo, non facto defenſum deſeruerint? Sed mitto in re planâ argumentis dimicare: archiepiſcopus verò in Standlandiæ ſolo propè Hetam amnem Butiadarum terminum (is enim ſtructuræ hujus locus) invito ſe à Bremenſibus munitione inſtitutâ, tacitè fremens, aliud tamen palam præ ſe ferens, Chriſtianum Oldenburgicum Comitem, Chriſtiani filium, per internuncios ſuos clam inſtigat, ut bellum Bremenſibus faciat. Ille communicatâ priùs cum Theodorico fratre, ac patruele Mauricio Conradi filio re, atque ex eorum conſenſu ſuſceptâ, civibus denunciat, ut opus novum in fraudem domus Oldenburgicæ extructum confeſtim demoliantur: ni ſpontè faciant, ſe armis eos eſſe coacturum: ſimulque, cùm non ad dictum ejus obſequentes eſſent Bremenſes, belli initium facit, fines eorum populatus. Bremenſes queſti de injuriis ac vi apud archiepiſcopum, auxilioque ejus implorato reſponſum ferunt, ſi controverſiam cum Oldenburgicis archiepiſcopo permittant, quemadmodum æquum ſit, nec, ut arbitrio ſe ſimili ſubiiciant, Oldenburgici perſuaderi velint, auxilium non defuturum: ſin minùs, non eſſe, quòd iſtuc reſpiciant. Ita ad vim vi repellendam converſi, initâ cum Ottone Delmenhorſtano, Chriſtiani agnato, itemq; altero ejuſdem nominis Hoijenſi Comite armorum ſocietate, & ſoli, & cum iis Oldenburgicum agrum, præſertim ſecundùm Viſurgim fluvium aſperrimâ hyeme cùm pedibus tranſire conglaciatum amnem poſſent, viciſſim diripiunt, & vaſtant: poſt etiam Chriſtianum Stadlandicum agrum ingreſſum, atq; à prædatione ex hoſtico revertentem, non procul Goldſwardâ vico capiunt, ac Bremam in cuſtodiam abducunt. Demum res compoſita: Chriſtianus ut ſe cuſtodiâ liberaret, Wordenſem agrum in orientali Viſurgis ripâ, quem ipſe tenuerat hactenus, Bremenſibus cedere coactus. Dido talem inter hæc arma ſe geſſit, ut Bremenſes contra eum cauſam non habuerint. At ijdem cognito armorum motorum autore præſule ſuo, à quo opem & defenſionem ſibi expectandam credebant, magis in eum ſunt exacerbati. Itaque vicem ei quoque retulêre: quod mox exponemus. At Edo Ruſtrus is, de quo ſæpè nobis dictum, ſenio longo confectus, acciſâ vicinorum libertate, fato tandem conceſſit, ut eſt a nonnullis notatum, anno æræ Chriſtianæ M.CCCC.X: quanquam non deſint, & in his Ieverani opum ejus hæredes, qui multos annos mortem ejus anticipent: de quo cum ipſis contendere nolim. Vir fuit ingenio non ſolùm dominandi cupido ſed aſpero quoque & immiti, & qui nulli parceret, qui ambitioni & avaritiæ ejus quoquo modo locum non daret, & indigniſſimè quoque paſſus ſit

dotem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

dotem nurus ſuæ morte filii ſine ſobole extincti ab ſe repeti, cujus retinendæ nullum jus, imò nec juris ullam ſpeciem haberet, repetentemq; nurus patrem non antè perſequi deſtiterit, quàm eum fortunis vitâq; expuliſſet: patriæ libertati non minùs exemplo quàm facto noxius: cujus veſtigiis ii, qui ei quo jure quâ injuriâ ſucceſsêre, inſiſtentes ſic abuſi poteſtate ſunt, ut jam plurimos antè annos ne veſtigium quidem priſci juris ac libertatis Friſicæ Oſtringiis, Wangris, Ruſtris ſuis reliquerint. Genuit filium & filiam, quibus vivere ad puberes annos contigit. Filius Dodeco initis cum Algethe Inhuſanâ nuptiis antè generatam prolem & antè mortem patris obiit. Filia Frouwa Lubboni Sibeto Tranſiadano, ejuſdem cum Didone domus, vivo adhuc patre denupta Sibetum & Reinoldam edidit. Sibetus ab avo Edone educatus in pueritiâ, & filii loco habitus, eundem viciſſim etiam defunctum ut patrem celebravit, & per ætatem ſui juris factus Ruſtriæ rectoris nomen in actis publicis uſurpavit, nonnunquam etiam Edonis filium ſeſe nuncupavit, ſæpè memorandus in ſequentibus. Interea durantibus adhuc Friſiorum cum Hollando induciis, occiſo in Galliâ per Ioannem Burgundum Aureliano Duce, atque indè ingenti animorum diſtractione, atque implacabili inter proceres odio in eo regno ſecutis, Ioannes Bavarus ad annum M. CCCC. VIII, à Leodiis ſuis Trajecti ad Moſam obſeſſus fuit. Cujus liberandi gratiâ frater ejus Guilhelmus Hollandiæ Comes exorato Ioanne Burgundo unà cum eo ingenti ſtipatus exercitu Trajectum profectus eſt. Per cujus abſentiam decurrentibus jam ad exitum induciis, ne quid turbarum iis in partibus à Friſiis exiſteret, Margareta noverca, Hollandiæ rectrix, operâ Meinhardi Buxtehudij conſulis Hamburgenſis eaſdem has inducias uſque ad exitum menſis Septembr. anni M. CCCC. IX prorogavit. Guilhelmus Trajectum veniens cum Burgundo, antiſtitem fratrem obſidione exemit, Leodiis magnâ clade affectis. Deinde cum eodem Ioanne referendæ cauſâ gratiæ in Galliam abiit, præcipuuſque autor pacis, & reconciliatæ inter partes amicitiæ apud Carnutes fuit. Inter quæ Stellenwerfiis etiam & Scoterlandis eorumque vicinis, qui Vltrajectinis finibus proximi ſunt haud procul Auſtrino ſinu, cum Friderico Blanchenhemo epiſcopo renata lis eſt, maximè ob agrorum quorundam locaria in parochiâ Iſelhamo, quæ ad Cuneranos pertinet. Hos agros Friſiorum agris connexos à pluribus jam annis Vltrajectinus pro ſuis habebat, ex quo Cuneranam ditionem omnem ab Hermanno, poſtremo ejus domino, ejuſque liberis pecuniâ emerat; Friſij autem, quos dixi, emphyteuſin eorundem à majoribus acceptam poſſidebant pro certo pecuniæ annuæ modo. Sed Blanchenhemo, cui nihil modicum unquam ſatis fuit, ſupra hunc modum emphyteutas poſcente, & Iſelhamiis, qui in epiſcopi ditione ſunt, agroſque confines tenebant, paſcendo terminos tranſcendere auſis, controverſia primùm enata, dein penſio etiam legitima non ſoluta. Hinc ea ſecuta ſunt, quæ arma ſumere utroſque compulere, non parvo Cunerenſium malo, qui utrorumque in medio erant. Poſtremò poſtquam ſatis mali hinc atque illinc datum, ad arbitros finiendæ litis fuit decurſum. Arbitri electi voluntate partis utriuſque, abbas Staveranus, antiſtes Embricenſis, civitatumque Daventriæ, Campenæ, Suollæ Senatores. Per eos Vullenhoæ congregatos, præſente epiſcopo & Friſiorum legatis, anno M. CCCC. VIII ad VI Idus Iulias ſic pronunciatum: *Stellenwerfij, Scoterlandi, Oſterzenigi, pro locario hactenus non ſoluto, & ſi quæ prætereà eſſent, de quibus queri Vltraiectinus poſſet, bis mille ſexcentos aureos ſcutatos ſemel Vltraiectino penderent ad diem* XII *Calend. Decembr. anni præſentis Vullenhoæ, atq; inſuper numulos Flandricos quatuor in ſingulas domos: Si quis vicus,* (nam vicatim æquâ ratione omnis ſumma deſcripta fuit) *præfinito die non penderet, poſtridie ad duplum teneretur, licerétque epiſcopo deinceps ſummo iure contra vicanos eos agere, ac pignora auferre, ſine impedimento: Vltraiectinus ex Iſelhamijs viros bonos & rei maximè gnaros deligeret* XII, *qui iurati definirent agrum*

eum, qui eiuſdem Vltraiectini eſſet, (cohærebat enim ſine notis limitibus agro Friſiorum) pro quo impoſterum eſſet locarium pendendum, eiuſque limites certos pangerent: Eo facto, menſura agri iniretur præſentibus Friſiis: atque ita impoſterum Sterlingici numi quaterni in iugerum quotannis Vltraiectino penderentur Vullenhoæ ipſis Calendis Novembr. Si quis eam penſionem non ſolveret intra diem ab eo die decimum quartum, is duplum ſolvere damnas eſſet, ſed ius haberet in annum proximum ſolutionem differendi: Quòd ſi tum ſimiliter ad tempus præfinitum ſolutionem non præſtaret, quadrupli pendendi pœna eum ſequeretur, licerétque eodem modo in ſequentem annum differre ſolutionem. Eo vero anno ſi tardaret, ius emphyteuſeos ſine controverſiâ amitteret, idque recideret ad Vltraiectinum directum dominum: Vltraiectinus Cuneranæ arci præfectum daret virum bonum ac æquum ex conſilio Daventrienſium, Campenſium, Suollenſium, qui & gratus eſſet vicinis Friſiis & ab eorum iniurijs abſtineret: idémque facerent etiam poſteri ipſius: præfectus iſte amicè & benignè Friſiis uteretur: Cuneranos etiam regeret æquo imperio, nec ius eorum minueret, quod habuerant, antequam in ditionem epiſcopi venirent, ſub Hermanno & filijs eius, adeóque multis retrò ſæculis: Vltraiectinus operam daret, ne ex arce agróve Cunerano detrimentum ullum vicinis inferatur: idémque viciſſim Friſij ſtuderent, ne Cuneranis ex ſuis finibus noceretur; neutri alios impedirent in ſuo iure, non Vltraiectinus in diœceſi ſuâ Friſios, non Friſii ſuâ in regione Vltraiectinos: priora omnia inter partes pacta fœderáve rata manerent. Hæc cùm placuiſſent utriſque, pax iſtic renata eſt. Annus deinde

M. CCCC. IX.

M.CCCC.IX in Friſiâ occiduâ Galonem Hanniam, cujus mentionem fecimus antè, morte abſtulit, virum inter ſuos egregium: cui ſequens annus Sixtum Decamam & Odonem Botniam pari laude florentes ſuper addidit. Anno M.CCCC.IX cis Amaſum poſt Geroldi arcem ab Hiſcone everſam alia ſe procella in Valderanos alterius familiæ effudit à Kenone Broecmerio, cujus animus irritabilis æquè ac cupidus facilè ulciſcendi ſtudio ad vim proſiliebat. Sed quid eum tum potiſſimùm offenderit, dicere haud poſſum. Duobus Aijoldis conſobrinis, quorum alter Haiconis Valderani filius, Wiardi ſæpè poſt dicendi frater germanus, alter materterâ ejuſdem, & Folcmari Oſterhuſani fratre natus, uterque ipſi Kenoni ſanguine junctus, ſuccenſuit: Eorum arcem Oſterhuſæ obſedit: ipſos, qui tum in arce ambo erant, deditionem facere, corporum modò incolumitatem, cuſtodiamque nec tetram nec perpetuam pactos adegit. Tum arcem diripuit, nulli rei parcens, direptæque militem præſidiarium impoſuit. Prætereà Oſterhuſæ tum nocuit nemini. Captivos ſobrinos ſecum abduxit, & Auricæ vinculis indutos tetro carceri mancipavit, indignos ſanè eâ fortunâ juvenes. Quorum curam cùm mater Kenonis Foelqua, duri atque acerbi animi fœmina, quæque permultum apud filium poterat, & ad omnia eum facinora impensè impellebat, traditam à filio accepiſſet, ſive conſcio eo, ſive ignaro, quod mihi veroſimilius eſt, carceris pædore diuturno maceratos, miſerrimo tandem mortis genere, inediâ interemit. Quo extremo in caſu ſuo infæliciſſimi juvenes, interim dum Foelqua carceris claves ipſa cuſtodit, quo facinoris certior eſſet, fame torti veſtimenta primùm ſua, aliaque his fœdiora dicuntur manducaſſe: poſtremò proprios quoque artus morſibus appetiviſſe. Infandum facinus efferæ mulieris, & omnibus ſæculis in Friſiâ inauditum: quo docemur, odium in pectore muliebri quantum omninò ad perniciem valeat, quantoque ſit odio virili impotentius, atque acerbius. Corpora enectorum eadem, quæ ſcelus patraverat, dubium an celandæ rei causâ, an ut ignominiam negato ſepulturæ honore adderet, Auricæ per fidos cupidinum ſuarum miniſtros, clam cæteris Ilam miſit ad loci illius abbatem, juſſitque ut paluſtri in regione terrâ obruerentur. Sed facinus abominans abbas, nec committere id in illuſtris familiæ viros, & Kenonis propinquos audens, aut etiam à Kenone monitus, intra ſepta cœnobij ſui juxta templum, quâ Orientem aſpicit, modico ſepulchro eos condidit, ſaxumque cærulei marmoris impoſuit. Keno quidem, uti fama fuit, per indicium

cognitâ

cognitâ re, doluit vehementer, matriſque facinus damnavit, non ſolùm ob ſanguinis jus violatum tam enormiter, ſed etiam ob infamiam non ſervatæ à ſe fidei. Verùm à matre patratum, & quidem tali matre, quæ propè leges filio diceret, deteſtari licuit, punire non licuit. Atque hæc quidem citra controverſiam veriora, quæ teſtamento Wiardi Olderſhemij alterius infælicium juvenum fratris confirmantur, quàm quæ eadem de re Egericus Grimershemius in ſuis rerum Friſicarum commentariis narrat. Sed non finis hîc ſæviendi in ſanguinem propinquum, ac familias nobiles, verùm gradus ad facinus novum improbæ & crudeli fœminæ fuit. Ad quod ex generi improvido ac temerario facto occaſio ei data. Is Lutetus Dornumanus erat è vetuſtâ Atteniorum domo Herone Dornumano natus, magnis opibus præditus, cui Occam filiam à mariti morte ipſa Foelqua locaverat. Filia verò hæc maternis vitiis procaciam, & nequiſſimas etiam libidines, quibus mater infamis nunquam fuit, animumque in maritum contumacem addiderat. Quæ res gravis ingenuo juveni, cùm benignè aut graviter monita illa non deſiſteret, ac deterior etiam indies fieret, diu animum ejus anxium in ancipiti tenuit. Nam nec ferre nequitiam conjugis ultrà poterat, nec punire ob ſocrum potentem atque aſperam fœminam audebat. Tandem ad ipſam ſocrum querelas animique ſui dolorem defert. Illa, quæ morum filiæ jam antè non ignara, nec ſatis eidem ob dedecus familiæ propitia erat, ex pudore in iram verſa, ut acriùs conjugem corriperet, atque etiam, ſi contumax eſſe, ac ſe proſtituere aliorum libidini pergeret, vel morte mulctaret, ultrò hortata generum fuit: hoc extremum conſilium ſe habere, quo ſuccurri ipſi, & dedecus domus ſupprimi poſſet. Quibus verbis cùm temerè fideret Lutetus, irritatus aliquando improbitate uxoris planè jam modum ſupergreſsâ, ac præcipiti incenſus irâ, quanquam complures poſt annos, eam ſuſtulit è medio. Tum verò Foelqua de re certior facta, ſeu M.CCCC. X.
quod præcipitis quondam ab ſe dati conſilij, cùm jam ira reſediſſet, accedente etiam, ceu fit, enectæ recens miſeratione filiæ, ipſam pœniteret, ſeu ſubdolè id ſuaſerat, criminis prætextum in generum ac parentem ejus quærens, ſeu quòd ad abnegandum juſſum ſuum, ſimulq; abolendam familiæ notam velut innocenter cæſæ filiæ id expedire maximè arbitraretur, animi ſui indignationem teſtata, cùm pœnas ſumere niſi vi ſe non poſſe cerneret, adjuvante filio, arma celeriter expedit ad generum bello perſequendum. Mirari primùm Lutetus, nec ſatis credere, deinde cùm ſeriò agi videret, diffiſus munitioni arcis ſuæ, quam Neſſæ habebat, ad patrem Heronem Dornumum confugit, ſperans impetum veſanæ mulieris, quoad bilis deferbuiſſet, iſtic ſuſtinere ſe poſſe. Intereà verò miſit idoneos homines, qui excuſato facinore, commodis verbis eam delinirent. Sed pervicax animus fœminæ moveri non potuit. Itaque Dornumum cum copiis contendens ipſa, incertum an comite filio, tantâ quidem vi obſeſſos oppugnatosque urſit, ut pater filiusque ſe dedere, ac poteſtati ipſius permittere ſint coacti. Tum, quod animo conceperat, utrunque innocentem, fruſtraque miſericordiam implorantem, carnifici tradi, ac coram ſe in genua reclinatis, ſubſtrato Leidenſi panno, cervices incidi juſſit. Facinus id atrox viſum cunctis, qui audiverunt. Sed potentem fœminam in judicium vocare, aut ad pœnas depoſcere per Friſiam nemo tum poterat, nemo etiam audebat. Et veteri reip. formâ ſenſim converſâ, poſtquam paucorum nobilium potentia ſupra reliquos invaluit, pro legibus vis atque arma fuerunt. Ferunt arcem quoque Heronis ſtatim everſam, deinde & plures aliorum in eo tractu, qui aut arctiùs cohærere cum occiſis, aut auxilio aliquo fuiſſe, aut denique faviſſe dicerentur. Quæ ut vulgò narrantur, famâ per manus acceptâ, & ab Egerico Grimerſhemio quoque expoſita ſunt, ita commemorare ſine fidei meæ periculo viſum fuit. Et hæc quidem infauſti illius matrimonij triſtiſſima cataſtrophe. Ex quo præter Kenonem filium

antè pubertatis annos mortuum, duæ genitæ puellæ ſuperfuêre Heba ac Etta magnis poſteà familiis inſertæ, ſed clarioribus quoque liberis ac nepotibus editis celebres factæ. Nam prior Vconi Lerano Fecconis filio nupta Thedam peperit Vlrici primi Friſiæ Comitis uxorem, Edſardi matrem, quo nullus in Friſiis poſt regum ætatem clarior extitit. Etta verò Mauritio Cankenio Dornumano conjux data, Heronem Mauritium, & Hicconem, quem Præpoſitum
M.CCCC. dixêre, litteris ac virtute inclytum edidit. Qui deinde ſecutus eſt annus, Nor-
XI. dam ruinâ nobiliſſimæ turris, cui par toto eo tractu non erat, deformavit. Ea ſine hoſtili vi aut ignis injuriâ, ventorum impetu impulſa, decidiſſe dicitur, multoſq; homines eliſiſſe. Eo eodem anno Guilhelmus Hollandus cum exercitu in Galliam rurſum iturus in gratiam Ioannis Burgundi, qui tum ſummis viribus oppugnare Aurelianos parabat, ampliatis cum Weſtergois & Oſtergois induciis, quò cuncta tutiora domi relinqueret, miſſis Groningam legatis, cum eâ quoque civitate, agroq; finitimo uſque in Amaſum, qui Huneſgonios, Fivelgonios, Præfecturam veterem, Reiderios comprehendit, iiſdem ipſis conditionibus pacem firmat. Quod factum invenio ipſis Calendis Auguſti. In quâ pactione diſertè expreſſum, duraturam eam, quamdiu cum cæteris ad occidentem Friſiis pax Hollando ſtaret: & Ioannem Bavarum quoque Guilhelmi fratrem Leodiorum epiſcopum complexuram, omneſque adeò Guilhelmi clientes & ſubditos. Et iſto quoque tempore diſcordia gliſcebat in Præfecturâ vetere ex curâ & inſtauratione aggerum in orâ Dullarti exortâ, quæ acerba odia inter vicinos generabat. Nam Midwoldii, Oſtwoldii, Secmedani, Ecxtani, Medenſes in Suidbrocæos, Nordbrocæos, Muntedamios, & hi in illos ferebantur. Quæ ne longiùs progrederetur, ac majus malum daret, ſtudio eorum, qui plus cæteris ſapiebant, ad delectos utrâque à parte arbitros tandem delata eſt. Arbitri delecti fuêre, Nitardus Midwoldius, Fregerus Secmedanus ſacerdotes ex eâdem illa viciniâ agrariâ, Iacobus Scelgius, Everardus Wigboldi, Coppenus Iargæus, Warenus Beijerus, Ioannes Boſius, Ioannes Giſius ex civitate Groninganâ judices inter agrarios, quos Hovetmannos jam tum dicebant, & horum primi tres etiam eodem illo tempore reip. urbanæ conſules. Qui cùm audiſſent, quantum ſatis erat, partes, ac moderatiora ſapere docuiſſent, tandem latâ ſententiâ in concordiam eas redegerunt. Factum XI Calend. Octobr. anni ejuſdem. Sententiæ pronunciatæ robur adjectum ſigillis multis, inter quæ & civitatis fuit, quo tum pro more Hovetmanni utebantur, & judicum Præfecturæ veteris. Anno autem antè hunc proximo conſarcinator quidem rerum Friſiæ Tranſlavicanæ litteris mandavit, eò exarſiſſe factionum furias, ut qui Vetcoperæ partis eſſent, conſilio habito decretum cuderent de Sciringiis ſine diſcrimine ſexus, aut ætatis è medio tollendis: ſed quia pauci, quibus melior mens, tantum facinus averſarentur, iſtorum contentione eſſe factum, ut in eam tamen ſententiam tam funeſtam & impiam non diſcederetur. Sed emanaſſe nihilominùs quantumvis occultè agitatum conſilium ad Sciringios, horumque animos tantâ indignatione atque odio compleſſe, ut perniciem vertere in autores conſtituerint: ſic ſecutas eſſe multas innocentium hominum cædes. Quæ tuenda ego ſcriptori relinquo: apud me quidem fidem non inveniunt. Addit idem iam vero magis congrua, in hoc Sciringiorum furore Goſlicum Hiddamam Pingumanum partium Vetcoperarum, principem melioris illius, de quâ dixi, ſententiæ, cùm in itinere fortè in Sciringios incidiſſet, captum ac Bolſuerdiam pertractum, in arce Iongamæâ cuſtodiæ eſſe traditum; eam rem filium eius Iodocum ſubitò Galamæis, Eponique Alvæ, Tiarchoni VValthæ, Sicconi Roordæ eiuſdem factionis hominibus enunciaſſe, auxiliaque rogaſſe: illos cum ſociorum & clientium manu ad Iodocum in agrum novum propè Bolſuerdiam veniſſe ſine morâ, raptimque munitâ pro tempore Iodoci

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Iodoci arce in eodem agro Bolſuerdianis, atque ipſi imprimis Tiardo Ionga-
mæ domino arcis, in quâ captivus tenebatur, denunciaſſe, ut cuſtodiâ emitte-
rent Goſlicum: ni facerent, paratos eſſe ſe, quàm atrociſſimè in omnes ipſorum
propinquos injuriam vindicare, nec tamen Tiardum antè permoveri potuiſſe,
ut obſequeretur, quàm tumultu ejus rei causâ exorto ab oppidanis, de ſuo peri-
culo ſollicitis, vel invitus tandem ceſſiſſet: ita dimiſſum captivum à Bolſuer-
dianis honoris & ſecuritatis ergò ad filium reductum. Nec multò pòſt Wi-
bonem Mennemam non procul Bolſuerdiâ, quò pergebat, interceptum à Io-
doco Hiddamâ, interceſſione Bolſuerdianorum, quibus ille acceptus erat, eſſe
liberatum. Anno deinde proximo M. CCCC. XII Tiardum Iongamam cum M.CCCC.
ſuis tacitè convocatis inopino incurſu Iodoci arcem invaſiſſe, capturumque XII.
eam fuiſſe ponte jam occupato, niſi ſingulari audaciâ ac robore ipſe ſe Iodo-
cus, ingenti machærâ dimicans, irrumpentibus objeciſſet. poſtremò ſævienti-
bus Sciringiis, quorum fortuna eo tempore erat ſuperior, reliquos magno nu-
mero ad Kenonem & cæteros Ciſamaſanos confugiſſe. Sic ille. Et jam fatis
cõceſſerat Rupertus Palatinus Imperator, cùm decennium Germaniam rexiſ-
ſet: Succeſſitque Sigiſmundus Vngariæ Bohemiæque rex, familiæ Lucelbur-
genſis, Caroli IIII Imperatoris filius. Ejus imperii anno primo, qui fuit à
nato in terris Chriſto M. CCCC. XII, portorium, quod acciſam corruptâ voce
Latinâ vulgò dicunt, mercium omnium quæ peregrè importantur, Emdæ pro-
mulgatum inſtitutumque, ſed valde tenue. Cujus jus à Ruperto Imperatore
Hiſco, qui oppidum tum tenebat pro rep. oppidanâ impetraverat. Ita paulatim
cum ædificiis & habitantium numero jura quoque oppidi crevêre. Intereà &
epiſcopus Bremenſis Worſatiis ſuis, viciniſque Loënſibus moleſtus eſſe cœpe-
rat. Quos cùm dicto parentes habere non poſſet, caſtello erecto ad Viſurgim,
præſidium illis imponere conſtituit. Opere cœpto Bremenſes ſe interponunt,
monſtrantque epiſcopo, ſic olim cautum eſſe, ne citra aſſenſum civitatis ad Vi-
ſurgim munitiones erigantur. Quà ratione cùm nihil proficerent, clam Wor-
ſtenſibus animum addunt, ut nocturno tempore diurna opera accurrentes
diſijcerent, omnibuſq; modis cœptum, quod ſervitutis eorum fundamentum
eſſet, impedirent. Illi ſemet quoque cohortati conſilium ſequuntur, natatuque
rivum ſuperantes licet gelidâ hyeme, unde non expectabantur, in opus impe-
tum faciunt, diſijciunt, vaſtant, corrumpunt, quæcunque poſſunt: nec deſtitiſ-
ſent, niſi omnibus ſolo æquatis, niſi vi frigoris fuiſſent inhibiti. Sic cùm ad bel-
lum res utrimque ſpectaret, à vicinis interceſſum: reſque ita compoſita, ut
epiſcopus cœptam munitionem ſpontè deſtrui pateretur. Quæ dum hic illic
agebantur, belli cauſæ in occiduâ parte inter Vltrajectinum & Friſios Stellen-
werfios, ac eorum vicinos Scoterlandios ortæ rurſum ſunt, ex iiſdem illis agris
ad Iſelhamum vicum, ob quos agros quinquennio antè erat bellatum. Vide-
baturque epiſcopus, ut erat armorum æquè ac potentiæ avidus, ad ſubigen-
dam eam Friſiæ oram conſilia ſua prorſum retuliſſe. Nam initiò ſtatim magnis
conſcriptis copiis infeſtus in agrum Stellenwerficum incurrerat, ac Peper-
goam, Bleſdicum, vicoſq; ac villas complures ad terrorem inijciendum incen-
dio vaſtaverat. Deinde Adolfum Sutenium virum nobilem in Lemmeranos
miſſum, omnem eum tractum igne ferroque vaſtum quàm maximè facere
juſſerat. Quo patrato, cùm longiùs etiam progredi Sutenius vellet, concurſu
Lemmeranorum cum totâ penè manu ſuâ eſt interemptus. Dataque & illata
viciſſim damna plurima. Verùm cùm difficilius hoc bellum eſſe, quàm initiò
ſibi perſuaſerat, cæteroſque in eâ viciniâ Friſios jam huc animos arrigere, &
auxilia meditari epiſcopus animadverteret, denuò per arbitros dijudicari con-
troverſiam, & bellum componi permiſit. Arbitri utrimque lecti ſunt, ſena-
tus Daventrienſis, Campenſis, Suollenſis, populus Oſtergous & Weſter-
gous, civitas Groningana, & Staverana, poſtremò Dodingawerſtalli, Stellen-

werſiis vicini. Ab his delegati bini ex urbibus Tranſiſalanis, totidem à reli-
quis, ut eſſent omnes numero XII. Res compoſita eſt his conditionibus die
M.CCCC. XXI Decembr. vergente ad finem anno M.CCCC.XIII. *Stellenwerſÿ ſociique pro*
XIII. *detrimento & iniuriâ ſatisfacerent epiſcopo, depenſis ſemel bis mille ducentis aureis ſcuta-
tis veteribus. Epiſcopus viciſſim Friſiis venderet agrum illum omnem controverſum, ſcu-
tatis aureis quatuor cum ſemiſſe in ſingula iugera pretÿ nomine conſtitutis. Id pretium
Friſÿ intra octennium ſolverent, exhiberéntque ſenatui Campenſi: intereà uſuram pende-
rent, ſcutatum unum in ſingula iugera quotannis. Quòd ſi qui priùs ſolvere ſortem ipſam
vellent, hoc illis eſſet integrum, atque ita onere uſuræ liberarentur. Octennio qui ſummam
conſtitutam non exhiberet, deinceps uſuram penderet duplam, quoad de ſummâ ſatisfa-
ceret. Solutione factâ epiſcopus omni iuri ſuo renunciaret, agróſque emptoribus liberos
traderet, pro ſe & poſteris ſuis, ſummo tantum imperÿ, ac iudiciorum iure, quod cum
reliquâ ditione Cuneranâ ab Hermanno poſtremo Comite, filiiſque eius Vltraiectinus quon-
dam emerat, excepto. Lites tamen de terminis agrorum, iniuriiſque hinc ortis inter
ipſos Friſios, præter vulnera ac cædes Friſÿ in ſuis tribunalibus ſuiſque ex legibus defini-
rent, & mulctas eo nomine caperent: Hæc rata haberentur, confirmarentúrque ſolenni mo-
do à collegio primariæ ædis, reliquiſqúe parochÿs Vltraiectinis, ac civitatibus Vltraiecto,
Amersforto, Daventriâ, Campis, Suollâ, adiectis omnium ſigillis. Caveret porrò epiſcopus
Friſÿs, ne quod ab Iſelhamiis finitimis paſcendo detrimentum ipſis adferretur in hiſce ab
epiſcopo emptis agris: Friſii contrà cederent venderéntque epiſcopo agrum ſecundùm oram
ab Iſelhamo ad Cuneranos porrectum quinis in iugera ſcutatis, cuius pecuniæ pendendæ
modum ac tempus arbitri, viri boni ad hoc delecti, ſtatuerent: His legibus pax coiret: Eâ
Cunerani quoque, qui epiſcopum offenderant hoc tumultu, eſſent comprehenſi. Si quid bo-
rum negligeretur à Friſiis, fas eſſet epiſcopo eos ad officium compellere legibus, aut armis:
nec liceret Oſtergois, Weſtergois, Groninganis, Staveranis, Dodingoverſtallis,* (hi quoque
in numero arbitrorum fuêre, vicini Stellenwerfiis) *eum impedire ullo modo, aut
auxilium laborantibus ferre. Probarentur hæc additis ſignis ſuis, non à partibus ſolùm
diſſidentibus, ÿſqúe, quæ nominatæ ſunt, civitatibus in diæceſi, ſed etiam ab antiſtibus, iu-
dicibus, conſiliis oppidanis per omnem Oſtergoam, Weſtergoam, Dodingoverſtallos, nomi-
natim verò à Groningano & Staverano Senatu.* Delegati Friſiorum & Groningen-
ſium & Staveranorum fuêre, Ioannes decanus Zerogeſtanus, Iacobus Sceltin-
ga, Hero Aukinga, Doco Vffinga, Hiddo Heſlinga, Iacobus Simonis. Inter
hos motus apud Sylveſtres, in Weſtergoâ bellicus quoque tumultus (quis cre-
dat?) à monachis. Cæſus erat fortè à Bolſuerdianis cucullatus quidam, ex eo
genere, quos Converſos vocant, familiâ nobili, initiatus religioni in cœnobio
Veteri, cui tum præerat multos annos Dodo Feitama, celebris ob mores & do-
ctrinam inter antiſtites earum regionum. Is, cùm fruſtrà ſatisfieri ſibi poſtu-
laſſet de cæde capitis cariſſimi (habuerat enim hominem præ cæteris in pre-
tio) vindictam meditans, monachis ſuis, amicis, clientibus magno ſilentio ar-
matis, nono antè natalem Chriſti die, benè manè, impetum dat ex vicino in
oppidum, idque haud magno negotio (nemo enim hoſtem expectabat) ca-
pit; ex iis, quos putabat potiſſimos cædis perpetratæ autores eſſe, aut obſtare,
quo minùs autores ad ſupplicium dederentur, oppidanos XIII interficit: è re-
liquo numero, qui præſtabant, nonnullos captivos ſecum in cœnobium ſuum
trahit, & pecuniâ pro liberatione emungit. Hanc contumeliam ab uno cœ-
nobio, id eſt, ab uno cucullatorum grege oppidum non poſtremum eſt paſ-
ſum. Et licet anno proximo bis ulciſci monaſticum facinus oppidani conati
ſint, cœnobio per vim tentato, nihil tamen efficere potuêre. At verò initio
anni ſequentis, cùm expiraſſet induciarum Hollandicarum tempus, Weſter-
goi Staveræ finitimi, quod animadverterent aſſuetudine quietis remiſſiùs
adhuc agi excubias in oppido ab Hollandis, uſi oportunitate oblatâ, ad diem
IV Nonarum Mart. repentè manu factâ iſtuc convolant, inque mœnia irru-
entes primo conatu penè ſine ſtrepitu oppidum capiunt. Atque ita Hollandi
omni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

omni Weſtergoâ, poſt arma ab Alberto illata, rurſus amoti: eoque metu, quem
iſtinc habebant, liberati Friſij. Quam rem cùm accepiſſet Guilhelmus Co-
mes, dicitur moleſtiſſimè tuliſſe, ſuorumque negligentiam plurimis verbis eſſe
deteſtatus. Sed ferre neceſſe habebat, quod corrigere ſtatim non poterat. Et
ne quid impedito ſibi plus mali indè proveniret, inducias novas cum ijſdem
Friſiis eſt pactus; quæ durarunt ad vitæ ipſius finem.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XVIII.

IN Orientali Friſiâ circa Amaſum Hiſco ita jam agebat fiduciâ elatus ami-
citiæ Tranſamaſanæ, ut publicum penè odium fieret omnium ejus oræ
ordinum. Id cùm maturuiſſet, tempeſtatem ei dedit, ex quâ maximæ ſta- M. CCCC.
tim mutationes in univerſâ Friſiâ tanquam ex fonte ſunt conſecutæ. Et X III.
primùm quidem ad potentiam aſpiranti Kenoni fortuna viam hâc aperi-
re viſa fuit. Nam cùm dux in inviſum Hiſconem quæreretur, delectus ipſe à
ſocijs, quod unicè in votis habebat, ad exuendum illum oppido Emdâ, quanto
potuit ſtudio, dum invidia atque ira recens, ſeſe comparavit, copijſque ex omni
parte coactis ſine morâ ipſum oppidum invaſit. Cujus aſſultibus primis ægrè
depulſis, cùm intelligeret Emdanus, tantas vires, tantumque ordinum conſen-
ſum diu ſuſtinere ſe non poſſe, quinimò nutare quoque voluntates ſuorum in
oppido, quibus hactenus nihil ei promptius, id quod ex inſolentiâ provenerat,
velut fortunæ ac invidiæ ceſſurus, cum conjuge ac filio conſcenſâ nave in
agrum Groninganum, atque inde rectà Groningam civitatem ſociam confu-
git. Oppido occupato Keno victor ita fortunâ uſus eſt, ut conſervatis ſingulo-
rum rebus, oſtentato etiam publicè privatimque benefaciendi ſtudio, om-
nium oppidanorum voluntates facilè ſibi adjungeret. Mitem, facilem, libera-
lem ſe præbere quibuſvis, inſitam naturæ ferociam ac ſuperbiam, quantum
poterat, temperare & tegere, ſuccurrere oppreſſis, ac vindicem ſe profiteri, li-
bertatis etiam defenſionem prætexere cupidini dominationis, omniaque fa-
cere, quibus via muniri populari gratiâ ad potentiam ac principatum ſolet.
Quibus quantum profecerit, ea, quæ deinceps narrabimus, oſtendent. Eo
tempore ampliatis jam cum Guilhelmo, de quibus priùs dixi, induciis, diſ-
ſenſionum civilium initia Groninganæ quoque civitati cœperant obrepe-
re, contrariis eorum ſtudiis qui civitatem regebant. In his Rengeri, Hugin-
gij, Clantij, Clingij, Bruggij ad Vetcoperos tacitè ac ſenſim ſtudia inclina-
bant. Cæteri propè omnes nomen Sciringicum palàm profitebantur: quo-
rum ſignifer & dux Coppenus Iargæus, Iargis filius, vir audax, factioſus,
ingenio & manu promptus, ambitu valens, qui quinquies jam ſexiéſve alter-
nis cum patre annis (is enim ſupererat etiam tunc, & prioris anni conſul fue-
rat) ſummum in rep. magiſtratum conſulatum adminiſtraverat, multúm-
que in totâ rep. poterat: eum reliqui quanquam ætate, honore, nonnulli
etiam famlíâ in civitate priores, velut comites ſequebantur, Ioannes & Lu-
dolfus Sickingij, Bernardus & Radingus Hornkingij, Iacobus Scelgius,

Everardus Wigboldus, Ioannes Wicheringius, conſulares omnes: Senatorij verò ordinis quamplurimi. Quæ cùm inaudiſſet Vltrajectinus, dolens ne tum quidem à civitate ſe recipi, quanquam latâ pro ſe ſententiâ à Benthemio, arrecto ad occaſionem animo (nam in diſſidio ſe penetrare poſſe, quò deſiderabat, arbitrabatur) ſtudijs diſſidentium ſe clam miſcere, Coppenum, Scelgium & paucos alios occultis litteris & nunciis animare, facesque incendio clam ſubijcere, nec tamen, quantum cupido ferebat, in commodum ſuum proficere. Sed vbi Groningam Hiſco venit è patriâ profugus, auxiliaque quærens, maturandorum tumultuum, id eſt, civilis flammæ incendendæ ingens irritamentum fuit. Nam illum injuriâ pulſum domo, ac fortunis everſum, veterem civitatis amicum, cùm fovendum eſſe, atque auxilijs juvandum contra hoſtem plerique jactarent, qui Sciringicæ erant factionis, alij autem civitatis res tranquillas cum diſſidiis aliorum miſcendas non eſſe dicentes, ad Kenonem ſua ſtudia conferre viderentur, diſſidere primùm ſententiis, deinde verbis contendere acriùs inter ſe, poſtremò multitudinem quoque in partes trahere, & factioſis nominibus diſiungere, ſed liberiùs omninò ac violentiùs Siringij, cæteri numero ſuo diffiſi timidiùs. Fuitque tota civitas aliquandiu in Hiſconem & Kenonem diviſa. Poſt cùm maturuiſſent odia, ſeditioſiſſimi quique Sciringicarum partium à Coppeno & cæteris concitati, ad diem x Calend. Novembr. ejuſdem anni M.CCCC.XIII, quo ſenatus fortè habebatur, in curiam irrumpentes Ioannem Rengerum conſulem, principem partis adverſæ, medio in ſenatu trucidarunt. Albertum Baroldum, & Ioannem Heccumanum convulneratos, perque feneſtram ſublimem in ſubjectum forum præcipitatos eliſerunt, cæteris plerisque metu perterritis. Deinde è curiâ decurrentes cùm in Henricum Clantium Ottonis filium in foro fortè incidiſſent, eodem quoque illum aggreſſi furore, fugientemque aſſecuti interemêre: ſtatimque in Allardi etiam Clantii domum in fori parte occiduâ impetu facto, eum ad menſam fortè accubantem velut feræ rabidæ inter ipſas epulas jugularunt. Wibrandus Clantius & Dethmarus Rengerus, Ioannis in curià interempti filius, cùm ſimilem ad cædem quærerentur, in fanum Franciſcanum velut in aſylum curſim fugientes, vix vitam ſervarunt. His facinoribus patratis, factioſi tanquam furore ſedato gladios condere, ſed Coppenum aſſectari, eum laudibus vehere, patronum ac defenſorem nominis Sciringici vocitare, auxilia illi ſua deferre. Coppenus his viribus fultus, confeſtim decreto ſenatus juſſit, vt omnes adverſæ factionis, quíve iis aliquâ neceſſitudine aut amicitiâ cohærebant, ſine morâ urbe atque agro excederent, cunctis relictis rebus ſuis: aut ſi non facerent, denunciavit, ſe in eos animadverſurum. Quo edicto Reinoldus Huginga, vir conſularis, & multâ inter ſuos claritudine, (nam ſupra centum annos dignitatem eandem majores ejus in civitate tulerant inter clariſſimos patriciorum, ipſeque etiam plus quàm decies eam iteraverat) ætate præterea gravis, unà cum liberis & familiâ universâ, patriâ decedens, tum Otto, Wibrandus, Ioannes Clantii è nobilitate oppidanâ, Bruno Clingius conſul anni illius, Henricus Bruggius ſenator cum fratribus quatuor, Ludovico, Bartholdo, Ioanne, Rudolfo, Conradus etiam & Reinoldus Voſſii, Arnoldus Steenvicus, Eberhardus Hubbeldingus, Hermannus Hanſovius, magnaque ſupra hos civium omnis generis multitudo in exilium abiêre. Exilii locus communis apud Kenonem fuit. Tum Coppenus idem depulſis jam ex oppido æmulis, ne quid impedimenti ad dominatum, aut timoris ſibi ſupereſſet, cum promptiſſimis ac audaciſſimis è plebe in agrum profectus, armaq; circumferens Onſtenios, Ripperdæos, Houwerdæos, Gockingios nullis tum munitionibus tutos, & quotquot earum partium eſſe noverat, totâ regione ejecit: qui ipſi etiam ad Kenonem magnis agminibus ſe contulêre. Ita omni quoque agro aut metu, aut factionis inſaniâ in ſe unum

conver-

converſo, cùm in urbem rediſſet, revocatâ in ſe propè omni poteſtate velut di-
ctator reip. præſedit. Deinde cùm tempus adeſſet ſurrogandi magiſtratus no-
vos, quo ſpeciem reip. priſtinæ retineret, ad fallendos civium imprudentium
animos, ſemet cum Bernardo Hornkingio, Iacobo Scelgio, Eberhardo Wigbol-
do, in annum ſequentem conſules refecit. Per idem ferè tempus & Eidorenſes
Friſii, qui multos jam annos Danis paruerant, inter Danica & Holſatica ar-
ma variè jactati, tandem in Ditmarſicum quoque bellum inciderunt. Ditmarſi
indignantes, captos quoſdam ſuæ gentis homines & ſcelerum convictos à
Tranſeidoranis laqueo fuiſſe necatos. Igitur infeſto agmine Eidorâ flumine
ſuperato, primò cladem ab hoſtibus accepêre, quingentis ſuorum amiſſis.
Deinde inſtaurato exercitu ita eoſdem terruêre, ut ad iniquiſſimas conditio-
nes accipiendas deſcenderent, XXX marcarum millia mulctæ nomine polliciti,
& in controverſis cauſis hoc ratum habituri, quod XX Ditmarſi ab Eidoranis
delecti, uno ſuæ gentis addito, judicaſſent. Quæ cùm ad Eidoram flumen
fierent, annus jam erat à Chriſto nato M. CCCC. XIIII. Quo anno Bremen- M. CCCC.
ſis etiam Senatus ex voluntate populi in Didonem Stadlandum, veterem ſuum XIIII.
clientem malè pacatum, bellum decrevit. In ejus belli uſum trecenti equites
ære publico conducti, auxilia Oldenburgenſium aliorumque ex regione vici-
nâ conciliata, ter mille cives ex urbe educti. Ingreſſi deinde hoſtili agmine in
Stadlandicum agrum, in fanis expugnandis, quæ opere præſidioque Dido ca-
ſtrorum inſtar munierat, multo & difficili certamine, ancipitique fortunâ la-
borarunt. Nec tamen antè deſtitêre, quàm omnes, qui in præſidiis erant, dedi-
tionem feciſſent. Tum populum, è toto agro convocatum, ejurato Didonis
aliorumque imperio, in verba Senatus populique Bremenſis jurare coëgerunt.
Ita pax illis reddita: Bremenſeſque in jura Didonis ſucceſſere. Intereà, qui Cop-
peni vim fugerant, Kenonem antè omnes, dein cæteros ejus oræ viros nobiles
precibus fatigare, atque omnia iis argumenta adhibere, ut eos ad ſe in patriam
reducendos impellerent. Cæteri variè affecti, & in Kenonem intuentes. Keno
quanquam promiſſis urgeretur ampliſſimis, & gloriæ cupidine per ſe ardeſce-
ret, tamen haud ullâ re commotus fuit magis, quàm quòd pro certo habe-
ret, ni ipſe Coppenum cum Hiſcone Groningâ eijceret adjutus exulum ſtu-
dio, ac potentiam eorum frangeret, eos ipſos non multò pòſt, exulibus à ſpe
recuperandæ patriæ dejectis, ultrò ad ſe oppugnandum cis Amaſum, atque
Emdâ exuendum eſſe venturos. Itaque offerentem ſe occaſionem non negli-
gendam ratus, aliorum ſtudio ſuam ipſe fortunam firmaturus, ſuum dolorem
ulturus, gloriam & gratiam pariter ſibi paraturus, cedere ſe tandem preci-
bus exulum profeſſus, communicatâ cum reliquâ nobilitate re, quæ iſtuc fa-
cerent, cœpit parare. Quæ quia haud ignorabat Coppenus, etiam ipſe in ex-
cubiis eſſe cum ſuis, cohortes ex civibus & agricolis inſtituere, atque in præ-
ſidiis in oppido & circùm oras habere, peregrinum quoque militem conſcri-
bere, ac, quò pecuniâ in tempore ad has res neceſſaria ne deſtitueretur, aurea
ac argentea vaſa, reliquoſque theſauros templorum magni pretij, hortatore
Sinecone Farmſumano præpoſito, per Fivelingiam aliaſque agri partes pro-
miſcuè tollere, inq; domum ſuam, quæ Groningæ ad forum erat, congerere, ea
porrò Campos oppidum ad conflandos numos mittere: Hi numi ex ipſius no-
mine Coppenii aurei vulgò nuncupati ſunt, quibus maxima pars argenti ine-
rat. Quæ vix confecta illi erant, cùm exules & Keno, cæterique ſocii ex omni
parte ipſum laceſſunt. Initium belli factum à mutuâ prædatione: mox acerbi-
tate quadam animorum itum, ut factionum mos eſt, in alterna incommoda
& perniciem. In quibus Sciringii clauſtra rivorum duo in agro Reiderio, qui
in Vetcoperorum parte erat, ad infundendas Dullarti aquas, terraſque mer-
gendas, pice oblita exuſsêre, aggereſq; pluribus locis perfodêre. Tum, ut vicem
referret, idem eo latere, quo Groninganus ager eſt, haud procul Reidâ vico,

feciſſe

feciſſe Keno perhibetur: coactaq; eſt plebs innoxia delirantium ac veſanorum procerum furores luere. Coppenus verò, ne clades ea vagaretur latiùs, clauſtris tribus proximis, quæ facillimè adiri ab hoſte poterant, Reidano Munthano, Oterdumæo præſidia impoſuit. Cùmque territandis vexandiſque hoſtibus plurima utrimque moverentur, Ewenardus Idſinga Nordanus pro Kenone ſororio militans, ad Farmſumum cum ſociis in terram deſcenſurus ſagittam fortè in certamine ab hoſte emiſſam corpore recepit. Cujus vulneris vim cùm ſuſtinere non poſſet, paulò pòſt è vivis exceſſit, ultimus Idſingiæ familiæ, unicâ tantùm filiâ Himâ, quam ex Sibbâ Oſterhuſanâ ſuſceperat, haud parvarum facultatum hærede relictâ. Atque hoc modo alternatione cladium & injuriarum certatum diu, donec hyems ſuperveniens quaſi inducias quaſdam inter partes conſtituit. Per has conciliandis ſocietatibus & jungendis fœderibus utrimque laboratum. Inter fœdera Sciringicæ factionis invenio id, quod inter civitatem Groninganam, & præfecturam mediam quam vocant, quæ Fivelgoniæ pars
M.CCCC. XV. præcipua eſt, die IV Iduum Martij anno M.CCCC.XV percuſſum. Cujus capita fuëre hæc: *Vt ſocij hi libertatem patriam illibatam collatis mutuis auxilijs omni ſtudio ac modo tuerentur contra Kenonem Broecmerium, omnéſque principes exteros, atque huic, ſi eſſet neceſſe, fortunas ſuas & corpora impenderent: nec pars altera ſine alterâ, nec ſine conſenſu mutuo cum quoquam de rep. paciſcerentur: civitas, poſcente re aliquâ, ſocijs id publice petentibus, ſummis viribus ſubſidia ferret ſumptu ſuo: idemque civitati viciſſim ſocij præſtarent. Quòd ſi qui per agrum vicinum in hanc libertatis defenſionem conſentire nollent, eóſque ad officium compellere civitas vellet, ſocij ijdem eodem modo auxilio ei eſſent, atque inſuper fidei ſuæ obſides quatuor, quos civitas eligeret, darent, illíque in urbe manerent, quoad expeditio finem acciperet: in tuendis privilegijs, iuribus, moribus patrijs, uti tum in uſu erant, ſibi mutuò ſummâ curâ ac fide adeſſent. Onſteniorum profugorum cenſus ac reditus omnes in uſum partium ſociarum ſolvendis militum ſtipendijs cederent, quoad ipſi cum rep. ſociorum tuentium libertatem non revertiſſent in gratiam. Pœna violantibus hæc conventa eſſet ſcutatorum veterum mille. Damna à Kenone & Kenonianis illata cuiquam ſociorum, aut eorum, qui huic fœderi eſſent per totum agrum aſſenſuri, ſarcirentur ex bonis illorum, qui pro Kenone inter Amaſum & Lavicam facerent.* Hæc in litteras relata, & ſigillis partium ſociarum firmata. Poſt quæ vergente jam æſtate, cùm de his & ſimilibus cognoviſſent Keno exuleſque, conſilium ipſius invadendæ capiendæque Groningæ, quod jamdudum coxerant, expedire inſtituerunt. In hunc finem excitatum nuper, & jam intermortuum rumorem magno ſtudio reſuſcitant, & pro certo divulgant, promiſiſſe Coppenum Vltrajectino, inconſultu Senatu reliquo & populo, civitatem tradere, atque ita invidiam in caput ejus graviſſimam concitant. Eo ſtrategemate præmiſſo, mox Keno ipſe ut in ſe vim omnem & cogitationes hoſtis verteret, unaque cum eo fœderati Ciſamaſani, qui eaſdem partes ſequebantur, delectu ſuorum quàm maximo habito, velut hoſtes ſummis viribus invaſuri, expeditionem adornant, copiiſque, quas coëgerant, claſſi impoſitis, Farmſumum, in orâ agri Groningani, portu commodum, adnavigant. Quod cùm Coppenus per exploratores maturè accepiſſet, id quod optimum factu exiſtimabat, vocatis confeſtim ad ſigna, atque ex oppido eductis civibus Groninganis, omnique per agrum juventute militari excitâ, quantâ potuit celeritate profectus eòdem eſt, ut hoſtem littore prohiberet. Sed cùm hoſtis velut occaſionem operiens in ancoris in conſpectu Farmſumi ſtaret, ipſe etiam eodem in vico, totâque eâ orâ diſpoſitas copias ſuas toto triduo tenuit. Intereà verò exules, quos dixi, ſicut inter eos conſtitutum erat, conſilio cum pluribus Drentinis jam antè communicato, quos idem Coppenus in ſe irritaverat, quorumque benè magnus numerus exulibus ſanguine aut amicitiâ erat connexus, per circuitus ſparſim profecti, ne qua ſuſpicio oriretur, Eeldæ jam omnes convenerant, qui vicus magnus eſt in Drentiæ ſolo, quatuor à Groningâ paſſuum millibus diſtans. His cùm ſe Drentini non pauci

conjung

conjunxiſſent, ad diem XVI Calend. Octobr. ſimul omnes adhibitâ ſummâ ce-
leritate ſub primas tenebras Groningam contenderunt. Quò cùm ſine tumul-
tu perveniſſent, pars ſtatim, qui manu atque animis prompti erant, ſuperatâ
per noctem oppidi foſsâ, ſcaliſque, quas præparatas habebant, muro admotis,
non procul ab Amnicâ portâ, qua maximè commodum erat, in oppidum civi-
bus penè vacuum penetrarunt. Hi vigilibus ſtatim diſiectis, ingentiumque
malleorum vi confractis proximæ portæ clauſtris, portâque adapertâ, ſocios
recepere. Tum occupati oppidi ſignum, tribus domibus incenſis, quarum per
noctem latè conſpicua eſſe flamma poterat, ut convenerat, Kenoni dederunt.
Quo viſo lætus ſtatim ille tubâ ſignum omnibus dari, & claſſem terræ admove-
ri juſſit. Coppenus autem re novâ ac ſubitâ perturbatus, (facile enim quid rei
eſſet, incendio procul viſo, hoſtiſque eodem tempore conſpecto motu, ſuſpica-
ri potuit) in fugam ſtatim abiit cum ſuis, priuſquam in terram deſcendere Ke-
noniani poſſent: nec fugere antè deſtitit, quàm extra Friſiæ fines perveniſſet.
Sic Keno nemine impediente cum exercitu ſuo in littus proximum expoſito,
Groningam petiit, exulibuſque, quos Coppenus eiecerat, rempublicam reddi-
dit: Ex his conſules deſignavit perpetuos Reinoldum Hugingam, Conradum
Voſſium, Arnoldum Stenvicum, Brunonem Clingium. Hinc circumducto per
omnem agrum exercitu, plurimorum nobilium & plebeiorum domicilia, qui
Coppeno ſtuduerant, ejectis dominis, evertit: in quibus Focco Euſma Evvo-
nis filius Wolterſhemus, Feico Sculteda Stedumanus, Andelefus Fratama,
fratreſque ejus germani Bewo, Meinoldus, Popco Enerumani, Ludolfus Mei-
ma Baſtlous, viri nobiles omnes; tum Dammonenſes, Muntenſes, aliique com-
plures maximè ii, qui Groningæ erant vicini. Ita ultus ad ſatietatem exulum
ſociorum injurias gloriâ & gratiâ auctus, accepto ingentium munerum pro-
miſſo, ac fœdere ſolenniter celebrato, in patriam cum ſuis rediit. Eo pro-
fecto, oppidani & agrarii de conſtituendâ rep. fuerunt ſolliciti. Nam ex tur-
bis his altiſſima in viſceribus ejus vulnera reſidebant, cùm reduces cum iis, qui M.CCCC.
domi manſerant, & Coppenianis aut aſſenſerant, aut non reſtiterant, miſce- XVI.
rentur, & agri cum agris, agrarii cum oppidanis controverſiarum cauſas habe-
rent, omnes pariter ab Vltrajectino epiſcopo, & Hollandis occaſionem aucu-
pantibus ſibi metuerent, exulumque conſilia & conatus formidarent. Sed erat
omninò nemo, qui non ſentiret, nihil magis, quàm concordiâ hoc tempore
opus eſſe. Itaque Huneſgonii primùm & Fivelingii ſeorſim cum civitate con-
firmatis fœderibus ac pactis prioribus, remiſſis factionum offenſis ac ſartâ om-
nium gratiâ, paucis ſolùm tumultuum ducibus exilio mulctatis, facinorum li-
centiâ gravioribus pœnis compreſsâ, ſeſe junxêre. Idem exemplo horum Lan-
gowoldii, Fredowoldii, Hummerzii, & cum his Octopagici, qui ſunt trans La-
vicam, fecêre circiter Nonas Iunij. *Caput rei totius fuit, libertatis contra peregrinos*
principes defenſio, coniunctâ omnium operâ & auxilio: eum in finem oppidanis curæ eſſet cu-
ſtodiâ civitatis ſuæ, ne quid ex eâ detrimenti agrarijs accideret: agrarij viciſſim ei laboran-
ti, atque omnes omninò ſibi mutuo auxilio eſſent pro periculi & virium modo, ſumptu ſuo:
nemo cum hoſte, aut cum quoquam omninò paciſceretur ſine ſociorum aſſenſu: controverſia-
rum omnium inter ſocios compoſitio per arbitros tentaretur antè Michaëlis: quæ ſi non pro-
cederet, referretur res ad conventum ſociorum, ibiq; finiretur: in eum alióſque fines quot-
annis delecti ſociorum convenirent Groningæ die octavo à Pentecoſtes: non parentes iudicio
ſociorũ, armis coercerentur. Exules Coppenum Iargeum, Iacobũ Scelgium, Ioannem Hovium,
cæteróſq; cum his facientes nemo receptaret; omnes verò tenerentur eoſdem in regionẽ ſocio-
rum venire auſos, quo modo, quâ vi poſſent, perſequi. Et hæc valerent in proximum decen-
nium. Inde pecuniæ conficiendæ ratio inita, quâ Kenoni pro navatâ operâ ſatis-
fieret. Collegêre per agrũ judiciis præfecti in urbe, quos Hovetmannos vocant,
aureos Arnhemicos DC. LXXXVII; magiſtratus oppidani in civitate aureos CCC.
Ea omnis per Foccuconẽ eâ gratiâ iſtuc miſſum ad Kenonem data, ad exitum
anni M.CCCC.XVI. Quæ ad Groningam dum fiunt, ad Iadam quoq; eodem anno

tumultus renatus. Bremenſes Freburgo arce extructâ, ac Didonis Stadlandi agris in poteſtatem redactis, libertatem ejus viciniæ premebant. Id indignati Dido & Geroldus Didonis Stadlandi filij, fœdere inito cum Lubbone Sibeti, Edonis Ruſtri genero, Haijone & Mennone Harleſiis, Nancone Diuræo, ut eſt in Ieveranorum commentariis, conſilium clam iniêre arcis Friburgi occupandæ, jugiq́ue à cervicibus ſuis abijciendi. Itaque facinori patrando tempus dictum ad eam noctem, quæ quintum diem Calendarum Octobr. ſequitur. Dido & Geroldus delectis Friſiorum XXIIII, Saxonumq́ue ære conductorum XX ſibi adſcitis, ut erant juvenili ætate præfervidi, priuſquam ſocij cæteri, qui paulò aberant longiùs, adveniſſent, arcem ſcalis adorti, muroq́ue ejus exteriore, foſsâque ſuperatis, in aream penetrarunt, ac arcis præfectum è feneſtrâ proſpectantem temerè, ſuoſq́ue excitantem, primo ſtatim impetu occiderunt. Verùm, cùm præſidiarij clamore è ſtratis exciti, è loco ſuperiore undique in eos tela conijcerent, nec ſociorum auxilia in tempore adeſſent, multis vulneribus acceptis, Saxones ſalutem pacti ſe dedidêre. Idem facere Friſij, à commilitonibus deſerti, ſunt coacti. Socij paulò pòſt cum equitibus XV advolantes, cùm, quid actum eſſet, cognoviſſent, ſubitò ad ſua quiſque redierunt. Dido & Geroldus cum reliquis omnibus captivi Bremam deportati. Illic Friſij omnes mortis damnati: Didoni & Geroldo ex urbe ad publici ſupplicij locum eductis, capita gladio abſciſſa, tigniſq́ue infixa: reliquum corpus rotis infamiæ cauſa impoſitum. Cæteris membra omnia per carnificem rotis barbaro & crudeli ſupplicio confracta. Saxonibus venia data. Aiunt Geroldum ingenti vi pecuniæ promiſsâ flexiſſe ſenatum, ſuppliciumq́ue fuiſſe evaſurum, niſi fratris Didonis caput à trunco reciſum, ſpectante coronâ, exoſculatus fuiſſet. Id enim pertinacis in vindictam animi argumentum omnes interpretabantur. Horum juvenum infælicium ſoror fuit Iueſa Haijoni Harleſio Ieverano nupta, quæ Tannonem Ieveranum Edonis patrem, Chriſtophori & ſororum avum ei peperit. Et ex Didone quoque liberi & nepotes ac poſteri ſuperfuêre. Socii eorum diſſimulatâ abnegatâque coniuratione pœnam effugêre. Interea Imperator Sigiſmundus, Caroli IIII filius, Conſtantiâ è concilio, quod tum illic agebatur, Ioannis Huſſi, & Hieronymi Pragenſis ſupplicio haud immeritò infame, menſe Iulio eiuſdem anni profectus, ut ad Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ reges ſe conferret, eoſq́ue ab exautorato Benedicto Luna Pontifice tuendo averteret, cùm Aquiſgranum veniſſet, de iis, quæ in Friſiâ agebantur, certior factus legatos iſtinc ad Friſios miſit cum amplâ agendi poteſtate Nicolaum Buntſlovium magnâ doctrinâ, prudentiâ, autoritate virum, Cancellarium Vratiſlavienſem, & Henricum Clantium hominem Friſium, Canonicum Colonienſem, quorum hic ei à ſacris, ille à conſiliis intimis erat. Iis litteras ad omnes Friſiæ ordines cis ultraq́ue Amaſum, ſacros, nobiles, plebeios dedit, quarum hæc fuit ſententia: Compertum habere ſeſe, Friſios omnes à multis nunc ſæculis Imperatorum beneficio liberos eſſe, nec cuiquam niſi ſoli Imperio obedientiam debere: Quapropter in eâdem hac libertate & jure conſervandis ipſis tuendiſq́ue Nicolaum Buntſlovium ac Henricum Clantium legatos ſuos cum mandatis iſtuc ſe mittere, qui ſuo nomine cum ipſis agant, deq́ue voluntate ſuâ edoceant: petere, ut fidem iis adhibere, & dicta factaq́ue eorum non ſecus atque ab ipſo ſe dicta & facta, accipere velint. Hi in Friſiam profecti & comiter accepti ab omnibus, quos adiêre, ubi cum populo agere cœpêre in conventu, quem ejus rei causâ Leoardiæ indixerant, ſtatim inciderunt in multa, in quibus conſtituere ſe nihil ſine ſpeciali mandato poſſe videbant. Itaque ne progrediundum quidem exiſtimantes, præſertim cùm turbida adhuc eſſent omnia, acceptis à populo litteris, ſtudioq́ue ſuo prolixè eidem populo quacunque in re apud Imperatorem conficiunda oblato, ad Imperatorem ſunt reverſi. Sic verò inter eos & populum comparatum in diſceſſu, ut ſimul ac Imperator Sigiſmundus

à regi-

à regibus in Germaniam audiretur reverſus,legatio è Friſiâ mitteretur ad eum,
quæ ſolennem ſanctionem confirmatæ libertatis, & omnis juris à majoribus
accepti, exhibitis veterum tabularum documentis ab eo poſtularent: id quod
non ſolùm ad Hollandi, Vltrajectini, & aliorum Principum vicinorum, qui
Friſios atterebant, reprimendos conatus, ſed etiam ad multorum nobilium,
qui in ipſis Friſiis ad potentiam libertati gravem aſpirabant, conſilia impe- M. CCCC.
dienda pertinebat. Sed enim Buntſlovio & Clantio è Friſiâ digreſſis, Scirin- XVII.
gii in Weſtergoâ & Oſtergoâ, quò ſe profugos omnes à Kenone ejectos rece-
piſſe oſtendi, detrimento & querelis aſſiduis ſociorum aſperati, & iram diu-
tiùs non continentes adverſam factionem affligunt, totoque agro, qui inter
Flevum & Lavicam eſt, exturbant. Nec eo contenti, Hiſcone, Coppeno,
Scelgio, Hovio ſine intermiſſione querelas ingerentibus arma parare, de re-
ducendis exulibus & injuriis ſuorum latiùs ulciſcendis conſilia tractare, atque
ita Vltrajectinum quoque ad urgendum negotium ſuum contra civitatem
excitare. Quod cùm eſſet ad Kenonem delatum ſollicitis, qui cis Lavicam
incolunt, quique cum imperio Groningæ erant, propter diverſas & fluctuan-
tes civium voluntates, ipſe auxilium rogatus ad initium Iunii anno M. CCCC.
XVII, ductâ ſecum nobilitate Ciſamaſanâ, & firmo juventutis robore ex om-
ni agro collecto, trajecto in Fivelingios Amaſo, Groningam venit. Indè,ejus
provinciæ ſociis tum civibus tum ruſticis ſibi adjunctis, cùm audiſſet ad-
ventare Sciringios, ac jam Lavicam tranſiſſe, ſine morâ in occurſum pro-
fectus non procul Northormâ vico celebri Huneſgoniæ in eos incidit, ad lo-
cum ubi clauſtrum deducendis & coërcendis aquis Oxwerdicum quondam
fuit. Ibi commiſſo acri prælio, navante antè alios fortiſſimam operam Foc-
cone Lerano, & virtutem ſuo exemplo & voce ciente, ipſe quoque inter pri-
mos conſpicuâ formâ pugnans inſigni victoriâ potitur, quingentis ex adversâ
acie cæſis, quadringentis captis, cæteris trepidâ fugâ elapſis. Neque progreſ-
ſus tum longiùs, velut triumphans, actis antè ſe longo ordine captivis, victri-
ces copias ſpoliis onuſtas inter gratulantium & plaudentium voces Gronin-
gam reducit; atque indè jam tum æger corpore ad ſuos cis Amaſum properè
revertitur. Groningani victoria læti cum Fivelgoniis & Huneſgoniis biduo
poſt commiſſum prælium prioris anni pactum inſtaurant, ne pars altera ſine
alterâ cum quoquam paciſcatur, aut rectorem dominúmve cooptet: ſecus ſi
faciat, alteri auri libras XX pœnæ loco pendat. Ita facto opus viſum ob Vltra-
jectinum inſtantem oppidanis, & quorundam nimis proclivia per agrum in
Kenonem ſtudia, jactatis ſermonibus de eo rectore nominando. Tum iidem
perterritis adhuc Sciringiis, cum iis, qui ab abitu Kenonis ex Ciſamaſanâ iſtic
cum Foccone Lerano, & Wibeto Stedeſdorpio manſerant,in Octopagicos
propter Sciringiorum eo in agro multitudinem à pactis prioribus recedere
compulſos ſe intulere, & levitatem plebis egregiè ſunt ulti: Cæteros quoque,
quos adire potuerunt trans Lavicam, hoſtili modo ſunt perſecuti. Et ne quid
ex captivis proveniret, quo ſcindi amicitia ac ſocietas poſſet, de iis per Mauri-
cium Comitem Oldenburgicum,communem amicum,Kenonis tum ſigna ſe-
cutum,Focconem Leranum, Wibetum Stedeſdorpium,Ennonem præfectum
Auricanum,inter Kenonem & Groninganos tranſactum: placuitque, ut Gro-
ningani captivos in cuſtodiâ omnes retinerẽt,pecuniam pro dimiſſione,quan-
tam poſſent, conficerent bonâ fide: ejus dimidium, quoties quis dimitteretur,
ſine fraude Kenoni, aut hæredi ejus mitterent. Id factum die XII Calend. Iulij,
cùm IIII Iduum Iunij eſſet ad Northormam pugnatum. Keno domum re-
verſus,ingraveſcente morbo non multò pòſt in arce Oldeburgo deceſſit ætate
adhuc integrâ, nondum pertextâ, quam erat exorſus ad conſtituendum fa-
miliæ ſuæ dominatum, telâ: vir animi excelſi, elati, ferocis, haud abſurdi ta-
men in promerendâ hominum gratiâ, conſilio & manu promptus, & qui ſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

vixiſſet diutiùs, pervenire ad principatum, & perſonam illam ſuſtinere potuiſſet. Succeſſit ei filius unicus Occo cum Tettâ ſorore, quæ Sibeto Ruſtro nupta liberorum nihil ex eo tulit. Nam de Brungeri Loquerdici matrimonio, quod quidam ajunt, vanum, cùm patruelis ſoror nubere amitino non potuerit. Kenonem verò eodem anno anteceſſit Folcmarus Oſterhuſanus æmulus paternus, variâ mortis famâ. Nam poſteri ipſius aſſerunt, inſimulatum à Kenone conjurationis in ſe, immiſſo percuſſore, in ipſo Oſterhuſanæ arcis ponte ſedentem in ſeceſſu, levantemque alvum eſſe interemptum. Sed alius ſermo verior ad nos uſque pervenit, Folcmarum haud juſtâ ſatis de causâ aliquem occidiſſe: hujus ſuperſtites fratres tres in cædem Folcmari viciſſim obſtinatis animis conjuraſſe: neque multò pòſt è miniſterio ejus aliquem per inſidias interfeciſſe: tum fratrum unum, ſumptâ occiſi veſte, habitum illius mentitum primis tenebris decepto janitore ad Folcmarum penetraſſe, eoque, quo dixi, loco inermem trucidaſſe. Sicarius ſtatim comprehenſus, audax facinus atroci & memorabili ſupplicio luit. Loro pedes vinctus, caudiſque equorum duorum alligatus per æqua & iniqua tam diu raptatus eſt, donec expiraret. Excepitque vulgus vocem ejus inter raptandum clamantis, raptarent ſanè quantum vellent, Folcmarum tamen eſſe interemptum. Opes occiſi duo filii hæredes excepêre Imelo & Haro: quorum prior Aijoldi Grimerſhemij ſine prole defuncti, ſorore unicâ, Geroldi filiâ, Hebâ uxore ductâ in nomen & res Beninganas ſucceſſit, & Grimerſhemios progenuit: alter Larletum & Hintam tenuit, ac liberis ſuis reliquit. De quibus ſæpè nobis dicendum in progreſſu. Fœderati intereà fortunam priorem urgentes, incitantibus aſſiduò, qui domo pulſi à Sciringiis, in fines hoſtium incurſare, prædas agere, captivos abducere, proxima quæque vaſtare, cædes etiam facere, ſuos ipſi fines munire, domi quos deprehendebant cum hoſte ſentire, in exilium pellere. Hæ res Tranſlavicanos adegêre, ut legationem ad Imperatorem, quem audiebant ex Hiſpaniâ reverſum, maturarent, & Doccumum confugii cauſa, ac quædam alia idoneis locis vallo cingerent. Legati in aulam cùm veniſſent, exhibitis ampliſſimis ſuperiorum Principum de populi libertate diplomatis, ſimul acerbiſſimas de gentilium ſuorum injuriis querelas detulerunt, eoque Imperatorem nimis facilem induxerunt, ut Ciſamaſanos omnes, & in his nominatim Occonem Kenonis filium patris inſiſtentem veſtigiis, Fecconem Leranum, Wibetum Stedeſdorpium, item Ciſlavicanos, Mennonem Houwerdæum, Aepconem & Meinoldum Onſtenios, Haijonem Ripperdam, Haijonem Weſterwoldium, conſules, ſenatum, & populum Groninganum increpitos, perſiſtenteſque in cœpto tandem proſcriberet. Simul verò effectum dedêre iidem legati adjuti Buntſlovij gratiâ, ut ampliore etiam quàm priùs cum poteſtate Buntſlovius cum Sifrido Windingio equeſtris ordinis viro præclaro in Friſiam iterum mitteretur, conſtituendæ illic causâ reip. His Conſtantiæ, quò jam Sigiſmundus reverterat, pridie Calend. Octobr. unà cum mandati litteris, ampliſſimum diploma datum fuit, de integrâ libertate totius gentis, ut id in Friſiam ſecum ferrẽt. Inter quæ Guilhelmus Bavarus Hollandiæ Comes, nuper prorogatis rurſum induciis cum Friſiis in triennium, profectus in Hannoniam unicæ filiæ & hæredi nuptias cum maximo natorum regis Galliæ fecit Valencenæ, & ſponſi inopinâ ac celeri morte perturbatus ipſe quoque non multò pòſt diem extremum clauſit, filiâ viduâ & orbâ relictâ. Ea principatu ampliſſimo inito, (erat enim Hollandiæ, Selandiæ, Hannoniæ domina) durante adhuc tumultu Friſico, nequicquam publicatâ, de quâ dixi, contra Ciſlavicanos proſcriptione, (eam Colonienſis ſenatus juſſu Imperatoris ad exitum Novembris proximi Groninganis tranſmiſerat) quartâ à Paſchatos ſeptimanâ cum Oſtergois & Weſtergois ex formâ paternâ in annum inducias firmavit. At Ioannes patruus ſub curatoris nomine ſuam rem agens, Hollandiæ adminiſtratione ſuſceptâ, animatus ab exulibus

Emda-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Emdanis & Groninganis,qui odio & miſeriâ ægri quoquo reduci modo in pa-
triam cupiebant, litteras & nuncios ad Friſios mittere, blandè ſollicitare, im- M.CCCC.
perium commendare ſuum, poſtremò effectum dare, ut multi Slotæ & Sta- XVIII.
veræ hujus rei causâ convenirent. Illic à pleriſque in poſtulata ejus deſcen-
ſum, qui in factione erant ferventiſſimi, antè alios verò exules negotij duces:
ipſe Rector provinciæ cooptatus,prætorum deſignandorum poteſtas omnis ei
permiſſa, tributum in domos ſingulas perpetuum, vectigal centeſimæ om-
nium rerum,quæ per exteros è Friſiâ exportantur, ei aſſignatum.Id fuit ad ini-
tium menſis Iunij. Sed quia conſentientium numerus minor, quàm ut populo
poſſet præſcribere,& conditio,velut fundamentum totius rei, tranſactioni in-
nexa, exulum reductio, ac aſſentientium contra hoſtilem vim quamcunque
defenſio, ea verò Bavaro,aliis tum negotiis maximis implicito,haudquaquam
expedita, non fuit ullum in eo momentum. Etenim fœderati cis Amaſum &
Lavicam irritati à Sciringiis circa fines, imprimis ab iis, qui in proximis præſi-
diis erant, viciſſim bello eos vexare,Octopagicos & Dongeranos diripere, in-
jurias injuriis rependere, poſtremò majore conſcripto exercitu expeditionem
juſtam in terram hoſtilem parare. Impellebāt exulum preces, audita hoſtium
conſilia de advocando in auxilium Bavaro,prædationes maritimæ infeſtæ na-
vigantibus, ac habitantibus in orâ citra Lavicam Amaſumque, quas exerce-
bant Sciringii è portubus ſuis, in quibus maximè celebres Doccumanus &
Eſumanus, uterque fœderatorum regionem ſpectantes, ille receptum præ-
bens in oppido circumvallato, hic caſtellum militare habens confugii causâ
ad ipſam cataractam excitatum. Exercitus ex omni fœderatorum regione
collecti dux præcipuus fuit Focco Leranus pro Occone Broecmerio, qui pa-
tris locum in fœdere tenebat, ob virtutem, & rei militaris peritiam: quem
multi ex Ciſamaſanâ nobilitate, multi ex Tranſamaſanâ, nec pauci ex op-
pido Groningâ claris familiis nati ſequebantur. Hi in hoſticum transgreſſi,
obviis direptis ac vaſtatis, Doccumum invadunt, primoque impetu occu-
pant. Eo in prædam verſo, dein incenſo, propterea quòd ſedes hoſtium & re-
ceptaculum fuerat, valloque ejus diſiecto, multis etiam nobilium virorum
factionis Sciringicæ arcibus & domiciliis intra oppidum, pluribus per agrum
vicinum everſis,in caſtellum Eſumanum vim vertunt.Id in extremâ orâ,ſitum
orientem ſpectans, non procul eo loco, ubi Doccumanus amnis in vadum
exit, militari præſidio hominum audacium tenebatur, confugium in omnes
caſus. Quod cùm oppugnaſſent aliquandiu, peneque jam de occupatione
deſperarent, extremo tandem niſu, ſed non ſine multo labore & ſanguine ſu-
perarunt. Eam ob cauſam præſidiariorum magnus numerus ab iratis primo
fervore cæſus. Qui cædi ſupererant, capti ſunt, pauci ob maria ac vada ex
portu infeſtata per lictorem capite truncati: vallum diſſipatum. Tum ho-
ſtium munitionibus præcipuis everſis, cùm jam pugnandi causâ ſe oppone-
ret nemo, ingens tributum aliquot millium aureorum omnes Sciringici no-
minis per Oſtergoam & Weſtergoam poſcunt ad redimendas injurias belli,
ne ſacerdotibus quidem, aut monachis exceptis. Cui univerſo ſimul è ve-
ſtigio ſolvendo cùm non eſſent, pro parte reſiduâ ſponſorem ſe Sicco Siarda
Franecheranus, princeps factionis, cum paucis aliis interpoſuit. Sic exer-
citus reductus, & à ſignis dimiſſus. Octopagici fracti animis ad Octobris
initium inducias pacti ſeptimeſtres: per eas decretum, ut de pace, ac om-
nium controverſiarum (hæ erant plurimæ, & penè inexplicabiles inter confi-
nes,& factionum ſtudiis diſiunctos) compoſitione ageretur; modusque agendi
in induciarum formulâ datus, arbitri collocutores utrimque editi,locus collo-
quii Groningæ deſignatus.Deinde conditiones additæ,exules è regionibus fœ-
deratorum ab Octopagicis non receptarētur, fœderatis liber commeatus eſſet
per agrum Octopagicum, liceretq; iiſdem per eundem agrum perſequi hoſtes
ſuos;

ſuos: munitiones tamen in locis vicinis, unde noceri Octopagicis poſſet, non extruerentur durantibus his induciis. Collocutores fuêre VIII, pari utrimque numero, Feito Suderhuſanus, Tiardus Vptwiſelanus ſacerdotes, Tiardus Herema, Ballo Gaicama è nobilitate pro Octopagicis; Reinoldus Hugingius, Ailco Onſtenius, Baroldus Ebbingius, Henricus Pontanus pro fœderatis; & his additus, qui æqua ſuffragia diſſentientium dirimeret, Menno antiſtes Adoardianus. Induciis firmatis, atque ita obice proferendorum in hoſtes ulteriores armorum amoto (ferociſſimi quippe omnium Tranſlavicanorum Octopagici) Ciſamaſanis domum reverſis, Groningani cum cæteris Ciſlavicanis velut ſemitâ patefactâ Sciringios longiùs remotos excurſionibus appetiverunt: atque interim domi cum Langowoldiis, Fredowoldiis, Hummerziis primùm circiter VIII Calend. Novembr. dein cum Fivelingiis & Huneſgoniis poſtridie Calendarum earundem, quò certior amicitia ac ſocietas conſtaret, denuò priora pacta repetiverunt. Fivelingicæ formulæ adjectum diſertè, ne quà parte oppidani minuerent jus aut libertatem populi Fivelgonij; & ſi quis alius opprimere libertatem hanc quoquò modo, aut juri impedimentum afferre conaretur, iidem ſummis viribus auxilio eſſent: tributique nihil niſi ex voluntate delectorum populi injungerent. Foris armorum tumultu haud intermiſſo, Vpſterani nudati præſidio Octopagicorum, & ad incurſum jam patentes, deſertâ Sciringiorum factione, biduo pòſt Idûs Novembr. cum Groninganis & eorum ſociis compoſuêre. Cætera ſolita in fœderibus: unum ſingulare, cautum ab Vpſteranis, huiuſmodi: *ſi Tranſlavicani populariter irent aliquando in confœderatos, & per agrum Vpſteranum iter facerent, cogeréntque Vpſteranos invitos ſecum ire, eſſet arbitrij fœderatorum pacta hæc ſervare, aut non ſervare: ſin aliâ viâ ijdem in fœderatos proficiſcerentur, Vpſteranis ſecum non tractis, & tamen huius agri homines aliquot ſine conſilio & conſenſu publico expeditioni ſe iungerent, id fœderi fraudi non eſſet: fœdúſque eſſet perpetuum.* Inter hos tumultus & actiones varias Imperatoris legati, negotiis pluribus præpedientibus, tardè tandem ad Friſiæ fines cùm perveniſſent, nihil tamen earum rerum, quas in mandatis habebant, potuerunt efficere. Diploma modò Imperatoris, de quo dixi, iis quorum intererat, & quorum habere copiam poterant, exhibuerunt. Sed quo loco, quo tempore id factum, nulli me annales, nulli commentarii docent. Conjecturâ tamen
M.CCCC. XIX. ducor, ut Leoardiæ id factum primo vere anni M. CCCC. XIX exiſtimem. Exceptum eſt, quod ſatis conſtat, ab omnibus qùi libertatis patriæ amantes erant, cum gaudio & gratulatione. In eo de benevolentiâ ſuâ præfatus Imperator: *Omnes omninò Friſios orientales & occidentales, quos vulgò* LIBEROS FRISIOS *vocari ait, ob præclara maiorum in Remp. merita, veterem libertatem à maioribus per manus traditam, iura, privilegia, immunitates habere, legibus, inſtitutis, moribus patrijs omnibus uti iubet, cunctaque ex integro ſancit, ſive toti genti communia, ſive ſingulis provincijs peculiaria. Dein ſtatuit, ut provinciæ Friſicæ quâcunque ratione per vim, dolum, venditionem, donationem, oppignorationem à communi Rep. Friſiorum, & libertatis inſtituto avulſæ, liberæ rurſum ſint, & cum universâ Friſiâ ſoli Imperio & Imperatori pareant deinceps: ſimúlque reſcindit & abrogat omnes contractus atque obligationes priorum temporum libertati & priſco iuri contrarias, Friſióſque à iuramentis & fide, ſive ab ipſis, ſive à maioribus ipſorum cuicunque etiam datâ, liberat. Præterea ita ſancit, ne ipſi ſibi, aut ſucceſſoribus ſuis liceat Friſiam, partéſve eius ullas, aut etiam tributum legitimum ulli provinciæ deſcriptum ab Imperio alienare, donare, oppignorare, ac quocunque modo obligare alteri: nec fas ſit,*

ſit, invitis Friſiis præſidem aut gubernatorem ullum cuiuſcunque conditionis hominem dare: maneat verò ipſis ius, ut patrio & priſco more prætores ac iudices habeant ſuos, qui ius ex legibus patriis dicant: item, ut liberum ipſis ſit rigorem quarundam legum, quæ pœnas ſontium in agnatos inſontes etiam extendunt, æquitate temperare. Extra fines ſuos militiæ, aut alterius miniſterij cauſâ, ni ſpontè ſe offerant, ne evocentur: Tributo nullo niſi hîc definito graventur, nec id quacunque de cauſâ, quocunque prætextu, aut nomine, augeri à quoquam fas ſit. Quòd ſi verò Friſiorum aliqui veſanâ mente acti diſcedere à legibus patrijs, & Reip. Friſicæ, ac Imperio rebellionem movere tentaverint, tum ut Friſii reliqui omnes pro viribus Imperatori adſint ad coërcendos domandoſque contumaces: Et ſi in eam rem Imperator ſumptus fecerit majores, dum conſulit Reip. Friſicæ, ut eo demum caſu, non ex imperio, ſed ultrò ac ſponte ſuâ, quod ipſa æquitas & gratitudo poſtulet, aliquid viciſſim eidem conferant: Alioqui ab omni exactione extraordinariâ prorſum ſint immunes. Poſtremò tributum annuum in ſingulas familias aut domus conſtituit groſſum Imperialem Leoardiæ excudendum, quorum ſexdecim aureo Rhenano æſtimentur. Is groſſus à Prætoribus Friſicis, menſe Maio, quotannis collectus, præfecto fiſci Imperialis mandatum Imperatoris habenti, Leoardiæ exhibeatur ſine morâ: Exceptæ tantùm ſint ab hoc tributo domus ſacerdotum, quas ipſi inhabitant: Contra hæc omnia ſi quis moliri quicquam, aut conſilij capere audebit, ei & Imperatoris iuſtiſſima indignatio, & mulcta marcarum quingentarum auri puri ſine remiſſione indicitur.
Præter has verò alias quoque tabulas Imperator, tum edidit, quarum in his ipſis mentio fit, de vectigali Staverenſi antiquiſſimo, alijſque per Friſiam jam olim inſtitutis ac uſitatis: quæ ſuo etiam fiſco idem aſſerit. Quæ cùm his locis agerentur, in Tranſiadanis, ut autor eſt Crantzius, poſt captos occiſoſque à Bremenſibus Didonem & Geroldum, cùm nobilitas tributo onerare plebem conaretur, refutata à plebe onerum inſolita in nonnullum diſcrimen incurrit: nec evaſiſſet ſine magnâ rerum ſuarum jacturâ, niſi è medio ejus quidam primi nominis pro interponendâ Imperatoris autoritate ad legatos illius, quos audierant Leoardiæ tum eſſe, ſe celeriter contuliſſet. Quorum operâ factum, ut offenſione remiſſâ, controverſiiſque ſublatis, concordia ordinum reſtitueretur. Sed nobilitas occaſionem obſervans ad opprimendum populum, captis clam aliquot Bremenſium navigiis, ac milite ſtipendiario completis, eum velut inopino turbine invaſit: ſed rejecta à populo fortiùs quàm expectatum erat pro libertate pugnante, nil niſi malum malo conſilio ſibi accerſiit. Nam ut depulſum periculum fuit, indigniſſimè facinus hoc nobilium ferens popularis multitudo, ſtatim legatos ad civitatem Bremenſem miſit, qui auxilia contra nobilitatem rogarent. Civitas non ſolita negligere commodum ſuum, ſic pepigit, miſſuram ſe, quæ peterentur, auxilia, ſi reciperent Friſii, hordei menſuram certam in ſingulas domos quotannis deinceps tributi nomine, cujus tamen triens in præfectos agri impenderetur, eodemque modo mulctas delictorum ſecundùm leges, cætero omni jure patrio & libertate incolumi, civitati ſe daturos. Quæ cùm placuiſſet populo conditio, ſi Crantzio adhibenda fides, miſſus à Bremenſibus miles cum tormentis & reliquo paratu bellico fana à nobilibus circumvallata, arceſque lateritij operis, quæ Blexenæ & Berhovæ erant, & quicquid prætereà munitionum ijdem habebant, cepit, ipſoſque in idem jus cum populo, eaſdemque initas cum civitate leges jurare coëgit. Hic motuum ibi finis. Inter Lavicam & Amaſum verò ancipiti curâ animi hominum erant diſtracti. Nam non ſolùm ſollicitos eos bellum Sciringicum non-

dum ſopitum,& cum eo cohærens proſcriptio Imperatoria habebat,ſed etiam Vltrajectinus, occaſione arreptâ, tum magis quàm unquam antè negotium ſuum urgens curam curâ Groninganis cumulabat. Poſcebat is, ut ſententiæ Benthemii ſatisfieret ab oppidanis, ſibiq́ue juramentum diceretur, arma jam parata, Sciringicarum partium ſocietatem,exulum reductionem minitans, ni pareretur. Oppidani perplexi, nihil æquè ac exulum reſtitutionem horrentes expendebant,quanto in periculo eſſent futuri,ſi aut duplici bello Sciringico & Vltrajectino pariter premerentur,aut bello uno conjunctis hoſtium omnium viribus obruerentur,præſertim proſcriptionis fulmine percuſſi.Cum Sciringiis autem,qui excluſis exulibus de compoſitione audire non poterant, conciliari odia acerba non ſinebant, nec,ſine cõſenſu ſociorum,fœderis leges permittebant:Occo verò & Occoniani,ut Hiſconem reciperent,perſuaderi haud poſſe videbantur.Quapropter deliberatâ diu re,& cum ſociis communicatâ, ex eorum conſenſu (nam ſine eo ne hoc quidem per fœdus licebat) velut extremâ circumventi neceſſitate,ex malis electuri quod minimum,ad tranſigendũ cum epiſcopo ſententiis tandem inclinarunt. Secutaq; tranſactio eſt poſt actionem variam anno eodem M. CCCC. XIX, ipſis Idibus Maij, Conſulibus Groningæ remp. regentibus Reinoldo Hugingio, Brunone Clingio, Arnoldo Steenvico, Henrico Pontano,qui Voſſio nuper defuncto ſucceſſerat. Conditiones tranſactionis fuerunt hæ:*Civitas,ut ab Imperatoribus olim conſtitutum,epiſcopum principem agnoſcat:Eius rei cauſa cõſules,ſenatores,omnéſque in civitate maſculi ſupra annum ætatis* XII *apud eum iurent,unà cũ diæceſi reliquâ in fide eccleſiæ Vltraiectinæ ſe futuros perpetuò. Reliqua iura, quæ habuit uſurpavítve hactenus, libertas, conſuetudines, inſtituta, ſalva maneant civitati omnia: Civibus detrimento aut noxæ non ſint, quæ poſt recuperatam à Vetcoperis Groningam accidêre: negotiationes, ut fuêre hactenus à* XXX *annis, ſic maneant deinceps cuilibet in civitate liberâ: ſimilitérque commercia civibus libera ſint, ceu ſolent eſſe, per omnem ditionem epiſcopi: incolumia ſint civitati fœdera cum Occone Broecmerio, Huneſgonijs, Fivelgonijs, Langowoldijs, Fredowoldijs: Exulum, aut aliorum nemo in civitatem reducatur invitâ civitate, ne ipſo quidem ſolenni inaugurationis epiſcopi die: Conſtent etiam pacta priora epiſcopo & civitati: civitáſque ſit in protectione epiſcopi,ac primis quinque diæceſeos civitatibus impoſterũ accenſeatur.* His in ſcriptum relatis ſignatiſq́, epiſcopus paucis antè ſolſtitium diebus urbem ſolenni more ingreſſus, fidem ab omnibus accepit puberibus ex formulâ. Hinc, ut jam antè convenerat, rogatus ab oppidanis,qui oſtendebant,ſine eo deditionem factam ſibi bono non fore, pacem & amicitiam cum vicinis quoque Friſiis per agrum, Groningenſium ſociis,Huneſgoniis, Fivelgoniis,Hummerziis, Langowoldiis, Fredowoldiis ſanciit:*Fidem dedit, iuri, libertati,ditionibus eorum ſe non obfuturum unquam,modò ipſi viciſſim iniurijs in Vltraiectinos abſtineant, & cum Groninganis in amicitiâ, ſocietate, inſtitutiſq; præſentibus permaneant conſtantes: imò pollicitus quoq; eſt contra vim & iniurias aliorum conſilio & gratiâ ſeſe ipſis adfuturum; item procuraturum, ne quid detrimenti aut iniuriæ à ſuis, aut per ditionem ſuam cuiquam eorum inferatur impunè: nec ullum ſe caſtellum ullamve munitionem ſtructurum, aut ab alijs recepturum in hoc agro, unde agrarijs ordinibus periculum creari queat: voluítque iſta eſſe perpetua.* Signatum diploma pridiè Iduum Iunii: atque is haud multò pôſt velut triumphum agens de debellatâ civitate lætus & exultans cum magnâ comitantium catervâ Vltrajectum eſt reverſus. Hæc res invitæ civitati expreſſa, variis animis & ſermonibus excepta eſt per regiones vicinas. Alii probare conſilium prudens in rebus arctis,alii excuſare neceſſitate expreſſum, multi reprehẽdere, quod quibus liberis eſſe licuiſſet ſine Principe,imperio ſe alieno nondum fracti armis, & tantâ ſocietate nixi ſubmiſiſſent,non ſolùm ſibi inutiles, ſed etiam poſteris. Sciringii aſperati facto, tanquam telo in ſe, pugnante cum fœdere & ſanctiſſimo jurejurando, quod quondam toti genti datum, repetitâ memoriâ anni M. CCC. LXXXI, acerbis id verbis, ut hoſtes,traduxerant. Nec diſſimulabant, diſplicere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

diſplicere rem ſibi, Imperatoris legati, remoram conſilii & inſtituti ſui, ad diminutionem juris Imperii, ad præjudicium & contemptum diplomatis Imperatorii, ad detrimentum libertatis totius gentis Friſicæ pertinentem. Sed quod factum erat, id infectum reddere, aut impedire non poterant. Damnare verò conſilia ipſi ſua priora, quòd non miſſo terrore & minis, lenioribus remediis maturè malo iſſent obviam, id eſt, oblatâ ſpontè priorum veniâ, & æquâ compoſitione inter factiones propoſitâ, odiosâ exulum plerorumque causâ deſertâ, à paciſcendi neceſſitate cum Vltrajectino oppidanos avertiſſent. Idcirco, quod ſolum jam reliquum habebant, Sciringicam factionem, & univerſos Oſtergoos, Weſtergoos, Sylveſtres, quos hactenus animarũt diplomate Cæſaris oſtentato, & in ſpem victoriæ ex hoſte erexerant, (magnum enim Imperij nomen, magna Imperatoris autoritas ad frangendos hoſtiles animos etiam ſine auxiliis; auxilia verò expedita, ſi res cogeret) poſito bellandi conſilio ad compoſitionem quærendam hortantur. Quid facerent enim? Sigiſmundo rebus Concilii occupato, Bohemiâ ab Huſſitis, duce Ziſcâ, commotâ, Hungariâ irruptionibus Turcicis inquietâ, & periculis maximis expoſitâ, ita huc ejuſdem curis omnibus converſis: Ioanne quoque Bavaro, ſi quod in eo momentum, majoribus & propioribus negotiis aliis diſtracto, animoque in Galliam converſo ob cædem inopinam Ioannis Burgundi amici ſui & ſocii turbatam, cujus cædis vindicandæ gratiâ eodem fortè tempore erat à filio ejus Philippo in Brabantiam evocatus, cæteris verò vicinis in circuitu, Epiſcopi, Comitibus, civitatibus aut amicitiâ, aut fœdere, aut tacito favore cum hoſte conjunctis, hoſte ipſo gratiâ finitimâ, concordiâ ſuâ freto, propoſiti pertinace, proſcriptionis ſecuro, fortuna & viribus feroce: torpeſcentibus contra indies, & infirmioribus pro quibus ipſi laborabant. Diſceſſerant quippè Octopagici, defecerant Vpſterani, nutabant plures. Nec Tranſlavicani, quamvis Sciringico nomine cenſerentur, in partibus Sciringicis erant omnes. Sed erant in iis multi, quibus factio omnis inviſa, quietis amantes, multi tacitè ſentientes cum factione adversâ, aut minùs in eam aſperi ob exules amicos aut cognatos: nec pauci Vetcoperorum nomen palam profeſſi, à Foccone nuper & fœderatis reducti in patriam, quietis ſtudio, vel locis munitis ab inſolentiâ tumultuantium tuti: poſtremò ne ipſi quidem, qui in factione factioſi erant, concordes erant propter Ioannem Bavarum aut recuſatum, aut receptum Principem. Quid mirum igitur, quòd conſilium legati mutarint? Verùm dum hoc agunt, & admonitis Sciringiis, blandiri etiam fœderatis incipiunt, levis res interveniens cœptum rurſum turbavit. Sicco Siarda Franecheranus, is, de quo antè dixi, furti reum poſtulantibus nonnullis ex factione adverſâ dedere ad pœnam ex lege recuſabat. Quapropter fidentiores jam facti in ipſâ Weſtergoâ, confectâ quantam poterant manu, cum eâ propiùs Franecheram accedunt, ut quod jure non poſſent, armis obtinerent. Quo viſo Sicco, & magnâ multitudine hominum factionis ſuæ, quos ad nutum paratos ſemper habebat, & validâ militum cohorte, quam ſtipendio è peregrinis conduxerat, ſtipatus ad exitum Auguſti menſis venientibus proceſſit obviam: prælio commiſſo patentibus in campis, multos eorum cecidit, plures cepit, reliquos in fugam egit. Tum Sciringij occaſione uſi, trepidante hoſte, Doccumum & caſtellum Eſumanum celeri ac tumultuariâ operâ rurſum munierunt ad cohibendam eam viciniam, & terrendos fœderatos cis Lavicam. Eâ re enunciatâ, fœderati indignantes confeſtim de expeditione & vindictâ cogitarunt. Sed tardarunt eos legati, quos dixi. Hi poſitâ ſeveritatis perſonâ, impenſiùs jam oſtentatâ benevolentiâ ſuam operam offerre, gratiam Imperatoris non magnâ redemptam mulctâ pollceri: monere, occaſionem ne negligerent; cogitarẽt in quot & quanta ſe pericula eſſent conjecturi, ſi majeſtatẽ Imperatoris ſpreviſſe, ejus edicta ludibrio habuiſſe viderentur:

tur: hortari denique, ut harum rerum causâ legatos cum mandatis ad ſe Daventriam mitterent. Quibus illi perſuaſi, nulla de re æquè ac de proſcriptione ſolliciti, ob ſanctum Imperatoris nomen, quos habebant prudentiſſimos ex ſuis, Vlricum ſacerdotem Neſſanum Broecmeriæ familiæ conſiliarium, Brunonem Clingium conſulem Groninganum, Wibrandum Clantium, fide publicâ ad eos mittunt. Iis coram Buntſlovius luculentâ oratione de concordiâ, de Imperatoris erga remp. & libertatem Friſiorum benevolentiâ, de ſuo collegæq; ſui ſtudio cùm diſſeruiſſet, & ad ponenda odia atque arma inteſtina eſſet hortatus, oſtendiſſetque, eadem ſe cum adverſariis etiam egiſſe (nam & horum legati Daventriæ tum aderant) eò rem deduxit, ut de modo tentandæ rei cœptum ſit agi. Placuit initiò, ut quibus utraque pars conditionibus paciſci vellet, ſcripto comprehenderet. In quibus cùm longiſſimè in diverſa diſcederent utrique, Buntſlovius per Iacobum Tunemanum canonicum Daventrienſem, virum gravem, & Petrum Arſium tabellionem publicum ſeorſim egit cum fœderatorum legatis, quos judicabat eſſe duriores, ut ad quàm æquiſſimas conditiones ſua redigerent. Hi poſt multam actionem, commeantibus inter ipſos & Buntſlovium interceſſoribus, ac re ad ipſos quoq; fœderatos interim relatâ, poſtremò in hæc ſe capita in gratiam patriæ & pacis deſcenſuros oſtendunt. *Captivi, qui nunc in cuſtodiâ ſunt, præterquam quibus dies ſolutionis iam effluxit, utrinque ſine pecuniâ ſtatim dimittantur: reliquæ etiam belli iniuriæ & detrimenta hinc inde illata condonentur paci. Qui vel ſponte ceſſerunt, vel pulſi ex Hummerzijs, Fredowoldijs, Langowoldijs, Huneſgonijs, Fivelgonijs, durante hoc bello civili, ij domum reverſi ſuis rebus utantur, fruantur, quemadmodum ante exilium his uti frui ſolent, exceptis detrimentis ex bello profectis: aut ſi malint manere peregrè, & tamen in pacis leges conſentiant, fœderatiſque de eo fidem faciant, hoc quoque illis integrum ſit, nec eo minus liceat rebus uti ſuis pro arbitrio: eadem valeant in ijs, qui antè bellum exules facti ſunt, ſed hac adiectâ conditione, ut legibus patriæ ſatisfaciant. Cuncta hæc ſimiliter recipiant, & tribuant exulibus ſuis Oſtergoi, & Weſtergoi. Hi operam dent, ne quid durante pace, in agro, aut per agrum ſuum detrimenti afferatur fœderatis ullo modo: & ſi fortè contingat, ab exulibus Ciſamaſanis, Groninganis, Ciſlavicanis ex agro Tranſlavicano fœderatorum cuiquam damnum creari, non patiantur ijdem ſedes eos apud ſe habere deinceps, atque inſuper pro damno in duplum læſis ſatisfaciant: Et ni damni autores ſtatim à ſe abigant,* XX *millium ſcutatorum Francicorum mulctam violato fœderi pendant. Et hoc quoque pactum reciprocum ſit. Hiſce conditionibus, & ſi quæ præterea reperiri honeſtæ atque utiles parti utrique, & ex conſenſu utrorumque adijci poſſint, pax coïens ſervetur in annos L, aut plures, ſi ita Tranſlavicanis libeat. Eam violanti pœna ſit ſumma eadem priùs dicta* XX *millium ſcutatorum veterum: cuius triens fiſco Imperatoris, alter præſuli Vltraiectino, tertius parti pacta ſervanti cedat. Poſtremò, quò ſanctius pactorum fides colatur, Oſtergoi & Weſtergoi ex fœderatis diligant viros* XII, *fœderati totidem ex Oſtergois & Weſtergois, qui omnes ſanctiſſimum iuſiurandum iurent, pacis huius, & omnium conditionum eius, ſe vindices fore. Denique ſi qua his deeſſe videbuntur, ea ex conſenſu partis utriuſque liceat adijcere.* Hæc in chartam relata, & Buntſlovio exhibita: antigraphumque manu ſcribæ Buntſlovij, fidei causâ, petentibus fœderatis redditum. Poſt, inſtitutâ actione, cùm appareret ſine rectore atque arbitrio ſuperiore, cujus partes eſſent, agendi modum præſcribere, & cæteris in concordiam non coëuntibus ſententiam ferre, ad optatum finem perveniri non poſſe, hanc ſibi imponi perſonam Buntſlovius voluit. Cunctati primùm ad ſpeciem quoque Sciringij; reverâ perplexi & hæſitabundi ob graviſſimas cauſas fœderatorum legati. Nam cùm inſolens per ſe, ipſum ſemet offerre, tum familiaritas nimia cum hoſte & benevolentia ſuſpecta, inſidenſque multorum animis opinio haud vana, quæ apud Imperatorem confecta proſcriptio erat in hoſtis gratiam, eam ſine Buntſlovio confectam non fuiſſe. Sed tamen ſuadentibus interceſſoribus ijſdem, & ampla de voluntate oratoris pollicentibus,

reſponde-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

reſponderunt tandem ad diem VIII Calend. Nevemb. Si fidem faceret orator,
caſtè ſe & integrè in negotio toto eſſe verſaturum, ne quicquam præter, con-
traque ea, quæ nuperâ formulâ eſſent comprehenſa, pronunciaturum ſine ex-
preſſo fœderatorum conſenſu; ad hæc nec æquas conditiones oblatas, nec ar-
bitri oratoris ſententiam recipientibus Sciringijs, fideliter ſe id ad Imperato-
rem relaturum, ſineque diſſimulatione culpaturum pertinaces, & innocentes
excuſaturum; prætereà procuraturum ſe, ut tolerabili mulctâ ſolutâ abrogetur
proſcriptio, velle ſe hoc cum ſententiâ ſuâ ad ordines omnes fœderatos referre.
Quo reſponſo cognito, orator Buntſlovius coram ijſdem internunciis huius
rei causâ cum ſecretario, uti vocant, reip. Groninganæ Gerardo Vnnenſi ad
ipſum reverſis, ad tollendam omnem diffidentiam, concepto ſolenni jureju-
rando teſtatus eſt, cum ſummâ fide & ſtudio omnia acturum, à capitibus præ-
ſcriptis ſine conſenſu fœderatorum non receſſurum, aut eâ ſaltem moderatio-
ne & æquitate hîc uſurum, ut querendi cauſam iuſtã fœderati non ſint habitu-
ri: Excepto capite de triente mulctæ pro epiſcopo Vltrajectino exigendæ, de
profugis Tranſlavicanis: de quibus ſe comparaturũ amicè cum fœderatis rece-
pit: item, in actione ſi deprehenderit, per Sciringios ſtare, quo minùs æqua pax
coëat, vel tranſactione ipſarum partium, vel ſententiâ ſuâ, ita ſe de omnibus
relaturum ad Imperatorem, ut is & horum culpam, & fœderatorum æquita-
tem poſſit intelligere: denique ad proſcriptionem quòd attineat, paratum ſe
eſſe, Iacobo Tunemano, Petro Arſio, Gerardo Weijo, Gerardo Vnnenſi, viris
æquis pari numero utrimque delectis, judicium de mulctæ modo permittere,
quâ ſolutâ, ſe operam daturum, ut ſine morâ tollatur proſcriptio, nec quiſ-
quam prematur eâ amplius, excepto tantùm Haijone Weſterwoldio. Cuncta
hæc ſine dolo malo. His addidit poſtridie, præſente Sifrido collegâ, pro eâ po-
teſtate, quam ab Imperatore habeat, pronunciare ſe, liberum ac licitum eſſe
fœderatis, ea, quæ inter ſe percuſſa habeant, fœdera ſervare, ſolvere, mutare,
innovare, alia pro his ex uſu ſuo ferire, modò ne contra Imperium. Quæ omnia
renunciata fœderatorum legatis, petentibus his ipſis à tabellione internuncio
in tabulas pro more relata. Sic tum Daventriâ diſceſſum. Fœderatorum or-
dines Groningæ congregati cùm de omnibus eſſent per legatos edocti, in ſum-
mâ perplexitate fuerunt. Multa quippe eos movebant in utramque partem.
Imprimis ſollicitos faciebat, quòd non purè promitteret Buntſlovius intra
præſcriptum formulæ, de quâ dictum, in ferendâ ſententiâ ſe manſurum: ha-
bere hominum mentes profundos receſſus, atque eſſe ad fallendum plus ſatis
paratas: poſſe oſtentatam æquitatem iniquiſſimis etiam conditionibus irroga-
tis obtendi, ſi iſtuc modò inclinet voluntas. Deinde animos eorum turbabat,
quòd præſentem pecuniam in pœnam exigeret, præſentem verò ac certam
abrogationem proſcriptionis non addiceret, ſed ſtudium ſolummodò ſuum in
eâ procurandâ polliceretur. Quis enim neſciat, quàm multa ad eludendam
ſpem & promiſſum hîc queant prætexi? quàm facilè pecuniæ magno modo
mulctati, ſpecioſo tamen velamine poſſint ſub præſcriptione relinqui, & hoſti
in deriſum propinari? Dictis ultra citraque ſententiis, prægravante nomine
& autoritate Imperatoris, decretum tandem de legatis ad Buntſlovium re-
mittendis cum agendi poteſtate. Miſſi Campos ſunt viri ſex primores in par-
tibus (ſic enim convenerat cum Buntſlovio antequam Daventriâ diſcedetur,
ut ſeni utrimque præſtantiſſimi quique mitterentur) Vlricus ſacerdos Neſſa-
nus, Bruno Clingius, Reinoldus Voſſius Steenwicus, Wibrandus Clantius,
Henricus Beijerus, Berwoldus Pontanus. A Sciringiis eòdem venêre Dodo an-
tiſtes Hemelumanus, Siverdus Wiarda, Fedeco Vninga, Dodo Sijuſma, Hero-
Aucama, Iuno Geeſtæus. Acceſsêre etiam rogatu partium ab Vltrajectino, &
Iſalanis civitatibus legati. Cùm adeſſent omnes, à fœderatis miſſi ſeorſim
adeuntes Buntſlovium oſtenderunt, ex mandato ſuorum non poſſe ſe ad actio-

nem deſcendere, aut ullam conditionem admittere, niſi de plano ipſe priùs promitteret, nihil de reſtitutione exulum Emdenſium & Groningenſium ſine expreſſo Occonis & ſenatus Groningani conſenſu ſe eſſe pronunciaturum; ad hæc fidem quoque daret, ſi pacem hac fortè actione conciliatam, aut pacis leges à Sciringiis contingeret violari, in poſcendâ ab iis mulctâ ſeſe fœderatis pro viribus eſſe affuturum: poſtremò niſi polliceretur, acceptâ pecuniâ, de quâ propè convenerat, ſtatim ſe onere præſcriptionis, ac periculo eſſe proſcriptos liberaturum. Promiſit, & quidem juratus promiſit Buntſlovius, cùm facere aliter non poſſet. Tum colloquiis de rei ſummâ inſtitutis, annitente ſummoperè Buntſlovio cum collegâ ſuo, & legatis amicorum omne ſtudium adhibentibus, in compromiſſi formulam certam ad exitum menſis Novembris ab utrâque eſt parte conſenſum. Sed ſignatio ac ſuſcriptio priuſquam fieret, pridie Calend. Decembr. fœderatorum legati exiſtimantes, in re magnâ & ſuſpectâ nullam eſſe cautionem ſupervacaneam, Tunemano & Arſio rurſum ad Buntſlovium miſſis, obteſtati fidem ejus rogarunt, uti de voluntate ſuâ, ac promiſſo denuò coram his ipſis teſtari non gravaretur. Ille nihil nutans, repetito quoque iurejurando, in eandem iterum ſententiam reſpondit: reſponſumque ab internunciis fidei causâ pro more ſcripto conſignatum, & ſigillis munitum, apud fœderatorum legatos eſt depoſitum, quod in tablino Groningano etiam nunc aſſervatum vidi, & legi. Mox x millia ſcutatorum aureorum ad abolendam proſcriptionem à fœderatis Buntſlovio & Sifrido data in uſum fiſci Imperatoris: & ab his viciſſim litteræ fœderatis redditæ, teſtes rei geſtæ: exemptique per litteras cuncti noxæ, pro eâ poteſtate, quam duo hi ab Imperatore habebant, ſolo Haijone Weſterwoldio rurſum excepto: fides quoque data de diplomate Cæſaris hac de re antè exitum proximæ æſtatis pro abſolutis impetrando. Simul epiſtolæ hujus ejuſdem rei nunciæ ad Ioannem Bavarum & Ordines Hollandiæ, cæteroſque populos vicinos emiſſæ. Tum demum ſignationes compromiſſi ſecutæ. Ejus ſententia fuit hujuſmodi: *Deſignati utrimque per collocutores legatos viri quatuor pacis amantes, Dodo antiſtes cœnobij veteris, Dodo antiſtes Hemelumanus, Sivardus Wiarda, Fedeco Vninga, Sciringij: Hilmarus Canonicus Oldenburgenſis, Ludolfus Hornius, Focco Aggerius, Bruno Clingius, à fœderatis. Et his, ſi quis caſus ipſos impediret, quo minùs actionem poſſent obire, ſubſtituti totidem alij, illinc Heſſelus Geeſtanus, Sicco Siardæus, Aggo Heringæus, Ippo Ockingius; hinc N. antiſtes Werumanus, Vlricus ſacerdos Neſſanus, Ailco Onſtenius, Henricus Beijerus. His octo viris permiſſa poteſtas finiendæ controverſiæ, Buntſlovius actionis director dictus: decretum, ut utrique querelas & poſtulata ſua ſcripto comprehenderent, & invicem ſibi traderent loco & tempore à Buntſlovio nominando: deinde, re cum ſuis utrimque deliberatâ diligenter, deſignati hi arbitri cognitâ voluntate ſuorum, vocatu Buntſlovij intra proximum ab ipſâ vocatione octiduum adeſſent loco itidem deſignando: & colloquio inſtituto, collatíſque ſententijs ſi poſſent conſentire inter ſe, ſententiam ferrent: ſin minùs, Buntſlovius nomine aut autoritate Imperatoris Sigiſmundi, cuius erat legatus, ius ferendæ ſententiæ haberet. Id fieret ſive ab arbitris, ſive à Buntſlovio antè exeuntes Idus Ianuarias proximas: Longioris dilationis pœna eſſet* xx *millium ſcutatorum Francicorum: ſententiæ verò latæ pareretur omni ex parte: & ſi ab eâ pars altera diſcederet, aut contra eam delinqueret, totidem millia ſcutatorum Francicorum penderet: eiuſqúe ſummæ ſemiſſis Imperatori, ſemiſſis his ipſis arbitris cederet: denique ipſi hi arbitri omne adhiberent ſtudium, atque omni niterentur ope apud ſuos, ut pronunciato præſtetur obſequium, ſine dolo malo.* Signata ab arbitris, Buntſlovio, & Senatu Campenſi. Eo expedito, Buntſlovius pro poteſtate edicit, induciæ uti inter partes ſint triennales, inchoandæ à die VI Iduum Decembr. conditionibus in progreſſu nuncupandis. Deinde jubet, ut utraque pars totam cauſam ſuam litteris conſignatam cum ſigillo publico per nuncium virum bonum mittat in cœnobium Gerriconium, quod eſt ad Lavicæ pontem in regionum confinio, die x Calend. Ianuarij, qui Thomæ Apoſtolo ſacer; nunciique illic ſibi occurrentes

rentes antè occaſum ſolis permutent, quæ attulerunt, acceptaque ad ſuos ſine morâ reportent: adhæc ut utraque rurſum pars, re deliberatâ, ſcripto reſponſum concipiat, & ad Quatuorviros ſuos delectos arbitros ad ipſas Calendas Ianuarij mittat ad locum tempeſtivè tum ab ſe quoque deſignandum: iiſdemque arbitris diploma tradat compromiſſi, formulam confirmans, illinc ſigillis Occonis & civitatis Groninganæ, hinc Oſtergoæ & Weſtergoæ ſignatum: ſimul etiam mittat procuratores ſuos cum plenis mandatis, qui ſententiam ferendam nomine partium accipiant, & partium ſigillis adjectis approbent, cæteraque faciant, quæ ad actum hujuſmodi ritè celebrandum ſunt neceſſaria. Arbitri verò coëuntes, productis ſuorum reſponſis, & re diſceptatâ inter ſe, ante IIII Idus Ianuarias controverſiam definiant, ſi poterunt, & ſententiam ferant: ſi non poterunt, ipſe ſe ſententiam laturum profitetur antè exitum Iduum Ianuarij. Quicquid latum ſic erit vel ab arbitris, vel à ſe, id mandat, ut legati procuratores in hanc rem eôdem miſſi recipiant, partium ſuarum ſigillis adjectis ſine morâ ritè confirment. Ab hoc edicto conſtituit Buntſlovius, velut otium & quietem tutam nactus, intereà dum prima edicti fiunt, in Friſiam cis Lavicam & Amaſum proficiſci luſtrandæ cauſâ regionis & concordiæ apud principes partium promovendæ. Sed ſenſit ſtatim, impegiſſe ſe, offenſis fœderatorum animis, edicti capite primo de induciis, de quibus poteſtas ei non fuerat promiſſa. Quapropter hæſitans paulùm, dein confiſus, facilè apud bonos excuſatum iri, quòd ſtudio pacis, ſine cujuſquam incommodo, haud malâ mente ab ſe eſſet factum, cum Sifrido in Weſtergoam & Oſtergoam, indè Groningam profectus & benignè exceptus, poſtremò Emdam, & cætera cis Amaſum nobiliora loca adijt: atque interim animis hominum, ac partium ſtudiis & viribus diligenter obſervatis, quorumcunque habere copiam potuit, eos omnes ad ſtudium concordiæ ac pacis incitavit. Inter quæ per menſem Decembrem, cæteris, quæ in edicto erant, ex præſcripto peractis, cùm ad Calendas Ianuarias Campos (is enim erat à Buntſlovio locus nominatus) cum re- M. CCCC. XX.
ſponſis & mandatis ſuorum arbitri utrimque conveniſſent, comitati binis procuratoribus legatis, querelæ cum reſponſis excuſſæ, poſtulata expenſa, contentio ex pertinaciâ in longum protracta, cùm ſibi cedere mutuò, hi viribus ſuis, illi Imperatoris & legatorum freti gratiâ nollent: ad extremum, cùm jam propè exiſſet præfixum tempus, cæteris haud iniquâ conciliatis ratione, in duobus maximè conſenſio adhæſit. Nam de exulum Groningenſium & Emdenſium reſtitutione, quam urgebant Sciringij, haudquaquam audire Occo & Groningani, qui erant principes in factione, nec à pactione Vltrajectinâ, iiſdem inviſâ Sciringiis, recedere volebant. Sciringij autem perindignum arbitrabantur, ſocios deſerere, & non idem hîc obtinere ab adverſariis, quod illi ſibi concedi æquum cenſebant. Et Vltrajectinam pactionem, adverſam priſcis fœderibus, periculoſam toti Friſiæ, inimicam libertati execrabantur: ac ſentiebant, aſſentientes in eo ſe Imperatoris legatos, ipſumque adeò Imperatorem in diplomate loquentem habere. Arbitris ſine fructu labore defunctis, res ad Buntſlovium devoluta. Is inter lætitiam & ſollicitudinem medius æſtuabat. Ea enim promiſerat utriſque, quæ pariter præſtare utriſque haud poſſe ſe ſentiebat. Itaque omnia animo percurrens, atque in omnem ſe vertens partem, cùm hac curâ totum perdidiſſet triduum, tandem ipſis Idibus Ianuariis, qui extremus erat rei præfinitus terminus, in curiâ Campenſi, in coronâ legatorum, de ſcripto ſic pronunciat. Non eſſe ſibi integrum, nec arbitrari è re partium eſſe, ſententiam ſeſe ita, uti convenerat, interponere, ob has potiſſimùm cauſas: quòd tempus relictum habuerit pro magnitudine rei brevius, ideoque cum delectis ac legatis Daventrienſium, Campenſium, Suollenſium non potuerit conſilium conferre, id quod facere habuerit in animo, nec verò tantùm ipſe fidat ingenio ſuo, ut auſit ſperare, cum commodo

regionum Friſicarum tantam ſe rem ſolum, præſertim tempore tam arcto, poſſe expedire: quòd in actis comprehenſam invenerit quæſtionem de conventione inter Vltrajectinum & Groninganos, quæ ad cognitionem tantùm Principum Imperij pertineat, & ad eos remittenda omninò ſit: quodque eadem quæſtio cohæreat cum cæteris antecedentibus & ſequentibus, nec ſeorſim ſine ijs videatur aut referri ad alios judices, aut definiri rectè poſſe: quod ex perſpectis utrimque hominum ſtudijs & pertinaciâ in juſto metu ſit, ſi maximè jam ferre ſententiam præſumat, non tamen perlatæ à ſe ſententiæ obſequium iri præſtitum à partibus, atque ita plura hinc & majora eſſe oritura mala, quàm quibus hactenus conflictata ſit omnis Friſiorum reſpublica. Quapropter conſtituiſſe ad Imperatorem, ſupremum principem atque arbitrum, & proprium in hac causâ judicem, univerſam rem referre, ſine cujus ſpeciali mandato ne liceat quidem ſibi quicquam hic porrò ſtatuere. Decernere itaque, ut iſtuc ſe partes parent, & ad tempus & locum ab Imperatore deſignandum hos ipſos arbitros Campis jam præſentes, itemque procuratores eoſdem cum iiſdem mandatis agendi, adverſariis pro re natâ reſpondendi, admittendi, reſpuendi, concludendi, probandi, ſignandi, exclusâ omni tergiverſatione mittant: aut ſecus ſi faciant, in utriſque XL millium ſcutatorum Francicorum; ſi in alterius tantùm, XX millium eorundem ſcutatorum pro pœnâ pendant. Ad hæc ſtatuère, ut utraque pars apud ſocios & auxiliares id quoque effectum det, ut ii etiam ſimili cum poteſtate procuratores ſuos mittant eôdem, ſub pœnâ eâdem. Prætereà ſi qua pars putet, non ſatisfeciſſe ſe hactenus cauſæ ſuæ in ſcriptis exhibitis, mandare, ut, quæ deeſſe exiſtimet, ea ſcripto concipiat, & adverſarijs exhibeat antè Gregorij, parſque adverſa per procuratores ſuos ſimul cum cæteris reſponſum ad hæc ipſa tranſmittat ad Imperatorem, aut in eo deficiens pro confitente & reâ hîc habeatur. Dein præcipere, uti ſe partes parent, ut denunciatione Imperatoris per legatum allatâ, cum publicæ fidei litteris intra octiduum proximum cum eodem legato arbitri & procuratores ipſorum expediti in omnibus cum poteſtate & mandatis poſſint itineri ſe dare ad Imperatorem: aut ſi quid hîc negligant, quo tardari queat actio, rurſus in pœnam incurrant XX millium ſcutatorum aureorum monetæ Francicæ. Et quoniam omnibus nota ſit optimi Imperatoris in curandis rebus Imperij diligentia ac ſollicitudo, nec dubitari poſſit, quin, ubi primùm per reliqua graviſſima negotia licuerit, huic ſe rei ſit ſtatim daturus, videre ſibi, non neceſſe eſſe, tempus & locum certum ad ferendam ſententiam à ſe hîc præfiniri. Teſtari verò conſcientiam ſuam, ob odia & inimicitias acerbiſſimas, mutuamque partium diffidentiam utrimque ſibi in hac actione perſpectam, non potuiſſe ſe, nec etiam nunc poſſe reperire rationem aliam magis commodam ad ſananda reip. Friſicæ vulnera, firmamque & perpetuam inter partes pacem conſtituendam, quàm, quæ ſit hac ſuâ ſententiâ comprehenſa. Iubere igitur, ut utriuſque partis procuratores pro poteſtate datâ, atque accepto à ſuis mandato, ſententiam hanc ipſam nomine ſuorum probent, ratam habeant, ſigillo roborent, atque ideò non antè diſcedant, quàm ipſe his in mundum relatis exemplar ſignationibus idoneum exhibuerit. Quòd ſi pars altera id facere recuſaverit, eam ſe condemnare in univerſum, & ream pronunciare, ut omnibus poſtulatis partis adverſæ ſatisfaciat, totâque actione in adverſarios cadat, atque inſuper, quoties pœnæ XX millium ſcutatorum hac in ſententiâ facta mentio, toties eam pœnam Calendis Maij proximis in curiâ Campenſi ſine exceptione exſolvat. Sententiâ pronunciatâ, propoſitâque formulâ, quâ uti procuratores in ſubſcribendo & ſignando volebat Buntſlovius, diverſimodè affectæ partes ſunt. Sciringij probantes (hi erant Siurtus ſacerdos Hachanus, & Heſſelus Geeſtanus) ad ſubſcriptionem & ſignationem ſine contatione ſe obtulêre. Sed pro fœderatis Ailco Onſtenius, Henricus Beijerus, cum procuratoriâ poteſtate miſſi, cum

cum cæteris, murmurare, ſententiæ inexpectatæ novitatem mirari, indigne-
queferre, ſubſcriptionẽ recuſare, cum ſtomacho curiâ excedere, Buntſlovium
graviter culpare poteſtatis commiſſæ limites egreſſum. Mox vocati iterum in
domicilium familiæ monaſticæ Franciſcanæ, præſentibus trium civitatum le-
gatis Daventriæ, Suollæ, Camporum, viris conſularibus, adſiſtente etiã Nicolao
Grutero notario publico, à Buntſlovio interrogati, an pronunciatum habere
ratum, & ſigillo munire vellent, an non? Ad quod illi, Si quid pronunciatum à
te, Buntſlovi, quod jure teneamur ſervare ex formulâ compromiſſi, id probare
& ſervare nos velle profitemur: reliqua nequaquam. Simul à diſcedentibus è
conclavi miſſus ad ſcribam Buntſlovij Ioannes Itterſhemius jureconſultus,
epiſcopo Vltrajectino à conſiliis, cujus conſilio fœderati in totâ hac actione
multùm utebantur, coram iiſdem omnibus eum interrogavit, prolatâ & ex-
hibitâ chartâ, in quâ conditiones erant perſcriptæ, de quibus diximus priùs,
noſcerétne manum ſuam: reſponditque liberè ſcriba, agnoſcere ſe, & fateri,
antè trimeſtre exemplar à ſe exaratum. Atque hoc reſponſum, ut & cætera,
à Grutero præſente, poſcente Itterſhemio, in membranam relatum, & fœde-
ratis tuendi ſui cauſa traditum. Poſt biduum deinde ex Itterſhemij & cætero-
rum conſilio, iidem Duum-viri procuratores Onſtenius & Beijerus, cùm rur-
ſum urgerentur reſpondere planiùs, ſcripto ſententiam ſuam exponunt in
hunc modum. Animis ſe eſſe in pacem proclivibus, ideoque etiam nunc para-
tos eſſe ad ſervandam eam ex legibus, de quibus convenerat inter partes antè
latam à Buntſlovio ſententiam, modò Sciringij idem polliceantur: Pronuncia-
to verò Buntſlovij aſſentiri, non eſſe voluntatis ſuæ. Nam eum cauſam, quam
definire ipſus ex compromiſſi formulâ debebat antè exitum Iduum Ianuarij,
quamque hac ſolâ conditione velut arbiter commiſſam acceperat, contra fi-
dem datam ad Imperatorem rejeciſſe; in eoque tantò diliquiſſe graviùs, quòd
non neſciat, cùm eâ de re ageretur, recuſaſſe fœderatos arbitrum Imperato-
rem, propter procul diſſitas ejus ſedes à Friſiis, & impendia hinc oritura, & dila-
tionem rei nimis longam, ac cum maximo ſuo conjunctam detrimento. Quas
ob cauſas cùm nec promiſſum præſtiterit, in finiendâ controverſiâ antè præ-
fixum diem, ſed fecerit, cujus faciendi poteſtatem à partibus non acceperit,
cauſâ ad Imperatorem remiſſâ, & pro ſperatâ promiſſâque litis compoſitione
majoribus impendiis implicarit fœderatos, non ſolùm pro nullâ habere ſe ſen-
tentiam ejus, verùm etiam pœnam XX millium ex formulâ compromiſſi eum
poſcere: nec poteſtatem ei permittere, quicquam ampliùs in cauſâ agendi,
aut aliam ferendi ſententiam, termino jam elapſo. Atque huic reſponſo ſi con-
tradicere aut Buntſlovius, aut quicunque alius volet, paratam ſe provocatio-
nem habere ad antiſtitem Vltrajectinum, aut Iſalanas civitates Daventriam,
Campos, Suollam, aut ad quamvis juris non ignaram nobilitatem in totâ vi-
ciniâ, ac horum cognitioni cauſam velle permittere. Poſtremò ob hanc
rem ſcriptorum omnium, in quibus formulæ compromiſſi, reſtitutionem po-
ſtulare. Tum verò multò etiam magis aſperatus Buntſlovius, haud æquum
id operæ ſuæ pretium putans, nec omnia reddere ſtatim, quæ acceperat, nec
pacata ab Imperatore denunciare, in invidiam verò maximam apud legatos
& omnes ordines fœderatorum nomen vocare. Sed fœderatorum legati
dolore ac irâ pleni cùm ad ſuos rediſſent, ſuorum quoque omnium animos
indignatione complerunt, querentium tot moleſtias, pericula, ſumptus
ſine fructu periiſſe, fraude hominis perjuri circumvento ſe, ac ludibrio habi-
tos, ingenti inſuper auri vi ſub ſpecie abolendæ inanis & iniquæ proſcri-
ptionis ipſo potiſſimùm autore confectæ eſſe emunctos: quem in uſum, niſi ut
pecuniâ auctus calumniis ſuis magis etiam in innocentes iram Cæſaris exacuat?
Ea verò ſi ad arma proſiliat, quem tandem malorum patriæ fore modum aut
terminum? Itaque in conſilio fluctuare, huc illuc, ut dolor aut cura incitabant,

ferri, nec ſatis invenire, quid in tantâ rerum difficultate facto ſit opus. Intereà certioribus ad eos nunciis perfertur, univerſam adeò Bohemiam à Ziſcâ commotam Imperatorem diſtinere, quo minùs hoc tempore ad Friſiam poſſet reſpicere. Eâ recreati re, & temporis uſuram nacti ſpem capiunt recuperandæ per occaſionem Imperatoris gratiæ. Ad hoſtem verò curis verſi, ut non confectæ pacis à ſe amoverent invidiam, ſuoque nomini ac gratiæ apud vicinos & longinquos conſulerent, miſſis ad eum hominibus ſuis & litteris, ad eaſdem ſe rurſum conditiones offerunt, in quas conſenſus erat factus, quibuſque concordia penè coierat, antequam ad ferendam ſententiam Buntſlovius accederet. Et cùm perplexè, nec ſatis ex ſententiâ reſponderent Sciringij, ſolenni formâ per eoſdem homines ſuos proteſtantur, non ſtare per ſe, quo minùs tot malis belli fatigata infælix Friſia, compoſitis diſſidijs, quiete recreetur. Ad hæc publicum tabellarium mittunt Campos, qui cum tabellione teſte in curiam ingreſſus poſtridie Calend. Febr. multis præſentibus pecuniam auream & argenteam, quam pro dimiſſione captivorum quorundam tempore non recto acceptam, ex pacto convento reſtituere, & eo exhibere loco debébant, ſi pacis placeret conditio, in ſcamnũ è plenis effudit loculis, & oſtendit, paratum ſe tradere, ſi quis eſſet, qui ejus recipiendi mandatum haberet, apochaſque promitteret. Prodeunte autem nemine, (pacis enim conditiones recuſabant Sciringij propter Hiſconem, & Groninganos exules) ipſe petito rei geſtæ teſtimonio ſcripto à tabellione cum pecuniâ ad ſuos redijt. Ex eo tempore ſic ſe compararunt fœderati, ut quieſcere velle viderentur, ſi nemo laceſſeret, & tamen in omnem eſſent eventum parati. Simul acerbum ſcriptum emittunt in Buntſlovium, quem audiebant in hoc eſſe, ut Iſalanas civitates & cæteros vicinos ab amicitiâ Groningenſium ac ſociorum averteret. Hominem ſine probitate, ſine fide eſſe, jurisjurandi immemorem, ſceleratum, qui cùm videret terriculamento iniquæ proſcriptionis ſe emungere pecuniâ fœderatos non poſſe, per ampla & prolixa promiſſa, per ſanctiſſimum firmatæ jusjurandum eandem iis, ſubjecto tamen prætextu ſpecioſo abolendæ proſcriptionis, expreſſerit, acceptâq; pecuniâ promiſſi & juramenti fidem fefellerit: promiſiſſe verò juratum, ſe, judicandi poteſtate acceptâ, definiturum nihil contra præterque ea, quæ erant certis conſignata capitibus in ſcripto ei exhibita, expreſſim verò, de reſtitutione exulum Groningenſium & Emdenſium non eſſe pronunciaturum, denique liti intra præfixum terminum ſuâ ſententiâ daturum finem. Quorum omnium ſi quid negare audeat, paratos eſſe fœderatos certiſſimis documentis id ipſum planum facere. Monere igitur omnes homines, à fraudibus hujuſce impoſtoris ſibi caveant, neu decipi ſe, aut in innocentes armari, ad deferendóſve amicos incitari per eum patiantur. Cum his Buntſlovius, exacerbatis magis quàm conciliatis diſſidentium partium animis, auctus pecuniâ Friſicâ ex hac regione Germaniæ diſceſſit, atque ad Imperatorem revertit: nec ejus mentio ulla ab hoc tempore in hiſtoriâ Friſicâ; & Sigiſmundi quoque Imperatoris cum ſilentio tranſmiſſa memoria. Inter hæc priuſquam exiſſet annus ſuperior M. CCCC. XIX, ſuſpicionis aliquid animos nonnullorum in Fivelgoniis rurſum cœperat invadere, ne quid fortè Groningenſium conſilia traherent, quod pernicioſum eſſet libertati ac rebus ſuis. Quod cùm perſenſiſſent Groningani, qui exiſtimabãt diffidentiam iſtam ſocietati periculoſam eſſe, pro prudentiâ ſuâ ultrò obviam periculo ivêre. *Caverunt enim denuò Fivelgonijs fide publicâ, nullo unquam tempore libertatem, iura, privilegia, quæ à maioribus accepiſſent, haberéntque, ſeſe diminuturos, ſed ad tuenda ea omnia fides adiutores eſſe futuros, ſalvis pactis & fœderibus prioribus.* Factum die tertio à natali Domini. Sic metus omnis rurſum demptus; fiducia reparata.

RERVM

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XIX.

INITIVM deinde tumultuandi rurſus factum à Sciringijs, qui pulſum Bolſuerdiâ propter factioſa ſtudia Coppenum Iargæum ſemper inquietum cùm concoquere non poſſent, manu paratâ oppidum illud invadunt pridie Calend. Maij, eoq́ue occupato, Ioannem Ziallingium factionis Vetcoperæ, hominem nobilem, cum ſociis aliquot occîdunt, & rerum oppidanarum potiuntur: poſtridie ſive iidem, ſive ejuſdem factionis alii, Haſcheranum cœnobium ſubitâ procellâ obruunt, magnâque ex parte vaſtum faciunt; atque ità paſſim tumultus cient in eos qui diſſidere à partibus videbantur. Harum rerum famâ & nunciis commoti fœderati, atque auxilium rogati à ſociis, expeditionem adornant duce Foccone Lerano, accingentibus ſeſe cum eo multis è nobilitate cis ultraque Amaſum: in quorum numero erant Haro Larletanus, Ailco Onſtenius, Focco Aggerius, Henricus Beijerus. Sed erat difficile iter terreſtre in eam regionem, quæ auxilij maximè indigebat in orâ Flevi, propter occupatos & munitos ab hoſte totius agri aditus, multaq́ue præſidia toto ſpatio, per quod eundum, collocata. Quapropter claſſe quàm ocyſſimè comparatâ, exercitus frequens cum inſtrumento militari in Flevum devectus, & ubi minimè expectabatur, non procul Hindelopâ ac Staverâ in littus expoſitus fuit. Eâ re inopinâ conſternati animis Sicco Siarda, Wibrandus Hermana, Sicco Liaucama, Petrus Camſtrius, ſed haudquaquam fracti ſuos quoque ſubitò ex omni agro vicino ad ſigna vocarunt. Quibus alacriter concurrentibus cùm jam Hindelopam conferto agmine contenderent duce Siardâ, non procul oppido obviam ſe illis tulit Focco, non ſolùm cum iis, quas ſecum adduxerat, copiis, ſed etiam quas ibidem ex ſociorum confluxu repentè confecerat. Palæſlotum incolæ vocant locum, ad quem magnis animis, & pugnæ æquè cupidis diverſæ acies concurrêre, ſummâque pertinaciâ inter ſe aliquandiu depugnavêre. Quippe non gloria ſolùm, & partium fortuna, ſed odium quoque ingens atque ira in mutuam perniciem eas accenderat. Aderantq́ue & jnſtabant hinc Sicco, indè Focco, ambo feroce virtute, intrepidiſq́ue animis viri, & voce ac exemplo ſuos inflammabant: Sed major vis animi & corporis in Foccone, tum longè maxima tractandorum armorum civilium peritia. Nam & in patriâ cum æmulis ſæpè certaverat, & cum Kenone contra hos ipſos hoſtes arma tulerat fæliciter. Ducebatq́ue eoſdem illos commilitones, quorum virtute victoriæ ſuperiores fuerant relatæ: quos facilè erat ad idem repetendum decus ſummâ vi ex iiſdem toties victis hoſtibus impellere. Itaque poſt acerrimum ac pertinaciſſimum certamen in ejus quoque partes ſe fortuna inclinavit. Cæſorum hoſtium numerus diverſus à diverſis autoribus traditur: alij M.CCC, nonnulli CCC tantùm, quidam multò plures occubuiſſe ſcribunt. CC, quod ſatis conſtat, capti ſunt. Reliqui fugâ præcipiti partim Staveram, partim Slotam ſe contulêre, eaq́ue oppida tumultuario opere, ad ſuſtinendam hoſtilem vim, & tolerandam obſidionem muniverunt.

Pugna commiſſa die IIII Iduum Maij. Victoribus Hindelopa ſtatim patefacta, eoque captivi cum præſidio traducti. Terror deinde ad vicina & longinqua diffuſus, cùm nemo pugnandi causâ ſe auderet obijcere. Legationesq; hinc indè ad Focconem & ſocios miſſæ, hoſtiliaque pecuniis redempta, ſatisfactiones receptæ, pacta inita, factioni Sciringicæ paſſim renunciatum: inter quæ de captivorum atque omnis prædæ diviſione & præſentis & futuræ transactum inter earundem partium fœderatarum duces, ſemiſſisque omnium Occoni & Occonianis, reliquum Groninganis aſſignatum. Eodemque die, qui VII fuit Iduum Iunij, eâdem partium fortunâ urgente, res Smalinganis cum civitate Groningâ compoſita, paxque ſancita conditionibus penè iiſdem, quibus nuper inter civitatem & Vpſteranos bellum erat diremptum. Tum à Foccone itum ad Slotam ſummis viribus tentandam, in quam principes factionis inimicæ ſe receperant, eamque alteram belli arcem ſibi videbantur ſtatuiſſe. Illuc tormentum ingens ductum ad diſijciendas munitiones, in belli uſum collatum à Groninganis. Sed difficilior res deprehenſa, quàm exiſtimabatur, ob opera ſubitò illic excitata. Itaque cùm in oppugnatione traheretur mora, Ioannes Bavarus auxilium rogatus à partibus, & fidei datæ admonitus, ductore Henrico Reneſſio, viro nobili Hollando, cohortes aliquot è veteranis confectas eôdem miſit. Hæ navibus advectæ fœderatorum naves aliquot, quæ in ſtatione ad littus erant, primo adventu oppreſsêre. Deinde in terram expoſitæ, conjunctæque cum Sciringiis, qui ſe ſubitò collegerant, in Focconem iverunt, eumque relictâ obſidione ſecum depugnare coëgerunt. Quâ in pugnâ poſt cruentum certamen ſuperatus Focco, numero valdè impar, Slotâ deſertâ, Hindelopam ſe recepit cum ſuis. Hoſtes tormento illo ingenti, demerſo in profundam foſſam à fugientibus, ſunt potiti. Capti prælio priore, an liberati ſint hac Sciringiorum victoriâ, mihi incertum. Hindelopa certè à Foccone retenta. Præter cæſos in hoc prælio, quod commiſſum V Iduum Iulij, non pauci ab Hollandis capti ſunt: in quibus Ailco Onſtenius, Henricus Beijerus, Focco Aggerius, Ioannes Grovius eminentes Slotam pertracti, & in cuſtodiam dati, in quâ menſes totos XVIII mansêre. Onſtenius Reneſſio, alii aliis è victoribus obvenêre. Focco clade acceptâ, Hollandorum pleriſque domum reverſis, ipſe etiam dolens & frendens ex eâ Friſiæ orâ diſceſſit, præſidio apud Hindelopios relicto. Ab ejus abitu remiſſa à Ioanne Bavaro manus militaris, ſuggeſto clam à Siardâ conſilio, ad firmandam factionem Maccumi vici partem cum turri lateritiâ in orâ Flevi repentè occupatam vallo cœpit circumducere. Quâ re perculſi Worcumani vicini in eâdem orâ, Hollandici imperii metu, quamvis Sciringicarum hactenus partium fuerant, ad exitum menſis Iulij miſſis ad Occonem & fœderatos legatis, qui in adornando novæ expeditionis apparatu toti jam erant, pacem cum iis pepigêre. Sicco quoque Siarda, & Wibrandus Hermana cum cæteris factionis principibus apparatum hoſtium audientes, animadvertenteſque nutare populi voluntates metu belli, ad hæc à Bavaro, tumultibus Hollandicis ad Lugdunum tum maximè occupato, auxilia in tempore expectare ſe non poſſe, ſe quoque quietis conſiliis accommodarunt. E quibus Sicco cum paucis, fide publicâ acceptâ, Groningam profectus, ſibi, & Wibrando Hermanæ, Sicconi Liaucamæ, Petro Camſtrio, Dovvoni Tieſſemæ, Sibrando Tiardæ, Vlbeto VValthæ, Tiardo Iongamæ, Gelmero Adelæo, Piboni Elixmæ, Edoni Kempio, Sioni Sijdſmæ, cæteriſque è nobilitate factionis ejuſdem, ac univerſis in agro Franequerano ruſticis pacem vicennalem cum Occone, populoque Groningano, & omnibus fœderatis ultra citraque Amaſum non malis conditionibus conciliavit. Cujus rei tabulæ conſcriptæ, & ab Occone, & populo Groningano ſignatæ ſunt ipſis Nonis Auguſti. Abſente Siccone, vafri ingenij vir Tiarcho Ailva falſas litteras velut à Siccone ſcriptas, quibus de-

tractum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

tractum ſubtiliter aliis à litteris ſigillum ejus pari arte appreſſerat, ad præſidij
Maccumani præfectum dedit. Quarum argumentum erat: omnem Oſter-
goam & Weſtergoam ad arma ire, nec poſſe ſe impetum populi ſiſtere: mo-
nere igitur, maturè ut ſibi conſulant præſidiarij, priuſquam opprimantur ab
iratis. Præſidiarii acceptis litteris conſternati, deſperatâ tunc à principe ſuo ope
tempeſtivâ, & caſtello nondum permunito fidere non auſi, collectis ſarcinis,
atque in naves comportatis in Hollandiam enavigarunt. Aſtus fælix ne ipſis
quidem improbatus pleriſque, qui in factione cum Siccone erant, pacem vi-
cennalem publicatam gratiorem fecit. Quæ cùm ſuaviter afficeret hominum
animos longis belli malis feſſos, cogitatum de eâ longiùs proferendâ. Miſſita-
tique hac de re hinc indè legati. Sed inventa in tractando ſumma difficultas ob
acerba ac pertinacia partium odia, & mutuas ex hoc fonte profectas inju-
rias, ut chaos aliquod citiùs redigi in ordinem, quàm in hac confuſione con-
fici poſſe reconciliatio & compoſitio videretur: verbera, vulnera, ignominiæ
mutuò illatæ, cædes frequentes factæ, irrogata exilia, res direptæ, domus
exuſtæ ac vaſtatæ: hæc à provinciis in provincias, à præfecturis in præfectu-
ras, ab oppidis in oppida, à vicis in vicos, à vicinis in vicinos patrata, eaque
fabula infælix totum penè quinquennium, quietis jam domi cæteris Friſiæ
partibus, per Oſtergoam & Weſtergoam continuata. Verùm erat incita-
mentum ad pacis conſilia maximum, creſcens ubique fortuna partis Vetco-
perorum, & Bavarus, ne eſſe auxilio Sciringiis poſſet, proprio bello diſtra-
ctus. Itaque deſignati tandem utrâque à parte Quatuorviri, iiſque poteſtas
tranſigendi ex æquo & bono permiſſa. A fœderatis delecti Focco Leranus,
Almarus ſacerdos Occoni à conſiliis, Bruno Clingius, Henricus Pontanus
è ſenatu Groningano; à Sciringiis Tetardus Lidlumanus, Dodo cœnobij ve-
teris abbates; Tiardus Waltha Weſtergous, Popco Feddama Oſtergous è
nobilium ordine. Qui Leoardiæ cùm coiſſent, ubi tum frequens partis
utriuſque erat conventus, & vix initium rei feciſſent, ecce furiis agitati mo-
nachi, qui erant in cœnobio vetere, abſente antiſtite quietis amante, cor-
reptis armis in Ludinkerchæum cœnobium nuper cum fœderatis reconcilia-
tum, atque ideò inviſum ſibi, concubiâ nocte impetum fecêre: fuiſſentque
eo potiti, portâ furtim jam occupatâ, niſi fortè quædam nobilium manus in-
eundi causâ conſilii ibidem tum conveniſſet. Qui cum cucullatis conjuncti
non ſolùm cum ſtrage eos rejecêre, ſed etiam ad vicum uſque Arumum ef-
fusè fugientes ſunt perſecuti, cæſis in pugnâ & fugâ circiter XL, paucis ſuo-
rum amiſſis, nonnullis etiam vulneratis, è quibus duo è nobilitate Sicco Gra-
tinga, & Galo Hannia: Hi recreati ex vulneribus vindictæ ſtudio æſtuantes, ad-
ſcitis ſibi cucullatis Ludinkerchæis L validiſſimis totius collegij ad cœnobium
vetus quàm maximè ſilenti agmine profecti, cùm aliud non poſſent, incenſis
tantùm & exuſtis duabus ad cœnobij portam domibus, duobuſque captis &
abductis monachis, iſtuc unde venerant, redière, captivoſque infælices cucul-
latos ad fanum Ludinkerchæum ſuſpenderunt ab arbore. Hæc rabies mona-
ſtica impunis (ea tum per rerum confuſionem licentia erat) properandæ com-
poſitioni inter partes fuit: quæ à multâ & diligenti actione arbitrorum delecto-
rum præſentibus plurimis factionis utriuſq; Oſtergois tandem eodem in oppi-
do coijt poſtrid. Idus Septembr. Ejus capita hæc fuerunt 'Αμνηςία *ſit omnium*
omninò priorum ad diem uſque præſentem, nec fas ſit horum nomine in qʋenquam aut iure
aut armis experiri. Excepta tantùm cauſa cædis in Ottonem Clingium nuper commiſſæ fra-
trem Brunonis Clingÿ, cuius autores profugi apud Sciringios exulabant: Ea verò committa-
tur quatuor arbitris componenda pari numero hinc indè delectis. Exules Oſtergoi & We-
ſtergoi omnes ſine diſcrimine, cuiuſcunque ſint ordinis, domum revertantur, ſi velint, &
rebus ſuis utantur fruantur, cuiuſmodi eæ iam ſunt, ſine periculo. Solus Feijo Doccuma-
nus tantiſper domum Alteconis Oſtergoi habitet, donec obſides erunt exhibiti: cæteris bonis

ſuis omnibus Alteco utatur fruatur pro libitu: obſidibus datis, Feijo finiendæ controverſiæ duos ex agnatione ſuâ, Alteco itidem duos è propinquo ſanguine ſuo viros bonos deſignet: qui ſi finire litem conſenſu non poſſint, Occo Broecmerius & Groningani duos alios rerum peritos & æquos homines, ac totidem ex antiſtitum monaſticorum ordine Oſtergoi & Weſtergoi iis adiungant: horum ſententia pro iure ſit, à quo neutri liceat recedere. Omnes Oſtergoi aut Weſtergoi, ſive illi in patriâ ſedes iam habent, ſive ex eâ exulent, qui factionum ſtudio cuiquã mortalium cuiuſcunque ordinis promiſſa, pacta, litteras, iuſiurandum extorſerunt actionibus violentis, ea cuncta ſine diſcrimine iis remittant. Earundem regionum indigenæ atque inquilini omnes pacem inter ſe colant neminem offendant, quos in ſtipendiis habent milites, dimittant: contra delinquens graviſſimè coërceatur. Ex nobilitate aliquem occidens, aureos ſcutatos mille monetæ veteris propinquis pendat, totidem aureos ſcutatos mulctam ſolvat magiſtratui eius loci, in quo cædes patrata: ruſticum perimens, eius ſummæ medium, ſatellitem viri nobilis, partem quinquageſimam dare damnas ſit: in ære qui non habet reus, corpore luat: receptator eius, qui mulctam pendere nequit, pro eo ſatisfacere teneatur. Iure deinceps agatur: vis omnis abſit: vim faciens mille ſcutatis Francicis mulctetur: ſi coerceri autoritate magiſtratus, aut armis ordinum patriorũ non poſſit, Occoniani & Groningani rogati auxilio ſint, & contumaciam coerceant: eiúſque expeditionis ſumptus reus contumax exſolvat. Nec Occo, nec Groningani, nec quiſquam ipſorum nomine ius ullum ſibi vendicent, quod minuendæ libertati regionum trans Lavicam ſit quoquo modo: eiúſque rei teſtes litteras ſignatas exhibeant. Exules Emdani & Groningani, aut ex omni agro Ciſlavicano ultra citráque Amaſum, ſi in Oſtergoâ aut Weſtergoâ domicilium habere, & negotia tractare velint, hoc iis liberum ſit, modò Occoni, civitati Groninganæ & ſociis pacatos ſe, & reconciliatos in perpetuum profiteantur: ſponſores præſtandæ fidei pro iis fiant ordines illorum locorum, in quibus ſedes ponent: nec fas ſit ullos ex nobilitate Tranſlavicanâ hos tuendos recipere, aut habitatum admittere, niſi ſartâ priùs cum Occone & ſociis eius gratiâ: præfecturæ etiam, in quibus ſedes retinebunt iidem exules, aut eaſdem deinceps ponent, indicem nominis & cognominis eorum Occoni & Groninganis exhibeant. Exules Oſtergoi & Weſtergoi non acquieſcentes tranſactioni huic, & domum redire nolentes, itémque cæteri, qui exules nõ ſunt, hæc pacta non admittentes, proſcriptorum in numero habeantur capitis & fortunarum rei: arceantúrque aut pellantur finibus patriæ ab Ordinibus Oſtergois & Weſtergois, nec unquam recipiantur in gratiam, neu ſpem reditus ullam habeant. Ad hanc rem Ordinibus auxilia ſufficiant ſummis viribus Occo & Groningani impendio ipſorum Ordinum: iidem opem iiſdem ferant contra quemvis Principem arma illaturum: nec ſecus Oſtergoi & Weſtergoi Groninganis & Occoni ſuccurrant in caſu ſimili: idqúe fiat utrimque ſumptu eorum, qui auxilia petunt. Hæc omnia quo rectiùs ſerventur, præcipui è nobilitate utriuſque factionis per Oſtergoam & Weſtergoam, tam qui ſolum patrium verterunt, quàm qui non verterunt, liberos ſuos legitimos ætate adultâ obſides dent: quorum qui Sciringii ſunt, à Groninganis cuſtodiantur, adverſæ factionis, ab Occone & amicis eius: maneantqúe omnes in liberâ ac honeſtâ cuſtodiâ ſine vinculis & carcere per triennium, quoad omnibus capitibus hac tranſactione comprehenſis erit ſatisfactum, & cuncta pacata. Occo autem & Groningani litteris ſigillo maiori ſignatis caveant iis, qui obſides tradent, omnibus ritè perfectis, quæ perfici ex hac formulâ debebunt, ſine morâ & impendio obſides incolumes ſe dimiſſuros. De cætero itinera & commercia omnibus cis & ultra Lavicam ac Amaſum hinc indè tuta & libera ſint, & benevolentia inter partes mutua. Atque hæc in membranam mundam relata, & arbitrorum omnium ſigillis firmata ſunt, ſine dolo malo. Additum & ſigillum Weſtergoum: pro Oſtergois verò ſola ſignavit civitas Leoardia, ab iiſdem rogata. Sed vana omnia. Nam à verbis ad rem cùm ventum, obſides à multis negati, imprimis à Sciringiis, multa alia recuſata, multa à multis, quibus decedebat aliquid, improbata, pax quaſi in limine impingens in ipſo ſtatim ortu collapſa. Tumultus primus in Weſtergoâ renatus, autoribus, ut aiunt, iis, qui Groningâ & Emdâ exulabant, quibus ſpes in armis, deſperatio in pace tali poſita eſſe videbatur. Quorum ulciſcendorum causâ qui Vetcoperæ factionis erant, aut alioqui cum fœderatis reconciliati in eâ ora, Hindelopæ

furtim

furtim collecti, tacito agmine profecti Staveram per noctis tenebras, ubi ſe-
dem tum exules habebant, antè lucem in oppidum irruperunt: Sed pugnà ex-
cepti ab oppidanis intra mœnia, in quâ cùm fortiter rem gerit, & antè alios
præliatur Coppenus Iargæus, eſt interemptus. Reliqui exules cum maximè fa-
ctioſis in tumultu navibus conſcenſis in Hollandiam effugerunt: quidam Slo-
tam ſe contulerunt. Factum VI Calend. Octobr. In hac perturbatione, aut non
multò pòſt, exorto fortè incendio ingens detrimentum Stavera accepit, ex
quo emergere ab eo tempore nunquam potuit. Nam plures quàm quingen-
tæ domus, ventorum vi flammâ latè fusâ, correptæ conſumptæque, & tota ea
pars oppidi, quæ ad orientem brumalem patet, fœdè vaſtata. Oppidum poſteà
multò auctioribus mœnibus cinctum. Iam expediverat ſe bello domeſtico M.CCCC.
Ioannes Bavarus, & ad Friſiam reſpiciens Sciringijs novos animos ſufficiebat. XXI.
Quibus illi ſublati circiter medium menſis Martii anno M. CCCC. XXI corre-
ptis armis in arcem Aggæi Vbbemæ Ipcolgani ſubito impetu invaſerunt, ca-
ptamque eam diruerunt. Octiduo poſt velut facinore audaciores facti, Leoar-
diam quoque in medio partium hærentem cùm hominum mentes ſacris eſſent
intentæ, ipsâ ſcilicet nocte Paſchali, quæ memoriâ reſurrectionis Chriſti è ſe-
pulchro Chriſtianis percelebris eſt, in ſuam redegerunt poteſtatem. Hinc
alia ſecuta, quæ Bavarum incitarunt, ut cœpta maturaret. Commeantibus ita-
que legatis, & negotio agitato cum Sciringijs, tandem ex numero antiſtitum,
ſacerdotum, virorum nobilium, oppidanorum, ruſticorum nonnulli cum man-
datis ad Principem miſſi ſunt Medenblici morantem. Erant, quæ proponeban-
tur à Principe callido, atque uſu rerum edocto, moderata, & procul factio-
num acerbitate. Nec enim exulum reſtitutionem in integrum, non damni eo-
rum inſtaurationem, non adverſæ factionis perſecutionem profitebatur; mul-
ctam commiſſorum priorum à nullo exigebat; onus militiæ peregrinæ ultrò re-
mittebat; αὐτονομίαν patriam populo integram relinquebat; non juri, privile-
gio, non immunitati cujuſquam quicquam detractum ſe velle præ ſe ferebat;
populi commoda ubique ſe promoturum, contra hoſtes eum defenſurum,
quietem ei præſtiturum, negotiationem per omnes provincias ſuas liberam &
ſine portorij aut vectigalis onere conceſſurum pollicebatur. Tantùm poſce-
bat, ab ipſo ut poteſtatem judicandi prætores acciperent quotannis, cæte-
ro more patrio in iiſdem creandis incolumi, iidemque apud ipſum, aut apud
legatum ipſius Staveræ ſolenne juramentum dicerent, rurſumque intra
menſem à finitâ poteſtate de mulctis acceptis, & tributo annuo rationem
redderent. Tributi ejus modus eſſet certus duæ undecimæ unius unciæ ar-
genti puri, (Flandricos grotos veteres has undecimas vocabant) in ſingulas
per Friſiam domus antiſtitum, nobilium, civium, agricolarum. Ad hæc præ-
dia quæ dicebantur aulica, cudendæ in Friſiâ monetæ jus, vectigal centeſi-
mæ omnium, quæ à peregrinis exportarentur, naufragarum rerum, qua-
rum intra annum nullus compareret dominus, trientem ſuos in uſus poſtu-
labat. Vnum maximè obſtabat Domini nomen Friſiis inviſum, quo ſe or-
nari Bavarus volebat. Sed opponebatur metus perpetui tumultus, ſub quo in-
fælix patria fathiſceret: cujus non antè finem futurum augurabantur, qui pru-
dentes erant, ob inſitam animis partium pertinaciam, quàm dimiſſa eſſet
diffluens iſta ſine capite, & longo uſu nomine quàm re melior deprehenſa li-
bertas. Quæ cùm viciſſet ſententia, tandem ab iis, qui Medenblici aderant,
ad III Non. Aprilis Dominus Friſiæ Tranſlavicanæ Bavarus eſt declaratus.
Id paulatim ad plures dimanans, quos factionum & turbarum tædebat, uni-
verſam penè eam Friſiæ partem pervaſit. Sed cùm non aſſentirentur omnes,
fœderatique ſe etiam obiicerent, contentionum & tumultuum illic non
potuit eſſe finis. Ex his omne malorum genus rurſum illa loca inundavit.
Bavarus, quem novæ propiores curæ prehenderant, ut copias plenas mittere

in Friſiam , & bellum gerere magnis viribus non poſſet , parvâ manu prædarum ſpe iſtuc ablegatâ, Doccumum primùm occupavit & muniit: deinde pluribus eâdem ſpe confluentibus caſtellum ad Eſumanam cataractam à fœderatis antè deſtructum refici, ac majoribus quàm unquam priùs operibus cingi curavit. Ex his locis cuncta fœderatorum, ac à Bavaro diſſentientium terrâ marique infeſta habita, magnæque prædæ iſtuc congeſtæ, prædonum numerus ſine ſtipendio militantium confluxu improborum auctus, ſociis & hoſtibus pariter gravis. In hac ἀκαταστασίᾳ fœderati Sicconem Siardam Franequeranum penè invitum adegêre, ut arcem ſuam impediendis hoſtium conatibus muniret, præſidiumque in eam reciperet. Aliquanto poſt cùm rumor ſerperet, clam cum hoſtibus Sicconem facere, & cum prædonibus communicare conſilia, Groningani duas naves pandas trabibus onuſtas in uſum fani Franequerani intercepêre, querentemque Sicconem, & ſocietatis nomen memorantem juſſerunt, ſi conſcius ſibi cultæ cum fide amicitiæ eſſet, purgandi ſui causâ Groningam ut ſtatim advolaret, aut ſi id non eſſet integrum, filium tantiſper obſidem pro patre futurum eôdem mitteret. Vtrumque ei grave: ſed neceſſitas conſiliis vim faciens (hoſtilia enim denunciabantur, ni ſine morâ pareret, & erat ad reſiſtendum impar) coëgit filium, quem habebat unicum natum annos XII, fidei Groningenſium permittere; ipſe pollicitus eſt, ſe, quàm primùm liceret, ſecuturum, & coram Senatui eſſe ſatisfacturum. Cùm Groningam veniſſet, (incitabat enim caritas filij) ita ſeſe de omnibus purgaſſe fertur, ut retinendi ejus cauſam, aut gravius de eo ſtatuendi Senatus non reperiret. Verùm filius fidei paternæ obſes, quoad bello decretum eſſet, retentus, & in liberâ honeſtaque cuſtodiâ habitus. Id tam indignè diſcedens Sicco tulit, ut ex eo tempore hoſtilia ſit omnia in fœderatos meditatus. Neque multò poſt hominem fidum Groningam miſit, in mandatiſque ei dedit, ſi voluntate Senatus non poſſet, ut quoquo modo puerum incolumem ſecum abduceret. Quæ res prodita cauſam Senatui præbuit, ut arctiori cuſtodiæ puerum traderet: in quâ poſt aliquod tempus peſte, ut ajunt, correptus, & fato conſumptus fuit. Tum frendens Sicco, invidiamque facinoris apud omnes exaggerans, ac hoſtem jam palam ſe ferens, abalienatis ab fœderatorum ſocietate penè omnium illius agri animis, magnam acceſſionem rebus Bavari dedit. Is occaſione utens penè ſupra vires commovit ſe, & eò rem redegit occupando paſſim præſidia, vada & littora hoſtium infeſtando, expeditionem cum juſto exercitu oſtentando, ut fœderati ſuis etiam rebus timentes, aut tædio bellorum capti, petente ipſo, qui legatos iſtuc ſuos amandarat, peramplam legationem cum amplis mandatis ad eum miſerint in Hollandiam: cujus legationis principes fuêre, Almerus Occoni à conſiliis, & Bruno Clingius reip. Groninganæ conſul. Inter hos Tranſlavicanos motus, & variantem partium fortunam, amicitia coiit inter Occonem Broecmerium & Sibetum Ruſtrum, Edonis ex filiâ nepotem, ob communem hoſtem Hollandum: eaque nuptiis novis firmata, ſorore Occonis Sibeto collocatâ. Hinc copiæ utriuſque coniunctæ in hoſtes, & littora Ruſtriæ à prædonibus purgata: quædam etiam munitiones captæ: Sibetus fœderi publico adſcriptus. Ea facta anno priore M.CCCC.XX exeunte. Altero anno confectæ ſimiliter nuptiæ inter Vdonem Focconis Lerani filium, & Himam Izingiam Nordanam; ingens incrementum fortunæ Focconis, & motuum, qui poſteà ſecuti ſunt, non leve irritamentum. Nam ſponſa hæres parentis unica rem Nordanam univerſam trahebat in dotem: dein avunculi ejus, Imelo Oſterhuſanus, & Haro Larletanus propiùs cum domo Fócconianâ hac conjugii ſponſione conglutinabantur, iidemque quò inclinabant, multas nobilium domus, quibus erant propinquitate innexi, ſecum videbantur poſſe adducere. In conjugii pactis (ea quippe etiam nunc extant) ſic cautum: *ut ſponſæ mater Sibba in poſſeſſione tum reliqui iuris ſui, tum vetuſtæ arcis apud Nordanus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag
401 B 23 [1]

Nordanos maneret, quoad viveret: à morte illius in omnia cætera parentum bona cum ma-
rito Hima ſuccederet: Larletana tantùm avunculis relinqueret, nec ea affectaret ullo tem-
pore: ipsâ ſine liberis mortuâ, res ipſius omnes ad matrem ſi viveret, aut ad avunculos, ſi
obiiſſet, eorumvé hæredes reverterentur ſine fraude. Focco filiíque cum iiſdem ſponſæ avun-
culis arctiſſimum haberent fœdus, & ſocios hoſtéſque communes, non ſolùm in propulſandâ,
ſed etiam, ſi uſus poſceret, in inferendâ vi. Quæ ultima in Occonem jam tum pa-
rata fuiſſe, ſi quis ſequentia legens non videt, nihil videt. Verùm pacta non
prolata in lucem, ne iram & tumultus moverent ante tempus. Secuta non mul-
tò pòſt mors Addæ Broecmeriæ anus grandævæ, uxoris Folcmari Allenij, quâ
aviâ maternâ ſponſa erat genita. Cui funus factum à liberis & nepotibus, cor-
puſque Hintæ in fano juxta maritum conditum. Legati ad Bavarum cùm ve-
niſſent in Hollandiam, poſt multa Brielæ demum cum eo convenère exeunte
menſe Auguſto. Conventionis formula ſcripto comprehenſa, ſignataque ipſis
Calendis Septembr. In eâ paciſcentes nominati hinc Ioannes Bavarus Palati-
nus Rheni, Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ Comes, Dominus Friſiæ uſque in
Lavicam; inde Occo Broecmerius, Sibetus Ruſtrus, Senatns populuſque Gro-
ninganus, item populus Huneſgonius, Fivelingius, Langowoldius, Fredowol-
dius, Hummerzius pro ſe, & omnibus à Lavica flumine uſq; in Viſurgim, atque
in his nominatim pro Foccone Lerano, Harone Larletano, Imelone Grimerſ-
hemio, Wibeto Eſenſi, qui ad finem formulæ adjecti. *In conventis fuit, præteri-*
tarum offenſionum omnium remiſſio, & oblivio: pax inter partes & amicitia: terminus
ditionum definitus amnis Lavica: cautúmque ut nec ille hos in regione ſuâ uſque in Viſur-
gim, nec hi illum in Oſtergoâ & Weſtergoâ, adeóque cæteris eius provinciis omnibus turba-
rent, aut turbari ſinerent per alios; ſed utriq; ſua tenerent quietè, & adminiſtrarent pro li-
bitu ſuo. Vicinis tantùm utrimq; circùm Lavicam in delictis reprimendis certus modus hic
datus, Vtrique ſuos in hoſtem iam emiſſos ante Michaëlis revocarent: facinoroſos punirent
graviter. Ad hæc liberrima eſſent omnibus omninò Friſiis in quâvis Friſiæ parte cis ul-
tráque Lavicam commercia ſine vectigalium aut portorij onere: Hollandis etiam & Selan-
dis facultas eſſet negotiandi in Friſiâ ad Orientem Lavicæ, ſoluto vectigali conſueto. Nau-
fraga relinquerentur conſuetudini loci cuiuſque. Cum offenſionibus cæteris, Edonis etiam
Ruſtri, Sibeti parentis, captivitas & cuſtodia Staverana, & detrimenta ab eo viciſſim fi-
lióque eius Sibeto illata Hollandis, oblivione ſepelirentur perpetuâ: Princeps Bavarus da-
ret operam, ut qui è Groninganis in cuſtodiâ adhuc eſſent Slotanâ, in pugnâ ad Slotam
anno ſuperiore capti, dimittantur incolumes quàm minimo ipſorum impendio, nec aliò in-
tereà in cuſtodiam traducantur, nec ſubiiciantur tormentis. Nondum obſequium profeſſi
apud Ioannem per Oſtergoam & Weſtergoam ſi antè Michaëlis hoc facerent, eſſent eodem
loco cum cæteris in iis locis: pacta conventa in ſolvendâ pecuniâ rata eſſent utrimque.
Poſtremò de exulibus Ciſamaſanis, qui aut pulſi erant patriâ ſuâ, aut ſponte profugerant,
quæ res difficillima videbatur, ac ſæpè concordiæ obfuerat, ſic inter partes convenit. Ex Hu-
neſgoniis, Fivelingiis, Langowoldiis, Fredowoldiis, Hummerziis, qui eiecti profugíve ſolo
verſo Ioanni Principi ſacramentum iam dixerant, poſt Calendas Febr. proximas reverſi
domum, res ſuas, quales poſt iniurias armorum iam eſſent, reciperent, quietequé poſſiderent
ſine periculo, ſine dolo malo. Vrbe Groninganâ pulſi, & apud eundem Principem obſequium
profeſſi ſimiliter rebus ſuis in urbe aut agro poſitis uterentur fruerentur; verùm ipſi qua-
tuor milliaribus Germanicis propiùs ad urbem Groningam non accederent: contrà facere
auſi, vel ſinguli vel plures coniuncti, ſi propterea malè mulctarentur, id detrimento huic
contractui & paci non eſſet: imò iidem hi ſi quam iniuriam deprehenderentur inferre aut
intuliſſe poſt tranſactionem hanc cuiquam factionis adverſæ etiam extra præſcriptos hos
terminos, ubicunque locorum degerent, fas eſſet Occoni, Sibeto, Groninganis & fœdera-
tis cæteris res illorum occupare, & in ærarium redigere incolumi pace & compoſitione
hac eâdem. Eadem lex dicta iis, qui regione cis Amaſum exulabant, & eidem Bavaro ſa-
cramentum iam dixerant, expreſſúmque, totidem milliarium intervallo ut abſtine-
rent ditionibus Occonianis: Excepta ſola Emda cum annexis, de quà convênit, ut

in poſſeſ-

in poſſeſſione maneret Occonis, & hæredum, ac ſucceſſorum eius in perpetuum. Denique exulum omnium, qui hoc tempore in fide Ioannis nondum eſſent, ex hoc contractu nulla haberetur ratio: nec ijs prodeſſet, etiamſi in fidem eius ſe conceſſuros ſtatim profiterentur. Poſtremò adferenda invicem auxilia contra vim facientes mutuò ſe partes obligarunt. Atque hæc omnia in fraudem Iacobæ filiæ fratris, quæ diſcors in conjugio cum Ioanne Brabantiæ Duce agebat, quanquam ex conſenſu Ordinum Hollandiæ, à Bavaro ſunt acta. Erat enim fœmina hæc, quanquam adoleſcentula, eâ invidiâ apud omnes homines ob procaces mores, etiam propinquis inviſa ſuis, ut in eam ſi quid committeretur, id rectè committi putaretur. Quæ contumax matri, non audiens monita patrui, materteræ, ſobrini, maritum faſtidiens, eo vivo novis nuptiis ſtudebat. Patruus verò quanquam nihilo melior, quod impietatis cognomen vulgò ei tributum docet, pro eâ Hollandiæ & Selandiæ rector factus à morte fratris, etiam invitâ eâdem in imperio permanebat, hiſque provinciis ut ſuis utebatur, eaque in re ſororis Margaretæ, & filii illius Philippi Burgundi potentiſſimi principis gratiâ ac favore nitebatur. Burgundus autem non amore permotus, aut æquo, ſed ſolâ ſucceſſionis in eaſdem has provincias ſpe eum fovebat; more ingenii mortalium, qui non, ubi juris plus vident, ſed unde commodum certius aut majus ſibi promittunt, eò animis ferè inclinant. Ex juvenculâ enim quid niſi ſeram mortem, & non dubios ipſius hæredes expectaret? Ex avunculo adulto, & ſterile ſortito conjugium, promiſſis ejus illectus non magnam ſolùm, ſed proximam quoque ſucceſſionis ſpem mente conceperat. Sed Bavaro imperium in Friſiâ ſimul & natum eſt, & concidit culpâ ipſius. Nam rebus cum Ciſlavicanis nondum compoſitis Tranſlavicani toleraverant prædonum injurias, & inviſa caſtella: cum fine verò belli finem ſe horum onerum & moleſtiarum habituros ſperaverant. At bello jam compoſito cùm caſtella non tolli, in præſidiis retineri prædones, eorum licentiam non reprimi viderent, multi vehementer animis offendi, interque ſe fremere. Quorſum enim eâ, niſi horum vi & metu oppreſſus populus ut redigatur in ſervitutem? De quo ſi quis dubitet, expendere eum debere, quid ſit in fœdere Principis cum Occone & Groninganis perſcriptum; ne fas ſit ſcilicet quenquam impedire Principem, quo minùs pro arbitrio ſuo in totâ regione inter Flevum & Lavicam munitiones inſtituat, præſidia collocet. Quod qui non intelligat, quid velit, eum nihil intelligere: qui æquo animo ferat, ſervitio planè eſſe paratum. Et hunc in finem præſidiarium militem collocatum eſſe in Flevi littore, compedeſque populo libero fabricari. Sed hæc ſine motu, & privatim: publicè adhuc nihil, niſi pacto conforme obſequium,
M.CCCC. XXI. & expectatio conſiliorum ac factorum Principis. Intereà ad XIII Calend. Decembr. per noctem ſubitâ tempeſtatis vi concitatum mare univerſam oram Friſiæ, Hollandiæ, Selandiæ, Flandriæ graviſſimè afflixit: aggeres diſiecti, fluctus agris infuſi, greges, armenta cum ſtabulis hauſta, magna mortalium copia abſorpta. Verùm graviùs nuſquam clades incubuit, quàm in ultimâ ad auſtrum Hollandiæ orâ, ubi ſpem etiam reparandorum aggerum incolis ademit. Vnde pulcherrimus ille & fœcundiſſimus ager, Dordracum inter & Gertrudis montem porrectus, viciſque quondam diſtinctus LXXII, invaleſcente maris vi, abſorptus paulatim, & in æſtuarium verſus eſt: multi è lautâ re in inopiam redacti. Quo malo cùm perterrita gemeret Friſia, exeunte menſe Decembri è carceribus dimiſſi tandem Ailco Onſtenius, Aepco Aggerius, Henricus Beijerus cum cæteris domum ad ſuos rediêre. Anno, qui ſecutus fuit, M.CCCC.XXII
M.CCCC. XXII. vixdum inchoato, cùm minùs etiam quàm priùs faceret officium Bavarus in ſubmovendis ex pacto prædonibus (nam fœderatis id ſe facturum promiſerat) nec ſpes eſſet, ipſius præſidio atque operâ malis levatum iri Friſiam, aut hoſtilium odiorum finem futurum inter vicinos, niſi ipſi inter ſe congreſſi controverſias ſuas componerent, fœduſque & amicitiam æquam ac omnibus profuturam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag
401 B 23 [1]

turam ſancirent. Id fruſtrà ſæpè tentatum, odio prævalente patriæ caritati, nunc viſum proclivius, quòd qui Bavaros ſemper ſpectaſſent hactenus, velut fruſtrati expectatione animos ab iis inciperent gerere alienos, ultroque quære-re tranſactionem viderentur. Miſſi igitur illinc homines idonei ad fœderatos, & hinc viciſſim ad Sciringios legati, qui animorum facerent periculum. Mox affulgente ſucceſſus ſpe, conventu ac colloquio flagitato, ne quid eveniret, quale acciderat priùs, antè omnia opera data, ut obſides darentur utrimque antè conventum cariſſimi quique, arbitrio lecti partis adverſæ; iique in cuſto-diâ eſſent velut fidei pignora, donec ritè facta ea, quæ à delectis in conventu erant decernenda. Id durum, & rem diſtinens aliquandiu: ſed ſine eo cùm nollent agere fœderati qui urgebant, aſſenſum tandem. Locus conventui de-ſignatus Groninga. Delectis, qui ad conventum irent, obſides alij à fœdera-tis dati, & monachis Gerriconiis traditi, quò tutiùs, qui à Sciringiis mitte-bantur, committere ſe Groningenſium fidei poſſent. Nomina delectorum prodita litteris non ſunt: poteſtatem accepiſſe hinc ab Occone Broecmerio, Sibeto Ruſtro, Senatu populoque Groningano, Ordinibus, Huneſgoniis Five-lingiis, Fredowoldiis, Langowoldiis, Hummerziis, cæteriſque à Lavicâ in Vi-ſurgim ſociis, ac ſociorum ſociis; indè decanis, antiſtibus, oppidanis, magiſtra-tibus, nobilibus, prætoribus, judicibus, populoque omni Oſtergoæ & We-ſtergoæ, qui ad occidentem ſunt amnis Lavicæ, cum eorundem fœderatis, ſatis conſtat. Occo verò ipſe cum Sibeto utrum Groningam tum acceſſerit, nemo etiam eſt, qui tradat. Conventum certè frequenter, ſeneſcente jam menſe Ianuario: poteſtas tributa delectis ad agendum perampla, ut ratum eſſet, quod ſtatuiſſent. Sed præconſultationes domi habitæ, animique ad actionem præparati. Ad actionem cùm ventum, quamvis ſtudium & deſi-derium pacandi res omnibus ineſſet, magna tamen deprehenſa difficultas. Nam ulcera reip. quibus adhiberi medela debebat, erant hujuſmodi, ut nec ſine ſectione ſanari, nec ſine graviſſimo contrectari dolore poſſent. Etenim & iniquæ cædes hominum illuſtrium & innocentum plurimæ patratæ, & incen-dia, rapinæ, facinora alia permulta commiſſa: multi contumeliis & detrimentis affecti, multi in exilium pulſi, profugique cunctis rebus exuti: eorum fortunæ addictæ, reditus intercepti, inque uſum publicum aut privatum converſi: ſen-tentiæ judicum multæ in abſentes exules contra fas latæ, leges publicâ au-toritate rogatæ: læſi verò, quod & æquum erat, & ad ſarciendam gratiam neceſſarium, reſtitui in integrum, deque damnis & injuriis ſatis fieri ſibi poſtu-labant. Quæ res imprimis latè ſpectabat. Omnium verò difficillimum & tactu aſperrimum, quòd potentiſſimi quique, quos cogere nemo poterat, amplas exulum opes multo jam tempore poſſiderent, nec aliter quàm ſuis rebus ute-rentur, nec perſuaderi ullâ ratione vellent, ut quæ in ſuas res jamdudum verterant, ſpontè veteribus dominis reſtituerent. Poſtremò cauſa patriæ vicit: ſcriptumque nomine eorum, quos dixi, decretum prolixum, tanquam edictum publicæ pacis. Id in formam, uti vocant, publicam redactum, & primis ſigillis firmatum ipſis Calendis Februariis. Decreti fuit hæc ſententia: POSITO FACTIONVM STVDIO, CONDONATIS PRIORIBVS OF-FENSIS, SARTA VETERI GRATIA, PAX SIT INTER IPSOS ET POSTEROS CONSTANS ET PERPETVA, EAQVE SINCERE AC SINE DOLO MALO COLATVR: MVTVÆ INIVRIÆ ET DETRIMENTA PROHIBEANTVR: FACINOROSI SEVERE COERCEANTVR: *Mercatores Friſÿ itineribus utantur pacatis utrimque, & commercÿs liberis, nec vectiga-libus ſupra conſuetum modum graventur: Delicta, niſi ſua, nemo luat: Nemo ob æs alienum alterius detineatur, aut in negotÿs ſuis impediatur: Creditores verò à iudicibus, quos legiti-mè adierint, ſtatim expediantur; quòd ſi intra diem quintum expediti non fuerint, im-pensâ iudicum deinceps ius ſuum perſequantur: Res naufragæ ex undis ſervatæ, more ve-*

teri,

teri, ex beſſe reſtituantur dominis, triens ſervatoribus cedit: Cuncti ſuo iure, ſuis rebus pacificè utantur, fruantur: Monachi deſertores aut contumaces ab antiſtitibus ſuis in cœnobia, nemine impediente, retrahantur: Profugi & exules, cuiuſcunque ordinis, ex quacunque Friſiæ parte, quæ inter Flevum & Viſurgim eſt, in integrum reſtituantur, mittantúrque in poſſeſſionem omnium rerum ſuarum, quales tempore ſcripti decreti ſunt: exceptis ſolùm Emdanis & Groninganis, quibus reditus negatur; niſi ſi quos ſuorum fortè Groningani recipere volent interceſſione Oſtergoorum & Weſtergoorum permoti: eadémque conditio prædones etiam Doccumanos ſequatur. Ex hoc verò tempore, quo pax hæc concepta, res exulum non minuantur, aut afficiantur detrimento: Reditus Vetcoperorum anni ſuperioris, quos in uſum publicum privatúmve Oſtergoi, & reliqui trans Lavicam converterant, quæque colonis eorundem abſtulerant, integrè ijs, quibus adempta ſunt, reſtituantur: Sponſiones & promiſſa colonorum in fraudem exulantium dominorum, ſeu ſpontanea ſeu extorta, irrita utrimque ſint, pignoráque capta reddantur: Sententiæ, quæ in rem iudicatam iam tranſière, ſi in detrimentum exulum latæ ſunt, pro nullis habeantur: id fiat ſine dolo malo: Poſcendi tributi ius, aut dominationem ullam in provincias, oppida, vicos, homines per Oſtergoam & Weſtergoam nemo earum regionum ſibi arroget; ſi quis faciet, communi operâ & auxilio coërceatur: Prædones militéſque qui Doccumum, & caſtellum ad canalem Eſumanum præſidio tenent, eâdem hac pace comprehendantur, ſi decedere præſidio intra ſeſquimenſem velint: præſidio egreſſi, Friſiâ excedant: munitiones eorum vacuæ ſolo æquentur: Eo facto, intra dies proximos XIIII idem fiat de caſtellis, quæ cis Lavicam ſunt ad clauſtrum Oxwerdici rivi, & in agro Hummerzio extructa contra Bavarum & Siringios: Quòd ſi præſidijs decedere milites ac prædones non volent, ab Oſtergois & Weſtergois auxilio ſociorum eijciuntor: Cedium & delictorum omnium poſt Emdam à Kenone captam oblivio & venia ſit: Leges ab iſthoc etiam tempore per Oſtergoam & Weſtergoam latæ pro abrogatis habeantur: Militem peregrinum belli faciendi causâ, privato conſilio, in Oſtergoam & Weſtergoam ducere conatus, in perduellium numero ſit: Cædes, ſi quæ deinceps committentur, ex legibus Friſicis puniantur: Eædem in comitijs aut conventibus patratæ, duplâ mulctâ corrigantur: hanc qui ære luere non poteſt, corpore pœnas pendat: Receptator pro reo noxam ſolvat: Lites impoſterum emergentes, quæ componi amicè, aut communi iudicio definiri non poterunt, ſapientiſſimi quique per Friſiam in conventu dijudicent: Contumaces communibus viribus & ope ad obſequium reducantur. Qui alteris auxilio venient evocati, ſuis ſumptibus id faciant, quoad in fines eorum, quibus auxilium ferunt, tranſierint: termini hi utrimque ſint Lavica flumen, & pons Gerriconius, Oſtergoam à Groningano agro ſeparantes: Eliconis Heringæ, & Aſigonis, propinquorúmque querelas de iniurijs, quas poſt fidem Ioanni Bavaro publicè datam acceperunt à popularibus, arbitri quatuor cognoſcant, & æſtimato damno definiant: ij ſi fortè concordes eſſe non poſſint, poteſtatem habeant eligendi collegam quintum, qui ipſos in concordiam redigat: arbitri quatuor ſint Bruno Clingius conſul, & Henricus Beijerus ſenator, Groningani; Popco Feddama, & Popco Tirinzia Tranſlavicani; hic Siringicæ, ille factionis alterius: Captivi modicâ pecuniâ pro modo facultatum ſolutâ utrimque liberentur: Exules res ſuas vindicaturi, idoneis probationibus ius ſuum demonſtrent: Obſides in cœnobio Gerriconio ſtatim dimittantur: Cæteri, ubi hæc ſigillis iuréque iurando erunt firmata, ſimiliter omnes utrimque; præterquam ſi qui pro creditâ pecuniâ in eam conditionem venerunt: Itinera omnibus pacificis per univerſam Friſiam pacata & tuta ſint, tum maritima tum terreſtria: Poſtremò qui rata habere hæc capita, & iurare in èa nolit, pro hoſte publico habeatur. Oſtergoi & Weſtergoi in his omnibus ius Ioannis Bavari ex contractu nupero tuendæ fidei ſuæ gratiâ exceptum in clauſulâ, atque integrum voluerunt. Signarunt ſtatim præſentes omnes, & jusjurandum dederunt ſuorum Ordinum & totius Reip. nomine. Abſentium ſignationes, & jurata fides deinde quæſita ſine morâ. Ex nobilitate nemo ſignavit præter Occonem & Sibetum: ab his Senatus populuſque Groninganus & ſuo & ſociorum nomine per agrum; tum cœnobiorum antiſtites magno

numero

numero cis ultraque Lavicam; poſtremò reliqui ordines Oſtergoæ & Weſter-
goæ generatim: ſeorſim verò oppida Stavera, Hindelopa, Worcumum, Bolſ-
verdia, Harlinga, Sneca, Leoardia, Doccumum, Franequera, ob Sicconem Siar-
dam Groninganis infenſum, item Slota ob Hollandos & Haringæos, conſilium
& voluntatem cum oppidis cæteris non junxêre. Eodem verò tempore tabu-
læ ibidem alia ſcriptæ, in eundem directæ finem. Hæ longâ ſerie præferebant
nomina nobilium, qui aut præſentes juratâ fide ſigniſque ſuis teſtatū faciebant,
decretum hoc ſine vitio ſe ſervaturos, aut abſentes appellati per legatos idem
hoc facturi eſſe penè ſine dubitatione ſperabantur: obligabantque, qui ſub-
ſcribebant, non ſolùm ſe, ſed hæredes etiam & poſteros ſuos, & in pacem per-
petuam ex formulâ eâdem jurabant. Extant hæ tabulæ etiam hodiè cum ſupe-
rioribus. Ex fœderatis in nominum ordine primus illic legitur Focco Leranus
velut partium dux, deinde Enno Nordanus, qui & Greetſilanus, Imelo Oſter-
huſanus, Dodo Keenſena, Wibetus Stedeſdorpius, Occo Loquerdius, Ci-
ſamaſani; tum Haijo Weſterwoldius, Menno Muntenſis, Haijo Ripperda,
Omco Dammonenſis, Aepco, Meinoldus, Hiddo Onſtenij, Aepco Tam-
minga, Ailco Eiſinga, Ciſlavicani; Reinoldus Hugingius, Bruno Clingius,
Henricus Pontanus, Ditmarus Rengerus, Henricus Beijerus, Vibrandus &
Otto Clantij, Ioannes Huginga, Groningani; ad hos Petrus Wickelius, Abbo
Hemſtræus, Caſparus Sinada, Iarges Metſlawierus, Iuco Ailema, Taco Cam-
minga, Petrus Camminga, Popco Feddema, Elico Heringa, Foppo Bottin-
ga, Wibo Bottinga, Foppo Tiarda, Ieltco Wiggama, Goſſo Ockinga cum
compluribus aliis, Tranſlavicani: In Sciringiis cenſentur Sicco Siarda Fra-
nequeranus, Vibrandus Hermana, Tiardus Iongama, Aggæus Harinxma,
Hummo Humminga, Hepco Edema, Teto Hommerzius, Ruerdus On-
nema, Ado Iongama, Geroldus Camminga, Iarges Martena, Taco Me-
gama, Siurtus VViarda, Onno VViarda, Feddeco Vninga, VVilco Roorda,
Ripperdus Ripperda, Focco Ripperda, Meinoldus Vlbinga, Sicco Melle-
ma, Sijo Siardſma, Iuco VVibalda, Feijo Eiſinga, Popco Tirnza, Heſſe-
lus Geeſtanus, Renico Geeſtanus, Sicco Feidſma, Laſius Rodmerſna, ma-
gnaque præter hos multitudo, pauci cis Lavicam, cæteri omnes trans La-
vicam in Oſtergoâ & VVeſtergoâ orti. Aſſcriptum in tabulis utriſque, ſi
qui abſentium duo tréſve præter ſpem ſignum adijcere nollent, quorum no-
mina in tabulis haberentur, id conſenſui reliquorum & contractui ne ob-
eſſet. Ita tum Groningâ diſceſſum, pace magis publicâ compoſitâ ad tem-
pus, quàm animorum gratiâ ſtabili conciliatâ: obſides ex pacto dimiſſi. Ab
ordinibus Tranſlavicanis denunciatum prædonibus, quid in conventu eſſet
ſtatutum: illi reſponſum differre initiò, moraſque nectere, Bavarum & vi-
ros nobiles in Friſiâ non ſubſcribentes decreto reſpectare. Ita hyems & pri-
mum ver effluere. Qui ſtatim ſignare decretum nolebant, inter paucu-
los, Sicco Siarda, VVibrandus Harmana, Aggæus Harinxma fuêre. Ille
enim Groninganis, ut oſtendi, erat infenſior quàm ut cum iis habere fœ-
dus vellet, & Wibrandum amicum ſecum trahebat. Aggæus Slotenſium
causâ, qui Hollandicis adhuc ſtudiis inhærebant, tergiverſabatur. Qua-
propter cùm cætera non proficerent, hoſtes declarati, & arma contra eos
parata ſunt. In his parſum invidiæ & verecundiæ vicinorum: vocata auxilia
ſociorum cis & ultra Amaſum: ſimul bellum inſtructum in prædones. Hi
enim confiſi munitionibus ſuis, & rerum omnium copiâ, quas magno ſtudio
hunc in finem per proximos dies comportaverant, opiſque Hollandicæ ſpe fulti
præſidiis diſcedere detrectabant. Fœderati intereà Occo, Sibetus, Groningani
& ſocij per agrum Groninganum tempeſtatem ab Hollandiâ metuentes, ut
majoribus præſidiis ſe munirent ad ea, quæ videbantur inſtare, cum Lube-
cenſibus & Hamburgenſibus, quorum magna erat in re maritimâ potentia,

fœdus percuſsêre. Id ideò coijt faciliùs, quòd quos oppugnare volebant fœderati, hos cane pejus & angue ob maris ſtudia civitates illæ oderant, utrique verò, quo in ſe eſſent animo Hollandi, non ignorabant. Facillimè autem eadem bona & mala hominum voluntates tum cæteris in rebus, tum in gerendâ rep. conjungunt. Harum rerum famâ, & ſolo belli apparatu perculſi Slotenſes, abdicatâ factione, cum fœderatis compoſuêre ſub Calendas Majas: idemque Aggæus Harinxma, & Siricius ejus frater fecêre. Deinde cùm cohortes primæ fœderatorum trans Lavicam eſſent miſſæ, & ſe ſimul Oſtergoi & Weſtergoi moverent, Wibrandus Harmana quoque, & Sicco Siarda perterriti in decretum illud omnium Friſiæ ordinum, & pacem publicam jurarunt, abjuraruntque factionem & odium, & auxilia extera, & peregrinum omne imperium. Et hujus rei teſtes litteras publicas fœderatis dederunt pridiè Calend. Iunij. Horumque exemplum ſecuti, qui ex agro Groningano exulabant, Ripperdus Wiarſumæus, Ieltco & Gaico Dammonenſes, Tedo Mencama, Taca Suidcama, aliique multi, cùm viderent contra ſtimulum ſe calcitrare, per interceſſores cum iiſdem fœderatis vix tandem tranſegêre. Ita jam præter prædonum receptacula, & arcem in Lemmeranis, quam tenebant Hollandi, in Friſiâ universâ à Flevo in Viſurgim à pacis decreto diſſentiens reliquum fuit nihil. Prædones à Bavaro ſpe freti fidentiùs adhuc agere, minis non moveri, aſſultus primos & oppugnationes ſuſtinere, ac fortiter reijcere. Friſiis ejus oræ cum cohortibus ſociis ſatis eſſe, ſi viis obſeſſis, quàm arctiſſimo ſpatio eos continerent, agrumque, quantum poterant, ab excurrentium injuriis prohiberent. Intereà à fœderatis Ciſlavicanis Foccone duce, ut quidam annales habent, quanquam alii nomen ejus hîc prætereant, ampliora auxilia cum inſtrumento bellico advenêre: ſimul à ſociis civitatibus Lubecâ & Hamburgo claſſis benè armata adfuit, in quâ milites vehebantur mille rerum navalium periti, tormentaque ænea magni ponderis, aliæque expugnandis caſtellis & oppidis machinæ variæ. Quibus in terram expoſitis, claſſeque contra exitum portus abjectâ, ne quis fugâ poſſet evadere, oppugnatio caſtelli Eeſumani ſummo conatu inſtituta. Erat id extimo in littore, ut dixi, firmiſſimo vallo ex aggeſtu terræ, & latâ profundâque foſsâ induſtriâ prædonum ſupra modum priorem circumdatum: Et qui caſtello claudebantur prædones & milites, ad omnes erant labores, omniaque pericula indurati, audaces, manu prompti, ad dimicandum pro fortunis & vitâ ad extremum uſque parati. Itaque primorum dierum labor fœderatis fuit irritus: idemque repetitus ſæpè, atque acriùs quàm priùs ſemper inſtauratus, cùm indignarentur oppugnantes, à paucis tamdiu vires ſuſtineri ſuas, & propugnatores deſperationem veniæ ac ſalutis in fortitudinem verterent. Poſtremò ad diem III Calend. Auguſti, munitionum parte tormentis diſiectâ, caſtellum cœptum, magnaque multitudo exulum & militum ſtipendiariorum, dum pugnatur, dum irrumpitur intra munitiones, interfecta: è captivis XLIIII capita ob piraticam factitatam, ut Crantzius autor eſt, à Saxonibus gladio carnificis percuſſa, & per littus præaltis tignis infixa, exempli causâ. Hinc vires in Doccumum ſtatim verſæ. Illic verò qui in præſidio erant, cognitâ ſociorum ſuorum fortunâ, perculſi animis, atque extremum caſum expectare non auſi, non multò pòſt ſe ſuaque fidei obſidentium permisêre. Tum munitiones ambæ, ut decretum in conventu erat, funditùs deletæ. Idem in agro Groningano factum. Doccumenſium civium nonnulli, quòd commercia cum prædonibus habuiſſe arguerentur, ut idem Crantzius memorat, captivi Hamburgum & Lubecam vecti, atque in vinculis habiti, donec ſe pecuniâ redimerent. At milites peregrini, qui in poteſtatem venerant, quorum plerique ære Sciringiorum antè biennium conducti, alij à Bavaro ſubmiſſi, Saxonum ope ſervati ſunt, ſeque cum ſervatoribus ſuis conjunxerunt. Hæ

copiæ quocunque prætextu, (nec enim ſatis conſtat) quod reliquum ejus an- M.CCCC.
ni erat, & magnam partem anni ſequentis in Friſiâ hæſerunt, magnoque dam- XXII.
no Staveranos, Hindelopios, Worcumanos, & eorum vicinos, ut vulgò cre- M.CCCC.
ditum, atque in annales relatum, affecerunt. Ego exiſtimo ob metum ab Hol- XXIII.
landis, ac præſidio Lemmerano eſſe retentas. Id præſidium, ubi principium agri
Friſici eſt, in Sylveſtribus collocatum à Bavaro, exſtructâ illic validâ arce, obti-
nendi causâ iis locis liberi in Friſiam aditus, eique præfectus impoſitus Floren-
tius Alcmadius Hollandus, equeſtri vir dignitate. In hanc arcem, quâ tota
premebatur vicinia, inito inter ſe conſilio proximi quique, qui Bavaro fidem
nondum dederant, adjunctâ etiam ſibi copiarum militarium illic degentium
parte, ad XVI Calend. Decembr. tentatâ ſuperatâque fœliciter fragili glacie,
cùm Hollandis jam nullus ab hoſte metus eſſet, impetum repentinum fecêre,
arceque per inſidias potiti præfectum ipſum præſidij Florentium cum pleriſque
militibus occiderunt, cæteris in Hollandiam remiſſis: Munitiones cunctæ di-
rutæ, ac ſolo æquatæ. Ita nuncius palam jam Bavaro remiſſus, finis rebus Hol-
landicis in Friſiâ datus: poſt quem reſurgere eædem eâdem in provinciâ non
potuerunt. Circa quod tempus Sicco Siarda Franequeranus domi ſuæ obijt,
mœrore confectus, quòd ulciſci ſe de inimicis non poſſet. In ejus opes amplas
filia unica Edvverda ſucceſſit, quæ gentili ſuo Douwoni Siardæ poſt aliquot
annos uxor data fuit. Anno, qui hunc excepit, proximo (quanquam ad eun- M.CCCC.
dem priorem referri à nonnullis hoc videam) Tranſiadani onerum imperijque XXIII.
Bremenſis dudum pertæſi, de mutatione ſtatus ſui cogitarunt. Inſolita quip-
pe plebs tributum pendere, peregrinis præfectis parere, eorum ſuperbiam per-
peti, à nobilitate facilè impellebatur: nobilitas in ordinem à Bremenſibus re-
dacta odium in eos fovebat inexpiabile: univerſa gens in Didone & Geroldo
ignominiâ affectæ civitati ſuccenſebat. Sed antè omnes propinqui infælicium
juvenum odio æſtuantes in omne Bremenſium, nomen non ceſſabant faces
ubique ſubijcere ad incendium contra eos concitandum. Hi ſuo ſanguini jun-
ctum Sibetum Ruſtrum vicinum traxêre. Is facilè effecit, ut cæteri inter Ama-
ſum & Viſurgim proceres de auxilijs ſollicitati adſentirentur. Itaque Occone
& Foccone ducibus denunciatum Bremenſibus eſt, ut præſidia è Friſiâ abdu-
cerent, populum liberum relinquerent: Sic enim decretum nuper eſſe in co-
mitijs totius gentis, peregrinum imperium nullum in agro Friſico inter Viſur-
gim & Flevum impoſterum tolerare: Si non pareant, auxilia oppreſſis non defu-
tura. Simul omnia ad bellum parata, præſidia idoneis locis contra Bremenſium
incurſiones, ſi quas facturi eſſent, poſita. Bremenſes, quibus inſolens poſtula-
tum videbatur, ſtatutumque erat, non decedere occupatis, ſubſidia futuri belli
à Nicolao archiepiſcopo ſuo, qui biennio antè Slamſtorphio ſucceſſerat, aliis
implicato bellis fruſtrà petiêre. Quapropter ad domeſtica converſi dum ſcri-
bendo milite oppidano, atque è viciniâ collecto occupantur, Occo & Focco
in Stadlandos adducto exercitu, ut rem verbis adderent, præſidium Bremen-
ſium, quod in caſtello Goldeſverdio erat, primùm, deinde & quod Freburgi,
priuſquam oppugnarentur, ſolis minis ad deditionem compulerunt. Vtrique
munitioni miles Friſius impoſitus. Plebs libertati, nobilitas priſtino juri ſuo
reddita. Verùm reducto jam Friſiorum exercitu cùm Bremenſes à terrâ pa-
riter & flumine aſſiduò incumberent vicinis, cunctiſque ſociis eorum à mari
imminerent, quo malorum tandem finis fieret, petentibus maximè Tranſia-
danis & maritimis civitatibus ſociis intervenientibus, de pace actio fuit inſti-
tuta. Ea ita demum convenit, ut Freburgum, & Goldeſverda munitiones,
quas quondam excitaverant Bremenſes ad premendam ejus viciniæ liber-
tatem, nunc verò his ipſis graves & infeſtæ, ſolo æquarentur: omnia iis locis
priſtinæ conditioni libertatique reſtituerentur. Ita Tranſiadani reip. Fri-
ſiorum, poſt Bremenſium imperium, redditi, Friſiaque omnis penè biennio

ſine armorum ſtrepitu, præſertim cis Amaſum, pacata. At in agri Groningani
parte, quam habitant Fivelingij, diſſenſio circiter id tempus nata eſt inter
Præpoſitum Lopperſhemium Iacobum Beijerum & plebem vicinam, pro-
pterea quòd is priorum oblitus juriſdictionem exercere latiùs, pluſque à plebe
exigere quàm jus eſſet, putaretur, plebs autem inſtanti parêre, ac oneribus
novis ſe ſubmittere recuſaret. Hinc ab rixas, convitia, contumelias ventum.
Quam ob rem, ne reverentia præſidis proijceretur prorſus, interdictumque,
atque alia, quæ ſolent, mala ſequerentur, boni viri ſe interpoſuêre. Quorum
operâ factum, ut arbitris res permitteretur hac lege, ut CCCC ſcutatos aureos
penderet, qui arbitrorum ſententiæ parere nollet. Arbitri delecti ſunt Boijo
abbas Muntenſis, Bartholdus templi Martiniani in oppido ſacerdos, Bruno
Clingius, Henricus Bruggius, Ditmarus Rengerus, Baroldus Ebbinga, judices
oppidani inter agrarios, (Hovetmanni vulgò nuncupati) iidemque, præter
poſtremum Baroldum, eodem tempore conſules quoque reip. urbanæ. Qui
M.CCCC. causâ cognitâ, ſub finem Febr. menſis, anno M.CCCC.XXIV, ita pronuncia-
XXIV. runt, ut pars utraque pronunciato parere ſe velle profeſſa ſit. *Definitum ab ijs,
quas cauſas cognoſcere, quantas, & quibus ex delictis mulctas capere Præpoſito liceat: impri-
mis poteſtas ei tributa velut iudici, recipere querelas omnium qui ſunt in ſacro ordine de de-
bitis, quæ ad reditus eius ordinis propriè pertinent, & debitores ad ſolvendum compellere,
non parentes mulctam poſcere; Fœneratores quoque carcere & pecuniâ mulctare, fœnebre
lucrum ab ipſis auferre, & reſtituere ijs, à quibus erat captum; Similiter mulctâ corripere
eos, qui opera faciunt diebus feſtis, omníque vetito tempore; item non comparentes coram
Præpoſito forum agente, quando comparere ius eſt; manus parentibus afferrentes, abſolutos
ab epiſcopo, violantes quoquo modo ſacrum ordinem, pugnantes, à pactis recedentes, vulnera
infligentes diebus ſacris, aut quibus forum agit Præpoſitus; Denique delinquentes in ſacri
coniugij leges, quæ propria ipſius eſt iuriſdictio: Ad hæc decimas capiat agnorum, vitulorum
& ſimilium more antiquitus inſtituto: Sacras ædes, loca, vaſa, veſtes quotannis inſpiciat,
aut ipſe aut per hominem idoneum, ſi quid vitij ſit, corrigi iubeat; non parentes ædituos
mulctet.* Quo etiam eodem tempore Bonnemij & Erkenij trans Lavicam in
Occidentis partibus familiis nobilibus orti, novis tumultibus excitatis, incen-
diis, direptionibus, cædibus mutuis in ſe ſævire rurſum cœperunt, ac velut mi-
nutum bellum geſsêre duæ familiæ, non parvo vicinorum malo, donec ab Or-
dinibus ſunt compreſſi. Et diluvia per aliquot annos continuata multis locis,
M.CCCC. ut aggeres reparari non poſſent. Secutus anno proximo menſe Majo conven-
XXV. tus Groningenſium, Langowoldiorum, Fredowoldiorum, Hummerziorum,
Vpſteranorum, & leges in conventu latæ de coërcendis graviùs quàm hacte-
nus hominibus maleficis, imprimis furibus: *Placuítque, ut rem furatus, quæ eſſet
unius aurei ſcutati Francici veteris, ſuſpendio pœnas daret; fugâ manum magiſtratus eva-
dens, perpetuò exul eſſet: Receptatores furum, & furtivæ rei participes, tum duplum re-
ſtituerent ijs, quibus res furto ablata, tum C ſcutatos penderent ſociorum reipublicæ: aut in
ære ſi non haberent, furum ſupplicio punirentur: Emptor quoque rei furtivæ, niſi ignoran-
tiam ſuam idoneis ac ſufficientibus rationibus probaret, eodem planè eſſet loco, quo rece-
ptator, etiam in pœnâ capitis, ſi ſolvere mulctam non poſſet. Iudex non expedijſſe querentes
convictus, periurij reus eſſet, & reip. mulctam daret ſcutatos C. De prædonibus & rapto-
ribus idem quod de furibus valeret. Mulctæ, quæ hinc provenirent, omnes æqualiter di-
viderentur inter oppidanos & ſocios in agro. Conventuum locus eſſet Rodenæ, non alibi:
ad eos vocati & non venientes, penderent cæteris venientibus ſcutatos C.*

Eo modo privatorum facultates novis legi-
bus illic munitæ.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XX.

OBIERAT jam ad initium anni M.CCCC.XXIIII Ioannes Bavarus repentinâ morte ſublatus, hauſto, ut aiunt, veneno, quod dolo Margaretæ Burgundæ matris Iacobæ propinatum fuerat. Ita factum, ut poſt factionum ſtudia, ac arma civilia nuper ſubmota, etiam externi belli metu per proximos annos ea Friſiæ ora, quæ à Lavicâ in Flevum eſt, ſit levata. Nam Philippus Burgundus, qui Ioanni hæres ſucceſſit, primùm cum Iacobâ de Hollandiæ & Selandiæ poſſeſſione bello inteſtino occupatus, deinde & Gallicis armis atque Anglicis diſtractus, diu reſpicere ad Friſiam non potuit, ſatiſque habuit, ſi provincias has ipſas Friſiæ finitimas pacatas poſſet poſſidere. Quies verò ſemel parata conſtitutaque iis locis, ita animos hominum dulcedine demulſit, ut de eâ conſervandâ omnium quoque viderentur hominum ſtudia conſentire. Itaque quamvis minutis motibus paucorum, velut turbinibus ſubitis ac brevibus, ſemel atque iterum tentata ſit, tamen tota ipſa convelli, & in bellum mutari apertum per multos annos ſequentes non potuit. Ea ſecum tantam fælicitatem traxit, ut brevì omnium in circuitu regionum fortunatiſſima hæc ipſa regio videretur. Interim bellum quaſi his locis ejectum in aliam Friſiæ partem cis Lavicam atque Amaſum commigravit; atque ibi ſede captâ, commiſſis inter ſe magnâ contentione ac pertinaciâ ejuſdem nuper fœderis ſociis, varioque ſtudio & fortunâ rebus commutatis, ſpectaculum haud ingratum quieſcentibus, atq; ex tuto contemplantibus Translavicanis diu præbuit. Nec verò antè conquievit, quàm feſſis horum hominum viribus reip. Ciſamaſanæ ſtatus ex libertate populari in principatum eſt converſus. Cauſæ ejus, quæ ſolent ferè bellorum eſſe civilium, ambitio & invidia: quæ conditæ belli externi curâ, ubi pax parta, & metus ex hoſte demptus, prorupêre. Ægreſcebant ferè omnium in nobilitate animi opibus ac potentiâ Occonis, quæ eò jam faſtigij haud dubiè pervenerant, ut libertatis modum non parum viderentur excedere. Itaque queri inter ſe, obtrectare apud plebem, ſinguli invidiâ peruri. Nec deerat alendæ huic invidiæ atque obtrectationi Broecmerius. Nam avi & patris exemplo incitatus ad altius enitendi faſtigium, ſummum ipſe ſtudium habere, iſtuc viam ſibi quâcunque poterat ratione ſternere, jus paulatim amplius vendicare, titulum Friſiæ Orientalis ambitioſum jam tum præferre in præſcriptionibus litterarum, atque ita moderatorem ejuſdem ſupremum ſe gerere, cæteros nobiles penè omnes clientium in numero habere. Fecconem quippe ob ſtipendia, atque arcem Olderſhemiam à ſe aut patre quondam ſuo fidei ejus commiſſam, ad premendam eam viciniam metu, inque obſequio continendam, & quod ſuâ patriſque gratiâ potiſſimùm creverat; Oſterhuſanos ob Larletum à patre traditum, Occonem & Brungerum propinquos ſuos ob Loquerdiam cum vicino agro à Broecmeriis (ut quidam produnt) acceptam, alioſque aliis ex cauſis ſibi obligatos ſtatuebat: In Nordanos quinetiam, apud quos Conſulatum majores ipſius adminiſtraverant, aliquid ſibi

juris arrogabat: Reiderios ſuperiores (de cæteris mihi incertum) cum ipsâ plebe, ut à patre ſuo acceperat, pro ſubditis computabat. Auxerantque animum ejus plurimùm illuſtres nuptiæ, quas ſpretâ nobilitate Friſicâ velut impare, cum filia Comitis Oldenburgici Mauritij & Ingelbergis Brunſuigiæ ex Grubenhagiâ familiâ, nuper contraxerat. Ea propter cætera nobilitas offenſa, ſibique timens muſſare inter ſe animis, ultraque invidiam ſibi quoque jam timens & contra potentiam ejus ac conatus tacitè ſe communire, intra metas tamen pactorum communium conſiſtere. Quanquam non deeſſent, qui de revocando juvandoque Hiſcone Emdano mentionem inijcerent. Quæ res aptiſſima ad infringendam Occonis potentiam eſſe videbatur. Et Hiſco, quem, quo animo in Occonem æmulum ſuum præcipua nobilitas eſſet, haud fugiebat, ſua commoda haudquaquam negligebat, per litteras, per nuncios, per amicos ſollicitabat, atque obteſtabatur eos, quos maximè idoneos arbitrabatur: Iniquitatem Occonis, ſuam miſeriam ac inopiam contra fas ſibi irrogatam exaggerabat: Quodque ſibi jam acciderat, id cuilibet ipſorum non multò pòſt pari ratione poſſe evenire, niſi obviam violentiæ iretur, admonebat. Quæ vera eſſe, & æqua licet plerique ſentirent, tamen propter fœderis leges promittere Hiſconi nihil adhuc audebant. Quibus per indicium acceptis, Occo, cui nihil æquè ac exulum reſtitutio formidini erat, ut ſe quoque in ejuſmodi

M.CCCC. XXV. di caſus tutiùs communiret, menſe Martio anni M. CCCC. XXV fœdus ſeorſim iniit cum Hunſingiis, Fivelingiis, Senatu populoque Groningano, reliquiſque proceribus, quorum auxilio Groninga erat à Kenone occupata: Quo fœdere mutuò ſe obligabant, ad prohibendam communi ope exulum Emdenſium & Groningenſium reſtitutionem, ferendaque, ſi eſſet neceſſe, ſummis viribus auxilia. Inter hæc nuptiæ contractæ inter Vconem Focconis filium alterum, & Hebam Dornumanam Occonis amitâ natam, de quâ nobis dictum antè. Eæ nuptiæ, quæ conciliandis animis partium eſſe debuerant, distrahendis latiùs fuêre. Nam per ſe inviſa Occoni puella cum ſuis erat, quanquam propinqua, ut quæ Broecmeriis in patrem avumque ſuum fœdè exercitam ſævitiam cum ſorore & fratre penè vivendo exprobrare videretur. Deinde eorum pleraque quæ moriendo mater puellæ reliquerat, imprimiſque mundum omnem muliebrem magni pretii cum multâ pecuniâ Broecmerij ad ſe recepta detinebant. Itaque acrem hunc, & patris fortunâ florentem affinem, cui & animi ſatis eſſet, & virium ad injurias domus ulciſcendas, haud abs re formidabat: nec aliter ſanè quàm inimicitiarum ſignum contra ſe ſublatum has nuptias accipiebat. Tum repetita etiam memoria nuptiarum Vdonis non minùs acerba ob fœdus, quod dixi; qod in ſe percuſſum eſſe Broecmerius per indicem de eo edoctus interpretabatur. Miſcebantque ſeſe his res aliæ, præſertim de dote novæ nuptæ, de Larletano jure, quæ omnes eò exarsêre, ut ad dimicationem aliquam tendere viderentur. Quod cùm animadvertiſſent Groningenſes communes amici, ſolliciti de fortunâ factionis, ſi bellum inter ſocios exiſteret, miſſis legatis Detmaro Rengero conſule, & Henrico Beijero ſenatore, quibus antè alios prudentia tribuebatur, priuſquàm longiùs procederet in concordiam eos reduxêre. Eâ in compoſitione de Hebæ patrimonio tranſactum, dotemque ei ex Broecmeriorum rebus in prædiis circum Olderſhemum (nam multa illic utrâque in Amaſi ripâ iſtius familiæ erant) eſſe conſtitutam, quanquam diſertè ſcriptum nuſquam legi, tamen ex plurimis rationibus compertum penè habeo. Ita ſarta tum inter partes amicitia eſt viſa. Verùm quod odium, invidia, ambitio ſemel animis eorum penitùs inſederant, non facilè ſolida inter eos & conſtans coire gratia potuit: magiſque occaſiones honeſtas & idoneas explendæ cupidinis, quàm pacem atque æquam amicitiam utrique quærebant. Fridericus Allenius Oſterhuſanus, qui defuncto pridem parenti Haroni ſucceſſerat, arcem novam concedere Larleti, & vallo

fosſâque

foſſàque eam munire, voluntate & auxilio patrui Imelonis, inceperat. Id verò
ſuſpectum ſtatim habens Occo, & ad ſuam quoque injuriam pertinere præ ſe
ferens, quòd & Larletum jam antè caſtelli in modum vallo & foſsâ cinctum
ſatis tutum domicilium quietis videretur, & ſuo beneficio id ipſum poſſideri
ab Oſterhuſanis diceret, perindignè rem tulit, ilicoque Friderico denunciat,
ut cœpto opere abſtineat ſtatim, & reliquas quoque Larleti munitiones de-
moliatur. Quod ni faciat, revocatione beneficij ſe contumaciam ejus punitu-
rum. Simul vicos quatuor Tuixlumum, Geerdeſwerū, Folcherſwerum, Wivel-
ſum, qui apud Haronem & Fridericum à morte Kenonis hactenus reſederant,
ſine mora repoſcit. Fridericus ex conſilio patrui, fiducia ſociorum pergit ni-
hilominùs, atque eo feſtinantiùs opus urget, iniqua dicens ea, quæ Occo po-
ſtularet, nec clientelam ipſius ullam, aut jus illud in vicos nominatos agno-
ſcens: Et ſi quod jus ejus ſit, cur id reſtitui illi æquum credatur, qui ſuam patrui-
que hæreditatē repoſcentibus reddere recuſet? Cùm ardeſceret in iram Broec-
merius atque arma pararet, Focco velut amicus interveniens, & pro Oſter-
huſanis ſe interponens homo verſutus atque aliud agens, in ſe quoque indigna-
tionem ipſius provocavit, juſſuſque fuit Olderſhemia arce ſtatim decedere.
Hic in utrunque multò antè paratus, haudquaquam dejecto animo, ſtipendia,
ſumptus, æs mutuum, laborum & periculorum præmia ingentia, dotem nurus
viciſſim ab eo poſtulavit; nec antè decedere Olderſhemo in animo ſe habere
oſtendit, quàm eſſet ſibi de his omnibus ſatisfactum. Simul teſtatus eſt, Vdo-
nem filium, quo cum Broecmerij controverſiam habebant ob aggerem per
agros novellos inter Nordam & Oſtelam nuper excitatum, deſerere ſe non
poſſe. His rebus & compluribus aliis eò jam rurſum contentio proceſſerat, ut
nihil certius quàm calamitoſum bellum civile imminere vulgò crederetur,
cùm oportunè eodem, quo nuper, excitati metu iidem Groningenſes adjunctis
ſibi in agro vicinis, per legatos iterum interceſsêre. Eorum ſingulari diligen-
tiâ ac ſtudio (erat enim res perdifficilis) tandem effectum, ut ipſorum eorundem
cognitioni atque arbitrio utrique jurati cauſam permitterent: Focco etiam
intereà donec ferretur ſententia, arcem Olderſhemiam (in quo difficultatis
fuit plurimum) iiſdem ſequeſtrâ fide ſervandam traderet. Id fuit ad exitum
Aprilis menſis, anno M. CCCC. XXVI, cùm conſules Groningæ eſſent Reinol-   M.CCCC.
dus Huginga, Bruno Clingius, Henricus Pontanus, Ditmarus Rengerus. Ar-   XXVI.
bitri poteſtate acceptâ, atque arce Olderſhemiâ duobus ſuo è numero rerum
Ciſamaſanarum peritis hominibus Brunoni Clingio, & Henrico Beijero com-
mendatâ, tandem circiter Nonas Maij ſic pronunciarunt: *Primùm Clingius &
Beyerus arcem Olderſhemiam cum omni inſtrumento, qualem eam à Broecmeriis bonâ
fide tuendam Focco quondam accepit, Occoni ſine morâ reſtituant: nec id aut Focco, aut pro-
pinqui eius indignè ferant: Occo viciſſim eodem die, quo arx reſtituetur, æs omne, quantum
ſibi deberi bonâ fide profiteri Focco volet, integrè ipſi exſolvat, aut commodis rationibus
de eo ſatisfaciat. De auro argentóque facto, ac omni pecuniâ liberorum Lutheti Doernuma-
ni, quæ Occonis amita olim cuſtodienda accepit, quorum partem nurui ſuæ deberi Focco di-
cit, Almaro ſacerdoti Arlano, & Wibeto Stedeſdorpiano viro nobili, iudicium ſit: hi antè
Trinitatis feſtum proximum ſententiam legitimè ferant Auricæ, aut centum ſcutatorum
Francicorum mulctam partim monachis quibuſdam, aut Brunoni Clingio, aut Omconi Snel-
gero Dammonenſi, aut Henrico Beijero, partim Groningano Senatui, ſociiſque ſolvendam
pendant. Quod Hebæ autem nurus Focconis, eiúſque ſororis Tettæ eſſe iudicabunt, id intra
octiduum à latâ ſententiâ præſtitum ac ſolutum iri Occo Loquerdanus, & Imelo Heringius
præfectus Emdanus pro Occone ſpondeant. Larletum, de quo litem Occo movet, cum omni
eo iure, quo olim Enno Haiteti filius illic uſus fuit, Oſterhuſani, ipſorúmque hæredes in per-
petuum retineant, cùm quòd proximo ſanguinis gradu Occonem attingunt, tùm quòd
in eo occupando corporibus & fortunis ſuis Kenoni præſtò fuêre. Arcem vel eandem, quam
iam ſtruere incepêre, vel aliam intra extráve caſtelli ambitum, ubicunque commodum*

iis erit, nemine impediente extruant, muro quatuor lateribus longis non craſſiore: eamque,
ſi velint, foſſâ LXIIII *ped. vallo octonûm ped. latâ cingant, ſed vallum munitionéſque re-*
liquas, quæ Larleto circumductæ ſunt, antè proximum Trinitatis feſtum demoliantur, ac ſolo
æquent: At arcis extructionem ſi omittere velint, mœnia caſtelli, qualia nunc ſunt, integra
ipſis maneant: Munitiones Larletanæ ſeu caſtelli ſeu arcis Occoni, aut hæredibus eius,
nullo unquam tempore detrimento ſint, ſed pateant potiùs ipſis, quandocunque uſus poſtu-
labit, contra quoſvis hoſtes: Ea tamen res Oſterhuſanis damno ne ſit, nec iuri eorum præiu-
dicium pariat: Oſterhuſani, qui Larletum tenebunt, quoties iubebuntur, cum Larletanis cæ-
teriſque ſubditis, Occonem & hæredes eius perpetuò in expeditionibus, clientium more, ſe-
quantur, exemplo nobilium aliorum in Amaſanâ regione: tributa eadem, & eodem modo
cum Loquerdanis fratribus Occone & Brungero, eorúmque ſubditis ſolvãt. A vicis proximis
Tuixlumo, Gerdeſwero, Folcherſwero, Wivelſo, quòd eos nullo iure à maioribus accepto
Ennonem Larletanum quondam tenuiſſe conſtet, abſtineant, liberóſque Occoni & hæredibus
eius relinquant: horum verò arbitrii ſit, vel ſibi eos vicos retinere, vel Imeloni aut Friderico
poſteríſque illorum in gratiam pacis publicæ liberali dono conferre. Quod quidem ex uſu
publico eſſe arbitri cenſent. Imelo & Fridericus nomine ſuo & ſucceſſorum ſanctè promit-
tant ac iurent, has conditiones de Larleto, nullo unquam tempore, violatum iri. Quòd ſi in
eo fides deſiderata fuerit, omne ius Hintani vici, arcem, agros, fortunas, quas illic habent,
amittant, eaqúe Occoni & hæredibus cedant. Indices, qui de inſidiis Larleto clam interci-
piendo poſt nuperrimè compoſitam litem paratis amicos Occonis detulerunt, Oſterhuſani
edant & examini ſiſtant: indicio probato, in ſontes, quod iuſtum erit, Occo ſtatuat: Si illi ſi-
ſtere indices nolint, indicium vanum habeatur. De fœdere Fócconis & filiorum cum Ime-
lone, quod contra ſe initum Occo queritur, ea compoſitio rata, ſanctáque ſit, quam Ditmarus
Rengerus & Henricus Beÿerus arbitri mandato Senatus Groningani pridem inter eos con-
fecêre: reliqua quoque, quæ inter eos pacta extant, integra ſerventur. Imelo & Larletani de
iniurÿs raptarum frugum, antiſtiti & collegio Langenſi intra menſem ſatisfaciant, ne quid
querelarum eâ de re deinceps ad Occonem deferatur. De aggere, quod controverſum eſt,
quem Vdo Fócconis filius per agros novos Nordenſium duxit, ipſe cum Broecmerÿs comparet
ante x *Calend. Iulÿ: ni comparatum fuerit, nos ÿdem* (inquiunt) *arbitri decernemus.*
Occo, quod de Larleto pronunciatum eſt, id à ſe & ſucceſſoribus perpetuò Oſterhuſanis ſer-
vatum iri per Occonem & Brungerum Loquerdanos, & Dodonem Keenſenam propinquos
ſuos iuratos ſatiſdet, adeóque tabulis ſcriptis & ſignatis, ſuóque ipſe iureiurando promittat.
Ab hoc pronunciato neutra pars recedat; utra receſſerit, eius contumaciæ cum parente parte
alterâ, denunciant arbitri, ſe vindices fore. Sententiâ pronunciatâ ſupra modum ex-
candeſcere Leranus, iniquos, gratiâ à juſto abductos, promiſſi & fidei imme-
mores arbitros dicere, minacem clauſulam iniquæ ſententiæ additam indigniſ-
ſimo ferre animo, nec poſſe concoquere; tempori tamen & neceſſitati parere,
iram pectore condere: Oſterhuſanis quoque idem animi eſſe ob irrogatum
clientelæ jus, & vicos ademptos. Eo factum modo, ut concordia & pax coire
ex hac actione non potuerint. Nam cùm alteros vehementer irrogatæ condi-
tionis pœniteret, iidemq́; judicarent, non jure ſe victos, ſed fraude circumven-
tos, ne expectari quidem debuit, diutiùs in pactis manſuros, quàm cogeret eos
neceſſitas, aut diſcedendi ſe ófferret occaſio. Fócconem verò etiam ingenium
& ſpes animo concepta incitabant per ſe, ut turbas quàm quietem mallet. Na-
tura quippe eum tractandis armis genuerat, & ipſe in pace inglorium ſe, & ſine
ſpe, in bello magnum eſſe, & ad majora poſſe conſcendere reputabat. Cogita-
bat, Occonem flagrantem invidiâ apud omnes ordines, improvidum juvenem,
bellorum ignarum, ſemet pollentem totius populi gratiâ, florẽtem autoritate,
exercitatum in armis, ut ſi decernendum ferro eſſet, ſtatueret potẽtiæ & opum
nomen apud illum, vim armorum multò maximam apud ſeſe fore: Ea ubi ſit,
ſi modò animus adſit, qui audeat, cætera etiam, quæ apud Occonem eſſe vide-
bantur, diu deeſſe non poſſe: Et quo jure pleraque à majoribus illius parata
erant, eodẽ jure, ſi fors faveret, ſua mox eſſe futura. Sed quas animo conceperat

ſpes

ſpes, & quæ coquebat conſilia, ea egregio aſtu vir callidus non minùs quàm fortis etiam apud intimos noverat tegere: ſi quid fortè excideret ſibi, quod animum nudaret, id ſolerter æquè ac fæliciter dictis & factis ſtatim corrigebat. Verùm tunc nihil magis, ſi ad arma eundum, quàm Occonis & Groningenſium ſocietatem, tum ipſe tum amici ipſius pertimeſcebant. Itaque ipſi quoque ut rebus ſuis proſpicerent, novos ſibi ſocios ſeu clam ſeu palàm adſciſcere, inimico veteres ſubtrahere, invidiam ei apud omnes maximam conflare, eum in odio ponere ſtuduerunt. Imprimis Ennonem Greetſilanum ſummâ virtute & autoritate virum, duobus egregiæ indolis filiis Edſardo & Vlrico ſubnixum, Wiardum Valderanum, Luerdum Vttumanum, Haitetum Grothuſanum ex Ciſamaſanis, tum Haijones duos illuſtrium familiarum, alterum Farmſumanum, alterum Weſterwoldium Hiſconis Emdani generum, trans Amaſum, aut quietos hactenus, aut Occoni addictos ſibi adjunxêre. Sed haud aliud plus incrementi partibus addidit, quàm quòd Sibetum Ruſtrum prævalidum opibus, fœdereque & affinitate cum Occone conjunctum hactenus, viduum jam per nuptias filiæ Amkæ, quam alterâ ex conjuge genuerat, cum omni Cankeniorum familiâ latiſſimâ, quæ Sibetum ſequebatur, ad ſe Leranus traduxit. Quæ quidem altera ipſi fortuna inſignis ac tempeſtivæ ex liberorum nuptiis accidit. Ad hæc arma iidem ſummo ſtudio parabant, fidem recipiebant ab agricolis, munitionibus operam dabant, imprimis Larletana arx ſummoperè feſtinabatur. Quâ tum occaſione Imelo Oſterhuſanus Grimerſhemios, Wirdumanos, Ienletanos, quos jamdudum ob nuptias Hebrigis, Geroldi Beningæ filiæ, à morte Aijoldi fratris ſuâ in fide habuerat, novo ſacramento adegiſſe, ſeque & fidem ſuam viciſſim iis obſtrinxiſſe legitur, extantibus eâ de re etiam nunc ſolennibus litterarum tabulis, quæ apud poſteros Imelonis conſervantur. Interim Groningani cum ſociis in agro vicino inter Amaſum & Lavicam, & Octopagicis Tranſlavicanis circiter Pentecoſtes in conventu de puniendis maleficiis repetiverunt leges penè eaſdem, quas anno priore latas in comitiis cum Vpſteranis retuli: Et conſtituerunt, quæ auxilia, quo modo Octopagici cæteris, cæteri Octopagicis contra legum harum contemptores, re poſcente, tenerentur ferre; utq; conventuum locus harum rerum gratiâ in cœnobio Adoardiano eſſet. Cùm ea, quæ dixi, Broecmerius agi intelligeret, adultâ jam æſtate, perturbatus præſertim Sibeti à ſe diſceſſu, nec ſatis ſe jam Groningenſium ſocietate munitum exiſtimans, (lababant enim multorum animi in agro, quorum ſumma erat autoritas & potentia) omnia etiam circumſpicere, & ad longinqua proximaque pariter mentem referre cœpit: reperitque facilè, qui auxilio eſſe, ac in Friſiam inviſam opibus & libertate ducere exercitum vellent. Sed commodiſſimus antè omnes ei viſus Nicolaus Bremenſis archiepiſcopus, viribus & autoritate æquè pollens, ac jam antè non propitius Friſiis Circumladanis, ipſique Sibeto. Is ſextum jam annum à morte Ioannis Slamſtorphij in eo munere fuerat, poſtremus maſculæ ſtirpis in familiâ Delmenhorſtanâ: quem parens Otto iſtâ conditione ad gradum illum dignitatis promoverat, ut ſponderet, à morte ſuâ Comitatum Delmenhorſtanum Bremenſi Eccleſiæ eſſe acceſſurum: Quanquam in eo fortuna Oldenburgenſium poſtmodum prævaluit, qui gratiâ & affinitate nixi ditioni ſuæ unde olim diſceſſerat provinciam rurſum adjunxêre. Hunc cõfecto bello Brunſuicenſe, quod cum ejus gentis Ducibus ſatis fæliciter geſſerat, magnumque inde nomen ſibi paraverat, infenſum Sibeto, armaq; in vicinos Friſios ſuæ diœceſeos meditantem, Occo per legatos de auxiliis ſollicitat, ei cuncta hoſtium egregia & ampla in prædam, memoriã beneficij apud ſe perennem, alia multa velut præmium operæ oſtentat. Nicolaus, qui jam antè eaſdem ob cauſas Friſiæ ingrediundæ percupidus erat, & ampliora etiã, quàm quæ offerebantur ab Occone, animo concipiebat, occaſione lætus, facilè aſſentit. Sperabat enim inviſum & invictum populum,

ſi concors ſit, diſcordiâ diviſum, ſuiſque ſe viribus atterentem, cogi ad jugum poſſe. Itaque fœdere inito, auxiliiſque promiſſis, ad ſignum belli Friſici ab archiepiſcopo propoſitum, plures ſtatim illuſtribus familiis, aut ſtudiis militaribus viri clari, prædarum avidi, aut libertatis alienæ inimici concurrunt, & conjurant. E quibus Theodoricus Oldenburgenſis antè omnes, Occoni affinitate innexus, Otto Hoijenſis, vir acer, atque armis bello Bremenſium proximo exercitus, ejuſdemque familiæ Ioannes, Nicolaus Tekenburgius, Conradus Deepholdius, Ioannes Retbergius, Comites omnes, nomina ipſi ſua in militiam Friſicam ſpontè profeſſi. Addunt quidam de Brunſuicenſi Principe, adoleſcente ſtirpis Grubenhagiæ, ſobrino conjugis Occonis. Præter hos quoque plurimi auxilia miſêre. Nobilium verò numerus ingens è vicinis provinciis, qui ſuperiore bello dimiſſi ſine ſtipendio non æquis animis agebant. Quibus optatiùs expeditione ejuſmodi accidere nil poterat. Militum porrò quicquid totâ eâ viciniâ manubiarum ditium cupidum erat, certatim huc confluebat: aurum, argentum, armenta, ipſa etiam prædia Friſiorum velut exploratâ victoriâ, aut nullo certamine futuro, in animo, in ore omnes omninò habebant. Conſtitutis & paratis cæteris, quæ res poſtulabat, in agrum Oldenburgicum cuncti convenêre. Illic ſe reliquis conjunxit Theodoricus Oldenburgenſis, de quo priùs dixi, ferventi ſtudio, quòd & affinis eſſet Occoni & inimicitias veteres cum Mormeriis & Lenganis ac Ruſtris finitimis haberet. Præſtoque ibidem fuit etiam ipſe Nicolaus archiepiſcopus, ſacri belli ſacer imperator futurus. Luſtrato verò omni exercitu, quem XI millium armatorum fuiſſe annales noſtri tradunt, ſub finem Septembris, ne quid Oldenburgicis hominibus morâ noceretur, celeriter Apam versùs agmen moverunt, ut indè breviſſimo itinere, Mormeriam conterminum Friſiæ agrum ingreſſi, Focconem principem partis adverſæ, qui totum eum tractum regebat, ex propinquo invaderent. Quæ dum illic fiunt, varij animorum motus, multa ſollicitudo, ingens perturbatio in Friſiâ omni cis Amaſum fuit, non ſolùm apud eos, quos epiſcopus pro hoſtibus ferebat, ſed etiam qui cum Occone cohærebant. Peregrinum enim exercitum, peregrinos Principes, inimicos libertati ac legibus patriis, etiam ſociis, qui eos vocarunt, plerunque prægraves, nonnunquam quoque fidem ex uſu ſuo commutantes, atque ex amicis hoſtes fieri ſolitos, cuncti ex æquo, quibus ſapientia inerat, horrebant: Ipſa verò novitas rei perturbationem augebat. Nec enim quiſquam in Friſiâ vivebat, qui præter paucas cohortes peregrinas, quas conſenſus populi compeſcere poterat, ſub Kenone Occonis parente in totâ Ciſamaſanâ viderat: Tantum verò exercitum, tantos duces, quæ fama etiam in majus augebat, non modò in ſolo patrio nemo conſpexerat, ſed ne fuiſſe quidem priùs multis ſæculis, poſt Leonis ætatem, à majoribus fando acceperant. Et vulgus quidem hominum rapinas, contumelias, reliquas militares injurias, tantùm pertimeſcebant. At qui prudentiâ in populo valebant, mutationem reip. verſas leges, interitum libertatis, ſervitii jugum metuebant. Contrà verò niti quomodò poſſent, propter Occonem non reperiebant. At in adversâ factione, qui in ſe primum illum imbrem effuſum iri noverant, metuere quidem & ipſi, & conſternari in re inopinâ, ſed in metu tamen ſemet non deſerere, quin potiùs fremere animis, liberâque voce caput Occonis deteſtari, proditorem patriæ, hoſtem æqui juris & libertatis, ruptorem fœderum & jurisjurandi vocare, qui dummodò precarium ſibi imperium ſub domino peregrino conſtituat, jus & fas tranſgredi, in patriam accerſere communes hoſtes, violare ſacramenti religionem non dubitet. Quibus vocibus non paucos Occonianorum quoque movebant, ut animis fierent ab illo alienis. Agitabanturque conſilia de mittendis omni ex parte ad Focconem auxiliis, quò conjunctis omnium operis & viribus in ipſo ſtatim Friſiæ aditu communi hoſti occurreretur: id quod ex re publicâ eſſe arbitrabantur.

bantur. Nam Fvcconem ſi opprimi ſinerent, non ignorabant, per ipſius cladem ad ſe quoque viam hoſti ſtratum iri, pluſque virium omnibus ſimul junctis, quàm diſtractis in partes futurum. Nec ſanè potuit Occo, quamvis vias militares, quæ ex Ruſtria, Oſtringia, Harlingia, Amaſana in Mormerios pertinent, ſuâ in poteſtate ferè omnes haberet, atque in id ſummo ſtudio eſſet, impedire, quo minùs multi hinc illinc ad Fvcconem penetrarent. At Focco interclusum ſe etiam à ſociis, ac penè ſolum cum paucis ſuorum copiis hoſtium armis objectum cernens, haud tamen propterea, ut erat ad omnia intrepido animo, ſeſe deſeruit, ſed in iſthoc potiſſimùm diſcrimine, qui vir eſſet, demonſtravit. Igitur convocatis ad arma ſuis, qui per Mormeriam, agrumque Trans-Lædanum ac Lenganum in ætate militari erant, tentatâque eorum erga ſe voluntate, & fide, additiſque, qui ad ſe penetrare ex ſociis potuerant, cum omnibus ſimul in occurſum hoſti contendit, ut ſi poſſet, aditibus occupatis ingreſſu Friſiæ eum prohiberet. Ita ad Deteram ubi veniſſet, haud incelebrem Mormeriæ vicum, in ipſo agri Oldenburgici conſpectu, intelligeretque in itinere proximo jam hoſtes eſſe, ob loci commoditatem ibidem conſedit. Campus modicè aſſurgens, à tergo ſatis latè aperto ſpatio procurrit, cui dextrorſum Læda flumen, antrorſum verò, quâ Apam itur, planicies lata ſubeſt, ſoli ferè paluſtris, ad eum modum depreſſa, ut cùm pluviæ copioſæ ſunt hyberno tempore, plerunque aquis tegatur: Et ſi uſus poſtulet, Læda præterfluens & aggere modico illic coërcitus, ſi paulùm modò tumeat, facili ratione in humiliora ejus loca induci poſſit. Per eam planiciem crebris foſſis incilibus diviſam ſecundùm Lædam via militaris reliquo agro nihilo editior patet, in quâ, ubi maximè planicies deprimitur, ac uligine obſita eſt, trames anguſtus per ſalebras invias levi opere ruſtico eſt ſtructus proximè pontem Lædæ, qui pons ab altero fluminis latere, regione æquè humili, in Monaſterienſes fines iſtinc mittit, vix ducentos paſſus à vico Deterâ diſtans. Hac viâ cùm venire hoſtes Leranus exploratum haberet, immiſſis in humillima planiciei loca, quantas potuit, aquis, ad finem campi editioris, ubi ipſa Detera eſt, undeque in proximo tramitem ac viam ſub oculis habebat, velut in caſtris, uti oſtendi, conſedit, hoſtem operiens. Atque is non multò pòſt longo ordine incedens, ut erat neceſſe, adventare in conſpectum cœpit, de nullâ re minùs, quàm de victoriâ ſollicitus, tantumque modò moræ raptandis & diſtribuendis prædis eſſe ſtatuens, quantum ſuperandæ difficili viæ erat impendendum. Vt deinde propiùs acceſſit præcedente equitatu, & pars jam tramitem ſuperaſſet, Focco ſubeuntes jam altiora equites è proximo commonſtrãs, ut erat militaris facundiæ haud expers. En hi ſunt, inquit, Commilitones fidiſſimi, qui nullâ unquam laceſſiti injuriâ, nonnulli etiam fœderibus nobis connexi, nos noſtraque in prædam vertere, ſervitiumque deforme genti liberæ imponere conſtitutum habent, prædones potiùs improbi, quàm ſacrorum aut legum præſides. Hanc prætoriam cohortem virorum principum & nobilitatis, quæ in equis ad nos jam ſubit, ſi audacter impetu facto invaſerimus, dum reliqui in viâ impediti, & incertis veſtigiis lapſantes per tramitem enituntur, & ſuis auxilio eſſe non poſſunt, equidem ſpe-ravero per nos eam perturbatum & in fugam actum iri. Iſtâ verò fuſâ fugatâque, vicerimus ſanè, ſocii, totumque agmen conciderimus. Agite ergo, & mores majorum virtutis, qui ſanguine ſuo partam ſartamque libertatem nobis reliquerunt, in hos procellam inopinam effundite, & res, conjuges, liberos, parentes, corpora ipſi veſtra contra iniquiſſimos hoſtes mecum defendite. Aderit Deus fortiter pro patriâ pugnantibus: aut, ſi infælix pugna fuerit, præſtabit honeſtè in acie hac occumbere, quàm turpiter in ſervitutem vitam continuare. Cùm fremitu aſſenſiſſent omnes, Sequimini igitur, inquit, me, qui magnam gloriam parere; & exemplum virtutis veſtræ poſteris relinquere vultis. Simul in ſubeuntes equites, magnâ vi cum omnibus ſuis invectus eſt. Illi, licet

 inopinâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

inopinâ re conſternati, reſiſtunt tamen, & viriliter agunt, principum præſentiâ ac verbis ad virtutem extimulati. Sed inferentibus ſe ſummâ vi Friſiis, haſtiſque prælongis, ac ingentibus gladiis rem gerentibus, cùm primi & audaciſſimi quique jam cæſi eſſent, reliqui perturbati, & timore perculſi, quòd proximos quoſque ex equis devolvi viderent, nec impetum poſſent ſuſtinere diutiùs, luxare ordines, & terga pauci vertere cœperunt. Tum Focco, Vicimus, exclamat, modò viri eſſe, & inſtare perculſis velimus, non hos ſolùm equites, ſed omnem hoſtilem exercitum: Sequutique clamorem ejus Friſii, incitato magis curſu fugientes conſectantur, ac poſtremos cædunt. Hîc verò conſternati animis equites, & trepidi, nec jam juſſa principum audientes, quà quiſque poteſt, in effuſiſſimam fugam ſe præcipitant, & in pedites primos illiſi, majorem propè, quàm quæ ipſis inerat, conſternationem illis feſſis itinere, & quid accidiſſet ignaris, inijciunt. Exoritur mox clamor, conſpiraſſe totam gentem, innumera Friſiorum agmina adeſſe, & inſequi, cæſos principes, diſiectum omnem equitatum, ſalutis ſpem in unicâ fugâ eſſe. Sic proximi quique finitimos impellentes, cùm clamor æquè ac metus, qui longiùs procedebant, eò magis increſcerent, omnia fœdâ confuſione trepidantium & fugientium complevère. Sed nihil impeditius illâ fugâ fuit. Nam & paluſtre profundumque cœnum viam militarem pluribus in locis in arctum cogebat, hauriebatque ingredi auſos, & aquæ per canales aut interciſſos aggeres immiſſæ diſcrimen viæ & foſſarum paſſim ſuſtulerant, & qui utrimque viæ imminebant agri, crebrò foſſis dirempti omnem expeditæ fugæ rationem adimebant. Ita cùm ferox voce & manu Focco à tergo inſtaret, cædemque cruentam cieret, permagna eſt clades accepta. Plurimi ferro Friſiorum ſunt cæſi, multi in Lædam flumen vicinum compulſi, alii paluſtri cœno hærentes, foſsiſve impliciti, aut à ſuis urgentibus eliſi ſunt, aut à perſequentibus Friſiis atque undique aſſultantibus interempti. Qui cædi, aut in aquis perire noluerunt, victoribus ſe permiſerunt. Ingens utraque multitudo fuit, & ſanè major, quàm pro numero victorum. Eorum, qui periêre, quinque millia fuiſſe noſtri annales conſtanter tradunt, captos verò ter mille, plures penè quàm qui eos cepêre. Crantzius qui magnâ invidiâ in gentem noſtram laboravit, ne quid dicam gravius, cladem fuiſſe ingentem fatetur: Sed numerum, aut modum non edit. In cæſorum numero præter reliquam nobilitatem fuêre Ioannes Retbergius, Conradus Deepholdius, Comites. Captus ipſe archiepiſcopus Nicolaus, exercitus totius imperator, & cum eo alter Hoijenſis Comes Otto, fratérne Ioannis, an patruus, incertum. De Brunſvicenſe quoque quidam affirmant, ſed quod non ſatis conſtat, aſſerere nolui. Theodoricus Oldenburgicus & Nicolaus Tekenbergius difficillimâ fugâ evaſerunt. Reliqui, qui elapſi ſunt, vix ter mille, ſine prædâ non ſatis læti, in fines Oldenburgenſium, aut Monaſterienſium, quà cuique proximum erat, ſe receperunt. Hac victoria tam illuſtri quantum gloriæ Fócconi acceſſit, tantum quoque animi & ferociæ eſt adjectum. Magnuſque timor cunctos ejus æmulos occupavit. Nec dubium fuit, quin ad perſequendas inimicitias ſtatim ſe eſſet accincturus. Sed conſilium ejus captivi morabantur, non numero ſolùm, ſed ipsâ quoque magnitudine prægraves. Nam archiepiſcopi nomen venerabile habitum: nec dubitabatur, quin fortuna ejus, ſi in cuſtodiâ retineretur, multorum animos ad miſericordiam & auxilia ferenda eſſet permotura. Nec Comitis quidem propinquos deſpicere, rebus in Friſiâ nondum compoſitis, licebat. Tum tantam omnino multitudinem captivorum in vinculis tenere, ac vires ſuas ſimul aliò convertere difficillimum videbatur. Sine conditionibus autem omnes promiſcuè dimittere, inſipiens eſſe judicabat. Ita dum lupum auribus tenet, domeſticos hoſtes perſequi Focco ſtatim non potuit. Intereà Bremenſium & vicinorum legati, quos archiepiſcopi fortuna permoverat, oportunè ad Fócconem veniunt, de dimittendis captivis & conſti-

tuendis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag
401 B 23 [1]

tuendis induciis aut pace acturi. Per hos facilè factum, ut archiepiſcopus & Hoijenſis certâ pactione abſque pecuniâ ſtatim dimitterentur è cuſtodia. Reliquis etiam modicâ pecuniâ ſe redimendi facultas data: vulgus inops ſine ære dimiſſum. De induciis incerta res: breves tamen impetratas reor. Occo ad Lubecenſes & Hamburgenſes ſe contulit ſocios & amicos ſuos, conqueſtuſque de Fecconis in ſe injuriis opem contra vim imploravit. Illi graviſſimo bello impliciti, quod eo tempore ad tuendum Holſatiæ principem contra Danos civitates omnes finitimæ gerebant, renovato, quod habebant cum Occone, fœdere, auxiliique ſpe factâ, ad Fecconem & Sibetum, cæteroſque eorum ſocios ſcripſerunt, ut arces, vicos, prædia erepta hoc bello Occoni reſtituant, ac de reliquis injuriis ſatisfaciant: vel ſi quid controverſiæ cum ipſo habeant, id aut arbitrio ipſorum æquo & bono, aut juris actioni permittant: quod ni impetrent, non poſſe ſe ſocio ſupplici & auxilia roganti deeſſe. Erant verò poſtulata Occonis hujuſmodi, ut ea vel concedere, vel arbitrio ſuſpectorum judicum permittere grave ſibi Focco ac ſocij arbitrarentur. Etenim quæ jam tenebant, hæc aut æquo jure ſua eſſe, aut bello legitimo ac juſto ex hoſte capta haud perperam ſe poſſidere ſtatuebant. Et verò hominibus potentiæ avidis, & ulteriora meditantibus quis occupata deſerere perſuaſerit? Quapropter ut ſe etiam contra denunciatam vim quàm citiſſimè communirent, neceſſitate compulſi ab epiſcopo Monaſterienſi Henrico ex Comitibus Morſenſibus & opibus valido, & vicinitate oportuno, & ſupremo ſacrorum per omnem hanc Friſiæ oram antiſtite, opem implorarunt. Is Ottoni Hoijenſi antè biennium extincto in epiſcopatu ſurrogatus magnæ virtutis princeps eâ ætate habebatur, & ut pietatis non negligens, ita tractandorũ armorum inſigniter gnarus erat, multumque prætereà autoritatis ac roboris ex germano fratre Theodorico Colonienſi archiepiſcopo trahebat. Hic acceptis Fecconis & ſociorum querelis, confeſtim, priuſquam de omnibus ſtatui, & fœdus confici poſſet, datis ad Senatum Lubecenſem litteris ſignificat, accepiſſe ſe, vim ab iis & Hamburgenſibus parari contra Fecconem Leranum, cæteroſque ejus in Friſiâ ſocios: eam rem turbas majores daturam ne bono quidem ipſorum: rogare igitur, & fideliter monere, ut ab eo conſilio & cœpto abſtineant: ita & ſibi & aliis benè conſulturos. Verùm cùm Occo intereà Hamburgum & Lubecam enunciaſſet, ab hoſtibus ſuis conſilia cum epiſcopo agitari, armaque expediri in ſe, ſua jam nunc invadi, ferri, occupari, ſenatus utriuſque civitatis ſollicitus, & non abs re vires epiſcopi metuens, cum ſociis civitatibus maritimis, quæ belli Danici causâ conventum tum fortè Lubecæ agebant, rem communicant. Illæ circiter Nonas Ianuarias anni proximi M. CCCC. XXVII, ut plus ponderis negotio ineſſet, impediendi fœderis Monaſterienſis causâ, ſuo omnium nomine Lubecâ ad epiſcopum ſcribunt, Quid de litteris ejus ad Lubecenſes acceperint: intereà certiores ſe eſſe factos, Fecconem auxiliis ab ipſo contra Occonem juvari: Id ſibi mirum, & ab ipſius naturâ pacis amante alienum eſſe viſum, præſertim cùm æquitatis & humanitatis plenæ ab Hamburgenſibus & Lubecenſibus litteræ de tentando amico colloquio, aut de æquo & legitimo judicio, bonorúmve virorum arbitrio permittenda ad Fecconem Leranum & Sibetum Ruſtrum, reliquoſque horum ſocios nuper ſint datæ: petere amanter & ſeriò, quoniam civitates eædem etiã nunc hoc idem offerant, Occonemq; conventui opportuno ac tuto, aut juris cognitioni ſiſtere ex pacto, & voluntate ipſius Occonis ſint paratæ, proque eâ re omnes fœderatæ reſpublicæ fidem ſuam interponant, ut ipſe quoque epiſcopus, miſsâ præcipiti vi, eôdem potiùs compellere velit Fecconem, atque hoc apud eum effectum dare, ut aut reſtituat contra fas & fœdera Occoni ablata, aut bonorum cognitioni in loco tuto & idoneo, in quo ſine periculo adeſſe Occoniani poſſint, controverſiam omnem ſubijciat: eo ſibi nihil videri eſſe æquius: quod ſi reijciatur poſtulatum, vereri ſe quoque

M.CCCC. XXVII.

pacem turbatum iri non quidem ſine dolore ſuo; cum Occone enim ſic conveniſſe, ut deſerere eum honeſtè, & querelas ejus juſtas negligere non poſſint: itaque obteſtari denuò ſacrorum antiſtitem, ut pro prudentiâ & æquitate innatâ avertere imminens malum,& de voluntate ſuâ certiores facere quamprimùm civitates ſocias non gravetur. Verùm dum commeant utrinque hæ litteræ, ſolidè de fœdere inter epiſcopum & Focconem, quique cum eo per Friſiam conjuncti erant, actum, idque confectum tandem ex collegii Canonicorum conſenſu in hæc capita: *Focconi Lerano, Vconi & Vdoni filiis eius, Sibeto Ruſtro, Imeloni Oſterhuſano, Larleti, & Grimerſhemij Rectori, Imeloni Embdano, Hiſconis exulis filio* (nam & hunc in ſocietatem reliqui receperant) *Ennoni Greetſilano, Wiardo Vphuſano, Haijoni Ripperdæ Farmſumano, Haijoni Addingæ Weſterwoldio, Luverdo Præpoſito Vttumano Lerani ſororio, clientelam epiſcopi profeſſis ſi qua vis intentabitur ab Occone aliiſvé, omnem operam dabit epiſcopus ut offerentibus ſe cognitioni & iudicio ipſius, ac collegij ordinúmque Monaſterienſium, ius ex æquo & bono non negetur: id verò intra menſem, ſi fieri nequeat, tum ſummis viribus contra iniquam Occonis & quorumvis aliorum vim Cæſare ſolùm & Colonienſi fratre exceptis, eos tuebitur, & indemnes præſtabit: quòd ſi intra menſtruum hoc ſpatium, vis aliqua contra eos ſurget, præfecti, quos in provinciâ Amaſanâ & Cloppenburgicâ, quæ finitimæ Friſiis ſunt, epiſcopus habet, admoniti intra diem* XIV *cum provincialibus copiis præſtò illis erunt: oppidorum, arcium, agrorum, hominum ex hoſte quicquid capietur, dum vel epiſcopus ipſe vel eiuſce præfecti cum vexillis provincialibus in expeditione ſociis præſentes aderunt, ex æquâ parte epiſcopus cum Foccone cæteriſque dividet: atque ita detrimentū quoque, ſi quod acceperit, fœderatis non imputabit. Quod verò epiſcopo ex diviſione cedet, id ſi ipſe, aut poſteri eius venundari volent, Focconi ſociiſque id ſignificabunt; iiſque æquo pretio ad arbitrium quatuor bonorum virorum, pari numero utrâque ex parte delectorum, venum tradent. Providebit epiſcopus, ne cui per ea, quæ ipſe tenebit, loca quicquam in iure priſtino & libertate, quæ integra manere debebunt, decedat. Pacta hæc ad poſteros tranſibunt, & ſervabuntur ſine dolo malo.* Intereà fœdere percuſſo, ita reſpondit civitatibus fœderatis epiſcopus, ut ſumendorum armorum cauſam non habuerint. Acceſſit impedimentum à bello Danico, in quod totis animis & viribus eodem illo tempore Hamburgenſes & Lubecenſes erant intenti haud magno fortunæ ſucceſſu. Nam & ad Flenſburgum eo anno res malè geſta, cæſo Henrico Holſatorum Duce, & in mari detrimentum ingens ac dedecus acceptum. Renatis deinde primo vere in Friſiâ tumultibus, Oldenburgius fines vicinos incurſare, Ruſtrus illi viciſſim moleſtus eſſe, Focco Occonem majore vi premere, non epiſcopi ſolùm ope, ſed populi quoque gratiâ ſummâ fultus. Occonianæ partes deſtitutæ auxilio ſociorum verſari in extremis; Tranſamaſani etiam motuum domeſticorum timore artus contrahere; Bremenſes, (ut ſolet in rebus fieri ejuſmodi) vicini belli flammis afflari ex Ruſtriâ, eorumque cives maritimis rebus operam dantes ex Iadâ & Viſurgi infeſtari. Quas ob cauſas ſtudio legatorum Occonis fœdus & cum Occone, & inter ſe Oldenburgius, civitas Bremenſis, & Groningenſis, populus Huneſgonius, Fivelingius, Langowoldius, Fredowoldius, Hummerzius, qui nutare in concordiâ ſociali cœperant, in Focconem & Fokkonianos percuſsêre ad VII Calend. Maij, polliciti operas mutuas in depellendâ ſimul & inferendâ vi; juratique ſinguli, non ſe ſeparatim redituros in gratiam cum hoſte, niſi ex conſenſu ſociorum omnium. Eodemque die, ut arctiùs ſibi ſocios beneficio devinciret, Occo de retinendâ universâ fortunâ ſolùm ſollicitus, de partibus minùs laborans, Groninganis & eorum in agro ſociis Auricæ negociantibus immunitatem vectigalis, quod ex pecore bubulo ſolvi illic ſolet, tribuit in perpetuum. Sed bellum à ſociis decretum lentè, & magis ſervandis præſidiis, quàm eductis in hoſtem copiis, & commiſſis præliis geſtum: interim velitationes habitæ, prædæ hincindè, ut res dabat, abactæ. Poſtremò cùm omnes in apparatu eſſent, Bremenſes deſerto bellandi conſilio, itemq; Tranſiadani, Ruſtri, & Worſtenſes,

quorum

quorum res ardente viciniâ agebatur, ſe interpoſuère: Ii, poteſtate utrâque à parte acceptâ, per legatos ſuos arbitros poſt actionem diuturnam ipſo ſolſtitiali die pacis formulam & conditiones promulgarunt. In ea formulâ præter priores, quos recenſui, etiam Reiderios, Præfecturam veterem, Dodonem Kenonium, Imelonem & Brungerum Loquerdios, Sibrandum Edelſhemium inter Occonianos invenio aſſcriptos. Conditiones pacis ſcripſere: *ut injurijs in ruſticam plebem abſtineretur utrimque: præſidia locis ſacris deducerentur, nominatim autem Ellenſi & Witmundano cœnobiis: Oldenburgius, & heredes eius in univerſum Friſiâ decederent, nec eius quicquam tenerent impoſterum: patriis legibus per Friſiam viveretur: arma quieſcerent: commercia libera & tuta eſſent more & modo ſolito, ſine novo auctóve vectigalis onere: Mormerios, Lenganos, Tranſlædanos Focco retineret; cætera Occoni relinqueret; reliqui omnes ſua pacatè poſſiderent.* Sed promulgata pax neſcio an recepta à partibus, certè non multò pòſt in bellum majus ac acerbius verſa fuit. Quippe Focco cùm audiſſet amicos ſuos premi trans Amaſum, & ſuas res injuriis affici, Dichuſanam arcem diripi, Groninganos auxilia inſtruere pro Occone, confectâ copiâ fortiſſimorum militum ex omni ſuorum numero, conſtitutis domi præſidiis, ipſe cum filiis & Imelone Oſterhuſano Amaſum traijcit, & ad vicum Oterdumæum, quem cum caſtello in poteſtate jam antè habebat, militem exponit, aſſerendæque causâ libertatis ſe adeſſe profitetur, Groningenſes de re facti certiores, armatâ omni juventute ſuâ excitiſque ſociis, celeriter in occurſum tendunt, ut cum eo confligant. Nec Focco prælio defuit, licet numero multum impar. Sed quantum numero inferior erat, tantum robore & promptitudine exercitus, qui laboribus ac præliis inſueverat, ac ſæpè cum majoribus hoſtium copiis fæliciter conflixerat, hoſtes ſuos ſuperabat. Commiſſo prælio difficili, in quo magna virtus filiorum Focconis fuiſſe dicitur, cùm multi utrimque caderent, & hi robore ac audaciâ, illi multitudine niterentur, ceſsêre tandem Groningani. Tum cædes eorum multò maxima edita eſt à perſequentibus, multique in fugâ capti: reliqui, qui pedum præſidio evadere potuerunt, trepidi in urbem continuato curſu ſe receperunt. Cæſos aut captos fuiſſe eo prælio ſupra quingentos factâ recenſione intellectum eſt, multoſque ex nobili aut patritio genere. Inter captivos fuit Henricus Pontanus Conſul Groninganus ad Imelonem Oſterhuſanum perductus, atque ab eo cum compluribus aliis Larletum in cuſtodiam miſſus. Hac tantâ clade caſtigatis Groninganis, omniſque penè agri ſtudiis victoriâ tam lætâ, tamque inſigni belli titulo ſuas in partes traductis, Focco quòd audiſſet Friſios Occiduos quoque tumultuari, & Occonis ſtudio arma in ſe moliri, ſine morâ victrices copias trans Lavicam duxit: oſtentatoque infeſto agmine, ſic cunctos exterruit, cæſis ſi qui occurrere, aut reſiſtere auſi fuerant, ut nihil ſe impoſterum moturos eſſe cæteri pollicerentur. Indè domum reditum, agitatumque crebrò eâ æſtate de pace ac controverſiâ omni cum Occone & oppidanis componendâ. Intereà Henricus etiam Pontanus, de quo dixi, reliquique captivi, qui Larleti erant, ad diem XV. Calend. Julij, operâ amicorum interceſſorum, domum eundi facultatem impetrant ab Imelone Oſterhuſano, & Mellone Synada; polliciti ad VIII Calend. Auguſti Larletum in cuſtodiam bonâ fide ſe redituros, ſeu pax cum Occone & Groninganis conficeretur, ſive non. Cujus rei teſtes ac obſides litteras apud Imelonem relinquunt. Sed redierint ad diem omnes, an honorem pecuniæ & tædio poſthabuerint, memoriæ non eſt proditum. Pacis quidem actio, quæ omnes ſuſpenſos tenebat, irrita demùm fuit. Nec enim partis decedere Focco, aut poſſeſſiones ſuas relinquere ſocij ejus volebant, nec Occo, ut de jure ſuo quicquam decîdi ſibi pateretur, qui aliis decîdere ſolitus erat, perſuaderi poterat, reddebatq; eos fœderum fiducia utrimq; pertinaciores. Nec tamen armis quicquam tentatum ad vergentem uſque autumnum, licet animis & rebus ita eſſent parati, ut velut in pro-

in procinctu ſemper ſtare viderentur. Et vulgò creditum fuit, eâ hyeme nihil turbatum iri. Sed Focco cùm animadverteret remiſſiùs jam agere hoſtem, nec præſidiis auxiliaribus ſatis eſſe inſtructum, in occaſionem id vertens, evocatis celeriter & tacitè è Monaſterienſium agro manipulis nonnullis ære conductis, ſocios ſuos omnes ſilentio ſe parare, & die conſtituto ſub exitum Octobris cum omnibus copiis ſibi præſtò eſſe in agro Auricano jubet. Ipſe cum validâ & promptâ manu è Mormeriâ Auricam feſtinus & inexpectatus contendit, ut hoſtem inopinantem imparatumq́ue, ſi poſſit, opprimat. Id verò oppidum prætergreſſus, conjuncto in itinere cum genero Sibeto exercitu, & nuſquam moratus in Broecmeriam eâdem feſtinatione pergit. Sed Wallenſem viam nondum mediam emenſus erat, cùm Vdo filius cum robore juventutis Nordanæ, & Imelo Oſterhuſanus, reliquiq́ue ex Amaſanâ fœderis ſocii cum copiis quiſque ſuis ſeſe oſtendunt. Tum lætis ſalutationibus ſemet invicem excipientes uno mox agmine Oldeburgum petunt, arcem Occonis præcipuam, velut eam ex itinere invaſuri. Sed ita inſtructam arcem præſidio inveniunt, ut quemvis impetum repentinum facilè poſſet ſuſtinere. Namque Occo hoſtium conſilio ſtatim ab initio per indicem cognito, quamvis valido fœdere, cui archiepiſcopum Bremenſem etiam non multò antè additum rurſum fuiſſe, fama ferebat, ſatis ſe communiviſſe videretur, tamen ſubitâ re perterritus non ſatis expedire conſilium in tantâ feſtinatione potuit. Sociorum enim auxilia ampliora, quàm habebat (habebat autem vix modica, quòd dimicandum per hyemem non arbitraretur) accerſere & expectare, hyberno præſertim tempore, cùm tardiùs omnia expediuntur, & viæ per Friſiam impeditæ mariaq́ue navibus incommoda ſunt, celeritas hoſtium non ſinebat: Suis verò copiis, etiamſi non infirmæ eſſent, tamen in arce hac confidere, atque omnes ſuas fortunas non ſatis certâ ſpe in extremum diſcrimen mittere haud audebat, nec ſatis prudens, aut conſultum eſſe arbitrabatur. Sed quoniam, ut volebat, non poterat, ſaltem ut poterat, in eo diſcrimine faciendum ſibi eſſe & rebus ſuis conſulendum exiſtimabat. Itaque quantum in eâ feſtinatione licuit, Oldeburgum reliquaq́ue loca munita præſidiis & commeatu inſtruxit, ut aſſultum hoſtium, ſi res poſceret, ferre poſſent. Ipſe verò Mariæhovam concedens à prædonibus quondam egregiè communitam, eodem ſuos quoque omnes armatos adeſſe juſſit, propterea quòd is locus tumultuario apparatui commodiſſimus, atque auxiliis à mari recipiendis, ſi quæ adhuc fortè venirent, maximè oportunus videretur. Et quoniam fervens ſtudium ac alacritas iis inerat, quos adhuc in partibus habebat, facilè accidit, ut brevi temporis ſpatio penè major, quàm ſpes fuerat, multitudo illuc ad ſigna confluxerit. Quorum in numero Emdanos quoque fuiſſe non paucos comperio, quos aut amor & fides erga Broecmerium, aut odium metúſve Rectorum veterum permovebat. Sed vixdum Mariæhovam omnes convenerant, cùm fama ad Occonem pervolat, hoſtes Auricanâ viâ feſtino agmine adventare: ſimulq́ue ex ſummâ turri procul proſpici ſigna poterant. Tum Occo re ſubitâ pro tempore in conſilium eorum, qui principes ex ſociis aderant, quiq́ue armorum peritiâ præſtabant, celeriter miſſâ, exquirit, quid facto ſit opus. Viſum ferè omnibus, ultrò obviam eundum hoſti, itineris labore defeſſo: id ſcilicet & ſuorum animis augendis & hoſtium opinioni ſuperbæ & confidenti minuendæ imprimis eſſe futurum. Nec mora, paucis in coronâ exercitum affatus, & expoſito conſilio ſuo ad fortitudinem cohortatus Occo, unicâ nimirum acie unius horæ momento, ſi viri eſſe, & fidem præſtare volent, univerſas fortunas ſuas conſtitui, partiumq́ue victoriam ſemel confici poſſe, mox ſigna canere, & viâ Veenhuſinâ ſervatis ordinibus procedere omnes juſſit. Ea via ubi Vpgantum tranſieris ad mille ferè paſſus per apertam & longè latéque patentem agrorum planiciem extenditur, quâ planicie nihil ſanè in universâ hac Friſiæ parte ad prælium inveniri

potest

poteſt oportunius. Quam cùm ingreſſum eſſet agmen, Vpganto jam à tergo relicto, & Oldeburgum ſe ſine prælio venturum putaret, ecce Focconis ſigna, quæ antecedebant, ſe quoque in eâdem viâ, Veenhuſino vico ſuperato, ex adverſo oſtendere cœperunt: paulatimque univerſus ejus exercitus in conſpectum ſeſe explicuit. Et Focco, ubi hoſtem apertis campis fidenter ſe obvium ferre vidit, etſi nonnihil initiò re inopinâ moveretur, tamen virium, ac perpetuæ fælicitatis fiduciâ ultrò in fortunam hoc vertit, gaviſuſque eſt facultatem ſibi dari, commodiſſimo loco, qui nullis eſſet obnoxius inſidiis, omnibus copiis de rei ſummâ cum hoſte dimicandi. Quapropter appellatis ſubitò filiis, generoque, & reliquis è nobilitate ſociis, atque ad virtutem exſuſcitatis, quid fieri à ſingulis velit, oſtendit. Hinc inſtructâ raptim, & ad pugnam in hoſtem explicatâ acie, omnes ipſe circumit, repetitiſque cunctis victoriis, quas audendo & fortiter pugnando paucis annis pepererint, hortatur, ut nunc quoque ſui ſimiles eſſe, & ex iſtâ, quæ deſperatione magis quàm virium fiduciâ obviam procedat, acie poſtratâ, laudem eandem petere, eodem modo ad victoriam gradi velint. Hoc certaminum contra Occonem ultimum fore: in quo ſi ignaviâ ſuccubuerint, omnia etiam ipſis ſuperiora ſimul peritura: ſin victores fuerint, quietos deinceps, & ab hoc hoſte ſecuros laborum omnium fructum eſſe percepturos. Hæc concionabundus, ut ad quoſque venerat, prolocutus agmen promovere, ac avidiùs in hoſtem vadere incipit. Cumque nec Occo certamen declinaret, aut incederet tardiùs, venêre in ſe avido occurſu patentibus in campis infeſtæ, atque ad pugnam paratiſſimæ duæ acies, & ſuperato celeriter intermedio ſpatio, cùm in proximo jam eſſent, incitato impetu velut turbines adverſi concurrerunt. Ita pugna exorta fuit atrox & cruenta, cui ſimilem multa ſæcula ea in regione non viderant, cum adverſis utrimque pectoribus avidos ictus inferrent, & gladiis, haſtis, bipennibus per mutuas cædes victoriam quærerent, incredibili animorum pertinaciâ. Et Broecmeriorum quidem cæterorumque in partibus tanta virtus pro Occone fuit, ut quod viribus ipſorum & numero deeſſet, id audaciâ & fortitudine ſupplere niterentur. Sed robur ab alterâ parte, & diſciplina militaris, & præfectorum plurium induſtria tandem prævaluêre. Nam, Vco, Vdo, Sibetus, Imelo cum Foccone pariter in acie curabant, ac monitu & fortibus exemplis ſuos quiſque accendebant. Itaque poſt gravem & diuturnum conflictum, cùm magnam partem ſuorum conciſam, aut vulneribus confectam viderent, Broecmerij, tandem cedere, ac fugam capeſſere cœpêre. Fugientibus inſtitêre victores terga cædentes: nec cædis antè finis fuit, quàm cuncti ſe, qui ſupererant, victoribus permiſêre. In his Occo etiam, cùm ſe ſtrenuè defendiſſet, multitudine ſuperatus, captuſque, ad Focconem perductus fuit: is eum bono eſſe animo juſſit. Prælio finito, tum omnes miſerabile ſpectaculum tenuit, jacentia per agrum tot funera vulneribus fœdè lacerata, terra per longa ſpatia multo civili ſanguine fœdata, enſes, haſtæ, reliqua arma paſſim projecta. Atque hæc eò miſeriora viſa ſunt, quòd cognatis manibus patrio in ſolo patrata. Autor Grimerſhemius prodit, cæſa ex utroque exercitu ad millia quatuor: quorum multò maxima pars Occoniani fuêre. Inter cæteros Campo Emdenſis Sceltconis illius parens ſeu ſocer, qui conſul poſteà ſuo in oppido eſt factus, cùm vivus fortè evaſiſſet ex pugnâ, voti in periculo concepti reus, ut ſuperſtitio ſæculi ejus ferebat, ad viſenda ſacra loca peregrè profectus eſt: deinde aliquot annos oberrans paſſim ignoto habitu, atque Emdam etiam, ut creditum fuit, aliquandò reverſus, nec conjugem tamen adiit, ob votum, nec à quoquam certò fuit agnitus: poſtremò inter ignotos, incertum quo loco, periit. Commiſſum hoc prælium tam funeſtum ad diem v Calend. Novembr. Focco cùm iiſdem in campis, in quibus dimicatum fuerat, triduum ſtativa habuiſſet more militari, eaque quæ funerandis cæſorum corporibus erant, ritè curaſſet, Olde-

burgum arcem vicinam agreſſus, cùm in poteſtate Occonem haberet, facili
momento deditam cepit, captamque diruit: Indè confeſtim Auricam cum
exercitu recurrens, cùm captum Occonem præſidiariis oſtentaſſet, ſine morâ
eam quoque in poteſtatem redegit, ſuoque præſidio munivit. Tum Broecme-
riis & Auricanis in fidem receptis, ſumpto ſibi ſummi Broecmeriæ Præfecti ti-
tulo, reliquis quoque rebus pro tempore conſtitutis, prædâ omni cum ſociis
æqualiter, ut cujuſque modus & merita erant, diviſâ, cunctos à ſe dimiſit, juſ-
ſitque in omnes rerum occaſiones, ſi quid ab Occonis ſociis fortè repentinum
exiſteret, quod armis conjunctis haberet opus, eſſe paratos. Eos quoque, quos
epiſcopus Monaſterienſis auxilio miſerat, in coronâ totius exercitus ſtipendio,
munere & laudibus liberaliter proſequutus, actis etiam epiſcopo gratiis, ſa-
cramento exoluit. Modica enim hæc paucorum manipulorum auxilia ab epi-
ſcopo in uſum Friſiorum conſcripta ſine vexillo provinciali, ſine epiſcopi præ-
fecto, ad Focconem miſſa, ipſi reliquiſque nobilibus ſociis juramentum dixe-
rant. Nec enim majoribus copiis auxiliaribus eo tempore res indigere videba-
tur. Quæ cauſa eſt, cur ex fœdere epiſcopus quoque in partem manubiarum
non venerit. Reliquis, quâ cuique proximum erat, digreſſis, Focco cum ſuis
Leram repetiit, Occonemque captivum in cuſtodiam ſecum duxit. Huic in
vinculis habito plumæ certatim omnes detractæ, atque inter æmulos, quod
eorum cuique commodum, aut debitum, diſtributæ. Sed maximam ſibi par-
tem Focco vindicavit, velut fœderis imperator. Nam Broecmeriam omnem
ut demonſtratum jam eſt, cum vicino Auricæ agro caſtelloque, uſurpato ſupre-
mi Præfecti nomine, in ſuum jus redegit, Olderſhemium nuper receptum cum
prædiis compluribus, quæ Broecmeriorum quoque fuerant, velut dotem nu-
rus V.coni filio tribuit, vicos, quos per agrum Reidanum à patre acceptos Oc-
co tenuerat, vinctuſque ſpe libertatis ex voluntate Focconis ſpontè & ſolenni-
ter ſuâ è fide dimiſerat (cujus rei teſtes literæ ipſius adhuc ſuperſunt, in quibus
nominatim Wiardum & Sebenum Bundenſes huic exautorationi exemit)
VVeneram, Stapelmoram, Dilam, Felgam. VVenigermoram, Bundam ſacra-
mento ſuo adactos Lerano territorio conjunxit. Qu)d per Amaſanam capti-
vus poſſederat, Oſterhuſanis, quibus id commodum erat, pro Broecmeriæ
parte ſæpè à propinquis fruſtrà repetitâ, ceſſit: In quo & Compenſis vicus
fuit. Emda prioribus rectoribus reſtituta. De Freburgo Oſtringiæ quod di-
cam, certum non habeo, Sibetóne Ruſtro traditum tum ſit ex manubiis in
uſum patriæ communis tuendum, an jam antè ab eo occupatum poſſeſſum-
que. Hoc quidem ex annotatis chronographicis liquet, arcem ad id tempus
Ruſtrum tenuiſſe: ab eo ad Focconem perveniſſe: hunc Oldenburgico Comi-
ti tradidiſſe volente populo: ab Oldenburgico non multò pòſt populo eſſe red-
ditam, quod ſuo loco dicetur. Hoc modo deplumato per hyemem Occone, &
in vinculis retento, revocatoque in patriam Hiſcone, Leranus, relictis domi in
M.CCCC. præſidio filiis & genero, unà cum Hiſcone Emdano, Ennone Greetſilano,
XXVIII. Imelone Oſterhuſano, ac cæteris nonnullis fœderis ſociis, aſſumptis etiam
cohortibus aliquot, quibus maximè fidebat, primo ſtatim vere in Groninga-
nos redit, ad ſtatum ejus agri, valde turbulentum, componendum. Vbi cùm
primo adventu ſuo alios metu, alios vi, qui adversâ in parte ſupererant, in or-
dinem redegiſſent, vindiceſque ſe & cuſtodes libertatis eſſent profeſſi, mox
convocatis ad ſe totius agri inter Amaſum & Lavicam ordinibus omnium-
que cauſis auditis, de concordiâ ac conſenſu inter eos in adminiſtrandâ com-
muni rep. conſtituendo agere exorſi ſunt. Erant, quæ conſenſum hunc diſti-
nebant, velut fomes tumultuum ac diſſenſionum, permulta, non ſolùm bel-
lum hoc inteſtinum ſecuta; ſed alia etiam antè bellum in viſceribus reip.
dudum hærentia: imprimis aggerum, aquæductuum, magiſtratuum, judi-
ciorum, legum rationes oppidò perplexæ, ac difficiles. Nam tempeſtatibus
difficili

diſiecti hîc illic aggeres terrei in Præfecturâ vetere, atque in Reideriis, armo-
rumque motu ac metu, & plebis diſſenſione penè deſerti per proximum bien-
nium, magnæ calamitati toti regioni vicinæ erant. Et in cæteris diuerſæ ejuſ-
dem agri partes diverſo jure, conſuetudine, inſtitutis, malo concordiæ non par-
vo, utebantur. Itaque diu variatum ſententiis, cùm, quibus paulò fælicior res,
ij aut commodare aliis, aut auxilio eſſe reip. gratiâ recuſarent, ac more inge-
niorum humanorum, nemo inveniretur facilè, qui alienâ calamitate multùm
moveretur. Quamobrem Eppo etiam Gockinga, qui Eijoldi & Tammonis
hæreditatem tenebat, & Menno Hovverda Muntenſis, antiſtiteſque non-
nulli ſurdis diu auribus, ad inſtaurandos contra Dullartum aggeres pro Præ-
fecturâ vetere cæterorum opem poſcebant. Poſtremò tamen, poſt conten-
tiones longas, ij, qui præſentes aderant, ordines Huneſgonij, Fivelingij, Rei-
derij, Præfecturæ veteris, Langowoldij, Fredowoldij, Hummerzij, Medachij,
autoribus his ipſis, quos antè dixi, Foccone, Hiſcone, Ennone, Imelone, in
gratiam reip. totius, & concordiæ, in certa capita, quæ in autographo ſigillis
adhuc inſtructo mihi viſa lectaque ſunt, conſensère. Quorum præcipua, & me-
moriâ poſterorum digna, ſunt hæc. *Rebus ſuis, ſuo iure à maioribus accepto utitor qui-
libet pro arbitratu ſecundùm leges, onerâque rebus coniuncta ſimiliter modo & more ſolito
ferto: Alterum in ius vocaturus, vocato nõ alibi quàm ad tribunal loci, in quo is ſedem ſuam
habet: Si de prædio aut hæredio quovis lis erit, litigator in eo etiã territorio aut loco, quem-
admodum lex provincialis vetus iubet, quo in territorio aut loco prædium hærediúmve eſt
ſitum: Eccleſiaſticis hominibus privilegia ſua in his integra manento: Suæ litis ſe iudicem fa-
ciens, hanc ipſam ob cauſam litem perdito: Quælibet agri pars inter Amaſum & Lavicã pro-
prio iure ac legibus utens, pro magnitudine ſui binos, quaternos, ſenos, octonos, conſultiſſimos
ac optimos ſuorum eligito, qui iudices maiores ſint biennio proximo, iudicéntque controver-
ſias ſecundùm morem & leges loci ſui: Hi ſingulis in vicis ſingulos binóſve alios deligunto
ex conſilio ſacerdotis & primorum in vico iudices minores, qui & ipſi ius dicant, infimis in
ſubſellijs; A quibus provocandi ad ſuperius tribunal agri cuiuſque ius omnibus eſto, hac
conditione, ut qui malè, ac ſine causâ provocaſſe invenietur, marcas veteres V ſuperioribus
iudicibus pendat, atque inſuper multam à legibus patrijs temerariæ appellationi irroga-
tam, iudici inferiori, à quo provocavit, ſolvat: Qui verò benè, ut auxilio ei ſint iudices ma-
iores; & quod ij ſtatuent, id ratum maneat, quo litium finis ſit; aut pœna luatur eiuſmodi ab
eo, qui non acquieſcet, qualem iudicibus addere ſententiæ ſuæ placebit; & iudex quoque infe-
rior ob ſententiam iniquam à ſe latam, multam ſuperioribus, more patrio, pendat: Biennio
finito, ſimili ratione vel continuantor iudices ijdem, vel novi ſurrogantor, pro arbitrio partis
cuiuſque: Iudex omnis in Friſiâ domicilium habeto, adeóque eâ in parte, in quâ exercere tri-
bunal debebit: Si quis diverſâ è parte eligetur, priuſquam tribunal occupet, fideiuſſores dato
integritatis ſuæ in iudicijs ſervandæ: iúſque eſto populo, ſi mali corruptíve iudicij convictus
idem fuerit, fideiuſſores de damno aut pendendâ multâ convenire: Iudex ob rem iudicandam
pecuniam aut munera qualiacunq; accipiens iudicandi poteſtatẽ amittito impoſterum, quo-
ad vivet: Si qua agri pars gratiæ, odij, factionis causâ conſentire fortè non poſsit in deligen-
dis iudicibus, nobilitas eius tractus, & ſacerdotes, adhibitis è plebe, quos volent, iudices ma-
iores legunto; quos legerint, biennium, perinde ac ſi à populo lecti eſſent, iudicanto, iudicéſque
minores vicatim conſtituunto: Libertatem harum terrarum nuper per Dei gratiam recupe-
ratã ſi quis opprimere ſive indigena ſive peregrinus conabitur, reprimitor: partiq; laboranti
pro libertate tuendâ ſuccurritor undiq; ſummis viribus: Item nobilis iudicio contumax, eiúſ-
que gratiâ præſidio ſe muniens, aut tumultum bellúmve concitãs, à iudicibus maioribus ad-
monetor ter, ut pacem non violet, ut iuri provinciali obtemperet; non parens monentibus, im-
plorato, ſi neceſſe erit, vicinorum, vel etiam totius agri auxilio, ita coërcetor, ut alijs exemplo
ſit: Ad hæc quoniã ex iure perplexo varióq; incommoda varia reip. exiſtunt, Sex-viri deli-
guntor, tres doctrinâ maximè illuſtres, tres in iure dicundo verſati, qui diſſentiẽtia iura pro-
vincialia redigãt in conſenſum, unúmq; ex omnibus ius efficiãt toti populo inter Amaſum &
Lavicam cõmune, tollant perplexa, explanent obſcura, aut ambigua: Ea iuris unius & plani*

 commu-

communio vinculum eſto & cuſtodia concordiæ in populo, & fraudum in iudicijs averruncatio: Si qua regionis pars ita eluvionibus erit afflicta, ut ſemet ipſa tueri non queat, atque ex eius calamitate damnum redeat etiam ad partes alias, ei ceteræ partes omnes inter Amaſum & Lavicam, quæ ſtipendia pependerunt hactenùs, auxilia conferunto anno uno, ne fana religioſa & cœnobia, quæ pietas maiorum extruxit, pereant: Vicarius epiſcopi Monaſterienſis cùm proximè in Friſiam veniet, à iudicibus rogator, ut hoc potiſsimùm tempore non ſinat plebem exhauſtam, víxque parem ferendis ſumptibus aggerum, & aliorum patriæ onerum fatigari itineribus ac impendijs non neceſſarijs; ſed cùm ipſe præſens in Friſiâ non erit, aut præpoſitis, aut alijs duobus tribûſve à iudicum ordine editis in ſingulis præpoſituris, hominibus idoneis ac doctis iuriſdictionem ſuam committat: Laicus cum laico litem habens apud iudicem politicum eam perſequitor incolumi iure ſacri ordinis: Cis ultráque Amaſum habitantes commeanto & commercia habento inter ſe libera, ſervato vectigalium modo veteri ac legitimo: Æris alieni causâ temerè haud quiſquam detinetor: Aggerum onera, qui prædia poſsidet, præſertim in Præfecturâ veteri, nemo declinato; ſi quis fecerit, poſtquam ſatis monitus erit, prædia amittito; ea reip. cedunto. Drentini & cæteri compelluntor quâratione, quâ vi, ut aggeres, quos ſolent curare, ad avertendas aquas paluſtres ab agris Friſiorum, curent etiam nunc; ſi nolint, Focco & ſocij cæteri in Amaſanâ, auxilium in eos rogantor: Qui agrum tenent trans rivum Dammonenſem ab Delfſilâ uſque ad pontem altum, non procul Groningâ, unà cum Duirſwoldijs, qui ſunt cis eundem rivum, opem ferunto ijs, qui in Præfecturâ veteri ſunt, in excitando novo aggere contra fluctuum vim ab occidentali Reidâ ad paluſtrium uſque intima: Hi verò ſi pares non erunt oneri, auxilia porrò poſtulantor à totâ inter Amaſum & Lavicam regione: Antè Pentecoſtes quælibet præfectura patibulum excitatum habeto ſuſpendẽdis furibus, qui quatuor aureis maius furtum commiſerint. Hæredes capite damnatorum, res eorum omnes conſequuntor, nec fas eſto magiſtratui quicquam decerpere. Focco, Hiſco, Enno, Imelo ordinibus Tranſamaſanis, & hi viciſsim illis auxilio ſunto in bellis iuſtis & legitimis: Excipiunt Focco cum ſuis epiſcopum Monaſterienſem, ob nuper initum cum eo fœdus: utra pars auxilium petet, auxilij etiam ſumptus ſuſtineto: Fœdus hoc firmum & ſanctum eſto, eorum, quæ præſcripta ſunt, ſervandorum gratiâ, in annos XX: *Si qua intereà diſſenſio de capitibus his orietur inter ordines Tranſamaſanos, arbitri eius Focco & cæteri Ciſamaſani ſunto.* Et hæc quidem tum decreta: quod accidit anno, quem notavi, M.CCCC.XXVIII, die ſexto à ſolenni reſurrectionis Domini feſto, Conſulibus in rep. oppidana Ditmaro Rengero, Ludolfo Sickinga, Eberhardo Hubbeldingo, Folchero Mauriſſingo. At oppidani, cùm his de rebus accepiſſent, tumultuantes domi, ac ſecum frementes, quòd viribus ſuis ſe pares non eſſe conſenſui, & copiis cæterorum ſcirent, operam dedêre, ut in finitimis agri partibus, ac ubicunque poſſent, alios quoque ad turbanda pacta, armaq́ue pro veteri reip. formâ, id quod ſpecioſum ad vulgus erat, capienda concitarent. Inveneruntq́ue in Medachiis, Langowoldiis, Humerziis, non paucos, qui horum ſermonibus perſuaſi hoſtes novarum legum ſe profiterentur. Quorum princeps à Groninganis incenſus ambitioſo ingenio vir Hiddo Tamminga cæteram multitudinem commovebat. Sic Fócconi nova pugnandi cauſa data: qui iſtuc profectus cum exercitu, cùm huc illuc ſe incitaviſſet, fugatis aut cæſis, qui morari iter erant auſi, ac rebus inimicorum longè lateq́ue afflictis, in Hiddonem tandem incidit oppidanis æquè copiis, (nam huic ſe conjunxerant, qui erant ex oppido emiſſi) ac manu ruſticâ ſuffultum. Quem cùm pugnâ excepiſſet, victumque & captum, (nuſquam enim Fócconem fortuna deſeruit) aſtantemq́ue ſibi interrogaſſet, quid ipſe facturus eſſet tali victoriâ potitus, captivuſq́ue importuniùs fortè, aut imprudentiùs reſpondiſſet, occiſurum ſe hoſtem, præcipiti ſuperatus irâ, manu ſuâ eum ferro trajecit. Id facinus ut ſummæ illi invidiæ atque odio apud omnem nobilitatem, maximeq́ue apud propinquos occiſi fuit, ita gloriæ ejus inſignem inuſſit maculam: quinimò & irritato in vindictam numine, & hominum animis ſævitiæ opinione offenſis, perpetuum fælicitatis ejus curſum abrupit. Quippe cui

cuncta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

cuncta ex hoc tempore adverſa ferè ceciderint: præclaro mortalibus documento, nihil inimicius Deo eſſe inſolentiâ crudeli: eâ velut peſte gratiam illius, & fortunam ſecundam fugari. Sed odio illi finis tandem ex nuptiis quæſitus, Bawâ Fecconis filiâ liberorum Hiddonis maximo Ewoni deſponſatâ. Quæ tamen nuptiæ ſteriles mansére, ſic providente forſan numine, ne iidem nepotes alterum paſſum, alterum patrantem facinus tam atrox cenſere avos ſuos poſſent. Verùm Ewoni frater fuit Onno equeſtri honore illuſtris, quem apud Cypri regem promeruit; qui genitis ex Gelâ Manningâ Lutheti filiâ liberis compluribus, Euſumanos propagavit, ut ipſi Euſumani volunt. Sed ad Fecconem redeo. Is cùm tertium hunc hoſtilium copiarum ſummum ductorem poſt Nicolaum archiepiſcopum, & Occonem Broecmerium vivum in acie cepiſſet rarâ fælicitate, reliqui omnes æmuli perterriti ad ejus voluntatem ſe contulere. Civitas etiam omnibus deſtituta auxiliis, tempori parens, inducias aliquot annorum cum eo inijt neceſſarias magis, quàm prioris memoriæ rebus geſtis congruas. Ita enim eas admiſit victor, ut magno auri pondere non ſolum civitatem, ſed omnes per agrum, qui in partibus civitatis fuerant, & rebus ipſius ac ſociorum damnum dederant, mulctaret. Cætera omnibus integra reliquit, quæ ſcito priori non erant contraria: nominatim verò fœdera priùs icta. Præs pro civitate factus ſolvendæ pecuniæ, idemque induciarum conciliator Albertus Hugingius. Quod reliquum æſtatis eo anno, id eodem in agro magnâ ex parte Fecconi actum, dum ea, quæ in fœdere nuper perſcripta comprehenſaque erant, velut fœderis dux exequitur, omniaque in ordinem armatâ autoritate præſens redegit. Extatque adhuc diploma ejus, quo patrocinium abbati Muntenſi in Præfecturæ veteri, rebuſque ejus omnibus cum Sibeto genero, & tribus filiis Vcone, Vdone, Sijone promittit menſe Septembri ejuſdem anni ſcriptum. Simul etiam, permittēte an ignaro Foccone, Groningani, Medachij, Hummerzij, Fredowoldij, inter ſe ipſis Calendis Auguſti, & rurſum iidem, demptis Fredowoldiis, cum Oſtergois, Weſtergois, Smalinganis, Vpſteranis, & nominatim cum oppidis omnibus earum regionum, ſolâ exceptâ Franequerâ, ſub exitum ejuſdem menſis Auguſti, *de pace tenendâ, de turbarum autoribus domeſticis coërcendis, de peregrinorum principum, aut quorumvis aliorum armis contra libertatem & remp. ſociorum ſumptis communi ope repellendis, de perduellibus puniendis, de contumacibus redigendis in ordinem, fœdus inierunt in decennium*, Foccone nec excluſo diſertis verbis, nec comprehenſo. Fœderi priori cum ſolis Ciſlavicanis adſcriptum, *ne iura ac iuriſdictiones cuiuſquam turbarentur; ne quiſquam ſine gravi & iuſtâ causâ in exilium ageretur: graſſatores finibus arcerentur; auxilia promptè præſtarentur: mulctæ in ærarium commune conferrentur, earúmque ſemiſſis cederet civitati: novarum & periculoſarum rerum autores coërcerentur coniunctis viribus: cùm ad arma eſſet eundum, obſides mutuò darentur, iique honeſtè haberentur: à tribunalibus agrarijs provocatio eſſet ad conventus iuridicos Groningæ agendos quater quotannis, aut pluries, prout commodum aut neceſſarium Hovetmannis oppidanis, & iudicibus agrarijs videretur: illic ultra tertium conventum lis non extraheretur: iudices inferiores à ſe latas ſententias ibidem tuerentur: fures, incendiarij, latrones, proditores, aliorum facinorum capitalium rei ſeverè punirentur ſecundum leges; cædes conſulis, aut ſenatoris, aut Hovetmanni, aut iudicis agrarij, aut alicuius è ſacro ordine in conventu, aut itinere conventus ergò facto patrata duodecuplâ mulctâ, aliorum ſextuplice lueretur: ſi reus in ære non haberet, ſex propinqui eius mulctam penderent, aliáque ad eam rem pertinentia: ſocij hi agrarij tributum ne conferrent, niſi publicè aſſentirentur: nec arma ſumerentur præterquam ex decreto communi: petentes admitti in hoc fœdus admitterentur.* At Focco omnibus, quorum causâ ab initio iſtuc venerat, confectis, ac pace ubique conſtitutâ, inclinante jam autumno cum ſuis in Ciſamaſanos rediit. Cujus reditum ingens ſtatim incommodum ſecutum eſt ex tempeſtate, cùm Oceanus aggeres tranſgreſſus omnes Friſiæ agros inundaret. Id diluvium, quod IIII Non. Octobr. eveniſſet, qui dies

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Franciſci Aſiſiatis memoriæ ſacer erat, Franciſcanum appellatum. Nec multò pòſt à Groninganis de damno Dichuſano, uti convenerat, Fokconi ſatisfactum
M.CCCC. pecuniâ, ut teſtantur litteræ ejus pridie Calend. Decembr. ſignatæ. Primis de-
XXIX. inde anni ſequentis diebus Hiſco Emdanus morbo correptus, inclinante Ianuario, deceſſit Emdæ, unico omnium opum hærede nuncupato Imelone filio: Exemplum ludentis in rebus hominum divinæ providentiæ; quippe cùm floruiſſet fælix diu inter ſuos, deinde extorris & inops per annos XIII, demum præter expectationem reſtitutus in integrum, ex inimico in carcerem detruſo gaudium percipiens, in patriâ placidâ morte inter amicos vitam claudens. Inter quæ ab abitu Fokconis tumultuari rurſum Marnæi, & qui Præfecturam mediam incolunt, contra Medachios, Hummerzios, & bonam Langowoldiorum partem cœpêre. Ipſa quippe innovatio hæc multa ex ſolitis commutans, ceu fit, priuſquam in conſuetudinem novata abeunt, diſſenſionum illis occaſiones & ſemina præbebat: Et accedebat ex pecuniâ Fokconi promiſsâ cauſa altera, cui contribuenda ſe Medachij cum cæteris in eâ parte ſubducere volebant. Vbi ad arma ventum, ſecutæ cædes mutuæ, incendia, direptiones, atque hujuſmodi, quæ arma comitantur, mala alia: & animis ſemel injuriâ atroce acerbatis non facilè poni fluctus intumeſcens licet parvo in mari, & ad tranquillitatem reduci potuit. Groningani tandem, qui cogere nolentes poterant, ſe interpoſuêre, & cum iis Rudolfus Adoardianus, Wabbo Marnæus abbates, Theodorus Beijerus in Hummerziis Præpoſitus, Vlferdus apud Baſſloos ſacrorum Præſes. Hi ex partium voluntate ſuſcepto negotio, acceptiſque utrimque obſidibus, & Groningæ in cuſtodiâ collocatis, poſt plurimas & moleſtiſſimas actiones in curiâ tandem Groninganâ prolatâ ſententiâ diſſidentes in concordiam redegerunt ſub finem menſis Iunij. De pecuniâ juſſerunt, ut Medachij, Hummerzij, Langowoldij, Fredowoldij, quibus non minùs redempta quies eſſet & gratia, quàm cæteris, quique non minùs quàm alij commiſerint in Fokconem, & ei cauſam ſumendorum armorum præbuerint, non minùs quoque quàm cæteri eam ſolvant, aureos ſcilicet ex omni ſummâ Arnhemicos DCC. L. Sed quoniam Marnæi, & eorum ſocij in præfecturâ dimidiâ in his tumultibus vehementer afflixerant partem alteram, ſtatuerunt, ut ejus gratiâ ſummæ iſtius dimidium pro afflictis hi penderent, reliquum ſemiſſem Medachij, Langowoldij, Fredowoldij, qui hiſce turbis ſe miſcuêre, aut actioni huic non adhibuêre aſſenſum, exſolverent antè Idus Auguſti: intereà in ſolutum cederet, quod jam à Medachiis eſſet numeratum: cæterarum injuriarum nulla haberetur ratio: obſides ex urbe dimitterentur non antè quàm ſumptuum in hanc actionem facta eſſet à partibus reſtitutio: non parentibus ſententiæ huic mulcta eſſet aureorum Francicorum bis millium: contumaciæ vindices cum cæteris parentibus ſe futuros Groningani ſunt profeſſi. Quâ controverſiâ ſublatâ, ſtatim Medachij, Langowoldij, Fredowoldij, Hummerzij amicitiam & fœdera priora cum oppidanis inſtaurarunt, eoſque alij, qui in orâ ſunt ad Septentrionalem agri partem, eadem in re ſunt ſecuti: quod ipſorum, quæ etiam nunc extant, teſtantur litteræ. Quo tempore Groningani ab Hamburgenſium claſſiariis injuriâ læſi, civium ſuorum rebus direptis, conſilium ceperunt perſequendi eos, qui ex Hamburgenſibus negotiationum causâ ad littora & portus Ciſamaſanæ Friſiæ accederent. Quâ re cognitâ Fokco Leranus, Sibetus Ruſtrus, Imelo Emdanus, Vdo Nordanus Fokconis filius communibus litteris ad ſenatum ſcriptis oſtenderunt, vicinorum incommoda meritò dolori ſibi eſſe, & ſi facultas adſit, non deeſſe voluntatem providendi, ne quid hujuſmodi fiat impoſterum: cupere enim quæ cum ipſis pacta habeant, ea integrâ fide iiſdem ſervare: Veruntamen monitum ſenatum velle, ne quid agant improvidè in ulciſcendis inimicis: nam ſi ipſorum in agris aut littoribus eos violent,

non poſſe ſe, neque velle læſorum injurias negligere: Ita conſilium illud ab
oppidanis tum dimiſſum. Interim in Friſia Occidentali, anno antè hunc pro-
ximo M.CCCC.XXVIII, non multò pòſt repetitum de tenendâ pace fœdus,
velut in contemptum legum novum facinus & atrox commiſſum, atque ex M.CCCC.
eo turbæ novæ. Quippe Wibo Mennemius cum Bentone Rommerio aliiſque XXVIII.
per agrum Geſtanum Sciringicæ factionis nobilibus Petrum quendam ſacer-
dotem Wyckelianum, ſuo in pago circumventum captumque, ac multis af-
fectum verberibus lethaliter convulnerarunt. Erat Petro filius Aggæus Sin-
delij habitans in domo lateritiâ bene firmâ. Ad hanc cùm vix animam tra-
hentem ſaucium raptaſſent, juſſerunt ut filius aditum patefaceret, niſi vellet
patrem ſuum confeſtim interfici videre. Feciſſetque ſtatim ille, quod poſce-
batur, dolore commotus, ſi non ipſe pater, lethalia ſe jam nunc vulnera ha-
bere, atque à morte parum abeſſe clamitans, id vetuiſſet. Quam ob cauſam
illi indignantes è veſtigio eum interfecêre. Aggæus verò juſtiſſimâ in vindi-
ctam irâ ex dolore incenſus, patriâ excedens, conductoque peregrino milite
anno proximo reverſus Wibonem primùm occîdit, deinde reliquos etiam ejus
ſocios aut ferro interemit, aut ad extremas miſerias redegit. Et cùm Sciringij
quidam manu factâ, quibus id indignum videbatur, ipſum ſuâ in domo obſi-
dere tentaſſent, ipſe erumpens in fugam cunctos egit, nonnullis quoque
interfectis: in quibus Edo Kempius fuit, præcipuus in factione,
cujus corpus in cœnobio Thaboritano eſt ſepultum.
Poſtremò, interventu aliorum pax
inter eos facta.

SECVNDÆ DECADIS FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

RERVM
FRISICARVM
HISTORIAE
DECAS TERTIA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Ampliſsimis viris, nobilitate, ſapientiâ, virtute, dignitate præſtantiſsimis,

CONSVLIBVS
ET
SENATORIBVS
inclytæ Reipub.
GRONINGANÆ,

Dominis ſuis plurimùm colendis.

HISTORIAM *gentis noſtræ ſcribenti, ampliſſimi & nobiliſſimi Viri, ſapientiâ, doctrinâ & virtute præſtantiſſimi, idem mihi accidere experior, quod ijs ſolet, qui longinquis è maribus navigando domum contendentes, ad propiora paulatim & notiora littora accedunt. Nam prima & antiquiſſima cùm meditabar ac ſcribebam, ob caliginem rerum à memoriâ noſtrâ maximè remotarum penè velut alieno & ignoto ſub cælo verſari mihi videbar. Vbi verò progreſſus ſum aliquouſque, & ad ea, quæ temporibus noſtris viciniora ſunt, acceſſi propiùs, non ſolùm copia memorabilium rerum, ſed etiam certitudo maior, ac lux omnibus explicata circumſtantijs ſe mihi cœpit aperire. Itaque ut navitæ hilares ſtudia acuunt ſua, cùm patrios portus penè ſub conſpectu habent; ita mihi cum hoc progreſſu ipſa quoque ſuccrevit alacritas. Nam non ſolùm cognitionis expoſitioniſq; certioris ac plenioris in rebus noſtratibus quædam voluptas, ſed etiam velut è vicino proſpectus laborum finis animum meum incitarunt. Alacritas verò laboris onus quoque multum minuit. Ita accidit, ut pergam in cœpto conſtantiùs & faciliùs. Et cùm ſciam multis viris virtute & doctrinâ præſtantiſſimis, tum exteris tum noſtratibus, non diſplicere hoc ſtudium meum, non ſino ſanè unius me atque alterius livore & calumniâ tardari: quinimò contemno eos, quos ſibi magis quam mihi officere non ignoro. Se enim invidi conficiunt, & qui obtrectant alijs, ac abſentes rodunt, apud eos, qui iudicio pollent, exiſtimationis ipſi ſuæ naufragium faciunt. Animos namque degeneres produnt improvidi, & aliorum ſæpè vitiorum ſuſpectos ſeſe reddunt. Id quod Patavinus ille magnus hiſtoricus teſtatus eſt, cùm de Annibalis Pœni obtrectatoribus apud Antiochum ait, Nulla ingenia tam prona ad invidiam eſſe, quam eorum, qui genus ac fortunam ſuam animis non æquant, quòd virtutem ut alienum bonum oderint. Sed ea mitto. In decuriâ hac, quam nunc emitto, ſeries rerum expoſita eſt, quæ in univerſâ Friſiâ inter Flevum & Viſurgim geſtæ ſunt ab anno* M. CCCC. XXVIII *per annos proximos circiter* LXIIII. *quo temporis curriculo quietis plus ab armis inteſtinis & externis in Tranſamaſanis, plus diſſenſionum ac motuum civilium externorumq; inter Amaſum & Viſurgim fuit. Et civilium quidem motuum finis fuit Vlrici Grethani principatus, populi voluntate, Imperatoris aſſenſu conſtitutus, fælicioris in hac ſcenâ, & ingenij dexterioris in conciliandis tractandiſq; populi liberi animis, exemplo patris fratriſq;, quàm qui antè eos idem tentaverat, Focco Leranus. Qui cùm aſperiùs & imperioſiùs inciperet agere cum creſcente fortunâ, quanquam carus alioqui ſuis, & magnâ autoritate, ac rerum geſtarum fælicitate & magnitudine fultus, tamen conſpiratione multitudinis liberæ, frenum mordentis, contumeliæ & onerum inſuetæ, ducibus iiſdem Grethanis, qui dominatum etiam quærebant, cum familiâ eſt everſus. At Vlrici frater Edſardus, qui familiæ viam ad potentiam munivit, & poſt eum Vlricus, comes, blandi, faciles, populares, ſpeciem imperij amoventes, imperium ſpecie libertatis obtectum tenentes: quibus artibus hic fæliciter tandem eò pervenit, quò contenderat. Imperium ſcilicet ſibi & ſuis conſtituit hæreditarium, attemperatum conditioni liberæ gentis. Quod à morte eius uxor vidua, & filij adoleſcentes exceptum pari prudentiâ geſſerunt, bellaq; à vicinis mota fæliciter repulerunt. Interim leviter quaſſatâ pace inter Amaſum & Lavicam, fœderáque inita, ampliata, prorogata cum civitate Groninganâ ſæpius, eorum confirmatio apud Imperatorem quæſita; diſſidij aliquid ortum indè, & compoſitum; civiles factiones in urbe natæ, & ſopitæ; civitatis & agri fortuna communione fœderum non parùm aucta. Simul trans Lavicam factiones aliquoties erumpentes fœderibus etiam ſanatæ, & tranquillitas ac pax revocata; fœderum cuſtos ac vindex reſp. Groningana conſtituta, quæ iſtuc faſtigij rebus benè*

gerendis conſcenderat eo tempore, tantumq́; nomen ſibi atque exiſtimationem virtute, ſapientiâ, dignitate rectorum paraverat, ut Fridericus Imperator, ſenatum eius univerſum, qui tunc fuit, quiq́; imposterum erat futurus, dignum iudicarit, qui in equitum auratorum ordine cenſeretur. Quibus omnibus exponendis nullum mihi maius ſtudium fuit, quàm verum dicendi, & faciem rerum ac temporum iſtorum quàm ſimpliciſſimè ponendi ob oculos. Atque ita neceſſum fuit, de hominum conſilijs & factis cùm ſcriberem, quorum nemo ſine vitijs vivit, ſæpè me ſcribere, quæ laudem habere non queunt. Quod ſi indignè laturi ſunt eorum poſteri, alterutrum committent, ut fateantur aut hiſtoriæ legi ſe iraſci, quæ ſine gratiâ atque odio, ſine ſpe ac metu iubet verum prodere, aut mihi ſuccenſere, quòd laborem hunc eruendi è tenebris noſtratia, & poſteritatem eo modo iuvandi in me ſuſceperim. Hanc verò partem operis mei vobis inſcribo, viri nobilitate, doctrinâ, virtute, dignitate præſtantiſſimi, & veſtro ampliſſimo nomini conſecro. Ita enim de litterarijs hiſce ſtudijs, & de me ipſo meremini. Liberali enim ſtipendio litterarum propagationem fovetis, & mihi perhoneſtum in hoc inſtituto atque in repub. veſtrâ locum tribuiſtis, meq́; perpetuâ & ſingulari benevolentiâ ab eo tempore, quo hic apud vos vixi, proſecuti eſtis; denique meum hoc, quod ſucciſivis horis tracto ſtudium hiſtoricum, favore ac auxilio veſtro, adapertis mihi ſincerâ mente copioſiſſimis reipub. veſtræ archivis, ut oſtendi nuper, cùm ſecundam partem emitterem, haud parùm adiuviſtis. Quibus ego quid poſſim aliud præſtare viciſſim, quàm ut inſcriptione huiuſmodi publicâ obſervantiæ erga vos meæ, & grati animi teſtimonium ac pignus etiam apud poſteros deponam? Quapropter A. A. V. V. rogo, ut dedicatum vobis laborem hunc ſerenâ fronte accipere, &, ſi neceſſum ſit, veſtro patrocinio contra obtrectatores Zoilos unà cum autore eius tueri non dedignemini. Valete, Poſtridiè Calend. Martij, ANNO M.D.XCIX.

A. A. V. V. obſervantiſſ.

VBBO EMM.

RERVM

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XXI.

EODEM tempore in Ciſamaſanis vacillare quoque concordia, & verti M.CCCC.
in ſe ejuſdem poſtremi fœderis, ejuſdemque victoriæ ſocij occultis XXIX.
odiis cœperant. Multæ de Foccone querelæ tacitè ſparſæ, qui rece-
ptis confectiſque, propter quæ bellum in Occonem nuper fuerat mo-
tum, tamen contra expectationem atque oſtentatam ſpem in vinculis
adhuc eundem retineret, & præter cætera captivo ablata Broecmeriam om-
nem agrumque Auricanum non ſecus penè ac ſua poſſideret: quam ob cau-
ſam, niſi ut in vinculis marceſcente Occone ipſe per has opes aditum ſtructum
haberet ad totius Friſiæ vicinæ imperium ſibi vendicandum? Et quid aliud,
præter iniquam cupiditatem hanc in Occone juſto ſociorum bello caſtiga-
tum? cur arma nuper ab omnibus ſumpta? An ut eo in ordinem redacto, hic
ſe ſubſtitueret etiam ferocior dominus, quo duce bellum eſſet geſtum? Nec
ſanè abs re. Quippe perpetuus ille victoriæ curſus animum Focconis non pa-
rum perverterat, ut jam deſpicere cæteros velut impares, & cum victis quo-
que agere aſperiùs inciperet. Id verò, ceu ſolet, odium ei conflavit: odioque
etiam livor aliquis in creſcentem ſe miſcuit. Nam quod fœderis nomen, labo-
res, pericula ſecum communicari, manubias apud ſolum Focconem manere
viderent, id æquo ferre animo plerique non poterant. In his Enno Grethanus,
& duo ipſius filij proximo Broecmerio ſanguine nati, ſi pro victorum manubiis
habendæ res Occonis eſſent, neminem in his ſibi præferri debere arbitraban-
tur: nec verò ideò ſocialia à ſe arma geſta, ut bello confecto avorum ſuorum
opes apud alios aſpicerent à genere Broecmerio alienos; præmiaque geſtæ rei
eſſent apud eoſdem illos, invidia facti propinquis tantum relinqueretur. Wiar-
dus autem Vphuſanus è familiâ Valderanâ, eodem quoque ſanguine ortus,
quanquam eadem ſecum reputaret, aliis tamen etiam cauſis propioribus
movebatur. Aurum quippe Focconi mutuò dederat ad conciliandos Mona-
ſterienſes, cohortemque CC militum cum Vdone præfecto Focconis filio, ro-
gante eodem, & de ſolvendis impendiis, ſarciendiſque detrimentis ampliſſimè
promittente, bello Occoniano Vphuſæ receperat penè invitus, ſumptuque ſuo
aluerat ad totum annum: Nunc bello finito, victoriâque partâ, nihil ab eo for-
tunâ inflato præter inania aut ferocia verba querebatur impetrare ſe poſſe.
Simul in Imelonem Oſterhuſanum nõ integrè ſarta gratia per Grethanum ſibi
reconciliatum florentem tum Focconis amicitiâ, & in partem prædæ quoque
vocatum, item in Imelonem Emdenſem aviti caſus triſtiſſimi memoriâ invi-
ſum, quos una mens, una voluntas cum Foccone ſociaverat, occulta malevo-
lentiâ agebatur. Et horum ſe ſtudiis ac voluntati Wibetus Eſenſis, Hero Om-
conius Stedeſdorpianus in Harlingiâ, & Sibrandus Edelſhemius in Amaſa-
nâ, incertum an propriis etiam rationibus impulſi, accommodabant. Verùm
quod animo quiſque ſuo minùs honeſtum conceperat, id penitùs abditum
honeſtiſſimâ ſpecie ſtudij defendendæ libertatis popularis obtegebat. Quod
cum facerẽt, magnam inſuper plebis gratiam ſibi adjiciebant, magnam Focco-
ni & Focconianis invidiam conflabant. Et jam eò proceſſerat res, ut de reme-

diis ingruenti malo adhibendis pauci primùm inter ſe in populo, timideque,
dein cum pluribus etiam paulò liberiùs loqui cæptarent. Quibus per indi-
cium acceptis, uterque Imelo, quorum non animus ſolùm, ſed cauſa quoque
& fortuna cum Foccone cohærebant, quòd ſe primùm tempeſtati hujuſce-
modi, ſi qua eſſet ventura, expoſitos intelligerent, ſolliciti de ſubſidio ad Sibe-
tum Ruſtrum ſe contulêre menſe Martio, ſimultate ab ſe paulò ante abalie-
natum. Quâ ſimultate prudenti conſilio compoſitâ, fœdus cum eo ſeor-
ſim inierunt. Fœderis ſumma hæc fuit. *Si Imelones controverſiam haberent cum
alio, quam bonorum virorum iudicio ſubmittere non abnuerent, adverſariúſque eſſet is,
quem ſuſtinere Sibetus poſſet, tum Sibetus idem his auxilium ferret non ſolùm in Friſiâ, ſed
etiam extra Friſiam: hi ſtipendia in militem, cæteróſq; expeditionis ſumptus ſolverent. Idem
Sibeto periclitanti eâdem ratione Imelones viciſſim præſtarent: fœdúſque eſſet heredita-
rium.* Sed priori alia quoque maturandi hujuſce fœderis cauſa acceſſit, me-
tus communis ab Hamburgenſibus, & cæteris Occonis ſociis. Hi quippe
Danici belli fortunâ adversâ tandem liberati non neglecturi ampliùs injurias
captivi putabantur. Nec erat iis quicquam proclivius, quam Imelonum &
Sibeti res ex Viſurgi, Iadâ, Amaſo excurſionibus maritimis affligere: atque
hoc facturos frequens tum fama ferebat. Quam ob cauſam augendis muni-
tionibus ſuis hi omnes quoque in eos caſus ſummo ſtudio incubuerunt. Ru-
ſtrus Sibetoburgum in Iadæ orâ, Emdenſes oppidum ſuum operibus & rebus
neceſſariis inſtruxerunt: Oſterhuſanus verò præter arcem, quam Oſterhuſæ
habebat, ipſum quoque vicum Oſterhuſani vallo terreo & latâ foſsâ auxilio
ſuorum cœpit cingere. Idemque Focco & filii ejus Leræ, Olderſhemi, Au-
ricæ, Nordæ fecerunt, ad quos periculum non minus quàm ad cæteros tan-
dem venturum non erat dubium. Nec tamen præter famam quicquam eo
tempore à civitatibus maritimis provénit, propterea quod inexpectatis do-
meſticis ſeditionibus ex bello Danico exortis Hamburgenſes, Wiſmarienſes,
Roſtochiani eo fortè tempore agitati ad longinqua extendere curas non poſ-
ſent. Quapropter Occonis etiam propinqui Loquerdici, quique alii ſortem
ejus miſerabantur, fruſtraneâ ſpe iſtius auxilii aliquandiu deluſi ad propiora
tandem reſpicere, domique conſilia coquere liberandi è cuſtodiâ captivi, ten-
tare occultè nobilium animos, quibus inviſas fieri Focconis res animadverte-
rant, obliqueque ad capienda pro libertate arma impellere. A quibus cùm
rejicerentur, quod ex his Occoni plerique non benè vellent, cæteri rem non-
dum maturam exiſtimarent, Broecmerios incitarunt ad projiciendum, quod
primo adhuc in auctu erat, Focconiani imperii jugum. Ab his reſpondenti-
bus timidiùs, quippe qui ſoli periculum in ſe recipere non auderent, auſuri, ſi
auxilii ſpem viderent, ad Oldenburgicum Comitem vicinum, Focconi ini-
micum, & Nicolaum Bremenſem archiepiſcopum ignominiâ cladis prioris
adhuc æſtuantem ſe contulêre. Archiepiſcopus quanquam vindictæ cupi-
dus, fas tamen haud eſſe exiſtimans propter datam nuper fidem bellum à ſe
in fœderatos Friſios inſtaurari, canonicos Eccleſiæ ſuæ, & cæteros diœceſis
ordines, perinde ac ſi hoc ad fidei religionem non pertineret, clam inſtiga-
vit, ut ſubmiſſis oportunè quantuliſcunque auxiliis bellum civile in Friſiâ rur-
ſum incenderent. Illi, licet bello propiore, aut belli præludiis tum diſtineren-
tur (à Ioanne enim Hoijenſi Comite, fratre ejus, qui Deterano prælio fuerat ca-
ptus, graviter tum temporis rurſum diſſidebant, armaque ejus rei cauſâ jam
prehenderant) tamen occaſione illecti manipulos aliquot in ditionem Theo-
dorici Oldenburgici miſêre, ut conjuncti cum iis, quos ſe quoque auxilio mil-
M.CCCC. ſurum Comes receperat, in Friſiam proficiſcerentur. Intereà auxiliorum ho-
XXX. rum ſpe, & ſimultatis inteſtinæ partium Focconianarum fiduciâ, quam ſine
leſcere animadvertebant, Broecmerij tumultuari cœperunt, attamen ſine nomine
publico adhuc conſilio. Præſidebat tum fortè arci Auricanæ patris nomine
Vdo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Vdo Nordanus, milite & opere probè munitæ, totamque illam viciniam ex
hac ſede gubernabat. Is cùm turbulentiùs agere Broecmerios, novaque ver-
ſare conſilia ſenſiſſet, quò in officio eos contineret, metum ex aſperiore im-
perio admovendum putavit. Quâ re irritati magis illi, quàm compreſſi, ad-
hibito, quod oportunè evocatum advenerat, Bremenſium & Oldenburgen-
ſium auxilio, partem juventutis ſuæ in Nordanos primo vere emiſerunt.
Quod ideò factum ab iis, partim ut Vdonem, qui fortunarum ſuarum do-
micilium habebat iſtic, ulciſcerentur, partim ut opidanis, quorum operâ
Vdo utebatur, quique Broecmeriis ſimulachra quædam bello priore abſtu-
lerant, vicem referrent. Nordani de adventu eorum certiores facti, quan-
tum quiſque potuit rerum ſuarum in arces Vdonis veterem ac novam ſubitò
comportarunt, ſeque in eaſdem receperunt. Multi etiam, qui audaciores cæ-
teris erant, cùm recipi omnes in arces non poſſent, cœnobium Dominicanum
tumultuario opere communitum, præſidio inſederunt. Quo cum Broecmerij
veniſſent, direptis, quæ in opido ſupererant, reliquiis, arcem veterem proximè
aggeres oppido cohærentem, ſeu quòd imbecillem maximè crederẽt, ſeu quòd
ampliſſimam in eâ prædam, ſi caperetur, expectarent, oppugnare adorti, cùm
id non ſuccederet, obſidione premere, atque interim armis laceſſere inſtitue-
runt. Sed cùm ſecuriùs fortè agerent, non multis poſt reſurrectionis Domini
feſtum diebus, repentino turbine ex arce & cæteris locis munitis in eos effuſo,
magnâ ſunt cæde perculſi. Tum verò aſperati magis quàm fracti, majoribus
auxiliis evocatis, relictâ arce in cœnobium impetum verterunt: eoque per vim
occupato, direpto, exuſto, cunctis, qui id inſederant, in captivitatem abdu-
ctis, ſeſe domum retulerunt. Ex hoc principio ſtatim latè ſe diffudiſſet bel-
li incendium, niſi metus ex communi hoſte interveniens diffluentem par-
tium Focconianarum conſenſionem, & jam jam in tumultus inteſtinos eru-
pturam, ad tempus rurſum collegiſſet. Nam primo hoc motu domeſtico con-
tra Fecconem rurſum concitato; Occonis ſocij, & maximè ordines Bremen-
ſes, incitante præſule Nicolao, Comesque Oldenburgicus confeſtim majora
auxilia impensè ſubmittere, faceſque incendio ſubjicere, atque ita ſe compara-
re planè, ut ad bellum ſe Friſicum accingere viderentur. Fœderati, qui ſuo id
malo futurum non dubitabant, ſimultatibus ad tempus ſepoſitis, invitati ab
Hoijenſi Comite, de quo dixi antè, in ſocietatem armorum cum eo contra or-
dines diœceſeos vicinæ conſensêre. Convenêre autem in capita hæc: Vt mutuo
ſibi partes auxilio eſſent in hũc hoſtem; ac ſi quid caperetur ex eo, quod in ſolo
eſſet Friſico, id Friſiis accederet; extra Friſiam, accreſceret Hoijenſi: fœdus
etiam ab Hoijenſis morte tranſiret ad fratrem ejus. Eo vulgato fœdere, ordines
Bremenſes repreſſi ancipitis diſcriminis metu. Sed Friſiorum titubans conſen-
ſus externo periculo levatus, haudquaquam perſanato ulcere inteſtino, opi-
nione celeriùs in bellum manifeſtum erupit. Etenim in populo, qui pro liber-
tate tacitè dudum conſpiraverant, nullâ magis re quàm munitionibus novis
aſperati, ſuperbiſque Fecconis reſponſis, compeſcendum omninò eum per
vim, priuſquam convaleſceret, & cogendum in ordinem putarunt. Quod cùm
Imelones intelligerent periculo proximi, à Sibeto auxilia ex Ruſtris & Oſtrin-
giis in cohortem deſcripta evocarunt, quibus iter liberum per fines Aurica-
nos in viciniam Oſterhuſæ erat. His Hollandorum manum claſſe advectam,
infenſam civitatibus maritimis Saxoniæ ob maris uſum conciliatam ſtipen-
dio, & factionis ſtudio in id per ſe pronam addidêre. Nec Focco cunctatus, qui
ſe potiſſimùm peti his armis non neſciebat, cum manipulis aliquot è vicinâ
diœceſi Monaſterienſi conſcriptis etiam ipſe in tempore ſocijs adfuit, ut cum
iis, quæ ad bellum pertinerent, conſtitueret conſuleretque in medium, deni-
que animos ſuâ præſentiâ, qui ſummus partium dux erat, perplexis & perter-
ritis confirmaret. Libertatis vindices, quos dixi, in quibus Enno Grethanus

cum filiis, Vphuſanus Edelſhemius, Eſenſis, Stedeſdorpianus è nobilitate principes & conſilii duces erant, legatis ad Oſterhuſanum primum, & fratris ejus filium Fridericum Larletanum, deinde & ad Emdenſem miſſis, qui poſcerent, Focconem ut defererent, munitiones novas populo libero ſuſpectas diruerent rurſum, libertatem cum cæteris aſſererent, in Focconem, ſi opus eſſet, arma etiam ferrent; cùm alienum ad hæc reſponſum tuliſſent dictatum à Foccone, populum ad arma vocatum ſine morâ in Oſterhuſanos duxerunt. Agminis præcipuus dux Enno Grethanus, quamquam ingenio placidus, & ætate tardus: agmen ipſum è plebe Amaſanâ, Broecmeriâ, Harlingiâ, parteque agri Nordani, cui novo nomen: & in his multi eorum vicorum incolæ, qui in fide Oſterhuſani & Friderici Larletani erant, quos cauſa & conſenſus moverat, ut pro Rep. & legibus patriis ſe quoque cum cæteris jungerent. Erat verò Oſterhuſanus cum fratris filio potentiſſimus facilè poſt Focconem & Ruſtrum universâ in Friſiâ. Oſterhuſam enim, Hintam, Suderhuſam, Lopperſhemum, Eiſinhuſam, Caninghuſam, Sircvverumum, Frebſumum, Canumum, deinde Larletum, Gerdeſweram, Folcherſweram, poſtremò Grimerſhemum, Wirdumum, Ienletum, Compam ſoli tenebant; & in his domicilia munita contra ſubitam vim habebant complura, arces verò præcipuas tres Oſterhuſanam, Grimerſhemiam, Larletanam, aggere terreo, & foſsâ cinctas. Larletum etiam integrum jam olim, Oſterhuſam autem nuper, ut oſtendi, ob belli hujus & excurſionum Saxonicarum metum, oppidorum in modum circumvallaverant. Atque hæc in Amaſanâ regione omnia, fæliciſſimâ Friſiæ cis Amaſum. Quos ſi diſcedere à Foccone compuliſſent, nervos potentiæ ejus ſe inciſuros fœderati arbitrabantur. Igitur cæteris familiæ hujus vel primo impetu captis, vel conſultò relictis, Oſterhuſam cum exercitu itum, in quâ familiæ princeps Imelo, & belli momentum præcipuum: quam ſi in poteſtatem redegiſſent, reliquorum rationem putabant haud fore difficilem. Quod futurum præſentiens Focco, qui Emdæ præſens in omnes pariter partes curam intendebat, velut diffidens præſidio priori, promptiſſimum quemque Emdenſium cum manu ſuorum, quos circum ſeſe habebat, paucíſque item ex Imelonis cohorte, in caſtellum Oſterhuſanum paulò antè exercitus hoſtilis adventum immiſerat. Poſitis ad Oſterhuſam caſtris, cùm ne tunc quidem præſentis exercitus timore à propoſito decederet Imelo, cui ſpes erat, populum poſt primum belli impetum moræ pertæſum ſponte ſuâ rurſum dilapſurum, ſibique ſi opus eſſet, non defutura in tempore auxilia, (ſic enim Focco perſuaſerat) tentata à fœderatis oppugnatio. Quæ cùm ſtatim non ſuccederet ex voto, (reſiſtebant enim præſidiarii caſtellaniq́ue fortiter, & opera valida non facilè ſuperari poterant) interimque eruptiones fierent, non parum detrimenti utrimque acceptum: obſeſſorumq́ue res, & eorum, qui iiſdem in partibus erant, ab obſidentibus, horumque ſociis longè lateq́ue afflictæ, raptæ, incenſæ, vaſtatæ. Tandem cùm videret Oſterhuſanus, hoſtium vires augeri indies, & majorem experiretur quàm expectaverat populi conſtantiam, ſua & ſuorum raptari, auxiliorum ſpem evaneſcere, amicos murmurare, & pacem poſcere, colloquium petiit: in eo, conditionibus auditis, cùm poteſtatem impetraſſet ad Fridericum Larletanum fratris ſui filium, & Focconem, ac Imelonem Emdanum mittendi, & eorum quoque voluntatem tentandi, Fridericumq́ue etiam, publicâ fide pro eo acceptâ, in caſtra evocaſſet, poſtremò pacem fecit cum fœderatis in has leges: *Im[illegible] vallum Oſterhuſæ circumductum, quod grave libertati Friſicæ videbatur, ſtatim ut demoliretur eorundem operâ, quorum id operâ nuper excitaverat: tum duodecim ex Amaſanis, Broecmeriis, Harlingiis delectos viros, qui parti utrique placerent, in arcem reciperet: his decem ex ſuo & Friderici nepotis ſui ſatellitio adderet, qui omnes tantiſper in arcis præſidio eſſent, donec cum Foccone eſſet debellatum, aut tranſactum, operámque darent, ne quid intereà ex eâ munitione detrimenti partibus inferretur: à factione adverſâ abſtineret: de-*

tioni

tiones ac facultates omnes, quas intra extráve Friſiam poſſederat hactenus, aut quicquid
deinceps iure provinciali vendicare ſibi legitimè poſſet, poſſideret tranquillè, ſibíque
haberet: Fridericus quoque cum cæteris rebus ſuis, tum Larleto cum omni iure uteretur,
frueretur, teneret uſque ad belli finem, eodem modo, quo tenuerat hactenus: uterque à bello
quieſceret, nec neceſſe haberet in Fucconem, & eiuſdem ſocios arma ſumere: Ruſtici Oſter-
huſani corporibus & fortunis liberi eſſent, nec aut oneribus gravarentur, aut iniuriâ affi-
cerentur: omnia neceſſitate expreſſa per hoc bellum irritâ eſſent utrimque: captivi dimit-
terentur: oblivio ſuperiorum iniuriarum eſſet: Lopperſhemiis, Suderhuſanis, Hintanis,
Grimerſhemiis eſſet impune, quod cum reliquis ordinibus hoc bello in Imelonem arma tu-
liſſent, iíſque omnibus domum redire, ac ſua ſine impedimento poſſidere liceret: cives Em-
dani, (quique ſtipendio Fucconis & Imelonis Emdenſis autorati Oſterhuſa-
nis auxilio miſſi erant,) *ſine noxâ cum omni inſtrumento, & rebus ſuis Emdam redire*
permitterentur: Hollandi & cæteri Germani milites, itémque Ruſtri & Oſtringij, quos
Sibetus ex fœdere Imelonibus miſerat, duodecim è ſuis mitterent Emdam, qui rationes
ſtipendiorum inirent cum Foccone & Imelone: atque intereà, quò tutum illis hoc eſſet,
Emdani cives cum cæteris velut obſides Oſterhuſæ manerent, donec illi rationibus con-
fectis reverterentur: Quo facto, omnes omninò auxilio fœderatorum inoffenſi, & ſine
periculo diſcederent domum: ipſi viciſſim fidem darent, innoxios & ſine iniuriâ cuiuſ-
quam iter ſe facturos, nec in patriâ quoque ſuâ fœderatis ullâ in re nocituros. In fine,
de Popcone quodam (quem ego Reindij filium illum, qui poſt præfectus Emda-
nus fuiſſe legitur, exiſtimo) ſubjectum, *ut ei tutò agere Emdæ, eodémque cum cæ-*
teris civibus uti iure liceret; nec ipſi ſolùm, ſed toti quoque eius familiæ, qualem habue-
rat tum, cùm Emdâ diſcederet. Hæc in tabulas relata, ab Ennone, Edſardo, Si-
brando, Wiardo, Wibeto, Herone, adjectis ſigillis ex conſenſu reliquorum
omnium confirmata ſunt, die XVII Calendarum Iulij. Confectis ritè omni-
bus, & hoc robore Focconi detracto, ad reliqua perſequenda confœdera-
ti ſe contulêre. Ac priuſquam ex agro Amaſano diſcederent, alios quoque
viros nobiles nonnullos iiſdem partibus inhærentes, in quibus Grothuſa-
num, Weſterhuſanum, Vttumanum, Wilgumanum, Petcumanum compu-
to, libertati moleſtos ſolo armorum terrore ad deferendum Focconem com-
pulêre. Apud Emdanos non idem potuerunt efficere, præſidio, munitioni-
bus, ſitu oppidi ſui, quod ne obſideri quidem poſſe ſine copiis nauticis, qui-
bus tùm adhuc noſtrates carebant, fretos, & majorum quoque auxiliorum,
ſi poſceret res, à Philippo Burgundo & Hollandis ſpem habentes. Itaque ne
vi quidem tentatâ, ne fruſtrà hîc bellum hæreret, ingruente præſertim meſ-
ſe, in aliud eos tempus diſtulêre. Quo tempore Vdo Nordanus oportunitatem
ſpeculatus, dum hoſtes patris his rebus occupantur, inimicos ſuos cum iiſ-
dem hoſtibus conſentientes per agrum Nordanum perſequebatur, multiſ-
que modis affligebat. Et cùm nonnulli in turrim templi Arrelani ex coctili
latere firmiſſimi operis receptum haberent; eâque turri pro arce uterentur,
hanc omnibus viribus oppugnatam cum propugnatoribus cepiſſe, & ruinis
in eum modum, quo jam apparet, deformaſſe dicitur. Ego, quod non ſatis
conſtat, affirmare non volo. At fœderati, meſſe vixdum peractâ, alacres ad ſigna
redeuntes, relictis aut ſepoſitis Emdanis, propiùs Focconem preſſuri, duobus
agminibus in duos ejus filios eodem tempore iverunt: quorum alter Olderſ-
hemum, Auricam alter, ut oſtendi, à patre acceperat, per quos via videbatur ad
patrem ipſum aperienda. Et robur quidem exercitus cum præcipuâ nobilitate
Auricam contra Vdonem converſum. Ad cujus adventum ſtatim plebs ruſti-
ca, quæ in illo agro eſt, ſponte ſuâ patronis libertatis acceſſit. Hoc enim inſitum
cùm omnibus penè hominibus, tùm maximè Friſiis, ut ubi occaſio ſe oſten-
derit, excuſsâ ſervitute, aut imperio duriore, ad libertatem, quæ tum armo-
rum cauſa præferebatur, feſtinent. Iis in ſocietatem acceptis, Auricam ab omni
parte premere incipiunt. Sed caſtellum opere & præſidio probè munitũ, & cui
præfe-

præfectus inerat tum fide, tũ virtute militari præcipuus, capi haud citò potuit. Eſtq; oppugnatio ejus & obſidio in ſerum uſque autumnum producta. Intereà pars altera populi pro libertate militantis, adjunctis ſibi Tranſlædanis, quiq; alij eâ in viciniâ durius imperium non ferebant, Olderſhemio obſeſſo imminebant, eoq; id jam redegerant, ut qui in præſidio erant cum Vcone, defenſionem longiorem deſperarent. Itaque colloquio petito de conditionibus deditionis agitatum. De quibus cùm convenire non poſſent, interponentibus ſeſe è nobilitate Tranſamaſanâ nonnullis, qui partibus Focconis innexi erãt, ab utriuſque res eſt arbitris permiſſa. Arbitri fuerunt Edſardus Grethanus Ennonis filius exercitus illius dux, Eppo Gockinga Brocœus, Haijo Ripperda Farmſumanus, Ailco Howerda Muntenſis, Ippo Walſenius Amdorpianus. Ab his poſtridiè Calend. Novemb. pax inter Vconem, & plebem confecta, & conditiones hæ dictæ ſunt. *Arx Olderſhemia cum munitionibus illæſa maneat, donec de Lerâ (quam oppugnare populus decreverat, niſi Focco propoſito abſiſteret) quid futurum, conſtet: Quòd ſi bellum ad Leram gerendum ſit, vallum Olderſhemium ſolo æquetur: de reliquo ædificio lateritio quid ſtatuendum, eorundem nobilium ſit arbitrium: Vconis coniux Heba honeſtè pro familiæ dignitate habeatur, eíque cum ſorore Etta, ac mariti miniſtris omnibus nulla moleſtia, nullum damnum afferatur: Vco omnibus prædijs, quæ ibidem Broecmerij tenuerunt, & quicquid aut pretio ipſe emit, aut ex hæreditate quacunque, & dote coniugis accepit, pro arbitrio ſuo utatur, fruatur: idem de prædijs Kenonis affinis eius, & Ettæ gloris valeat: Ex promiſſis, locatóque quæ Vconi debentur, integrè ſolvantur: Iis, qui præſidij causâ cum Vcone in arce fuerunt, hoc ipſum noxæ non ſit, bonáque ſua omnia, qualia ea iam ſunt, recipere, habere, poſſidere ſine periculo aut moleſtiâ permittantur: immunéſque à militiâ ſint, fidei ſuæ tuendæ causâ: nec rei agantur earum iniuriarum, quas pro defenſione arcis alijs intulêre: Quòd ſi arbitris nobilibus videbitur lateritium ædificium deſtruendum eſſe, Hebæ coniugi Vconis cum omnibus rebus, quas in arce habet, liceat, quocunque volet, tutò concedere.* Hoc modo rebus Olderſhemi compoſitis, relicto illic præſidio, quibuſdam domum dimiſſis, reliqui cum Edſardo Auricam in caſtra ſociorum ſe conferunt. Ibi tum cum Vdone auxilia etiam deſperante, ac deditionem offerente, præſentibus reip. Bremenſis legatis, Occonis, ut creditur, cauſam acturis, intercedentibus verò Himæ propinquis Imelone Oſterhuſano & Friderico Larletano, qui eam ob cauſam in caſtra venerant, de conditionibus quoque agebatur. Propoſitæque à fœderatis libertatis vindicibus, ne quid odio tribuere viderentur, conditiones ampliſſimæ: *Vt Vdo, coniúnxque eius Hima, & hæredes eorum legitimi doteſtes integras, quales erant, cùm Vdo proximè Nordâ diſcederet, habeant, pacatéque poſſideant, liberíque ſint ab omnibus, quæ in eas intenduntur, actionibus tum veteribus tùm recentibus, ſine dolo malo: ut ſalva ſint illis omnia iura domi foríſque, quibus quondam Diuæ Himæ avia fuerat uſa: ut quæ Auricæ in arce habent ornamenta, ſupellectilem, cuncta alia, ſine periculo aut impedimento Nordam tranſportent, ibíque tranquillè vitam agant, ſuis rebus utantur, fruantur legitimè: ulterius non tendant, neu quenquam iniuriâ afficiant: ſi fecerint, ultores ſe fore fœderati profitentur.* Ad hæc promittunt iidem fœderati, ſi *quis defraudare hos ipſos præſumpſerit, aut iuſtum noluerit ſolvere, auxilio ſe ijs querentibus futuros: Patri Vdonis, & ſororio, reliquiſque propinquis pacatis, & libertatem non prementibus vim nullam allaturos, nihil de iure eorum detracturos: præſidiarios arcis, qui ſe ſuo receptum in arcem habuerant durante hoc bello, ſive Friſios ſive peregrinos, impune & ſine noxâ dimiſſuros, & quod contra libertatem feciſſent, pro crimine non imputaturos.* Conditionibus his ab Vdone acceptis, ac in tabulas relatis, præmiſsâ nominum præſcriptione Ennonis Grethani, Wibeti Eſenſis, Wiardi Vphuſani, Sibrandi Edelſhemij, Edſardi & Vlrici fratrum, filiorum Ennonis, deinde populi Nordani, Broecmerij, Auricani, Harlingij, Amaſani, deditio ſtatim facta, & arx gravis libertati, abductis impedimentis, munitionibus nudata eſt. Id factum ad IV Idus Novembr. Eodem tempore cùm è Tranſlædanis & Mormerijs (nam & hi libertatis cauſæ ſeſe conjunxerant) ſpectatiſſimi quique cum mandatis

ſuorum

ſuorum in caſtris eſſent, adeſſentque ijdem Imelo Oſterhuſanus & Fridericus
Larletanus, præſentibus vicinorum legatis & militaribus præfectis, monẽte ipſo
loco Vpſtalleſbomi vicino, de fœdere communi pro libertate feriundo ſolen-
ñiter, & litteris conſignando conſultatum: idq; eodem celebratum die, quo Au-
rica fuit dedita. In hujus fœderis formulâ (memoriâ enim digna res videtur, ut
poſteris nota ſit) Tranſlædani, Mormerij, Nordani, Auricani, Broecmerij initiò
teſtantur conſenſiſſe ſe, ac fœdus arctum iniiſſe cum Ennone Greetſilano, Ime-
lone Oſterhuſano, Sibrando Edelſhemio, Wiardo Vphuſano, Friderico Larle-
tano, omnique populo Amaſano, & iis qui veterem & novum agrum Nor-
danum habitant, eorumque ſociis, & vico Neſſano (nam & hujus nomen pecu-
liariter expreſſum, forſan ob factionem Vdonis) denique univerſis Friſiæ pro-
vinciis, quæ inter Flevum & Viſurgim amnes ſunt, comprehensâ etiam rep. Bre-
menſi, & reliquarũ civitatum ſociarum. Deinde capita fœderis hæc ſubjiciũtur:
LIBERTAS PRISTINA, CVM LEGIBVS PATRIIS, INDE VSQVE
A CAROLO MAGNO ACCEPTIS, ATQVE OMNI IVRE PROVINCIALI,
INCOLVMIS ET INTEGRA FRISIIS CONSTET, AC CONSERVETVR
IN PERPETVVM: OMNESQVE AD AVXILIVM EI FERENDVM, CVM
NECESSE ERIT, ALACRES ET PROMPTO STVDIO CONCVR-
RANT: NEC VLLA DEINCEPS SERVITVS IN FRISIIS TOLERETVR:
Arces & munitiones, quæcunque per Amaſanam vicinóſque Friſiæ agros ſunt, cum legi-
timâ iuriſdictione, reliquóque iure, ut iam ſunt, ita deinceps poſſeſſoribus ſuis incolu-
mes maneant, hac lege, ut populo Friſico ex uſu reip. & vicinorum ſemper pateant; in-
iuria autem, aut detrimentum contra leges nemini omninò ex ijs inferatur: Quòd ſi
quid ſecus eveniat, nec qui arces in poteſtate habent, ſatisfacere læſis ex legibus ve-
lint, funditus exſcindantur, tollatúrque è medio inſtrumentum ſervitutis: Emda ta-
men hoc beneficio fœderis non fruatur, niſi fortè etiam ipſa fœderi accedens, communi
iure cum reliquis Friſijs uſuram ſe eſſe profitebitur: Ius æquum inter omnes pariter va-
leat, nobiles & plebeios: Fœdera, quæ nobiles Friſij vel inter ſe, vel cum vicinis
Principibus Germanicis inierunt, fraudi reip. Friſicæ ne ſint: alioqui ab ijs diſcedatur:
aggeres & aquæductus publici ſarti tecti conſerventur: déque ijs hoc ius ſit, quod aut
legibus multò antè receptum eſt, aut populus univerſus, provinciáve quælibet in ſuum
uſum hac de re impoſterum ſciſcet: Munitiones arcium, in quas ſe recipere Friſij con-
tra hoſtes, ſéque & libertatem patriam commodè defendere, ac peregrinos Principes è
Friſiâ propellere poterunt, eorum operâ; quorum id fieri ſolet, quoties neceſſe erit, re-
parentur: Cuncta hæc ſancta ratáque ſint, & ſine dolo malo conſerventur: Si quis
contrà delinquere convictus fuerit, eius caput cum omnibus fortunis libertati ſacrum eſſe
iubetur. Hoc fœdere ad Vpſtalleſbomum percuſſo, ut ego reor, in ipsâ liber-
tatis areâ, cùm domum omnes ob hyemem ſpectarent, antè diſceſſum de im-
peratore deſignando, qui reliqua fœderis exſequeretur, armorumque dux
eſſet in annum ſequentem, ſi armis res opus haberet, egerunt. Nam filiis in
ordinem redactis, Focco adhuc reſtabat factionis princeps, inter pacem & bel-
lum tum medius, incertis reſponſis animos populi ſuſpendens, & Sibetus gener
ejus opibus validus, Imeloque Emdenſis ob portum & amicitiam cum exte-
ris metuendus, paucique nobilium alij. Electus Enno Grethanus ætate & pru-
dentiâ anteſtans, ac filiorum robore fultus. Ab eo ob ſenium deprecante, ex
populi conſenſu in Edſardum filium inſigni teſtimonio ipſius ornatum honos
collatus. Ità domum diſceſſum. Edſardus expirante anno, ne quis quietis,
& fœderi conjunctis ex ipſo metus eſſet, Oſterhuſanis etiam ſuo nomine pacta
priora firmat. Nec multò pòſt, incertum, an volente Occone captivo (quod
ego exiſtimo) curator Broecmeriæ, & omnium rerum Occonis deſignatur.
Quæ dum geruntur in his partibus, nondum vergente æſtate, Focco & Sibe-
tus, ut Bremenſes & Oldenburgenſes ob miſſa in ſe auxilia ulciſcerentur, in-
gentem numerum parvarum navium in Iadâ flumine, quod Ruſtros dividit,

quantâ poterant celeritate paraverant, Mormerioſque, Lenganos, Ruſtros, &
quoſcunque ſibi addictos, prædæve avidos ſubitò potuerant cogere, navibus
impoſuerant. Tum claſſe adverſo Viſurgi magna contentione remigum ſub-
vectâ ad ipſam urbem Bremam fœliciter penetraverant: eo conſilio, ut ſi poſ-
ſent, urbem imparatam ex improviſo, ſubito impetu, invaderent, & diriperent.
Sed eâ ſpe fruſtrati, quòd Bremenſes maturè in armis fuiſſent, naveſque etiam,
quas paratas ſemper habebant, in ejus claſſem immiſiſſent, in ingens quoddam
civitatis navigium, quod in ancoris fortè infra urbem ſtabat, impetum verte-
rant, occupatumque, magno ſuorum ſtudio, priuſquam ſubſidio venire Bre-
menſes poſſent, abduxerant: ſimul Oldenburgenſium fines ad lævam Viſurgis
ripam, quantum facultas fuerat, ferro & flammâ vaſtaverant. Bremenſes igno-
miniâ & dolore accenſi armatis raptim navibus, & Oldenburgenſibus in auxi-
lium vocatis, magnâ contentione in hos ipſos, dum prædabundi ſecundo amne
deſcendunt, incitaverant ſeſe, & priuſquam prædam exponere, aut ipſi in ter-
ram exire poſſent, in Iadâ eos aſſequuti, prælio commiſſo non parvâ eoſdem
clade affecerant. Tum Ruſtriæ orâ celeriter evaſtatâ, ulti injurias ſuas domum
ſe receperant. At Friſij, qui Focconem Sibetumque ſequuti hactenus erant,
hoc incommodo accepto, cum & aſſiduò ab hoſtibus vicinis vexarentur, & vi-
derent duces ſuos libidini ſuæ nullum modum ponere, ſanguinemque populi
vilem habere, averſari eos, & lentiùs parêre, adeoque ad libertatis vindices,
qui Focconis filios eo tempore oppugnabant, reſpicere cœperunt. Quin etiam
murmur increbuit paſſim defectionem minitantium, niſi concordiâ initâ finis
M.CCCC. aliquis malorum ſtatueretur. Quâ neceſſitate aut metu adacti de induciis cum
XXXI. Bremenſibus & Oldenburgicis uterque tranſegêre. Principio anni ſequentis
contentio extiterat ex ſimultate nobilium Rectorum inter Vphuſanos & Lar-
letanos, quorum iſti opibus & rectoris ſui gratiâ apud fœderatos, hi caſtelli mu-
nitionibus confidebant. Ea ſollicitos fœderatos libertatis vindices habuit, ne
majus malum daret, memores, quid olim Larleto accidiſſet ab Hollandis ob
portus oportunitatem, & ipſius ſitum: nec ignari, quonam ſoleat homines
contentionis ardor, atque odij acerbitas ſæpe impellere. Et erat ob oculos
Emda eâdem in viciniâ, remora concordiæ publicæ cum magno totius patriæ
periculo, freta mœnibus, portu, amicitiâ Hollandicâ. Cui ſi ſe jungeret Larle-
tum, aut Hollandos ſi admitteret in omnes hujuſcemodi occaſiones intentos,
quanto id futurum cum detrimento reip. Friſicæ, ac totius libertatis cum di-
ſcrimine? Erat quippe Larletum etiam tum vallo munitum, & non procul op-
pidi conditione aberat. Quapropter occurrendum in tempore rati omnes fœ-
derati ordines ſeſe interpoſuêre: & quo certior res eſſet, ipſi ſuo nomine rur-
ſum cum Friderico & Larletanis pepigerunt in hanc ſententiam. *Nobilitati,
iudicibus, populo, qui eſt per agrum Amaſanum, Broecmerium, Auricanum, Morme-
rium, Tranſledanum, Lenganum, Reiderium (nam & hi quoque fœderi ſe addiderant) &
plebi Vphuſanæ, poſcente re, Larletum pateat in uſum communis patriæ: Fridericus etiam,
& Larletani iiſdem auxilio ſint ſummis viribus & fide integrâ in cauſis ad communem ha-
rum regionum remp. pertinentibus, ſicut cæteri patriæ amantes Friſij: tantùm ne teneantur
arma ferre contra eos, quibuſcum fœdus peculiare habent in Friſiâ hac Ciſamaſanâ: Itidem
ordines iidem contra omnem iniuriam ac vim à quocunque vel Friſio vel peregrino inten-
tatam ſummâ ope Fridericum & Larletanos tueantur, ditiones & cætera integra his relin-
quant, imò in eos, qui fraudare ipſos volent, auxilium ferant.* Eâ curâ amotâ, proximè
in Focconem mentes omnium verſæ Nam Emdæ quid facerent ſine copiâ na-
vali? quam ſi premere inſtituerent, verebantur, cauſam modò preſſis datum
iri peregrinum principem in Friſiam attrahendi. Focco autem etiam tum nec
pugnabat apertè in fœdus, nec fœderi aſſentiebatur. Nam cedere iis, quos in-
fra ſe ducebat, dominandique ſpem & cupidinem miſſam facere, & æquum
jus pati animus elatus, ac imperij avidus non ſinebat: arma verò movere nec

filiorum amicorumque preces, nec hoſtium potentia permittebant. Propior tamen inimico cauſæ quam amico erat. Nec temperare ſibi animus ferox poterat, quin proximos quoſque, quos facere pro libertate ſciebat, variis injuriis concuteret. Vnde poſtremò factum, ut tota à viciniâ pro hoſte haberetur. In quem dum bellum parat Edſardus, de Imelone Emdano ſollicitus, ne is luctuoſum patriæ caſum conſciſceret à fortunâ preſſus, ſive ſolius patris ac fratris contentus conſilio, ſeu aliorum quoque paucorum obligatis conſcientiis, cum Hamburgenſibus tacitè fœdus percutit ad Imelonem inexpectato occupandum. Sed conditiones fœderis quæ fuerint, non conſtat: eventus aliquo modo declaravit. Illi cupidè in fœdus conſentientes, imò occaſionem rapientes, velut ulturi Occonis injurias, cujus Emda fuerat, dolorique ſimul ſuo parentaturi (Emdenſem enim cum Hollandis inimicis ſuis commercia tractantem, ſocietatiſque cum prædonibus ſuſpectum verè an falsò, oderant) aut potiùs fortunam ducem rebus ſuis augendis ſecuturi, primo vere ejuſdem anni naves aliquot in Amaſum emittunt omnibus rebus benè inſtructas, quæ Emdanis inſidientur. Has naves ferunt ad Emdam, diſſimulato omni armorum apparatu, adeoque civitate ſuâ, in ancoris ſtetiſſe; mox præfectos negotiationum causâ ſe veniſſe mentitos oppidum ingreſſos eſſe, mercibuſque nonnullis venum propoſitis, ceu fieri à negotiantibus ſolet, Imelonem ſibi conciliatum comiter invitaſſe, ut naves ſecum ingredi, nauticoque convivio in ipſius honorem apparato intereſſe vellet: Imelonem nimis imprudenter fidem eorum ſecutum, benignè admodùm & hilariter cum ſuis exceptum: deinde procedente compotatione cùm vinum curas ademiſſet, Hamburgenſes magno ſilentio ancoris ſublatis, ventis vela dediſſe, nec ſenſiſſe Imelonem ante, quam medio jam Amaſo procul à littore navigaretur: tum compedes ei injectos, atque ita compeditum Hamburgum eſſe vectum, & in vinculis, ac duro carcere à Senatu, populoque Hamburgenſi habitum multos annos, donec ſqualore, & ærumnis confectus animam tandem ægram iiſdem in vinculis exhalaret: Et hæc ne iniquè & crudeliter facere viderentur Hamburgenſes, piraticam, aut piratarum cõmercia miſero objectaſſe, verum probare eorum nihil potuiſſe: Tum porrò eoſdem adhibitâ majore vi, & metu quoque matri captivi Foſſæ, quæ in opido erat, ex ſupplicio filij admoto, Emdam tandem occupaſſe, præſidiumque ei impoſuiſſe, arce tamen, ſed inermi, cum ſpecie aliquâ honoris ac imperij Foſſæ relictâ. Crantzius captis aliquot prædonum navibus & horum XL Hamburgi capitis ſupplicio affectis, ſociiſque omnibus per Friſiam everſis, tandem Imelonem quoque ſcribit omni vi obſeſſum & oppugnatum: Eum verò ſociorum eventu territum, & auxilia deſperantem in fidem Hamburgenſium ſe contuliſſe: ab his benignè acceptum, & Hamburgum traductum honeſtè & hoſpitaliter habitum eſſe: (Sic ille vocat diuturno carceris pædore cruciatum confectumque) Victores ſtatim oppido occupato, præſidium arci impoſuiſſe. Mihi verò cuncta iſtius temporis rimanti hoc maximè verum occurrit. Hamburgenſes ex voluntate ſociarum ſocietatum prædones terrâ marique eſſe perſecutos: his armis ſumptis, quos perditos volebant, eos aut prædones, aut prædonum ſocios nuncupaſſe, innocenteſque nonnunquam cum nocentibus involviſſe: Hos tum Edſardo conſcio, cui erant fœdere juncti, Amaſum claſſe ſubvectos, expoſitis claſſiariis, ab omni parte in Imelonem, & Emdanos commerciis Hollandicis inviſos, ac receptationis prædonum inſimulatos arma expediiſſe, jactaſſeque non invitis hoc ſe facere cæteris Friſiis pro libertate fœdus habentibus: oppidanos oppugnatos, ſubitâ & inopinâ vi perculſos, atque omni à parte clauſos, cùm nec auxilia, nec rei exitum aliquem viderent, ex conſenſu Imelonis deditionem feciſſe, pactos diligenter pro ſe, & pro Imelone corporis & fortunarum incolumitatem: Ita præſidium illic ab Hamburgenſibus eſſe conſtitutum: deinde Imelonem ſeu convivij ſpecie, ſeu colloquio

de rebus communibus ſimulato, ſeu quâ aliâ ratione callidè ob metum motus popularis ab iiſdem ex arce traductum in naves, & contra datam fidem Hamburgum deportatum, ac prædonum ſocietate objectâ in carcerem detruſum; quo in carcere poſt annos XXIV mortem miſer obijt. Et hæc quidem congrua vulgatis eo ſæculo propinquorum captivi accuſationibus, quæ etiam nunc in manibus ſunt. Sic enim habent: ejus civitatis homines, præter alia in innocentes plurima contra fas patrata, Imelonem etiam violato jure gentium, contra pactorum tabulas furum more ipſius ex arce pellectum Hamburgum vexiſſe, exutumque fortunis diuturno carcere mulctaviſſe. Oppido occupato, præſidioque impoſito, fœminæ viduæ, ut dixi, poteſtatis ſpeciem Hamburgenſes relinquunt, vim ipſi aſſumunt, oppidanos ſine injuriâ habent, in rep. nihil innovant. Erant tum in oppido præter imperium, quod Imelo tenuerat, magiſtratus quoque alij, præfectus, judices, ſenatores, quos patriâ linguâ, Voget/ Richters vnd Raedt appellabant, ex ordine honeſtiorum civium Friſici generis per ſuffragium lecti. Quorum præfectus, quantum colligere mihi ex omnibus ejus temporis actis & circumſtantiis licet, in arce ſedem habuit, & Hiſconis, Imelonis, cæterorumque virorum nobilium civitatis Rectorum res curavit, & criminum judiciis præfuit. Cæteri civium negotiis & civitati præſederunt. Sed perpetuáne hæc munera, an annua, aut alio temporis ſpatio definita fuerint, hactenus mihi obſcurum manet. Reperio autem inter cives eo ſæculo eminuiſſe familiis Friſicis genitos, Imelonem, Heringium, Geroldum Eggonis, Sceltconem Camponis, (quo de Campone antè mihi dictum) Haijonem Homponis, Tammonem Euvonis, Ennonem Wijnconis, Geroldum Heſſonis, Popconem Reindium, Epponem Broerſenam, Sirpium Ennonis: tum inſititios Weſtfalos aut Saxones, Albertum Tijdkium, Michaëlem Rinchium, Ioannem Lingium, Ioannem VVinſenium, Ottonem Schroderum, Ottonem Dutenum. Atque iſte magiſtratuum ordo incolumis illic manſit, quoad Conſules ſunt creati. Intereà Focco concurſu vicinorum expectatione citiùs in arcem ſuam, quam apud Leranos munitiſſimam habebat, & omnibus rebus multò antè in hujuſmodi caſum inſtruxerat, compulſus, eventum atque inconſtantiam vulgi operiens, deinde Imelonis caſu graviſſimo audito, haud leviter animo turbatus, velut à fortunâ deprehenſus in anguſtiis verſabatur. Simul verò cum exercitu ex omnibus populis ſociis confecto, & Hamburgenſium auxiliis aucto, venit iſtuc Edſardus, caſtriſque circum arcem poſitis, & auxilij & fugæ ſpem pariter hærenti ac perplexo ademit. Nec tamen pertinax animus, & cedere fortunæ neſcius, imprimis ignominiæ impatiens perſuaderi potuit, ut dederet ſe, & decreto fœderis ſubmitteret. Imelonis quippe caſum horrebat, aut, ſi eum maximè effugeret, plebis tamen irritatæ à ſe, atque injuriis affectæ indignationem & contumelias formidabat. Et erant ei, quibus ſpem ſuam ſuſtentabat, hæc: expectatio auxilij à Monaſterienſibus, generi & filiorum ac amicorum interceſſio, munitionum arcis firmitas penè inſuperabilis, annonæ & commeatus reliqui ad aliquot menſes copia, denique ingenium vulgi notum, mobile per ſe & inconſtans, impetu ſolùm valens, quem ſi ſuſtinueris aliquamdiu, morâ ſtatim flacceſcere, ac tædio frangi. Quam ob cauſam ſperabat, ſi reliqua quoque maximè aliorſum caderent, tamen exercitum illum è vulgo confectum poſt primam vim dilapſurum paulatim, diſceſſurumque ad ſua. Igitur parare ſe in omnem caſum, oppugnationes fortiter depellere, tormentorum tonitrua, & concuſſiones ædificii contemnere, locis inferioribus ſe tueri, obſidendi conatum dicteriis inceſſere apud ſuos, & hoſtes. Verùm cùm nec à Monaſterienſibus auxilia venirent, nec amici efficerent, quod ſperaverat, & conſtantiam expectatione majorem in vulgo videret, (decretum enim huic, niſi redacto in poteſtatem obſeſſo iſtinc non decedere; & decedentibus aliis alij ſubibant per vices) cœpit animo concidere: de

deditione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

deditione autem ne tum quidem, quamdiu ſupererat, quo famem ipſe cum
præſidio expleret, audire ſuſtinuit, conſtitutumque habuit extremum caſum
operiri. Itaque animum ſollicitum fronte & verbis tegens, fiduciam ubique
præ ſeſe ferebat. Et cum tubicen aliquando miſſus à populo ad ipſum veniſ-
ſet, dicitur in cellam penuariam ducto dolia non pauca inania, fundo ſuperne
converſo ad fallendum ſcitè juſſu ipſius compoſita, velut carnibus plena com-
monſtraſſe, dixiſſeque: Quid ſibi volunt miſelli, qui me obſident? tamdiu ne
in caſtris his hæſuri, ac poſt æſtiva hyemem quoque hic toleraturi, donec
nos in hac rerum copiâ fame vincamur? atque ità velut ſecurus de fortunâ
ſuâ hominem à ſe dimiſiſſe. Addunt quidam, panes eum eandem ob cauſam
in ſtationes hoſtium projeciſſe, ut inopiæ ſuſpicionem amoveret. Sed cum ad
extremum uſque duraſſet, commeatuſque jam planè deficeret, conſilium ce-
pit clam fugâ ſe eripiendi. Quapropter nocte intempeſtâ dolium grande in
foſſam arcis ſummo ſilentio traduxit, eoque cum comite uno, quem fidiſſi-
mum habebat, foſſam tranſvectus per ſtationes hoſtium evaſit: dein avia ſecu-
tus, trajecto Lædâ amne ad Herenbergum, non ante fugæ curſum inhibuit,
quam eâdem adhuc nocte, aut primâ luce Papenbergam arcem in extremis
Friſiæ finibus perveniſſet. Illic ab homine amico receptus ſubſtitit aliquan-
diu, indeque ad Monaſterienſes vicinos tranſiit. Ab ejus abitu qui in præſi-
dio relicti fuerunt, confeſtim arcem dediderunt. Id fuit poſtridiè Idus Octobr.
cùm ſemeſtri amplius obſidio duraſſet. Quo magis indignè tulêre, qui obſe-
derunt, FFocconem, quem ſolum redigere in poteſtatem, & ad imperata co-
gere quæſiſſent, poſt tot exantlatas moleſtias è manibus ſibi eſſe elapſum. Re-
rum tamen ejus nihil ferè violatum præter arcem. Arx exarmata, dirutaque
& in ruinis relicta, ne cui deinceps libertatem preſſuro præſidio ac receptui
poſſet eſſe; ſimul ut oſtentui eſſet poſteris, & documento præſentibus, quid ex-
pectandum iis, qui Focconem non vererentur imitari. Foccone everſo, Sibe-
tus videbatur reſtare, & cum eo ob viciniam conjuncti Cankenij, in Harlin-
giâ, & agro Friburgico amplis facultatibus præditi: qui licet pacatè tum
agerent, tamen pro Focconianis habebantur, & quominus Ruſtri, Oſtrin-
gij, Harlingij publicè fœderi, & libertatis cauſæ accederent, erant impedimen-
to. Sed anni tempus moveri contra eos nil ſinebat. Itaque copiæ omnes à
ſignis dimiſſæ. Edſardus ubi domum rediſſet, quantum potuit conciliandis
diſſidentium animis, tollendiſque novarum turbarum cauſis operam per hye-
mem dedit. In quibus & ſuâ, & patris ſui autoritate evocatos ad ſe VViardum
Vphuſanum, & Imelonem Oſterhuſanum, hujuſque filios Ayoldum & Folc-
marum, quorum vetus controverſia ſæpe ſopita, ſæpe renaſcens hactenus fi-
nem non invenerat, in arce Grethanâ demum ad concordiam cum perpe-
tuâ litis, ac injuriarum oblivione redegit. Fuit hæc hyems, quæ Focconis fu-
gam ſecuta eſt, adeò aſpera gelu, ut paluſtria cuncta, foſſæ, rivi, flumina pe-
dibus tranſiri paſſim poſſent. Quam rem Focco, qui Papenbergâ ad Monaſte-
rienſes ſe receperat, in occaſionem vertens, pecuniam celeriter quantam po- M.CCCC.
teſt, ope potiſſimùm Herberti Langæi viri nobilis mutuam accipit: eâ mili- XXXII.
tum manum validam ſubitò parat: multos alios ſine ſtipendio rapinarum avi-
dos adjicit, ab epiſcopo auxilia quoque impetrat: hos omnes cum iis, qui in
exilium ipſum ſecuti erant, ad audendum, ac fortunam ſecum tentandam ſpe
divitis prædæ accendit: nec defore auxilia domeſtica dicit, ſimul ac in Friſiâ ſe
ipſe cum copiis oſtenderit. Eo modo paratus ſubitò in Friſiam agmine ducto,
priuſquam expectari adventus ipſius poſſet, obvia cuncta invadit, pecuniam-
que, quantam conferre ſinguli vici, aut villæ poterant, celeriter exigit, & ſi
qui ſe commovere, aut pecuniam imperatam negare audent, hos fædè di-
reptos ferro & flammâ vaſtat, atrociora etiam in poſterum, ſi quid tentent,
minitatur. Sic dum minas has latè ſpargit, ſingulis metu oppreſſis, magnam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

orientalis Friſiæ partem populabundus pervadit, confectâque ingenti pecuniæ vi, priuſquam ex metu ſe colligere, ad ſigna coire, cum nobilibus conſilium capere, remotiores auxilio habere vulgus periculo proximum poſſet, feſtinus in Weſtfaliam ſe recepit, maximo, quod potiſſimùm quærebat, poſt ſe terrore relicto. In hac expeditione adjutum auxiliis filiorum & generi eſſe, quod Grimerſhemius affirmat, mihi veroſimile non fit. Sic biennium rurſus per tumultus & bella civilia cis Amaſum flumen actum: & majus nomen, quam ea familia hactenus habuerat, Edſardo Grethano partum. Haud multò pòſt, cum animi jam ex offenſione paulum reſediſſent, Sibetus ſoceri fortunâ commotus, nec in armis ſpem reliquam habens, adjuvante maximè, & connitente Inone Cankenio Witmundano, intercedentibus quoque Ripperdæis F

Focconis amicis, de controverſiis tollendis, componendâque pace cum fœderatis, & populo Friſico cœpit agere, effecitque ut conventui ejus rei gratiâ dies diceretur. Eo in conventu cum moleſtiarum & periculorum tæderet populum, pax reddita eſt Focconi cum ſociis: conditiones dictæ, ut reverſi in patriam quietè ſua poſſiderent: *Si qua vis externa Friſiæ ingrueret, ipſi quoque ad fines præſtò in armis eſſent, ſummiſque viribus & fide patriam cum cæteris defenderent: intereà verò ſi qua diſſenſio inteſtina exiſteret, ea tantiſper ſuſpenderetur, donec debellatum, aut tranſactum cum externis eſſet.* Sed vulgò tum creditum, Focconis animum, qui bellis innutritus inter arma ætatem exegerat, & dolore fortunæ amiſſæ, pariterque in æmulos invidiâ urebatur, cùm revertiſſet in patriam, arcemque Freburgum ſive à genero, qui eam tenuit aliquandiu, ſive à populo domicilij ſedem accepiſſet, quieſcere diu non potuiſſe: Hanc porrò ob cauſam, re priùs cum genero vicino deliberatâ, Oſterhuſam eſſe profectum, ut Imelonem quoque & Fridericum ad conſilij ſocietatem perpelleret; evocatumque Olderſhemo Vconem filium eôdem quoque venire juſſiſſe. Quod cùm per indicium accepiſſent fortè Hamburgenſes, qui Emdæ erant, quos ægrè Friſiorum concordia habebat, celeriter ſuorum quoſdam oppido emiſſos per inſidias excipere Vconem ad patrem iturum præceperunt: atque hi raptim profecti, quâ tranſeundum Vconi erat, in arundineto inter Mariæweram & Suderhuſam occultè conſederunt: mox in adventantem ſubitò coorti cùm vivum redigere in poteſtatem non poſſent, defendentem ſe ſtrenuè cum paucis, quos circùm ſe habebat, ac dedere ſe recuſantem in conſpectu Suderhuſæ occiderunt. Corpus occiſi Emdam deportatum à victoribus ob virtutem & familiam in æde Franciſcanorum conſpicuo monumento, quod adhuc extat, honorificè conditum fuit. Alij tradunt, cùm è vallo Oſterhuſano fortè proſpectantes Focco & Imelo, qui adventum ejus operiebantur, aut inſidias animadvertiſſent, aut miſceri jam tumultum pugnæ eminus obſervarent, ilico correptis armis cum iis, quos ſecum habebant, reliquis etiam vicanis parare ſe, & ſubſequi juſſis, partim in equos ſe conjeciſſe, partim pedibus connitentes, quantum curſu poterant, eò contendiſſe: & ſeriùs quidem cæſo jam Vcone ſuperveniſſe, ſed ita tamen cedentes hoſtes preſſiſſe, ut corpus cæſi illis de fugâ ſollicitis extorſerint: Id deinde receptum, ſecumque relatum triſtes omnes, triſtiſſimum verò patrem Hintano in templo condidiſſe. Quæ ſi vera ſunt, neceſſe eſt, filiam ejus Thedam res Friſicas gubernantem, quam fortuna indulgens evexit aliquot annis poſt, iſtinc ſublatum Emdam tranſtuliſſe, & pro familiæ dignitate illuſtriore ſepulchro honoraſſe. Vcone cæſo, quod anno ſalutis noſtræ M. CCCC. XXXII factum autores ferè omnes tradunt, non dubium fuit, quin ad arma denuò res ſpectaret. Nam cædem filij ſui, quam multi in populo etiam indignè ferebant, Focco non Hamburgenſibus ſolùm, qui eam patraverant, ſed Friſiis quoque æmulis ſuis viris nobilibus, qui cum iis fœdere erant juncti, hi viciſſim inita nova conſilia contra pacis leges Focconi objectabant. Erat tamen adhuc aliquandiu infida magis pax, & odium mutuum, quàm manifeſtum bellum. Sed

id quoque

id quoque differri diu non potuit, animis utrimque odio ardentibus, & in oc-
caſiones arrectis. Principium deinde factum à Sibeto: qui ultionis ſtudio
flagrans Hamburgenſium naves ſuis è portubus eſt deprædatus. Tum illi, M.CCCC.
raptâ, quam quærebant occaſione, accitis etiam Bremenſium auxiliis, ad XXXIII.
quos commune periculum pertinere videbatur, in littora Wangriæ & Ru-
ſtriæ claſſem mittunt. Ejus præfecti expoſitis armatis oram omnem proxi-
mam terrendi causa hoſtiliter invadunt; ſacra & profana promiſcuè diripiunt,
cædes faciunt; mox adventu validæ manus Friſiorum, quos vel ex fœdere Ed-
ſardus Grethanus mittebat, vel onerum tædium iis in regionibus in nobilita-
tem aſperaverat, arcem Sibeti primariam Sibetoburgum ad Iadam flumen
opere & milite benè munitam adoriuntur, & expugnare tentant. Expugnatio-
ne ſubita non ſuccedente ad obſidendum ſe vertunt. Sibetus quanquam ob-
ſideri ſe paſſus non erat, tamen in anguſtiis verſabatur. Nam in Ruſtris, &
cæteris ſuæ ditionis Friſiis partim metu hoſtium præſentium oppreſſis, par-
tim fœdere pro libertate nuper percuſſo commotis, atque ideò ad juſſa mi-
nus promptis in caſu hujuſcemodi ſpem non magnam habere repoſitam pote-
rat: à ſocero vero & debili per ſe, & ab Oldenburgenſibus vix ſemet defen-
dente quid expectaret? quidve à Kankeniis, quos eadem, quæ ipſum, difficul-
tas premebat? Vnica ei ſpes in uxoris fratre Vdone Nordano videbatur ſuper-
eſſe. Itaque conſtitutis pro fortunâ temporis domi rebus ſuis, mandatiſque apud
præfectos relictis, aſſumpto Inone Cankenio Witmundano, ac paucis præ-
tereà expeditis, per devia & inſolita Nordam ipſe contendit. Erat verò Nor-
denſium fortuna & ſtatus etiam iſto tempore ejuſmodi, ob opinionem virtu-
tis & opum, inter cæteros ejus oræ Friſios, ut quo ſe inclinarent, non parvum
momentum adferre partibus viderentur. Hos Vdo fraternâ cæde aſperatus,
exagitato omnibus ſermonibus Hamburgenſium facinore, & ſimul eorum,
qui cum ipſis per Friſiam fœdus habebant, fide culpatâ, haud ſegniter in eoſ-
dem illos incitaverat. Tum verò, adventu ſororij acriùs eos ſtimulat, ad feren-
daq; auxilia hortatur. Hos eſſe ait inviſos Friſiæ hoſpites, qui opprimendæ gen-
tis libertati dudum inhient; qui ignominiam innocentibus ac ſupplicia ſæpius
irrogent, qui Imelonem Emdanum per fraudem ſecundo ab hinc anno in na-
ves pellectum ſuas in carcerem abduxerint, ejuſque opes & oppidum per vim
etiam nunc retineant; qui inſidiosâ pace factâ Vconem fratrem ſuum, cum
nulla belli ſuſpicio eſſet, ad patrem euntem publicâ in via latronum more nu-
per occiderint; nunc etiam Sibetum ſocioſque falſi criminis inſimulatos præ-
donum nomine objecto hoſtiliter perſequantur: quos auxiliis in tempore de-
ſtitutos ſi vicerint, quid ipſis tam avaris & iniquis hominibus in morâ futu-
rum, quominus ſtatim, eodem objecto crimine, Nordam infeſto agmine
veniant & divitem ad prædas, & portu ipſis oportunam? Egregios vero liber-
tatis patriæ vindices Grethanos fratres, Wiardum Vphuſanum, Wibetum
Eſenſem, cæteroſque, qui cum hoſtibus his publicis fœdus habeant, hos ultrò
in perniciem patriæ accerſant, miſerumque popellum honeſto deceptum no-
mine circumducant, ut aliis oppreſſis ipſi dominatum cum hoſte externo di-
viſum ſibi parent. Quòd ſi ſapere rectè & viri eſſe ipſi velint, ac ſibi patriæque
fidem præſtare, & Sibeto circumvento opem ferre in tempore, poſſe adhuc
perniciem hanc in capita autorum converti. Sin ceſſent, donec opprimantur
ſocij, ſerò tandem ad ſalutem reſpecturos, & miſeriam eſſe ſuam deploraturos.
His concionibus incenſi non ſolùm oppidani, ſed etiam maxima ruſticorum
vicinorum pars opem operamque promptè promittunt. Vdo militem, quem
jam à cæde fratris conductum præſidio ſibi adſciverat, celeriter auget, tem-
plorum theſauros probante populo, nequicquam reclamantibus ſacerdotibus,
ſublatos, conflatâ inde pecuniâ in ſtipendia & alios uſus belli vertit, prædones
ad infeſtandas Hamburgenſium res terrâ marique emittit, arcibus ſuis præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſidia imponit. Cum ſatis virium habere ſe putaret, educere exercitum, & in proxima hoſtium, qui cum Hamburgenſibus faciebant, impetum dare conſtituit. Id eo fecit conſilio, ut ſi incolumes ſocios Hamburgenſes vellent, auxilia iis ferre, atque ita Sibetoburgi obſidionem deſerere, locoque æquo pugnandi copiam facere neceſſe haberent. In pugnâ verò magnam ipſe ſpem habebat ob virtutem Nordenſium, quos gloriæ è victoriâ parandæ videbat eſſe avidos. Intereà Edſardus & Vlricus fratres non ignari, quid apud Nordanos ageretur, ut ſuis quoque rebus conſulerent, cum manu fortiſſimorum juvenum è Broecmeriâ & Amaſanâ coactorum Berumum ſe contulerant, quam arcem ex dote poſterioris conjugis Edſardus poſſidebat. Eſt verò ea arx & Nordanis imminens, & militari in viâ ſita, quâ ab Ruſtris, Oſtringiis, Harlingiis, Nordam itur. Illic propiùs hoſtium viribus & conſiliis perſpectis, augere quoque ipſi copias ſuas hinc illinc pluribus evocatis, ad Hamburgenſes quoque in Ruſtriam mittere, auxilia ſubita poſcere, oſtendere, quantum ad rei ſummam interſit, ſi hoſtis ſecundâ pugnâ excipi in ipſo egreſſu, conjunctio ejus cum Ruſtris, Wangris, Oſtringiis, Harlingiis averti, ſimul res ſociorum ab injuriâ prohiberi poſſint. Hamburgenſes, conſilio horum probato, ſine morâ trecentos ſclopetarios in præliis exercitatiſſimos è numero ſuorum, & præter hos ſociorum Friſiorum haſtatorum manum firmam ad eos mittunt, jubentque quàm celerrimè iſtuc contendere. Hi contentione pedum uſi, continuato per noctem itinere, poſtridiè ante lucem ad Edſardum & Vlricum perveniunt. Simul nunciatur Vdonem & Sibetum toto cum exercitu in procinctu eſſe ad proxima quæque invadenda, & ſi poſſint, porrò in Harlingios uſque iter ſibi aperiendum. Itaque curatis, quantum tempus ſinebat, corporibus, omnes eodem adhuc die, eademque primâ luce raptim educuntur viâ Luteſburgicâ in occurſum hoſtium, extrema vici Bergæi, qui in clientelâ Luteti Manningæ ſororij Grethanorum erat, jam urere & raptare incipientium. Et cum utrique cæteris curis miſſis in pugnam ſe jam pararent, feſtinarentque ex anguſtiis agmen ſuum explicare, locumque prælio idoneum occupare, medio ferè itinere inter Hagam & Nordam, cis Luteſburgum Nordâ venientibus, quo loco ſtagnantes aquæ ad aggerem vetuſtum viæ partem tegunt, haud ſegnibus animis inter ſe concurrunt, ducibus utrinque ſuos ad fortitudinem cohortantibus, & exemplo quoque egregio præeuntibus. Nec confligunt minùs fortiter & conſtanter quàm concurrerunt. In quibus Nordani cùm non tam pro partibus, & Vdone ſuo, quem amabant, quàm pro gloriâ ac nomine certarent, inſigne virtutis ſpecimen edidiſſe feruntur. Sed numero victi à parte adversâ, victoriam parare non potuerunt. Cadit ante alios in conflictu Lutetus Manninga Luteſburgi dominus pro Edſardicis fortiter dimicans: Sibetus Ruſtrus graviter ſauciatur: cæduntur utrimque multi. Poſtremò Nordani feſſi, nec numero pares, cientibus ex adverſo prælium ſummâ vi Edſardo & Vlrico, cedère primùm, deinde in fugam ire. Quam cum ſiſtere fruſtrà connixus eſſet Vdo, inſidens equo, & ſepibus ruſticis impeditus in receptu confoditur. Nec deſunt, qui non ab hoſte, ſed ab ipſiuſmet ſatellite, qui injuriam quondam ab eo acceperat, id factum eſſe affirment. In reliquâ fugâ non magna cædes facta, plures capti. Inter quos Haijngus Alderſenius non ignobilis inter Nordanos, cum compluribus aliis notarum familiarum. Inonem Cankenium fuga eripuit. Vdonis corpus Himæ conjugi remiſſum, & in fano Dominici ad aram maximam ab eâ conditum. Sibetus ex vulnere propè deficiens, cùm ſe ſtatim dedidiſſet victoribus, Luteſburgum in proximam arcem delatus eſt. In quem Adda Luteſburgica Edſardi germana, impotens animi mulier graviſſimè incenſa, quòd vivum videret, propter quem maritum ipſa amiſerat, à fratribus, & cæteris, qui in captivum jus habebant, poſtulaſſe dicitur, oblatâ etiam ingenti pecuniâ, ut
ſaucius,

ſaucius, & vix animam trahens deportatus ex arce in ultionem cædis mariti, & inferias ruptæ pacis publicæ velut victima mactaretur, qui belli autor potiſſimus extitiſſet: Sed abominatos facinus atrox fratres, mitigato mulieris animo, hoc ei conceſſiſſe, ut ex arbitrio ſuo, redemptionis pretium captivo conſtitueret. Illa ægrè placata ingentem ei ſummam conſtituit ſupra facultatum modum; ad quinquagies mille aureorum numûm; ad hæc quatuor clavos argenteos ejus generis, qui rotam in extremo axe coercent, in uſum vehiculi ſui, innovandos quotannis, quoad ipſa viveret: id ſcilicet contumeliæ causâ viſum acerbæ fœminæ adjicere. In quæ cum Sibetus metu mortis aſſenſiſſet, benigniùs deinceps habitus in cuſtodiâ, beneque ſperare juſſus. Sed cùm vulnerum ſævitiem, quæ in pugnâ acceperat, ferre non poſſet, non multò pòſt exſpirans eâdem in arce, irritas conditiones, & ſpem avaræ mulieris fecit. Sparsêre propinqui ejus, invidiæ & infamiæ conflandæ gratiâ, infuſo vulneribus veneno ab æmulis, qui virtutem ejus acerrimam plurimum metuebant, peremptum eſſe. Corpus Nordam devectum eodem in templo juxta Vdonem tumulatum eſt. Vtrumque vitâ pariter, & invidiâ defunctum, gloria virtutis etiam apud poſteros ſecuta eſt: Et uterque liberis caruit, opeſque alienis hominibus reliquit. E reliquis captivis Alderſenius, quem ſupra demonſtravi, cum compluribus Nordanis Hamburgum in cuſtodiam miſſus, magno & periniquo auri pondere tandem libertatem redemit; multique proptereà fortunis ſuis ſunt evoluti. Hac pugnâ, quæ die VIII Calend. Auguſti commiſſa eſt, non ſolum vires, ſed & ſpes victis partibus concidit. Victores cum Grethanis celeriter in Ruſtriam reverſi Sibeti arcem majoribus animis & operibus oppugnatam ceperunt, captamque deleverunt funditus. Deinde cætera Sibeti dedita, & direpta ab Hamburgenſibus. Ruſtria & Oſtringia omnis, quibus hactenus per Sibetum id facere non licuerat, mox etiam Harlingia, excuſſis oneribus iniquis, & omni ſervitutis ſpecie, publico fœderi pro libertate percuſſo ſe aggregarunt. Edſardus verò, & Vlricus, & eorum ſocij diversâ in parte in æmulos ſuos incitati, hos velut pacis turbatæ, ac initi rurſum contra libertatem cum Foccone conſilij, ſubmiſſorumque hoſtibus ſuis auxiliorum reos unà cum Hamburgenſium copiis, quæ in Friſiâ manſerant, ex fœderis publici lege perſequuntur, denique vi aut metu patriam relinquere profugos cogunt. In his erant ante alios Imelo Oſterhuſanus cum filiis, Fridericus Larſetanus, Redertus Beninga Grothuſanus, Amaſani, Tiardus Doccumo oriundus Oldendorpianus: tum Cankenij tres, Tanno, Hicco, Mauritius Harlingij, ob viciniam, & amicitiam Sibeti eodem malo afflati, cæteroqui cum Foccone nullis, quod conſtet, conſiliis conjuncti: quorum hi ad Oldenburgenſes veteres amicos ſe contulêre, illi partim Groningano in agro, partim in Weſtfaliâ fortunam ad tempus tolerarunt. Quanquam de Cankenis non eſt nihil quod dubitem, hócne tempore, an poſteriùs exules facti ſint. Certè opes eorum minùs afflictæ, & exilium brevius. Nec nulli hujus familiæ, qui partibus ſe non miſcuerant, in patriâ manſêre. Inter quos Heddo Witmundanus etiã fœderi pro libertate ſe junxit. Sed Ino ex pugnâ Luteſburgicâ elapſus, cujus cauſa videtur gravior fuiſſe, quo abierit, mihi adhuc eſt ignotum. Focco totius mali caput, cui maximè infeſti erant Oldenburgenſes propter Engelbergam, cum aliquandiu ſe in arce Freburgo defendiſſet, tandem deſertâ arce, fugâ ſe ſubducens in agrum Groninganum abiit. Arx ab Oldenburgio occupata, & Sibeto cuidam miniſtro ejus commiſſa. Et his rebus reliquum ejus anni poſt pugnam Luteſburgicam, ac bona pars anni ſequentis M.CCCC.XXXIV conſumpta. Hinc jam ad Nordanos & Himam Vdonis cæſi conjugem publica ſe cura vertit. Erat apud eos adhuc manus quædam militum in arce veteri, quam in præſidio illic Vdo collocaverat ad flumen proximum & littora infeſtanda, ut ſupra eſt oſtenſum. Hæc prædæ dulcedine capta etiã à morte Vdonis M.CCCC. XXXIV.

in propoſito perſtitit, & auſpiciis viduæ non navigantibus ſolùm, & quos pro hoſtibus habuit, ſed toti quoque viciniæ perquam moleſta fuit. Præctereà munitiones arcis novæ, in quâ domicilium Hima habebat, graves & periculoſæ populo libero videbantur: detinebatque eadem Hima tormenta cum omni inſtrumento, & plurima alia, quæ Occoni Broecmerio adempta, & convecta Nordam fuerant. Ea verò ille de cujus liberatione ſeriò jam omnium ſermone agebatur, reſtitui ſibi poſtulabat. Poſtremò Broecmerij de ſimulachris nonnullis ſibi ereptis adhuc querebantur. Quapropter fœderati, qui patronos libertatis ſe ferebant, Himæ denunciant, ut in his populo ſatisfaciat, prædoneſque quamprimùm dimittat: alioquin ſe vindices fore. De quibus dum Hima deliberat (nec enim ſtatim obſecuta eſt, ſeu ſponte ſuâ, quòd in ordinem ſe cogi ex præſcripto inimicorum moleſtè ferret, ſeu Friderici fratris ſui illegitimi impulſu) populus, qui in utroque agro Nordano erat, & Harlingij, Oſtringij, Ruſtri, longo ordine ſecundùm littus boreum poſiti, quorum ſimultates perpetuæ multa ipſis mala conciliaverant, *ſancitâ imprimis omnium veterum & recentium iniuriarum oblivione perpetuâ, peculiari ſe fœdere coniungunt, ſibique auxilia mutua in hoſtes, aut quoſcunque prædones terrâ maríque promittunt: in his & ſontes ne quis receptet, aut ſupplicia eorum impediat, diligenter cavent: iubent prætereà, ut ruſticis, nobilibus, ſacerdotibus ſua conſtent, quæ à maioribus acceperunt, quæque nunc habent, omnia: denique fœderi publico cum cæteris Friſiæ populis, pro tuendâ libertate percuſſo nihil derogatum ſeſe hac novâ pactione, ſed id potius integrè confirmatum velle, expreſſis verbis conteſtantur.* Id factum ad XI Cal. Iulij. Sed vix ſignatum fœdus fuit, cùm vindices libertatis cum delectis ex omni Friſiâ, quæ intra Dullartum ſinum & Iadam eſt, armati Nordam tendunt, ut tergiverſantes vi, aut terrore præſentium armorum ad imperata facienda cogant. Hi ante alios erant Enno Grethanus provectæ ætatis, VViardus Vphuſanus, Heddo Cankenius VVitmundanus, VVibetus Eſenſis, Hero Stedeſdorpianus, VVibeti gener, & qui præcipuâ gloriâ erat, Edſardus Grethanus Ennonis filius Broecmeriam tutorio adhuc nomine regens, quo de nomine dictum eſt nobis priùs. Iis verò ſe conjunxerant Ioannes Reip. Bremenſis Conſul, Schinardus præfectus Oldenburgius, & Theodoricus Bardewicus Hamburgenſis ſuorum nomine. Quorum adventu ſubito perculſi, qui in arce veteri fuerant, ſtatim diffugerunt, eáque arx primo impetu ab iratâ plebe everſa. Tum ex periculo proximo, cum ſuis conterritæ fœminæ viduæ has pacis conditiones fœderati ultro offerunt: *Primum, ut Occoni, quæ rerum eius in arce Nordanâ ſunt, omnia cætera, iuratâ fide, reſtituat; tormenta verò eiuſdem cuncta, ſuorum autem tertias duas cum pulvere nitroſo, reliquóque inſtrumento in uſum communis patriæ populo cedat; trientem cum ſagittis ad defenſionem arcis ſuæ retineat: deinde vallum, quod arcem novam ambit, ſcindat; & reliquo ſolo æquet, potiſſimùm, quâ aditus ad arcem eſt, munitiones cæteras libero populo ſuſpectas & formidabiles, præſertim arcis veteris, demoliatur, ipſa deinceps pari iure cum reliquis Friſiis utatur: ſimulachra ſacra Broecmerijs reddat: ſi quid cui per vim aut iniuriam ademptum ſit proximis annis* XX, *de eo querenti in iudicio legitimo reſpondeat, & ex legibus ſatisfaciat: vetuſtiora abolita ſint: ſua omnia, quæ bono iure poſſedit hactenus, poſſideat etiam deinceps ſine moleſtiâ: ijs qui in præſidio vetuſtæ arcis fuerunt, durante hoc bello, impune ſit, quod per bellum commiſerunt: Vltra hæc ſi quis tendat, aut premere viduam fratremve tentet, vindicaturos ſe ſocij pollicentur.* Quas conditiones cùm recipiſſet Hima, cuncti, quos dixi, viri nobiles, itemque Bremenſis, Oldenburgenſis, Hamburgenſis, fidei causâ has obſignant: idem ſigillatim fecere totius populi nomine delecti è Tranſlædanis, Mormerijs, Lenganis, Reidanis, Amaſanis, Broecmerijs, Oſtringijs, Harlingijs, Nordanis: Poſtremò Nordenſium etiam nonnulli, à præſidio præcipuè læſi, Siptetus Allena, Betto Hinkena, M. Auco, Tyrlingus Addinga, Ino Siberna, Boijo Hillerſna, Haijo Crullius, Ericique duo, condonatis patriæ ac paci injurijs, ſpeciatim omnibus his ſubſcribunt. Sic Himæ & factioni ipſius pax reddita.

reddita. Intereà à fœderatis civitatibus & archiepiſcopo Bremenſi Nicolao, qui adhuc in vivis erat, de Occone è' cuſtodiâ educendo cura ſuſcepta, conventuſque hujuſce rei causâ Bremæ inſtitutus. Et poſt actionem multam Occo à Monaſterienſibus, quorum legati actioni intererant, conſentiente Foccone, dimiſſus: exulibus ſimiliter ab Hamburgenſibus & Grethanis ac cæteris patriâ ejectis reſtitutio promiſſa. Oldenburgico velut ſequeſtro arx Freburgica ad tempus relicta. Is à Focconis morte acceptis quatuor aureorum numûm millibus populo hanc ipſam reſtituit. Populus munitionibus nudatam, ne quid inde inſidiarum in libertatem poſſet exiſtere, ſine præfecto reliquit. Verùm cùm metu arcis hujus dempto furta, incendia, rapinæ in eâ viciniâ crebreſcerent, incurſioneſque illâc in Friſiam fierent, communi omnium conſenſu, qui inter Amaſum & Iadam ſunt, Helmero Repſholtano viro nobili & fidei præclaræ, ad quem ſolum, in quo arx ſteterat, agrique vicini antiquitus pertinebant, muniendam rurſum ac tuendam ex uſu patriæ commiſerunt. Sed munitio hæc tenuis primùm fuit, cùm publicè pacem cum Oldenburgenſibus Friſij haberent: Helmero autem mortuo, cujus egregia fides in patriam fuit, Siricius filius ſuccedens, ſubduxit ſe paulatim conſenſui cæterorum ordinum, ſibique conſuluit ſeorſim, arcemque magnis operibus ob circumſtrepentia arma communivit.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XXII.

QVÆ dum cis Amaſum geruntur, in Tranſamaſanis etiam ex converſione fortunæ Focconis novorum motuum occaſio fuit. Nam cùm concidiſſet potentia ejus, qui armis remp. Tranſamaſanam nuper conſtituerat, omnes, qui non lubentes aſſenſerant, nunc multò liberiùs & apertiùs quam ante novandarum rerum ſtudio exarſerunt. In his primi omnium oppidani fuerunt, quos multa admodùm in actis Focconis vehementer urebant. Imprimis agri res ab oppidanis ſejunctæ, appellatio judicum in oppido ſublata, jus commerciorum in agro mutatum, & proſtitutum vicinis: id eſt, imperij honos & pecuniæ quæſtus, duo maxima hujus ſæculi bona, adempta. Hi metu à Foccone levati palàm jam ad abolenda ejus acta ferebantur, incendebantque, ac in ſtudia eadem trahebant ex ordinibus agrariis eos, qui aut factionis diverſæ dudum fuerant, aut injuriâ ſe læſos à Foccone arbitrabantur. Iſti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

autem ab oppidanis ſtimulati cum ſolita ante Focconem repeterent, & horum ſtudio alij, quos aut Focconis amor, aut odium civitatis incitabant, quorum Haijo Ripperda, Ailco Houwerda, Eppo Gockinga longè principes erant, ſeſe opponerent, efferbuit inter ipſos contentio vehementior: alij libertatem commerciorum priſcam, nullâ coarctatam lege, imperij & judiciorum poteſtatem illibatam, remp. agrariam ab omni communione cum rep. oppidanâ ſejunctam, ac planè liberam laudare & flagitare: alij contrà ſine detrimento ſuo, qui agrum colerent, gratificari oppidanis in fori rerum venalium jure poſſe, & quod uſitatum longo jam tempore erat, atque in morem abierat, in eo permanere; ad ordinum verò agrariorum commodum, non ad juris detrimentum pertinere, ſi prætorium imperium habeant, qui ſine periculo, ſine difficultate cogere potentes contumaces poſſint, tantumque abeſſe, ut expediat ſejungere ſe agrarios ab opidanis, ut ne carere quidem ſeditionibus ac turbis diu queant, niſi ſocietate civitatis in pace contineantur; omnes bonum publicum jactare, plerique ſub hac larvâ ſuos affectus ſuamque cupidinem in aciem producere. Civitas, de cujus fortunâ agebatur, inter hæc à fugâ Focconis, inſtituta priora in uſum revocare: auxilium appellantibus in jure polliceri, exteros mercatores commerciis in agro, incolas exportatione rerum ſuarum prohibere, fori jus ſibi ſoli vendicare, in aliis pacto, in aliis more & longi temporis præſcriptione niti, obſiſtentes armatâ autoritate coercere. Hinc tumultus minuti hic illic orti, vis vi repreſſa, mala alia diſſenſionum turbarumque civilium aliquot locis ſecuta. Quæ verò de Cortingiâ Selwerdiâque arceâ chronographo quodam notata ſunt, quanquam autoritate ejus commotus cum primùm hæc memoriæ proderem, pro veris habuerim, tamen nunc diligentiore factâ indagine, & pluribus monumentis evolutis talia deprehendi, ut fidem iis adhibere non auſim. Hoc verò conſtat, eos, quos tum reſpublica Groningana conſilij duces habuit, ſic clavum, cui adſidebant, eſſe moderatos, ut è tempeſtatibus eluctata tranquillum tandem proſperumque curſum civitas tenuerit. Tunc inſtaurata priorum temporum cum ordinibus agrariis pacta conventa, nominatim verò cum Huneſgoniis, Fivelgoniis, Dammonenſibus: & in his expreſſo cautum de fori jure, deque provocatione eorum, qui ſe lædi arbitrantur à judicibus communibus in agro ad tribunal oppidanum. Quibus pactis ſi qui ex parte factionis diverſæ ſubmittere ſe nolebant, aut ſponte ſuâ, aut magiſtratuum juſſu, ne aut paterentur quæ nollent, aut publicæ quieti obeſſent, ibant in exilia: quos opidò paucos fuiſſe reperio. Plures fuêre, qui ferrent ſapienter quod mutare ſe non poſſe videbant. Sed tergiverſabantur cæteris diutiùs, qui in orâ erant Amaſi & Dullarti, propter exportandi commoditatem, eoſque aut nobilitas incitabat à civitatis causâ diſſentiens, aut Hamburgenſium negotiatorum conſuetudo ineſcabat: qui propterea quod Emdam tenebant, frequentes jam in totâ Amaſi orâ negotiorum causâ verſabantur, & ſtudio ſui Groninganis aſſiduo obtrectabant, jus, quod illi ſibi aſſererent, ſummam injuriam, gravem ſervitutem vocitabant. Nec deerat iis voluntas, ſi qua ſe offerret occaſio, tentandi his in locis idem, quod fæliciſſimè ſibi ceſſiſſe in alterâ fluminis ripâ penè ſupra ſpem recordabantur. Sæpeque accidit, ceu ſolet inter æmulos fieri, ut hi Groninganos, Groningani hos viciſſim verbis & factis offenderent. In hac rerum fluctuatione Guilhelmus Wicheringus conſulari familiâ natus apud Groninganos, dum remp. gerit mercatorum præfectus, & jus publicum civitatis nititur aſſerere, in ditione Ripperdæâ, exorto fortè ruſticorum concurrentium tumultu, ab Haicone Ailardo occiditur. Ea cædes odia aſperavit, Groninganis vindictam poſcentibus, Haijone Ripperdâ ac filio ejus Bolone, quorum tacitâ incitatione cædes facta putabatur, autorem noxæ dedere recuſantibus. Hinc injuriæ plures, & damna mutua, & frigida ſuffuſa ab Hamburgenſibus, conſpirationeſque aliorum è nobilitate Friſicâ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Poſtremò arma ſumpta à Groninganis tanquam ad gerendum bellum. Qui-
bus perterritus Haijo Ripperda ætate jam gravis, cum neminem publicè ſe
movere auxilij causâ videret, metuens etiam ſibi ab inſidiis Hamburgenſium,
quorum propter Focconem & Imelonem erat inimicus, ad compoſitionem ſe
obtulit. Ea confecta demum eſt ad VI Idus Auguſti anno Chriſti M.CCCC.XXXIV,
conditionibus duris ad arbitrium Senatus ſcriptis, cùm conſules civitati præ-
ſiderent Bruno Clingius, Otto Clantius, Ludeco Wigboldi, Eberhardus Iar-
gæus. In conditionibus hæ fuêre: *Vt ſibi mutuò partes auxilio ſint in bellis quibuſ-
cunque ex alterius partis aſſenſu ab alterâ ſuſceptis: arx Farmſumana ſemper & ſine
diſcrimine pateat Groninganis, quibus liceat pro arbitrio præſidium ei imponere, in eam
ſe recipere, hoſtem ex eâ offendere, attamen ſine detrimento aut impendio Haijonis, vel
Bolonis filij ipſius: Haijoni & Boloni liberum ſit, ſi velint, præſidij illius, ſi quod arci im-
ponetur, præfecturam tenere unà cum centurione ordinario: hoſtes utrimque, aut inimici
non receptentur: ab iniurijs mutuis abſtineatur impoſterum: Haijoni & Boloni nullum uſ-
quam damnum inferatur, nullum impedimentum in iure fiat ab oppidanis: Haijo & Bolo
propolij oppidani uſum, de quo imprimis tum contendebatur, non impediant ullo modo,
ſed probent magis, & promoveant: ijdem pro cæde Wicheringi Groninganis ſolvant au-
reos Arnoldicos D penſionibus tribus æquis intra anni ſpatium, ſemiſſem quidem ipſi,
& cædis præcipuus autor Haico, reliquum à ſubditis cæteris collectum: ità cædis eius obli-
vio ſit, & omnis de eâ actio ſublata: cæterarum quoque iniuriarum memoria in univer-
ſum deleta.* Erant tum temporis eâdem illâ in viciniâ ad Amaſum Ailco Ho-
werdæus, & fratris ipſius filius Eggo iiſdem adhuc in Groninganos animis.
Qui exemplo moniti, ne eundem hunc caſum ſubirent cum Ripperdæis, dum
res adhuc erat integra, ab Hamburgenſibus decurias aliquot militum petivê-
re, quas arci Muntanæ præſidij causâ imponerent. Id gratiſſimum accidit
Hamburgenſibus. Itaque eo facillimè impetrato, fiduciâ præſidij hujus libe-
riùs ſunt auſi poſtulata Groningenſium contemnere. Sed inimicitia inter ci-
vitates æmulas ex hoc facto aucta, injuriæque alternæ multiplicatæ. Quæ ne
in bellum erumperent cum pernicie totius viciniæ, gaudiumque communi-
bus inimicis crearent, interventu hominum prudentum colloquium ejus rei
causâ procuratum in oppido Emdâ. Collocutores arbitri deſignati bini, Ed-
ſardus Grethanus, Theodoricus Bardewichius pro Hamburgenſibus, Ditma-
rus Rengerus Præpoſitus Farmſumanus, Theodoricus Scafter pro Groninga-
nis. Per hos induciæ biennes conſtitutæ, inchoandæ à Pentecoſte proximè
elapsâ: eæ ſervirent ad conficiendam tranſactionem integram de controver-
ſiis omnibus, & pacem perpetuam: intereà Groningani abſtinerent locis &
negotiis Ciſamaſanis: Hamburgenſibus curæ eſſet, ne quis cis Amaſum eos, eo-
rúmve res læderet, neu alibi lædens confugium iſtuc ac receptaculum haberet:
Mercatores liberè & tutò commearent utrimque, ac terrâ marique ſua vecta-
rent: tumultuum autoribus coërcendis partes ſibi mutuas operas præſtarent, &
jus litigantibus expedirent: de exulibus valeret, quod utriuſque partis legati
mandata de hoc habentes eſſent decreturi ex æquo & bono: Hamburgenſi-
bus & Emdanis paciſci de rep. non liceret cum ullis trans Amaſum. Probata
hæc & ſignata hinc à Simone Vtrechtio conſule, Alberto Widinchuſio, Diet-
levo Bremero ſenatoribus Hamburgenſibus, qui præſentes adfuêre, V Non.
Octobrium anni ejuſdem, illinc poſtridiè à ſenatu reip. Groninganæ. Ità quieti
hac in parte conſultum. Simultas quoque inter Epponem Gockingam Bro-
cæum in præfecturâ veteri, & civitatem ad tempus ſopita. Anno proximo M.CCCC. XXXV.
M.CCCC.XXXV vixdum inito, actum à civitate cum vicis in Amaſi orâ, quos
tardiùs pactis aſſenſiſſe dixi, Farmſumo, Weiwerdâ, Hevenſche, Oterdu-
mo, fœderibuſque & pactis etiam ipſi aſſcripti: conditio hæc à vicanis adjecta,
ſi Dammona finito tempore pactorum priorum alia cum civitate Groninganâ
pacta iniret, ipſi ut his præſentibus eſſent liberi, & iiſdem illis Dammonenſium

accenſerentur: alioqui præſentia iſta valerent in annos XII. Hoc exemplum ſecuti Holwerdij & Merſumani in eandem omninò ſententiam cum civitate pepigêre ad diem VIII Calend. Martij: Et poſt hos, eodem prorſus exemplo, Finſerij & Egiſtani, qui ſunt in præfecturâ vetere, poſtridiè Nonarum Martij: Et ab his rurſum Winſcotani V Iduum Aprilis, quod tum erat pridiè Palmarum, ſed formulâ diversâ, conditionibus, ut ipſa ait formula, non aliis, quàm quibus pacti ante fuerant Dammona, & cæteri per Fivelgoniam & Huneſgoniam: expreſſum autem de judicibus vicanis, ut in iis priſtina ratio ſervaretur: *Ab his verò provocatio eſſet ad tribunal oppidanum intra dies X poſt ſententiam latam ex præſcripto formulæ fœderis Huneſgonij & Fivelgonij, ac more antiquo.* Demum alij quoque in eâdem vetere præfecturâ Midwoldij, Oſtwoldij, Finſerwoldij, Venhuſij, Scemedani, Eextani, Medenſes, Overmedenſes, Muntedamenſes, Suidbrocæi, Nortbrocæi, Wagenburgij, præeuntibus, qui apud eos in ordine nobilium, quique in judicatu erant, poſtrid. Non. Maij cum eâdem civitate pacti ſunt: quorum pactorum hæc capita præcipua fuêre. *Vt pacem inter ſe certam colerent omnes in annos proximos* XII, *& libertatem patriam tuerentur, poſſeſſiones, ditiones, iuriſdictiones, iura ſua ſinguli ſine vitio tenerent, nec quiſquam in ijs turbaretur: ſine iuſtâ causâ nemo ageretur in exilium non ſolùm ex agro, ſed etiam ex civitate: controverſias qui haberent, iudicio contenderent, à vi abſtinerent: principes quoſcunque exteros, aut alios vim civitati, aut ijs, qui cum civitate hæc pacta ineunt, facientes, aut libertatem eorum infeſtantes, coniunctâ operâ, coniunctis viribus repellerentur, coërcerentúrve, & gravi pœnâ ferirentur, qui hac in parte officio ac fidei deeſſent: & hanc operam præſtarent omnes impendijs ſuis: auxilia ſibi mutua ferrent cum fide, atque eò vires verterent, quò maximè neceſſitas ac periculum vocarent. Nemo munitiones ſtruere, præſidia armata habere, peregrinum militem intra fines paciſcentium inducere in incommodum aut fraudem aliorum permitteretur; pacatè agerentur omnia: obſides, ſi quando eorum uſus eſſet, in civitate honeſtè haberentur: iudicibus agrarijs in faciendo munere ceſſantibus, aut iniquè aliquid ſtatuentibus, appellare fas eſſet civitatem Groninganam intra diem decimum; eo tempore obſervato de iudicum factis aut ſententijs cognoſceretur ac decerneretur Groningæ in proximo generali conventu iuridico: in quo ſi expediri negotium non poſſet, fieret id in altero: ſi nec in hoc, ſaltem finiretur in tertio: longiùs lites non traherentur, niſi conventui iuridico aliud videretur: intereà contra appellantes nihil agerent iudices priores, & ſi qua illis pignora ademiſſent, ea confeſtim reſtituerent: ijdémque iudices tenerentur rationem reddere factorum ac ſententiarum ſuarum in conventibus illis iuridicis, ni pœnam luere V marcarum veterum vellent: qui ſi rectè egiſſe & iudicaſſe deprehenderentur, reliqua quoque cauſarum illarum ad eoſdem remitterentur, & ijſdem executio permitteretur, etiamſi muneris ipſorum tempus iam exiſſet: & ſimul temerè appellaſſe deprehenſi itidem V marcas veteres pœnam penderent. Ad hæc ſine communi conſenſu bellum nullum ſumeretur: quotannis quatuor haberentur in urbe conventus iuridici, aut, ſi res videretur poſcere, plures: agrarij à tributis omnibus eſſent immunes, niſi ſponte ſuâ, aut neceſſitate exigente ex conſilio primorum ſuorum aliquid in medium conferendum putarent: detentiones perſonarum aut rerum in urbe priùs uſurpata contra agrarios paciſcentes non uſurparentur ampliùs.* Reliqua ad reprimenda puniendaque maleficia pertinuêre. Quæ ut recitata à me ſunt, ita in vetuſtis tabulis comprehenſa ſervantur in reip. Groninganæ chartophylacio: unde hæc, ut plurima alia, cum fide tranſcripta. Ex quibus cognoſcere promptum, aliam tum adhuc faciem rerum ac juris publici in præfecturâ vetere fuiſſe, quam eſt hoc tempore. Ad hæc eadem illo die, quo cum Winſcotanis facta eſt conventio, cum Haijone quoque Ripperdâ, ac Bolone ejus filio pactio prior fuit iterata, & vinculo fidei novo firmata validiùs. Sic enim obligarunt Ripperdæi ſeſe, & hæredes ſuos, *ſi quid delinquerent contra fœdus & pacta iſta, ut res & poſſeſſiones ſuæ omnes caderent in commiſſum, cederéntque civitati.* Addiderunt etiam, *placere ſibi, & rata habere, quæ cum vicinis vicis quatuor civitas pepigiſſet.* Interim in Ciſamaſanis, anno præcedente circiter

Calendas

Calendas Maij, Occonem Broecmerium ſeptenni carcere recens liberatum Nordæ mors ſubita abſtulit, frequenti in rebus hominum ludibrio, qui cum exantlatis plurimis moleſtiis, reſtituti fortunæ videntur, plerumque & vitâ, & fortunâ decedunt. Opes defuncti, idem qui tutor eas hactenus vivo illo rexerat, Edſardus retinuit, nequicquam querentibus Brungero & Sibrando Loquerdanis, ad quos amitâ Occonis ortos non ab inteſtato tantum, ſed etiam ex teſtamento, quod moriturus condiderat, hæreditas pertinere videbatur. Verùm tot præſidia pro Edſardo ſtabant, potentia, poſſeſſio, favor publicus, conſenſus multitudinis, ut inter ea perrumpere ſolâ juris ſpecie Loquerdani non poſſent. Sed in nullo majus momentum, quàm in voluntate ac ſtudio vulgi. Ità namque tutelam captivi illic geſſerat, ità judicia rexerat, arma tractarat, ut nullo ſe Rectore quàm Edſardo, beatiores futuros Broecmerij exiſtimarent. Eaque fortitudinis ac juſtitiæ opinio non ſolùm gloriam ei pulcherrimam peperit, ſed opes quoque majores adjecit. Nam poſtero mox anno, qui fuit M.CCCC.XXXV, Nordani omnes magno ſuffragiorum conſenſu Rectorem, ac judicem perpetuum, vivente etiam tum Hima, hunc eundem ſibi conſtituerunt. *Semper hæc virtutis natura eſt, ut ament eam homines, atque imperia ad ipſam deferant: at iniquitas, reliquaque vitia exoſa omnibus, à proximis etiam ſæpe deſtitui ſolent.* At verò Loquerdani quamvis excluſos ſe Broecmeriâ cernerent, tamen juris ſui retinendi ac demonſtrandi causâ titulum agri ejus nominibus ſuis aſſcribere multo deinceps tempore habuerunt in more. Cum his autem pari propinquitatis gradu Occonem attingentes Heba Vconis conjux, & Etta Mauricio Dornumano denupta, (fratrem enim earum Kenonem jam tum è vivis deceſſiſſe opinor) cur ſimili ratione Broecmeriam non petierint, an quòd mater earum Occa Broecmeriæ domui inviſa, & pro extraneâ habita, an quòd fœminæ viris poſthabitæ, an quòd ambæ ob maritos fœderatorum hoſtes odiis obnoxiæ fruſtrà ſe laboraturas crederent, me ignorare fateor. Teſtamento hoc tantùm defunctus nuncupavit, quod paulò antè mortem ad VI Calend. Maij lecto affixus condidit, remiſſâ omnibus omnium injuriarum culpâ, quas bello acceperat, proximos ſanguine proximos jure in adeundâ hæreditate ſuâ eſſe velle, nullius expreſſo nomine. Huic augmento Edſardi, quod ægris oculis aſpexit, non diu Focco ſuperfuit. Nam eodem, quo ad illum Nordani imperium detulerunt, hic Dijchuſæ propè Dammonam in arce ſuâ, in quâ ſenex domicilium quietis ceperat, poſt tot labores, caſus, contentiones, prælia, tam multis ſuperatis periculis, in lectulo ſuo deceſſit IV Calend. Septembr. magno natu, ſed cui ætas vigorem animi, induſtriam & potentiæ cupidinem non exuerat. Ingens ſanè vir, ſi modum ſtatuere ambitioni & mitius imperare libero populo, ac jugum non patienti ſciviſſet. Edermoræ in Mormeriâ, ut antè dixi, illic ubi vetuſti caſtelli veſtigia etiam nunc monſtrantur, modicâ fortunâ natus, cùm natura eum corpore & animo validum finxiſſet, primis ab annis ad militiæ ſtudium ſe contulit. In eo verò poſtquam prima rudimenta poſuiſſet peregrè ità ſe deinde exercuit, tam ſæpè cum hoſte conflixit, tam crebras victorias retulit, tam variis caſibus jactatus eſt, ut clarum nomen apud ſuos atque exteros invenerit, & apud poſteros quoque celebris ſit: fortior quàm prudentior, ut qui nunquam prælium detrectarit quantumvis numero militum impar: fortunam autem fortiter præliando partam non ſemel aſperitate corrupit: callido alioquin & ſagaci in re bellicâ ingenio: Nec victor, nec victus quieſcere umquam potuit. Quæ res reſtitutum patriæ denuò exulem fecit. Vixit poſt Occonem menſes XVI. Corpus ejus Dammonæ in fano monaſtico obſcuro ſepulcro illatum eſt, ut ab incolis propè ignoretur. Ex liberis maribus nullum ſuperſtitem reliquit. Ex filiabus Vlſca (nam de Amca Sibeti conjuge non conſtat, quando obierit) adhuc virgo, à morte demum patris nupta Vniconi Ripperdæ Haijonis filio Farmſumano familiam omnẽ Ripperdarum, quæ hodie frequens ſupereſt, propa-

propagavit. Hæc in Friſiâ dum fiunt, civitates maritimæ intereà ſummoperè laborant, vt cum Erico Danorum rege controverſias ſuas, & ex controverſiis ſecutum diuturnum & perdifficile bellum componant. Quod fruſtrâ tentatum aliquoties hoc tandem anno M.CCCC.XXXV, quo Focco è vivis exceſſit, conficiunt, vetuſque cum Danis fœdus renovant. Eo bello graviſſimo ſoluti Hamburgenſes, omnes ſuas curas in Friſiam verterunt. Illecti quippe regionis oportunitate & commodis, dum ſe offerret occaſio, vincula ei injicenda plura, latiúſque illic imperium proferendum putarunt. Quæ verò ad eam rem occaſio poſſet expectari, aut ſperari melior, quàm præſens hæc, quâ omnia ipſis ita convenirent, vt divinitus vocari in ea loca viderentur? Nam fluctuare denuò res in Friſiâ, maximè circùm Amaſum & Iadam, penè ſine capite, ſine lege, noviſque emergentibus ſimultatum cauſis, & odiis inteſtinis in diverſa trahi, quamvis parum verè, nunciabantur: ipſi verò bello Danico oportunè liberati non ſolùm oppidum commodiſſimum, & portum recipiendis claſſibus ibi tenebant, militéſque, quot omninò volebant, tranſportare eò ſine periculo poterant, ſed cum alterâ quoque factione, eâque potentiſſimâ fœdus habebant. Quàm porrò futurum ipſis facile, per hujuſmodi media irrepere illuc longiùs in gente præſertim minimè callidâ, ac pedem ità figere, ne quis ipſos poſſet invitos rurſum expellere. Igitur eodem adhuc anno delectas copias cum præfectis viris militaribus ac nonnullis è Senatu ſuo navibus impoſitas Emdam mittunt. Iis cùm alia in mandatis dant, tum ut Emdanorum animos beneficiis retinere, & Amaſum flumen quàm longiſſimo tractu habere in poteſtate ſatagant. Hi cùm in Friſiam veniſſent, Emdanis benignè appellatis, ac de voluntate optimâ Senatus edoctis, communicatâ cum Grethanis re, de muniendo loco in confluente Lædæ & Amaſi duobus magnis ſupra Emdam Germanicis milliaribus conſilium ineunt. Sociis Grethanis oſtendunt, quanti interſit ad comprimendos quoſcunque inimicorum conatus, ſive in patriam ex pacto anni prioris reverterentur, (nondum enim redierant, diffiſi Hamburgenſium promiſſis) ſive quid per vim eſſent tentaturi ex agro Monaſterienſi auxilio epiſcopi, aut, ſi res poſceret, ad eos denuò è Friſiâ ejiciendos, omnemque eorum factionem penitus obterendam, deinde ad quietem in Friſiâ procurandam retinendamque, ad populi quoque motus, ſi qui fortè pro naturâ vulgi mobilis ac inconſtantis exiſterent, compeſcendos. *Denique ad fœderis communis, imò ad ipſorum maximè vim inter ſuos augendam, ſi eo loco arx excitetur, eíque præſidium imponatur.* Ipſi intimos ſenſus ſuos abdentes ſic ſecum reputabant, ſuo id conſilio, quod coquebant, mandatoque, quod à Senatu acceperant, fore aptiſſimum: altero ſcilicet compede hoc flumini injecto facilè ſe pro libitu flumine uſuros: convectationes, & commercia, quæ Weſtfali, quæ Oldenburgenſes per Amaſum Lædamque cum Friſiis exercent, ſui arbitrij eſſe futura, atque hinc maxima porrò in remp. ſuam profluxura commoda: utramque Amaſi ripam duobus præſidiis infrà ſupráque collocatis vi & metu oppreſſam ſuum facilè imperium accepturam. Aſſentientibus Grethanis, ad vulgum deinde, quæ ei demulcendo, aut decipiendo idonea maximè videbantur, de exulum molitionibus, qui infeſti populo, & libertati eſſent, de Monaſterienſium incurſibus reprimendis ſpargebantur. Mox ſubvecti flumen, ſubitò locum in confluente occupant. Ejus loci talis natura eſt, ut hinc flexuoſo Lædæ meatu, qui ex Oldenburgico & Monaſterienſi agro triplici fonte navigabili aquas ſuas colligit, inde profundo Amaſi alveo penè totus, uno tantùm relicto anguſto latere, quo continenti cohæret, in modum peninſulæ exiguæ, vix quæ aream arci præbere poſſit, ſit circumfluus. Qua verò parte reliquæ terræ connectitur, propter ſoli limoſi & depreſſi ingenium non niſi difficilimè pleriſque anni menſibus adiri poteſt. Nec quicquam ſanè proclivius fuerit, quàm minimo labore foſſam illic ducere, & in formam inſulæ aream illam redigere. Quem locum cùm cepiſſent

Hambur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Hamburgenſis, vallo primùm celeriter jacto ad formam militaris caſtelli, quo ſe, ſi qua vis fortè ingrueret, poſſent tueri, arcem deinde comportatâ undique materiâ pro fortuna temporis perfecere, perplexo & penè attonito populo. Anguli Lerani nomen ex ſitu arci novæ datum. Ei Egericus Beijerfletus è ſenatu Hamburgenſi cum præſidio præfectus impoſitus. Mandata præfecto palàm ad vulgi animos placandos data, ut ex uſu Hamburgenſis civitatis, ac Friſiorum Orientalium contra communes hoſtes arcem tueretur, motuſque prohiberet. Atque ità vulgo tum creditum. Edſardus & Vlricus etſi in opus novum conſenſerant, tamen quòd diffiderent ſociis, vererenturque contra fœderis leges imperium iis in locis conſtituere in animo eos habere, in ſollicitudine nonnullâ opere jam perfecto, ac præſidio impoſito fuêre: iſque metus auctus cùm Slotelburgo, quæ arx ad Deteram modica fuit, inſidias tendere eoſdem accepiſſent. Quamobrem, ut conſiliis eorum prudenter occurrerent, hominem fidelem ad arcis illius dominum Popconem Inenium misêre, qui de inſidiis Hamburgenſium indicium perferret, ſimulque, ſi is ſibi diffideret, cum eodem ageret ulterius, ut receptis in Broecmeriâ agris, arcem Edſardo & fratri in tempore cederet: alioquin non eſſe, quòd bello deinde petitus opem ab ipſis expectaret. Popco re inopinâ perturbatus, conditione acceptâ arcem tradidit. Illi præſidio ſuo impoſito ſine offensâ Hamburgenſes avertêre. At hi ea fruſtrati ſpe (ſi vera ſunt, quæ Egericus Beninga ſcribit) pertinaces in propoſito mox alium locum ceperunt ad Lædam flumen peroportunum, paulùm infrà Deteram, ubi campus editior, in cujus extremo Detera eſt, initium ducit, & paludum, humentiſque & depreſſi ſoli poſitus viam militatem ad ipſum flumen coarctat. Illic arx tumultuario opere celeriter exſtructa, à defixis ad deſignandam primam aream bacillis, ut à majoribus traditum, Stichuſa eſt appellata. Senator Hamburgenſis Paridonus Lutichius præfectus ei datus cum præſidio. Hanc rem ferre magis, ne ſocios offenderent, quàm probare Grethani videri voluerunt: eaque per vulgum ſparſa fama. Quanquam non deeſſent, qui colllusionem eſſe, atque ex compoſito hæc fieri omnia, longeque alia, quàm vulgò exiſtimaretur, Grethanorum cum Hamburgenſibus clam inita eſſe conſilia ſuſpicarentur. Ego ab ipſis Grethanis Stichuſam eſſe conditam Slotelburgo everſo, aut extructam ab Hamburgenſibus, haud multò tamen poſt ipſorum poteſtati traditam, propterea quod nullam hujus in tranſactione cum Hamburgenſibus, quæ deinceps ſecuta eſt, mentionem fieri videam, extra controverſiam habendum puto. Quicquid verò ſit, boni publici prætextus (qui hîc quoque titulus præferebatur) eò faciliùs apud vulgum valuit, quòd non ſatis pacatis vicinis ſuis Oldenburgicis Mormerij & Lengani eo fortè tempore uterentur. Quam ob cauſam Lengana quoq; arx haud multò poſt ad Sandam vicum in ipſo Friſiæ aditu, ubi ex paluſtribus deſcenditur, ab iiſdem Grethanis majoribus operibus, quàm priùs, fertur munita. His ſermonibus ſimul & rebus territi exules, qui jam antè fidere Hamburgenſibus non fuerant auſi (Imelonis enim Emdani exemplum erat ob oculos) niſi acceptâ priùs ſanctiore fide, aut parato firmo præſidio contra vim, in patriam ſibi redeundum non putarunt. Hamburgenſes verò cum ſociis conſulto ſuſpiciones illis augere, ſuam quoque diffidentiam oſtentare, rumores ſerere, non pacem ab exulibus, ſed bellum quæri, nec cupere eos niſi armatâ vi, atque oppreſsâ libertate populi, cui infenſi ſint, in patriam reverti: eam cauſam eſſe, cur hactenus reditum diſtulerint, atque adhuc differant, quòd nondum conficere tanta, quantis opus eſſe putarent, auxilia apud exteros potuerint: addere alia aut vera, aut vero ſimilia. Quibus hoc effecêre, ut illi deſperatis in univerſum pacatis mediis palàm jam de reſtitutione ſui per vim Epiſcopum Monaſterienſem ſollicitarent. Sed Monaſterienſis faceretne, quod rogabatur, an recuſaret, ambiguus diu, (erant enim multa, quæ eum tardabant, periculum belli, quod videbat imminere, ſi quid moveret, potentia eorum, quos in

bello iſthoc hoſtes erat habiturus, fœderati etiam in parte hoſtili, Fokconis &
filiorum ejus, ac generi, qui factionis & fœderis fuerant principes, mors, nec ul-
lùs ab iis relictus hæres maſculus, imprimis tranſactio nupera, quâ Occo erat è
cuſtodiâ dimiſſus) poſtremò ità reſpondit, ut qui rogabant, fruſtrà ſe laborare
animadverterent. Verùm nihil magis hîc antiſtitem & ordines ejus movit,
quàm ingens à potenti hoſte diſcrimen, quippe qui totam ſecum ſocietatem
civitatum maritimarum ac vicinarum defunctam jam bello Danico, & toti
dudum regno gravem tracturus eſſe videbatur. Itaque relictâ VVeſtfaliâ exu-
les in Hollandiam ſe contulêre maritimis Saxoniæ civitatibus inviſam, ſibi du-
M.CCCC. dum benevolam, auxiliaque illic contra hoſtes quæſivêre. Intereà Foſſa Imelo-
XXXVI. nis mater apud Emdanos fato conſumpta ſpeciem quoque, quam retinuerat,
poteſtatis Hamburgenſibus reliquit. Illi mutatâ ratione priore, præfectum, qui
non ſolùm præſidio ac mœnibus præeſſet, ſed civitatem quoque imperio rege-
ret, illic conſtituerunt. Quem locum primus tenuit Dietlevus Bremer, quem
ante memoravi, magnæ virtutis ac prudentiæ vir, & rerum Friſicarum ante
alios gnarus. Eo rebus præſidente fama percrebuit quanquam vana, exules ad
recuperandas res ſuas inſtructos copiis Hollandicis in patriam redituros. Hoc
aut creditum temerè, aut cupidiùs arreptum non parvæ calamitatis occaſioni
rebus exulum fuit. Nam Dietlevus, mandato ejus rei accepto à Senatu ſuo,
præſidiarios, quorum numerum novo delectu auxerat, Emdâ emiſſos interci-
pere arcem Oſterhuſanam juſſit, ne iſtic receptaculum paratum hoſtes habe-
rent. Verùm, qui arci pro Imelone præerat, qualicunque præſidio manus ru-
ſticæ, & paucorum ſtipendio conductorum, ita ſe invadentibus oppoſuit, ut re
infectâ diſcedere, nonnullis quoque deſideratis, nonnullis vulneratis, cogeren-
tur. Quâ fortunâ iritati magis quàm perculſi iidem pluribus adſcitis commi-
litonibus, & Emdenſium multitudine, quos ſingulari oſtentatâ benevolentiâ
Saxones ſibi jam conciliaverant, adjunctâ, tormentis etiam ad quatiendos mu-
ros eductis, quæ priùs defuerant, eòdem reverterunt, operibuſque lateritiis tor-
mentorum vi concuſſis, eos qui in arce erant, auxilia deſperantes ſe dedere co-
egerunt. Arx capta diruta penitus, & ſolo æquata eſt. Hintana quoque ſimul re-
dacta in poteſtatem. Inde Grimerſhemum itum: ea arx tormentis victa, de-
ſtructaque & in ruinis relicta. Hinc impetus Grothuſam versùs, turriſque va-
lida Rederti Beningæ, in quam vicini ab Hamburgenſibus diſſidentes ſe con-
tulerant, vehementiùs oppugnata & defenſa, poſtremò fulminibus etiam ipſa
ſuperata, diruta, exciſa: altera etiam eodem in pago ad occidentem pari mul-
tata modo. Poſt hæc Frebſumanâ arce ex itinere occupatâ nullo negotio, &
diſiectâ, in Weſterhuſanam, quæ Ewonis erat ſororij Hiſconis Emdenſis, ſeſe
victores torrentis in modum incitarunt, & bis non ſine clade rejecti cum mu-
nitionibus confiſum, & neſcio quam auxilij ſpem fovens acriter ſe præſidium
tueretur, tertiâ demum oppugnatione per vim eâ potiti ſunt. Tum funditus
ſubverſam exciderunt iræ indulgentes ſuæ. Larletanas quoq; munitiones, quan-
quam annalium ſcriptores non memorent, everſas eodem victoriæ curſu planè
perſuaſum mihi habeo. Ità exciſis omnibus locis munitis, aut occupatis, reditus
exulibus eo tempore præcluſus. Materia deſolatarum arcium poſteà Emdam
convectata, atque ad muniendum diligentiùs oppidum, turres portaſque ex-
truendas converſa. Inter hæc Groningani rebus ſuis cum agro vicino conſtitu-
tis, ad eoſdem Hamburgenſes, qui Emdæ erant, miſſis legatis, colloquio diem
dici, ſicut antè convenerat, de omni cõtroverſiâ componendâ, ac pace firman-
dâ poſtularunt. Die dictâ Muntæ, quam etiam tum præſidio tenebant Hambur-
genſes, adfuere illic Dietlevus prætor Emdanus, legatiq; Groningenſium: illic
convênit, ut deſignati utrinque viri prudentes & boni poteſtatem tranſigendi
haberent, iiſque arbiter ſupremus, qui eorum ſe diſſenſui interponeret. addere-
tur chorepiſcopus, uti vocant, Monaſterienſis: intereà & cum Monaſterienſi

ageretur,

ageretur, de negotio hoc in ſe recipiendo, & Dietlevus animum ſenatus ſui
Hamburgum profectus exploraret, &, ſi poſſet, conſenſum ejus in eandem
hanc rem impetraret. His omnibus effectis, Dietlevus quarto Idus Auguſti ad
Groningenſes ſcribit, ſenatum ſuum aſſentiri: petere igitur, ut legatum ad ſe
mittant Muntam, quo cum conſtituat certum colloquij diem ac locum, ad
quem deſignati omnes, & imprimis Monaſterienſis, poſſint adeſſe. Illi legant
duos. Ab his conſtitutum cum Dietlevo, ut ad XIII Calend. Octobr. Emdæ
conveniretur. Verùm cùm aliquid interveniſſet Groninganis, quo minùs ſuos
tempeſtivè poſſent mittere, petentibus ipſis primùm dilata res in diem alterum
Dominicum poſt Michaëlis: mox à Monaſterienſi quoque rejecta in diem ab
eo octavum. Ad quem cùm tandem conveniſſent omnes qui adeſſe debebant,
tentataque res eſſet, tamen confici non potuit. Nam præter priora, quæ ani-
mos in diſſidia diſtraxerant, nova ſubinde proveniebant. Ailco quippe præſi-
dio militum, & amicitiâ Hamburgenſium ferox continere ſe non poterat, quin
committeret, quæ iritandis Groninganis eſſent, fœduſque eorum abnuebat
prorſum, eique impedimento ubique erat; qui in eâ viciniâ conjuncti cum ci-
vitate erant, hos quibus poterat modis premebat, variiſque incommodis affi-
ciebat, multos cogebat cedere in exilium; ne itinera quidem ſinebat eſſe nego-
tiantibus tuta. Idemque ferè de Eppone Brocæo ferebatur, quem Edſardi &
Vlrici fratrum affinitas animabat. Nam ſoror horum Frowa à morte prioris
mariti Sibonis Dornumani, ex quo Sibonem juniorem Eſenæ dominum ſuſtu-
lerat, cùm complures annos ſine viro manſiſſet, tandem in ejus ſe thalamum
non ita dudum contulerat. Et inciderat Epponi etiam recens controverſia
cum Ditmaro Rengero civitatis gratiâ florente, de poteſtate prætoriâ in Diurs-
woldiis, quam uterque in ſe volebat trahere. Cujus occaſione contentio ejuſ-
dem cum civitate, velut oleo caminis affuſo, acriùs quoque incenſa fuit: quæ
eò jam uſque exarſerat, ut non ſolùm, quod aliis in agri partibus oppidani uſur-
pabant, Eppo non ferret in locis ſuis, verùm ne negotiandi quidem copiam,
non emendi, non vendendi iiſdem concederet. Itaque diſceſſum ex colloquio
animis etiam magis exulceratis: injuriæque plures ſecutæ. Anni ſequentis prin-
cipio, qui fuit M. CCCC. XXXVII Hamburgenſes offenſi vicinitate arcium Neſ-
ſanæ & Wilgumanæ, aut dominis earum irati, eas ipſas militari vi occupatas M.CCCC.
demoliti ſunt, ne quid oppido obeſſent, materiamque omnem ad extruenda XXXVII.
oppidi mœnia contra Amaſum converterunt. Mox à Paſchatos Groningæ de-
prehenſus homo Amerſfurto ortus, atque in vincula conjectus cum fratre, vi-
tioſæ monetæ apud Harenſes in vico vicino cuſæ reus, & circiter Pentecoſtes
infami ſupplicio in publico affectus: frater, qui ob ætatem minore in culpâ eſſe
videbatur, precibus antiſtitis Adoardiani & aliorum condonatus. Paucos de-
inde poſt dies allatæ eôdem ſunt litteræ imperatoris Sigiſmundi, cum ſigillo
ſenatus Colonienſis, quibus imperator civitatem proſcripſit ob non receptum
novum epiſcopum Vltrajectinum Wolravum Morſenſem, cui honorem pa-
tres Synodi Baſileenſis contulerant. Sed cùm Vltrajectini in fide mallent Hen-
rici Diepholdij perſiſtere, cui etiam Groningani adhærebant, & Eugenius IV
pontifex concilio ſe opponeret, imperatorque eodem adhuc anno jam ver-
gente excederet è vivis, nullum ex eâ proſcriptione incommodum accidit ci-
vitati. Quo tempore in præcipiti pax ſtabat inter civitatem eandem & Ham-
burgenſes, animis utrimque ad vim jam ſpectantibus; cum Edſardus Gretha-
nus, ut erat ingenio miti, & futurorum provido, ac pro ſororio quoque ſuo
ſollicitus, ad colloquium rurſus rem deduxit. In eo arbitri utrimque delecti,
hinc Bebbo præpoſitus Grothuſanus vir littetatus, & magno rerum uſu, ex
ſacro ordine, Hermannus Simon civis Emdenſis mercator locuples, inde Lu-
verdus Vſquerdanus, Ditmarus Rengerus Farmſumanus ambo præpoſiti, iique
fælici tandem ſucceſſu Muntæ, vergente jam menſe Auguſto, inter partes

tranſegêre. Ex hac tranſactione Groninganis fori jus relictum in rebus in agro vicino natis: Hamburgênſibus Amaſi fluminis uſus liber permiſſus: cum iiſdem pax perpetua & amicitia conſtituta: controverſiæ, quas cum Groninganis, Hamburgenſibus, atque aliis per agrum vicinum ſeu nobilibus, ſeu plebeiis habuerat Ailco Howerda Muntenſis, ipſiuſque frater patruelis Eggo Howerda, itemque, quas cæteri, omnes compoſitæ; exulibus reditus & reſtitutio bonorum certis legibus decreta. Epponi, in quem duriores erant Groningani, in gratiam Edſardi reddita quoq; pax, & fortunæ omnes in biennium: adjectumque, ut tam Groningani quam Eppo binos deligerent intereà, atque Emdam mitterent, quibus poteſtas eſſet, ante induciarum exitum de omni causâ cognoſcere, & per ſententiam controverſiæ finem dare: induciarum finis eſſet ante Calend. Iulias, anni M. CCCC. XXXIX. Caput de exulibus ab Eppone & Ailcone, quò certiùs obſervaretur, peculiaribus etiam litteris eſt probatum. Atque ità exules, qui erant è præfecturâ vetere, lociſque aliis ejecti poſtremis his tumultibus, domum ſunt reverſi. Præſidium Hamburgenſe volente Ailcone in arce Muntenſi ad tempus manſit. Sed accidit non multò poſt, ut Habbo Suterius Emdanus ex ordine negotiantium in agrum Groninganum profectus quæſtus causâ frumentum illic coëmptum, navique jam impoſitum pararet exportare. Quo cognito, mercatorum Groningæ præfectus, quod id contra civitatis jus eſſet commiſſum, frumentum unà cum navi vendicatum ærario, Groningam juſſit pertrahi. Quam ob cauſam præfectus Emdanus Hero Vdenius, qui Dietlevo nuper ſucceſſerat, ab Habbone rogatus circiter Calendas Novembr. ad ſenatum Groninganum ſcripſit in hanc ſententiam: queri Habbonem civem ſuum, ſpoliatum ſe à Groninganis ſine causâ, altiſſimâ in pace, liberis ubiq; commerciis: crimini tantùm hoc dari, quod contra edictum Senatus frumentum exportandi causâ iſtic emerit, quod convehi in urbem, atque ibi venundari oporteat: rogare ſe, ut in gratiam ſuam hoc erratum deprecanti condonent, navemque cum onere reſtituant, ac mulctam remittant, ne qua inde offenſio, & ex offenſione incommodum inter vicinos exiſtat: maximè cùm conſtet, ab hominibus ſuis triplo aut quadruplo majorem frumenti modum iſtuc importatum, Dammonâque Groningam vectum: quod ſi faciant, ſua ipſis officia viciſſim non defutura. Verùm Emdanus, quod voluit, impetrare his litteris à ſenatu non potuit, qui remiſſionem facilem minuendo civitatis ſuæ juri eſſe putabat. Itaque novæ ſimultatis principium hinc ductum, aliaque paulatim addita, quæ animos vixdum conciliatos rurſum diſtraxêre. Eodem tempore ultra Lavicam in viciniâ Doccumanâ diſſenſiones hoſtiles exiſtere inter familias
M.CCCC. XXXVIII. nobiles, quarum principes erant hinc Menno Iaijus, Saſcherus Doniæus, Leo Vffinga, illinc Sizo Siccama, Ieppo Ieppius: hi præſidium circùm ſe, & in arcibus ſuis habere, injuriis mutuò ſe afficere, pedetentim res ad tumultum popularem ſpectare. Sed intercedentes ordines cæteri, ne ob paucorum libidinem, maximo cum omnium malo, pax publica diffflueret, adegêre eos, arbitrio bonorum litem ſuam permittere. Ad eam rem delecti ab ipſis ad IV Calend. Septembr. Bocco Iarla, Bennerdus Hayngus, Weno Reniconis filius Gaſtanus, & Siricius Mellæus: hiſque lex dicta, ut cauſam cognoſcerent maturè, & ante VIII Calendas Martias anni ſequentis M. CCCC. XXXIX ſententiam pronunciarent: intereà partes juratæ à vi abſtinerent, ſtipendiarios miſſos facerent, quaternos modò ſatellites ſingulis in arcibus haberent; hos pacem turbantes magiſtratibus traderent, aut pœnam pro iis penderent; pœna eſſet DC coronati arbitris & oppido Doccumano ſolvendi, præter infamiam, & amiſſionem juris in totâ lite: poſtremò obſides darentur utrimque bini, qui in cuſtodiâ manerent arbitrorum, quoad ab ipſis dimitterentur. Suntque hac de re confectæ ſolemnes litteræ idiomate Friſico vetere ſcriptæ, & ſigillis ſignatæ quinque: quas in tablino reip. Groninganæ ſervatas vidi ipſe, & legi. Arbitri ad concordiam

diſſiden-

diſſidentes redegêre. Intereà gliſcentem inter Hamburgenſes & Groninganos ſuſpicionem ac ſimultatem tacitam non parum augebat Suederi Banconis hominis militaris temeritas: qui nave, quam ab Hamburgenſibus cum claſſiariâ manu in prædones acceperat, in inſulam delatus Rottumanam, atque illic in negotiatores Groninganos, eorumq́ue ſocios incidens fortè res ipſorum omnes diripuit. Eodemq́ue tempore Ailco Howerdæus præſidio Hamburgenſi, ut dixi, ferox à ſpoliandis mercatoribus in ditione Groninganâ non temperaverat. Ea vero ferenda non putantes Groningani, avidi ſemper injuriarum perſecutores, ad exitum menſis Auguſti paratâ clam manu armatorum, & per noctem Muntam miſsâ, arcem Ailconis cum præſidio Hamburgenſium cepêre, unoq́ue facto binos inimicos ulti ſunt. Arci captæ Ludovicum Hornkenium præfectum impoſuerunt. Inde Epponis Gockingæ domum quoque invasêre ob ſocietatem conſilij cum Ailcone: & paucis à diebus turrim validam in Bellingowoldiis ſubito oppreſſam impetu ſolo æquarunt. Ailco evolutus fortunis, mutuatus à neceſſitate conſilium, non multò poſt cum Groninganis pepigit his conditionibus; ut ipſe cæteris omnibus rebus ſuis reſtitutus, acceptâ à Groninganis certâ pecuniæ ſummâ, pacem cum omnibus vicinis, & cum Groninganis coleret, vi nihil ageret, juris cognitioni ſe ſubmitteret, judiciis pareret, intereà arcem ſuam cum modo agri c c jugerum oppidanis iiſdem pignoris loco relinqueret ad id uſque tempus, quo de omnibus eſſet inter ipſos plenè definitum. Et Edſardus propter ſororium, Hamburgenſes ob captum præſidium ſuum, atque in cuſtodiâ retentum, hoſtile tum moverunt nihil, propter eà quòd periculi & metus ſatis eſſet aliundè. Exules namque apud Haganos in Hollandiâ ſede poſitâ omnem movebant lapidem, ut ad ferendam ſibi opem Hollandos in re maritimâ validos impellerent. Eam ad rem aptiſſimum videbatur, quod in orâ ſitæ civitates hujus gentis, ex recenti maris ſtudio, æmulatione atque odio contra civitates maritimas Germaniæ, quas orientales dicunt, laborabant. Ad hoc vitij aliquid fecerat proximis annis amicitia, quæ ſolet inter omnes Belgicas regiones Philippo potentiſſimo principi parentes, & has ipſas civitates intercedere. Verùm incommodè accidit, quod intereà dum ſollicitant exules, atque opem quærunt, tranſactio inter omnes Philippi populos, & ſex urbes Vandalicas, in quibus & Hamburgum eſt, intervenit. Sed ea tranſactio æmulationem hominibus nauticis eximere non potuit, cùm nec Hollandi recenti ſtudio, quod cumulandis opibus eſſe experiebantur, in gratiam æmulorum decedendũ, nec orientales poſſeſſionem antiquam tanquam vetus patrimonium ſuum multis fœderibus quæſitum deſerendam ſibi arbitrarentur. Quâ ratione fiebat, vt quamvis pax publica conſtaret, & commercia non impedirentur, tamen ita nauigarent utriq́ue, ut ſi in æmulos inciderent in mari, ad dimicandum eſſent parati, ac mercatores quaſi bellum inter ſe privatum gererent. Id adjumento exulibus fuit, tandem ut celato conſilio navigia aliquot prædonũ manu & tormentis inſtructa conficerent, quibus in patriam reveherentur. Sed ut juſti ſpecies facta adderetur, ſimulq́, aditus Hollandis præclaro titulo aperiretur in Friſiam, priuſquam ſolverent, ex conſilio procerum Hollandiæ in fidem ſolenni more ſunt à principe Philippo recepti, defenſioq́ue, uti ſubditis, contra injuriam facientes ipſis promiſſa. Tum navibus conſcenſis ita pararunt ſeſe, ut ſi vis obſiſteret ab Hamburgenſibus, tueri ſe ipſi, & portum aliquem armis capere poſſent: ſin occurreret nemo, pacatâ ſpecie venire viderentur. Subvecti dehinc Amaſi oſtium inoffenſo curſu Larleti portum ſilentio noctis tenuere, vicoq́ue ſine pugnâ ſunt potiti. Eâ intellecta re Nicolaus Fetelius ex ſenatu Hamburgenſi præfectus Emdanus, Heroni nuper ſurrogatus, omne momentum in celeritate poſitum exiſtimans, juventutem ſuam armat quam ocyſſimè, Edſardicos, quotquot poteſt, adſciſcit, omnes torrentis inſtar in vicum ab hoſte inſeſſum immittit, eumq́ue tantâ invadit vi, ut reſpirandi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſpatium hoſtibus ſubitâ pugnâ perturbatis nullum relinqueretur. Sed erant illi ad quævis pericula & caſus ſubitos ità parati, uti non facilè animis deficerent, audaces & manu prompti: itaque difficilem admodùm oppugnantibus victoriam efficiebant, hortantibus imprimis voce & exemplo ducibus exulibus. Verùm feſſi tandem ac fracti, magnoque numero cæſi, creſcente ex confluxu oppugnatorum numero, qui ſupererant, ceſsêre fortunæ, aliique ſtatim capti, alij fugâ ad naves ſuas elapſi. Quos perſecuti Edſardici ante alios, quorum dux Banco Nordanus, & raptim in celocem ſe inferentes tanto terrore eos perculêre, ut plerique deſertis navigiis cum onere & tormentis in proxima ſe brevia ejecerint, atque ægrè ſe ſervarint, nonnulli in agrum Groninganum, quidam in inſulas evaſerint. Navigia deſerta intercepta à victoribus, & Larletum aut Emdam ſubducta. Inter captivos, qui in vico ſe dedidêre, exules Imelo Oſterhuſanus, Aioldus filius ejus, Fridericus Larletanus, Redertus Grothuſanus fuêre. Ii cuſtodiæ traditi, cæteri inopes ac nudi dimiſſi. Res geſta ad IV Calend. Novembr. anno M. CCCC. XXXVIII. In prædâ tormentum fuit ex medio genere, confectum è ferro, quod in uſum ſuum Nicolaus Fetelius pecuniâ de militibus emit, materiem novæ litis inter vicinos. Nam tormentum hoc ſuum eſſe Siſo Caſſæus ſenator Groninganus, & Rudolfus Vmmenſis ejuſdem oppidi mercator ferebant. Cujus vendicandi causâ hominem Emdanum Bernardum Winterum negotiorum gratiâ Groningam venientem ope magiſtratus ſui urbe exire vetitum ad præſtandam fidejuſſionem in rem hanc, Fetelio non appellato, adegerunt. Id per ſe indignè ferens Fetelius, & fidejuſſorem ſecurum eſſe jubens, poſt aliquot ſeptimanas epiſtolam accipit à Groningano ſenatu, quâ pro Caſſæo & Vmmenſi intercedebatur. Sed & aliud acciderat paulò ante, quod aſperandæ offenſioni erat. Ioannes Schartus quondam bello Friſico captus à Dietlevo Emdenſium præfecto, in Hadelerio agro ſub epiſcopo Bremenſi domicilij ſedem habens, & Fetelio nuper à famulatu, initâ cum Stenhovio cive Groningano negotiandi ſocietate, concubiâ nocte cum navigio mercibus onerato portum Emdanum prætervectus fuerat. Id verò & præter morem, & nuper adeò à Fetelio firmandi juris ergò diſertè publico programmate rurſum vetitum. Itaque Schartum non multò pòſt prehenſum Fetelius in vincula conjicit, navem & quæ in navi, publicat, ipſum à paucis diebus increpitum dimittit. In ejus verò gratiam & Stenhovij cùm ad eundem Fetelium ſcripſiſſet idem ſenatus, ille ſeptiduo ante natalem Domini ſtomacho plenus ad utramque epiſtolam reſpondet in hanc ſententiam. Mirum meritò videri ſibi, quid ita ſpolia manifeſto ex hoſte parta cives Groningani ſibi vendicent: Banconem enim ſtipendia Edſardi merentem tormenta ex pugnâ Larletanâ fugienti hoſti abſtuliſſe, atque ità omnes ſibi memorare: Ea Emdam deportata in uſum ſuum à ſe empta, pretium rectè ſolutum: mirari etiam, quòd denunciet ſenatus, niſi reſtitutio fiat, non poſſe ſe non concedere civibus ſuis, ut quod fieri ſolet, facto reſtitutionem damni quærant, quam juris auxilio impetrare non poſſint: præſertim cùm ſciat, nemine adhuc poſtulato, viam hanc multò antè tentaſſe ſenatum, civique Emdano fidejuſſionem præter æquum extorſiſſe: Quòd ſi quid fortè ſecus habeat, quàm ſit ad ſe de tormento iſthoc ipſo relatum, & commiſſum aliquid ab Edſardicis, non tamen par eſſe, id ſibi imputari, atque à ſe repeti; nec rectè ab ipſis fieri, qui contra morem, contra legem, adeoque contra pacta recentia, id etiam, quod ſuum eſſe arbitrentur, iſthoc vendicent modo: Petere igitur, ut ab actionibus hujuſmodi violentis & iniquis in eos, qui in ipſius, & ſenatus Hamburgenſis fide ſint, abſtineant in poſterum, neu committant, ut animis irritatis majoribus malis aditus patefiat. Ad Stenhovium & Schartum quod attineat, certè injuſtum eſſe ſenatus poſtulatum; nec detrectare ſe de hoc ipſo, quorumvis hominum bonorum cognitionem & judicium legitimum: Schartum enim facto ſuo, violato portus jure,

vectigali

vectigali non ſoluto, dum furtim prætemavigat, publicatamque legem contemnit, in juſtiſſimam pœnam incidiſſe: nec in Groningenſium, ſed in Bremenſis epiſcopi fide eum eſſe, ac in famulatu quoque ſuo, ut mirum etiam hoc videri queat, quid tãtopere pro eo ſenatus laboret. poſtremò rogare ſe, ne ſiniſtrè accipiant reſponſum hoc, neu cupidinem magis in capiendis conſiliis quàm æquitatem ſequantur. Reſponſo feroci cùm pari modo occurrerent Groningani, eſſetque aſperatio ulceris ex præſidio Muntenſi nondum dimiſſo, deinde alia quoque aliunde accederent, imprimis ob Epponem inimicitia inter Edſardum & Groninganos ad maturitatem uſque grandeſceret, iſtuc paulatim res fuit relapſa, ut bellum imminere in proximum tempus vernum ruptis fœderibus videretur. M.CCCC.XXXIX. Sed intervenit denuò ſollicitudo ac diligẽtia prudentum, patriæ paciſque amantium, & peſtem jam ingerentem ſe velut in limine avertit. His argumentum maximum ad movendos diſſidentes animos, præſens ab Hollandiâ diſcrimen. Quis enim, ajebant, tam ignarus rerum ſit, qui non intelligat, quo in utroſque animo ſit populus iſte? qui neſciat, quam ſæpè ab eo arma capta, bella geſta, inſidiæ ſtructæ ad pedem in Friſiâ figendum, & imperium conſtituendum? Quis adeò ſapiat parum, qui non proſpiciat, communem hunc hoſtem tanto jam principe nixum, florentem fortunâ, domeſticis turbis non impeditum, tam ſpecioſo ab exulibus fretum titulo, horumque querelis & precibus aſſiduis incitatum, ſi partes ad arma temerè proſilirent, occaſionem non eſſe neglecturum? dimicanteſque inter ſe, ac diſtractos nullo penè labore, nullo diſcrimine oppreſſurum? Imprimis Edſardus Grethanus prudens ipſe, nullique conſilio inferior, tum monitus ab his, qui hæc diſſerebant, cum iſtuc inclinaſſet, haud parvo rei momento fuit. Itaque Emdæ congreſſi tandem ſtudio ejuſdem Nicolaus Fetelius præfectus Emdanus, pro Hamburgenſibus, Eberhardus largæus conſul, Henricus Baroldi, VVarnerus Faber ſenatores, pro Groninganis, ad v Calend. Februarij ita convenêre, ut ſi ab ſe impetrari Groningani ſinerent, ut milites Hamburgenſes Muntæ captos cum omnibus ipſorum rebus dimittant ſine morâ, tum pax eſſet utriſque uſque in diem VIII Calend. Iulij, omniſque offenſa à tempore initæ pacis perpetuæ contracta conquieſceret: intereà conventus indiceretur, & haberetur loco utriſque commodo, in quo delecti utrimque, & iſtuc miſſi ex ordine ſenatorio in offenſas inquirerent, eas cognoſcerent, de iis decernerent antè terminum illum temporis prædictum. *Commercia verò pro loci cuiuſque more ac lege eſſent libera, & extra pericula: nominatim Groningenſibus, ac qui in ditione eorum, liceret naves inſtruere frumentarias, frumentum coëmptum, quò vellent, vectare; eâ tamen lege, ut Emdanum priùs portum ſubeant, onúſque civibus eius oppidi. & qui in fide ſunt Hamburgenſium, venum proponant.* Simul controverſia inter Epponem & Groningenſes per inducias iiſdem his conditionibus in tempus quoque idem ſuſpenſæ, operâ Nicolai Fetelij præfecti, Hermanni Simonis, Michaëlis Ringi è numero civium Emdenſium, præſente probanteque Edſardo Grethano, & iis, quos jam nominavi, ex ſenatu Groningano. Ailconis Howerdæ ob pacta priora nulla tum mentio. Præſidium Hamburgenſe è cuſtodiâ ſtatim dimiſſum cum rebus ſuis: omnia quieti reſtituta ad tempus. Intereà qui in vinculis habebantur exules, ad lamentationes ſe vertere, queri, injuriam ſibi ſummam fieri, juſque commune gentium in ſe violari: Nec enim ut vim facerent cuiquam, ſed ad colloquium ſe offerendi, ſuaque pacificè repetendi causâ ſe veniſſe ſecutos pacta priorum temporum, & eâ pace imprimis fretos, quæ nuper inter maritimas Saxoniæ urbes & provincias Burgundicas erat compoſita: Quæ verò arma habuerint ſecum, in eum modò finem habuiſſe, ut ſe ab inopina vi tuerentur. Verùm cùm inanibus querelis nihil proficerent, per Folcmarum Allenium Imelonis filium, qui vel evaſerat nuper è clade, vel in Hollandiâ remanſerat, ordines Hollandicos auxilium poſcunt.

poſcunt. Tum ſenatus Haganus ex compoſito Calendis Martiis anni hujus ejuſdem M.CCCC.XXXIX litteras expedit ad magiſtratum Orientalis Friſiæ, & conſules ſenatumque Hamburgenſem in hanc ſententiam: Imelonem & ſocios, qui in fide ſint Philippi principis ſui, graviter queri de compluribus injuriis, imprimis verò de inopinâ, & contra fas irrogatâ captivitate: Ità enim ſe accipere, judicaſſe illos, ſeſe quoque eâ pace comprehenſos fuiſſe, quæ inter civitates Vandalicas, & Hollandos, cæteraſque Burgundicas provincias proximè ſit conſtituta, eâque fiduciâ in patriam redire, & ſua repetere pacatè voluiſſe: ſed præter expectationem cuſtodiæ eſſe traditos: Id ſe valdè mirari, atque hoc ſcire, principem Philippum injurias tam manifeſtas ſuorum non eſſe neglecturum: Petere igitur principis ſui nomine, ut captivos ſtatim dimittant, & in integrum, redditis omnibus fortunis, reſtituant, ſuis rebus, quas à majoribus acceperint, uti frui quietè patiantur. Quòd ſi non faciant, neceſſe ſibi fore ejuſdem principis ſui nomine alia remedia adhibere, quibus conſuli injuriâ affectis, & de damnis ſatisfieri poſſit. Ad controverſias quòd attineat, ſi quas cum captivis habeant, æquum eſſe, ut legitimo judicio, ad quod captivi ſe offerant, ex legibus patriis finiendas permittant. His litteris velut belli denunciatione turbati Hamburgenſes, & eorum ſocij in Friſiâ, perplexis animis in conſilio titubarunt. Nam autoritas tanti concilij, potentia tam magni principis, qui regibus formidini erat, contemni quî poterat? Poſtulata verò admittere, id eſt, tantis opibus tam facilè decedere, atque unâ terreri epiſtolâ, non inutile ſolùm, ſed parum quoque virile videbatur. Et quid graviùs animis hominum, quàm imperio non ſperato ſolùm, ſed etiam parato, nullâ dum premente vi, nullâ cogente neceſſitate ſeſe abdicare? Nec tantùm in Friſiâ hujus rei causâ rectores erant ſolliciti atq; anxij, verùm etiam in ipsâ ſudabatur Hamburgenſi curiâ. Poſtremò, commento verſipelli, ad eludendam pacti fidem, declinandumque ictum proximum, ita comparatum inter ipſos fuit, ut certâ lege, magno ſilentio preſsâ, Hamburgenſes ad tempus rebus ſe Friſicis ſubducerent, Emdam, cæteraque cum hac cohærentia Edſardo, cui fœdus aut pactum cum Burgundo non erat, traderent, cum homagio ſecreto, & pactione de reſtituendo viciſſim obligarent. Eo facto, Edſardo in poſſeſſionem arcis & urbis Emdanæ palàm immiſſo, auxiliiſque promiſſis à ſe & omnibus civitatibus ſociis, ſi qua tempeſtas in ipſum hujus rei causâ ingrueret, clam onerato, ingentique pecuniæ ſummâ, velut fidei pignore, ab eodem acceptâ, Hagenſibus benignè reſpondent, ſui arbitrij rem non eſſe, qui opis ferendæ causâ in Friſiam modò ſint vocati, & certis fœderibus Edſardo cæteriſque ſociis obligati; operam verò & fidem in exulum causâ cum adverſariis componendâ ſi quis poſcat, non eſſe à ſe defuturam. Exules an tum ſtatim dimiſſi è cuſtodiâ, an aliquandiu pòſt, repetito ab Hollandis poſtulato & minis, mihi incertum. Edſardus Imelonem Heringium, quondam ſub Broecmeriis eodem munere functum, hominem ætate & uſu rerum gravem, Propræfectum arci Emdanæ dedit: αὐτονομίαν, ut erat juſſus, civibus reliquit. Simul Hima Izingia Nordana fato functa, ultima familiæ iſtius, Focconis quondam nurus, exulum cognata: cujus obitu, quicquid adhuc juris aut imperij apud eam Nordæ reſederat, id Edſardo etiam aſſcriptum. Sic fortuna ejus brevi tempore domi multum aucta. Foris interim minæ ab Hollandis, & intentata pericula. Quæ ideò contempta ab eo faciliùs, quòd non Hamburgenſium ſolùm fideret ampliſſimis promiſſis, ſed etiam pro certo cognoſceret, in ventos abiiſſe actionem de pace inter Philippum Burgundum, Galloſque, & Anglos, cujus magna fuerat expectatio primis hujus anni menſibus, & Hollandos propiore bello piratico, duce Henrico Verienſi viro nobili Selando, novoque æſtu certaminis cum maritimis Germaniæ urbibus de poſſeſſione maris diſtineri. Ita namque fieri videbat, ut curis his minoribus vacare, atque huc partem traducere virium non poſſent. Hoc temporis tractu idem

ſummo contendit ſtudio, ut omnes undique diſcordiæ inteſtinæ cauſas tolleret: imprimiſque in eo fuit, ut inducias litis inter ſororium ſuum, & civitatem Groninganam, compoſitis controverſiis omnibus, perpetuâ tandem pace finiret. Sed moras nectere oppidani, quibus inviſus erat æmulus ob pertinacem in tuendo jure ejus animum, cauſaſque contra ipſum quærere. Itaque ipſe ad eos ſcripſit leniùs primùm, deinde acriùs, pactorum admonens, tergiverſationem ac moram increpans, legatos etiam tunc cum mandatis Emdam mitti ad ſe de compoſitione flagitans. Pòſt cùm accepiſſet, injurioſiùs rurſum oppidanos eoſdem facere, res ſororij agere, ferre, eáque de re ad illos retuliſſet per litteras, illi reſponderunt, non credere ſe vera eſſe, quæ ſint ad ipſum delata: nec enim voluntatis eſſe ſenatus, defraudare Epponem, aut quicquam quod ejus ſit, ei auferre: Emdam autem legatos pacis arbitros mittere, non eſſe ſibi integrum hoc tempore, neque exiſtimare, id ut faciant, ex pacto ſe teneri, quod loci iſtius nunc mutata conditio ſit, nec ſit eo de loco ſimpliciter aliquid in poſtremis induciis promiſſum: alioqui ab actione hujuſmodi, loco commodo & tuto, non ſe abhorrere. Ad ea Edſardus ad diem VII Calend. Octobris: Nihil ad ſe delatum falsò; quinimò certum & compertum habere, oppidanos ſegetem ſororij ſui demeſſam in reip. horrea importaſſe contra pacta conventa, idque ſibi planè contra expectationem accidiſſe: de loco conventus in oppido Emdâ nolle quidem ſe urgere, nec obſtare, quo minùs trans Amaſum ejus rei gratiâ coëatur: ſed neminem ſe reperire poſſe ex amicis ſororij ſui, qui velit aut audeat flumen trajicere, fideique Groninganæ ſe committere ob non ſervata pacta priora, Epponemque verborum blandimentis in fraudem præſentem inductum: Attamen ſe pacis ac tranſactionis eſſe percupidum, conſultumque ſibi videri, ut eum in finem quocunq; loco non incommodo conventus quàm primùm inſtituatur, in id ſe omnem ſuam operam & ſtudium polliceri. Iis litteris acceptis perplexus Senatus ita reſpondit, ut juſſu ſuo non eſſe id factum de ſegete, ac aliis quibuſdam in Epponem commiſſis ſignificaret, culpamque in homines alios, qui in ſenatu non eſſent, conferre videretur. Quo reſponſo fretus Eppo, è plebe ruſticâ nonnullos, quos pro ſubditis habebat ſuis, in cuſtodiam abduxit, ut ex iis, qui viderant & adfuerant, adeóq; operam in re præſtiterant, certiùs de totâ re geſtâ cognoſceret. Id graviter ferens ſenatus, & ad civitatis ac ſuorum contumeliam pertinere exiſtimans, præſertim cùm acerbiùs aliquid egiſſe aut dixiſſe Epponiani dicerentur, quæſtus apud Edſardum, oſtendit, hujuſmodi facta morari concordiæ ſpem, & colloquium impedire: nec poſſe civitatem negligere tantas ſuorum injurias, è quibus ſi quid ſequatur gravius, id ſibi imputari non debere. Tum rurſum Edſardus pridiè Nonas Novembr. communicatâ cum Eppone re, Non putare ſe, facinus illud ſororij ad civitatis injuriam pertinere: nam homines, qui ſint in fide ipſius, comprehenſos, & in cuſtodiam ab eo datos eſſe, vt cùm nullum juſſum ſuum ſenatus hic agnoſcat, ex iis ſaltem poſſit de autoribus ablatæ ſegetis, confractæque per vim domus certum cognoſcere, quo habeat, quos apud judicem queat de injuriis poſtulare: Mirari verò ſe quenquam, qui in fide civitatis ſit, velut ſenatu ſuperiorem, facinus hoc fuiſſe auſum: & ſi quid peccatum viciſſim ſit ab Epponianis, dum facinus ulciſcuntur, id & dolori ſibi eſſe, & præter voluntatem ſuam accidiſſe: Iterum verò teſtari, nihil videri ſibi conſultius, quàm ut legatos arbitros cum plenis mandatis Emdam utrique quàm primùm mittant, qui & de erratis hiſce cognoſcant, & totam controverſiam tollant. Poſtremò rogat, ut quâ voluntate ſint, ſine morâ ſignificent. Verùm ſenatus ad ampliandas inducias, quàm ad tranſigendum de totâ causâ fuit eo tempore propenſior. Quâ de re certior factus Edſardus, Theodorum Scafferum ſenatorem, quocum erat ei notitia, quemq; autoritate valere in ſenatu arbitrabatur, ad ſe evocat; ei longo ſermone oſtendit, quantum interſit partis utriuſque, ac totius reip.

Friſicæ, rem non ſuſpendi ampliùs incertis induciis, ſed omnem ſemel controverſiam finiri, ſublatâque diffidentiâ, perpetuæ litis materiâ, amicitiam ac pacem ſtabilem componi: impetratque ab eo, ut reciperet, ad ſenatum ſe eſſe fideliter de re relaturum, & adjuncturum conſilium ac ſtudium ſuum. Sed cùm tardiùs etiam tum res procederet, ipſe denuò ad ſenatum litteras dat, quibus exponit, quid ſibi cum Scaffero ſit actum: idem ſibi etiam nunc placere, adeóque exiſtimare, eſſe hoc incolumitati reip. neceſſarium: rogare igitur enixè, & fideliter ſuadere, ut de tempore idoneo quàm primùm conſtituant inter ſe, & ſuos homines mandatis & poteſtate hujuſmodi inſtructos Emdam legare non graventur: ſe operam daturum, ut ſenem parentem ſuum æquitatis amantiſſimum, & Wibetum Eſenſem, alioſque ad actionem homines idoneos eôdem adducat: ſperare, hoc modo, cunctis in colloquio preſsè expenſis, concordiam ſinceram & pacem firmam in uſum maximum communis patriæ, ac omnium, quorum intereſt, perpetuam ſalutem conſtitutum iri. Id fuit poſtridiè Calend. Decembris. Atque his litteris cùm benignè reſpondiſſet ſenatus, polliceretúrq; legatos ſe Emdam miſſurum, ſecutus tandem illic conventus eſt, in quo tranſactum de omnibus: *Epponi ablatorum reſtitutio promiſſa; item omnium, quæ maiorum ipſius antè fuerant, prædiorum, ditionis, cæterarum rerum poſſeſſio & uſusfructus eidem, quàm diu viveret, addicta: pax & iniuriarum oblivio decreta: fidei ab Eppone ſervandæ Edſardus pro ſe & hæredibus ſuis ſponſor factus. Eppo in res ſuas ſtatim immiſſus: de nonnullis, quæ reſtitui è veſtigio non poterant, optimè eſt ſperare iuſſus.* Delectos arbitros, per quos iſta acta, ut & tempus ac locum, exprimi in annalibus aut actis publicis non invenio. Ab hoc tempore quietus res ſuas Eppo poſſedit, quoad in vivis fuit, quanquàm non abſque queſtu, ut ſuo dicemus loco. Atque hæc cùm agerentur, Edſardus quanquàm alterâ jam cum conjuge vivens nihil tamen liberorum ſuſtulerat. Nec Vlricus frater meliore ſorte agebat in matrimonio, quod cum Wibeti Eſenſis filiá inſignium opum hærede dudum inierat. Hac de fœminâ, & de ejus dote quomodò res habeat, paulò eſt altiùs hoc loco repetendum. Erat in Harlingiâ ſenio jam confectus Wibetus Eſenæ dominus, Grethanis fidus, & perpetuus ſocius, cujus mihi frequens jam facta mentio. Hujus de origine & rebus tam diverſa & incerta vulgò traduntur, ut quid ſequaris, haud facilè conſtitueris. Sed mihi ejus ætatis cuncta diligentiùs expendenti, & veterum rerum veſtigia in tabulis fœderum perſequenti, hoc maximè verum occurrit: Patrem ejus ad Freburgum editum modicâ re, in Harlingiâ Stedeſdorpij divites nuptias quæſiviſſe: his nuptiis ortos Ommonem Nordorpæ, non procul Eſenâ, ſedem habuiſſe, ac binos liberos maſculæ ſtirpis Izonem, & Wiardum ex ſe ediditſſe: Wibetum verò maternis opibus Stedeſdorpij ſuccedentem ex Onnâ conjuge Foelquam, & Gelam filias ſuſtuliſſe: Harum priorem deinde viro jam maturam Heroni cuidam Omconio, cui vetus aliquod jus, ac domicilium à majoribus acceptum Eſenæ fuiſſe perhibent, nuptum dediſſe: mox cum genero comparaſſe, ut is Stedeſdorpio in dotem accepto, ſibi Eſenam pertenuem tum vicum, ſed oportuno loco ſitum, & in quem ipſe jam antè ex parentibus aliquid teneret juris, dimitteret: Tum inito cum Grethanis fœdere, & armorum ſocietate, quo tempore Focconis factio Friſiâ eijciebatur, everſis multorum nobilium fortunis, arcem illic validam inſtituiſſe, vicumque excultum pedetentim in oppiduli formam vertere cœpiſſe: denique magnas opes, magnam famam obſcurato fratris nomine ſibi quæſiviſſe. Hero autem, quamvis filiam ex Foelquâ haberet, Onnam nomine, tamen ob perditos ejus, & præfractos mores, ſibique & avo juxta inviſos, exhæredem eam reliquit, omniaque ſua conjugem habere teſtamento moriens juſſit. Sed procaci ingenio puella magis irritata teſtamẽto patris conjugij ſponſione cum Sibone Dornumano admodùm etiam tum adoleſcente, quem Edſardi Grethani ſoror poſthumum Siboni marito pepererat, ignaris aut invitis iis, quorum in

poteſtate

poteſtate erat, ſe illigavit. Foelqua verò mariti opibus aucta majorem etiam hæreditatem morte parentis expectabat. Hæc tum pluribus petita procis, quòd indole & dote probabatur, Vlrici animum quoque movit. Nec quicquam proclivius Vlrico fuit, quàm nuptiis ejus antè alios potiri: Quippe quem præter juventam, decus familiæ, veteres opes, etiam virtus, ſuccreſcens indies gloria, magnæ ſpes, fraternum nomen, denique ipſius Wibeti benevolus animus provehebant. Et quò commendatior eſſet, Auricam regendam, partemque agri Nordani à fratre nuper acceperat. Igitur confectis nuptiis, Eſenam etiam, & quæ Eſenæ cohærent jura omnia, ob ſenium pertæſus curarum ſocer eidem ipſi in dotem ſtatim tradidit. Creſcente verò cum tempore nequitiâ neptis, ac Sibonis ſponſi ejus, magis etiam offenſus, anno demum M. CCCC. XL exeunte ad finem menſe Aprili, beneficium prius, cujus conditionem reſervarat arbitrio ſuo, in donum perpetuum convertit, donationiſque teſtes tabulas ſignatas eidem Vlrico dedit. In iis diſertè expreſſit, *Si è Foelquâ hæredes Vlrico non eſſent, ut omnia hæc ad liberos eius, ſi quos ex altero coniugio deinde gigneret, optimo iure tranſirent: ſin nullos omninò liberos moriens Vlricus haberet, Onnáque intereà cum Sibone rediret ad frugem, liberóſque pareret, tum demum, ut his potiùs, quàm alijs, Eſenam relinqueret.* Dono præterea has conditiones adjecit, ut Vlricus cum fratre Edſardo ipſi, propinquiſque ipſius omnibus, imprimis Gelæ filiæ contra inimicos præſidio eſſet: reditus in alimenta reſervatos permitteret liberos: ſacra ſacerdoteſque ipſius exemplo tueretur: plebem ruſticam nullâ injuriâ aut ipſe afficeret, aut quenquam alium afficere pateretur: manibus defuncti ſoceri quotannis ipſe & conjunx ritu Chriſtiano parentarent. Vlricus in horum poſſeſſionem ſtatim immiſſus: Wibetus ſeptennio ſupervivens, privatus apud generum, aut in cœnobio, quod tabulæ memoratæ indicare videntur, conſenuit. Filiarum ejus altera nupta quidem Tannoni Witmundano, aut Didoni Stadlandico, quod à nonnullis traditum eſt, ſed ſine prole fuit. Ex fratre verò Ommone Nordorpio, de quo dixi priùs, per Idſonem filium ſimiliter nulla ſoboles, per Wiardum autem Folkerſhuſij recto ſtemmate maſculino deſcenderunt. Quâ tempeſtate Edſardus obſecutus Emdenſium voto, quò eorum rebus ſe quoque benè velle oſtenderet, ipſoſq; beneficio ſibi conciliaret, clauſtrum majore rivo impoſitum juxta Oſterhuſæ arcem ad coërcendas aquas, ad quod clauſtrum aggeres utroque ex rivi latere ab orâ vſque & oppido Emdâ, etiam nunc paſſim conſpicui, pertinuère, ſublatum iſtinc ad ipſum oppidum rurſum conſtituit eo loco, ubi ad portam novam jam quoque extat. Atque hoc modo non commodis ſolùm alijs oppidum auxit, ſed etiam, ſi qua vis contra ipſum inſurgeret, multò munitius factum velut arcem belli in hoſtes præparavit. Ad hæc id ſtudij tum habuit, ut novis ſubinde obſequiis oppidanos demereretur, deinde univerſum oræ ejus populum coleret, damna ſarciret, jus curaret æquabiliter dici, & celerrimè expediri. Inter quæ Hamburgenſes fatigati precibus ſupplicum pro uxore & liberis Ailconis Howerdæ (is aliquot antè menſes diem obierat) intercedunt apud Groninganos, & reſtitutionem in integrum petunt: idemque faciunt alij. Quibus flexi animi Senatus, quanquam habere ſe iuſtiſſimas cauſas contra Ailconem & ejus hæredes arbitrarentur, tamen, ut æquitatem declararent ſuam, compoſitioni amicæ locum dedère. Ea ad IX Calend. Novembr. facta in hunc modum: hæredibus Ailconis, reſtituti omnes inter Amaſum & Lavicam agri, qui parentis ipſorum fuerant, ut iis uterentur fruerentur, quoad adoleſcerent in viros; tum verò de plenâ ageretur tranſactione, inque eâ ratio haberetur pactionis prioris initæ cum ipſo Ailcone ſuperſtite, cujus fuit caput de arce Muntenſi cum jugeribus agri CC reip. Groninganæ in pignus fidei aſſignatâ: intereà agri jugera centum in uſum ſuum retineret reſp. è jugeribus illis CC deſignanda ab Hiſſâ matre, ex conſilio atque arbitrio antiſtitis Muntenſis, ſacerdotis Dammonenſis, & ſenatorũ duo-

M. CCCC. XL.

rum reip.quæ ſint nec optima, nec deterrima; maneretque in poſſeſſione arcis
& totius cum eâ cohærentis juris prætorij: totoque eo tempore à nemine con-
veniretur hæredes iidem, aut mater eorum, aut Eggo patruelis de iis, quæ com-
miſſa erant in bello Ailconis cum factione inimica, & viciſſim neminem ipſi
convenirent inter Amaſum & Lavicam, omniaque integra manerent ad æta-
tem eorum maturam. Conditiones admiſſæ tum à fœminâ viduâ & liberis, ſed
querelæ non multò pòſt, velut malè ſanato vulnere, recrudeſcente dolore, in-
ſtauratæ. Ludovico Hornkenio præfectura apud Muntenſes à ſenatu conti-
nuata. Hollandi eodem tempore in mari volitantes infeſti civitatibus Germa-
niæ maritimis, magna detrimenta hominibus earum, & qui cum ipſis amicitiâ
erant conjuncti, inferebant, & (ut uſus habet,) viciſſim ab his ſummoperè infe-
ſtabantur. Hac contagione è viciniâ afflati, qui in Flevi orâ habitant, Worcu-
M.CCCC. mani & Hindelopij Groningenſium navigia cœperant deprædari, unum etiam
XLI. igne iniecto corruperant. Groningani viciſſim ultionis ſtudio graves illis terrâ
marique incubuêre. Ita naves aliquot hinc illinc captæ, res variè raptæ, multæ
concrematæ, homines intercepti, abductique in cuſtodiam. Sed impares cùm
ſe ſentirent VVorcumani cum Hindelopiis, deſtituti auxiliis vicinorum, quibus
pax erat cum Groninganis, quæſivêre, qui ſe interponerent, interceſſores: ad-
miſſique à Groninganis antiſtes Doccumanus, Oldermannus & Senatus ejuſ-
dem loci, bellum compoſuêre ipſis Calend. Auguſti anni M.CCCC.XLI: captivi
utrimque dimiſſi, naves quotquot erant adhuc incolumes, reſtitutæ. In Ruſtriâ
verò, & regione vicinâ, in quâ conclamatam libertatem à populo, fœduſq; cum
cæteris Friſiis percuſſum à morte Sibeti oſtendi, res ejuſdem Sibeti privatæ, im-
pare ad eas vendicādas ſorore Reinoldâ, cùm fluctuaſſent aliquamdiu, tandem
Haijo Harlæus agnatus ipſius, quem quidam aliâ ex matre fratrem, Ieveram
etiam, ſed valdè perperam, germanum fuiſſe, contendunt, acer, audax, manu
promptus, iis ſe miſcuit, ſocietate initâ cū Lubbone Onconio Kemoldæ ma-
rito, qui Cnipenæ ſedem poſuerat. Nec Harlæus antè deſtitit, quàm dum tu-
multibus omnia per Amaſanam plena erant, diſtracto rurſum per ſtudia popu-
lo, & labante libertate ipſe majori rerum parti dominum violenter, & contra
fas, excluſâ Reinoldâ, ſemet impoſuiſſet. Hujus uxor Iueſa, ſoror Didonis &
Geroldi, quos XX antè annos Bremenſes florenti ætate ſupplicio affecerant,
cùm opes nacta eſſet, temperare ſibi nequiit, quin maritū aſſiduò in vindictam
contra Bremenſes incitaret. Sed ille amicis potiùs ſibi opus eſſe in hac fortunæ
novitate, ac invidiâ, quàm inimicis, quantumvis animo ferox, cenſuit, lenire-
que vulnera, ſi qua ſupereſſent, quàm temerè aſperare, aut nova veteribus ad-
dere maluit: eoque conſilio uſum ad anni M.CCCC.XXXVIII initium à Burchar-
do Bremenſi archiepiſcopo, & Theodorico Oldenburgico Comite (ut alicubi
annotatum invenio) pacem mercatus eſt; paciſque hujus conditionibus Lub-
bo Onconis quoque aſſcriptus. Biennio pòſt, quod incidit in annum, de quo
jam ſcribo, in Tannonem Cankenium Witmundanum in locis bellum à
Grethanis eſt concitatum. Cauſa ferebatur nova ſocietas à Cankenio quæ-
ſita cum vicinis, & fœdus cum Harlæo percuſſum: quem in finem, niſi quòd
ægreſcerent illi tam proſpero fortunæ fratum afflatu, ac in ſocietate robur
contra ipſos & cum Hamburgenſium quærerent? Id verò non ferendum rati
Grethani, accitis in auxilium Hamburgenſium copiis, in hoſtes profecti non
procul VVitmundâ cum iis conflixêre, ac partâ facili victoriâ, quamvis auxi-
lia illis & Haijo, & cæteri miſiſſent, quidam etiam ipſi in pugnâ adeſſent,
multis in acie præliantibus occiſis, non paucos quoque in proximum rivum
compulſos oppreſsêre. Reliqui, qui effugere, aut in arcem vicinam ſe recipere
non potuerunt, capti. Tum impetus in arcem factus, in quam Tanno ipſe fami-
liæ princeps evaſerat. Quæ cùm primam vim ſuſtinuiſſet, omnibus obſeſſa co-
piis, ac tormentis concuſſa in poteſtatem venit. Captus eſt Tanno cum Hedone
aut

aut fratre aut propinquo, contraque datam fidem Hamburgum in cuſtodiam miſſus. Autores ſunt, qui affirment, non in arce, ſed in acie utrumque in hoſtium poteſtatem veniſſe. Quidam etiam Dornumi, quo in vico Cankenij quoque arcem habebant, non VVitmundæ hæc eſſe geſta, & in Accumanum rivum præterfluentem eos, quos diximus, demerſos periiſſe. Ab hac victoriâ ſtatim in Ieveranos, & Ruſtros ductum fuiſſet ad ulciſcendum Haijonem Harlæum, & complures, qui Tannoni ſuppetias tulerant, niſi peſtis mirum in modum ſæviens conſilium impediiſſet. Quâ non multò pòſt ipſe Haijo infectus in Ruſtria deceſſit, Tannone, & Sibeto filiis relictis. Eum ſecutus eſt eâdem lue correptus Edſardus Grethanus menſe Septembri, unà cum conjuge Frouwâ Berumanâ, quæ pridiè maritum anteceſſerat. Horum corpora Nordæ apud Dominicanos ſepulta, non procul ab Vdonis & Sibeti tumulis.

RERVM
FRISICARVM
HISTORIAE
Liber XXIII.

EDSARDI mortem varij animorum motus in omni cis Amaſum Friſiâ ſunt conſecuti. Nam qui fortunis ſe excuſſos ejus armis querebantur, ſublato repentè eo, ſpe & gaudio complebantur. At qui fœdere cum ipſo conjuncti fuerant, quive animum ejus promptum atque invictum in armis, prudentem in conſiliis, intrepidum in periculo, clementem in pace, in congreſſu facillimum, in jure dicundo integrum & incorruptum experti erant, quo numero multò maxima pars Ciſamaſanorum cenſebatur, nobiles, ſacerdotes, plebs ruſtica, in medio rerum curſu ablatum eſſe dolebant. Multi, qui turbarum pertæſi erant, extinctò repentè publici fœderis principe, ac Rectore legitimo penè totius Ciſamaſanæ, formidine novorum motuum tenebantur. Quin etiam ex hominum more, multus ubique de defuncto ſermo, dum res ejus, quas publicè geſſerat, moreſque variè æſtimant: Hi communi nomine ſuffragiis lectum contra nimiam, & libertati gravem Focconis potentiam arma induiſſe, eidem patriâ expulſo, aſſertâ libertate, ne privatis obſequi affectibus videretur, reditum conceſſiſſe: ſociis ejus, condonatâ offensâ, omnibus ignoviſſe: at cùm promiſſorum immemor pars adverſa nova conſilia denuò capere cœpiſſet, rurſum bellum civile ſumpſiſſe, & alios vitâ, qui in acie ſe obtulerant, alios patriâ, & fortunis meritò expuliſſe: Hamburgenſes neceſſitate reip. coactum communi tamen conſenſu in Friſiam evocaſſe: à quibus ſi quid profectum gravius, non illi, ſed communi in ejuſmodi re fortunæ, tribuendum: ipſum deinde à populo electum ſapienter patriæ præfuiſſe, læſiſſe quietum neminem, jus ex æquo dixiſſe, libertatem publicam, cùm poſſet, non ſuſtuliſſe: denique virtute partum novum decus familiæ ſuæ intuliſſe. Alij contrà, arcanis conſiliis callidè quæſitum, & conflatum eſſe fœdus, obtendiſſe cupidini ſuæ, & ambitioni reip. cauſam, tituloque ſpecioſo tuendæ libertatis ſibi potentiam, & imperium ſtruxiſſe: Quid in Foccone, & ſociis reprehenſum, quàm quòd Occone in cuſtodiam dato opes ejus inter ſe partirentur? quod

peregrinis auxiliis confiſi, ſeſe quàm univerſam remp. & libertatem omnium
plus valere vellent? At eadem auſum Edſardum, Hamburgenſibus Friſiam
aperuiſſe, & clauſtra Amaſi in ſummum detrimentum patriæ eorum poteſtati
permiſiſſe, unde expelli ne nunc quidem queant: Ejus culpâ abductum Ime-
lonem diuturnum ac indignum in carcerem, quem ad terminum nuper etiam
Tannonem, & complures alios in peregrinam cuſtodiam miſſos: Oſterhuſa-
nos, Grimerſhemios, Larletanos, Grothuſanos, multos prætereà, florem ſci-
licet nobilitatis Friſicæ, pleroſque etiam ſanguine propinquos, fortunis ex-
cuſſos; ob quod crimen manifeſtum, niſi ut ipſe ſe ſpoliis eorum ditaret? Broec-
merios, Nordanos, cæteroſque, Rectorem ſanè eum elegiſſe, ſed non antè
quàm armis, & potentiâ illius oppreſſi tenerentur. Quàm inanis porrò ſit
Occonis ſemicapti poſtrema voluntas? Quàm iniquè defraudatos hæreditate
avitâ Loquerdanos? Fuiſſet ſanè in armis fortis, callidus in conſiliis: benè
enim ſibi viciſſe: clementiam certè, facilitatem, juſtitiæ ſtudium, quoniam po-
pularia eſſe noverat, ſimulaſſe. Sed pauciores adversâ, quos dolor aliquis ure-
bat, multò plurimi ſecundâ famâ defunctum proſequebantur: Omnes verò de
futuris erant ſolliciti. Imelo Oſterhuſanus & ſocij, ſive tum recens è cuſtodiâ
educti, permiſſuque hoſtium ad res privatas conſtituendas ad certum tem-
pus morati in patriâ, ſeu quâ aliâ fortunâ uſi (nec enim id mihi certum) ar-
rectis Edſardi morte animis in novam ſe ſpem cœperunt erigere. Sublato enim
eo, qui rei gerendæ fuiſſet dux, & factionis princeps, exiſtimabant velut adi-
tum ſibi adapertum divinitus fortunæ recuperandæ. Nam Vlrico quidem
haud facilè fore rebantur, ſi quis modò motus exiſteret, in locum fratris ſeſe
ſubſtituere. Itaque ſive præſentes ipſi, ſeu per legatos ſuos & litteras ſine morâ,
dum luctus Grethanis eſt recens, & cuncta funeribus turbata, pertentant eos,
quos inimicis in factionem Grethanam animis eſſe ex injuriis, & in mutatione
rerum ſpem habere ſuſpicabantur. Quorum in numero antè alios Loquerdici
fuêre, qui Broecmeriæ ademptæ dolorem concoquere non poterant. His ſe
doloris & conſilij ſocios jungebant Tido Plewerdicus Helmaro Edelingio na-
tus, ambuſtus belli injuriis, & Tammo Ewingius Petcumanus, cujus operâ ad
adſciſcendos cæteros uſos eſſe præcipuè exules conjecto. Hi cupidiùs quàm
prudentiùs, magno licet ſilentio tegentes quod agebant, de fœdere jungendo
cum exulibus conſensêre, cujus fœderis forma etiam nunc extat. In eo ſic per-
ſcriptum fuit. *Broecmeriæ ius integrum Loquerdanis Brungero & Sibrando, ac hæredibus
eorum Imelo & Fridericus cederent: Omnes ſibi mutuo auxilio eſſent ſummis viribus contra
quoſvis iniuriam facientes, ac fœderatorum bona detinentes: pacem nemo iniret, aut litem
componeret cum occupatoribus, niſi ex conſenſu ſociorum omnium: Agricolis nulla vis,
nulla iniuria fieret, onus nullum ſupra modum à maioribus acceptum imponeretur.* Sed
inania cuncta, Vlrico contra ſpem in fratris locum penè ſine labore ſurrogato.
Ei populus ob fratrem favens, & Hamburgenſes ſuâ putantes intereſſe, po-
teſtatem, quam defunctus habuerat, dedêre, aut occupatam ab ipſo tenere
permiſerunt. Erat verò per ſe non indignus, aut loco impar Vlricus, prudens
conſilio, manu promptus, linguâ facundus, induſtrius in agendo, celer in perfi-
ciendo, comis in congreſſu, etiam humillimis affabilis, in judiciis gravis, &
juſti tenax, corporis formâ eximius. Quibus dotibus fretus fortunam à fratre
acceptam etiam reddidit auctiorem. In hoc interregno ob cædem hominis
bono nati loco in viciniâ Dullarti motus aliquis ſimul cœptus, & ſedatus fuit.
Nam cùm Finſerij non animadverteret in cædis autores, Eppo Gockinga Bro-
cæus, & Luverdus Samminga Fundenſis correptis armis ad officium faciendum
M.CCCC. eos adegêre. Anni ſequentis principio Copius Hattenus, vir dives & acer,
XLII. cui domicilium erat Vollæ in extremo angulo Friſiæ Ciſamaſanæ ad ipſam flu-
minis ripam, ob negatam hæreditatem fratris, qui Groningæ obierat diem, ul-
ciſcendæ causâ injuriæ prædari Groninganos inſtituit. Senatus querelis ſuorum
auditis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

auditis, queſtus graviter eſt apud Vlricum, & prædonem ſupplicio dedi, aut ab ipſo puniri poſtulavit. Vlricus poſtridiè Non. Martij reſpondit, ſe ignaro id factum, ſibíque dolori eſſe, nec ſuâ in ditione palam prædonibus locum futurum, aut receptacula: quòd ſi ſenatus armis perſequi eos velit, ex ipſo impedimenta non habiturum. Gratum id ſenatui, qui per id tempus componendis cum civitate Bremenſi diſſidiis & belli ſcintillis extinguendis erat occupatus. Igitur induciis in annum cum eâ civitate ad diem VI Iduum menſis ejuſdem initis, quarum causâ legati Groningam venerant Henricus Clocus, Hermannus Burenius, additâque conditione, ut intereà vel Emdæ vel Muntæ de pace perpetuâ conveniretur, ſenatus idem Tranſlædanis ſignificat, quoniam ex ipſorum agro prædones ſint profecti, & ad eundem etiam nunc receptum habeant, ut de detrimento curent læſis ſatisfieri; aut ſi facere id negligant, contingatque propterea aliquid ipſis evenire, facilè æſtimare ipſos poſſe, non velle id ſenatum præſtare. Tranſlædani cùm ſilentio rem tranſmitterent, non multò pòſt qui erant in reip. Groninganæ ſtipendio milites in arce Muntenſi, adſcitis in ſocietatem hominibus facinoroſis, qui deſerto ſacramento militari, quod Vlrico aut Hamburgenſibus dederant, vagabantur, perſequendi Copij causâ, ut ferebant, in agrum Tranſlædanum profecti, non reperto, aut ne quæſito quidem eo, quod expeditius erat, Driveranos, qui ſunt in aditu agri non procul confluente Amaſi & Lædæ, diripuêre, & nonnullos etiã in captivitatem ſecum abduxere. Driverani quanquam præfecti arcis Orthanæ, quam adhuc Hamburgenſes tenebant, videbantur curæ commiſſi, tamen ad Vlricum confugientes ſupremum Ciſamaſanæ Friſiæ præſidem, ab eo litteras impetrarunt ad Groninganos. Ei reſpondit ſenatus ad XII Cal. Maij perbenignè, non eſſe juſſu ſuo injuriam illatam Driveranis: quinimò operam ſe daturum, ut captivi ſtatim cuſtodia liberentur, reſtituanturque ablata omnia, in quæ actionem juſtam ſe non habere ſint comperturi: ad transfugas milites quod attineat, petere, ut Vlricus eorum nomina ad ſenatum perſcribere velit, ut cogniti poſſint aut prehendi, aut regione prohiberi; aut ſi in militum numerum ſurrepſerint, ex autorari. Verùm, quoniam ex Vlrici litteris intelligerẽt, eum pro ſuis ducere Tranſladanos, (qui vulgò in fide Hamburgenſiũ eſſe credebantur) obſecrare obnixè, ut eos compellat reſtituere per Copium prædonem ablata, aut detrimenta ſarcire: nam Vollanos certè in eo agro eſſe, & ad Vollanos Copium eundem cum prædis conſueſſe ſe recipere: Ea propter ſe quoque reſtitutionem nuper Tranſlædanos popoſciſſe, ſed reſponſum tuliſſe nullũ: atque hinc ſecuta hæc incommoda, ſpoliatis à Copio quacunque ratione vindicare ſe, & damnum ſarcire ſatagentibus. Tum Vlricus, excitatus etiam hortatu Ioannis Emdenſis, qui in magnâ erat apud eum gratiâ, & hujus rei causâ à Groningenſibus appellatus per litteras, ut gratiam pariter & autoritatem ſibi pararet apud vicinos, miſſis Vollam militibus ſuis Hatteni domicilium validis parietibus & prædonum præſidio munitum invadit, deſertumque à præſidiariis metu ſupplicij, & captum demolitur. Mox ad Groningenſes, quid à ſe factum, perſcribit: ſimul ſignificat, nihil repertum illic, quod in damni compenſationem reddi mercatoribus læſis queat: dolere, quòd elapſi ipſi prædones ſint, quos ſi licuiſſet in poteſtatem redigere, ſeverè, ut par erat, ſupplicium de iis fuiſſe ſe ſumpturum: ampliùs à ſe jam præſtari nec poſſe, nec debere: nam Hatteno jus nullum in Vollanos fuiſſe, ut quemquam potuerit illic ad arma aut prædandi ſocietatem vocare: ideoq; Vollanos eſſe à crimine hoc liberos: Rogare igitur, ut Groningenſes ſimiliter in ſceleſta capita (quorum nomina aliquot recitat) Hamburgenſium reip. atque ipſi inimica velint animadvertere, Driveranos ſine dilatione è cuſtodiâ dimittere, ſpoliatis res ipſorum incolumes reſtituere, cæteras pecuniâ aut rebus aliis compenſare, certumque ei negotio locum ac tempus deſignare: poſtremò reſponderi ſibi ſine morâ petit, ut quid expectandum, quid ſequendũ in hac re ſit, ſcire

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

poſſit. In imis litteris ſubjicit, Hatteni complicibus apud ſe locum non fore, quoad Groninganis non ſit ab iiſdem ſatisfactum. Scriptæ hæ litteræ ad diem XIV Calend. Maij. Senatus gratiis actis, & captivis ſtatim dimiſſis, promittit, imperaturum ſe Ludovico Horenkenio præfecto Muntenſi, ut venientibus iſtuc, qui erant ſpoliati, res ſalvæ reddantur omnes antè Pentecoſtes; cæteris in ipſis Pentecoſtes feriis ex æquo & bono in urbe ſuâ ſe ſatisfacturum. Verùm intercedentibus, qui erant rebus ſuis ab Hatteno exuti, & aliunde quoque cauſis ad prætextum provenientibus, non eſt hujus promiſſi fides ſervata. Nam Eppo Gockinga intra limites tranſactionis ſe non continere ferebatur, hominemque Scemedanum Luverdum conjecerat æris alieni causâ in carcerem, eaque res in Vlricum derivabatur, propterea quod Edſardus quondam ſponſorem ſe, & hæredes ſuos pro Eppone interpoſuerat. Et Ailconis Howerdæ conjunx vidua, circumſcriptam ſe querens pactione priore, ideóque malè de ſenatu loquens, & queſtu muliebri omnes obtundens, gratioſior apud Vlricum eſſe videbatur, quàm gratum ſenatui erat. Sed Vlricus intervenire pro Eppone, quem & ipſum conditionis ſuæ vehementer pœnitebat, ob ſponſionem fratris veritus, & viduæ etiam non audens ſuccurrere, Hamburgenſibus utriuſque cauſam commendat. Hi ſtatim datis ad ſenatum litteris amicis, circiter ſolſtitij dies petunt, fœminam viduam cum marito dudum ac liberis contra pacta datamque fidem arce Muntanâ rebuſque omnibus exutam, Epponem item injuriâ circumventum & circumſcriptum reſtitui in integrum. Quibus rationibus offenſi magis quàm placati Groningani, connivêre cum furum manipulo, de quo dixi, liberiorem iis agri ſui uſum concedere, audita viſaque diſſimulare. Hinc verò audaciores facti facinoroſi eò vecordiæ tum ſunt progreſſi, ut Amaſo obſeſſo velut bellum Emdanis denunciarent, omnemque penè negotiationem civitatis impedirent. Deinde Hamburgenſibus iidem Groningani de Ailconis liberis reſpondent, (de Eppone non liquet) mirari ſe iniquitatem epiſtolæ & poſtulati Hamburgenſium; nec enim ignorare poſſe eos, poſt compoſitas res cum Ailcone, ipſum violatâ fide juratâ, in ditione reip. Groninganæ infeſta itinera habuiſſe ſpoliatis mercatoribus, meritóque correptum, & exutum eſſe fortunis. Deinde ipſos etiam Hamburgenſes commiſſo Suederi Bantchij militis ipſorum, in inſulâ Rottumanâ direptis rebus Groningenſium, teneri adhuc reip. Groninganæ: unde manifeſtum fiat, quàm agant abſurdè ac iniquè, qui alios inſuper, quibus obnoxij ex maleficio ſint, auſint iniquitatis inſimulare. At verò Vlricus indignitate rei, quæ à facinoroſis militibus committebatur, acerbatus, datis XIIII Calend. Auguſti ad ſenatum liberioribus litteris, refricatiſque prioris temporis promiſſis, cùm futura quoque incommoda denunciaſſet, niſi adhiberetur tempeſtivum remedium, ita eum movit, ut componendis rebus quæreret colloquium, rogaretque Vlricum, ut illi diem dicere Reidæ, aut Muntæ, aut Oterdumi, aut apud Farmſumanos vellet. Sed Vlricus loca trans Amaſum recuſans ne alienum tamen ſe à pace atque amicitiâ demonſtraret, ad diem X Calend. ejuſdem menſis placere ſibi ſignificat, Emdæ ut colloquium inſtituatur circiter ipſas Auguſti Calendas; liberumque ſe commeatum concedere hominibus eorum iſtuc venturis ad XX. De quo dum deliberant Groningani, locumque in ſuſpicionem trahunt, Remmerus Pibenus furum dux Haijonem Homponium lautæ familiæ & rei civem Emdanum cum Hompone filio intercipit, parenteque conficiendæ causâ pecuniæ dimiſſo, atque ad ſiſtendum ſe rurſum intra menſem, pecuniámve mittendam jurejurando obligato, filium ſecum in latibula captivum abducit. Id facinus vulgatum magnæ invidiæ reip. Groninganæ fuit, reliquamque colloquij & concordiæ ſpem penè ſuſtulit. Hamburgenſes eo tempore apertiùs rurſum & liberiùs quàm nuper, rebus jam commutatis, belloque navali cum Hollandis inſtaurato, oſtentare imperium in Friſiâ cœperunt. Quapropter Groningenſium

genſium

genſium ſcripto reſpondentes circiter medium menſem Auguſtum, increpitâ eorum fronte in causâ Howerdæâ, exprobratoque iis latrunculorum facinore, ac nuperâ in Driveranos injuriâ, Haijonem Emdanum ſubditum in fide eſſe ſua, ac Driveranis defenſionem ſe debere ſunt profeſſi. Simul graviter monuêre ſenatum, ut etiam nunc Howerdæos reſtituant, arce decedant, de damnis ex jure ſatisfaciant, Remmerum furum ducem compellant, ut Haijonis filium ſine morâ dimittat è cuſtodiâ, Driveranis detrimenta ſarciant, obtrectationibus vanis de Suedero abſtineant impoſterum: ſecus ſi faciant, injurias ſuas & ſuorum negligere, non fore ſibi integrum. Aſperati hac epiſtolâ Groningani, haud facile verborum ignominiam concoquere ſoliti, tamen pudore facinoris in Haijonem commoti, civiumque ſuorum detrimenta ex impeditis commerciis, cum diſcrimine conjuncta ſuo, metuentes, poſtremò belli periculoſi formidine correpti, furum latibula diſturbant, Haijonis filium vinculis liberatum ad ſuos remittunt, magnâ ſe invidiâ hoc facto exonerant, in cæteris benignè promittunt; denique itâ ſe tum compararunt, ut inter armorum metum bonâ tamen ſpe pax ſeſe publica ſuſtentarit. Intereà Tanno Cankenius, quò ſe cuſtodiâ tandem liberaret, ex conſenſu totius familiæ ſuæ, itâ cum Hamburgenſibus & Vlrico tranſegit, ut ipſe reſtitutus in integrum, gentileſque ipſius, & omnes poſteri Witmundam, ac quicquid prætereà arcium poſſiderent, illic aut illorum ſociis ac miniſtris patefacerent quovis tempore, & ad omnes belli caſus: novam item in Friſiâ munitionem ſine expreſſo Vlrici & ſociorum conſenſu ne unquam inſtituerent. Ab hoc pacto in agrum Ieveranum ingreſſi cum copiis fœderati per menſem Septembrem (venerat enim ad Vlricum manus militum ab Hamburgenſibus) perſtrictos ſolo armorum terrore, & graviter caſtigatos Tannonem Diuræum juniorem Ieveranum, fratremque ejus Sibetum, vixdum tum viros, ac Lubbonem Onconium Cniphuſanum, cum cæteris Oſtringiæ & Ruſtriæ ordinibus eò adegerunt, ut propoſitas conditiones pacis ad fœderatorum commodum comparatas recuſare non auderent. Atque hoc modo oræ quoque illi à morte Haijonis certa pax reſtituta. Copiæ ad præſidia non neceſſariæ, dimiſſæ: cæteræ Emdam, & ad munitiones alias reductæ: in omnibus his rurſum civitatum omnium ſociarum nomen ab Hamburgenſibus conſulta prælatum. Et hic quidem annus invectâ in civitatem Emdanam novâ dignitate Conſulari inſignis. Creſcentibus enim opibus honoris quoque incrementum civibus placuit: abrogatoque Iudicum nomine, quod hactenus ſupremum in rep. valuerat, Conſules ſunt creati cum imperio perpetuo. Id ad exemplum Hamburgenſium & cæterarum civitatum maritimarum, in quibus honores deſignantur perpetui, inſtitutum reor. Civium voluntatem Vlricus, deinde & Hamburgenſes, quibus colere civitatum conſilium fuit, ratam habuêre. Conſules primi deſignati Geroldus Eggana, Tammo Ewana, Michael Ringius, Otto Schroderus. Notatum etiam in annalibus patriis reperio, eodem iſthoc anno Siricium, Helmari filium, Freburgum poſt fata patris tenentem, hominem varij ingenij & fidei, cum Theodorico Oldenburgico litem de finibus controverſis inter Horſtam extremum illic Friſiæ vicum, & Zetelam compoſuiſſe, eoſque à Bolenbergo loco per ſtagnum exiguum, quod rubrum tum dictum, lineâ ductâ definiviſſe. Anno M.CCCC.XLIII, declinante jam Ianuario, Copius Hattenus
per Haijonem Papenborgium, Deranum Præpoſitum, virum nobilem, & M.CCCC.
ſummâ apud omnes ordines gratiâ, item Luverdum Bundenſem, Ludovicum XLIII.
Horenkenium, Vlgerum Eberhardum Groningenſibus eſt placatus. Et ad VI Calend. Martij iiſdem oppidanis à Nicolao præſule Bremenſi, & Chriſtiano Comite Oldenburgio negotiandi libera facultas per omnes ipſorum ditiones diplomate tributa. Eâque, quæ ſecuta eſt, æſtate cæteris curis liber Vlricus in ædificatione arcis Berumanæ fuit occupatus. Hollandi intereà

cum Vandalicis & ſociis civitatibus in mari rurſum,ut fors dabat,decertantes, cùm in claſſem earum numeroſam Bajonenſi portu, qui eſt in Gallitiæ littore ſalinis percelebris, egreſſam incidiſſent, acerrimo prælio inito, ingentique victoriâ partâ, captâ penè universâ claſſe hoſtili, haud multò pòſt tacito potiùs conſenſu quàm expreſſo pacto inducias illis dedêre. Piratis tamen mare manſit infeſtum aliquandiu, quibus hoſpitia in Selandiâ, Hollandiâ, Cisflevanæ Friſiæ locis compluribus in orâ (nam & horum incolæ bello maritimo ſe miſcuerant veteres civitatum Saxonicarum hoſtes) fuêre. Sed Philippus Burgundus bello Lucelburgico tum occupatus ex induciis pacem firmare perpetuam cupiens per legatos ſollicitat civitates omnes ejus fœderis, quod Anſam vocant, de conventu loco idoneo, ubi commodè adeſſe homines ipſius poſſint, quàm primùm inſtituendo. Indictum Daventriæ lego, ad quem ex omnibus civitatibus illis legati coïêre cum mandatis, & affuêre qui à conſiliis erant Philippo, cum delectis oppidorum Hollandiæ & Selandiæ, acturi de omnis generis vitiis ſanandis. Hanc mille votis petitam occaſionem amplexi exules Friſij cum commendatione Principis eôdem ſe contulerunt. Sed miſeris & fruſtrà lætatis oleum pariter & opera eſt perdita. Nam per oratorem ſuum Tiardum Oldendorpium Doccumanum, petitâ dicendi copiâ, exorſi acerbiſſimas de injuriis Hamburgenſium querelas, quo minùs cœptum pertexerent, à ſenatu Daventrienſi ſociorum gratiâ corrupto, ut ab exulum poſteris proditum memoriæ, ſunt prohibiti. Principium ſiquidem hujuſmodi fuit, ut progreſſus dolorem facturus alieno tempore videretur. Nec ſolùm in Hamburgenſes acerba erat oratio, ſed omnes quoque civitates ſocias involuebat, quarum nomen, ut dixi, Hamburgenſes in actis dictiſque ſuis in Friſiâ prætulerant. Itaque fruſtrà proteſtati de iniquitate, & ad cognitionem cauſæ coram ipſis civitatum legatis ſe offerentes, deſperato profectu ſilentium tenuêre, donec certi quid appareret de conventus exitu. Is hujuſmodi fuit, ut tractatâ potiùs quàm ſanatâ causâ Hollandicâ, quæ præcipua erat, infectâ planè re, & quidem opinione celeriùs Daventriâ diſcederetur. Exules in Hollandiam reverſi, eaſdem illas querelas ſcripto comprehenſas ordinum provinciæ illius concilio, & Philippi Principis legatis viris illuſtribus qui aderant, exhibuêre, auxiliáque armata in hos tam improbos, tam acerbos, & ipſis ſecum communes hoſtes, poſtularunt. Verùm ſegnes ferè mortalium mentes ad motum ex miſeriâ alienâ. Quapropter, quanquam multis in nautico populo non deeſſet voluntas, tamen qui conſilij duces publici erant, & ante alios Principis legati paucorum, & quidem egenorum exulum gratiâ bellum apertum movendum non putantes, poſtulata poſthabenda ſunt arbitrati. Exules verò benignè appellatos bonâ ſe ſpe ad breve tempus rurſum ſuſtentare voluerunt. Illi ex totâ actione ſumptus &
M.CCCC. XLIV. dolorem retulerunt. Anni ſequentis M.CCCC.XLIIII principio jam obierat Eppo Brocæus Gockinga, & totius præfecturæ veteris imperium aſſumpſerat civitas Groningana, (ſic enim antè convenerat) eratque in hanc curam intenta, ut diſiecti fluminis & tempeſtatum vi aggeres ad vicos Reidanos reficerentur. Quam ad rem cùm auxilium Midwoldios, Finſerios, Oſtwoldios, Scemedanos, Eextanos ſenatus Cameræque oppidanæ judices petiſſent, invenio eos id facere recuſaſſe. Eadem vero civitas ità cum Vlrico agebat, ut quanquam offenſionum cauſæ, ut inter vicinos, interdum intercurrerent, tamen armorum tumultus averterentur: legatoſque amplâ cum poteſtate Ottonem Clantium, Goſuinum Gravium Emdam nuper miſerat, qui cum Vlrico collocuti vulnera quædam ſanaverant: deinde ità pacti erant, ut ſi quid exiſteret inter utroſque controverſiæ, ob eam rem ſubditi utrimque non afficerentur moleſtiâ, commerciaque non impedirentur; ad hæc receptus prædonibus ne daretur: denique id ſtudium haberetur, ne quod ex alterius regione alteri inferretur detrimentum. Quam ob cauſam cum Brungero autore, ut rumor erat, (is ſeu

pulſas

pulſus domo, ſeu ſponte cedens ob conſcientiam fœderis, apud Farmſumanos
ſedem poſuerat) cojiſſet manus militum Dammonæ, diceretúrque navem ar-
matura ad infeſtandum Amaſum locaque vicina, ſenatus miſſis iſtuc homini-
bus ſuis conſilium illorum diſturbavit. Id valdè gratum Vlrico: qui cùm audiſ-
ſet, Imelonem Oſterhuſanum veniſſe iſtuc, (pacatis hoc exulibus licebat) &
cum Eggone Weſterwoldio, infenſiſſimo Hamburgenſium & ſuo ob Imelo-
nem Emdanum hoſte, ad Brungerum ventitaſſe, ſupicatus aliquid contra ſe
conſilij captum, miſſis litteris à ſenatu petiit, nequid ſineret iſtic in ſuam frau-
dem fieri; Brungerum in officio contineret, cujus miniſtri dicerentur nocturnis
temporibus trajecto Amaſo Ciſamaſanos deprædari; aliorum quoque prædo-
num furúmve latibula in Amaſi ripâ diſſiparet. Quo facto, gratia inter eos etiam
cojit arctior. Inter quæ Vlricus idem, communicato cum Wiardo Vphu-
ſano, Sibrando Edelſhemio, ac è nobilitate aliis conſilio, ſacratas virgines è cœ-
nobio Silomonachæo familiæ Benedictinæ, quæ aliquot jam ſæculis id tenue-
rant, incertum quâ de causâ, Nordam partim, partim Thedingam, quibus in
locis ejuſdem ordinis ſacra collegia erant, migrare jubet. Iis Auguſtinianos
monachos, quos Regulares vulgò vocant, ſubſtituit. Hi deinceps ad noſtra
uſque tempora, quoad ſuperſtitio his locis valuit, cœnobium tenuerunt. Eo-
dem tempore, traductis Nordam Benedictinis monachis operariis, eidem quo-
que familiæ Auguſtini Eſenſe cœnobium permiſſum eſt, & primus collegio
præfectus datus Arnoldus Creveldius, opinione pietatis & virtutum apud po-
ſteros ſcriptis celebratus. Anno poſtero, cùm nullus armorū metus eſſet, fanum M.CCCC.
Ludgeri vetuſtate collapſum apud Nordanos, auſpiciis atque ope Vlrici, popu XLV.
lus ſplendidius, quàm fuerat antè, inſtauravit, ſacrariúmque interius, quod
chorum vulgus dicit, non ſolum viſendâ altitudine, ſed formâ quoque & pul-
chritudine operis rarâ conſpicuum, reliquo fano adjecit. Id opus pulcherrimis
templis tribus Nordam jamdudum illuſtrem illuſtriorem multò reddidit. Si-
mul appellatus à Driveranis Vlricus, qui ad id uſque tempus promiſſis erant
dilati, Groninganos litteris territat, oſtendens, quo ipſum adactura ſit neceſſi-
tas, ni læſis ſatisfiat. Mox commercijs metu impeditis, ipſe id corrigit; ſignifi-
cat non eſſe voluntatis ſuæ, libertatem negotiationum violare, aut quicquam
facere contra pacta conventa. Non multò pòſt nova diſſenſionis occaſio ena-
ta. Vtebatur Vlricus apud Deteranos, atque in totâ viciniâ, ubi arx eſt Stic-
huſa, præfecto Popcone Reindio viro locuplete & ſtrenuo, apud Emdanos na-
to, de quo ad annum M.CCCC. XXX dixi. Ei pecunia debebatur ab Vlbeto quo-
dam in Præfecturâ vetere domicilium habente, eratque ità cum debitore olim
conventum, ut niſi is intra certum tempus ſolveret, debitum duplicaretur.
Hoc magnis impendiis fruſtrà cùm petiſſet aliquamdiu, ſponſoreſque appel-
laſſet ſæpius, ad Vlricum tandem querelas de eo defert. Ille, ut pluries antè, ſic
ad VIII Calend. April. anno proximo M.CCCC.XLVI ad ſenatum rurſum ſcri-
bit, & Popconis causâ accuratiùs commendatâ, Driveranum quoq; negotium
refricat. Hoc verò ad id uſque tempus non erat expeditum, quòd exiſtimarent
Groningani, nimis iniquos detrimenti ſui æſtimatores Driveranos eſſe. Interim
extorres quidam patriâ ob controverſias, quas cum Vlrico habebant, ex fa-
ctione adversâ, in quibus Onno & Remetus Mariæhaveni, Folcherdus Oſte-
lanus, Feddo Suderhuſanus, contractâ cum Boccone Haringæo Snecano ſo-
cietate, è Friſiâ Occiduâ in agrum Groninganum profecti, mediâ jam æſta-
te, collectâ circùm ſe ſui ſimilium manu, Muntæ, Oterdumi, Reidæ, & lo-
cis vicinis ignoti obverſabantur: dein nave paratâ in Reidano portu, noctur-
nis prædationibus Amaſum infeſtabant, ad mœniaque uſque Emdana ſe in-
tulerant, conati erant è Larletano portu novum navigium furtim abſtra-
here, Haiconem Hintanum virum nobilem, qui Amaſum fortè trajecerat,
apud Farmſumanos tentaverāt intercipere. Adhæc Bocco Sciringicæ factionis

dux, & Hollandorum ſocius è portu Slotano, ac locis aliis, quos habebat in poteſtate, Hamburgenſes ubicunque deprehenſos, item Emdanos & cæteros, qui in fide Vlrici erant, prædabatur: ejuſque emiſſarij paulò antè Occonem Ennonis Emdanum, & Folcmarum Vſconis Larletanum ex Tranſlavicanis domum navigantes, eo loco, qui in reip. Groninganæ ditione eſt, quem monachorum bancam vocant, in vado ceperant, omnibus rebus exuerant, Occonem in vincula abduxerant. Quibus omnibus de rebus Vlrico graviſſimè per litteras & legatos conqueſto, cùm ſatisfeciſſet ſenatus Groninganus, ecce Reindius præfectus Deteranus offenſus eluſionibus fidejuſſorum, & extrema tandẽ minitatus, fervidiùs quàm prudentiùs viros ſex è veteri præfecturâ captivos abſtrahit: ſimul ad judices populumque ejus loci perſcribit, quid ſit à ſe factum, ac denunciat, non ſe captivos dimiſſurum, niſi ære debito cum omni impendio perſoluto; atque inſuper ignominiam & pœnam contumaciæ ac neglecti officij ex patriis legibus in omnes præfecturæ incolas pro viribus perſecuturum. Eam ob cauſam ſenatus Groninganus vehementer commotus cùm nonnullos, qui ex Ciſamaſanis venerant ad nundinas autumnales, diſcedere Groningâ vetuiſſet, Vlricus idem jam ſe non continens gravioribus verbis objectat ſenatui violata pacta Emdana, per Clantium & Gravium legatos ſecum inita, oſtenditque, ſi quid à Popcone commiſſum eſſet contra jus, par fuiſſe, judicio eos committentem perſequi apud ſe, non uti vi: ſe ſanè jus iis non fuiſſe denegaturum: in quo ſi pergant, videre ipſos pro prudentiâ ſuâ, quorſum res ſit evaſura. Epiſtola hæc ſcripta fuit ad VII Calend. Novembr. anni ejuſdem. Reſque paulò pòſt per internuncios & arbitros armorum metu compoſita. In Friſiâ Tranſlavicanâ, ut eo tandem redeamus, intereà dum iſta cis Lavicam fiunt, poſt longam armorum quietem tandem labare concordia cœpit, eóque diſſidiis factionum progreſſa res declinante jam anno M. CCCC. XXXIX, ut publico magiſtratuum omnium Oſtergoæ & Weſtergoæ conventu fuerit opus. In eo Leoardiæ coacto, de pace tenendâ, de cædibus & cæteris maleficiis graviùs ſupra ſolitum modum puniendis, de ſontibus dedendis, receptatoribus eorum pari cum ſontibus loco habendis, de mulctis ſine morâ ſolvendis, pœníſve, ſi quis ſolvere ob inopiam nequeat, corpore luendis, militibus peregrinis in Friſiam non vocandis, minuendo nobilium ſatellitio decretum. Et quò ſanctiùs cuncta ſervarentur, biennio ſolùm decretum hoc valere juſſum. Ea pax ſine vitio culta, omniſque illa ora ad tempus rurſum tranquilla fuit. Sed tempore hoc evoluto, iterum emergere factiones, & cum factionibus tumultus & cædes cœperant. Quorum initium à Romberto Gabbingâ factum. Is enim cum Sizone filio, alijſque Sciringicæ factionis Nonis Decembr. Aggaum Sindelium Petri filium, captâ domo ipſius, multis vulneribus confectum pro mortuo reliquerant. Et cùm per fœminam amore ejus implicitam aſportatum inde, vulneribuſque ſemimortui ſanguinem exſuctum comperiſſent, audiſſentque vivere poſſe, pecuniâ hominem nefarium compararant, qui eum in lectulo ægrum interficeret. Quo facinore vehementer offenſi partis adverſæ homines, operâ & ductu Allerdi Dodij peregrinos milites in Friſiæ illam oram accerſiverunt, quibus Ploſius Centurio præerat. Horum auxilio caſtellum Hemelenſe, exuſto eo vico, obſedêre. Verum eâ famâ vulgatâ, Bocco Haringæus Snecenſis, Rombertus, Sizo, Epo Tetæus, raptim collectâ ſuorum manu, illos ab obſidione depulerunt, captis ducentis, atque ipſo Ploſio cum LX cæſo. Allerdum autorem belli potiſſimùm è templo abſtractum necavêre, mox eodem impetu arcem Galonis Coldumani, qui Allerdum iuverat, captam, cum univerſo Boreo Sylueſtrium tractu, incendio vaſtarunt: poſtremò Heſſeli Iuwingij domum munitam vi armatâ invaſerunt, occupatamque demoliti ſunt. Quâ neceſſitate adacti, qui in eâ partè Friſiæ ad Flevum ſunt, oppidani, nobiles, ruſtici, quorum in numero Bolſverdiani, Snecenſes, Hindelopij antè alios

fuerunt, fœdus annum inter ſe de pace tenendâ anno proximo M.CCCC.XLIII,
ad initium menſis Iunij ſeorſim inierunt. Aſſenſerunt huic fœderi etiam Har-
lingani, VVoldercumani, omnis populus Geeſtanus. Ita civilis belli initia illic
compreſſa: cùm intereà Oſtergoa quoque pax à fœderis biennalis exitu rur-
ſum cœpiſſet vacillare. Nam cædes violenter committi, incendia & direptio-
nes fieri, factionum duces Ripperdæi in Hemſtræos, Hemſtræi in illos arma
ferre, arx Hemſtræa & Dunxterana incenſæ per vim in cineribus jacere, tu-
multus ruſticani cieri, denique flamma belli eſſe in ortu. In quâ perplexitate
rerum Oſterbrocæi, Collumani, Suachij, Oldæwoldij Gaſtæi exemplo ma-
jorum cum civitate Groningana rurſum pepigère, latamq; ei poteſtatem coër-
cendorum judicum, in officio contra criminum reos ceſſantium, conceſsère. In
cæteris, qui ingeniis erant minùs acerbis ex omni Oſtergoâ, ſtudio ſuo eò rem
redegère paulò pòſt, biduo à Nonis Octobr. ut partes judicio compromiſſorio
controverſias ſuas ſubmitterent, obſideſque intereà apud Groninganos de-
ponerent, quibus ſe obligarent ad præſtandum judicato obſequium. In com-
promiſſo comparatum ſic, ut operam darent omnes, qui controverſias intra
XIV annum contractas habebant, in patriâ ut eas quoquo modo finirent antè
Calendas Novembr. ſi non poſſent, ad ſenatum Groninganum cognitio ac de-
finitio devolveretur. Subſcripsère pacto huic magnus nobilitatis numerus, hinc
Sizo Gaſtæus, Iuvo & Renico fratres Boccamæ, Fejio Eiſinga, Abbo Ripperda,
Taco Bowinga, Gerrico & Renico Taconis filij, Siricius Mellema, Focco Rop-
perda, Vlbetus Vbbema, Sippo Hemſtra, Gerrico Herreweius, Wibrandus
Boleſma: inde Wobbo Iarichæus, Vffo Wobbonis filius, Taco Hemſtræus,
Butto :arlæus, Siverdus Gaicama, Heſſelus Humalda, Butto Oldehemſtra,
Pibo Ernſma, Gabbo Holdinga, Eeſtæus Doniæus, Onneco Campius Dux-
træus, Tiardus Moccama, Menno Iayema, ejuſque filij duo, Renico Doniæus
ſuo & patris avique nomine, Ieldericus Doniæus. His plures deinceps aſcribi
voluerunt hujus rei causâ Groningam etiam profecti: demum tam latè diffuſa
res conſenſu plurimorum, ut omnis ferè Oſtergoa ſubjicere ſeſe pacto videre-
tur. Sed remedium, pellendo morbo quæſitum, invalidum fuit. Nam obſides
quidem exhibiti ſtatim, ſed lites paucæ in patriâ hoc modo finitæ, pauciores
etiam partium conſenſu ad ſenatum relatæ. Obſtabat quippè factionum per-
tinacia; & qui malè ſibi erant conſcij, committere ſe arbitrio æquorum judi-
cum verebantur. Præteréà non pauci erant, qui indignè ferrent, poteſtatem
hujuſmodi ad Groninganos deferri, qui ut ipſi induci non poterant, pacto ut
acquieſcerent, ità alios quoque ab eâ mente abducebant. Et quanquam ſena-
tus per eos, quibus pacis amor & authoritas inerat (quorum in numero invenio
fuiſſe Sicconem Cammingam, Fedeconem Vniæum, Reniconẽ Camſtræum)
officii & fidei admoneret factioſos, tamen perficere parum potuit. Ergò fa-
ctioſiſſimis quibuſque ad dicendam cauſam ex pacto Groningam evocatis, &
horum pleriſque ſuperbiùs, aliis alieniùs reſpondentibus, iudiciumque ſenatus
recuſantibus, eludentibuſque compromiſſi legem, quæ ad tuendam autorita-
tem pertinebant, flagitante parte alterâ, ſenatus incipebat expedire. Sed ante-
verterunt, qui erant cordatiores, pro obſidibus, pro patriâ, pro fide pariter ſol-
liciti: quæ in diſcrimen ventura, & malorum Lernam ſecuturam prævidebant.
ſi contumacium causâ arma tum eſſent ſumpta. Erat verò horum ſtudium, ut
quod mutuo multorum conſenſu initum pactum fuerat priùs, id majore ali-
quâ autoritate, per quam perrumpere contumaces non poſſent, ſancitum
darent. Pluribus itaque huius rei causâ publicè privatimque appellatis, pa-
triæ communis fortunâ poſitâ ob oculos, quæ ſine ancorâ ſtabilis & validæ
ſocietatis in hoc factionum ſalo, ſalva eſſe, & bella civilia declinare non po-
terat, refutatâque ſpe ſalutis ex fœdere cum VVeſtergois (quid enim ad con-
cordiam, & pacẽ tenendam conferrent, ipſi diſcordes inter ſe, & in partes ſciſſi?)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

tandem circiter Idus Novembr. coactis Leoardiæ comitiis effecêre, ut omnes ſe ordines Oſtergoi ſolenniter publicato fœdere cum civitate Groninganâ in quadriennium conjungerent. Fœderis conditiones fuerunt : *Vt pax eſſet inter omnes, eiúſque conſervandæ gratiâ mutuo ſibi eſſent auxilio. Iudices per Oſtergoam, ſinguli ſuis locis & hominibus, è legibus patrijs expeditè ius dicerent, ſine ſtudio partium: ab horum iudicio ad XVIII-viros, æquo numero è Sciringijs, & Vetcoperis lectos, provocatio eſſet: XVIII-viri intra ſeptimanas ſex litem expedirent, aut in ſenas ſeptimanas ſcutatos duos, ſinguli in uſum fœderatorum pro neglectu penderent: Quòd ſi pars altera ab his etiam iniquè pronunciatum eſſe quereretur, liceret intra octiduum appellare publicum conventum ſociorum iuris dicundi causâ Groningæ quotannis agendum: poſt octiduum id nemini permitteretur: In conventu XVIII-viri, ipſorúmve legati ſententiam ſuam tuerentur: ſi ſuccumberent, ſex ſcutatis iniquæ ſententiæ latæ mulctam luerent: ſin ſuperiores eſſent, qui provocarunt temerè, tantundem mulctæ ſolverent: huius mulctæ utraque pars antè cauſæ cognitionem ſponſionem præſtaret: In conventu Groningano de rebus omnibus, quæ momentum grave haberent, de controverſijs, ſi quæ inter ſocios exiſterent, præterea ageretur: Præter hunc verò alter quotannis conventus idoneo loco ex conſenſu, & iudicio ſociorum haberetur: arbitria antè fœdus hoc confectum pronunciata in cauſis controverſis, rata manerent; Cauſæ criminum arbitris permiſſæ quidem, ſed nondum definitæ, eorundem adhuc arbitrio relinquerentur: ſi convenire arbitri non poſſent, Senatus Groningenſis ſummum arbitrium haberet: interim reus obſides præſtandi iudicati Groninganis daret: Criminum reos ſatisfactionem poſcens, XVIII-viros appellaret: & ſi liberet, ad conventum Groninganum proximum, in his quoque cauſis, ab eorum ſententiâ provocare liceret: ſi qua vis alicui fieret, eius vindicta ſeptem diebus longiùs ne differretur: & ſi neceſſe eſſet, proximi auxilio ſine morâ venirent: ceſſatio in hac re indemnis non eſſet: Oppidorum, vicorum, nobilium conatus pertinentes ad iudicia impedienda, communi operâ omnium ſociorum reprimerentur: Eius rei causâ cum copijs ſi domo proficiſci ad vim coërcendam oporteret, utraque pars, quò tutò id fieri poſſet, obſides fidei ſuæ apud Groninganos deponeret: ad conventum euntibus aut redeuntibus illata vis ſeptuplâ mulctâ puniretur: minor pars Oſtergoorum, ſi quando diſſenſio eſſet, de copijs in contumaces expediendis, maiorem ſequeretur: quod ni promptè faceret, CCC ſcutatis veteribus culpam lueret, eiúſque rei arbitrium omnibus ſocijs eſſet: Criminis reum poſtulatus iudicio ſiſtere, nec parens, omnem mulctam & iudici, & læſo pro eo ſolvere teneretur: Furem receptans, aut in fraudem aliorum dimittens, C ſcutatos veteres fœderatis pendere damnas eſſet: Furta, latrocinia, incendia nocturna, proditiones ex legibus patrijs punirentur: Nobilis nobilem quocunque tempore, aut loco, in rixâ occidens, CCCC marcis veteribus eam cædem propinquis occiſi lueret antè anni exitum, eiúſque rei obſides Groninganis intereà traderet, & inſuper Groninganæ reip. marcas ſimiles XX, ac ſingulis partibus Oſtergoæ totidem, mulctæ nomine, ſolveret: his præſtitis, immunis eſſet: ſi obſides non daret, quicquid in eum intereà committeretur, id factum nulla pœna ſequeretur: Miniſter viri nobilis, alium occidens, aut graviter vulnerans, mulctarum omnium mediam partem tam iudicibus quàm propinquis nobilis exſolveret, & ſimul reum iudicio ſiſteret: ſi eum non ſiſteret, ipſe in ſolidum pro eo ſatiſfaceret: Leoardia, & Doccumum, cœnobiáque cuncta Oſtergoæ, ſalvo cuique iure ſuo, hoc fœdere comprehenderentur: Vis omnis publica & privata ſeverè caſtigaretur: Omnes ſocij operam, ac ſtudium omne adhiberent, ut Weſtergoi etiam ſuis in controverſijs exemplum Oſtergoorum ſequantur, obſides Groningam mittant, eius reip. Senatum, ſupremum arbitrum, diſſentientibus reliquis arbitris ſimiliter ferant: Si qua pars in Weſtergoâ id recuſaret, omnium ſociorum in contumaces iudicium, & vindicta eſſet: Contra hoc iudicium peregrinis auxilijs ſe muniens hoſtis publicus haberetur.* Signarunt tabulas hujus fœderis Groningani, Leoardiani, Doccumani, viri nobiles VII, abbates Clarocampius, & Doccumanus, cùm conſules Groningæ eſſent Otto Clantius, Henricus Baroldi, Goſenus Gravius, Ludolfus Wigboldi. At ex fœdere percuſſo enata anno proximo diſſenſio, aut ambitione Leoardienſium, aut iniquitate & invidiâ in eos nobilium, & ſuburbanæ Præfecturæ. Nam ſibi cùm vendicarent Leoardiani, quod ſub-

urbani ipſorum non eſſe contendebant, nec, ut de eo cederent illis, volebant perſuaderi, illi querelâ ad Senatum Groninganum delatâ provocarunt ad conventum ordinum Groningæ futurum: ſenatuſque ſuburbanos ex fœderis lege citavit, ut ad comitia proxima ſe ſiſterent, juſſitque, tantiſper à vi & injuriâ vicinorum abſtinerent. Id verò nobilitas indigne ferens cum cæteris Præfecturæ ejus ordinibus per Sicconem Martenam, & Fedeconem Vniæum oſtendit, primùm nullam à ſe injuriam vicinis fieri, ſed eos ultrò injuriam facere, invadereque in ea quæ ipſorum non ſint: deinde nec judicio rem actam, ſententiam nullam latam, ad XVIII-viros non provocatum, ut in fœdere erat præſcriptum: quapropter mirari ſe conſilium ſenatus, qui hujuſce rei cauſa ipſos Groningam evocet: monere etiam ſe eundem, ut cautiùs agat, & abſiſtat à propoſito, ne qua hinc occaſio exiſtat ſcindendæ fœderis concordiæ. Ita ſenatus ſe reprimens ad tribunalia Tranſlavicana, ut jus erat, controverſiam remiſit. Eaque eſt illic, incertum quo eventu, definita. Sed in conventu proximo, reus violatæ pacis publicæ, incendioque vaſtatæ domus Taconis Hemſtræi Focco Ripperda in gravis æris mulctam, itemque patratæ cædis die feſto Gericonis Iwonij Saſcherus Doniæus ſunt condemnati. De contumacibus decretum, ut autoritate armatâ redigerentur in ordinem. Quietis fœderis beneficio Oſtergois, in Weſtergoâ ad Flevum turbæ renatæ. Vetcoperi dolore cladis nuperæ æſtuantes, vixdum finitis prioris anni induciis occupatâ communitâque templi Worcumani turri, ex eâ Sciringios infeſtabant. Id non ferentes Sciringij, quorum in eâ orâ ſemper vires maximæ fuerunt, Ruerdus Roorda, Kempo Winia, Rombertus Gabbinga, Haringus Doniæus, adſcitis pluribus ſociis, turrim obſedere. At Granterij, qui adverſâ in factione erant, peregrinis militibus ſtipendio conductis, Worcumum properarunt, ut obſeſſis axilium ferrent. Quorum de adventu certiores facti Ruerdus ſociique, in adventantes magno ſe animo convertère, commiſſoque prælio, & cæſo militum præfecto, hoſtes in fugam dederunt. Sed ipſe Ruerdus graviter vulneratus non multos poſt dies ex vulnere defecit, vir ſuâ ætate robore corporis, & animi, ſapientiâ, facundiâ antè alios celebris. Ea pugna commiſſa eſt ad diem IX Calend. Auguſti, cùm annus à Chriſto in terrâ nato numeraretur M. CCCC. XLV. Intereà etiam, ut memoratum eſt à me priùs, Bocco Haringæus homo potens & factioſus, qui apud Snecanos & Slotanos ſummum locum habebat, Sciringicæ factionis facilè princeps, addictiſſimns Hollandis, in Hamburgenſes & cæteras civitates Vandalicas terrâ marique graſſabatur. Et quoniam Vlricus Hamburgenſium erat ſocius, in Ciſamaſanos etiam Friſios, qui ferebantur in fide eſſe ipſius, imprimis in Emdanos prædandi jus idem uſurpabat; in eum uſum prædones Snecæ, Slotæ, Woldeſendæ, velut in præſidiis habebat, volebatque videri, nihil à ſe agi, niſi ex voluntate factionis totius. Ea res commercia iis locis reddebat impedita, & multos viciſſim ejus oræ homines innoxios fortunâ & vitâ evoluebat, cùm pro piratis aut piratarum ſociis haberentur. Huic malo in VVeſtergoâ additum alterum ex diſcordiâ cum Sylveſtribus vicinis, ex quâ rapinæ, incendia, vincula, tumultus erant ſecuti; licentia facinorum non ferenda percrebruerat. Quæ ne in bellum deſinerent, pars utraque frequenti numero Slotæ congreſſi, anno ſequente, medio menſe Decembri, ſanatis offenſionibus, ſexennem pacem inter ſe ſancivère. In eius conditionibus milites peregrini in Friſiam intrare vetiti, auxilia mutua, ſi quando res poſceret, decreta, conventui utriuſque provinciæ bis quotannis Slotæ agendo dies dictus. Percrebruerat verò eâ tempeſtate mos apud ordines iis locis, ut, qui cum altero litem haberent, querelas ad epiſcopum Vltrajectinum, alioſque principes vicinos deferrent, litteraſque conficerent, quibus accuſati ad tribunal peregrinum extrà Friſiam citarenrur. Id grave viſum, & patriis legibus libertatique adverſum. Itaque proximo anno M.CCCC.XLVII ex omnium conſenſu publicum interdictum M.CCCC. XLVII.

eſt interpoſitum, ac gravis pœna contumacibus ſtatuta. Quo tempore Vlricus arcem apud Auricanos novam extruebat, & Groningani, qui anno priore piſcarium forum ſilicibus ſtraverant, in ſternendo foro majore occupabantur, nec tamen eo anno opus potuerunt abſoluere. Verùm iidem fœdus etiam eo tempore inîere cum Weſterwoldijs, declinante jam menſe Auguſto, conditionibus penè iiſdem quibus antè annos XII fœdus percuſſerant cum populo Præfecturæ Veteris, ſed in tempus perpetuum, & diſcrepans nonnihil in judiciorum ratione. Nam apud Weſterwoldios penes populum erant tum judicia. Exceptum quoque fuit jus, & prætoria poteſtas Eggonis Addingij à majoribus ejus ad eum devoluta, & excepta reliqua libertas populi, huic fœderi non adverſa. Et tum Wibetus Vlrici ſocer apud Eſenſes fato deceſſit ætate gravi. Ejus morte Vlrico cura addita à Sibone ſororis filio, eodemque privignæ marito. Nam vivo ſocero minori ſibi invidiæ fuiſſe Eſenæ poſſeſſionem cogitabat: eam nunc invidiam auctum iri illo mortuo, niſi veris hæredibus res paternas & avitas tandem reſtitueret: hos verò enixiùs etiam quàm antè hæreditatem iſtam nunc repetituros, extra controverſiam habebat. Ad hæc animo verſabat fortunam ſibi ſtantem in lubrico, & invidiam fortunæ comitem, & æmulos complures nec opibus nec gratiâ invalidos, Hamburgenſes incertæ fidei ſocios: ſi qua vis ab hoſte, ſi inſidiæ à ſociis ingruerent, in ancipiti ſe fore: fratres, aut liberos è conjuge nullos habere, nil magis hoc tempore ſibi eſſe opus, quàm fidelibus amicis, quos nullâ re magis quàm beneficentiâ parare liceat: nec verò quenquam aut idoneum magis, aut dignum beneficiis eſſe ſuis, quàm ipſum hunc Sibonem ſuâ è ſorore natum, privignæque maritum, juvenem acrem & intrepidum, ſed parente antè tempus amiſſo, & adversâ apud ſuos conjugis gratiâ infælicem: nec noſſe ſe hominem alium, ſi ſine liberis ſibi decedēdum ſit, quem rerum ſuarum, quàm hunc, hæredem malit relinquere: Vitia quæ ſint, ea cum ætate ſolere decedere: Poſſe eum, quem nunc fruſtrà petita dos aſperet ac offendat, occupatum beneficio ex inimico ſummum effici amicum, omni in fortunâ fidum: Id præſidium ſibi ac inſtrumentum parandi imperij, quàm invidioſas opes, futurum certius. Sed è diverſo animo ejus occurrebat, quanta eſſet commoda dimiſſurus è manibus, quàm incerta & fluxa hominum fides; unde ſibi præſidium ſperet, inde exitium poſſe provenire: imprimis inſolens & pervicax privignæ ingenium formidini habebat, quam ſi maritus opibus auctus velit audire, non parvo ſe in diſcrimine fore. Itaque medium ſecutus conſilium vocato ad ſe Siboni cum uxore, ſibique & conjugi ſuæ reconciliato Stedeſdorpium ſtatim cum uſufructu tradit: de Eſenâ promittit ampliſſimè, ſi dignum ſe beneficio præbeat. Ille lætus accipit, de ſe pollicetur prolixè. Mox fortuna experimenti copiam offert in Wangris, ubi de poſſeſſione Inhuſanæ arcis contentio rurſum inter affines autore Ieverano exarſerat. Ea res, quoniam turbas ſæpè dedit, quomodò à principio habeat, paucis expediam. Inhuſam arcem à majoribus ſuis acceptam Popco Inenius Inonis & Hilledæ filius tenuerat, quem dixi priùs ab Edone Ruſtro LX ante annos ob repetitam filiæ dotem ad Scortenam eſſe cæſum. Hic præter Edonis nurum ſine liberis extinctam, duas filias, nondum viris datas, ex Ramerâ Oldeburgicâ ſuperſtites poſt ſe reliquit, Hilledam ac Hiſſam. Hilleda ex aſſenſu germanæ ſororis, inſtante etiam Edone, Iconi cuidam Onconis filio viro acri ſe conjungit, maritumque in arcem Inhuſam recipit. Addunt Ieverani, ſed ſine teſte, Edonem, penes quem tum magna vis erat, interempto Popcone, Inhuſam clienti ſuo Iconi acceptâ ab eo fide tradidiſſe, atque ut juris ſpecies poſſeſſioni accederet, Hilledam conjugem ei dediſſe, poſtremò ita pactum eſſe, ut ſi Ico ex Hilledâ liberos non gigneret, arcis omne jus ad ſe poſteroſq; ſuos rediret. Eam fabulam ſuis rebus percommodam, ſi fidem inveniat, arbitrantur. Sed Hilledâ ſine liberis defunctâ, Ico quod facilè ipſi fuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

invitâ glore arcem retinuit, quamvis illam honeſto cultu ſecum haberet. Mox nuptiis repetitis cum Hisâ Mauricij Cankenij Dornumani germanâ, unicam ex ea filiam ſuſtulit. Verùm edito recèns partu hanc quoque conjugem inopinâ & citâ morte, dum infans ſacro fonte Sengwerdiæ abluitur, repentè amiſit non ſine veneni ſuſpicione. Eam porrò ſuſpicionem vulgò tradunt ad Tettam pertinuiſſe, pellicem quondam ipſius, cujus etiam contubernio ab Hiſæ morte tam conſtanti dicitur uſus, ut juſtæ uxoris loco eam tenere videretur, liberoſque ex eâ habuit Alconem, Wilconem, Geerconem, Bindelefam. Hos honeſtè eductos, non ſecùs ac legitimo thoro natos amplexus fuit. Interim Hiſa Hilledæ ſoror, cui Inhuſanæ arcis jus erat, cùm jam filia Iconis, cui Tiadera nomen, è Mauricij germanâ ſuſcepta adoleſceret, cum leviro egit, ut præcidendæ contentionis gratiâ, quæ exiſtere de arce poſſet, puellam propinquo cuidam ſuo bono juveni conjugem daret. Is erat Hero Sandelianus amità Hiſæ, patre Tannone, avo Icone natus. Huic Hiſa ceu proximo hæredi ſuo, ſtatim jus omne Inhuſanum tranſcripſit: Et Ico, quod ſuum in eâdem arce erat, filiæ ſimiliter in dotem dedit, atqueità nuptias confecit. Tum novis conjugibus arx ſtatim tradita, non æquo in eam rem Alconis animo, qui paternam ſucceſſionem ſibi deſponderat. Sed diſſimulatâ offensâ, non inſulſi ingenij juvenis ità ſe geſſit, ut inter domeſticos perhoneſto cultu à ſororio haberetur. Inde temporis progreſſu ſibi gratiam colligens, promiſſis & ſpe nonnullos corrupit, novaque cum Tannone Ieverano & Lubbone Cnipenſi cõſilia coxit. Mox cum matura res videretur, abſente fortè Herone, occaſionem rapiens arcem in poteſtatem ſuam redegit, atque illi redeunti aditum clauſit: patris ſui Inhuſani multis annis fuiſſe dicens: ſe virilis ſtirpis maximum natu liberorum ejus hæreditate paternâ excludi per filiam & generum non debere. Haud multò pòſt ſororem Tiaderam, ejectam ex arce cum cultu muliebri, ad maritum diſcedere multa fruſtrà querentem, & diras imprecantem juſſit. Igitur Hero cùm ſe per vim ſuâ domo excludi, nec legibus locum eſſe cerneret, vi quoque adhibitâ recuperare amiſſa niſus eſt. Sed quoniam magnis patronis Alco nitebatur, multum in eâ re difficultatis repperit. Igitur miſerans fortem ſuam, & Alconis facinus deteſtans, circumeundo vicinorum auxilia, qui opibus ac nomine validi erant, ſollicitabat. In quibus neminem citiùs ac faciliùs quàm Vlricum in ſententiam pertraxit; non ſølùm calamitate ſupplicis, ſed proprio quoque ex Tannone dolore commotum. Sic enim ſe Tanno gerebat, ut livorem in Grethanum ex omnibus ejus dictis & factis poſſes animadvertere. In hunc igitur hujuſque ſocios arma movens Grethanus Sibonem ſecum duxit. Ingreſſi fines hoſtiles magnam Wangriæ & Ruſtriæ partem cum exercitu petvagati ſunt, ac multis earum regionum in fidem ſuam adactis, reliquos, qui cum Tannone & Alcone faciebant, latè deprædati, cùm eo tempore ob res, quæ Vlricum retrahebant, plura efficere non poſſent, cum peramplâ prædâ domum redière. Iis digreſſis, Ieveranus vindictæ cupidine ardens, confectâ pro virium modo manu, in Harlingios profectus, Vlrici, Sibonis, Mauricij Dornumani res, quantum poterat, affligebat. Cujus vim repreſſurus Sibo impiger animo juvenis, & probare fidem avunculo volens, aſſumpto in militiæ ſocietatem Mauricio Dornumano, ad Niarpum vicum in eum incurrit. Atque illic pugnâ commiſsâ, cùm ſuperior fortuna hoſtis eſſet, fugit ipſe. Mauricius imprudentiùs provectus, captuſque in poteſtatem venit Canconis Cankenij Heddonis filij Witmundani, eâdem ſecum familiâ nati, ſed qui tunc pro Tannone Ieverano in acie ſteterat; à quo magno auri pondere libertatem redemit. Verùm Tanno, quanquam blandiente fortunâ, tamen progredi tum longiùs auſus non fuit. Nam quos Sandelianus poſt Vlricum cauſæ ſuæ jam adjunxerat, Siricius Freburgius & Edo Godenſis Hicconis Werdumani germanus, abſente eo, Oſtringios & Ruſtros Tannoni addictos M.CCCC.

 XLVIII.

incurſabant. Simulque hyems imbribus fœda interveniens ab armis partes inhibuit. Anno ſequente, cùm vix ſementis tempus exiſſet, ex omni parte coorti ſocij in eos, qui in Sandelianum conſpiraverant, ductore ipſo Vlrico fanum Sengwerdicum, quod Inhusâ non procul abeſt, occuparunt; caſtriſque ibi poſitis, ad invadendam arcem, & Wangros hoſtiliter diripiendos ſe accingebant. Erantque in extremo diſcrimine hoſtes haudquaquam fœderatis pares, cùm opportunè intervenientes Hamburgenſium & Bremenſium legati, viri ex honeſtiſſimis civitatum ordinibus, ſe interpoſuêre. Horum porrò ſtudio controverſia Inhuſana compoſita, & pax facta circiter Idus Iunias. Placuit, Alconem intra bimeſtre ſpatium Inhusâ diſcedere cum rebus ſuis, eamque Heroni reſtituere. In hæc fides mutuò data. Sed digreſſis legatis, & exercitu apparatuque omni dimiſſo, Tanno, Lubbo, Alco, quòd ſuis commodis & cupidini adverſam hanc conditionem putarent, viderentque non facilè nova auxilia Heroni „ ventura, in fide non ſtetêre: frequenti mortalium vitio, qui honeſtum & „ æquum, ſi detrimentum ferat, ſoluti neceſſitate commodo poſthabent. Cauſa in populum collata, quo minùs turpis mutata fides videretur, qui ob injurias ab Vlrico & ſociis acceptas aſſentiri pactis noluerit. Sic Alco Inhuſam retinuit. Hero deluſum ſe dolens, & acerbiſſimis verbis facinus exagitans, tamen ob difficultatem temporum novum conficere exercitum apud ſocios non potuit. Quippe Siricio Oldenburgicus Comes Gerardus ſemper infidus vicinis, & inſidiis intentus, tum quoque fortunâ fratris factus inſolentior (is paulò antè Danorum regnum erat adeptus) imminebat. Vlricum verò aliæ propiores curæ diſtinuêre. Nam ſive ſimultate inter ſocios fortè ſubortâ, ſeu quâ aliâ urgente causâ, Emdam tum neceſſe habuit Hamburgenſibus reſtituere. Quanquam non deſint, qui exiſtiment, eludendis exulum conſiliis & conatibus commutationem hanc eſſe factam. Nam pro his intercedebant frequenter Groningenſes, quorum in ditione aut oppido (id enim incertum) Imelo cum liberis exilij ſedem poſuerat, ſeque arbitros litis offerebant, quibus nec negare diutiùs Vlricus, quod petebatur, nec plus indulgere, quàm gratum Hamburgenſibus erat, poſſe videbatur. Obſcura certè res apud poſteros, imò ne iis quidem, qui tum vivebant in Friſiâ, ſatis cognita: adeò occultis conſiliis ea partes agitavêre. Gratia quidem, quod conſtat ſatis, non diu fuit iis ab hoc tempore integra. Præfecti Emdanis & cæteris rebus in Friſiâ ab Hamburgenſibus dati Ioannes Gerberus, & Albertus Schreijus, uterque ex ſenatu civitatis ſuæ. Hiſque propræfectus additus Popco Reindius, quem dixi priùs, rerum Friſicarum & oppidi gnarus. Conſules Michael Ringius, Scelteco Camponis F. Otto Dutenus, Albertus Tijdchius relicti in magiſtratu, ut & cæteri poteſtatis aut honoris publici participes. Fluctuante inter Hamburgenſes & Groninganos concordiâ, cùm & hi ſibi ab hac mutatione apud Emdanos metuerent, miſſis ad Schreijum & Gerberum legatis, ad colloquia & compoſitionem rerum controverſarum ſe obtulêre: & cùm non ſtatim reſponderetur, per Helmerum Everhardi civem ſuum porrò negotium urſêre. Illi ad VIII Calend. Iulij reſpondentes ſe pacis & concordiæ cupidos oſtenderunt; ſi Groningani locum & tempus idoneum colloquio deſignent, ſe actioni non defuturos: petere intereà, ut de Hamburgenſi cive Henrico Aldenio Groningæ cæſo patri ipſius curent quamprimùm ab reis ſatisfieri, ne ea res concordiæ ſit impedimento. Secutuſque ſtatim conventus Dammonæ, cunctaque inter civitates compoſita, commerciorum & navigationum uſus liber parti utrique permiſſus. Eggo VVeſterwoldius Haijonis filius, Monaſterienſium cliens, violentiùs eo tempore poteſtatem exercebat inter ſuos fretus arce VVeddâ, domicilij ſui ſede, quàm mos patrius & populi libertas ferebat. Populus moleſtè ferens libertatem minui ſuam, epiſcopum cum cliente conniventem ſuſpectum habens ad Groninganos vicinos, ſervitutis oſores, ac amicitiâ vetuſtâ, & fœdere nupero

ſibi devinctos reſpiciebat, eorumque ſe patrocinio commendabat. Hi, uti ſolent, pro autoritate Eggonem officij admonebant, aut auxilium juris oppreſſis apud ſe profitebantur. Inter quæ acciderat, Lupponem quendam hominem apud Wenermoranos in agro Reiderio natum, cui XII-viri judices Weſterwoldij, cùm forum agerent, litem per ſententiam addixerant, judicatum præſtari ſibi poſcentem ab Eggone gratiâ adverſarij corrupto in vincula conjici, dein vadibus datis liberato, è carceribus executionem latæ ſententiæ ab eodem negari. Pro hoc Luppone eodem tempore circiter VII Calend. Auguſti apud Groninganum ſenatū per litteras intercedunt judices Wenerani in agro Reiderio (habebant quippe tum juriſdictionem liberam ejus loci homines more patrio, ut & cæteri hujus regionis, judiceſque eo tempore fuerunt, quorum nomina è pluribus expreſſa in litteris habentur, Rentco Emconis, Wiardus Haijonis, Luppo Vbbonis) & Duumviri Emdanis præfecti, quos antè nominavi. Rogant, ut ſenatus auxilio eſſe homini, quem in fide eſſe Hamburgenſium præfecti ſignificant, & Eggonem reſtitantem compellere ad faciendum officium velint. Quibus obſecutus ſenatus cùm rem ſuſciperet, Eggo ad Monaſterienſes querelas detulit. Epiſcopus Henricus ad injuriam ſuam, & ſuorum ordinum id pertinere exiſtimans, expeditis ſtatim litteris expoſtulat cum ſenatu, temerè & iniquè in jura aliena involante. Agrum enim Weſterwoldium in ſuâ & Monaſterienſium clientela à multis jam annis fuiſſe, multaque illic majores ſuos præclara habuiſſe jura, cujus poſſint illuſtria proferri documenta, ſi res poſtulet: petere igitur, ut mandatis hujuſmodi, & imperio in alienos in poſterum abſtineant. Iis litteris acceptis, quanquam non agnoſceret omnia, quæ erant ab epiſcopo perſcripta, tamen eo tempore non agendum ſibi temerè putans, remiſſiùs cauſam Lupponis egit ſenatus, & ſe Gerbero ac Schreijo excuſavit. Tum Hamburgenſes, communicatâ cum Vlrico re, armis invadendi Eggonem, & arcem ejus intercipiendi conſilium ceperunt. Quod cùm inaudiſſent ordines Monaſterienſes, bono animo eſſe juſſerunt Eggonem, non defore ab ipſis auxilia armata, ſi vis ingrueret: monuitque eâdem de re ſenatum Groninganum ſacerdos VVinſcotanus, cui erat familiaritas cum Ciſamaſanis, à quibus de rebus & conſiliis Vlrici fiebat certior: hortatus eundem, prudenter ut rebus proſpiceret, nec ſineret arcem hanc in poteſtatem Vlrici & Hamburgenſium venire ni vellet cum ſociis agrariis à flumine & terrâ pariter obſideri, atque in ſummas redigi anguſtias; Suum conſilium eſſe, ut ſi quid moveant illi, ſenatus poſthabitis ſimultatibus Eggoni ſuccurrat ſine morâ, & jubeat ſtatim Duerſwoldios, & qui in Præfecturâ veteri ſunt, armatos cum præfecto Muntenſi VVinſcotam venire in præſidio ad tuendos ab incurſu hoſtili fines: Quod ſi facere volent, & ſimul Monaſterienſes opem tulerint, polliciti intra triduum ab hoſtis acceſſu ſe adfuturos, poſſe progreſſas iſtuc copias ad libitum opprimi. Non inſcitè quidem: ſed irrogatâ vicinis clade non finem belli, ſed principium futurum ſapientiores ſentiebant. Quapropter maluit ad Hamburgenſes & Vlricum legatos mittere ſenatus, & ab hoc inſtituto ſapientibus monitis eos avertere, quàm in hunc caſum rem præcipitare. Quod cùm Monaſterienſes quoque ſimul facerent, & jam hyems adeſſet, conſilium illud ab Hamburgenſibus & Vlrico eſt dimiſſum. Eggo periculo prudentior factus, ubi id præteriit, indulgentiâ Monaſterienſium fretus ad ingenium rediit: quod ei exitio tandem fuit. Inter Vlricum verò & Hamburgenſes ſimultas proficiebat M.CCCC.
indies, & offenſa offenſam trahebat, ſicut ſolet fieri, cùm labat conſenſis honeſtâ radice non nixus; multi ut jam tum inciperent augurari, in funeſtum XLIX.
bellum ſocietatem iniquam eſſe abituram. Cauſa fuit utrâque à parte, libido parandi imperij, quam ſpecie ſocietatis contra libertatis hoſtes callido commento hactenus occultaverant. Vlricus Emdâ reſtitutâ retinebat quædam, quæ ſua eſſe Hamburgenſes afferebant. Imprimis de exulum rebus convenire non

poterant; armis tamen adhuc abſtinebant, colloquiis & verbis inter ſe contendebant. Inter quæ antiſtites collegiorum familiæ Dominicanæ conventum pro more egerunt Nordæ ſub exitum Iulij menſis, ſtatueruntque multa de rebus communibus. Is conventus apud Nordanos quintus fuit. Deinde avertendo maris æſtui, qui multum incommodi vicinis agris afferebat, rivus Accumanus in primo Harlingiæ aditu, conjunctâ Nordenſium & Harlingiorum operâ obſtructus, & ingentium aggerum initia jacta: utile opus, ſi perfectum fuiſſet. Sed diſcordia oborta, quod benè cœptum erat, paulò pòſt peſſum dedit.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XXIV.

M.CCCC. L. SEQVENS annus, quo præfecti in Friſiâ pro Hamburgenſibus fuêre Guilhelmus Brandius, Henricus Leſſemannus, remediis fruſtrà aliquoties tentatis, invaleſcente odio, ad maturitatem diſſidium Hamburgenſium cum Vlrico provexit. Hic ingenio vafer populo totum ſe dare, ei ſupra ſolitum blandiri, ſimulatè aures præbere querelis exulum, in Hamburgenſium obſtinatam iniquitatem culpam conferre, illos in invidiam quàm maximam apud omnes vocare. Quâ occaſione Imelo Oſterhuſanus ſupplicem libellum rurſum ſenatui Groningano, cui amicitia & pax cum Hamburgenſibus conſtabat, offert in hanc ſententiam: Eſſe ſe à multo jam tempore in fide ipſorum: ſpoliatum tot annos omnibus facultatibus ſuis, infælicemque vitam agentem tentaſſe ſæpè legitima ac pacifica media redeundi in patriam, & amiſſa recuperandi, colloquiis quæſitis ſumptus frequenter feciſſe, uſum etiam operâ ad eam rem civium Groningenſium, ſed operam luſiſſe apud eos, qui juri & æquitati nullum locum relinquant: provocaſſe ſemper ad arbitrium bonorum virorum: idem etiam nunc facere; imprimis cognitioni ac judicio ſenatus aut ſolius, aut cum ordinibus ſociis in vicino agro totam cauſam permittere: precari & obſecrare per omnia ſacra, imprimis per ſanctiſſima Chriſti merita, ut ſuſcipere negotium ac patrocinium hominis calamitoſi, clientis egeni, æquitate æquiora petentis, ab omnibus deſerti mortalibus velint: facturos rem ſe dignam aſſerendâ Friſiorum præclarâ libertate à Carolo Magno toti genti donatâ, coërcendiſque, qui eam per ſummum nefas opprimant, aurumque & argentum & cæteras opes quotannis velut ſpolia ſua è Friſiâ exportent, ac ſervitutem univerſæ genti meditentur: ſi non facient, Caroli illud celebratum diploma contumeliâ affecturos, in quo jubeantur omnes, qui gentis hujus ſunt, contra peregrinos oppreſſores mutua ſibi auxilia præſtare: poſtremò benignè reſponderi ſibi humillimis precibus » obteſtatur. Sed tardi per ſe animorum humanorum motus in alienâ miſeriâ; & ſpecioſa ad prætextum oratio, ob privatam cauſam, præſertim veterem, & à civitate alienam, pacem publicam cum periculo ac detrimento populi totius non eſſe laceſſendam, nec faciendum, quod contra pacta conventa videatur. Itaque reſponſum ſupplici benignè: moveri ſenatum miſeriâ ipſius, & benè ei velle, ſed patrocinium ſuſcipere armatum ob fœdera ſibi non licere; nec

æquum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

æquum putare, hoc ab ſe peti, nec arbitrari ad hujuſmodi ſe rem ex fidei datæ ratione eſſe obligatos: Si quid interceſſione amicâ apud amicos poſſint, id ſe illi officium non denegaturos. Simul, petente eo, litteras hac de re ad præfectos Emdanos dant, & rationem haberi ſupplicum rogant; ſe, ſi opus ſit colloquio, ad actionem offerunt. Illi ſuæ poteſtatis id non eſſe teſtati, ad ſenatum Hamburgenſem ſupplices remittunt. Tum ex conſilio ſenatus Groningani ab omnibus exulibus legati rurſum miſſi Hamburgum ex ſacro ordine, quò plus autoritatis rei ineſſet, Ioannes Munterus antiſtes Buriſmonicæus, & Iſebrandus ſacerdos Nordanus, cum commendatitiis Groningenſium litteris. A quibus cùm causâ eſſet acta graviter, & accederet amicorum interceſſio, dicitur reſponſum à Senatu benignè voce conſulis Dietlevi Bremeri, velle Senatum, ut ſe non alienum ab æquitate demonſtret, duobus è nobilitate Friſicâ Wiardo Olderſhemio, & Tannoni Cankenio cognitionem & arbitrium totius controverſiæ permittere, & ſemel eâ ſe moleſtia exonerare. Sic enim relatum à legatis domum reverſis: veréne, an ut gratum dicerent, & impendii ſolamen ferrent exulibus in ſpem erectis, nobis non liquet. Hamburgenſium quidem facta, quæ ſecuta ſunt paulò pòſt, commemorationi aut promiſſo non conſensêre. Quo eodem tempore Alco Inhuſanus, miſſo Romam ſacerdote Sengwerdico, homine litterarum non rudi, petijt, cum fratribus & ſorore natalibus ſe reſtitui à Pontifice. Quid non Romæ venale muneribus? impetravit facilè, juvante etiam Tannone Ieverano, ut in commentariis ſuis Ieverani tradunt: uniuſque juſſis hominis rerum ſe forma convertit. Interim odium augeri inter Vlricum & Hamburgenſes, & tumultuum initia ſe oſtendere: vicani, qui in fide exulum eſſe ſolent, ad Vlricum ſe conferre, ab eo jus petere, & obſequium polliceri, Hamburgenſium, qui exulum res pro ſuis habebant, imperium abnuere; jactare, dominis ſibi non eſſe opus, imperia legitima ſi ferenda ſint, domeſtica quàm peregrina malle. Quàm gratum hoc Grethano, cujus id arte occultâ fiebat, tam grave Hamburgenſibus. Quapropter Guilhelmus Brandius, & Henricus Leſſemanus, qui tunc apud Emdanos præerant, acerbioribus quàm opus erat ingeniis, vicanis iiſdem imperium detrectantibus terrores admovebant, quoſdam exempli causâ rebus ſpoliabant, aut in carceres condebant. Quod quidem cumulandæ invidiæ in autores fuit. Vlricus rogatus ab iis, qui in metu erant, per ſe ejuſce rei cupidiſſimus, patrocinium trepidis promittit, frigidam clam ſuffundit, præſidia certis locis diſponit, auxilia, ſi ſit opus, contra vim majora pollicetur, interim per internuncios & litteras Brandium & collegam ad moderatiora conſilia hortatur: ſuum factum purgat, fœderis primi, cujus caput ſummum libertatis aſſertio, admonet: non æquum eſſe oſtendit, liberis hominibus invitis dominos ſe imponere. Ferebant hæc indignè illi, & de injuriâ expoſtulabant; fœdera rumpi, pro beneficiis rependi maleficia querebantur; ardebantque vindictæ cupidine: ſed haud ſatis ab armis tunc inſtructi in regione peregrinâ, conſpirante populo, ſtatim tum contrà quod facerent, non habebant. Emdanos verò tum maximè obſervabant, quorum in fide omnis ipſorum fortuna vertebatur, benevolentiamque & humanitatem mirificè iis oſtentabant, & civitati magis quàm ſibi conſultum velle præ ſe ferebant, optima nimirum conciliandæ popularis gratiæ media. Nec minùs benignè agebant cum vicinis, quos nocere aut prodeſſe ſibi poſſe in hac nutante fortunâ noverant: inter quos primi Groningenſes erant: qui ſi jungerentur Vlrico, quid ſpei ſibi futurum eſſet reliquum, non intelligebant. Quapropter cùm ſenatus hujus civitatis, vergente jam æſtate, per litteras ipſis ſignificaſſet, queſtum eſſe civem ſuum, invitum ſe, contraque jus Emdæ retentum cum navi frumento onuſtâ, atque ad iniqua adactum, reſponderunt penè nimis dejectè, nihil à ſe factum eâ in re, quod non idem ipſi ſint Groningani facturi in caſu ſimili: rogaſſe quippe navis dominum, in ſummâ rei frumentariæ per oppidum

inopiâ, ut emendi frumenti copiam oppidanis faceret æquo pretio, aut ſaltem per triduum iſtic hæreret, quoad ipſorum naves, quæ expectabantur, è vicinâ Weſtfaliâ revertiſſent domum: idque ab eo tum libente impetraſſe: petere, ne factum id ægrè ferant, æquiſſimum per ſe, & fortunæ huic ſuæ neceſſarium: ſtudia verò ſua prolixè ſe ipſis viciſſim offerre. Poſt hæc à Groninganis, miſſis legatis, laboratum de tollendo diſſidio, offenſionibuſque colloquio, aut judicio æquo ſanandis; ſed profectum parum, utriſque ex dictis ac factis inſanabili propè odio incenſis, & quò arctiùs juncti fuerant arcanis conſiliis & pactis, eò acerbiùs jam mutuas injurias ferentibus. Nam Hamburgenſes armis viriſque nunc aucti excurſiones facere, & hoſtilia patrare audebant, & navibus inſtructis ad bellum vada, flumina, portus Friſiis cum Vlrico facientibus reddebant infeſta. Vlricus contra præſidia augebat, proxima quæque loca contrà excurſiones & hoſtilem vim firmabat, impreſſiones quoque viciſſim faciebat in res hoſtium: & jam bellum erat manifeſtum, cujus vim tardabat interveniens hyems. Nec tamen ceſſatum ab abigendis prædis, hominibus in captivitatem abſtrahendis, vaſtandis incendio villis & vicis. Nec ſolùm in Amaſanâ regione, ſed etiam in Mormeriâ ob præſidium Lærorthanum hujuſmodi rerum facies erat. Accidebatque, ut vici alij Hamburgenſibus, alii Vlrico ac ſociis eius adhærerent, nonnuſquam etiam ejuſdem vici aut fori homines inter ſe diſſiderent; in quibus qui inferiores erant, velut cedentes fortunæ inter ſociorum præſidia verſabantur. Pauciores tamen cum Hamburgenſibus, & hi plerique metu aut vi oppreſſi, multò plurimi pro Vlrico faciebant. Ita enim opinio habebat, hunc pro libertate certare, illos pro dominatu: & hujus nomen ob gentem & propinquum cum multis ſanguinem, ob fratrem patremque (is paulò antè anno eodem natu grandis deceſſerat è vitâ apud Grethanos) quàm iſtorum, hominum peregrinorum, erat multò gratius. Nam qui olim vix commercia & conſuetudinem exterorum potuiſſent ferre, nunc imperium quomodo ferrent? Cæterùm ex nobilitate Friſicâ nemo rebus Vlrici plus profuit quàm VViardus Vphuſanus. Quippe qui non gratiâ ſolùm, & autoritate ob ætatem, & rerum uſum, atque opinionem juſtitiæ, ſed opibus quoque antè omnes erat validus. Ab ipſis enim Emdanis mœnibus magno milliari longiùs, ſecundùm ripam Amaſi, ditio ei porrigebatur contra Orientem Solem, parochiaſque XII, & vicos alios eâdem comprehenderat. Odium verò ei vetus contra Emdanos ex avi memoriâ, & graviſſimis injuriis illius temporis: ac jam recens malevolentia in Hamburgenſes ob violatas res ſuas in vicis Valderanis, quos munitionum civitatis gratiâ iidem Hamburgenſes vaſtaverant, obductum penè vulnus reſciderat. Atque hoc eorum facinus indignum in ſocium non ſolùm ipſius animum, ſed multos quoque alios, qui id argumentum mentis Hamburgenſium habebant, vehementiùs offenderat, faciebatque, ut juſtiùs ſumpta in autores arma viderentur. Hic in Mormeriâ & vicinis locis ſupra Emdam, Vlricus in Amaſanâ & Broecmeriâ, Poppo Manninga Luteti filius, Emoque Vbbonis apud Nordanos, Sibo & Mauricius Cankenius in Harlingiâ curabant, Ieverano, Cnipenſi, Inhuſano, Friburgico, Witmundanis
M.CCCC. LI. interim quietis, & ridentibus in ſinu. Primo vere anni M.CCCC.LI Hamburgenſes de rebus Friſicis ſolliciti copias novas iſtuc deportaverant, alias ex Oldenburgico agro conſcripſerant, deinde ut rebus difficilibus ac dubiis meliùs provideretur, plures illuc cum imperio miſerant viros graves, Dietlevum Bremerum conſulem, Ioannem Gerberum, Paridonum Lutichium, Andream Gronenbergium, Helmichium Rencelium, Ericum Zevenum, ſenatorij ordinis omnes; è quibus tres primi in Friſiâ antè præfuerant. Tum verò bellum fervére multò vehementiùs, ab Hamburgenſibus proxima, aut quò pervadere poterant, ferri, rapi, uri, vaſtari, iræ plus quàm belli legibus tribui, Vlricus & ſocij acerbis dictis & factis lacerari: Nec Friſij viciſſim peregrinis aut domeſticis

hoſtibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

hoſtibus parcere: Groningani verò, & ordines agrarij, quorum proximus ardebat paries, rurſum intercedere, utriſque ad actionem de pace ſe offerre, legatis ſuis fidem publicam petere. Vlricus cum ſociis non abnuit. Hamburgenſes ſcripto reſpondent, ſe quoque actionem admiſſuros, ſi quæ contra fas & fidem abſtulerat Vlricus, eadem paratus ſit ipſis reſtituere, & pacem cum fide deinceps colere: commeatum quoque dare ipſorum legatis Emdam venturis in dies proximos XIV. Factum hoc pridiè Iduum Maij. Cum legatis, qui miſſi fuêre ex oppidanis & agrarijs ordinibus, non ſucceſſiſſet actio, ad arma rurſum mentes verſæ: nec tamen memorabile quicquam, quod ad poſterorum cognitionem pervenerit, proximis aliquot menſibus geſtum; ut ſuſpicer, inducias iterum interveniſſe. Seneſcente æſtate colloquia de pace & finiendâ omni lite inſtaurata, iiſdem autoribus Groninganis. Sed præter inducias ampliores confici etiam tum nihil potuit. Induciarum ſine fraude ſervandarum ſponſores ſe Groningani pro Vlrico & VViardo interpoſuêre: Et hi viciſſim polliciti ſunt, indemnes ſe Groninganos præſtituros, ſi quid ſponſionis hujus cauſâ ipſis accideret. Finitis induciis, aut violatis, pacis perpetuæ ſpe conceptâ rurſus evaneſcente, anno M. CCCC. LII bellum etiam acerbiùs quàm unquam antè integratum. Fuit eo tempore præfectus apud Emdanos relictus cum Ioanne Gerbero M.CCCC. LII. Andreas Gronenbergius, vir peracri ingenio & egregiâ virtute militari, qui dudum bello Danico præclara induſtriæ ac ſolertiæ ſuæ experimenta depoſuerat. Is novis delectibus præſidium oppidanũ auget, oppidanos ipſos ad arma ſecum capienda, invadendoſque ultrò hoſtes hortatur: non tam de imperio Hamburgenſium, quâm de fortunâ civitatis Emdanæ agi hoc bello demonſtrat: hanc inviſam conjuratis eſſe: hujus augmentum & munitiones eos ferre non poſſe: Itaque victoriam huic magis quàm Hamburgenſibus commodo, res adverſas ipſis minùs quàm Emdanis detrimento fore: ignotum porrò non eſſe, id odiſſe acerbè in oppidanis conjuratos eoſdem, quòd manendo in fide cæteris perfidiam viderentur exprobrare. Ad hæc prædam oſtentat divitem: facilè manum conficit audacium ac egenorum, & qui odio partium ex agro in oppidum confugerant; hanc in cohortẽ deſcribit ad omnem tentandam fortunam paratam: denique civitatem totam vertit in ſe: fidem & ſtudia pollicentem. Tum naves plures paratæ infeſtandis oris, impoſitique, quibus animi & manus prædarum avidæ. Ipſe cum militibus & oppidanis copiis quàm maximis oppido egreſſus, declinatis in viâ hoſtium præſidiis, infeſtus maximè iis, qui recuſato Hamburgenſium imperio ad Vlricum ſe contulerant, belloque cauſam primùm dederant, agendis prædis, obviis malè mulctandis, Grothuſam contendit, cui excidium parabat. Oderat enim locum ob cauſam, quam dixi, & prædis opulentam putabat. In quâ oppugnandâ dum eſt intentus (nam valli & foſſæ aliquid contra pericula erat toti vico obductum, ac tenuia caſtella ad ingreſſus hoſti oppoſita) Sibo Stedeſdorpius alacer juvenis, vel ægro, vel ob luctum armis tum abſtinente (conjux quippe ejus obierat) Vlrico, auſpiciis hujus ejuſdem, cum eâ, quam belli hujus cauſâ circùm ſe habebat, armatorum manu, & quam raptim è vicinis locis ac præſidiis convocare ad ſigna poterat, multis in ipſo itinere, dum agmen ducit, confluentibus, in eum incurrit. Pugna conſeritur, Hamburgenſes & Emdani in fugam cõjiciuntur: cædes aliquæ facta eſt. Eâ ignominiâ dolens Gronenbergius, militibus ſtipendiariis belli laborũ gnaris à plebe ruſticâ ſuperatis, ut penſaret eam, ac dolorem hoſti reponeret, ex oppido ſe rurſum opinione citiùs effudit. Oppreſſis ſubito turbine Hintanis, præſidio fugato aut capto, in Oſterhuſanos impetum vertit, ubi munitionis plus, & præſidium majus, locus verò Emdanis inviſus. Sed rurſum advolans cum ſuis Sibo, quibus animus ex victoriâ creverat, adſcitis quoque commilitionibus pluribus, majore etiam quàm priùs clade recedere iſtinc, & trepidâ fugâ oppidum repetere eũ coëgit. Sic gloria Siboni apud omnes ordines, gratia apud Vlricum

 crevit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

crevit. At Vlricus naviter intereà ſermones hujuſmodi paſſim per ſuos in populo ſpargere, ità ſpem, metum, ſollicitudinem ſubjicere, hominum animos variè turbare, ut omnes propè præſentium pertæſos in hanc ſententiam pertraheret, è re patriæ communis fore, ſi unius auſpiciis & imperio legitimo impoſterum gubernetur: Repreſſos quidem à Sibone Hamburgenſes, ſed Friſiâ non eſſe depulſos: quinimò commodiſſima eius loca præſidiis tenere, totumque Amaſum habere in poteſtate: Quid ſi copias non ſolùm inſtaurent, ſed augeant etiam, atque impetum reſumant? quis eandem fortunam, eoſdem etiam populi animos, parem conſenſum ſpondere auſit? Honeſtam ſanè & præclaram libertatem: verùm, quod experimento longo ſatis probatum ſit, tot incommodis eſſe permixtam, ut ne optanda quidem videatur: licentiam immodicam, ſtudia inimica, lites infinitas latè graſſari: inde certamina, ſeditiones, bella etiam cruenta inter proximos exiſtere: fruſtrà vero legibus, fruſtrà fœderibus novis obviam iri: quoties ea paucis annis ſancita? quoties rupta? Ecquod tempus multis jam ſæculis ſine motu, ſine cæde & ſanguine civili in Friſiâ fuerit, poſtquàm ſemel in factiones diſceſſum? vix nunc multo ſanguine & labore partam conſtitutamque qualemcunque ordinum concordiam benevolentiâ Dei, Grethanorum induſtriâ & virtute: quid ſi ea poſt paulum diſſiliat rurſum? quid ſi etiamnunc laboret? Ad Iadam enim ac locis vicinis quanta factio? Hamburgenſibus quàm multi addicti, & univerſam concordiam tardantes? Ex quibus ſcintillis, etiamſi abſit peregrina vis, ſi quis exiſtimet, non facillimâ ratione incendium rurſum oriri poſſe toti Friſiæ huic peſtiferum, eum ſanæ mentis inopem videri. Inclinatis huc animis non ruſticæ ſolùm multitudinis, quos erat perſuadere facilius (ſuis enim rebus ac libertate privatâ contenti ambitione non movebantur) ſed etiam nobilitatis pleræque, quæ in patriâ tum erat, omnium ſimul ſtudium exarſit Hamburgenſes è Friſiâ pellendi. Aucta igitur circùm urbem præſidia, munitiones & caſtella, dum recens metus Saxones intrà portas continet, plura in ambitu excitata, urbs quaſi indagine à terrâ clauſa: idem à Mormeriâ arctando Orthano præſidio ſtudium adhibitum: velitationibus interim certatum hîc illîc, oræ à prædonibus infeſtæ habitæ: Emdenſes ob conſtans pro Hamburgenſibus ſtudium à Friſiis contumeliæ causâ Saxones nuncupati: novorum militum ſupplementum claſſe in oppidum ſubmiſſum. Quibus rebus æſtas illa, & autumnus, & bona pars hyemis exacta.

M.CCCC.LIII. Poſtremò Hamburgenſes cùm viderent concordiam conſtantiamque totius populi, & jam oneri magis quàm emolumento reip. ſuæ eſſe id, quod in Friſiâ habebant reliquum, ærarium ſuum alendo præſidio deficere, & pelli ſe poſſe vi, ni voluntate cederent, Vlrico ad colloquium ſe obtulerunt. Vlricus quanquàm redigere in poteſtatem ſe poſſe oppidum, & Orthanam arcem, manente eodem populi ſtudio, non abs re confideret; tamen varia ſecum reputans, expedire magis ſpei ſuæ judicavit, ſi quàm maturimè, excluſo populo, cum hoſtibus ipſe tranſigeret. Agitatâ igitur re colloquiis primis, tandem ſenatus Hamburgenſis amplâ cum poteſtate ac mandatis legatos viros graves in Friſiam miſit adulto jam menſe Martio. Ad quos cùm legaſſet Vlricus ex cohorte amicorum maximè fidos, omniſque ſecreti conſcios, & cum his duarum ſororum ſuarum filios Sibonem & Popponem Manningam Luteto Luteſburgio genitum, confecta tandem inter eos res eſt, ſed conditiones apud vulgum ſilentio preſſæ. Quarum præcipuæ hæ: *Senatus Hamburgenſis, acceptâ haud magnâ pecuniæ ſummâ, tradet Vlrico, & fidei eius committet Emdam & arcem Lerorthanam cum omni iure annexo, ut is eas tueatur, & ſumptu ſuo ſartas tectas ac incolumes ſenatui eidem velut præfectus conſervet in annos* XVI: *nec licebit ſenatui antè præfinitum hoc tempus eum à præfecturâ removere: tum verò id facere, & fidei ipſius commiſſa recipere ad ſe ſi volet, antè annum integrum idem ei denunciabit: tenebitúrque Vlricus, receptâ, quàm iam dabit, pecuniâ, cuius ſumma conſultò in contractus formulâ expreſſa non eſt, in fraudem*

eorum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

etrum, quorum intererat, ſed peculiaribus litteris ſignata, ſine morâ ijs decedere, ac ſenatui bonâ fide cum omni inſtrumento accepto ex ſyngraphâ reſtituere, toto eo tempore cives Hamburgenſes negotiorum causâ in Friſiam, & loca vicina ventitantes ſummo ſtudio tueri, cerevisiam Hamburgi coctam, cæteráſque civium Hamburgenſium merces omni vectigalis aut portorij onere ſtatim levare in omnibus ditionibus ſuis, eámque immunitatem perpetuam etiam apud hæredes & poſteros præſtare, prædones portubus & littoribus Friſiæ Orientalis prohibere: Viciſſim ſi quis huius aut cuiuſcunque rei alterius causâ, in quâ Vlricus iudicium Hamburgenſium ſubire non detrectabit, vim ei facere conabitur, ſenatus auxilio ei mittet ſclopetarios milites CCC ſtipendio ſuo, ſumptu in cætera impendia ipſius: & ſi quid per hoc auxilium capietur ex hoſte, cuiuſcunque id ſit generis, ſolum cedet Vlrico: ſed idem captivos, ſi quos continget ex hiſce CCC in hoſtis venire poteſtatem, ſuomet redimere ære tenebitur. Emda, arx Lerorthana, imò cæteræ arces omnes, quas aut habebat tum Vlricus, aut etiam impoſterum erat occupaturus, ſenatui Hamburgenſi, quoties uſus eius in quemcunque hoſtem poſtulabit, patebunt; Vlricúſque pro viribus ſuppetias ei feret, armato etiam, ſi neceſſe erit, populo, qui eſt in fide ipſius: imprimis bello Hollandico, ſi quod erit cum populo Hamburgenſi, poſcente ſenatu, tenebitur ſimiliter cum cohorte CCC ſclopetariorum eâdem, quâ prius dictum, conditione, auxilio ſenatui eidem eſſe, non licebit ei in agro Amaſano arcem novam extruere, aut ullam munitionem excitare, niſi ex conſenſu ſenatus: ſimiliter novis ædificijs, aut munimentis inſtruere Emdanam & Lerorthanam arcem, niſi conſentiente eodem ſenatu non licebit: ſi qua verò ex voluntate eius opera huiuſcemodi inſtituet, eorum impenſas ad æſtimationem quatuor arbitrorum ſenatus exſolvet, antequàm arcium poſſeſſionem recuperet: vetera omnia ſarta tecta Vlricus conſervabit ſumptu ſuo. Quòd ſi aquarum vis arcem Emdanam videbitur labefactare, non tamen fas ſit Vlrico aliò eam transferre niſi volente ſenatu: & ſi intereà fluctuum vi contingat arcem convelli, nihilominus à ſenatu arcem repetente integra ei pecuniæ ſumma, de quâ dictum prius, reſtituetur. Emdanis illæſa manebunt iura omnia & privilegia, quibus uſi ſunt, quamdiu in fide fuerunt Hamburgenſium. Naufraga eiecta in littus Friſiæ Orientalis, dominis civibus Hamburgenſibus Vlricus ſine diminutione reddet: ij mercedem operæ ex æquo & bono ſervatoribus ſolvent: Captivi utrimque dimittentur incolumes, ac ſine pretio; etiam illi, quos ex cohorte Adolfi ducis Sleſvicenſis, quæ in auxilijs Hamburgenſium fuit, Vlricus interceptos habet in cuſtodiâ: Iniuriarum omnium oblivio erit; nec fraudi eſſe debebit oppidanis aut ruſticis, qui in fide Hamburgenſium fuerant ante bellum motum, quòd pro Hamburgenſibus militarint, fiétque illis reſtitutio eorum, unde vel eiecti ſunt, vel ſponte deceſſêre: Ea, quæ promiſſa ſunt pro captivis dimiſſis, nondum tamen ſoluta, hinc indè remittentur. Si præmoriatur Vlricus antè definitum hoc tempus, hæredes in locum eius ſuccedent, atque ad eadem præſtanda erunt obligati. Ad reſtitutionem verò, exactis annis XVI, ſi res devenerit, utraque pars à pactis his rurſum erit libera, atque ab obligatione omni prorſum ſoluta. Et in has conditiones ab ſe probatas Vlricus primùm ipſe coram legatis Hamburgenſium fidem ſuam ſolemni juramento obligavit: deinde Sibo quoque & Poppo Manninga ſororum ejus filij velut futuri hæredes proximi, nondum generatis ab Vlrico liberis. Omnibuſque in inſtrumentum publicum redactis ſigilla quoque ſunt firmandæ fidei ab eiſdem his adjecta. Id factum die XV Iduum Aprilis. Traditione factâ, Hamburgenſium præſidiis deductis, & omni è Friſiâ amotis, magnâ ſollicitudine levatus Vlricus, quanquam legibus receptis ſat duris. Reputabat enim quàm magnos adhuc haberet in Friſiâ æmulos, quàm mutabile & incertum ſtudium populi, quàm altè ei inhærens, ac penitùs animis inſitus libertatis amor, non aliàs faciliùs recurſans, quàm cùm de peregrino hoſte victoria provenit: cogitabat quoque, oblata ſi rejiceret, & ad extrema redigeret inimicos, metuendum, non neglecturas ſociorum laborantium fortunam civitates cæteras maritimas: earum autem vires ſuſtinere, non eſſe facultatis ſuæ, nec eorum, quos in partibus haberet: ſin pactione rem finiret, firmamento ſibi fore in omnes caſus cum civitate potente conjunctionem. Inde præfectum Emdanæ arci

dedit Egbertum Boijngum Suderhuſanum, conſtanti fide ſibi cognitum: Eg-
gericum Beijerſletum adactum in fidem ſuam Lerorthanâ in arce reliquit.
Conſules civium ſuffragiis Emdæ creatos Iohannem Winſenium, Ioannem
Dutenum, Meijonem Tiadmerium Alberto Tijdchio addidit. His conſtitutis,
ad jaciendum aliud potentiæ fundamentum ex novis nuptiis animum adjecit.
Erat ad eam rem opportuna, indole, formâ, ætate inter coævas virgines præ-
ſtantiſſima, Vcone Focconis Lerani filio, & Heba Dornumanâ genita, Theda:
quam ſi conjugem adſciſceret, intelligebat ſolidare ſe vulnus ingens, & factio-
num odium minuere, imò delere poſſe. Flos quippe erat ea virgo familiæ Foc-
conianæ, & rerum ejus cis Dullartum ſinum hæres. Eâ ductâ, nuptiiſque die
VI Calend. Iunij in arce Berumanâ confectis, atque ita duabus factionibus
conjugii vinculo conſociatis, ſpei ſignum exulibus extulit, & multos in popu-
lo; quibus id augurium conſtantis concordiæ fuit, ſibi fecit addictiores: im-
primis Dornumanam domum duplicem, quarum ex alterâ Thedæ mater erat,
in alterâ ex matertera ejus generati liberi Hero & Hicco, tum ipſum etiam Si-
ricium Freburgicum Ftouconianæ familiæ patronum maximum in partes at-
traxit. Hinc velut viâ complanatâ, prior illa populi cura de deſignando ſupre-
mo patriæ gubernatore, ejuſdem arte, in ſcenam reducta, comitioque habi-
to, ut eſt ab Egerico Grimerſhemio memoriæ proditum, poteſtas illa in Vlri-
cum ſine dubitatione collata. Quis enim ei universâ in Friſiâ opibus, honore,
gratiâ, prudentiâ par? quis, cui ille ſe vellet aut poſſet ſubmittere? Solus ex omni
numero Wiardus ætate major, opibus antè cæteros, uſu rerum, animi mode-
ratione, autoritate, favore populi præſtans, denique hujuſmodi, qui poteſtate
non eſſet indignus, attamen Vlrico multò inferior: nec ipſe erat is, qui ambitu
ſuo tardare publicam concordiam, aut amiciſſimi hominis ſpem morari vellet.
Verùm poteſtas gubernatori quæ data, limitibus legum incluſa, ne patriæ li-
bertati adverſa, ne gravis eſſet. Vis ejus in jure dicundo, contumacibus coër-
cendis, procurandâ conſervandâque ordinum concordiâ, denique bellis pro
patriâ gerendis. Quâ ſic uſus Vlricus primis annis, potiùs ut intra modum quàm
extra ſtetiſſe videatur. In Wiardum quidem imperium præferre, quoad is
vixit, etiam pudore inhibitus fuit. Comiter ab eo obſervari ſe tanquam majo-
rem, quàm poteſtate agnoſci ſuperiorem maluit. Nec ſecùs cum Siricio Fri-
M.CCCC. burgico inter initia egit. Exules his de rebus facti certiores, qui nondum pa-
LIV. triæ reſtituti, aut fato functi erant, emiſſo nuper acerbiſſimo querelarum
ſcripto ad omnes principes & ordines de atrociſſimis in ſe Hamburgenſium in-
juriis, cùm omnes ſe reliquas ſpes conſumpſiſſe viderent, ad componendum
cum Vlrico, tentandamque gratiam ejus ſe contulerunt. Ille imperii, quàm re-
liquarum rerum avidior, Imeloni ætate jam gravi, item Aijoldo Friderici filio
Larletano, cujus parens paulò antè Bremæ diem obierat, Rederto Beningæ
Grothuſano fundos, ædificia, & quæ eorum ſupererant alia reſtituit, ſibi pote-
ſtatem prætoriam, & quicquid imperii ſpeciem habebat, ex ceſſione eorum
reſervavit, reverſoſque in patriam in fidem recepit. Cum Loquerdiis ità tranſ-
egit, ut Loquerdiam, Riſumum, Compam vicos cum imperio haberēt, Broec-
meriæ juri renunciarent, ipſum Vlricum Friſiæ Ciſamaſanæ Rectorem cum
cæteris agnoſcerent. Ab his duplici ingenti curâ animus eius urebatur. Tan-
nonem enim Ieveranum, hominem potentem, factioſum, inimicum, concor-
diæ remoram, quomodò ſine motu redigeret in ordinem, expeditum reperire
conſilium non poterat. Conditione verò reſtituendi Emdam, impedimento
omnis ſpei ſuæ, velut carcinomate occulto noctes atque dies cruciabatur. Ad
utrumque optimum tandem exiſtimavit ad Imperatoris autoritatem decur-
rere. Itaque legatum hominem fidum, mandatis & pecuniâ inſtructum, mit-
tit in Auſtriam: per eum diſſidia Friſiorum perpetua, factiones, tumultus, con-
tumacia in ipſum imperium ſtudia, ſuam in ſedandis turbis, ſarcienda concor-
diâ,

diâ, reducendo in obſequium rebelli populo, virtutem & induſtriam, Hamburgenſium conatus & auſus iniquos Imperatori Friderico exponit: ſibi dicit jam ferè parére, ſuumque nomen ſequi, quicquid inter Amaſum & Viſurgim regionis jacet pauca modò ſeditioſa capita conſenſum integrũ adhuc diſtinere: ea etiam cogi in ordinem & cum cæteris conjungi poſſe; ſi autoritas ſibi ab Imperatore adjiciatur: ſimulque de natalibus ſuis, de regalium, uti vocant, jure peramplo, ut mos in rebus hujuſmodi, multa magnificè magis quàm verè ſuperaddidit. Quapropter Imperatorem rogat, ne in Comitum Imperij ordinẽ hanc ob cauſam ipſum aſſcribere, & feudo Friſiæ Orientalis ornare dedignetur. Quod ſi ſibi dedignetur, vereri ſe etiam atque etiam oſtendit, non diu retinere ſe eodem in ſtatu populum poſſe. Verùm Imperator temeré ne crediderit orationi, an utile id Imperio putaverit, an quâ aliâ ratione ſit perſuaſus, obſcurum. Diploma quidem confectum, quo utrumque petenti conceſſum. Ipſe cum conjuge & poſteris Comes declaratus: omnis Friſiæ regio ab oſtio Amaſi occiduo in Viſurgis oſtium ſecundùm litus, & hinc in fines uſque Monaſterienſes & Oldenburgicos porrecta cum Comitatus titulo in feudum perpetuum ei & hæredibus aſſignata: nominatim verò in aſſignationis formulâ expreſſi feudi partes hæ, Emda, Norda, Gretha, Berumum, Eſena, Ievera, Freburgum, Aurica, Ortha, Stichuſa, Lenga, cum præfecturis annexis: totus item ager Transjadanus & Stadlandicus, & Friſica Weda. Sed aſſignationi certa lex ab Imperatore eâdem in formulâ diſertis verbis aſſcriptâ, ne quis abuti beneficio ejus poſſet. Ait enim ſic conferri dignitatẽ Vlrico, ne quid per eam Imperio aut Imperatori decedat: VT LIBERTAS ET OPTIMA IVRA A CAROLO MAGNO QVONDAM, CÆTERISQVE IMPERATORIBVS SANCITA TRIBVTAVE, ET A MAIORIBVS PER MANVS TRADITA, INQVE POPVLO AD HÆC VSQVE TEMPORA VSITATA, EIDEM POPVLO MANEANT INTEGRA OMNIA, ET ILLÆSA: NEV ABROGATA, DIMINVTAVE VLLO MODO, SED FIRMATA POTIVS SANCTIONE HAC NOVA INTELLIGANTVR. Cæteroqui in diplomate tributum Comiti novo, *ut vectigalium, portoriorum, mulctarum, judiciorum, cudendæ pecuniæ aureæ argenteæque ius idem, quod habuerat antè, impoſterum quoque retineat, & hæredes eius: nemo in iure ac dignitate hac ipſum poſteróſve eius ullo tempore impediat. Ipſe viciſſim obligatur, ut fidem & obſequium præſtet Imperio, & ut pleráque ad concordiam redacta pacaverat in patriâ, ità quæ reſtent adhuc, ſimili ratione paci concordiæque reſtituat.* Scriptum diploma Neapoli Auſtriæ circiter Calend. Septembr. Sed erant in re quædam non recta: populus imprimis apud Imperatorem ſugillatus, dignitas ignaro eodem quæſita, ſine eorum aſſenſu, quorum intererat, impetratum feudum, familiæ jura ſupra modum verbis aucta. Quas ob cauſas ne diploma quidem in lucem producere, aut profiteri novum honorem ſtatim audebat: tempori verò rem, invidiæ in præſens futuram, reſervabat. A priori ipſe vivendi imperandique inſtituto non recedebat, comis, benignus, placidus, conciliandis animis, ſanandis malis intentus. Quo tempore Siricium Freburgicum in Oſtringiis potentem infenſum Groninganis, Emdam adductum præſentibus Wiardo Vphuſano, Edone Godenſi, Ioanne Fredowoldio præpoſito Emdano, Ioanne Muntero antiſtite Buriſmonachæo, cum civitate eâdem, à quâ legati ejus rei causâ eódem venerant, reduxit in gratiam. Sibonem verò ad ſe vocatum, appellatumq; benignè, ut oſtenderet non ſolùm promittere magnificè, ſed etiam facere benignè ingenij eſſe ſui, animiq; magnitudinem atque æquitatem cunctis hominibus commendaret, Eſenâ donavit, eoque beneficio clientem eum, & hæredes ejus domus ſuæ fecit in perpetuum: beneficiique finem voluit eſſe finem obſequij fideique in illis. Non plus gaudij indè Sibo, quàm laudis Vlricus tulit: omnes hunc ſuſpicere, dignum honore, dignum imperio, dignum omnium amore dicere, ſtudia in eum ſua acuere, denique major donando magnas opes, quàm eas

M.CCCC. LIV.

poſſidendo ipſe tum viſus fuit. Et quæ ſecuta ſunt tempora, probarunt, non
minùs prudenter quàm liberaliter factum ab eo, qui juvenem propinquum,
beneficio tanto devinctum, non ſibi ſolùm fidum, ac laborum ſocium fecit, ſed
liberis quoque ſuis, quos nondum ſatis firmatâ fortunâ parvulos reliquit, tuto-
M.CCCC. LV. rem optimum præparavit. Anno M.CCCC.LV Emda duobus operibus Vlrici
ſtudio facta ſplendidior, interiore cellâ, quam chorum vocant, templo majori
additâ, & urbis viâ, quæ ſecundùm Delfam rivum porrigitur, quæque nunc
nitidiſſima urbis pars eſt, ſilicibus primum ſtrata, ubi hactenus cænum & ſa-
lebræ fuerant. Imelo Emdenſis etiam poſt XXIIII carceris annos, eodem in
carcere, feſſus miſeriis fato conſumptus. Ità juris ac hæreditatis nomen ad
cognatos proximos, quorum primus erat Eggo VVeſterwoldius è ſorore ejus
natus, pervenit, res apud Vlricum omnis manſit. Is verò eidem adhuc ſtudio
deditus, pari modeſtiâ, quâ antè, ſe gerere, non Domini, ſed Rectoris Friſiæ
Orientalis nomen præferre, Comitis titulum prorſus diſſimulare, Generoſi
appellationem interdum admittere propter beneficium Imperatoris, de quo
incertus rumor cœpit ſerpere, & incerta ſpargere, interdum ne hanc quidem
poſcere, denique talem ſe comparare, ut autoritate potiùs, quàm imperio rege-
re, ſæpiuſque arbiter litium quàm judex eſſe videretur: judicibus tamen pro-
vincialibus, hominibus eruditis, autoritatem addere, eorum ſententias tueri,
iiſdem etiam ipſe obſequi, atque ita efficere, ut quantum eum mali timerent,
tantum amarent boni. Vivebat eo ſæculo Groningæ vir monachus Franciſca-
næ familiæ, è domo Brugmannorum, ſeveræ atque inculpatæ vitæ, fervido in
docendâ plebe ſtudio. Is cùm corruptiſſimos mores omnium ordinum videret,
ſacerdotum libidinem, ac gulæ ſtudium, magiſtratuum iniquitatem, monacho-
rum avaritiam & πολυπραγμοσύνην, plebis peccata infinita, velut numine affla-
tus, omnibus liberè caſtigatis, Dei iram, venturas pœnas, bella externa & do-
meſtica, clades ineluctabiles populo denunciavit; denique ea prædixit tam ac-
curatè, quæ annis L ferè poſt evenêre, ut à poſteris pro vate ſit habitus. Hujus
conciones cùm ad annum M.CCCC.LII maximè ferbuiſſent, anno ab hoc alte-
ro accidiſſe dicitur res eodem in oppido memorabilis: quam niſi hic recitavero,
ut eſt in vetuſto codice hiſtorico annotata, ſed ſine fidei meæ periculo, non ſa-
tisfacere officio fortè videri queam Erant tum in ſenatu ejus reip. partim vete-
ri, partim novo Otto Clantius, Otto Hanſovius, Henricus Baroldi, Henricus
Cater, Goſuinus Dulchius, Goſuinus Gravius, Ioannes Banlous, Ioannes Ren-
gerus Scafferanus, Dericus Scafferus, Vlgerus Nortdicæus, Eberhardus Hubbel-
dingus, Ioannes Pontanus, Bruno Sigerus, Ludolfus Sickinga, Siſo Caſſius, Al-
bertus Roltmannus, Luverdus Iargæus, Hermannus Rex, Ioannes Potterus,
Henricus Beneconius, Hermannus Bernerus, Warnerus Faber. Hi ſive inviden-
tiâ in plebem, ſeu boni publici ſtudio legem meditabantur, quâ ſtatueretur, ne
quis civium res ex agro importatas in oppidum, & venum propoſitas ab agri-
colis emeret: id verò facerent ſoli propolæ hanc ad rem à ſenatu deſignandi,
& ij porro in commodum reip. eas diſtraherent, & reliquis civibus vende-
rent: quod indè proveniret lucrum, id in ærarium inferretur. Vocatumque
hujus rei gratiâ in curiam pro civitatis more concilium XXIIII-virûm delecto-
rum populi, atque ab eo quoque poſt diſputationes varias tandem res probata.
Sed è Senatorum numero uni maximè VVarnero Fabro plebicolæ inſigni æta-
te jam gravi, qui è plebeiâ tribu, raro tum exemplo, in ſenatum complures antè
annos fuerat cooptatus, negotium vehementer diſplicebat. Qui cùm adeſſet in
curia, cùm de lege ſanciendâ ageretur, fruſtráque ſuadendo rogandoque ſe niti
cerneret, aſſurgens: Ego verò, ait, patres, non patiar legem hanc probari ſuffra-
gio meo, quam ſcio adverſam eſſe ſacramento, quod omnes nos præſtitimus
reip. nec ſinam perferri, etiamſi canus hic vertex (erat autem canitie oppletus)
ejus rei gratiâ ſit patriæ impendendus: ſimulque ſe vertens curiâ exceſſit: ac
ſtatim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſtatim II-viros ædiles tribunitiæ poteſtatis,& collegiorum præfectos convoca-
vit, iiſque, quid actum in curiâ, expoſuit, aſperâque oratione rem totam tra-
duxit. Hi conſultis totis collegiis ſuis Wernerum juſſerunt cauſam plebis li-
berâ voce tueri, pollicentes, ſi quod ei propterea periculum crearetur, ſalu-
tem ejus ſibi curæ fore. Quæ res cùm ad ſenatum eſſet delata, Conſul & ſena-
tum & collegium delectorum populi ſtatim accerſiit in curiam: in quorum
concilio acerbis dictis ſententiis decretum cuditur de VVernero è medio tol-
lendo. Nec multos poſt dies, iiſdē omnibus in curiam rurſum collectis, VVer-
nerus etiam ipſe eòdem eſt per lictorem vocatus. Is vel ſuſpicatus rem, vel per
indicem edoctus, denuò ædiles & collegiorum præfectos per miniſtrum ſuum
coëgit celeriter, & re expoſitâ de vigiliis agendis in hoc momento admonuit.
Tum in curiam profectus, ſubſequente magnâ civium turbâ, cùm in veſtibu-
lo carnificem vidiſſet (à ſenatu is accerſitus erat, ut VVernero in ipsâ curiâ ca-
put præcideret) eo oculis & voce increpito territoque, mox in ſenatum ingreſ-
ſus, Quid hoc eſt, ait, patres, carnificem quòd in curiâ habetis? conſiliáne ve-
ſtra gladio ejus ſancire? decretum ſanguine ſcribere conſtituiſtis? Atque hæc in-
trepido animo, & voce magnâ minitans potiùs quàm timens, adeò ut qui ter-
rore ſe ſuccinxerant, eos ultrò terrere videretur. Simul è feneſtris ſenatorum
quidam proſpicientes, forum penè omne armatis & tumultuantibus plenum
conſpexêre. Tum trepidatione majore curiam totam ſubitò complente, Hen-
ricus Baroldi Conſul, At hoc, ait, Wernere, quid erit? Erit, reſpondit ille, ſic ut
vos voletis: legem quidem propolij è veſtigio abrogare vos oportebit: id vel
cum diſcrimine capitis mei vobis extorquere, certò mihi propoſitum eſt. Quo
periculo inopinato circumventi, quotquot in curiâ aderant, & legem confe-
ſtim abdicarunt, & nihil impoſterum ſe contra commoda plebis eſſe paratu-
ros, civitatis jura, collegiorum privilegia conſervaturos, præeunte verbis Wer-
nero, ſolenniter jurarunt, denique non ante ſunt è curiâ dimiſſi, priuſquàm
horum omnium fidem litteris & ſigillis ad arbitrium ejuſdem Werneri dediſ-
ſent. Eo confecto Wernerus, exhibitis populo tumultuanti litteris, quieſ-
cere eum, & à vi abſtinere juſſit. Mox è curiâ deſcendens unà cum ſenatu &
collegio delectorum in cœnobium Iacobæorum trepidos adhuc, nec fidere
voluntati plebis audentes deduxit, conſuluitque, ut tantiſper illic manerent,
donec omnis in populo motus, atque ira reſediſſet. Ità negotio omni finis im-
poſitus. Per quæ tempora cùm tempeſtates fuiſſent, Dullartus ſinus latiùs fun-
dere aquas cœpit, Occidentem verſus. Qui ne totam Præfecturam veterem
opprimeret paulatim, eodem illo anno, quo motus hic fuit, ingens aggeris novi
tractus à Ianſumo ad Finſerios uſque per loca jam fluctibus obruta à Groninga-
nis inſtitutus, perfectuſque eſt, operam conferente omni proximo agro, cujus
intereat: eique operi Goſenus Dulchius è ſenatu oppidano præfuit, qui eo tem-
pore Præfecturam veterem civitatis nomine adminiſtrabat. Anno deinde, qui
hunc ſecutus eſt, M.CCCC.LV fœdus à civitate cum agro vicino denuò percuſſum
in proximum decennium, fœderiſque argumentum ampliatum in commo- M.CCCC.
dum civitatis. Nam & de tributo aliquid definitum, & frumenti exportatio LV.
vetita, & cerviſiæ uſus in cauponis in univerſum, præterquàm Groninganæ,
prohibitus. Erat verò eadem civitas Groninga, cui pax cum omnibus vici-
nis per aliquot jam annos conſtiterat, intenta eo tempore in ampliorem for-
mam extruendæ turri ad ædem Martino ſacram, lateritio opere in ambitu mo-
lis veteris erecto: opuſq; triennio antè cœptum, eo qui fœdus renovatū ſecutus
fuit anno M.CCCC.LVI, poſtridiè Idus Auguſti uſq; ad faſtigium eſt conſumma-
tum: faſtigium quinquennio poſt abſolutum, operâ, & impendio inani, ut poſt M.CCCC.
dicetur. Sed anno lateritiæ molis perfectæ magnus motus in diœceſi Vltra- LVI.
jectinâ fuit ob Davidem Burgundum, Philippi Principis filium nothum, quem
in diſſenſione ſuffragiorum à parte minore electum epiſcopum pater per arma

in poſſeſſionem honoris & poteſtatis, dejecto æmulo Giſberto Brederodio Hollando, introducebat. Cujus motus cura ad Friſios omnes extenſa aliquid quoque laborum & impendiorum civitati Groninganæ dedit, ut libro ſequente in rebus Tranſlavicanis exponemus pleniùs. Intereà & Sibo Eſenſis viribus auctus Groninganis cœpit eſſe moleſtus propter matrem ſuum, quæ ab obitu mariti Epponis à civitate maritali arce Brocæâ per vim ejecta, ſuâ etiam domo apud Occoweranos exuta, ac rebus ſuis ſpoliata graves querelas ad fratrem, indè ad filium dudum detulerat. Sed Vlricus rebus ſuis dubiis laceſſere potentes amicos ſororis causâ non voluit: Sibo autem nullis opibus, nullâ ope quid faceret? Mox avunculi rebus, & bello Hamburgenſi occupatus aliò vertere animum, aut virium aliquid conferre non potuit. Otio vero primùm, dein Eſenâ potitus, vindicare maternas injurias eſt conatus. Sed malum ab Vlrico maturè averſum: à quo colloquium Emdæ procuratum poſtridiè Nonarum
M.CCCC. Martij, anno eodem M.CCCC. LVI. reſque in annum proximum conſopita. Eo
LVII. temporis ſpatio ad finem properante, nec lite adhuc compoſitâ, cùm Ciſamaſana res bello turbata Vliricum & Sibonem diſtineret, & Groningani à Sibone, qui in armis erat, ſibi metuerent, Vlricus per præpoſitum Grothuſanum Bebbonem, & ſcribam ſuum à ſecretis Ioannem Emdenſem, interpoſitâ fide propriâ, prorogatis induciis, ſecuros eſſe juſſit in annum alterum. Dein quoniam ſimultatis aliquid ac diſſenſionis de uſu fluminis tum erat inter eandem civitatem civitatiſque ſocios per agrum, & Emdanos Vlrico parentes, quò diffidentia tolleretur omnis, paulò pòſt hoc quoque per colloquium compoſitum. Groninganis ac ſociis conceſſum, ut navigiis minoribus ſubvecti Amaſum mercatus ſolennes Weſtfaliæ frequentent more ſolito, exceptis Hollandis domi peregréve de gentibus, Vlrico inviſis. Sed interdictum iiſdem propolii uſu eâdem in Weſtfaliâ, & navigationibus emendi vendendique causâ extra eoſdem illos mercatus ſolemnes. Tranſgreſſoribus pœna ſtatuta confiſcatio navigij, & mercium in uſum Vlrici. Poſtremò frumenti in Hollandiam & Friſiam Occiduam vectatio vetita. Signata hæc ſigillo Vlrici Idibus Februariis. Et rurſum legatione & litteris ſollicitatus Vlricus, item Eſenſis, coeundæ arctioris benevolentiæ ergò, pridiè Non. Maij hujuſmodi ſententiæ diploma iiſdem oppidanis & ſociis agrariis dederunt: *Liberum ſit illis per omnes Vlrici & Sibonis ditiones emendo vendendóque fortunam experiri quocunque tempore, importare, exportare vehiculo, navigio, ſine portorio aut vectigali, non ſecùs ac ipſis horum ſubditis; excepto ſolo vectigali pecuario: Ad hoc liceat iiſdem Amaſo flumine, & cæteris fluminibus, rivis, aquis quaquaversùm vectationum causâ in ditionibus horum uti liberè, præcipuè commercia cum Weſtfalis quibuſvis exercere, pari rurſum modo cum iis, qui ſunt in Vlrici & Sibonis fide*: Verùm conditio addita, *ſi idem in Groningenſium & ſociorum ditione tribuatur Ciſamaſanis, Reideriiſque.* Hoc medicamen metui mutuo tollendo, ſarciendæque amicitiæ tunc adhibitum: Sibonis querelæ ſilentio obrutæ. At conditio adjecta in diplomate ſenatum Groninganum perplexum habuit diu, & cum ſenatu hos, qui ſolent cum eo reip. conſulere. Fœderibus enim cum agri ordinibus videbatur in totum adverſa: trahebatque ſollicitos hinc civitatis commodum fœderibus comprehenſum, indè Amaſi uſus & negotiandi libertas immunis per omnem Vlrici & Sibonis ditionem, mirificè arridens, maximeque ſociorum in agro voluntas & preces. Agitataque res multis colloquiis, multis hominum ſermonibus: tandem in conditionem à ſenatu inclinatum. Quod cùm ad vulgi veniſſet aures, die XIIII Calend. Septembr. à ducibus concitatum ſuis uiritim concurrit in aream fani Martiniani, ubi ſub tiliâ ſæpè ſenatus agitare ſolet, inventoſque illic Henricum Baroldum, Ottonem Hanſovium, Goſuinum Dulchium conſules, ac magnam ſenatus partem ita conterruit, ut in poteſtate vulgi ſe futuros trepidi circumventique promitterent. Deinde cùm in curiam rurſum ſenatus eſſet coactus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

co[illegible]ctus triduò poſt, atque in conſilio hæreret, tumultuans & lymphata plebs in forum concurſu facto, claſſicum canentibus flabellis, curiamque circumſiſtens, minas jactans, jus in manibus oſtentans eò ſenatum adegit de periculo ſuo ſollicitum, ut litteris & ſigillis ſe obligaret, priuſquàm curiâ digrederetur. Recuſataque conditio irritum pactum cum Vlrico & Sibone fecit. Intereà in provinciâ Vlrico aſſignatâ, ut eò revertar, è nobilitate nonnulli, qui ab initio in honorem ejus conſentire noluerant, ne tum quidem obſequium ei tribuebant. Quorum ſermo ac ſenſus erat: non poſſe aliorum voluntatem in populo, qui in Vlricum conſenſerant, ipſis præſcribere: Imperatoris decretum, quod ferretur, aut falſum, aut iniquum, aut malis artibus in aulâ venali impetratum: rectiùs facere, qui cum ipſis ſui juris eſſe, quàm dominum quantumvis comem & benignum ferre malint. Et hi viri nobiles magnam plebis partem promiſſis ineſcatam, aut metu preſſam, illic, ubi ſedes habebant, ſecum trahebant. Hoc dolore incenſus Vlricus, memor etiam, quid à ſe populo, quid Imperatori de concordiâ procurandâ eſſet promiſſum, conſumptis jam fruſtrà omnibus mediis inermibus, ut armis ſaltem ad obſequium legum hos ipſos adigeret, curas intendit. Primum Tannonem Ieveranum, cujus opes erant in factione maximæ, & ingenium turbulentum, aggredi ſtatuit. Huic fœdus erat initum cum Gerardo Comite Oldenburgico: quem ut in premendis Stadlandis, & cæteris Viſurgis accolis, atque ab Vlrico avertendis juverat ſtrenuè, ſic ad Ruſtros ſuos & Oſtringios ad Vlricum reſpectantes, vi metuque in obſequio tenendos ipſius ope viciſſim utebatur. Erat horum mens, quàmplurimos ſibi conſilij hujus ſocios adſciſcere. Quorum in numero Siricium Freburgicum, Edonem Godenſem, Tannonem Witmundanum deſtinabant. Quas ob res Vlricus pericula occupare volens, & Ieveranum ulciſci, conſilia hujus rei cum Sibone Eſenſi communicat. Ille tum, quòd oportunam bello Ieverano VVitmundam intelligeret, & antevertere nutantem in fide Tannonem ſapientiæ eſſe putaret, ejus arci inſidias tendit. Mox corrupto pecuniâ ſatellite ipſius, occultè cum paucis expeditis primâ vigiliâ noctis iter ingreſſus ad VIII Calend. Januarias (quæ nox Nativitatis Chriſti memoriâ à Chriſtianis ſanctè colitur) Witmundam citus pervolat, atque ex compoſito à proditore, cui à dehoneſtamento diſtorti oris cognomen fuit, in arcem recipitur. Hoc tanto ſilentio adminiſtratur, ut ipſe ad Tannonem in lectulo quieſcentem, ac ſemiſomnem penetrarit. Tum ſenem ſommo excitum, ac ſubitâ re conſternatum, & trepidantem, bono animo eſſe jubet, hoſtile nihil in ipſum parari. Sed ſibi cum Ieverano bellum eſſe: ideò veniſſe, ut Witmundam oportunè ſitam, ex ſententiâ fœderis habeat in poteſtate, priuſquàm eam hoſtis imminens occupet: Eo bello confecto, arcem ipſi bonâ fide redditurũ: rogare, ut in præſens tempori cedat: licere, quocunq; velit, iſtinc tutò diſcedere. Tanno circumventum ſe cernens, cùm jam aliter facere non poſſet, multa indignè querens ex arce diſcedit. Eâ re ad finem anni M.CCCC.LVI confectâ, dum reliqua parantur, Sibo è viciniâ Ieveranos incurſat, terret, incommodis afficit, denique hoc operam dat, ut detrimentis commoti, recepto Vlrico, ſe quoque ad conſenſum reliqui populi conferant, autoritatemque imperatoris ſequantur. Miſſi quoque legati, qui hoc poſtulent, & plebem perſuadeant. Verùm cùm operam eam luderet, Tannone contrà nixo, ac fœderibus cum Oldenburgico, Cnipenſe, Inhuſano, alijſque ejus oræ nobilibus, deinde & munitionibus Ieveranis, quas inſtituerat hujus belli cauſâ, confiſo, Vlricus initio menſis Iulij majoribus cum copiis Siboni ſe jungit, atque ita ſimul in agrum Ieveranum irrumpunt. Sed vix paulum progreſſi in hoſtilem exercitum ultrò occurrentem incidunt, eumque pugnare auſum cædunt, disjiciunt, fugant. Tanno Ieveranus, qui exercitum ductabat, fugâ ſe eripit: Lubbo & Alco capti cuſtodiæ traduntur. Vlricus ab hac victoriâ ob tumultus, quos eodem propè tempore Gerardus Oldenburgicus Tannonis

ſocius Hollandique diverſis locis movere nunciabantur, domum cum exercitus parte regreſſus, Sibonem reliqua curare jubet. Eo cognito, Ieveranus, quamvis à clade & fugâ infracto animo, cùm oportunè etiam ab Oldenburgico auxilia adveniſſent, ut hoſti ſecuro cladem reponeret, inſtaurare celeriter copias ſuas, eas ad vindictam accendere, properare, in hoſticum ducere, prædas agere. Cui cùm ſe ad Nordorpam Sibo non ſatis inſtructus objiceret, ab eo victus, terga vertit. Ille cum prædâ ad ſuos victor rediit. Sed non diu hac victoriâ Ieveranus gaviſus eſt. Quippe ignominiæ impatiens Eſenſis, vocatis ſubitò ad arma, quos vel ex Harlingiâ, vel ex proximis Vlrici agris cogere poterat, veſtigia ejus ſubſequens Oſtringiam infeſtus invadit, diripit, vaſtat, tantâ vi ſe incitat, ut perturbato hoſti ad colligendum ſe, ac conſiſtendum, aut animus, aut facultas defuerit. Tum Ieverâ oppidulo, quod parvas admodùm munitiones tum habebat, ſubitâ vi oppreſſo, direpto, vaſtato, Wangros, quorum operâ uſum Tannonem potiſſimùm noverat, infeſto agmine petit, cunctaque obvia populatus cum ingenti prædâ, in quâ tria millia pecudum, trecenti homines capti fuiſſe perhibentur, in Harlingiam revertitur. Ità compreſſis, atque alterâ hac clade largè caſtigatis Ieveranis, conſtitutiſque pro tempore induciis, quibus & Siricius Freburgicus, & Edo Godenſis, Hicconis Werdumani frater, comprehendi voluerunt, in Gerardum Oldenburgicum ſe parat. Ad hunc Ieverani ſocium, & alioqui in more habentem vicinos omnes infeſtare, ex quibus modò ſpem prædæ habere poſſet, Tanno Witmundanus etiam nuper ſe receperat, cumque in Sibonem, & ſocios porrò incitaverat. Ille occaſione arreptâ, cùm in Ieveranum incumbere hoſtes cerneret, Friſiam interim diverſis in locis incurſaverat, donec ab accurrente Vlrico reprimeretur. Igitur delectu armatorum habito Eſenſis cùm omnes, queis robur, & promptitudo inerat, in cohortes deſcripſiſſet, emenſus Auricanos ſaltus, eò accedit, unde proximè in Oldenburgicos impetus fieri poterat. Huic Vlricus (nam hujus auſpiciis bellum gerebatur) validiſſimum, ac promptiſſimum quemque Lengenſium & Mormeriorum cum Mauricio Dornumano, & Siwecone Lenganæ arcis præfecto viro imprimis forti, quos jam paratos habebat, adjungit. Quibus acceptis in fines Oldenburgicos ſine morâ irrumpens, proximamque Ammerlandiam infeſto agmine percurrens attonitis hoſtibus, cùm nemo reſiſteret, ad Oldenburgum oppidum uſque prædabundus pervadit, quocunque pertingit, incendiis, rapinis, terrore omnia miſcet. Sed Oldenburgicus vafro æquè ac intrepido ingenio, æſtuans irâ huc illuc ſe ferre, ſuos ex omni agro ad arma ſubitò vocare, Ammerlandios, quid fieri velit, celerrimè certiores facere: illi juſſa exequi, quâ reverti exercitum hobilem prædâ impeditum neceſſe erat, commodis locis, ubi in arctum via militaris coibat, cæſas arbores magno numero inclinare, à fronte, à latere, atque exitus obſtruere, hoſtem armati idoneo loco expectare: Gerardus, diviſis cum Tannone Cankenio copiis tumultuariè coactis, recipientes ſe cum prædâ Friſios ex intervallo ſubſequi, mox ubi impeditos eos anguſtis, & occluſis locis hærere ſentit, à tergo incumbere, omni vi premere, totum agmen circumfundere, quàm maximum terrorem turbatis injicere, ſimul à fronte, à lateribus Ammerlandii ſe oſtendere. Erat res apud Friſios in ſummâ difficultate, & periculo: nec progredi obſtructis viis, nec regredi obſtante & premente hoſte, nec pugnandi causâ aciem ſuam ob anguſtias, in quas inciderant, explicare poterant. Itaque, quod neceſſe erat, inopinato caſu, graviter turbabantur. Nec tamen in hoc periculo, quamvis omnia adverſa præter virtutem haberent, ſe deſerere, aut animum abjicere: nec quicquam minùs quàm de turpi deditione, quam hoſtes poſcebant, cogitare, aut audire velle: Sibo, Mauricius, Siweco munia ſtrenuè obire, huc illuc accurrere, manu ac voce præire, gloriæ gentis, virtutis priſtinæ admonere, in hac ſola ſpe ſupereſſe,

perrum-

perrumpendum agmen hoſtium, ac illac viam pateficiendam; præſtare, ſi neceſſe ſit, in pugnâ mortem honeſtè oppetere, quàm turpiſſimâ pactione inſolenti hoſti ſe permittere. Tum magnis animis impetu facto, ac ſignis undique canere juſſis, verſi in Oldenburgicos ſe inferunt: illi cum reſiſterent, ac Gerardus & Tanno ſuis adeſſent, animumque adderent, atrox pugna miſceri cœpit, in quâ multi utrimque cecidêre. Poſtremò Friſij audaciâ, & manu freti, disjecto hoſtili agmine, quo circumventi erant, erectis militari more vexillis, invito & fremente Gerardo perrumpunt, ſervatiſque ordinibus progreſſi incolumes, qui cædi ſuperfuerant, redeunt in Friſiam. Capti tamen in ipſo diſcrimine CCLX. In quibus Mauricius quoque fuit, dum fortiter agentem in prælio fortuna iterum deſeruit. Omnes Oldenburgum in cuſtodiam ducti. Cæteri pretio redempti à ſuis diverſo tempore. Mauricius totum annum in cuſtodiâ manſit avaritiâ hoſtium, qui maximo auri pondere libertatem ejus ſupra modum facultatum licebantur. Id ille ex ſuo, quamvis pro patriâ militans, ſolviſſe Gerardo dicitur. Sunt tamen, qui non ad ipſum Mauricium, ſed ad Heronem filium ejus hunc caſum pertinere arbitrentur. Intereà Friſij dolore cladis prioris incenſi, quò ſe ulciſcerentur, in Ammerlandicum agrum magnâ manu denuò impreſſionem fecerunt, latéque obvia deprædati, quanta potuêre incommoda hoſtibus intulêre. Sed eadem, quæ ſuperiùs, fortuna illos comitata eſt. Nam ad Apam ejus agri arcem, & vicum cùm veniſſent, in anguſtiis viæ, cui trames inter invia & impedita utrimque impoſitus eſt, ab Oldenburgicis, qui maximo numero iſtic ſe collegerant, ita ſunt excepti, ut accepto non mediocri detrimento recipere ſe, & fugâ ſalutem quærere cogerentur. Præter cæſos non pauci etiam ab hoſte capti, quorum in numero Edo Godenſis è Ruſtriâ, cujus antè facta mentio eſt, genere & opibus clarus inter ſuos, fuit. Binis his calamitatibus uno anno correpti Friſij, cautiùs alienos fines incurſare deinceps didicerunt, & Gerardus à fratre Mauricio graviſſimo odio diſſidens, minùs etiam vacare vexandis Friſiis potuit. Per eoſdem verò menſes, quibus hæc diverſis locis bello geſta ſunt, Vlricus novæ arcis ejus, quæ jam extat apud Grethanos, juxta arcem veterem quadratâ formâ, antiquiſſimam familiæ ſedem, cujus ruinæ etiam multò pòſt tempore extitêre, fundamenta jecit, maximamque operis partem, quæ ad Ortum, & Meridiem vergit, cum propugnaculo rotundo eâdem æſtate abſolvit. Id opus lateritium omnium, quæ in Friſiâ cis Amaſum ſunt, longè firmiſſimum etiam nunc habetur. Deinde poſt aliquot annos ea pars, quæ Occidentem Solem ſpectat, ab eodem Vlrico eſt addita. Eodemque tempore Ewo Weſterhuſanus in fata concedens familiæ ſuæ haud ignobilis finem dedit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XXV.

QVÆ dum cis Amaſum & Lavicam geruntur, in Friſiâ ad Occidentem Solem, Maccumum in Flevi orâ à Sciringiis vallo militari cinctum ad annum Chriſti M.CCCC.L, novis turbis & cædibus occaſionem præbuit. Nam cùm Vetcoperi Ianco Dowema, Iaclo Feddæus Allingweranus cum compluribus aliis, in quos ea munitio erat inſtituta, poſt aliquot menſes captum caſtellum ſolo coæquaſſent, odia graviùs incenſa ſunt. Hinc cædes ſecutæ: primùm Dowo Gerbrandius biennio pòſt Bolſverdiæ in ipſis comitiis ferro interfectus à Ioanne Roordâ ad IIII Idus Septembres: deinde III Nonarum Octobrium, Sceltconem Roordam propinquum Ioannis Harlingæ in ipſo templo captum cæſi gentiles viciſſim confecêre. Mox cædes cædem traxit. Sizo Gabbinga Romberti filius in agro Geeſtano ab inimicis die ſolenni interemptus. Poſtremò Goſlicus Iuvingius Bolſverdianus ſuorum civium, totiuſque Sciringicæ factionis ejus oræ auxilio inſtructus, Iaclonem Feddæum domi ſuæ, quam ſatis firmam contra incurſum Allingweræ habebat, obſeſſum, ac vi ſuperatum in poteſtatem redactum, crudelem in modum ſupplicem interemit: ejus neci XV præſidiarios ſimul captos adjecit: Iaclonis opes, everſâ domo, omnes in rem ſuam vertit. Quod inſolens cunctis viſum, magnæ illi invidiæ fuit. His odiis nobilitatis Friſicæ inteſtinis ſollicitatus Philippus Burgundiæ Dux, Flandriæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Selandriæ Comes, cùm in Hollandiam tùm fortè veniſſet, Vltrajectinarum rerum gratiâ, ab Hollãdis admonitus, miſsâ in Friſiam legatione, Oſtergois & Weſtergois denunciat, ut non incommodis conditionibus, quæ ſcripto comprehenſæ in manibus legatorum erant, tandem ſe dominum recipiant: Quod ſi facere recuſent, cum exercitu ſe venturum, & graviores leges vi ſubactis eſſe dicturum: Rem igitur monere, ut proſpiciant rebus ſuis, dum licet: poſſe nunc à clementiſſimo Principe obtineri, quæ iratus victor deinde ſit negaturus. Friſij animo turbati ſtatuere non poterant, pareréne poſtulatis, an conjunctis viribus periculum ſubire pro defendendâ libertate eſſet melius. Vt enim jugum illinc oderant, ita hinc maximas Philippi opes, quibus reges pleroſque æquabat, & belli caſus, ac gravius ſervitium, ſi vincerentur, formidabant. Hujus rei causâ concilia multa habita. Tandem Bolſverdiæ frequenti in conventu populi decretum, ut legati cum plenis mandatis totius populi nomine Harlemum in Hollandiam mitterentur, qui cum Principe coram de conditionibus agerent. His litteræ datæ fidei faciendæ causâ, quibus ſcriptum fuit, quicquid hi cum Principe egiſſent, id populo ratum fore. Legatis Harlemum circiter medium menſem Iunium profectis, atque infecto negotio domum reverſis, cùm populus ex iis intellexiſſet, aut iniquis conditionibus parendum Burgundo, quem Hollandi infenſi vicinis ſuis incitabant, aut vim ejus expectandam, ne quid ſibi imparato, aut factionibus diviſo accideret, maturè providendum putavit. At Princeps Vltrajectinis rebus intentus Friſicarum curam in tempus aliud rejecit. Plurimum enim ſuâ intereſſe exiſtimabat, non malo loco à ſe Vltrajectina relinqui. Illic namque mortuo poſt ſexennem gubernationem

Rodolfo

Rodolfo Diepholdio epiſcopo, ſurrogatus in ejus locum fuerat poſtridiè Pa-
ſchatos anni ejuſdem, qui erat æræ Chriſtianæ M.CCCC.LV, Giſbertus Brede-
rodius Hollandus, de quo dixi, haud æquus in Hollandiâ rebus Burgundicis,
præterito aut ſuffragiis victo competitore Davide Burgundo, è concubinâ
Principi nato, qui tum Teravennenſem epiſcopatum in Morinis tenebat. Hujus
verò repulſam, ſuam repulſam reputans pater Princeps potentiſſimus, ſimul &
de Hollandiæ quiete ſollicitus, cùm nec rationibus, nec minoribus copiis in
diœceſim immiſſis, lociſque aliquot occupatis avertere à propoſito Giſbertum
Vltrajectinoſque poſſe ſe videret, anno proximo ingentem exercitum con-
ſcripſit. Eâ re Friſij Oſtergoi & Weſtergoi, qui omnia principis illius non ſine M.CCCC. LVI.
causâ ſuſpecta habebant, non neſcij, quid is & ſæpè aliàs, & non ita nuper po-
poſciſſet, quid denunciaſſet, quàm ſæpè principes alia ſimularent, alia animis
concepta haberent, quàm non rarò occaſionibus ex re natâ uterentur, turbati
ſunt vehementiùs, propterea quòd metuerent, in ſe fortaſſe imbrem illum, ſeu
confecto negotio Vltrajectino, ſive infecto, effuſum iri. Itaque coïbant fre-
quenter, conſilia conferebant, &, quod ſapientum erat, in omnem eventum,
quo modo, quâ ope poterant, ſeſe parabant. Et quoniam non ignorabant, in
civitate Groningâ, & Vlrico Grethano, eorumque ſociis quantum eſſet mo-
menti, quàm magnum univerſæ gentis conjunctæ robur, quid animi ob exu-
les hoſtes ſuos in Burgundum Vlricus haberet, ad hos quoque excitandos, &
communi jungendos ſe verterunt. Quapropter VIII Calend. Iulij Leoardiâ,
quò tum frequentes convenerant, litteras communes ad Vlricum alioſque è
nobilitate atque ordinibus Friſiæ Orientalis, & ad civitatem Groninganam,
ejuſque vicinos dederunt, in hanc ſententiam. Scire eos, quo fœderis vinculo,
quibus legibus inter ſe devincti ſint omnes Friſij inter Viſurgim & Flevum co-
lentes tum ad alia, tum maximè ad auxilia ſibi mutuò ferenda in omnes caſus,
tuendamque communem patriam, & libertatem contra externos hoſtes: eo
vinculo hoc tempore omninò renovato opus eſſe, idque eſſe è re ſociorum
omnium, qui res ſuas ſibi ſalvas cupiant: idcircò rem poſcere conventum, nec
moram ferre: Burgundum enim tantarum opum principem, inimicum liber-
tati Friſiorum & in eam jamdudum conſilia coquentem, in Hollandiâ ingen-
tes copias cogere, & his bellum in Vltrajectinos prætendere: ſibi verò conſtare,
Davidem filium ejus à Romano Pontifice epiſcopum Vltrajectinum eſſe de-
claratum confirmatumque, ut illius introducendi gratiâ tanto apparatu, tan-
tiſque viribus haudquaquam opus habere pater videatur, Vltrajectinis ſine du-
bio abſque majore vi autoritati Pontificiæ ceſſuris: & tamen urgendo appara-
tui terrâ marique ſine intermiſſione Burgundum inſiſtere: cujus turbo ſi in
Friſiæ aliquam regionem verſus fuerit (verti autem eum in has aut illas partes
ex æquo poſſe) quanto in diſcrimine putandum ſit, non ſuam ſolùm, ſed etiam
ſociorum omnium rem futuram eſſe: Petere igitur ſe quàm amiciſſimè, &
ſuadere graviſſimè, ut tum ob Burgundi arma, tum ob alia magni ponderis ne-
gotia, quæ litteris exprimi nec queant, nec debeant, Groningæ diem ſibi di-
cere, & ad eum adeſſe velint ad conſilia pro communi ſalute capienda: quem-
cunque dicturi ſint, eo ſe ſine morâ & vitio adfuturos: nihil utilius, nihil magis
neceſſarium hoc tempore ſuſcipi poſſe: impensè verò ſe ſenatum Groninga-
num rogare, ut ſuo ſtudio in hanc rem nihil deeſſe patiatur. Signatæ litteræ
ſigillo Leoardiano, Doccumano, Snecano nominum Ordinum, quos dixi, om-
nium. Atqui litteræ hæ dum commeant, dum Groningani, dum Vlricus, dum
cæteri deliberant, dum Sibo cis Amaſum rem tardat, nunciatum eſt, Burgun-
dum cum omni exercitu in diœceſin ingreſſum ad Vltrajectum jam eſſe, ac ſe-
riò rem filii agere. Quam ob cauſam cura iſta in Friſiis cis Lavicam refrixit.
At Tranſlavicani ob minas Burgundi anxij, ac periculo proximi, tardantibus
ſociis aut rem ſuſpendentibus, nequaquam tamen idcircò animis dejecti, ſed

recordatione virtutis majorum, qui non ſemel haud minoribus hoſtium copiis, quàm ſint hæ, aliquando etiam majoribus, ſoli ſine ſociis pro libertate ſe objecerint, animos ſuos erigentes, & ad fortiter audendum ſe mutuò exhortantes, ad ſuſtentandam viribus ſuis, ſi res cogeret, fortunam patriæ conſilia compararunt. Et ne quid à diſſenſionibus detrimenti accideret, omnes, qui inter Lavicam & Flevum ſunt, Oſtergoi, Weſtergoi, Sylveſtres poſtridiè Idus Auguſti eodem illo anno in has leges ſeſe obligarunt. *Vt aut remiſſis reip. causâ omnibus offenſis, aut ad finem uſque fœderis ſuſpenſis, ſua quiſque quietè poſſideret: turbatores graviter punirentur, alij capite, alij talione, alij ſupra ſolitum, gravi mulctâ, pro delicti modo: Imprimis cædes eorum, qui publicis in negotijs verſarentur, eſſent capitales: Omnes pro libertate defendendâ contra quemvis Principem ſummâ ope niterentur, ſibique auxilio mutuo eſſent, atque huc corpora, & fortunas impenderent. Si quis conſilia conferre cum peregrinis in fraudem libertatis auderet, quocunque tempore deprehenſus, morte pœnas penderet: Opes verò eius omnes in ærarium ſine controverſiâ referrentur, liberi perpetuum exilium ferrent: In fœderis huius leges qui iurare nollet, aut iuratus è patriâ cederet, hoſtis publicus haberetur: Controverſiæ obortæ, vel oborituræ arbitris à rep. datis permitterentur: Senatus ex omni Friſiâ Occiduâ eligeretur, qui rebus proſpiceret, & pace bellóque in medium conſuleret: hic quicquid decerneret, id reliqui ſine morâ ſummis viribus exequerentur: Senatoris munus, item præfecturam militarem ingruente hoſte ſi quis recuſaret, C ſcutatos veteres reip. pendere damnas eſſet: Opem vocati ſibi mutuò contra contumaces præſtarent.* Atque his hoc modo conſtitutis, omnibuſque rebus ordine dato quieti, motus Burgundi expectarunt. Is autem Vltrajecto jam potitus, filio in ſede epiſcopali collocato, in Tranſiſalanos deinde converſus, qui hominis nothi imperium adhuc recuſabant, ad Daventriam caſtra poſuit. Cui obſeſſæ Groningani auxilia ex pacto poſtulati, C C C armatos cum commeatuum & aliarum rerum copiâ miſere. Sed hoſtis potentiâ victi quoque Daventrienſes cum cæteris Tranſiſalanis poſt bimeſtrem obſidionem, intercedentibus etiam Principibus vicinis, fortunæ ceſſêre. Sic Davidi novo epiſcopo, abdicato Giſberto, ſacramentum ubique præſtitum: diœceſis quieti reddita. Burgundus ad excipiendum habendumque pro dignitate Ludovicum Galliæ Delfinum, Caroli VII regis filium ob ſimultates cum patre profugum, dimiſſo majore ex parte exercitu in Brabantiam profectus, & mox belli Turcici curâ diſtractus, cui reliquum copiarum duce filio Antonio, ex pellice item genito, impendit, deinde aliis atque aliis negotiis implicatus, Friſiis quietem reliquit.

M.CCCC. LVII. Principio anni ſequentis M.CCCC.LVII nomine Friderici Imperatoris in Friſiam fortè venit ampliſſimus vir Thomas Guriſtedius. Adventus ejus cauſa fuit, ut populum de ſolvendo tributo, quod jam ab aliquot annis debebatur Imperatori, admoneret. Habebat verò ea res nonnullam difficultatem. nam populus tributum, ut erat à Sigiſmundo definitum, ſolverat quotannis: ſed qui colligendo præfuerant, viri nobiles, ad hoc uſque tempus ſuppreſſum in rem ſuam verterant. Hi verò ita agere, ut neceſſarium videretur, nonnulla ab Imperatore priùs impetrare, quàm tributi nomine quicquam dependeretur. ità enim ab eo, qui ſemper egentiſſimus pecuniæ habitus fuit, & citiùs, & faciliùs, quæ æqua erant, obtineri poſſe cuncti rebantur. Quapropter conventu acto, Oſtergoi & Weſtergoi capita quædam conſcribunt earum rerum, quæ ab Imperatore ſibi concedi poſtulabant. Ea fuerunt, ut Imperator Philippo Burgundo interdicat quicquam moliri in Oſtergoos, & VVeſtergoos, aut ullum jus dominiúmve in eas provincias ſibi uſurpare: atq; interdicto citationem inſerat, ni Burgundus pareat: Dein gravi pœnâ indictâ denunciet omnibus Oſtergoam ac VVeſtergoam habitantibus, ne quis accerſere, aut agnoſcere quoq; Principem alium præter Imperatorem audeat: Confirmet jura ac privilegia omnia à Carolo Magno quondã conceſſa, ac à Sigiſmundo nuper denuò ſancita; reſcindatque omnia his adverſa, imprimis verò pacta cum Alberto & Ioanne Bavaris inita: irritum

irritum jubeat eſſe Oſtergoorum fœdus cum Groninganis, quo fœdere Oſtergoa & VVeſtergoa divelli videntur, quæ inſtituto veteri conjunctæ ſemper fuerunt, & nunc maximè eſſe debent, ut ſibi mutuo auxilio ſint contra Principes exteros vim Friſiæ intentantes: Caveat, ne quis omninò extra Friſiæ limites judicij cauſâ evocetur: quinimò ſi litigantes ſupremum tribunal fortè appellaverint, jus ſit ut delegati ad eam rem in Friſiâ cauſam cognoſcant. Tum cum Thoma Guriſtedio porrò agunt, ut ille jam benè de omni re edoctus ad Imperatorem cum his poſtulatis recurrat, cauſamque populi nomine quàm ocyſſimè expediat. Eo facto, ſimul ac in Friſiam rediſſet (nam & hoc ab eo rogarunt) polliciti ſunt, tributo nihil in morâ futurum. Ille amplis promiſſis inductus, & quod gratum Imperatori pecuniæ cupidiſſimo facturum ſe putaret, negotio ſuſcepto, reverſus ad Imperatorem omnia è Friſiorũ voluntate brevi tempore conficit. Ei ternas litteras Imperator dat, binas ad populum Friſicum de poſtulatis per Guriſtedium ad ſe miſſis, quæ concedit prolixè, addito diplomate, quo Sigiſmundi tabulæ repetitæ confirmantur; tertias ad Philippum Burgundum: His Burgundo denunciat, ut Friſiâ abſtineat liberâ Imperij Germanici provinciâ: in quam ſi quid juris ſe habere exiſtimet, judicio experiatur: ſe æquum judicium daturum: Si aliter faciat, in offenſionem Imperatoriam meritò incurſurum. Cum his ad IV Idus Auguſti Ertenburgi, quod Carinthiæ oppidum eſt, ſcriptis, Guriſtedius in Friſiam celeriter remiſſus, expoſitâ optimâ Imperatoris in Friſios voluntate, ac interdicto ad Burgundum prælecto, quod in mandatis præcipuè habebat, tributum urget, eóque accepto è Friſia ipſe quoque munere liberali ornatus excedit. Atque ab eo tempore pax Friſiis cum Burgundo fuit. At idem hic annus, quo Guriſtedius in Friſiâ fuit, Snecæ penè toti incẽdio conſumptæ calamitoſus fuit, & maximâ fame totam Friſiam, vicinaſque provincias oppreſſit. Ea mala portendiſſe terribilem Cometam vulgò creditum eſt, qui initio anni ejus igneæ virgæ inſtar illi oræ velut minitans imminuit. Ad exitum hujus anni menſe Novembri primogenitam filiam Vlrico Theda peperit, atque ex matris ſuæ nomine Hebam nuncupavit. Hæc ea eſt, quæ Erico Scowenburgico poſtero tempore nupta, cùm morte maritum amiſiſſet, in patriam vidua rediit, interque ſuos, quod reliquum vitæ fuit, exegit. Principio anni ſequentis M. CCCC. LVIII, poſt varios, difficileſque caſus extremâ ſenectâ è vitâ deceſſit Imelo Grimerſhemius apud Hintanos. Ejus obitu reliquiæ veterum opum ad Aijoldum filium, qui ſolus patri ſuperfuit, indè ad poſteros Grimerſhemios Beningiæ familiæ inſertos pervenêre. Ex Aijoldo Folcmarus, & Geroldus fuêre: quorum hic Egericum Beningam Grimerſhemium noſtrâ memoriâ florentem, atque optimum patriæ ſenatorem ex ſe genuit: Folcmarus ex Geroldo filio Egerum, & Folcmarum præcipuum Friſicæ nobilitatis decus, nepotes reliquit. Vlricus, quem patriæ ornandæ ſtudium ceperat, ubi primùm per anni tempus licuit, expurgato loco, eam arcis Emdanæ partem quæ Amaſo imminet, à fundamentis erexit, ac ſplendidiùs, quàm priùs ea arx fuerat, extructam ſibi deinceps frequentiſſimam ſedem elegit. Deinde operam dedit, ut canalis magnus apud Emdanos, qui noſocomio propinquior hactenus per annos L fuerat, in commodum creſcentis oppidi Franciſcano cœnobio vicinior collocaretur, cùm quidem præfectus arci eſſet Egbertus Boijngus, conſules verò reip. oppidanæ præſiderent Ioannes VVinſenius, Ioannes Dutenus, Meijo Tiadmerius, Abelus Sogelanus. Gratum opus toti civitati; ſed multò gratior pax cum Hollandis eodem anno inita ob negotiationum ſtudium, cui jam tum ſe cives tradiderant. Ea poſt longa odia tandẽ admiſſa ab Vlrico, & à nobilitate probata cum omnium ordinum excepta gaudio: reſtitutuſq; tot poſt annos in Belgas ſine periculo commeatus. Verum nõ ſubſcripsêre Ieveranus, Cnipenſis, Inhuſanus nuper cuſtodiâ liberatus, non tam belli ſtudio, quàm odio Vlrici, aut prædandi libidine; quorũ contagione è viciniâ Freburgicus etiã rurſum

M. CCCC. LVIII.

cœpit

cœpit inſanire: conſiliumque inter eos initum, controverſiam, quàm cum
Hollandis quanquàm levem fors iis objecerat, vi armatâ perſequendi. Quod
cùm audiſſet Vlricus, metuens, ſibi imputatum iri culpam alienam, miſſo le-
gato monuit Freburgicum graviter, & promiſſa priora revocavit in memo-
riam. Pollicitus enim fuerat Vlrico etiam antè pacem Hollandicam, vim ſe
nemini facturum, jure, ſi quid contra quem haberet, experturum. Verùm alie-
niùs reſpondente eo, & promiſſum pernegante, purgandi ſui causâ octiduo à
M.CCCC. LIX. Paſchatos anni M.CCCC.LIX litteras dedit ad Amſterodamenſes, recitatâque
diligentiâ ac fide ſuâ, & reſponſo Siricij, eoque in crimen malæ fidei vocato,
monitos ſe cives ejus reip. omneſque adeò Hollandos velle oſtendit, ut ſibi ab
homine inimico caveant. Quòd ſi etiam armis perſequi eum velint, ſe impe-
dimento iis non futurum, imò ſuppetias potiùs laturum, portuumque ſuorum
& fluminum copiam facturum, denique ità ſe comparaturum, ut omnibus ma-
nifeſtum fiat, nihil ſibi antiquius eſſe, quàm amicitiam cum gente eorum illi-
batam colere. Hoc initium ruptæ rurſum amicitiæ inter Vlricum & Siricium,
mox cum tempore auctum in irreconciliabile odium deſiit, maloque magno
viciniæ fuit. Quapropter Vlricus firmamento ſibi opus eſſe contra domeſti-
cos inimicos ratus, amicitiam cum civitate Groninganâ, cujus tempus pariter
& gratiæ videbantur declinare, renovavit ad IV Idus Auguſti: eamque deter-
minatam temporum ſpatiis hactenus in perpetuam vertit. Et ut ſanctiùs poſſet
coli, ita convenit, ut quotannis die Dominico altero à Pentecoſtes legati
utrimque delecti coïrent ad averruncandas maturè diſcordiarum cauſas. Lex
etiam relata, ne portoria, aut vectigalia ſociis augerentur ſupra modum pri-
ſcum. Quo eodem anno publicæ bilances ſub curiâ veteri oportuno ad Del-
fam loco ſtatutæ pro modo fortunæ præſentis, nec niſi poſt C annos indè in
novum forum tranſlatæ. Et quoniam quies armorum pacis operibus oportu-
na videbatur, in portu Mariæ turrim conſpicuæ & magnæ molis, quam præ-
donum ope extructam fuiſſe LXX ferè antè hoc tempus annis, ſupra à me me-
moratum eſt, magno ſumptu editiorem facere, adjuvante maximè Vlrico, tota
vicinia annixa eſt: opuſque in hanc altitudinem, quam jam habet, addito egre-
gio faſtigio, antequàm exiret is annus, magnâ induſtriâ perductum. Additur
fabula, puerum in ludo litteras diſcentem in ſummam turrim enixum, ortâ
fortè rixâ à condiſcipulo, qui ſimul cum eo aſcenderat, deorſum præcipitatum
toto corpore illæſo incolumem manſiſſe, ſtatimque in pedes ſe dediſſe: Quin
etiam ſuſpicientem alteri è turri deſpectanti minitatum eſſe, de confractis cal-
ceis ligneis (qui ex lapſu vitium fecerant,) actionem ipſi apud præceptorem pa-
ratam fore. Quæ opera dum ſtruuntur, altera filia Gela Vlrico nata fuit. Quo
etiam tempore Groningani muniendæ urbi ſuæ intenti, murum novum, initio
ducto à turri vetuſtâ poſt Walburgis, porrectum ad portam uſque Ebbinga-
M.CCCC. LX. nam cum turribus muro connexis inchoarunt, annoque ſequente M.CCCC.LX
abſolverunt. Simul cum Vltrajectino epiſcopo Davide egerunt eodem iſthoc
anno M.CCCC.LX de Præfecturâ ſuburbanâ, demumque inclinante jam De-
cembri tranſegêre, conditione meliore, quàm habebat formula Blanchenhe-
mia. Nam civitas numeratis illi in præſens aureis Rhenanis M.DC, promiſſiſ-
que inſuper aureis ejuſdem generis annuis centum ad Paſchatos ſolvendis, ac-
cepit ab eo jus conſtituendi pro arbitrio ſuo, & rurſum abdicandi, mutandi-
que, quoties vult, præfecti, ac percipiendi omnis ex Præfecturâ proventus,
quoad viveret epiſcopus, & deinde ſexennio à morte ejus: quo tempore evo-
luto ſi placeret ſucceſſori epiſcopo novo jus idem à civitate rurſum auferre,
non antè ei id liceret facere, quàm pecuniam hanc omnem M.DC aureorum
civitati reſtituiſſet. Inter quæ cùm difficillima etiam tum annona tertium jam
annum Friſiam premeret, quod reliquum erat arcis Grethanæ, ab Vlrico quo-
que additum eâdem firmitudine operis ad faſtigium pervênit. Et Theda En-
nonem

nonem filium rarâ indole juvenem futurum enixa eſt ipſis Calendis Iuliis, lætis omnibus, qui domui Grethanæ benè volebant. Simul Vlricus de plurimis juris ſubſidiis contra Hamburgenſes parandis ſollicitus reperit, quod cupidini ſuæ vel maximè idoneum putabat. Erant in nobilitate regionis illius Gerardus Petcumanus, Apco Lopperſhemius, primis juventæ annis tum florentes, qui genus ſuum ad patruos magnos Imelonis Emdani, VViardum & Fridericum referebant. Hi, ſubjecto à conſciis conſilio, querelas ſpargebant, Hiſconis vi, & temporum injuriâ non potuiſſe majores ſuos hæreditatem ex jure adire, eamque ob cauſam in vindicandis, quæ erant ab Imelone relicta, æmulos ſe Eggoni Weſterwoldio ſorore Imelonis nato, Vlrici inimico, ingerebant. Cum his porrò ex compoſito actum, ut quod in arcem oppidumque Emdanum habere ſe juris putabant, id Vlrico cederent. Et cur fruſtrà peterent, quod conſequi non poterant? cur odium ſibi pararent, cùm gratiam quærere magnam & profuturam liceret? Mox in curiam ejus oppidi perducti, coram iis, qui erant ejus rei causâ magno numero viri graves adeſſe juſſi, commemoratâ probatâq; familiæ ſerie ad demonſtrandum jus ſuum, formâ maximè ſolemni beſſem omnium relictorũ ab Imelone, qui quondam proavorum ſuorum fuerat, Vlrico ſe dare ſunt teſtati. Confectæq; hac de re litteræ, ipſorum & teſtium ſigillis munitæ, Vlrico traditæ. Ità nova juris ſpecies velut larva quæſita, datumque quod non habebant, qui dabant tenebat autem, cui videbatur donari. Triens inanis nominis Eggoni ſine re relictus. Rei geſtæ adfuere Ioannes Fredowoldius præpoſitus Emdanus, Sibo Eſenſis, Hewo antiſtes Iemgumanus, Bebbo præpoſitus Grothuſanus, & præter hos ſacerdotes quinque, Sibo Mariæhavanus juris pontificij doctor, Ioannes Ludemannus Emdanus, Albetus Haganus, Iſebrandus Larletanus, Reinerus Valderanus: Tum Occo Loquerdanus, & Beno Vttumanus viri nobiles: Emo Nordanus, Egbertus Emdanus præfecti: Ioannes Dutenus, Iohannes Winſenius, Meijo Tiadmerius, Abelus Sogelanus reip. Emdanæ Conſules: Remetus Rederius, Albertus Tijdchius, Henricus Faber cives ejus oppidi. Paulò poſt novum fœdus inter Siricium Freburgicum, Tannonem Ieveranum, Lubdonem Cnipenſem, Alconem Inhuſanum conflatum, cui etiam Edo Godenſis aſſcriptus. Eo fretus Freburgicus egit inſolentiùs, & ex Reepſholtano caſtello vetere poſſeſſione ſuâ conjunctis cum Vlrico fuit moleſtus. Quam ob cauſam indignatus Vlricus anno proximo, qui fuit M.CCCC.LXI, armatis repentè ſuis opinione citiùs iſtuc accurrens, oppugnatum caſtellum, captumque in poteſtatem redegit. M.CCCC. LXI. Nec multos poſt dies, ne præſidij ſumptus oneri eſſet reip. excidit. Hinc cauſa Siricio cum Oldenburgico, à cujus amicitiâ abhorruerat hactenus, cum fœderatis cæteris propiùs ſe conjungendi. Is quanquam inducias cum Vlrico haberet, utpote fidem in dies mutare ex commodo ſuo conſuetus, ut Siricio ſe commendaret, cum armatis in Friſiam repentè excurrit, & quâ pervadere potuit, magnâ calamitate agrum longo ſpatio affecit. Friſij, quibus id præter expectationem accidebat, ſubito incurſu oppreſſi, trepidare, fugere, tumultuariè concurſare, ſed reſiſtere hoſti expedito ipſi imparati nuſquam audere, ilicò rem Vlrico & Siboni nunciare: illi ſummâ celeritate advolare: Verùm priuſquam iſtuc pervenire poſſent, Oldenburgici jam cum omni prædâ ſe in tutum per Lenganos receperant, non tamen ſine incommodo. Nam Siveco ei agro præfectus, vir fortis in Mormeriâ apud Haisfeldios natus, ad quem undique armati convenerant, recedentium tergis ità inhæſit, ut magnam eorum multitudinem vulneribus conficeret, aut in cuſtodiam vivos retraheret. Annales tradunt, magis familiariter quidem ex eo tempore cum Oldenburgico vixiſſe Siricium, quàm expedire toti patriæ videretur; ſed tamen mirè providum rerum ſuarum, atque hoc ſummo ſemper ſtudio caventem, ne quod detrimentum ab inſidiis verſipellis Comitis ſibi accideret, adeoque ſcitè ſemper cum Cretenſe,

quod ajunt, Cretiſſaſſe. Refertur inter cætera res memoriâ digna, quæ paulò pòſt hæc tempora evenit, quam hîc annotare, non alienum fuerit. Fortè ad eam regionis partem, quæ Friſica Weda appellatur, (ea eſt in Freburgi viciniâ) Gerardus & Siricius erant congreſſi, uti de finibus controverſis aliquid ſtatuerent. Ibi Gerardus multa ſe de munitionibus Freburgicis nuper inſtitutis (nam munierat eam arcem Siricius magno ſumptu & diligentia ob pericula, quæ imminere ſibi exſtimabat) audiſſe in colloquio dixit, & cupere, ſi liceret, eas contemplari. Siricius ingenii illius non ignarus, licere reſpondit, & ad diem certum ad convivium hominem invitavit. Ille id fraudibus ſuis peropportunum ratus, die dicto hilaris atque alacris adfuit magno cum comitatu, quantum neceſſarium eſſe ad occupandum hoſpitem incautum, arcemque invadendam putabat. Quod proſpiciens Friſius, quò ſine periculo admittere convivam inſidiatorem poſſet, validiſſimam LXX juvenum manum antè lucem occultè in arcem receptam abdiderat, quidque fieri vellet, oſtenderat. Oldenburgicus, qui hoc ignorabat, hilariter & lautè cum omnibus ſuis exceptus, à cœnâ, cùm jam procederet hilaritas, ex compoſito rythmum Germanicum pronunciare preſſiùs primùm, deinde clariùs cœpit, quo monentur ſinguli, domui ſuæ proſpicere. Id ſignum invadendi ſuis dederat. Sed tertiò jam altiore voce repetenti, concurrentibus ad occupandum vallum ſatellitibus ejus, rectè verò id à me curatum eſt, Siricius reddidit, pulſuque pedis, ut convenerat, ſuos repentè è latebris excivit. Quos cùm circumſiſtere ſe, & nutum domini reſpicere Gerardus vidit, perculſus re inopinâ, quidque hoc eſſet, trepidè percontans rogavit, ut vim abſtineret : ſuum non niſi amicum fuiſſe conſilium, per jocum terrere, ac docere hoſpitem voluiſſe, ne temerè fidem cuivis adhiberet. Ille refutatâ oratione ejus, ne quid tamen contra hoſpitales menſas committere videretur, increpitum graviter, & veniam precantem dimiſit. At verò Tanno Cankenius intereà dum induciæ inter Friſios & Oldenburgicos fuerunt, cùm proficere ſe nihil incurſibus & vi ad ſua recuperanda cerneret, paciſcendum ſibi potiùs cum hoſte quâcunque conditione, quàm omnibus repetendis fruſtrà nitendum diutiùs cenſuit, non abnuente Sibone. Itaque adhibitis amicis ita tranſegiſſe dicitur, ut ipſe Siboni Witmundam relinqueret, reciperet ab eo arcem, quam Dornumi majores ejus multo tempore ad Orientem vici ſitam tenuerant, reditus annuos ex agris, quos in omni territorio VVitmundano hactenus habuerat, nemine impediente integros retineret; atque hæc pacta in litteras relata. Quanquam non neſciam, longè diverſum Tannonis poſteros queri, ſolâ nempe vi nixum Sibonem, nullo pacto, nullâ reſtitutâ arce, VVitmundam cum omni ditione retinuiſſe : pollicitum tamen ſæpè, querentibus Cankeniis, ſe ex æquo & bono cum iis, priuſquam vitâ decederet, eſſe compoſiturum. Id facit, ut credam, inducias potiùs litis ad tempus, quàm tranſactionem iis pactis eſſe definitam. At Sibo pactione fretus, quo tempore cum Siricio & Gerardo novum bellum gerebatur, novam arcem apud VVitmundanos commodo loco moliri, opus feſtinare, nec priùs deſiſtere, quàm eâdem æſtate ad finem perduxiſſet: tum veterem arcem, quæ minùs firmitudine ac opportunitatis ex ſitu habebat, paulatim demoliri, poſtremò, ut veſtigia veteris juris ex oculis tolleret, penitùs evertere. Simul ab Vlrico, & plebe vicinâ aquarum clauſtrum apud Grethanos, quod paſſuum ferè ducentorum ſpatio hactenus ſejunctum à vico fuerat, in ipſo arcis aditu defoſſum, & ab hoſtili vi, ac fluctuum rabie tutius redditum. Inter quas res diſſidium atrox inter VViardum Olderſhemium ætate gravem, & Gerardum Petcumanum juvenem ferocis ingenij, malè ſopitum incruduerat: quod ex controverſiis de rebus ſoli jam olim à parentum memoriâ exortum, dein inter ipſos invaleſcẽs, poſtremò, cùm in rixâ fortè VViardi ſatelles Petcumanum gravi vulnere affeciſſet, ita excreverat, ut non ſine ſanguine reſtingui poſſe videretur. Nam implacabilis Gerardi

animus

animus ignominiam vulneris accepti concoquere non poterat: Wiardus contrà, etſi moderatior naturâ, & jam annis feſſus, nt quieta ac pacata poſſet malle, tamen nominis, opum, generis, filiorum, denique ejuſdem Vlrici amicitiæ inveteratæ fiduciâ multum & ipſe efferebatur. Sed gratiam hujus apud Vlricum diſſidium cum uxore ejus Thedâ nonnihil offuſcaverat, cujus ipſe prædium, & arcem communia cum fratribus, apud Olderſhemios, quæ illorum parentes olim tenuerant, à tempore tumultuum uſque Wiardus poſſidebat: nec hactenus, quanquàm ad æquam tranſactionem ſe obtulerat ſæpius, tamen ſatisfacere illis potuerat. Quod cùm ſciret Petcumanus, vel hinc etiam majores ſpiritus ad infeſtandum ſenem, & odium cum eo exercendum, alioqui in certamine impar, concipere credebatur. Accedebat inimicitiæ fomes ex liberis Enonis Petcumani, judicis provincialis celebris eo tempore, quos neſcio quâ de cauſâ à Gerardo affectos injuriis, & fortunis ejectos Wiardus, cui imperium in Petcumanos erat, tuebatur. Accideratque jam aliquoties, ut dum ulciſci dolorem Gerardus cupit, obſeſſis viis & itineribus caput VViardi appetierit, coëgeritque eum magno cum periculo de vitâ dimicare. Hoc odium, ne poſteris ſeminarium malorum eſſet, abrumpendum quoquo modo, vivo adhuc & ad iram minùs præcipiti Wiardo, ac jam de deceſſu ſuo ſollicito communes amici exiſtimarunt. Quorum ſtudio effectum, ut delecti utrinque arbitri Ioannes Fredovaldius, Sibo Eſenſis, Tanno Cankenius Dornumanus, Haijo Papenbergius præpoſitus Leranus, Bebbo præpoſitus & ſacerdos Grothuſanus, Albertus ſacerdos Haganus, adhibito Vlrico negotij totius moderatore ſupremo, cauſâ cognitâ, ſic demum inter eos difinierint: ut Gerardus, & hæredes ejus imperium haberent in pagum Petcumanum, quod VViardus hactenus habuerat: juvencas tamen VViardo ſolveret quotannis totidem, quot ſolent Petcumani ſolvere: Enonis hæredes in gratiam reciperet, nec impoſterum moleſtiâ aut injuriâ afficeret: Sic injuriarum, actionum, querelarum inter partes finis eſſet, ac reconciliata gratia in perpetuum. Actum anno Chriſti M.CCCC.LXI ad diem XI Calend. Auguſti. A quo tempore, cùm ingraveſcere ſibi valetudinem VViardus cerneret, ſub exitum menſis Novembr. teſtamentum ſcripſit, quo litem etiam cum Thedâ Vlrici coniuge, ac fratribus ejus tollere voluit. Nam & arcem in Reidano agro in vico Midlumo, & prædia vicina duo pro Olderſhemicis ipſis aſſignavit, ſancteque teſtatus eſt, videri ſibi, æquiſſimam hanc permutationem eſſe, præſertim ſi detrimenta computentur, quæ ab avo & parente Thedæ ſibi ſint quondam illata. Nec diu pòſt ſuperfuit, relictis è conjuge priore Eſſâ, filiis duobus Harone & Haicone, & Occâ filiâ jam adultis, ex poſteriore Tettâ, VViardo & Elborgâ nondum puberibus, clariſſimus nobilitatis Friſicæ ejus ſæculi poſt Vlricum. Ex liberis illi, qui ex poſteriore matrimonio fuêre, maturè ante ætatem puberem videntur deceſſiſſe. Sed Occa jam vivo patre maritum ſibi deligens Snelgerum Howerdæum fratrem Mennonis Dammonæ ſedem habentis, Vphuſam & VVolthuſam dotis nomine ex rebus paternis accepit, & Geroldum, Aioldum, Eſſam Egerici Beningæ Grimerſhemij matrem peperit: Ex Geroldo Vphuſani uſque ad tempora noſtra porrò deſcenderunt. Haro & Haico reliquam patris hæreditatem æquis portionibus diviſêre: & hic ex VViſcâ Ripperdæâ Foccuconis Lerani nepte filiam unicã Eſſam Vlrico Dornumano poſteà nuptam, ſed ſterilem, ille ex Diudletâ Cankeniâ Tannonis VVitmundani filiâ ſuſceptis pluribus filiis familiam Olderſhemiam & Godenſem ad nos uſque prorogavit. Sed teſtamento VViardi tolli controverſia, de quâ dixi, nequiit, cum Theda & fratres (hos ex altero marito VVindehamio mater ſuſtulerat) permutationem ſibi fraudi eſſe, nec ſe probare eam poſſe profiterentur. Quapropter repetita cum liberis eius actio eadem; tandemque perampli prædii VVolthuſani CCXL jugerum, ſoliq; omnis Valderani, quorum cupidam eſſe Thedam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

apparebat, ceſſione finita fuit, ut ſuo deinde loco oſtendemus. Menſe Ianuario
M.CCCC. LXII. anni proximè ſecuti M.CCCC.LXII ad XVIII Calend. Febr. apud Grethanos alter filius Vlrico editus eſt, cui Edſardo nomen ex patruo datum: cujus claritudinem, quâ & majores ſuos & poſteros anteceſſit, ingentis molis balenam, quanta priùs his locis viſa nunquàm fuerat, eodem forte tempore in vicina littora ejectam portendiſſe plerique credidère. Intereà Gerardum Oldenburgicum, qui ſuperiore anno bellum in Friſios renovaverat, domi diſcordia cum fratre diſtinebat. Contentio illis acerrima de Delmenhorſto arce erat, quam à morte Nicolai Bremenſis epiſcopi, cuius ea provincia jure hæreditario fuerat, quique Eccleſiæ ſuæ eam dederat, poſthabitâ defuncti voluntate, ipſi, parenſve ipſorum XXVII ante annos occupaverant. Hanc Mauricius frater ſibi cedi in dividendis parentum opibus æquum cenſebat. Id verò negare Gerardus, qui ſuo commodo juſtum æſtimare, ac fas nefaſque juxtà habere conſueverat, prior arcem occupans fratrem excludere, ipſe in præſidio arcis eſſe. Tum fœdere inito cum Hoijenſibus Comitibus & Bremenſi rep. quæ Gerardum rapinis graſſantem in cives ſuos impensè oderat, validiſſimum conſcriptum exercitum Mauricius Delmenhorſto admovere, fratremq; in anguſtias redigere. Nec procul deditione res jam aberat, cùm Guilhelmus Brunſuicenſium dux princeps bello egregius, rogatus à Chriſtiano Daniæ rege utriuſque Comitis germano fratre, qui Gerardi cauſam iniquam Mauricianæ præferebat, cum copiis auxiliaribus adventat. Tum ingens & cruentum prælium contractum, nec ſine extremo ducis diſcrimine, quòd robore & numero militum Mauricius ſuperior eſſet. Sed virtus Guilhelmi tandem vicit. Capti Hoijenſes Comites duo, conciſus exercitus, Mauricius fugâ elapſus. Gerardus victoriâ inſolens omnem bilem in Bremenſes & fratrem effudit. Sed interventu aliorum poſtero anno pax reſtituta, & controverſia inter fratres compoſita. Eâ compoſitione Mauricio Delmenhorſtum traditum, relicto fratri Comitatu omni Oldenburgico. Hoc lætum præcipuè civitatibus ſociis fuit, quæ Gerardum velut ſubmoveri longiùs à publicâ viâ, ne commeantibus incommodo eſſe poſſet, eo pacto arbitrabantur. Sed iſtic quod non potuit, alio
M.CCCC. LXIII. loco Gerardus mercatoribus infeſtus efficere non neglexit. Erat verò tum de finibus controverſia inter Monaſterienſes, & Friſios Reidanos, quæ contentionis aliquid finitimis movere cœperat. Quæ ne longiùs procedens pacem turbaret, ex voluntate populi utriuſque regendorum finium arbitri lecti ſunt, Weſſelus Mylius præfectus Amaſanæ Weſtfalicæ, Copius Hedenſis Nijenhuſius, Ioannes Clotus Duitenus judices, Henricus Schadius Aeldenſis, Monaſterienſes, Egbertus Boijngus Emdanus, Egericus Beijerfletus Orthanus Præfecti, uterque Vlrici nomine, tum Haijo Papenbergius, Wiardus Mennenius, Luwerdus Sammingius, Bundenſes nobiles, compluresq́ue alii ex agro vicino, Friſij. Hi terminos agri utriuſque amicè definitos adhibitis iis, qui & ætate & ejus rei peritiâ valebant, limitibus deſignarunt, hujuſq́ue arbitrii teſtimonium in litteras ad poſterorum memoriam retulerunt, cùm jam conſules in rep. Emdanâ eſſent Meijo Tiadmerius, Abelus Sogelanus, Nomo Meccama, Ioannes Lingius. Quo quidem tempore Danorum rex Chriſtianus frater Gerardi Oldenburgici ex bello Delmenhorſtano causâ ſumptâ præter alios reip. Bremenſi, & Siboni Eſenſi hoſtilia denunciaverat. Hinc Sibo Bremenſium exemplo inſtructis armatiſque navibus, Danis, Norwegiis, Holſatis, mare infeſtum faciebat. Militaris verò libido non contenta hoſtibus nocere, amicorum quoque res ſæpè invaſit, propeq́ue diſſolvendæ cum Groninganis amicitiæ fuit. Nam hi in mari injuriâ læſi, & dolore compuncti ſuſpiciones etiam deteriores conceperant, queſtiq́ue acerbè fuerant. Sed Vlrici prudentiâ & Sibonis æquitate, ſarto omni damno, amicitia conſervata. Invenio in annalibus manuſcriptis, poſt gravem annonæ caritatem, de quâ dixi, tantam

repentè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

repentè copiam ac vilitatem hoc anno per omnem Friſiam extitiſſe, ut plæriſ-
que in locis ſecale (frumenti id genus conficiendo pani noſtratibus uſitatum)
ea menſura, quam laſtam vocant, aureis Rhenanis I X, tonna butyri optimi ru-
bri cum quadringenis caſei libris, iiſdem aureis non amplius VI vulgò venierint:
reliqua etiam annona propè nullo in pretio fuerit. Et anno proximo adhuc de
tantulo precio detractum. Et hactenus quidem diploma imperatorium, de
quo dixi libro priore, ſic Vlricus habuerat, ut nec proferre id in medium con-
ſultum putarit, nec Comitis ex eo nomen ſit auſus profiteri: videbatque nunc,
dum nimis ampla concupiſcit & perſequitur, totum penè beneficium in aulà
prece aut precio paratum ſibi perire. Opponebant quippe ſe æmuli, quos antè
notavi; nec ſolùm jam ſubmittere ſe imperio illius recuſabant, ſed de rei quo-
que iniquitate, Friſiorum libertati adversâ, ultrò apud imperatorem quere-
bantur. Quam ob cauſam cùm exitum hujuſce rei nullum videret, pace cum
Oldenburgico vix bene compoſitâ, Siricio nondum pacato, filio jam tertio
Vcone, ipſo reſurrectionis Chriſti die, ſibi nato, legatum rurſum cum mandatis
in Auſtriam miſit: per eum operam dedit, ut omiſſis, quæ ultra jus tendere vi-
debantur, id obtineret, quod refutare, velut injuſtum, nemo poſſet. *Hunc in uſum
quæ iam poßidebat ipſe, ac in ſuis rebus habebat, Nordam, Emdam, Auricam, item arces
Grethanam, Berumanam, Auricanam, Lerorthanam, Stichuſanam, ditionemque &
agrum univerſum his annexum (cuius fines ÿdem, qui in priore formulâ, rurſum deſi-
gnati, ab oſtio Amaſi occiduo ſecundum maris oram uſque in Viſurgim flumen, Tranſiada-
nis nominatim quoque comprehenſis, & ab orâ viciſſim in Oldenburgicos & Monaſte-
rienſes à meridie Friſiæ latus claudentes) cæteráque quæ teneret, ubivis ſua cuiuſcunque
generis omnia, feudum ſe facere, & imperio atque imperatori ſubÿcere profitetur: Im-
perator viciſſim, conditione acceptâ, Comitatus titulo feudum id ÿſdem limitibus defini-
tum ornat, & ipſum Vlricum, coniugemque ipſius, & liberos, ac poſteros omnes in Co-
mitum imperÿ ordinem cooptat, ſolitáque illi ordini iura, dignitatem, honores ÿs aßignat.
Atque huius rei geſtæ teſtimonium diploma novum Vlrico tum datum, in quo Comitis
Nordani, Emdani, regionis Amaſanæ in Friſiâ Orientali nomen ei tributum: Sed diſer-
tis verbis rurſum ſolito imperÿ Germanici iuri*, ET PRISTINÆ POPVLI LIBER-
TATI AC PRIVILEGIIS ANTIQVIS PLENISSIME CAVTVM: *quibus ne
hilum quidem hac novâ dignitate collatâ deciſum ſe velle imperator ſolenniter teſtatum
fecit. Adiectum etiam hoc, ſine detrimento iuris aliorum quorumvis beneficium, ac
ius hoc Vlrico aßignatum. Regalium eius à maioribus acceptorum, vectigalium, porto-
riorum, pecuniæ feriundæ, ac ſimilium expreßim hic nulla mentio. Eſena, Ievera, Fre-
burgum, ager Stadlandicus, Lenga ſilentio præteritæ: illa quia Siboni iam tradita, hæc
quòd deformata in ruinis iacens, cætera ab æmulis tum poſſeſſa.* Ita diplomatis huius
ſpatia haud paulò magis quàm prioris contracta. His Neapoli Auſtriæ, ubi
tum rurſum aula imperatoris fuit, expeditis, haud multò pòſt, quod erat ro-
gatum ab Vlrico, legati cum fæciali ab imperatore ſunt in Friſiam miſſi, ut in
poſſeſſione dignitatis ac juris Vlricum collocarent. Qui cùm iſtuc veniſſent
vergente jam anno M. CCCC. LXIV convocatis totius populi comitiis in urbe
Emdanâ, primùm fæcialis Arnoldus Lous ſolenni veſte indutus populo ex-
ponit, quid in Vlricum ab imperatore ſit collatum, denunciatque, ut pro
Comite eum inpoſterum habeant, & obſequium ei præſtent omnes, qui termi-
nis ab imperatore deſcriptis continentur. Deinde legationis princeps Comes
Palenſteinius (ſic enim nomen eius notatum in annalibus reperio) die XII Ca-
lend. Ianuarij, qui Thomæ Apoſtoli memoriæ dicatus, in fano Franciſcano
ſpectante populo, peractis quæ aſſolent, reliquis, pro more cincto & procum-
benti in genua eidem Vlrico, atque in fidem imperii adacto enſem vexillum-
que porrigit: eo ritu in poſſeſſionem feudi & honoris ſolenniter immittit, om-
nemque Friſiam orientalem uſque in Viſurgim pro imperatore curandam ipſi
tradit. Quo facto Sibonem Eſenſem ſolitâ ceremoniâ equeſtri dignitate eodem

in theatro ornat. Indè in Oſtringios & Ruſtros omnes profecti Tannonem Ie-
veranum, Lubbonem Cnipenſem, Alconem Inhuſanum, Edonem Godenſem,
Siricium Freburgicum, quorum erat impatiens alieni imperij animus, quique
horum partes ſequebantur, ſimiliter de totâ re geſtâ & de voluntate Impera-
toris edocent, eos obſequij, ſalvo ſingulorum jure, admonent, contumacibus
pœnas denunciant. Idem apud Tranſiadanos per fæcialem factum. Ità legati
& fæcialis ampliſſimis muneribus donati è Friſiâ abiêre. Legationem totam
XVIII millibus aureorum Rhenenſium de Imperatore & ejus miniſtris em-
ptam eſſe ab Vlrico Sicco Beninga hiſtoricus fidus ſcriptum reliquit. Nec ex
hoc tempore ab iis, quos memoravi, excepto Siricio inquietiſſimi ingenij ho-
mine, quicquam adverſus Vlricum ac ſucceſſores ejus alienum à fide totos an-
nos XXX motum. Tanta reverentia, etiam fœmina vidua à morte Vlrici Co-
M.CCCC. mitatum regente, Imperatorio edicto habita fuit. Anno M.CCCC.LXV à diſ-
LXV. ceſſu legatorum, cùm novitate rerum multa verterentur, fama fert Haronem
& Haiconem fratres Olderſhemios, eorumque ſororium Snelgerum Vphuſa-
num, imperitiâ'ne rerum, quòd feudi rationem patriâ in gente hactenus inau-
ditam non noſſent, an metuentes ſibi à fratre Wiardo pubeſcente, aliâ matre
nato, an quâ aliâ de causâ (res enim in incerto eſt) ſatis imprudenter eſſe per-
ſuaſos, ut non ſubditos ſolùm, ſed clientes quoque Vlrici, quos vaſallos dicunt,
ſeſe & poſteros ſuos profiterentur: & ſupereſſe ejus rei teſtes etiam nunc ipſo-
rum litteras, quanquam ſine ſigillis. Verum quid in re vitij fuerit, quâve de
causâ acciderit, quo minus uſu celebratum inſtitutum ſit vel ab ipſis his, vel
ab eorum poſteris, ne ij quidem, quorum res agitur, explicare ſatis hodiè poſ-
ſunt. Circa quod tempus iiſdem cum Olderſhemiis Vlricum tranſegiſſe ad-
hibitis arbitris exiſtimo de controverſiâ priore, de quâ dixi, acceptoque conju-
gis & fratrum ejus nomine prædio Wolthuſano ampliſſimo, CCXL jugerum,
viciſque Valderanis ruinarum deformitate obſitis, & rebus in ſolo & pecuniâ
aliis, Olderſhemium prædium cum arce iis reliquiſſe. Rem quidem ſic actam
litterarum monumēta teſtantur. Hoc principium Valderani juris domui Vlrici
fuit. Et altero à Paſchatos die Groningæ terribile fulmen incidens in turrem
novam Martinianam, & fulgur faſtigium ejus corripiens graſſante igne ædifi-
cium corrupêre. Simul ſtructura fani ad amnem eâdem in urbe à cellâ interio-
re ad turrim educta altiùs pari cum cellâ intimâ faſtigio, bienni labore abſoluta
fuit. Eodemque illo anno & poſtrema Vlrico filia Almeda nata eſt, & Onna
privigna ipſius in conjugio Sibonis Eſenſis vitam finiit ad diem XIIII Calend.
Septembr. Herone & Frowâ liberis marito relictis: quos illa ſi non perperiſſet,
fælicior Friſia Ciſamaſana fuiſſet. Verùm iſto tempore eadem regio Friſiæ cæ-
tera ſat fælix ac quieta ſub moderato Vlrici imperio, unius Siricij pervicaciâ ali-
quid moleſtiæ retinebat. Qui licet pacem publicè non laceſſeret, tamen con-
ſuetudine cum Gerardo Oldenburgico ceu contagio infectus ſubinde in itine-
ribus vicinos pariter & longinquos afficiebat injuriis. Quorum in numero cùm
& Groningenſes eſſent, & hi querelas ad Vlricum eâ de re detuliſſent, is condi-
tionem his tulit, ut Cnoccam legatos mitterent, de comprimendo ulciſcendo-
que Siricio ſecum conſilia inituros. Eo à Groninganis tum neglecto, Siricius
M.CCCC. idem anno ſequente M.CCCC.LXVI Henricum Mellonis civem Groninganum
LXVI. per miniſtros ſuos in itinere deprehenſum ſivit conjici in cuſtodiam. Tum rur-
ſum ſenatus novo dolore ſtimulatus miſſis litteris Vlricum monuit, ut indem-
nem hominem ſuum è cuſtodiâ curaret educi, avertendi gratiâ majoris mali.
Nam ni ità fiat, non poſſe ſe ſuis impedimento eſſe, quo minùs in fluminibus
& vadis reip. Groninganæ perſequendis iis, qui in fide Vlrici ſint, detrimen-
tum ſuum ſarciant, & injuriam ulciſcantur. Reſpondit Vlricus, meminiſſe ipſos,
quid priùs ab ſe ſit oblatum, & ab ipſis tum neglectum: eò iniquiores eſſe, qui
hoc nunc à ſe poſcant: quorum voluntati ſi cupiat morem gerere, eâdem ra-

tioneà ſe idem poſtulaturos Bremenſes, Hamburgenſes, complures alios: nullis enim Siricium parcere: Id verò ſibi ſine auxilio iſtorum nimis futurum grave, præſertim cùm nemo cæterorum ſit, qui in vindicandis Friſiorum ſuorum injuriis juvare ſeſe velint. Significaſſe quoque iis olim, ſi cuperent Siricium perſequi, ſe copiam fluminum ſuorum ad id ipſis eſſe facturum, quòd ſibi quondam, cùm idem petiviſſet, ab Hamburgenſibus ſit denegatum. Quòd ſi tamen id, quod denuncient, fecerint, ferendum ſibi, donec commodum ſit par pari referre. Verùm cùm ultra minas non progrederentur Groningenſes metu periculi, res quoque iſta tum quievit. Intereà fortuna reip. communis ſub Vlrico verti indies in melius, domi foriſque pacem publicam habere, populus imperio Vlrici lætari; ille ad modeſtiam ſe componens, ſumpto novo dignitatis titulo, tamen ne quem offenderet, non Orientalis Friſiæ, ſed Nordæ, Emdæ, Greetſilæ, Auricæ, Berumi in eâdem illâ Friſiâ Comitem ac dominum ſe nominare, eóque majore in honore, majore amore, majore gloriâ apud ſuos eſſe, potentiâ & opibus omnes ſuæ gentis, quotquot poſt regium imperium abrogatum vixêre, procul poſt ſe relinquêre; ad hæc conjugio & prole beatus videri, cùm morbus eum repentè invadens, vitæ atq; imperij ejus finẽ ſimul fecit ad v diem Calend. Octobr. anno M.CCCC.LXVI, conſulibus in rep. Emdanâ Ioanne Lingæo, Ioanne Winſenio, Abelo Sogelano, Nonone Meccanâ. Funus ejus Emdâ, ubi in arce deceſſerat, Nordam frequenti pompâ deductum, atque in cœnobio vallis Mariæ, quod Benedictinæ familiæ virgines tenebant, corpus tumulatum. Hæc mors immatura ac perincommoda novo imperio accidiſſe viſa multorum animos ſollicitos habuit, ob parvulos maximè defuncti liberos: quorum maſculæ ſtirpis maximus ſexennium vivendo vixdum exceſſerat. Creditumque vulgò eſt, fœminam viduam cum tenellâ ætate puerorum, feroce & inſuetâ imperii in gente, crudoque etiam tum maximè principatu, in non parvo periculo fore. Sed duæ res remedio fuêre. Nam Vlricus moriens, Siboni, quem beneficio ingenti ſibi jamdudum devinxerat, ſummâ fide & virtute homini, reip. domuſque ſuæ tutelam jurato commendaverat, eique Heronem Mauricium pari laude virum quanquam annis juvenem addiderat: dein ipſa quoque Theda, vix tutorio auxilio indigens, muliebri in corpore prudentiam, induſtriam, animum denique virilem occultabat. Accedebat oportuna mors Tannonis Ieverani, qui biennio pòſt unà cum filio Haijone ex Tettâ Pakenſi vxore ſuſcepto, ac trium jam liberorum parente, Vlricum eſt ſecutus; Et res Ieverana Edoni eodem conjugio orto, ſed rebus gerendis per ætatem nondum idoneo, relicta ſub tutelâ Alconis Inhuſani; cui erant liberi à Tannone morituro commendati. Intereà eam Friſiæ regionẽ, quæ trans Lavicam ad Occidentem pertinet, varii motus hic illic inquietam habuerunt, nimiæ libertatis vitio, cùm ab hoſte peregrino metus eſſet remotus. Erant eâ tempeſtate potentes, & multis propinquitatibus ſubnixi Doniæi fratres ſex Aggæus, Haringus, Hattejus, Benedictus, Kempo, Siricius, patre Siricio Haringæo nati, qui Oſterendæ in arce Doniæâ ſedem habuerat, omnes Vetcoperis multo tempore infeſti. Ex his Aggæus Slotæ domicilium fixerat, quo in oppido ex uxoriâ dote arcem poſſidebat. Sed erat eodem in oppido Wattejus Haringæus propinquus ejus majore gratiâ non apud oppidanos ſolùm ſed in omni provinciâ Geeſtanâ. Id ægris oculis aſpiciens Aggæus, ut in ſe oppidi regimen ſine æmulo ſolum verteret, Ianconem Douwemam familiâ & opibus apud Sylveſtres antè alios validum, quanquam adverſæ factionis hominem, cum frequenti popularium manu ſubitò accerſiit. Horum auxilio Wattejum ſuam in arcem compulſum intra oppidi mœnia obſedit menſe Iulio anno M. CCCC. LVIII, oppido quoque vi Sylveſtrium ad terrorem incutiendum incenſo. Eo cognito, Watteij parens Bocco Haringæus Snecenſis, qui magnâ gratiâ in Sciringijs erat, adhibitâ celeritate, ſuæ factionis manum validam ex Oſtergoâ & Weſtergoâ coëgit, & Slotam feſtinans commiſſo

prælio victor, diffugere obſidentes, quà proximum erat, compulit. Mox arcem Aggæi occupatam, filio ſuo attribuit, iſque eam poſteris ſuis reliquit. Aggæus Slotâ in perpetuum excluſus, operâ amicorum, accepto à Boccone modico argento, omni ſuo juri, quod in eo loco habebat, renunciavit. Eodem tempore in Aggæi fratrem Haringum Goſlicus Iuwingius Bolſuerdianus à civibus ſuis adjutus, accito etiam in auxilium Douwone Syardâ impetum fecit, captam eius arcem in agro Bolſuerdiæ vicino, quem novum vocant, excidio dedit. Exemplum deinde latiùs valuit in eâ viciniâ. Anno proximo lateritiâ turri Iouconis Galamæ apud Acmaripæos captâ ab Aggæo, & Iancone Douwemâ, Douwo Syarda Franicenſis omnes vires in Benedictum & Siricium Doniæos Aggæi fratres ob Iarichium generum ſuum à fratre ipſorum Haringo oppugnatum expediit, nec deſtitit antè, quàm arces utriuſque Edenæ & Oſterendæ evertiſſet. Id fuit menſe Auguſto. Inde cædes & tumultus proximo triennio variè mixti. Renico Dotiæus captus à Kempone Iongamâ Rawerdano ob cæſum fratrem hujus ab illius fratre Leone, dimiſſuſque eb eo, à Iwone Galamâ eodem adhuc anno in cuſtodiam apud Sylveſtres rejectus. Irnſumani à Foccone Eſechio Snecano turbati, arx apud eoſdem VVatteij Minnenij occupata à Buttone Eſæo Doniæorum ſororio. Aggæus & Haringus Doniæi fratres in arce Galamæâ Acmaripæ, è quâ latè viciniam infeſtam habuerant, fruſtrà conjunctis populi viribus obſidione preſſi: duoque nobiles illic tormentis interfecti Renico Camſtra, Siurtus Ailua: Hinc Doniæis & animus & nomen in maius aucta. Deinde Ziallingus Sijtiama ab æmulo multis vulneribus confectus nobilium virorum in Friſiâ eius temporis fortiſſimus Sizonis ac Fecconis Bottingiorum parens: denique ab Haringo Doniæo turris lateritia Hiddamæa in agro novo ad Bolſuerdiam occupata, foſsâque in ambitu cincta contra incurſus, in qua Doniæus domicilii ſedem cepit. Quod factum eſt menſe Septembri anni M. CCCC. LXII. Tum pax inter Doniæum & Ephonem Keium, Dowonem Siardam, Goſlicum Iongamam tandem firmata. Hanc facinorum licentiam graſſantem apud vicinos cùm cernerent Vpſterani, qui ſunt in eâdem Friſiæ parte, & jam initia in ſuos quoque fines invadentia arcere ſe ampliùs non poſſe viderent, cùm petulantia crebreſceret, vis pro jure haberetur, magiſtratuum autoritas vileſceret, deſperatis mediis cæteris, ad ſocietatem civitatis Groninganæ, velut ad quietis ac juſtitiæ portum confugerunt. Miſſis itaque ad ſenatum legatis anno ante hunc, de quo jam dixi, proximo, qui fuit M. CCCC. LXI, repetitâ fœderis veteris memoriâ, de novo ineundo fœdere agunt, multaque civitati offerunt, quæ prioribus pactis non erant comprehenſa. Et cùm res cum cæteris civitatis ordinibus eſſet communicata, voluntaſque ordinum relata Vpſteranis, fœdus tandem percuſſum eſt perpetuum. Ejus ſententia comprehenſa fuit his capitibus. *Pax eſto apud Vpſteranos, & reconciliata inter omnes gratia. Si quis aliunde in agrum Vpſteranum ingruens vim cuiquam intentabit, viritim concurrunto omnes ad ſignum publicè datum, & vim probibento, autores eius perſequuntor, aut neglectæ fidei pœnas graves luunto. Facinorum reos nemo receptato, nemo commercia cum ijs, aut cum hoſtibus publicis, eorúmvè internuncijs habeto. Convictus de eo centum ſcutatos veteres pœnam ſaluito reip. Groninganæ, & populo Vpſterano. Hovetmanni Groningani adhibitis in conſilium tribus aut quatuor Vpſteranis hominibus honeſtis, prætorem toti agro creanto quotannis die tranſlationis S. Martini, & ſimiliter iudices binos in parochijs maioribus, ſingulos in minoribus ex ordine eorum omnes, qui propria prædia in agro Vpſterano poſſident: hi ius omnibus æqualiter dicunto ex legibus patriis. Si in eo negligent, aut facere non volent officium ſuum, Hovetmanni Groningani compellantor, iique ſub pœna primùm ſcutatorum X, deinde XX, poſtremò contumaciæ mandanto, ut ius petentibus expediant: multáque huiuſmodi ex ſemiſſe civitatis, reliquum reip. Vpſteranæ eſto. Electus prætor aut iudex munus annuum non recuſato, aut X ſcutatos reip. pendito. Prætor iudiceſque ſenten-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſententiam à ſe latam petentibus ſcriptam exhibento. Ab hac appellandi ius eſto, ſi quis volet, ad Hovetmannos Groninganos intra diem decimum. Quo ritè facto, prior iudex non procedito longiùs: cauſa refertor ad conventum iuredicialem proximum in urbe. Appellans verò ſi non perſequetur litem in proximo, aut ſaltem altero conventu, non ſolùm lite cadito, ſed etiam marcas quinque mulctam ſolvito, niſi fortè iudex, qui ſententiam tulit, ad conventum ipſe non veniat; hoc enim appellantem à pœnâ abſolvet; iudex verò emanſitans pœnam pendito: Idem iudex & appellans quinas marcas deponunto apud conventum, amittitóque depoſitum, qui ſuccumbes, victor recipito. Signatum fœdus feriâ quartâ à pentecoſtes anno M. CCCC. LXI. Atque hoc modo quieti regionis optimè illic conſultum, judiciorumque vis conſervata. Quo exemplo Oſtergoi cæteri & Weſtergoi commoti cum Groninganis colloquium petiere inter utrimque delectos ad diem Iduum Iulij, anni ejuſdem in cœnobio Bergenſi. Sed venerintne eò Groningani, aut quid omninò actum, nuſquàm notatum reperi. Suſpicor tamen, cum profectu nihil actum. Rabies enim illa facinorum hic illic continuata. Nam anno M. CCCC. LXIII vixdum inchoato Galo Coldumanus cùm Siricium Doniæum ante bimeſtre captum in cuſtodiam dediſſet, in fratrem ejus Kemponem, cum Igone filio profectus, quocunque modo occupatam apud Hemelanos ferro interfecit. Hac cæde efferati fratres Aggæus & Haringus non in Galonem ſolùm, ſed in Iaconem etiam, quo ſocio hactenus uſi fuerant, propterea quòd Galonem tueretur, arma vertere, prædia ejus vaſtare, arcem Irnſumanam expugnatam ſolo æquare, Irnſumo & agro vicino eum expellere, omnium ſermones & famam in ſe vertere. Poſt paucos verò menſes mutare ſe fortuna, Ianco & Galo conductis ſtipendio nonnullis manipulis, armatâque plebe Sylveſtrium, arcibus & fortunis cunctis eos viciſſim expellere, Galamæam arcem compluresque alias Accrumi, Irnſumi, Hemeli, ejuſdem factionis evertere: Et cùm collectâ ingenti manu Sciringiorum, in quâ nobiles quoque multi, Doniæi fortunam inſtaurare conati eſſent, ad Ailſumanum cœnobium quanquàm multo inferiores numero, animosè obviam ire, & audacter pugnando victoriam inopinam referre. Eâ in pugnâ cùm Haringus cum Hettone Decamâ, & Onone Ononio occubuiſſent, animus Aggæo & ſociis concidit. Certatum tamen odiis & rapinis, cùm vires victis à reliquâ factione ſuggererentur. Hiddamæ arx deſerta à præſidio Haringi, à Goſlico Iongamâ occupata, ſed poſt menſes non multos proditione fæminarum ad Domæos reverſa. Deinde cùm gravi tempeſtate pelagus intumuiſſet, anno M. CCCC. LXIIII ad Idus Novembr. Weſtergoa magnum incommodum accepit, aquis in agrum latè fuſis. Eâ eluvione accidiſſe proditum eſt, ut cataracta non procul Snecâ vi fluctuum cum proximo aggere convulſa diſiectáque in locum ejus agri quædam pars abrepta aliunde, ac magni navigij inſtar fluctuans cum grege pecorum paſcente, hæreſcens ſubſiderit. Anno dehinc altero M. CCCC. LXVI Wopco Iuuſma Reinſmageeſtanus cum vicino ſuo viro nobili Worpio Tiardâ animis & armis diſſidebat. Hinc Leo Iellinga inito cum VVorpio conſilio digreſſum fortè ex arce ſuâ, quæ non procul templo aberat, ex inſidiis ſubitò proſiliens cum ſatellitum manu ità oppreſſit ut regredi, unde venerat, haud poſſet. Tum conſilij inops in re repentinâ ut gladios in ſe ſtrictos effugeret, curſu ad arcem inimici ſui VVorpij contendit, ſperans ſupplicem ſe non repulſum iri. Sed in pontem foſſæ arcis impoſitum cùm jam perveniſſet, aditu prohibitus, inſtantibus à tergo hoſtibus in foſſam præceps deſiliit, atque illic amplexus columnam quandam arci cohærentem, fruſtraque ſalutem precatus, ſagittis & lanceis miſer conficitur poſtridiè Non. Auguſti. Id factum magnæ invidiæ VVorpio fuit. Et cùm paucos poſt menſes VVopconis etiam filius adoleſcẽs planè innocuus, & ſolus parenti ſuperſtes à miniſtris ejuſdem VVorpij trucidatus eſt, ignaro, aut conſcio & volente domino, invidia eadẽ multum aucta. Ex hoc VVopcone VVitia filia fuit,

quæ ex Tiardo Iongama Goſlicum edidit, cujus tutelæ cauſâ, ſtudio matris concuſſa primum Bolſverdia eſt, deinde Friſia omnis trans Amaſum ſeditionibus crudelibus exarſit, quæ finem tandem libertati cum infinitis malis attulêre. In Oſtergoâ, quæ ob fœdus cum Groninganis XX ante annos in quadriennium primùm ictum, dein aliquoties prorogatum, tota non infeliciter diu quieverat, tum verò, fœdere eodem jam ſoluto, eâ parte quæ Lavicæ vicina eſt, pejor quoque rerum facies erat. Factionum æſtus cuncta turbare, nec publicè nec privatim quicquam tutum aut quietum eſſe, cædes, rapinæ, injuriæ omnis generis graſſari, legibus vix locus relinqui, ita fieri, ut optimos quoſque vitæ tæ-

M.CCCC. LXVII.

deret. Et vicini à vicinis eodem in agro petere medelam, ægri nimirum ab ægris, non poterant. Tandem Collumani, apud quos mali modus ad caput cœperat pervadere, Vpſterano moti exemplo ad Groninganos reſpexêre. Sed obſtabant è nobilitate homines potentes, & cum his factionibus ante alios dediti, qui vel æqua ferre, vel Groninganos in ſocietate pati ſuperiores non poterant. Quorum in numero Pibo Meccama, Pibo Bawema, Bennerdus Eiſema, Bennerdus Sappema, Owo Algerſna, Mecco Ieltcama, Sijo Bowema fuêre. Quam ob cauſam miſſis Groningam primis legatis à populi parte præcipuâ, res à ſenatu & totâ civitate eſt recuſata. Cur enim invidiam, moleſtiam, odia, pericula ſuſciperent, & ſine commodo ſuo aliena in ſe incommoda derivarent? Expertam civitatem jam antè, hujuſmodi ſocietatem oneri magis ſibi quàm fructui eſſe. Et eſſe tam pertinacia iſtic plerorumque ingenia, ut ſine acerbis remediis, atque ita ſine dolore corrigi non queant. Secunda legatio eôdem reverſa non rationes ſolùm, ſed preces etiam abjectiſſimas attulit. Cujus oratio ad ſenatum & delectos hujuſmodi fuit. Eò ſibi domi rem redactam, ut ſine Groningenſium ope ſalvi eſſe non poſſint: factiones cruentas & implacabiles omnia oppreſſa tenere, legum præſidia nulla eſſe, vim pro jure valere, cædes, raptus, furta, facinora alia impunè patrari, omnium fortunas & corpora libidini audacium eſſe ſubjecta, aquarum clauſtra, aggeres & cætera ſervando agro neceſſaria diffluere, itinera mercatoribus, & quibuſvis hominibus infeſtiſſima, vicinos omnes periculis & exitio involui: ſupplices igitur obſecrare civitatem, obteſtantes per ſanctiſſimum nomen Dei, ac ſalutem miſerrimi populi, & pericula propria, ut in fœdus ipſos admittant, quò vis reprimi, & pax conſervari poſſit: extra hoc civitatis auxilium, aliud, quò ſe recipiant, non habere. Tum commota civitas in rogatum fœdus cõſenſit, in annos XXX. *Convênit, ut civitas, & Collumani, cæterique comparent inter ſe de domo idoneâ & validâ, in qua ſedem habeat præfectus à civitate dandus in annos proximos* VI. *In huius præfecti ſtipendium quotannis ut pecunia conferatur viritim per totum agrum, ab alijs ſcutatus aureus, ab alijs ſemiſſis, penſionibus duabus. Ipſe ut auxilio ſit omnibus contra vim ac iniuriam: Vt valla, foſſas, cætera munitionum poſcente præfecto populus perficiat: Vt poſt ſexennium civitas & ſocij diſpiciant, præſidióne diutius ſit opus, & quod videbitur ijs, id valeat: Vt criminum iudicia exerceantur ex legibus proximo ſeculo Groningæ recognitis: ut nemo factionibus tumultibúſve alijs etiam extra regionem ſe miſceat, aut ſuos miſcere ſe ſinat: Vt contra vim armatam ſocij ſibi mutuo auxilio ſint: Turbatæ pacis gravis mulcta ſit aureorum ſcutatorum mille, aut pœna capitis, ſi quis mulctam ſolvere non queat: Vt vis omnis abſit, non armis ſed iudicio controverſiæ diſceptentur: ut facinora ſeverè reprimantur: ut æris alieni ſolutio expediatur: ut in controverſijs civilibus appellatio ſit ad iudices urbanos, quemadmodùm receptum apud alios, qui cum civitate fædus habent: Vt qui in legationem ad ſenatum non conſensêre per agrum Collumanum & vicinum, in quibus ij, qui ſunt priùs nominati, fædere hoc non ſint comprehenſi: fædus valeat in annos* XXX. Factum hoc anno M. CCCC. LXVII, poſtridiè Nonarum Septembr. Præfecti duo, quod id expedire in initio videretur, à Groninganis in agrum Collumanum miſſi Hillebrandus Brandius, & Sibrandus Vlferdi. Factioſi ad tempus compreſſi. At ij ex nobilitate, quos ante nominavi, taciti fremere animis, muſſare inter ſe,

conſilia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

conſilia varia agitare, audaciores etiam conjurationes inſtituere: queri, & tra-
ducere tanquam rem peſſimi exempli apud vicinos, atque illorum animos in-
flammare. Quâ re per præfectos cognitâ, Groningani miſſis hominibus ſuis ex
urbe cum interminatione gravi capita factionis monuêre, ut à conſiliis hujuſ-
modi abſtinerent, ſi ſalvi manere vellent. Ita metu perculſi quievêre. Verùm
vicini Dongerahi, Doccumani, Dantumani, Ferwerani cùm jam viderent lo-
cum muniri apud Oſterbrocæos, in quo præfecti ſedem eſſent habituri, & in-
telligerēt novam judiciorum formam conſtitui, id uti grave & periculoſum li-
bertati ſuæ concoquere non potuêre. Nec tamen arma movere, aut vi ſe op-
ponere propter pericula ſunt auſi. Verùm litteras amicas ad eos, qui Collumi
tum erant, Groninganos dederunt, queſtique ſunt, cognoſcere ſe non ſolùm
juriſdictionem eos in ſe vertere, ſed etiam arces excitare, præſidium illic con-
ſtituere; omnia regionis juri & libertati contraria: Ea meritò mirari ſe, & pete-
re, ut aut à cœpto deſiſtant, aut colloquij ſibi facultatem concedant. Ita col-
loquij copia data: in quo diſceptatâ re, & rationibus expoſitis, etiam hi, qui
animis commotis fuerant, conquievêre. Res acta menſe Octobri. Per quod
tempus Dammonenſes in fraudem pactorum priorum officinas coquendæ ce-
revifiæ exercere cœpiſſe, Sicco Beninga ſcriptum reliquit, compreſſoſque &
mulctatos à Groninganis; pactumque de cereviſiâ, occaſione hac, cum toto
agro renovatum. Simul ingens calamitas à maris æſtu incumbens Friſiam ve-
hementer conterruit, maximè cis Amaſum. Et hic annus Philippo Burgundo
apud Brugenſes finem tandem vivendi dedit, ad diem XVII Calend. Auguſti,
cùm provinciis Burgundicis præfuiſſet annos totos XLVIII. Eum Carolus filius
excepit, audax Martis pullus. Qui dum res à patris morte componit, anno
proximo M.CCCC.LXVIII ad initium menſis Februarij crudele facinus in Friſiâ
Occiduâ ab Aggæo Doniæo eſt patratum. Quippè cùm occurrentem fortè in M.CCCC.
viâ publicâ haberet antiſtitem collegij Haſcherani, quo cum litem contraxe- LXVIII.
rat, juſſit ſatellites ſuos ipſi miniſtroque oculos eruere. Cumque facinus ut im-
pium ſatellites abnuerent, ipſe in antiſtitem irruens, ſcelere tam barbaro ac
immani polluere manus ſuas haud dubitavit. Id deteſtabile viſum omnibus
tam inviſum eum toti genti reddidit, ut nuſquam inter ſuos quoque locum
gratiæ habuerit, eccleſiæ interdicto ſocietate piorum prohibitus. Poſtremò in-
genti auro pacem ab eccleſiâ redimens, extremâ in inopiâ miſerrimam vitam
poſuit. Nec multò pòſt Bocco Haringæus Snecenſis obiit, magno genere edi-
tus: cujus avus Renico equeſtri dignitate ac peregrinæ militiæ gloriâ clarus
Taboritanum cœnobium ſuis opibus fundavit. Iuxta quem eodem in fano
Bocco conditus eſt, adituſq; Kempo Iongama Edonis filius, affinitate ei con-
nexus, qui iiſdem diebus deceſſit. Et Thedæ mater Heba in Orientali Friſiâ
anili ætate fœmina fato quoque tum conſumpta, quam filia in fano Hintano
juxta maritum, ut traditum à nonnullis eſt, condidit. Ea cùm Vconem mari-
tum florentibus annis amiſiſſet, ſecundis nuptiis cum Haicone Wyndehamo,
non eâdem claritudine viro, cui in agro Reidano ad oram Dullarti ſedes fuit,
ſe conjunxit, & filios Kenonem ac Occonem, antè memoratos, illi peperit. Ex
hoc Kenone Fya genita eſt, quæ Ailconi Vphuſano priùs, deinde Victori
Friſio nupta, nullis editis liberis, ad annum uſque M.D.XLV
longiſſimâ ætate apud Neſſanos in
vitâ duravit.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XXVI.

EODEM anno M.CCCC.LXVIII turris Martiniana fano Martiniano
adhærens apud Groninganos, quam cælo tactam dixi, quanquam opus
novum, æſtate mediâ noctu magno cum fragore concidit, & fani par-
tem proximam eidem ruinæ involvit, multoſque mortales ſomno ex-
citos in proximâ urbis regione conſternatione ſubitâ perculſos dedit.
Hæc occaſio civitati fuit ad ornandum idem fanum, totamque urbem ſuam,
extruendi ingentis molis turrem hanc, quam jam videmus, ad aliquot paſſus
ſede tranſlatâ verſus Occidentem. Cujus fundamenta prima poſita anno pro-
M.CCCC. LXIX. ximo M.CCCC.LXIX, die IX Calendarum April. octiduo antè Paſchatos. Sed
opus à principio progreſſum lentè, propterea quòd curæ aliæ, & opera alia ad
propellenda à civitate pericula, quæ interveniebant, animos in ſe verterent.
At ſeneſcente Aprili, eadem in urbe Henricus Stuermannus monachus Fran-
ciſcanus ſenatum & XXIIII-viros adiit, queſtuſque de corruptiſſimis collegij
cucullati moribus, oſtendit reformatione omninò eſſe opus, ſenatuſque &
XXIIII-viri cenſuêre. Diſciplina monaſtica, quam licentia corruperat, ex in-
ſtituto autoris arctior reſtituta: obſequium à cucullatis promiſſum; habitus, quo
ſolent uti regulæ obſervantes, iis datus, mendicandi inſtitutum in uſum redu-
ctum: procuratores & ἔφοροι collegio dati ex civili ordine, qui diſciplinæ firma-
mento eſſent, Goſuinus Dulchius, Iohannes Rengerus Scafferanus, Nicolaus
Sculto, Nicolaus Alenius. Nequitia monaſtica aliquamdiu compreſſa, non
multos poſt annos relapſa eôdem, ac velut aggere rupto latiùs ſe in omnem li-
centiam diffudit: & quæ modeſtiæ & probitatis augmento eſſe debebat cu-
culla, incitamento improbitatis fuit. Inter hæc Carolus Burgundus imperij
gloriæque avidiſſimus juvenis, audax, ſolers, induſtrius, animo & manu juxta
promptus, ad belli munia ad unguem factus à naturâ, confecto fæliciter bello
Eburonico, Leodio capto & direpto, Gandavo in ordinem redacto, cæteris ex
ſententiâ conſtitutis, in Hollandiam cogitans litteras ad Friſiæ Ordines præmi-
ſerat, quibus poſcebat, ut legatos, viros idoneos, Hagam mitterent; habere ſe,
quæ vellet cum ipſis agere. Friſij, qui ſatis conjectarent quid rei eſſet, & vim
ejus noſſent, ſolliciti coacto Leoardiæ conventu, ac re diligenter expensâ, com-
municatoque cum civitate Groninganâ conſilio, inclinante jam menſe Iulio,
viros quatuor, in quibus Staveranum & Clarocampium antiſtites ad eum le-
garunt, qui cognoſcerent exactiùs, quid poſtulata ejus ferrent. Iis in Hollandiâ
morantibus (Carolus enim variis diſtractus curis & negotiis ſtatim dare ipſis
ſenatum non poterat) venêre eodem à principe litteræ ad ſenatum Groninga-
num, atque ordines agrarios, quarum idem cum prioribus illis ad Tranſlavi-
canos argumentum. Deſignatique à ſenatu (nam de agrariis mihi ignotum)
qui Hagam legati irent, Goſuinus Dulchius, Ioannes Tedema Conſules, Hen-
ricus Stoter Senatui à ſecretis. Qui cùm Hagam veniſſent, ij, quibus hoc à Bur-
gundo erat commiſſum, admiſſis primùm Tranſlavicanis, & voluntate princi-
pis apud eos expoſitâ, ad diem VIII Calend. Octobris, hos quoque ad conci-

lium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

lium vocatos, quid in mandatis à principe ſuo haherent, edocuerunt. Erant in hoc concilio Caroli Petrus Goeſius ex ordine equeſtri Cancellarius, Petrus Borbonius, Carolus Chalonius, Henricus Hoernius, Ioannes Rubemprius, Petrus Roveſius, Petrus Roſſitus, Iacobus Hercerius, omnes illuſtribus familijs nati, alijque complures doctrinâ & autoritate præſtantes. Oratio eorum fuit ad Tranſlavicanos, Friſiam omnem à multis ſæculis Comitum Hollandiæ & Selandiæ fuiſſe, in horum jura ſucceſſiſſe Philippum Burgundum, & nunc filium ejus Carolum principem ſuum: eum nunc agere, ut majorum ſuorum jura aſſerat: poſcere igitur principis nomine, ut in fidem ejus juret, præfectos juri dicundo recipiat, de tributi modo cum principe tranſigat. Id ſi erit factum, polliceri viciſſim principem, nihil à ſe defore, quod à bono principe requiri queat. Apud Groninganos cætera eadem, propterèa quòd civitas ea in Friſijs ſit, ſed præfectorum & tributi nulla mentio. Reſponſum ab utriſque, non habere ſe his de rebus mandata à ſuis, ideóque polliceri nihil poſſe: velle autem fideliter omnia ad ſuos referre: hoc modò petere, ut fidei causâ eadem iſta ſcripto comprehenſa ſibi exhibeantur. Conceſſum id, & reſpondendi terminus, quem primùm ad diem XIII Calend. Novembr. conſtituerant Burgundici, in Calendas uſque ejuſdem menſis, petentibus legatis, prorogatus. Ante quem diem niſi certo reſponſo ſatisfactum eſſet principi, oſtenderunt iidem Burgundici, principem ſibi conſilium capturum, id eſt, armis aſſerturum, quod verborum poſtulatis non poſſet. Tranſlavicani domum reverſi pridiè Michaelis in conventu Ordinum re expoſitâ, exhibitiſque, quas acceperant, litteris, magnâ ſollicitudine & dubitatione animos ſuorum complerunt. Cumq; ab his variatum diu ſententiis eſſet, & repetita ſæpè conſultatio, tandem duo ex eorundem legatorum numero ad condictum diem remiſſi in Hollandiam, qui & reſponderent populi nomine, & ſimul inquirerent, nunquid præter tributum vetus, & jus dandi prætores quatuor Burgundus poſceret, deniq; in proximum Paſchatos feſtum ampliùs deliberandi tempus poſtularent. Verùm impetrari à principe, qui cuncta viribus ſuis minora putabat, æqui nil potuit. Summa poſtulati ejus, à quo recedere non voluit, hæc fuit, ut Friſij dominum ipſum reciperent; quod ſi facerent, triumviros daturum, qui tributo modum annuum definirent. Id graviſſimum populo libero viſum, qui Bolſuerdiæ hujus rei gratia ſub finem Novembr. frequens è cunctis provinciis convenerat: multaq; ſollicitudo animos prudentum in omnes partes verſabat. Servitium, dedecus, peregrinum atque inſolens imperium ſpontè admiſſum: tum Burgundi opes, caſus belli, pericula, cædes, cuncta ſimul ob oculos erant. Poſtremò re in conventu agitatâ, omnium Ordinum ſuffragiis hæc ſententia valuit: Viri XXIII ſapientiſſimi quinque ex omni Oſtergoâ, Weſtergoâ, Sylveſtribus pari numero deligerentur: horum conſilii eſſet, cum Burgundo tranſigi æquis conditionibus, an arma capi pro libertate oporteret: quicquid ſtatuerent, id populus ratum haberet: omnes lites, quoad res bello pacéve confecta eſſet, ſuſpenderentur. At Groningani, ubi à ſuis de poſtulatis Burgundi fuêre odocti, de iis primùm ad Ordines agrarios ſocios & vicinos ſuos, deinde & ad Vltrajectinos retulêre, & quid conſilii eorum eſſet, quæſiverunt. Ab agrariis pro libertate ſententiæ dictæ; Vltrajectini deliberandi causâ conventu habito, re cum Groninganis communicatâ, miſſis in Hollandiam ex ordine Canonicorum legatis, Burgundo expoſuerunt, Groningam Comitibus Hollandicis nunquàm paruiſſe, ſed compluribus à ſæculis, etiam ante Danorum vaſtationes in fide fuiſſe eccleſiæ Vltrajectinæ: Deinde Danorum vi confuſis & conturbatis omnibus, Imperatorum ſequentium beneficio, imprimis donatione Henrici III, eandem civitatem eidem Eccleſiæ eſſe reſtitutam, eamque donationem ſæpè à ſucceſſoribus Henrici confirmatam: nec eſſe obſcurum, inter epiſcopum Blanchenhemum & civitatem quid ſit tranſactum: denique id privilegij Vltrajectinis epiſco-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

nis epiſcopis & Canonicis eſſe datum, ut ſi qua iis hujuſmodi quæſtio naſcatur, liceat ſeptenis, & contra Hollandos etiam quaternis juramentis rem controverſam vindicare: paratoſque eſſe eoſdem illos, & reliquos ordines Vltrajectinos ad hujuſmodi juramenta præſtanda. Quapropter rogare ſe Burgundum principem Chriſtianum, Chriſtianis & beneficis erga eccleſias majoribus ortum, ac præſentis epiſcopi fratrem, ut ab Groningâ abſtineat, nec injuriam tam manifeſtam ſanctiſſimæ eccleſiæ Vltrajectinæ faciat: aut ſaltem cognitionem & judicium de causâ legitimum apud Cæſarem, aut Pontificem ut admittat, quorum tribunalibus non defugere ſe rem omnem ſubmittere. Reſponſum à Burgundo ambiguè, & deliberatio ampliata. Vere proximo cùm omnium animi huc eſſent arrecti, rurſum à principe venit internuncius civis Bolſuerdianus, litteras ferens ad omnes Friſiæ Ordines, quibus litteris princeps ſignificabat, ſibi in animo eſſe poſtridiè Calend. Maij novum colloquium cum iis inſtituere Enchuſæ, atque omnia experiri, antequàm ad arma deſcenderet: poſtulare igitur, ut viros prudentes cum mandatis ad diem iſtuc mitterent. Eam ob cauſam conventus Staveræ indictus pridiè Calend. Maij, ad quem primi ordinis nobiles & antiſtites venerunt numero ad LXX. Hi antè actionis initium ad templum progreſſi omnes ſanctiſſimo ſemet jurejurando obligarunt, ſepoſitis controverſiis, poſthabitoque privato commodo, ad reipub. ſolius ſalutem cuncta ſe relaturos conſilia. Tum precibus placato Deo, cùm rem in deliberationem miſiſſent, iterum placuit, viros X ſpectatiſſimum quemque ex utroque ordine delectos ejus rei causâ in Hollandiam ire, atque id agere, quod patriæ utile eſſent judicaturi. Horum principes fuerunt Siricius abbas Staverenſis, & Goſlicus Iongama Bolſuerdianus. Cùm Enchuſam veniſſent Burgundici proceres, quibus eam rem Carolus mandaverat, Philippus Waſſenarius, Guilhelmus Alcmadius clariſſimo genere nati, Ioannes Hallewinus litteras bonas doctus, multis ſermonibus primùm cum iis negotium agitare: deinde cùm Friſij notarent nutare in verbis Burgundos, & quod conceſſerant pridiè, id poſtridiè negare, petere, ut ſcripto res ageretur: Mox cùm & hìc fraudem commiſſam obſervaſſent, nec longâ actione proficere ſe quicquam viderent, qui è nobilitate cum Goſlico iſtuc venerant, domum diſcedere: antiſtites, qui relinquebantur, obteſtari, urgere, ut certi aliquid Burgundi ſtatuerent, quod ipſi ad ſuos referre poſſent. Sic factum tandem, ut illi tributum poſcerent (nam in eo potiſſimùm hærere res videbatur) nummum argenteum, qualem optimum tum Carolus ſignaret, annuum in ſingula capita hominum, qui per Friſiam vivebant. Sed cùm pretium iſtius nummi edere omninò Burgundi nollent, & alioqui iniquum poſtulare viderentur, petito deliberandi ſpatio in re omnium graviſſimâ, Friſij feſtinantes in patriam redierunt. Sic enim in mandatis acceperant in Hollandiam ituri, ne quid omninò tributi nomine ſupra ſtuferum unum in ſingulas domus Burgundo pollicerentur. Tum ſtatim conventui dies dictus. In quo cùm maximo numero ex omni Tranſlavicanæ regionis parte ordines adeſſent, & publicè apud eos, quid ſibi accidiſſet, quo loco res eſſet, legati expoſuiſſent, omneſque rem indignam, & non ferendam eſſe judicarent, animiſque fremerent, majore, quàm credi poſſit, conſenſu, tuendam eſſe libertatem, & bellum Burgundicum, ſi neceſſe ſit, excipiendum, cuncta pro patriâ & gloriâ majorum exemplo ſuſtinenda decrevêre. Et dum calebant animi, in Documanos, quos à causâ publicâ conſilia ſejungere, & cum Burgundo facere cognoſcebant, ivêre, atque ita velut ſignum in ipſum Burgundum principem ſuſtulêre. Is enim ut Angliæ regi Eduardo ſororio ſuo, cui res regni Richardus Baruicenſis inſtigatore Ludovico XI Galliæ rege turbaverat, vires adderet, & ſimul à prædonibus Gallis ſua ſuorumque tueretur, claſſem in littoribus Flandriæ, Selandiæ, Hollandiæ paulò antè inſtruxerat, eique præfectum dederat

M.CCCC. LXX.

Henricum

Henricum Borſelium Verienſem, virum fortem & rerum maritimarum peritiſſimum. Et hac claſſe, uti ſolet fieri in rebus hujuſmodi, vulgò ferebatur, Carolum uſurum in Friſios idque conſultò ab ipſo etiam principe ad terrendos animos vulgi ſpargebatur. Sed fruſtrà territabantur, quos amor patriæ & libertatis in conſtantiam obfirmaverat. Verùm ut fit in omni populo, erant quidam ex factione Vetcoperorum, quos odium in reliquos, qui partis adverſæ cenſebantur, & occupandæ principis gratiæ per inſigne beneficium cupido perverterat. In his fuit Offo Doccumanus, qui eodem anno cum cæteris communis patriæ legatis, cauſam publicam tractaverat, atque illic promiſſionum blanditiarumque hamum, quo Burgundici piſcabantur, imprudens deglutierat: & eò ferventior è nobilitate Dongeranâ Siverdus Iaijema; per quos alii etiam in eâ viciniâ, ac bona pars ſenatus Doccumani, & quidam è populo in partes tracti fuêre. Et Siverdus paucorum mandatis conſilium conſenſumque publicum prætendens, ad Carolum, Flandriam tum obeuntem, profectus de conditionibus parendi cum eo ſenatus populique Doccumani nomine egit, tranſegitque in oppido Audomaræo, & confeſtim magnis itineribus in Friſiam reverſus acta à ſe cum principe ſigillo & ſubſcriptione civitatis Doccumanæ ope eorum, qui tum in magiſtratu erant, probari curavit. In iis conditionibus promiſit Princeps, *iura & inſtituta omnia ſe oppidanis conſervaturum, magiſtratuum electionem liberam relicturum, quod tribunal in agro vicino exerceri ſolet, id effecturum in oppido ut exerceatur: ad hæc daturum ſe gratiæ civitatis, ut Pro-princeps, quem Poteſtatem dicunt, non alibi quàm Doccumi ſedem capiat, cauſaſque recognoſcat, nec ab eo niſi ad ipſum ſit Principem provocatio: denique ut oppidani immunitate tributi fruantur ad mortem uſque ipſius.* Hac tam dulci eſcâ capiendos ſibi Doccumanos, & arcem belli ſine ſanguine parandam in Friſiâ commodiſſimo loco ſitam, aut reliquos quoque in fraudem trahendos vafer princeps arbitratus fuit. At Offo ab iis, quos in Hollandiâ amicos ſe habere putabat, temerè perſuaſus jam in procinctu eſſe copias principis ad Friſiam occupandam paratas, gratiæ cupidine flagrans, quam honori & emolumento ſibi fore rebatur, velut principem in Friſiam deducturus cum amiculis in Hollandiam ſe contulit. Sed miſer & ſpe, & re excidit, & qui paulò pòſt opibus & honore auctum triumphantemque in patriam ſe rediturum exiſtimabat, in infælix & infame exilium ceu patriæ proditor incurrit. Quippe Carolus, in alia tum verſus, & majoribus intentus, Friſiam complecti curâ non potuit. Weſtergoi & cæteri, ut jam dixi, indignitate rei in iram exardeſcentes die XXII Calend. Septembr. è conventu Doccumum delati, caſtigatis graviter omnibus oppidanis, atque in poteſtatem redactis, Offonis & ſociorum amicorumque ejus res in oppido atque agro diripuêre: quæ auferre non poterant flammâ & ferro perdiderunt. Hoc ultioni proditionis publicæ datum. Ipſe Offo cum conjuge apud Enchuſanos exulans Burgundi principis ſtipendio ſe familiamque, quo ad in vitâ fuit, ſuſtentavit. Cæteri poſt diuturna exilii mala tandem cum ſuis in gratiam redierunt. Sed vindices Offoniani ſceleris Leoardiam reverſi cum cæteris ibidem præſentibus omnium Ordinum delectis, auxilia in tatum bellum circumſpicientes (nec dum enim de conſiliis Caroli, & iis, quæ conſilia illa ſecutura erant, liquebat) ad diem VIII Calend. Septembr. litteras publicas ad ſenatum Groninganum dederunt, quarum hæc ſententia: Omnia ſibi cum Burgundo tentata, nec quicquam quod ad æquas conditiones pertineret, omiſſum, ſed oleum cum operâ eſſe perditum, actionemque finitam: utramque partem priſtino juri redditam. Itaque decretum ſibi unanimiter in conventu, reſiſtere Burgundo, & arma illius, quæ minitatur, armis repellere, & à majoribus acceptam libertatem defendere, ſi à ſociis atque amicis deferentur. Petere ſe, ut harum rerum gratiâ homines prudentes cum mandatis ad Calend. Septembr. in cœnobium Bergumanum (quod in viâ Groninganâ eſt)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

mittere velint, acturos cum ſuis eôdem venturis cùm aliis de rebus, tùm de
fœdere renovando, ineundiſque conſiliis ad depellenda communibus viri-
bus imminentia à Burgundo pericula. Signatæ hæ litteræ à ſenatu Leoardia-
no, Snecano, Bolſuerdiano, nomine Ordinum omnium Oſtergoæ, Weſter-
goæ, Sylveſtrium, Octopagicorum, ut teſtatur ὑπογραφή. Venerint autem
Bergumum Groningani, aut non venerint, mihi non eſt certum: tacent
enim monumenta. At hoc conſtat, paribus animis cum cæteris in propo-
ſito atque optimâ voluntate tuendæ libertatis civitatem conſpiraſſe, nec
uſquam hac in re mutaſſe, eâdemque mente ſocios eorum vicino in agro,
atque eos etiam, qui ad Orientem Amaſi degunt, fuiſſe. Et Groningani qui-
M.CCCC. LXXI. dem anno ſequente M.CCCC.LXXI æræ Chriſtianæ armorum Burgundi-
corum expectatione (nec enim ambitioſiſſimum & augendi imperii ſui cu-
pidiſſimum principem, defunctum bellis præſentibus, Friſiam neglecturum
rebantur) toti munienda urbe ſuâ erant occupati, eamque ad rem ſtudio
& ope utebantur ſociorum in agro: quippe cùm confugium & propugna-
culum commune ſtrueretur contra vim Principis externi, qui libertatem
gentis opprimere habebat in animo. Vallum ex terrâ ingens ampliato ur-
bis pomœrio, non parvo poſt murum foſſamque veterem intervallo, toto la-
tere Auſtrino excitatum, foſſa nova extra vallum altior latiorque ducta, tur-
res lateritiæ firmiſſimæ ſex cum vallo cohærentes in orâ foſſæ conſtructæ,
quarum una Orientem ſpectans ac prominens in extremo mœnium angu-
lo cæteris major validiſſimi operis, duobus à lateribus urbem ab incurſu ho-
ſtili protegens, multo tormentorum fulmine lacerata nuper bello poſtremo
Belgico. Opus inchoatum anno M.CCCC.LXIX circiter ſolſtitium; finitum
anno M.CCCC.LXXI; ab agrariis per vices in opere faciendo collata auxi-
lia: mille quadringenti interdum, interdum plures fodiendo aggerendo-
que ſimul occupati, ſinguli ſeptimanas duas: his cives cibum potumque tri-
buebant: merces alia non dabatur. Propugnaculum etiam lateritium in di-
versâ mœnium parte in Circium procurrente, quâ Huneſi novus alveus cum
M.CCCC. Ahâ amne committitur, eodem tempore poſitum. Inde porta, quam Do-
LXXII. minicam vocant, Meridiem intuens, non valida ſolùm in hoſtes, ſed ſpe-
cie etiam egregia & magnifica, anno proximo, mox eo, qui hunc ſecutus eſt,
altera Orientalis priore etiam ſplendidior, utraque turriculis latè ſpectabi-
lis, ſtructæ. Omnia ad excipiendum bellum Burgundicum in tempore pa-
rata. Eodem verò tempore, quo porta Dominica exſtructa fuit, qui erat
annus M.CCCC.LXXII, Onno Euſumanus apud Middelſtumanos vali-
diſſimâ turre ædificandâ civium invidiam, aut ſuſpicionem movit. Miſſi-
que totius civitatis nomine ex decreto Senatus, collegij XX-virorum, ædi-
lium, & eorum, qui opificum ſocietatibus præſunt, Ioannes Hoernkenius,
Ioannes Gronius, Ioannes Friſius, qui opus novum inſpicerent. Ab his
relatum, murum turris craſſum eſſe pedes ſex: ſecutuſque eos ad urbem
ipſe Euſumanus teſtatus eſt in coronâ populi in areâ Martinianâ, nihil ſtrui
à ſe in civitatis incommodum, quâ cum ſperet ſibi liberiſque ſuis perpe-
tuam fore amicitiam, ſed hoc provideri, ut habere contra hoſtium odia
ac vim tutum refugium queat. Sed conclamatum vulgò, ferri ſtructu-
ram ultra pedes tres craſſam non poſſe, atque ità quondam inter civita-
tem & agrarios Ordines conveniſſe. Idemque poſtridiè decretum à Se-
natu, juſſuſque Euſumanus, quâ parte jam opus erat eductum, craſſi-
tiem ad eum modum minuere. Sed decreto ab Onnone mos non geſtus,
nec propterea quicquam in eum paratum actum've graviùs, ob circum-
ſtantia eorum temporum pericula. Et erant tempeſtate iſtâ mortalium ani-
mi in hac terrarum plagâ perculſi horrenda facie facis (Cometam appellant)
in aëre

in aëre accenſæ ſtatim à principio Ianuarij. Cujus ſitus in Auſtrum primùm dejectus caudatâ comâ in Occidentem porrectâ: inde à diebus XIIII in Septentrionem ſe vertit, atque illic multo tempore conſtitit, donec evaneſceret. In hoc rerum ſtatu Theda apud Ciſamaſanos ex ordinum ſuorum conſilio in Lenganis, in ipſo agri ejus aditu ad Sandam vicum, quà ex Oldenburgicis venitur, arcem vetuſtate collapſam refecit, vallumque terreum, quod priùs non habuerat, cum foſsâ benè latâ & profundâ ſuperaddidit, ut toti illi oræ poſſet eſſe præſidio, ac fines regionis tueri. Etenim Gerhardi Oldenburgici id ingenium, ea ſtudia erant, ut meritò finitimis omnibus quanquàm mediâ pace timorem darent. Nam prioribus annis ſtudio plebis ruſticæ per Holſatiam ſibi conſiliato, ejus regionis majorem partem, dum abeſt frater rex, in ſuam fidem adegerat, totumque nobilium ordinem, cui ſemper infenſus fuit, miris modis afflixerat. Mox à fratre, qui connivere ad vitia ejus conſueverat, nobilium querelis, propriâque injuriâ excitato, armis coërcitus atque in cuſtodiam datus fuit. E quâ maximis promiſſis, velut in obſequio fratris deinceps perpetuò futurus, Holſatiamque ſtatim relicturus, cùm ſe liberaſſet, ad ingenium non multò pòſt rediit. Tum rex cùm incurabilem lenibus medicamentis eſſe intelligeret, auxilio civitatum Saxonicarum omni Holſatiâ eum exturbavit. Ille, qui jam antè malo in civitates animo erat, multò nunc graviùs in ipſas, quas incommodi ſui authores habebat, odium cepit. Itaque his imminere, detrimenti inferendi nullam occaſionem tranſmittere, cives earum in itineribus deprædari, denique publicè privatimque civitatibus nihil tutum relinquere. Quam ad rem percommodum ei erat, quòd Delmenhorſtum arcem viæ regiæ impoſitam tutor pro nepotibus, fratre jam mortuo, adminiſtrabat. Id verò indignum ratus Henricus è familiâ Suartzburgicâ, Bremenſis eccleſiæ adminiſtrator, quique Monaſterienſem quoque epiſcopatum diœceſi ſuæ nuper adjecerat, ſuis in finibus latrocinia impunè exerceri, cum paſſim hac de re querelæ jacerentur, princeps ſuâpte naturâ gloriæ & armorum avidus, cum Hamburgenſibus & Lubecenſibus fœdere icto, bellum in Gerardum movet, & Delmenhorſtum obſidet. Hæc enim arx potiſſimùm prædandi inſtrumentum Gerardo erat, & ad jus eccleſiæ Bremenſis, quod repetebat ipſe, pertinere videbatur. Sed cùm per devia & ignota obſidentibus itinera commeatum in arcem Gerardus immiſiſſet, deſperaretque Gunterus Suartzburgicus à fratre ei bello præfectus, vi capi arcem poſſe, annitente epiſcopi patre, de pace actum. Ea convênit hac lege, ut Gerardi nepotibus Delmenhorſtum relinqueretur, Gerardus impoſterum nemini injurius eſſet, itinera ſuis in finibus tuta omnibus præſtaret. Oldenburgicus eo bello levatus in Holſatiam denuò ſe vertit, eodem plebis incredibili ſtudio nixus, vexitque ſecum ingentem trabium, & reliquæ materiæ vim per mare, quâ uti ad munitiones inſtituendas poſſet. Sed maturo occurſu fratris, quem civitatum auxilia ſequebantur, rejectus, cùm capi potuiſſet, non invito eodem fratre, longâ ac deviâ fugâ ſe in tutum recepit. Id fuit anno M.CCCC.LXXII. Vbi domum rediit nondum poſitâ in Hamburgenſes & Lubecenſes animi offensâ, cùm publicè haud poſſet, privatim incommodis eos afficere omni ſtudio intendit, & dummodò inviſos homines læderet, vi aut dolo hoc faceret, parum penſi habuit. Itaque in viis per ſatellites ſuos excipere mercatores pactionibus nuperæ pacis confiſos, eorumque arculas excutere, ſarcinas diripere, quoſdam etiam in carcerem abducere, ac pecuniâ emungere: ſi quos aliorum detrimenta cautos facerent, hos datis liberi commeatus litteris, egregius ſimulator in caſſes ſuos trahere, atque inſuper circumventis, querentibuſque illudere, hortari etiam, ut ſimili modo plura iſtuc convectent, & loco tuto ſiſtant: Sibi longè gratiſſimum id lucrum fore ex ſtultis & credulis inimicis partum: poſtremò quoſlibet ludos pro libitu in earum urbium cives facere: Quâ neceſſitate illi compulſi, cùm ulciſci ſe ſtatim

non poſſent, finibus ejus in univerſum abſtinuêre. Inter hos poſtremos Gerardi motus menſe Septembri Carolus Burgundus induciis cum Gallo rege initis timorem ſui Friſiis renovavit. Deinde variis rebus diu diſtentus cùm vere primo ſequente ad adeundam Geldriæ poſſeſſionem ſe pararet, magnoque cum exercitu ad principium menſis Iunij eam provinciam eſſet ingreſſus, ſolliciti fortunâ ejus Friſii, ex ipsâ vicinitate timuêre graviùs. Invicto enim principi, cui reges & regna cederent, quem poſſent ipſi exercitum opponere, quas munitiones in regionis principio objicere, quibus opibus tantas ejus opes ſuſtinere, ſi eum libido ad invadendam Friſiam agitaret? Præſertim cùm factionum odia ne tum quidem in tanto patriæ periculo apud quoſdam conquieſcerent. Simul ad eos qui trans Lavicam uſque in Flevum habitant, venere litteræ publicæ ex Geldriâ, quibus Geldriæ ordines, qui Burgundi imperium non ferebant, ſignificabant Adolfum principem ſuum, Vilfordiæ tertium jam annum in cuſtodiâ Burgundi degentem, perpetuis carceribus à Burgundo eſſe mancipatum (ſic menſe Majo in cõventu procerum Aurei velleris ex voluntate principis ab iiſdem proceribus Valencenæ fuerat decretum.) Et jam hoc agere regnandi libidine flagrantem principem, ut Geldriam legitimis & veris dominis ademptam per vim ſibi ſubjiciat: id ſe ferre non poſſe, paratoſque eſſe, ferro contra Burgundum decernere: rogare igitur hanc ad rem Friſiorum auxilia, ac viciſſim in ſimiles caſus auxilia ſua ipſis polliceri: denique reſponſum de voluntate ipſorum petere. His acceptis litteris Tranſlavicani omnes, Oſtergoi, Weſtergoi, Sylveſtres, Octopagici, curâ æſtuantes Leoardiam prid. Nonas Iulij conveniendum decernunt: & Leoardij ex voluntate cæterorum, quid rei ſit Groninganos certiores faciunt: petunt, ut aliquot ſuorum etiam iſtuc mittant, & per eos, quo ipſi ſint animo, ſignificent: Tranſlavicanos ad opem Geldris ferendam inclinare: quod ſi integrum Groninganis non ſit, Leoardiam legatos mittere, ſaltem rogari eos, in cœnobium Bergumanum aliquos mittant, qui cum iis, qui iſtuc in eam rem venturi ſint, colloquantur: itaque reſponſo maturo eſſe opus, ut quid agendum expectandúmve hac in parte ſciatur. Poſtremò de mente Thedæ & Sibonis, aliorumque ordinum & ſociorum ſi quid poſſint cognoſcere, rogant, ut id faciant, & de eo quoque amicos edoceant. Ad hoc arrecti Groningani conſideratâ re, ut erant plerique in Senatu prudentiâ graves, temerarium judicabant, inferendo alienâ in regione bello ultrò principem ferocem potentemque, & jam latè victorem, ac Geldriam pro ſubactâ habentem laceſſere: honeſtiùs, æquiùs, tutiùs, ac magis è more majorum eſſe, patriam domi tueri contra invadentes, idque fæliciùs ſemper ceſſiſſe: manendum in majorum exemplis virorum ſapientiſſimorum, nec ab iis temere recedendum. A Geldris autem ajebant jam oppreſſis quæ mutua poſſint expectari auxilia, aut quod conſilium ſit cum jacentibus ſociari, & fortunam ſuam jungere, cum fœdere nullo iis ſis obligatus: ſui conſilii eſſe, paribus animis ad propulſandum bellum, & patriam defendendam omnia eſſe maturè paranda, & in eam rem ab omnibus conſilia ſocianda. Atque hæc ſententia à ſenioribus & conſilio valentibus Groningæ primùm jactata laudataque, deinde ad Tranſlavicanos perlata, plurimiſque illic quoque probata animos ferociorum in viam revocavit: præſertim cùm fama crebreſceret Geldros fortunæ jam ceſſiſſe. Quod cùm curas Friſiis augeret, actum Leoardiæ ſeriò de concordiâ Ordinum paſſim luxatâ reſarciendâ, de offenſionibus remittendis, de iis, quæ ad excipiendam hoſtis vim pertinerent, ſine morâ parandis, ne diſcordes & inparati obruerentur. Nec enim dubitabatur, quin rebus Geldricis conſtitutis in Friſiam Carolus arma eſſet verſurus. Sed erat in his rebus iſto tempore major, quàm opinio tulerat, difficultas. Turgebant enim animi multorum in factionibus, ex

inju-

injuriis, uti ipſi exiſtimabant, acceptis, vindictæ cupidine, & ponere eam tam ſubitò, ac offenſas reipublicæ, & ſaluti communi condonare tam facilè haud poterant: videbaturq́ue reconciliatio tempore opus habere. Accedebat, quòd haud paucorum animi nimiâ formidine ex ſucceſſibus Burgundi correpti, de fortunâ patriæ deſperarent; & hi cum Burgundo tranſigendum potiùs, quàm armis experiundum, animumq́ue ejus magis aſperandum arbitrabantur: atque id inter ſuos occultè ſpargebant; quidam etiam palam profitebantur. Nec tamen propterea ſtudium ſuum prudentiſſimi atque optimi quique & qui caritate patriæ ac fortitudine præſtabant, in procurando publico bono, & conſilio defendendæ libertatis remittebant. Et ſic trans Lavicam in Flevum. At Ciſlavicani Groninganis connexi, ſolliciti etiam ipſi de fortunâ communi, & Burgundi conſilia atque arma ſuſpectantes, ne quid à diſſenſionibus mali apud ipſos exiſteret, poſtridiè Nonarum Auguſti, cum civitate renovarunt fœdus ſolitum in annos x: in quo cautum, *ſi quis Princeps bello regionem petat, ut ſibi mutuo ſint auxilio omnes, pacem inter ſe colant. Conuentus Iuridici quotannis agantur quatuor: frumentum, niſi peregrinis è locis advectum, non exportetur: cerviſia per agrum non coquatur, niſi in uſum cuiuſque domeſticum: nec vendatur in tabernis, niſi Groningana*: Tum legati ad Thedam & Ciſamaſanos miſſi, actumq́ue cum his de ſocietate armorum contra Burgundum, toti haud dubiè imminentem Friſiæ, nec Amaſo tenùs terminantem ambitionem ſuam: qui licet adhuc denunciaſſet Ciſamaſanis nihil, tamen nihil eſſe manifeſtius, quàm poſtulata ejus omnes Friſios comprehendere. Periculum igitur commune communibus viribus depellendum: communem libertatem à majoribus relictam, ipsâ vitâ pretioſiorem conjunctis armis defendendam: nec ſpem deeſſe, ſi omnes ſimul ſe objiciant, reſiſti poſſe: ſi disjunctis pugnandum ſit, omnes ſine dubio alios poſt alios hoſti prædæ futuros. Quòd ſi, qui in occiduâ parte ſunt, concordes eſſe nequeant, metuq́ue mutuo paciſci fortè cum Burgundo malint, quàm belli pericula ſuſcipere, ipſos tamen, quibus divino beneficio conſtet concordia, quos nullum odium, nulla factio turbet, deſerere ſe mutuò, & libertatem cum ſervitute ſine prælij diſcrimine commutare non debere. Aſſensêre omnes inter Amaſum & Viſurgim, ſolo Siricio dempto, cui livor mentem tranſverſam agebat: ſcriptumq́ue fœdus illuſtre in hanc ſententiam. *Theda Comes in Friſiâ Orientali, Sibo Dornumanus eques, Eſenæ, Stedeſdorpij, Witmundæ dominus, Poppo Manninga Peuſumanus, Edo Wimeconius Ieveræ, Wangriæ, Oſtringiæ, Ruſtriæ rector, Edo Boÿngus Godenſis, Lubbo Onconius Cnipenſis, Alco Inhuſanus, cæteráque nobilitas, & totus populus Friſiæ Orientalis, cum ſenatu populóque Groningano, nobilitate, iudicibus ac plebe ruſticâ in agro Fivelingio, Huneſgonio, LangoWaldio, Hummerzio, fœdus inter ſe habento in annos* XX. *Hoc temporis ſpatio ſi illuſtriſſimus Burgundiæ dux Carolus per ſe, aut per præfectos ſocióſve ſuos has Friſiæ regiones, aut civitatem Groninganam conatus fuerit armis invadere, imperio ſuo ſubijcere, libertatemque ac iura vel omnium vel ſingulorum minuere atque opprimere, arma capiunto, opem ſibi mutuò præſtanto, libertatem & patriam, & inſtituta eius ſummâ fide, ſummo ſtudio, ſummis viribus, ceu liberos & Friſios decet, tuentor. In quam partem Burgundi ſe primùm inferrent, ei pars altera intra octiduum, quam erit id denunciatum, viros mille optimè armatos in auxilium mittito, & hi mille ſtipendia merento ſuorum quamdiu in armis erunt; commeatus item habento ab ijſdem, uſque dum Amaſum traiecerint: deinceps commeatus expectanto à ſocijs, quibus ſubſidio venient. Quòd ſi pars auxilium mittens ab hoſtili incurſione & vi manebit immunis, eadem illa litteris admonita, relictis tantùm domi neceſſarijs præſidijs, reliquis copijs omnibus viritim parti laboranti auxilium ferto: At ſi contigerit, Burgundum omnes ſimul invadere, à terrâ ac mari pariter ſe incitare, claſséſque & exercitus terreſtres uno tempore movere, ſuis pars utraque rebus conſulito, ſua defendito, benevolentiam tantum mutuam*

præſtanto, & firmamento ſibi ſunto invicem, quantum ſine iacturâ & exitio rerum ſuarum facere poterunt. Neutra pars ſine conſenſu alterius, adeóque ſociorum omnium nemo ſine cæterorum voluntate cum Burgundo, ſociiſve Burgundi colloquium inſtituito, paciſcitor, tranſigito. Hoc fœdere ante Idus Auguſti ſignato, omnibuſque in eventum ſe parantibus, & magno auſu facinus aggreſſuris, cujuſmodi poſt aggreſſi Helvetij ſunt, ut aut pro patriâ cum gloriâ morerentur, aut præclaram victoriam cum immortali laude compararent, (exarſerant enim animi quibuſdam gloriæ ſtimulis) ſenatus Groninganus, quod in mandato acceperat à ſociis, legationem miſit ad Tranſlavicanos, eos hortari ad concordiam inter ſe, & deponendas pro patriâ ſimultates domeſticas, atque ad defendendam libertatem exſtimulare, conſenſionem in poſtulata Burgundi nihil aliud eſſe, quàm pactionem ſervitutis; Eum dominum eſſe ſuperbum, ſuis etiam gravem, multa poſcentem ſupra majorum modum: Friſios liberos à tot ſæculis nemini obnoxios, ſuetos pro libertate patriæ fortiter pugnare, & victorias illuſtres ab hoſte referre, Normannos, Batavos, Vltrajectinos, Lotharingos, Saxonas ſæpè cecidiſſe, & hoſtili cruore terram patriam ſignaſſe: Henricos, Godefridos, Guilhelmos, illuſtria Principum nomina ſtraviſſe, Alberti vim fregiſſe; Eſſe adhuc robur idem, modò idem ſit animus, & patriæ charitas, & laudis cupido: quantò princeps hoſtis clarior ſit, tantò majorem gloriam ex ejus clade parari, & exemplum poſteris prodi poſſe. Quòd ſi eâ mente ſint, paratos eſſe Ciſlavicanos, & eorum trans Amaſum ſocios, ſimultates, quas haberent cum iis, poſtponere, controverſias ſuſpendere, fœdus paciſci, & communia pro communi causâ pericula ſubire. Ad quæ Tranſlavicani animis læti (vix enim id ſperare auſi fuerant) non recuſare ſe ſuſpenſionem litium, & odiorum, velut inducias, in biennium, ſi id placeat Ciſlavicanis, & eorum ad Orientem ſociis: & cupere, ut conditionibus ſcribendis legatorum conventus habeatur quamprimùm. Quâ de reâ ſenatu Groningano edocta Theda, rogataque ut diem nominaret, quo legatos ſuos, ſuorumque & reliquorum ordinum in Friſiâ Orientali Groningam poſſet mittere, habendi causâ colloquii cum Tranſlavicanis, ad diem x v Calend. Septembris reſpondit. Non poſſe ſe id ſtatim facere, velle verò ſine morâ cum Sibone Eſenſi, & amicis cæteris rem ex litteris Senatus communicare, eoque facto ex voluntate & conſenſu omnium maturè Senatui reſpondere. Sed dilata res de die in diem, cùm convenire de tempore & loco non poſſent, & in ſerum uſque Septembrem deliberando ac contendendo extracta: cùm intereà fama venit, Carolum totâ Geldriâ in poteſtatem redactâ, & pro arbitrio ſuo conſtitutâ, cum maximâ exercitus parte Aquiſgranum, atque indè in regionem Lucelburgicam eſſe profectum, majores res verſantem animo. Colloquium enim Friderico Imperatori condixerat apud Treviros aut Metenſes, in quo de filiæ nuptiis, & regno ſibi decernendo, quod imprimis honoris avidiſſimus ejus animus concupiſcebat, conſtituerat agere. Congreſſuſque cum Imperatore Treviris magnifico & regum luxum ſuperante paratu, vanâque ſpe lactatus turbidior indè diſceſſit quàm venerat. Indè in Burgundiam ivit funeri parentibus faciendo intentus, noviſque aliis ſuper alias curis continuò implicitus. Ea fecêre, ut metu dempto, colloquioque, de quo dixi, neglecto ſocietatem Friſii tum non coïerint. Interim calamitas inexpectata Ciſamaſanis aliunde à Gerhardo Oldenburgio provenit. Is vicinorum fortunâ ac quiete dolens jamdudum, & prædas Friſicas ſitiens, cùm videret in Burgundum curas & cogitationes Friſiorum omnes intendi, ſibi amicitiam Friburgici poſſe magno commodo eſſe, paluſtria, quorum uligo profunda pro muro Friſiis eſſe ſolet, longâ cœli ſiccitate arida cupiditati ſuæ inſigniter favere, occaſionem in cauſam vertens de explendo tandem animo conſilium cepit. Itaque cùm eâ à parte pax alta, armorum ſuſpicio nulla eſſet, cùm omnes ſine metu illic agerent, ſub finem Septembris bello non denunciato conjectis in vincula, quos negotiorum causâ domo

egreſſos

egreſſos Friſios ſuis in finibus deprehendere potuerat, convocatâ raptim ad ſigna juventute militari multis bellis induratâ, Weſterſtedam vicum primarium illis locis Friſiæ finitimum agmen rapit. Indè vicina paluſtria Lengana celeriter tranſgreſſus, quæ Friſios longo tractu ab Oldenburgicis dividunt declinatâ viâ, quæ juxta arcem per Sandam majorem in reliquum agrum Lenganum mittit, per minorem Sandam (duo enim ejuſdem nominis vici inter ſe vicini & paluſtribus contigui eo loco ſunt) diffugientibus per diverſa incolis, ac in tuta ſe recipientibus in interiora agri Lengani irrumpit, obvia diripit, vaſtat, incendit, prædas agit. Eſt eo in agro vicus reliquis celebrior penè in umbilico agri totus ſitus, fano illuſtri & omnibus Lenganis communi: in quo vico ad fanum valido muro caſtelli in modum cinctum plebs ferè ſe colligere in armis belli tumultu repentino, eodemque velut ad aſylum vel præſidium contra hoſtes comportare ſua ſolet. In hunc cùm penetraſſent Oldenburgici, nec præſidium majus circa fanum inveniſſent, paucis tantùm in fano ſe defendentibus, poſito jam omni metu, acſi nil ſupereſſet quod obſtare libidini & inſolentiæ poſſet, liberiùs agere, latiùs populari, nulli rei parcere, in Siveconem Lengenſium præfectum, virum fortem, terrorem quondam ſuum, multa per irriſum jactare, flaventemque ejus cæſariem, quam more patrio comptam, vittâque collectam alebat, increpare, eum ad certamen provocare, hoc tempus eſſe, ſi vir eſſet, virtutis declarandæ, illum verò latebris ſe nunc abdere & fœminas imitari, commiſſa fidei ſuæ hoſti diripienda permittere. At Siveco, qui in arce Lengana erat, ad quem Lengenſium multi ex fuga ſe receperant, quanquam nec animus deeſſet ipſi, & frenderent, ac educi ſe poſcerent, quorum res rapiebantur, tamen comprimens iram, & ſuorum impetum ſapienter cohibens, hoſtiſque ſecuritatem alens, in arce ſe continebat, ut paulò pòſt & certiùs & latiùs vinceret. Intereà Stichuſanæ arcis præfectum Haijonem Longum (id ei nomen è corporis ſtaturâ datum) certiorem de re facit, & quid conſilij ſui ſit, ſignificat, ſi contingat, quod ferebatur, illac hoſtem cum prædâ exitum quærere; monetque ut ſuos paratos habeat. Hoſtis cunctationem ipſius timorem interpretatus, pervaſtatis Lenganis, Stracholtanos primùm, qui ſunt iſtic in Auricenſium aditu, deinde Bacbandinos, Heſelanos, Holtlandinos, Bringcanos ad libitum deprædatus, auro argentoque dives ac ſarcinis gravatus, ingentem majoris & minoris pecoris vim agens per Mormeriam incedebat, Deteramque petens Holtmergaſtanâ viâ feſtinabat ad ſuos ſe cum prædâ recipere. Iamque ad anguſta viæ pervenerat, arctoque in aggere agmen cœperat extendere, cùm ſubitò coörti hinc Siveco, qui viarum compendio iſtuc prævenerat, inde Haijo magno & inopino impetu ſimul & clamore in eum irruunt. Ipſe quanquam fortiter ſe defendens, ejuſmodi caſuum non ignarus, tamen ancipiti periculo turbatus, & incommodo circumventus loco, & prædâ onuſtus ac impeditus, rectè expedire nil poterat. Ità factum, ut maximâ cæde correptus ingentes jactantiæ ſuæ, & injuriarum hoſtilium, ac ruptæ fidei pœnas illic Siveconi & Friſiis dederit. Nam quos eripere fuga difficilis non potuit, ab iratis victoribus, quos probra & damna recentia aſperabant, dum calor deferveſceret, ferro confecti ſunt. Satis conſtat tantum ſanguinis Oldenburgici per aliquot ſæcula unâ in acie non eſſe hauſtum. Supra mille enim occubuiſſe, memoriæ traditum eſt. Qui ſuperfuère, diſpalati, cum Comite ſuo domum rediêre. Pecorum majorum ingens numerus cum cæterâ prædâ à Friſiis receptus. Hoc caſu commoniti Friſii diligentiùs jam vigilias agere, præſidia diſponere, vicinum obſervare cœperunt. Sed Oldenburgicus cladis ignominiæ impatiens, & prædandi libidine ardens, cæteris aditibus cuſtoditis, permiſſu Siricii viâ Freburgicâ rurſum in Friſiam invaſit, & abactis prædis è proximo in tutum ſe eâdem viâ recepit. Idem ſubitaneis & furtivis incurſionibus fecit ſæpius, ac Ruſtris, Oſtringiis, Auricanis damna intulit; ubi res tulit, ne puerperiis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

quidem, nec ſacris honorem habuit, homo quippe ſine pietate, ſine fide, Siricio, velut ſpectatore, otioſo. Hanc ob cauſam ad traducendam utriuſque famam, & reddendam conſilii ſui rationem (bellum enim in futurum ver parabat) Theda princeps vidua ex ſuorum conſilio ad x Calend. Novembr. cùm ad omnes Imperii ordines, tum ad ſenatum populumque Groninganum ſcriptum emittit; in quo acerbiſſimè de utroque queritur. Gerardum, ait, contra divina & humana jura, poſthabitâ ſignatâ juratâque fide, projecto honore proprio, ſecurâ pace, nullâ denunciatione factâ, arma Friſiæ intuliſſe, regionem vaſtaſſe, domos, agros diripuiſſe, ſacerdotum, puerperarum ſedibus ac cubilibus non peperciſſe: in agro Friſico pariter & ſuo prædonum more mercatores ſpoliaſſe, inque carceres abſtraxiſſe: cuncta hæc nullâ provocatum causâ. Eundemque XII antè annos pari modo projectâ fide, & ruptâ pace Lenganos oppreſſiſſe, multos mortales trucidaſſe, incendio corrupiſſe, quod auferre non potuerat, ſacra & profana miſcuiſſe: Eas injurias à triennio per tranſactionem conſepultas, armis poſitis, pace juratâ, injuriarum compenſatione nullâ factâ, hac refricare ratione, & atrocibus injuriis novis cumulare, tam crudeliter in populum innocentem, in viduæ ac pupillorum res ſævire, animo ejus improbo ac nefario placuiſſe. Similiter Siricium Freburgium hominem perjurum deſeruiſſe fidem, quam Vlrico & ipſi, & ipſius liberis dederat, quamque litteris & ſigillo firmaverat, relictâque rep. Friſicâ cum Oldenburgio ſe junxiſſe, Friſiæ portam ei pateteciſſe, licentiam graſſandi, atque eâ viâ tutò veniundi & abeundi, communemque patriam affligendi permittere, aquas terraſque mercatoribus infeſtas reddendi ſocietatem cum eo habere, plurimorum malorum plurimis mortalibus ſocio hoc authorem eſſe. Hæc ſe queri & vulgare, ut cujuſmodi hi viri ſint, quâ humanitate cum viduâ & orphanis agant, omnibus innoteſcat. Nec multò pòſt Edo Ieveranus, Alco Inhuſanus, Lubbo Cnipenſis, Edo Godenſis, qui injuriis Oldenburgicis viâ Freburgicâ proximi erant, pactione initâ cum Thedâ, & cæteris Friſiæ Orientalis ordinibus, in bellum collatis opibus & auxiliis in Gerardum & Siricium movendum conſenſerunt poſtridiè Calend. Novembr. Quibus pactis Sibo quoque Eſenſis, quamvis perægro tum corpore ac animo mœſto, aſſcribi voluit, cùm paucos ante dies conjugem alteram Margaretam Eggone Weſterwoldio genitam Haijonis ſororem morte amiſiſſet, Vlrico & Sibone filiis ex ipsâ ſuperſtitibus. Neque multò pòſt etiam ipſe ingraveſcente morbo ſupremum diem adeſſe ſibi ſentiens, teſtamenti tabulas Emdæ ritè condidit; quibus in tabulis ita ſcripſit. *Vti liberi, qui diverſis conjugijs nati erant, quæ matrum fuerant, ea primùm ſeorſim haberent: dein ſua omnia æqualiter ex lege partirentur: Imprimis verò hoc de Eſenâ, omníque cohærente ditione uti obſervaretur, quam ipſe ab avunculo Vlrico, qui Wibeti dono eam tenebat, pro ſe ac hæredibus ſuis hac omninò lege donatam acceperat, ut ſuo exemplo hæredes quoque hujus beneficij gratiâ perpetuam fidem ac obſequium beneficij authori, poſteríſque eius Comitibus Friſiæ Orientalis præſtarent.* Ad hæc legata diſtribuit magno numero. Denique ita juſſit, *ut ſi qui fortè ſibi defuncto litem iure moturi eſſent, ijs ius quoque non negaretur.* Poſtremò cuſtodes teſtamenti hujus, ac liberis ſuis tutores nominavit, præter Thedam principem viduam, Hicconem Dornumanum jureconſultum, Heronem Mauritium fratrem ejus, Hicconem Boijngum Godenſem, conſilio ſanè haud abſurdo, ut Dornumanos, quos viros integros noverat, iſthoc modo à repetendâ VVitmundâ averteret. Signatores porro adhibuit Bernardum Abbatem Nordanum, Ioannem Fredowoldium præpoſitum Emdanum, Hicconem Dornumanum, Snelgerum Vphuſanum; advocatique teſtes præter hos Vbbo Pleuverdanus, Alaricus Papenbergius, Haitetus Metſenius. Hoc teſtamento ſcripto paucos poſt dies Emdæ è vitâ deceſſit in arce ad VI Idus Novembr. fidiſſimus ſemper domui Vlrici avunculi, quoad in vivis fuit. Corpus defuncti Eſenam devectum, & in templo illic terrâ conditum juxta ſepulchra uxorum, ut ipſe juſſerat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

colleg
æ reliqui Heroni Mauricio mandarunt : iſque eam integriùs ſanè geſſit,
quàm expediret familiæ ſuæ. Adeò non culpam ſolùm, ſed culpæ quoque ſu-
ſpicionem & calumnias animus rectus & ſincerus procul à ſe abeſſe voluit. So-
luto nuper Trevirenſi colloquio cum Burgundo, Fridericus imperator Colo-
niam deſcenderat, ut litem præſulis Roberti è clariſſimâ Bavarorum domo
cum civitate componeret. Ad eum illic hærentem legati è Friſiâ miſſi. Hi erant
Ioannes Rengerus Poſtanus, Henricus Stoterus jureconſultus ex Groninganis,
Vnico Ripperda Farmſumanus ex eorum ſociis in agro : hiſque poteſtas ſimul
data agendi pro Tranſlavicanis. Mandatum iis, petere ab Imperator ſanctio-
nem libertatis veteris contra Burgundum, confirmationem fœderum pacto-
rumque inter civitatem Groninganam, & finitimum agrum in perpetuum,
item patrocinium Imperij contra vim. Simul injunctum Rengero & Stotero,
ut cudendæ monetæ aureæ indultum pro civitate ſeorſim impetrarent. Qui
cùm Coloniam veniſſent ſuperatis itineris periculis, (Burgundus enim per fra-
trem epiſcopum Vltrajectinum, Cliviæque & Iuliaci Duces, quos habebat in
partibus ſuis, vias omnes Friſiis obſederat) per Comitem Werdenbergium ad-
euntes Imperatorem ampliſſimam primùm in ſpem ſunt erecti. Nam de mo-
netâ promiſſum ſtatim, ſi octo librarum auri facere diſpendium civitas vellet:
eâque de re ſine morâ civitas per litteras facta certior, ut de auro curaret, ſi ne-
gotium cuperet confici. Mox benignè quoque reſponſum de cæteris. Et poſt
dies complures (lentè enim res progrediebatur ob negotia, quæ aulam diſti-
nebant) conceptum ſcriptumque diploma eâ formâ, quam dictaveram ipſi
legati, redactumque in membranam mundam, atque omnibus ſolitis ador-
natum, ſed ſine Imperatoris ſigillo, iiſdem monſtratum, affirmatumque ab iis,
qui ſunt ab epiſtolis & ſecretis, ſolâ Imperatoris occupatione aſſiduâ ſigna-
tionem differri, nec dubium ſibi eſſe, quin primo quoque tempore cum diplo-
mate ipſis domum diſcedere liceat. Sed eodem tempore cùm à ſenatu non pe-
cunia, non reſponſum veniſſet, ad monetam quod attinebat, Ripperda & Ren-
gerus, ſejuncto à collegâ conſilio, occultis actionibus de juriſdictione perpe-
tuâ in parochiis ternis, de vectigali, de cudendâ pecuniâ aureâ, de obſequio ſoli
Imperio ac Imperatori præſtando, pro ſe diplomata ſinguli impetraverant, ea-
demque ſignata ſimiliter non erant. Inde cùm differretur ſpe diutiùs ſignatio,
ſimultas inter Stoterum & collegas oborta. Quapropter cùm reſponſum eſſet
expeditionem rogantibus, ut Imperatorem eodem die (id erat poſtridiè Iduum
Januarij, anno M. CCCC. LXXIIII) Andernacum iturum ſequerentur, ſi ſatis-
fieri ſibi vellent, Stoterus, qui aut inaudierat aliquid de mutatâ aulæ volunta- M.CCCC.
te, aut ſuſpecta habebat collegarum conſilia omnia, ſeque miſcere culpæ eo- LXXIV.
rum non volebat, deſperans de negotii ſucceſſu, Coloniæ maluit ſubſiſtere,
quàm iſtuc porrò cum collegis proficiſci. Cæteri qui non de publico tantùm,
ſed de ſuo quoq; erant ſolliciti, cum archiepiſcopo Moguntino, cujus ſibi gra-
tiam conciliaverant, navem ingreſſi Andernacum aſcenderunt. Illic à triduo
(ut ipſi domum reverſi purgandi ſui causâ retulerunt) cùm omnem intereà
perdidiſſent operam in urgendo negotio, compellato rurſum Imperatoris ſcri-
bâ, ab eo ſic accepêre, non eſſe quòd ſperent impetrari iſto tempore poſſe ab
Imperatore ſignationem ejus, quod petebant: ſed eſſe id differendum in tem-
pus aliud: benignè namque de iſthoc ipſo polliceri etiam nunc Imperatorem, &
promittere, ſubmiſſurum ſe domũ reverſis legatis, quod expedire jam nequeat:
ita nunc illi perſuaſum ab aliis, qui Groninganis nõ benè cupiant. Simul forma
alia eodem à ſcribâ exhibita, haudquaquam reſpondens priori: in quam ſi nunc
placeret diploma accipere, oſtẽdit ille, Imperatorẽ in morâ non futurum: Quod
ſi votis nõ reſponderet, uti tamen eo tantiſper licere, donec de altero etiam res
conficeretur. Tum illi perplexi & hærentes in conſilio cùm libraſſent in utram-
que partem omnia, & bona malis diu penſaſſent, tandem oblatum admiſerunt.

Signatis

Signatis deinde diplomatis omnibus, & hoc, de quo jam dixi, exemplo duplice verbis iiſdem, & ſingulis item de re ipſorum, quarto denique de libertate Tranſlavicanorum, quorum primum & poſtremum ſcripta XIV Calend. Febr. Andernaci, cætera octiduo antè Coloniæ, ſollicitis animis domum ſe legati retulerunt. Intereà Rengerus abſens paulò ante reditum Conſul civitatis erat deſignatus. Qui in conſeſſu Ordinum omnium (erat enim conventus eo nomine indictus, convenerantque ex agro frequentes ob mirificam rei expectationem in fano VValburgico ad actionem hujuſmodi peridoneo) aſſidente collegâ Vnicone, de legatione relaturus, hæſitans & ſibi diffidens, diſſimulatis, quæ ipſi pro ſe ab Imperatore acceperant, de quibus nondum quicquam innotuerat, Fateri ſe, ait, non afferri ſpei atque expectationi conſentientia: ſed non eſſe id culpæ ſuæ. Deinde, commemoratis, quæ acciderant in legatione totâ, & ad excuſationem maximè compoſitis, quo ſtudio ac induſtriâ ab ipſis res acta, quorum gratia verbis, officiis, muneribus parata, quàm amplæ pollicitationes factæ, quouſque negotium perductum, quâ ratione, quàm levi momento, uno inopino reſponſo & ſpes & res viciſſim everſa; non eſſe dixit mutatæ fortunæ hujus cauſam aliam, quàm quòd obtrectationes & corruptelæ incertis autoribus intervenerint: Sic enim & ſcribam Cæſaris apertè eſſe profeſſum, & à ſe tam manifeſtò re ipsâ deprehenſum, ut dubitandi locus non ſit reliquus; id verò quo minùs fieret, ſe præſtare nequiviſſe. Cùm autem offerret aula, quæ jam ſecum ferant, in maximâ quidem perplexitate conſilij initiò ſe fuiſſe, ſed repudiare tandem non eſſe auſos: Nam Imperatoris & totius aulæ offenſam metuiſſe cùm nunquam contemnendam, tùm iſto potiſſimùm » tempore formidabilem: Sic enim principum virorum naturam ferre, ut ſi rejicias, » quod offerunt, eos in te irrites, & pro benevolentiâ odium merearis: Cogitaſſe, ſi prodeſſe diploma non poſſit, ne obfuturum quidem, atque hoc interim boni » ſecum tracturum, quod ſternendæ viæ beneficio majori queat eſſe: Sapientum » verò virorum eſſe, cùm conſequi non poſſunt omnia, quæ volunt, non ſtatim » ea, quæ poſſunt, ſimul rejicere, atque in diſcrimina ſe præcipitare: reputaſſe à Burgundo pericula, ſi eſſet vulgatum, nullâ re confectâ legatos domum rediſſe: id enim & animos ac ſtudia aucturum ei, & populo ſociiſque minuturum, illi irritamento ad audendum, his occaſioni ad deſperandum futurum: Denique juratos ſeſe profiteri, ita tum planè perſuaſum ſibi fuiſſe, utilius reip. eſſe hoc tempore, qualecunque oblatum recipere quàm repudiare. Quòd ſi ſecus Ordinibus videatur, integrum iis ſtatuere, quod eſſe è rep. exiſtiment: Hoc modò rogare, ne quid imputent ipſis: ſe fidem omnem & diligentiam præſtitiſſe, & præter detrimenta rerum privatarum cum periculo quoque vitæ in legatione eſſe verſatos: Suadere verò & hortari, ut, quomodocunque judicaturi de diplomate ſint, palam tamen præ ſeſe ferant, in omnibus ſibi eſſe ab Imperatore ſatisfactum: Sic enim futurum, ut nec Burgundus moliri, nec quiſquam alius in has regiones affectare imperium audeat. Recitato dein diplomate, exempliſque collatis inter ſe, iis animis diſceſſum tum fuit, ut è re nec laudem nec crimen legati retulerint: alterumque diplomatis exemplum oppidanis, agrariis alterum relictum. In eo Imperator regionem Friſiæ inter Amaſum & Lavicam antiquitus liberam, & nemini præterquàm Imperio parentem cum omnibus, quas includit, arcibus, oppidis, foris, caſtellis, vicis, ditionibus, jubet eâdem in conditione manere, fœderaque & pacta cum ſenatu populoque Groningano in annos aliquot præſidii causâ inita ſalva retinere, teſtaturque in tutelam imperij ac ſuam ſe eandem recipere, nec impunè laturum, ſi quis turbas ei movere, aut vim injuriámve inferre præſumpſerit. Nec diſſimilis ſententiæ aliud fuit, quod Tranſlavicanis datum: Groningenſium tantùm & fœderum cum iis nulla illic mentio. Hoc modo tum res iſta conquievit.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XXVII.

INTER hæc Oldenburgicus ſui ſimilis, eodem juvante Siricio, diurnis nocturniſque populationibus minutis rurſum intendere, incurſare, prædas agere, homines deprehenſos in cuſtodiam trahere. Quibus incommodis M.CCCC.LXXIV. excitati maturiùs Ordines Friſiæ Orientalis ſub auſpiciis Thedæ arma capiunt: Herone Mauricio Dornumano duce Reepſholtum invadunt, fanumque, quod pro caſtello everſo Siricius rurſum munierat, dedente ejus fratre Wiardo homine notho, cui non benè tum fortè cum Siricio conveniebat, primo ſtatim impetu occupant: tum turrim firmiſſimi ac latè conſpicui operis accubantem fano, ne præſidio impoſterum inimicis eſſet, faſtigio nudatam diruunt, atque in iis, quæ etiam nunc apparent, ruinis relinquunt. Altera hæc clades fuit, quam ſacræ ædes illius loci religione quondam percelebris pertulerunt: Nam ex duobus, quæ iſtic majorum ſuperſtitio perilluſtria ſtruxerat, id quod altero majus & magnificentius fanum inſoliti ſplendoris, multò antè, incertum quibus autoribus, quóve caſu, everſum fuerat. Tum Theda ad pontem, qui rivo Friburgico in Iadam defluenti impoſitus eſt, caſtellum militare in Siricium erigit, ac præſidio munit. Intereà Oldenburgicus omnibus vicinis prædandi libidine terrâ mariqueque pariter infeſtus plures etiam in ſe hoſtes concitaverat. Quorum princeps Henricus Suartſburgicus, epiſcopus duarum diœceſium, ut ſuos ab injuriâ tueatur, inſtauratâ cum civitatibus vicinis armorum ſocietate, cum Thedâ quoque & Friſiis fœdus ejus belli gerendi causâ percutit. Mox copiis paratis, præſidium, quod Viſurgi fluvio Gerardus Bremenſium vexandorum gratiâ impoſuerat, loco dejicit, & vallum ſolo æquat. Indè Herpſtedam arcem ejuſdem capit, captæque militem imponit. Eodem tempore Friſii quoque ex fœdere, ductis in agrum Oldenburgicum copiis, huc illuc populabundi vadunt, tandemque ad ſocios percurſantes Ammerlandiam perveniunt. Tum omnes conjunctis exercitibus ſimul Oldenburgum caput regionis petunt, atque omni vi urgent, oppugnant, obſident, Sole ſub Leone fervente: fuiſſentque eo potiti, niſi vicinorum Comitum & epiſcoporum, Tekenburgici, cujus ſoror in matrimonio erat Gerardi, Hojenſis, Oſnabrugici, Verdenſis ſtudio & precibus, qui omnes repreſſum Gerardum, quàm penitus everſum malebant, induciæ fuiſſent cõciliatæ, & dies colloquio dictus. Ad quem cùm non veniſſet Gerardus, dilata res in conventum alium. In eo acceptâ vafrâ Gerardi excuſatione, induciæ tantũ prorogatæ ad paucas ſeptimanas. Sed & has, diſſipatis ac deductis hoſtilibus ab cervice ſuâ copiis, ita coluit idem, ut à bello aperto parùm differre viderentur. Id verò facinus ne mox vindicaretur, graviſſimi belli motus in Germaniâ faciebat, quo omnium animi arrecti perculſique erant. Etenim Carolus Burgundus turbandæ Germaniæ avidus, cùm duo inter ſe de epiſcopatu Colonienſi principes competitores è clariſſimis Germaniæ familiis Robertus Bavarus, & Hermannus Heſſus contenderent, à Bavaro in auxilium vocatus Noveſium oppidum ad Rhenum quinis infra Coloniam Agrippinam milliaribus, quod in partibus Heſſi erat, circiter

VIII Calend. Auguſti numeroſiſſimo cum exercitu obſidione cinxeret, ſummâque vi obſeſſis imminebat. Eo quippe capto oppido, cuncta ſibi per Germaniam fore proclivia pollicebatur. Sed ob præſidium, quod ipſo duce Heſſo oppido inerat, & auxilia commeatuſq; à Colonienſibus ſociis ſubmiſſa, plus in eâ re difficultatis reperit, quàm expectaverat. Quapropter, ut erat cœptorum pertinax, longum obſidium inſtituebat, ut tempore frangeret, quos impetu non potuiſſet. Imperator Fridericus, qui à primo ejus motu edictis in eum pugnaverat, cùm non ſatis his ſe proficere cerneret, ad arma omnes Imperii ordines vocavit, magnoq; exercitu coacto, etiam ipſe tandem circiter Calend. Novembr. ad Rhenum acceſſit. Eum ſecuti ſunt illuſtriſſimi in Germaniâ principes, prudentiâ ac virtute militari eminentes, Erneſtus & Albertus Saxones fratres, Albertus Brandeburgicus, Ludovicus & Albertus Bavari, Sigiſmundus Auſtriacus, Chriſtophorus Badenſis, Henricus Heſſus Hermanni frater, Moguntinus, Trevirenſis, Argentinenſis, Spirenſis, Wormatienſis, Monaſterienſis epiſcopi. Qui cùm Andernaci caſtra haberent unius ferè diei itinere ſupra Coloniam, Româ fortè rediens Chriſtianus Daniæ, Sueciæ, Norwegiæque Rex, Gerardi Oldenburgici germanus, magnis itineribus ex Holſatiâ ad Rhenum quoque profectus conciliandæ pacis ſtudio, compellato primùm Burgundo, animoque ejus tentato, deinde in caſtra ad Imperatorem venit cum Pontificis legato Alexandro Forolivienſi epiſcopo, & poteſtate agendi utrâque à parte acceptâ nihil non conatus eſt, ut bellum dirimeret. Id enim ſi conficeret ad famam ſibi non minùs amplum ac glorioſum fore putavit, quàm ſi ingens ipſe bellum victricibus armis patraviſſet. Sed ſtudium, labor, ſumptus ei irrita fuere ambitione Burgundi, qui aliud animo deſtinatum habebat. Itaque dolens & gemens conatum abrupit, & domum rediit. In hoc itinere comitem habuit in magno procerum numero fratrem quoq; ſuum Gerardum: qui cum Carolo cõgreſſus, contempto fratris Regis cõſilio, ſecretò cum eodem quamvis Imperii Germanici hoſte fœdus in Friſios percuſſit. Commodum enim Burgundo videbatur bellum Friſicum meditanti, per hominem idoneum, turbidum, inquietum, ferocem armis gaudentem, aſſuetumque, idoneo loco ſedes habentem, in Friſios odio pluſquàm capitali laborantem, diſtinere gentis vires, & mutuis auxiliis ejus impedimentũ injicere; denique ſi uno tempore ſummis viribus debellare gentem non poſſet, ſaltem laceſſendo & vexando ab omni parte ſenſim attritam fractamq; ad imperium ſuum ſubeundum adigere. In fœderis carmine prolixo *Carolus univerſam Friſiam non ſolùm eam, quæ ad Occidentem Amaſi eſt uſque in Flevum, ſed etiã quæ ad Orientem, quam tum filiorum nomine Theda regebat, iure hæreditatis ſuam eſſe aſſerit: Gerardum ſtipendio annuo autôrat, & ſacramento per arcto ſibi devincit, & ad obſequiũ fidémq; in omnes caſus obligat, & ad militandum in hoſtes quo ſuis obſtringit.* Cætera ſic: *Si Burgundus totis viribus Friſiam invadet, & bellum in eam geret, Gerardus omne robur ſuum, & ſuorũ convertito in partes eius Orientales, nec minus quàm ſexcentos equites, quater mille pedites in ditionibus ſuis conſcriptos ſub ſignis habeto; & his addito, quantum poterit numerum, ab amicis & vicinis confectum; bellúmq; gerito impendio proprio, & ſubacta imperio Burgundico ſubijcito. Friſiâ Orientali ſubiugatâ, ſi res poſcet ad conficiendum Tranſlavicanis bellum bis mille armatos navibus iſtuc tranſportato, & ſuis ſtipendijs alito per bimeſtre: reliquo tempore, ſi erit opus, ex ærario Burgundico ſtipendia in eos accipito. Sin aliud fortuna Principis tulerit, ut bellum totis viribus in Friſios ab eodem geri non poſſit, recipit Princeps, ſexcentos ſe milites ſine impendio ipſius Gerardo ſe daturum in menſes ſex proximos, ad infeſtandos atterendóſque incurſibus & iniurijs oportunos; & tempus hoc eâdem conditione ampliaturum pro commodo ſuo, aut rerum ſucceſſu. At militibus revocatis, ſi quid opibus & viribus ſuis occupaturus ſit Gerardus, id nihilominùs ſibi tradendum, ſuíſque rebus adſcribendum Princeps poſcit, ſed impendia ſe Gerardo ſoluturum bonâ fide pollicetur: Et ut Gerardo expeditior ratio ſit belli gerendi, promittit cum epiſcopo Monaſterienſi acturum ſe, ut eum ipſi pacatum reddat: aliáque addidit eius generis: denique ſic conveniſſe ait, ut universâ Friſiâ Orientali imperio Burgundico ſubactâ, Mormeria, Auricana,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ricana, & Ieverana regio (quam totâ Oſtringiâ, Wangriâ, Ruſtriâ Gerardus metiebatur) propterea quòd Gerardus affirmet, quondam Oldenburgici iuris eas fuiſſe, eidem Gerardo id ritè probanti cedant in feudum, ſupremum verò ius earum ſibi domuíque Burgundicæ maneat. In has leges ſignatum fœdus in caſtris ad Noveſium die III Calend. Decembris anno M. CCCC. LXXIV. Eo fœdere obligatus, manſit Gerardus in caſtris Burgundicis, Imperioque Germanico, cujus in fide erat, hoſtem ſe geſſit. Burgundus confeſtim, ut promiſſo faceret ſatis, litteras & legatos ad Henricum epiſcopum miſit, atque ab eo contendit, ut litem cum Gerardo componeret, ablata ei reſtitueret, ab armis inpoſterum abſtineret, amicitiam cum eo coleret. Et hæc imperioſiùs, quàm epiſcopi ſublimis animus concoquere poſſet. Itaque reſponſum ab hoc æquè ferociter, non ſolùm non reſtiturum ſe hoſti perfido, quod armis jam partum erat, ſed ipſi quoque Burgundo hoſtem venturum, ni Noveſio abſcederet. Erat enim tum conficiendis copiis intentus, quas ad Rhenum adduceret, alacris & promptus antè omnes, qui ex proximo Germaniæ tractu in eam ſe militiam accingebant. Interea verò in Wangris è vitâ deceſſerat Alco Inhuſanus, & apud Farmſumanos Vnico Ripperda. Poſt cujus mortem cœpit occulta invidia ſerpere contra collegam ejus Rengerum, quæ circiter Decembris initium palam tandem in caput ejus erupit. Siniſtræ contra honorem ejus ſuſpiciones animis plebis ſubiici, crimina varia ſpargi, quaſi monſtri aliquid in perniciem civitatis aleret, vel conſcientiæ angore fugam meditaretur. Quapropter occultæ primùm, deinde manifeſtæ excubiæ à plebis rectoribus ei appoſitæ, voces probroſæ in eum hic illic jactatæ. Cujus ignominiæ impatientiâ ipſe, qui tum in Conſulatu ſenatus præſes erat, ſenatum, concilium juratum XXIIII-virûm, & ſocietatis plebis convocat in curiam: ibi purgandi ſui causâ in autores ſparſorum criminum inquirit, & de omnibus nominatim Stoterum præſentem, à quo primùm ſubjecti rumores ferebantur, percontatur ex ſcripto, atque ità rem agit, nihil agnoſcente Stotero, ut manifeſta ejus innocentia videretur: tum deprecans pro Stotero plebs, qui periculo videbatur exponi ab irritato & irato Conſule, non antè deſtitit urgere & rogare offenſum, quàm coram omnibus data venia, junctiſque dextris cum eodem rediret in gratiam. Hinc excubiæ miſſæ, Stoterus invidiâ facti conflagrans, aut ſponte ſuâ, aut magiſtratuum edicto non multò pòſt civitate exceſſit. Alconem autem in VVangris defunctum anno proximo M. CCCC. LXXV M.CCCC. LXXV.
Lubbo Onconius Cnipenſis, ejuſdem ſororius, in Ruſtris eſt ſecutus circiter Calend. Maij. Fuerat is in Ruſtriâ Tranſiadanâ Oncone patre natus apud Langowerdios, uti ego accepi, eorum, qui Ieverâ potiti ſunt, ob communem ſanguinem perpetuus & fidus ſocius, & per eos divites nuptias cõſecutus Reinoldæ Sibeti ſororis, neptis ex filiâ Edonis VVijmconij ſenioris. Ex eâ verò filium ſuſtulerat unicum Edonem Banthanum vulgò nuncupatum, parentem Sibeti, tum adhuc admodum adoleſcentuli, & Reinoldæ junioris, itidem tum in ætate tenellâ, ſed quæ fratri ſuperſtes hæreſq; fuit. Verùm Reinoldâ mortuâ cõjugem idem Lubbo duxerat Bindelefam Alconis Inhuſani germanam, ex eáque alterum filium genuerat Iconem magnis caſibus poſtea jactatum, de quibus dicendum nobis ſuo loco. At Lubbo impenſiùs juniorem filium quàm majorem diligens, & in amorem Bindelefæ uxoris projectus cùm in morbum incidiſſet, qui vivendi ei finem fecit, id quod meditatus fuerat diu, conditis teſtamenti tabulis de rebus omnibus ſuis inter liberos diſpoſuit. Quarum tabularum argumentum, quia de rebus iiſdem magnæ poſtea controverſiæ & contentiones extitere, ſi recitavero ſummatim, non alienũ ab officio meo me facturum exiſtimo. Sanciit igitur ſic: Filii duo hæredia Tranſiadana & Stadlandica dividant inter ſe æqualiter: Ieo ſolus Cnipenſia omnia habeat, teſtatori quondã à viduis duabus donata, cum aliis cunctis mobilibus & immobilibus ubicunque locorum ſitis: exceptis legatis non magnis, nepoti & nepti ex filio Edone aſſignatis. Poſt

ſanctionem hāc ſanctiſſimis verbis porrò teſtator affirmat, nihil rerum Reinoldæ prioris conjugis ſuæ ſe ſibi retinuiſſe exceptâ unicâ phialâ aureâ pectorali: cætera reſtituiſſe. Edonem verò Ieveranum cognatum ſuum obteſtatur, ut pari fide, & conſtantiâ, quâ ipſe in omnibus caſibus adſtiterit, parenti amiciſque illius, adeſſe uxori Bindelefæ, & filio Iconi in rebus juſtis ac honeſtis, & teſtamenti hujuſce vindicem & executorem ſe præſtare velit. Et hæc ſic ſcripta ſignataque VI Calend. Maij. Sed Edo Ieveranus an teſtamenti tutelam, ut in calce ejus in eventum ſcriptum fuit, in ſe receperit, teſtamentoq; ſubſcripſerit, mihi non eſt cognitum. Sub idem ferè tempus Friſii etiam ab Imperatore excitati per litteras ad ferenda in Burgundum auxilia, contra quem ipſi nuper opem Imperatoris rogaverant. Ex his Groningani Ioannem Fredowoldium præpoſitum Emdanum, & Martiniano in fano Groningæ ſacerdotio præditum, virum prudentem, & maximæ authoritatis ac gratiæ apud omnes ordines cis Amaſum, permittente Thedâ, cui à conſiliis intimis erat, ad eundem Cæſarem legarunt: Per hunc petebāt, ut ſi cum Burgundo pacis aut induciarum actio ſuccederet, ipſi cum ſociis in agro quoque includerentur: Ad hoc de ſignando auro, quod deſertum nuper erat, rurſus urgebant: denique experiri volebant, an'ne, quod ſine ſigillo diploma in aulâ remanſerat, poſſent impetrare. Erant enim oppidani ejus percupidi, propterea quòd de fœdere, quod erat inter ipſos & agri ordines percuſſum in decennium, ſervando in infinitum ſanctionem, tanquam edictum perpetuum, habere diceretur. Fredowoldio benignè audito, & de iis, quæ petebat, optimè ſperare juſſo, Imperator ipſe fruſtratus expectatione ſocietatis Gallicæ, augendoque exercitui ſuo intentus, evocato Monaſterienſi, & cæteris, quos parare ſe juſſerat, ad Groninganos rurſus ſcribit, facturum ſe, quod per legatum rogarent: ſed poſcere viciſſim, ut auxilia pridem poſtulata in Burgundum maturarent, & quàm ocyſſimè ad epiſcopum Monaſterienſem militiæ ducem mitterent. Groningani, qui jam ei ſe rei paraverant, pecuniamque collegerant, ac militum aliquid conſcripſerant, recitatis in conventu agrariorum ordinum his litteris, ad Monaſterienſem Idibus Martij ſcribunt, paratos eſſe ſe obſequio Imperatoris: expectare modò, ut ſignificet ipſe, quo loco & tempore adeſſe ſibi copias velit. Simul Imperatorem quoque & præſulem Moguntinum de diligentiâ & promptitudine ſuâ edocent, eoſque rogant, ut ad acuenda vulgi ſtudia quàm celerrimè Fredowoldium expediant. Erat verò tum in procinctu Monaſterienſis, militiæ dux ab Imperatore deſignatus, fervente imprimis ſtudio, & gloriæ cupiditate incenſus, & proximo, quod imminebat ab Burgundo, periculo: habebatque in armis florentiſſimas & validiſſimas militum copias, peditum equitumque ad octo millia, in vicinis regionibus conſcriptas, in quibus Friſii quoque erant magno numero, quos vel Theda Groninganique ad eum mittebant, vel ipſe per homines ſuos ære publico inautoraverat. Qui cùm ad Rheni oram quoque acceſſiſſet, addeſſentque cum ſuis duces cæteri, initio menſis Maij exercitus omnis LX millium armatorum Coloniâ promotus, non longiùs uno milliari à caſtris hoſtilibus conſedit. Fames quippe Noveſianos urgebat, eóque res ipſis reciderat, ut niſi ſubſidio veniretur maturè, deditionem diutiùs differre non poſſent. Illic cùm minoribus prœliis certatum eſſet aliquoties, conſpicuâ Monaſterienſis virtute, omniumque animi ad confligendum de rerum ſummâ eſſent erecti, ſubitò præterq; opinionem ſtudio legati Pontificij induciæ primùm die IX Calend. Iunij conciliatæ: mox pax facta, Noveſium obſidione levatum, copiæ Imperatoris à ſignis dimiſſæ, Burgundi aliò traductæ. Pacis conditio potiſſima, inter Maximilianum Auſtriacum Friderici Imperatoris filium, & Mariam filiam unicam Burgundi, conjugii ſponſio. Colonienſis controverſia judicio Pontificis permiſſa: Imperii civitates & populi omnes, atq; ita etiam Friſii pactione comprehenſi. Cætera Fredowoldio in mandatis data, tum non confecta. Id factum

morte

morte legati in ipsâ legatione defuncti, an eorum, quibus id gratum non erat,
interceſſione occultâ, an quâ aliâ causâ, mihi ignotum. Fredowoldio quidem
actorum ſupremum ea legatio fuit. Vixdum domum Noveſio redierat Ol-
denburgicus, cùm novis tumultibus & ſe & vicinos ſuos rurſum implicuit.
Prima in Friſios ei arma ſumpta, contra quos præter inſitam animi libidinem
& προαίρετιν ex recenti fœdere Burgundico, etiam tum non iniquam ſe habere
cauſam arbitrabatur. Ea ex Siricij Freburgij obitu, & rebus ab eo relictis pro-
veniebat. Etenim Siricius Vlrici domui infenſus, & propter eam propinquis
etiam ſuis non benè volens, Oldenburgicum relinquere rerum ſuarum hære-
dem jam dudum conſtituerat. Sed verſutus etiam ipſe, & ingenii illius nõ recti
gnarus, quamdiu tamen viveret, haud ſeſe committere fidei ejus etiam morbo
deficiens audebat. Quapropter ingraveſcente morbo, quo conſumptus eſt, fi-
lio ſpurio & miniſtris in mandato dedit, ut ſimul ac ſe deficere cernerent, præ-
fecto Nienburgico conſilii conſcio celeriter id ſignificarent. Extincto verò Si-
ricio, cùm hoc illi feciſſent ſine morâ, mox pœnitentiâ ducti, quod arbitra-
rentur, non parvo malo communis patriæ eam rem futuram, (Friſij enim ple-
rique omnes erant) & quod filius contra natales aliquid ſperans ſibi quàm Ol-
denburgico parare arcem mallet, haberetq́ue ex præſidio non paucos à ſe non
alienos, mutato conſilio, advolanti cum expeditis equitibus & peditibus Nien-
burgico, ſeptum ligneum viæ impoſitum, quâ ex Oldenburgicis venitur, ob-
jecerunt, inopinantemq́ue & fruſtra indignantem aditu prohibuerunt. In-
tereà per eos, qui reip. Friſicæ, quiq́ue propinquis Siricij è præſidio ſtudebant,
ad Thedam principem viduam & Tiardum ſacerdotem Auricanum, qui
proximè contingere defunctum putabatur (erat enim è fratre ejus nepos) cæ-
teroſque agnatos Cankenios & Sudenburgios res enunciata fuit: monituſq́ue
imprimis Tiardus, ut hæreditatem capeſſere, dum integrum eſſet, matura-
ret. At ille torpens animo, jurive aut viribus diffiſus ſuis, aut conſultò ob ſa-
crum ordinem rebus profanis abſtinens, ad Thedam confeſtim rem retulit,
ut patriæ ac liberorum fortunis conſuleret admonens: Simul verò & Hero-
nem Mauricium proximum agnatum, qui Eſenam & Witmundam tutor in
poteſtate tum habebat, miſſis ad eum iiſdem illis, qui ad ipſum hac de cauſâ
venerant, hortatus eſt, ne ſuum familiæq́ue jus in vendicandâ arce neglige-
ret. Re cognitâ, Theda non ſegnis ingenij fœmina nihil cunctata, conatuum
Oldenburgicorum metu, cum iis, quas ſubitò parare poterat è proximâ vici-
niâ, copiis, Freburgum contendit: reliquos ſubſequi juſſit. Eodemq́ue tem-
pore Hero Mauricius quoque cum ſuorum manu aliquâ adfuit; Et miſſa eô-
dem ex Ieverano agro auxilia è fœderis formulâ biennio antè contra Olden-
burgicum percuſſi. Illic in caſtris, priuſquàm arx in poteſtatem redigeretur,
Theda cum Herone agere cœpit, ut ſibi jus Freburgicum armis vindicandum
in reip. commodum cederet, æquo pretio. Vulgò creditum, non recuſaſſe
Heronem, partim quòd jus aliquod publicum populi in eam arcem eſſet, par-
tim quòd amantiſſimus reip. & Comitum ſtudioſiſſimus eſſet, adeóque vires
Oldenburgicas, quibus ſe parem eſſe non poſſe intelligebat, formidaret; poſtre-
mò, quòd cõditiones propoſitas non eſſe iniquas arbitraretur. Verùm res con-
fici integra, & de conditionibus tranſigi ſtatim non potuit. Intereà Folcherus
(hoc nomen erat Siricij filio) quíve ex præſidio aliò ſpectabant, cùm fruſtra ſe
niti viderent, contra tantas obſidentium opes, ineſſentq́ue in præſidio etiam
non pauci, qui obſidentibus ſtudebant, deditionis conſilium cepêre: In dedi-
tione ita convenit, ut præſidiarij omnes cum rebus ſuis incolumes dimitteren-
tur, accipérentq́ue ſtipendia, quæ iis ab eo tempore, quo in arce fuerant, debe-
bantur. Deditione factâ, & ſolutis ſtatim à Thedâ ſtipendiis, arx Heroni Mau-
ricio commiſſa intereà donec de conditionibus conveniret, aut eæ, quæ dictæ
probatæq́ue jam erant, implerentur. Et ſic quidem hac de re Egericus Grimerſ-

hemius. Alii ſecus, ac melius: Siricium licet odio Vlrici & liberorum ejus, mul-
torumque nobilium Oldenburgico diu eſſet uſus amico, ſæpeque avido ſpem
feciſſet, non tamen inducere in animum potuiſſe, ut traditâ tam oportunâ
arce in perniciem ſummam patriæ eum armaret: arcem verò, quanquàm ſo-
rorium & ſororis liberos haberet, (ſororius erat Egerus Cankenius Tannone
Witmundano natus, quieto admodùm & pacifico ingenio vir, ut & liberi
ipſius) poſthabito quoque Tiardo ex fratre nepote ſacris initiato, Heroni Mau-
ricio Dornumano propinquo, quem ex omni nobilitate Friſicâ ejus temporis
maximè probabat, in extremis ſuis legaſſe: Oldenburgicum velut hiantem
corvum deluſum, dum hæſitat præſidium, ac dubitat, cui gratiam faciat, dum
ſtipendium poſcit, dum poſſeſſio arcis fluctuat, inſidias eſſe meditatum, quin-
imò ad vim ſe comparaſſe: ſed Friſicam nobilitatem, omnemque populum
patriæ periculo motum, auſpiciis Thedæ magno ſtudio illuc accurriſſe, præſi-
dioque, quod in arce cum filio Siricij erat, ad debitionem promiſſis miniſque
compulſo, arcem Heroni, cui legatam intelligebat, tradidiſſe: Heronem aliquot
per annos, quanquàm cum eo de ceſſione ſedulò ageret Theda, tamen ut ſuam
poſſediſſe: cætera Siricij ſtatim ad ſororium & nepotes perveniſſe. Hac re incen-
ſus Gerardus, domum à Burgundo reverſus, velut juſtam belli cauſam habens,
confectâ celeriter manu militum, & ſubditis magno numero ad arma voca-
tis, eodem, quo priùs, loco per paluſtria Lengana Friſiam ingredi parat, ſibique
in certiſſimam prædam deſpondet. Omnia hæc ſummo ſilentio adminiſtrat.
Sed fallere tamen vigilem Siweconis Lengani animum non potuit. Is enim
qui animum ejus noſſet, in omnes partes intentus, per exploratores acceperat,
quid in agro Oldenburgico pararetur. Nec dubitans in ſe procellam effuſum
iri, confeſtim ad Haijonem Stichuſanum, de quo diximus priùs, ſcripſit, ut
quotquot omninò ſine detrimento rerum ſuarum poſſet, fortiſſimos quoſque
ſuâ è præfecturâ, & hoſtium Oldenburgicorum gnaros ilicò per noctem ad ſe
mitteret, omneque ſtudium adhiberet, ne quid hujus rei ab hoſte ſentiri poſſet.
His auxiliis ſine morâ acceptis (nec enim deeſſe patriæ, ac amiciſſimo homini,
quo eum ſemper officiis in remp. certabat, Haijo voluit) idoneo loco, quò iter
facturum hoſtem acceperat, occultus conſedit. Quem ad locum cùm Gerar-
dus cum exercitu perveniſſet, ſubitò in eum exortus, ut ſolet in rebus inopinatis
accidere, agmen ejus univerſum vehementer conturbavit, magnâque cæde
editâ cùm fruſtrà reſtituere ordines Oldenburgici conati eſſent, perculſos om-
nes in fugam compulit. Nec multum ſanè abfuit, quin ipſe Gerardus, dum fu-
gientes retinere ſatagit, interciperetur. Capti tamen multi ſunt non ignobiles:
in quibus ipſius Gerardi filius Adolfus, animoſus juvenis. Iſque Berumum in
cuſtodiam miſſus, nec ante finem ejus belli ex eâ liberatus fuit. Sic à Friſiis
cum detrimento rejectus, in Bremenſes ſe Gerardus vertit, & magno labore
& ſtudio arcem contra eos erexit in orâ Huntæ fluminis ad Elfﬂetum celebrem
vicum, impoſito præſidio. Ei nomen ab invisâ propinquitate dedit. Sed &
hoc præſidium non multò pòſt, expugnatâ arce, vi captum à Bremenſibus &
M.CCCC. magnâ parte gladio percuſſum eſt. Anno poſtero M.CCCC.LXXVI, cùm Gerar-
LXXVI. dus ab inſtituto vexandi vicinos deſiſtere nollet, epiſcopus Henricus Swartz-
burgicus conjunctis Monaſterienſium & Bremenſium copiis, quas etiam ma-
nus vicinorum Friſiorum ſequebatur, in agrum ejus denuò hoſtiliter incurrit.
Cumque Ammerlandiam omnem latè eſſet deprædatus, vicos etiam quoſ-
dam terroris causâ incendiſſet, & Raſtedam cœnobium diripuiſſet, domum
cum prædâ ampliſſimâ regreſſurus, dicitur Bremenſes monuiſſe, ut ſecum po-
tiùs itinere tutiore, ex hoſtico ſe recipere, quàm per compendia viæ ſed non
ſine periculo rectâ domum contendere vellent: Sed Bremenſes multitudine
fretos, deſpecto conſilio ejus, relictis ſociis per agrum Stedinganum iter inten-
diſſe, omni genere prædæ, quam vel corporibus ſuis ferebant, vel plauſtris
vehe-

vehebant, graves. Quod cùm Gerardus, qui ſolertiſſimo ingenio erat, per indicium accepiſſet, temeritate eorum in ſuum commodum uſurus, cum iis, quos ex oppidanis ſuis & ruſticis circum ſe paratos habebat, reliquis ſubſequi celeriter juſſis, ſummâ contentione præeuntes ſequitur: Ità ad Gelnam vicum agri Stedingani eos aſſecutus loco anguſto in paluſtribus longo agmine incedentes cum paucis primùm ipſe à latere aſſultans invaſit: mox reliquis auxiliis advenientibus graviter cecidit, omniq́ue prædâ & impedimentis exuit, tormenta eorum XV cepit. Occiſi feruntur è Bremenſibus Iↄ: major etiam numerus, cùm effugere non poſſent, captus, & Delmenhorſtum in cuſtodiam abductus. Hanc victoriam inſolenter jactare Oldenburgenſes, & falſa veris miſcendo, ſupra modum deprædicare ſolent. Indidem protervior quoque jam & ferocior Gerardus. Verùm non multò pòſt, autoribus Conrado Deepholdio epiſcopo Oſnabrugenſi, & Bertholdo epiſcopo Verdenſi, aliiſq́ue vicinis, colloquio Quakenbruggæ inſtituto, pax decreta, & Bremenſium captivi, ſolutis decem auri libris, à Gerardo dimiſſi ſunt. Sed pacem certam & diuturnam à Gerardo ſperare haud licebat. Nam præterquàm quòd ipſius animus otii & æquarum conditionum impatiens erat, à ſuis etiam nonnullis, qui longâ prædandi conſuetudine alienis abſtinere non facilè poterant, & libidini ejus perquàm commodi miniſtri diu fuerant, incitabatur. In his primi erant, Ioannes Mandeſlous genere nobilis, & Aſpelcampius. Ii primâ violatæ pacis invidiâ Gerardum abſolventes, velut ſuis conſiliis uſi, anni ſequentis primo vere, omnes in circuitu vicinos denuò injuriis laceſſiverunt. Sed aperto bello aut juſtis copiis tamen eo anno ac triennio quoque proximo illuc non certatum. Cujus cauſam fuiſſe reor Adelheidis Tekelnburgicæ, quæ in matrimonio Gerardi fuerat, obitum. Hic enim caſus non tam luctu ſuperſtitem maritum perculit, quàm in graviſſimam contentionem cum filiis conjecit. Quæ cùm longiùs procederet, velut invidiæ æſtui ceſſurus in Scotiam, ad ſororium Iacobum Stuartum Regem navigavit, atque aliquandiu apud eum manſit: Quanquàm videam id Hamelmannum, neſcio quâ fide, ad tempus poſterius poſt captum ab epiſcopo Monaſterienſi Delmenhorſtum referre. Quæ dum in Friſiâ poſt Noveſianam obſidionem variè turbarentur, Carolus Burgundus gloriæ quærendæ causâ arma paſſim circumferens, ab Helvetiis bis ingenti clade correptus, amiſſis duobus maximis exercitibus, maximâque gazâ, quam oſtentandæ magnificentiæ gratiâ ſecum vehere ſolitus erat, hoſtibus relictâ, multum ſuperioris gloriæ ac nominis perdiderat.

M.CCCC. LXXVII.

Poſtremò, anno M. CCCC. LXXVII, quo Adelheidis Gerardi uxor deceſſit, cùm reparare fortunam oppugnato Renato Lotharingiæ Duce niteretur, ab iiſdem Helvetiis, quos Lotharingus magnis ſtipendiis in auxilium exciverat, non procul Nancejo oppido, quod tum fortè obſidebat, in acie eſt occiſus, relictâ unicâ filiâ Mariâ, magnarum opum hærede. Sed mors ejus multos mortales, imprimis verò viros principes diu ſollicitos habuit, cùm diverſis rumoribus vera aut falſa ferretur. Tum nuptiæ inter Mariam & Maximilianum vix tandem confectæ. At verò Ioannes Gerardi Oldenburgici filius natu primus, quem & inſitum Friſicæ gentis odium, & dolor capti fratris, averſique nuper Freburgi, præter reliquas ſuorum clades non minùs quàm patrem ipſum urebat, (erat quippe excelſi animi juvenis) à diſceſſu patris, quieſcere Friſios non patiebatur. Et in eum finem Nienburgum arcem, cujus munitiones pater octo ante annos ſtructâ validâ turri primùm ceperat, excitare integram à fundamentis, & validiùs communire inſtituebat, ut præſidium eâ in parte contra Freburgum, vicinamq́ue Friſiæ oram eſſet. Hunc aſſiduò aſſultantem uti reprimeret Hero Mauricius, publico patriæ nomine paratis copiis, Freburgo digreſſus, quam tum arcem adhuc tenebat, in fines Oldenburgicos irrupit. Verùm Ioannes majoribus copiis inopinatò occurrens viâ Nienburgicâ, acri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

pugnâ eum exceptum in anguſtias redegit. In quâ dum fortiter prælium miſcet, turbatamque aciem reſtituere nitens voce pariter & exemplo præit, cæſis circum ſe plurimis, multis etiam captis, reliquis, quà quiſque poterat, fugâ dilabentibus, ipſe quoq; circumventus in poteſtatem hoſtium vivus venit Sic improſpera domui ejus ſemper contra Oldenburgicos quodam fato militia fuit. Captivus Oldenburgum in cuſtodiam miſſus eſt. Sed ante ea iterum Groningæ in Rengerum ſuſpicio & ſermo ſiniſter. Ejus fraudem eſſe, quòd de pactis ad certos annos reſtrictis, & ſimilibus in diplomate ſit ſcriptum: pro confirmatione fœderis infirmationem eſſe quæſitam, munita loca ſtruere, nundinas aut mercatus inſtituere per agrum ex diplomate licere: & ſubdolè aliquid ſcriptum in exemplo, quod traditum ordinibus ſociis, quod non ſit in oppidano. Ad quæ rurſum Rengerus; Optimo animo & conſilio de tempore ſcribendo expreſſum: hoc modo ſemper liberum pacta novare, novata ſemper autoritatem ab Imperatore habitura: munitiones & nundinas niſi ſolitas non concedi cuiquam, & has ipſas ad fœderum quoque pacta reſtringi: exempla diplomatis congruere ad verbum: ni ita ſit, ſe ignominiam & mortem non deprecaturum. Poſtremò ampliationem fœderis decennis ſe perſuaſurum agrariis profeſſus, cùm ejus rei gratiâ in urbem agrarios adduxiſſet, livore æmulorum in oppidanis, qui gloriæ fructum ipſi inviderent, perficere ſe rem non potuiſſe, queſtus fuit. Iam odium populi in Eggonem Addingam Weſterwoldium ad ſummum pervenerat: nec tamen ille licentiæ ſuæ modum ſtatuebat. Poſt cæteras injurias pro libitu ſuo tribunal à loco ſolito apud Flachweddanos ad arcem Weddam transferre: contra libertatem & morem veterem vectigal poſcere, ita mercantes iſtinc cum damno plebis ſubmovere, ſine populi aſſenſu jus dotium mutare, leges antiquas refigere, judicum ſententias aut non exequi, aut cum ludibrio peſſundare, eorum ſtipendia ex mulctis in ſe vertere, mulctas delictorum pro arbitrio adaugere, piſcationes ex commodo ſuo plebi reddere deteriores, multis modis libertatem veterem diminuere: adhæc privatim ſingulis injuriam inferre, armenta abducere, agros eripere, contumeliâ & verberibus afficere, ædes nocturnâ vi expugnare, dominos in vincula abſtrahere, tetro carcere mulctare, ſupellectilem diripere: ſub umbrâ clientelæ Monaſterienſis latere. Quæ cùm nec modum nec finem haberent, tandem anno M.CCCC.LXXV concurſu quorundam è populo, quos injuriarum dolor urebat, eſt occiſus. At filius ejus Haijo vindictæ cupidus, ut expedito ac prompto uti auxilio poſſet in cædis autores, arcem Weddanam Monaſterienſi donavit: à quo eadem ejuſdem rurſum fidei commiſſa. Tum cædis authores plerique comprehenſi, & ſuppliciis affecti à Monaſterienſibus. Vnus Aico Ellerſingus, quòd culpa ejus non manifeſta, gratiâ Monaſterienſium eorundem, benevolentiâ præcipuâ Henrici Scadii vadimonio fratris è cuſtodiâ ad tempus dimiſſus: Eoque evoluto tempore à fratre reductus ad Scadium, judicioque paratum ſe offerens, ab eodem, ipſius nomine epiſcopi, inſtaurato vadimonio, etiam tum domum remiſſus. Quod indigniſſimo ferens animo Haijo, primâ ſtatim nocte à fratrum reditu miſſis ſatellitibus, utrumque effractis domus foribus in carcerem abſtraxit, indictâque causâ, ne ſacerdotis quidem copiâ factâ, per ſummos cruciatus interfecit: Aiconis etiam corpus ignominiæ causâ rotæ impoſuit. Facinus indignè latum à Monaſterienſibus, ſed diſſimulatum ad tempus propter belli tumultus, quibus erant ipſi cum epiſcopo ſuo implicati. Hac verò impunitate illectus Weſterwoldius & juvenis, & à naturà ferox ac trux, nil territus exemplo patris in omnem cœpit quoque ipſe ſe licentiam effundere, patriſque etiam modum petulantiâ & facinorum atrocitate ſuperare: res ſuorum in itineribus invadere, poſſeſſiones multis eripere, quibus malè volebat, hos commeſſabundus domibus exturbare, ipſe cum ſatellitibus penum omnem ac potum abſumere, per temulentiam plurima nequiter com-

mittere;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

mittere: oneribus novis & inſolitis rurſum populum gravare: queri audentes
in vincula abſtractos malè mulctare, interdum ad judicium tribunal compa-
rentes præter expectationem & meritum in carceres tetros detrudere, pecu-
niaq; emungere; omnes metu oppreſſos, ne jam vel hiſcere contrà auderent,
tenere; nonnullos laboribus diurnis in rebus ipſius novo more fatigatos com-
pedibus vincire. Poſtremò in ſacrum quoque ordinem pro afflictis interceden-
tem, ac ad moderata hortantem conſilia ſævitiæ incurrere, eum petulantiæ ſa-
tellitum ſuorum propinare, aliquando verberibus quoque mulctare. Quorum
è numero Vnſweddanus ſacerdos à populo recens electus, & fide publicâ ab
Haijone in arcem vocatus, cùm liberiùs fortè eſſet locutus, manibus poſt ter-
gum revinctis alligatus equis, perq; æqua & iniqua raptatus, equorumq; ungu-
lis calcatus, confractis membris miſerandum in modum fuit peremptus. His in-
dignitatibus permoti ejuſdem ordinis cæteri, & cum his, qui in plebe præſta-
bant, cum à Monaſterienſibus negligi ſe putarent, de legato ad Romanum
pontificem mittendo, & ejus implorandâ ope conſilium inierunt. Quo intelle-
cto, magis aſperatus Weſterwoldius nocte intempeſtà in domum ſacerdotis
Vnſweddani, qui erat ad eam legationem delectus, & jam ad iter ſe accinxe-
rat, vi armatâ irrumpens primùm ſupellectilem omnem ſacram & profanam,
templiq; theſauros multaq; alia, quæ erant in eam domum velut in aſylum in-
violabile à trepidis congeſta, diripuit, dein initiatum ſacris hominem è vico
proximo, qui poſtridie ingreſſuro iter ſymmyſtæ legato fortè aderat, per mi-
niſtros verberibus contuſum, veſte nudavit: denique ipſum ſacerdotem lega-
tum, contemptâ religione, exturbatum domo, & membra confractum, ferro-
que trajectum in proximum amnem demerſit. Cujus corpus cùm poſtridiè
plebs extractum ex amne ritu Chriſtiano terrâ condere loco conſecrato, ac
juſta ſolvere pararet, ipſe ἀυτοχειρίας objecto crimine edixit, ut ignominiæ cau-
sâ exurendum igne ſub dio relinqueretur. Id tamen ſtudio ejuſdem plebis, in-
vito cædis autore, in domum ſacerdotalem illatum, & cuſtodiâ contra vim
ſeptum toto triduo, dein Decani permiſſu ad cauſæ uſque cognitionem extra
cœmiterium tumulatum, poſtremò officialis, uti vocant, Oſnaburgenſis juſ-
ſu, cujus illic in rebus ſacris juriſdictio, loco ſacrato religioſè conditum. Iam-
que iritata plebs arma correptura erat, cùm excitatus tandem periculo Mo-
naſterienſis, ſuſceptâ cauſæ cognitione, & Haijonis cupidine compreſſâ, at-
que intra limites certos redactâ, rem inter eos compoſuit Sed exulceratis ani-
mis renata facilè controverſia eademque infeliciter rurſum determinata per
ſententiam Rudolfi Langii Amaſanæ Weſtfalicæ præfecti, cui id muneris epi-
ſcopus commendaverat. In his contentio etiam Weſterwoldio incruduerat
cum Groninganis, qui reditus ejus, quos aut Groningæ, aut in territorio vi-
cino habebat, ob æs ejus alienum, & litem de jure finium morabatur. Ipſe
vicem illis redditurus, inhibendis ipſorum proventibus, atque uſuris, per agrum
Weſterwoldium à XII-viris judicibus impedibatur. Itaque ad vim ſe confe-
rens, direptis Groningenſium rebus ubicunque repertis, eorum arma in ſe M.CCCC.
concitavit. Sicco Beninga in ſuis rerum Groningenſium commentariis affir- LXXVIII.
mat, litem de duobus per amplis parochiis Bellingwoldâ & Blyhamo, qui in
finibus reliqui agri Weſtrrwoldii, & præfecturæ veteris ſunt, quoſque ambo
in ſuis habebant, potiſſimam belli cauſam iis fuiſſe. Ego preces plebis ruſticæ,
quæ auxilia contra tyrannidem quærebant, acceſſiſſe ex literarum indiciis a-
nimadverto. Arx Weddana armis correptis capta ſtatim & ſolo æquata nullius
majore quàm plebis oppreſſæ gaudio, connivente etiam, qui vindicare debue-
rat, Monaſterienſi. Nam omnium penè à ſe mortalium animos alienaverat fa-
cinorum nequitiâ Weſterwoldius, & quod patiebatur, merito ſuo pati cenſe-
batur. Quanquã epiſcopus aliis quoq; armis & curis impeditus, huic intendere
rei non poterat. Et Gronigenſes, ut invidiam facinoris minuerent, antiſtitiſq;

iram an-

iram anteverterent, datis ei xxv auri Rhenani libris, jus idem, quod Haijo iis in locis hactenus tenuerat, ab eo redemerunt. Sed contractui tempus adjectum, additaque conditio, ut Groningani clientelam epiſcopi tantiſper agnoſcerent, nec antè repetere ab iis beneficium eidem epiſcopo liceret, quàm tantundem pecuniæ ipſis reſtituiſſet. Tum nova arx commodo loco ab iiſdem ſtructa, ac vallo foſſaque munita, cui è rivo præterfluente nomen Pekelburgi inditum: eique præfectus impoſitus, qui & Weſterwoldiis, & parti Præfecturæ veteris cis intimum Dullarti receſſum, Occidentem verſus, præeſſet. Atque ità imperium illud apud Groninganos manſit ad initia uſque Saxonici belli, per annos amplius xx. Et jam ſuboleverat nonnullis Groningæ de litteris, quas Rengerus ferebatur, cùm eſſet pro civitate legatus in aula Imperatoris, in fraudem civitatis non bonis rationibus confeciſſe, & ob periculum ſuum adhuc ad tempus premere. Erat verò hujus rei autor potiſſimus Stoterus, in patriam nuper reverſus: qui intereà dum abfuerat, ſummâ diligentiâ in arcana ea inquiſiverat. Et tamen cujuſmodi litteræ illæ eſſent, quid in iis commodi aut dignitatis Rengero tributum, ne ipſe quidem Stoterus poterat dicere. Occultiſſimis namque conſiliis res fuerat acta in aulâ, miróque adhuc ſilentio tegebatur. Et Rengerus prioribus actis turbatus ac perplexus, perſpectis hominum animis, lupum ſe auribus tenere putabat. Verùm, ut fit in obſcuris, cùm ſuſpicio ſiniſtra commota eſt, peſſima quæque veriſſima eſſe credebantur. Itaque nomen ejus multis atrocibus probris lacerari, atque infamiâ differri per vulgus, minæque in eum graves ſpargi: Ille infamiâ & periculo pariter angi, & in ſummâ ſollicitudine eſſe, in agro frequentiùs quàm in urbe verſari. Poſtremò cùm accepiſſet ſenatum, concilium juratum, ædiles opificum ſocietatibus præfectos hujus rei causâ in curiâ eſſe, ipſe velut occupaturus periculum veniẽs ultrò ad curiam, ſeque ſenatui offerens, & impetratâ dicendi copiâ, ita locutus eſt: Magno ſibi dolori eſſe, nomen ſuum tam iniquè falſis criminibus traduci apud vulgum, omniaque in ſe abſentem probra ſine modo conferri, nec tamen reperiri poſſe quenquam, qui ſe autorem eorum profiteatur: Indignum verò eſſe, pro benemeritis hanc ſibi peſſimam referri gratiam; & vereri ſe, magno id aliquando malo civitati futurum, niſi ſalubre in tempore adhibeatur remedium: petere, ut ad detegenda tandem mendacia inquirere in rem ipſam velint, & ſine fuco ſibi aperire, quorum ſe criminum haberent ex delatione ſuſpectum: polliceri, ſi quid quærere vellent, de omnibus ſe ſincerè & ſine fraude eſſe reſponſurum, nec pœnas deprecaturum, ſicubi contingat defenſionem adhæreſcere: orare verò, & per omnia obteſtari ſacra, ut exſortem culpæ ſi cognoverint, nomen quoque innocentis civis ſui contra calumniandi licentiam tueantur. Tum Conſul præſes ſenatus, cum iis qui aderant, pauca locutus, Age vero, geretur tibi mos, ait, Rengere: tu fac, ut ſine dolo reſpondeas. Simul coram omnibus quæſivit, numquid privilegii ac juris ampliùs, quod ad Friſiam pertineret, impetraſſent, quàm quod litteris antè triennium publicè redditis eſſet comprehenſum: an de præfecto creando, quem Poteſtatem vocant, preces eſſent ab ipſo, & Vnicone Ripperdâ aulæ oblatæ: an dignitatem ambiiſſent equeſtrem: an quid præterea litterarum retuliſſent: Ad quæ ille, Ad vicinum, inquit, agrum noſtrum inter Amaſum & Lavicam quod attinet, equidem impetratum tunc aliud nihil: ſed pro iis, qui ad Occidentem Lavicæ ſunt, diploma confectum, argumento omnibus ſat noto: de Poteſtate, ait, nil omnino actum, & de cingulo equeſtri ſi quis detuliſſet, falſo eum detuliſſe: id tamen verum, honorem ſibi à Cæſare oblatum ultrò, ſed à ſe, ne locum calumniæ daret, recuſatum: tum verò Cæſari viſum, inquit, honoris & beneficii aliquid gratuitò in nos conferre: quod cùm ſine impendio poſſemus habere, cur debuimus repudiare? Hic cùm murmur eſſet in eum ortum, Vis'ne, ait Conſul, diploma Cæſaris hac de re nobis oſtendere? Annuente eo, Vis etiam jurare, nihil

litterarum

litterarum hujuſmodi ampliùs apud te eſſe? Ego verò non hoc ſolum jurare
paratus ſum, reſpondit, ſed extrema quoque ſupplicia non recuſo, ſi falſum di-
cere deprehendar. Deinde conſtituto tempore reverſus in curiam, deprompto
è ſinu, quod promiſerat, En hoc eſt, dixit, diploma meum, quod exhibeo vobis
eâ lege, ut ubi legeritis, mihi ſine dolo reſtituatis: in quo ſi quid erit, quod non
placebit vobis, profiteor me eo non eſſe uſurum, ſemperq; futurum in poteſta-
te & obſequio ſenatus, nec unquàm conſilium meum à conſilio veſtro ſejun-
ctum: denique, quò tandem hac me cruce liberem, totum me vobis hic per-
mitto. Digreſſo è ſenatus conclavi Rengero, litteriſque recitatis, indignatio
maxima, & clamor ac fremitus in curiâ ortus. Sceleſtum, nefarium, perfidum,
proditorem, non unâ rotâ dignum eſſe, qui iſta in detrimentum civitatis, cujus
legatus ad Cæſarem ierat, perpetrarit: Iam ſe prodere ulcus infandum: jam pa-
teſcere, quinam ſint illi, qui cauſam patriæ poſt Stoteri diſceſſum ex aulâ, non
gratiâ, ſed pecuniâ corruperint, conditiones redegerint in arctum, ſpem opti-
mam civitatis everterint, pecuniæ aureæ feriendæ jus impedierint: idcircò
ſcilicet, projectâ, quam reip. debebant, fide, remp. prodidiſſe, ut proditæ
exuviis ipſi ſe rurſum induerent, & redderent locupletiores. Et quam vana
verba, ac frivola, ad regendum excuſandumque facinus comparata? Cur res
preſſa ſilentio hactenus, ſi fraus, ſi ſcelus aberat, ſi mens recti ſibi conſcia, ſi
voluntas hujuſmodi jam, detecto convictoque facinore, ſimulatur? Tum vix
compreſſo per Conſulem fremitu, Rengerus in conclave revocatus, percul-
ſus & trepidas (nam linguis ſilentibus, vultus tamen omnium ſpirare adhuc iras
animadvertebat) alio rurſum die adeſſe, & de eo, quod dixerat, alias ſe ejus
generis litteras plures non habere, juramentum dare juſſus: qui cum de reſti-
tuendo diplomate ſenatum interrogaret, reſponſum illi, non poſſe id nunc fie-
ri: ſed ubi reverſus juramentū dediſſet, tum ſenatum hac de re deliberaturum.
Age verò, retulit ille: atque ità è curiâ diſceſſit, & in rus ſuum Scarmeranum ſe
contulit. Inde Coverdiam in locum tutiorem occulto itinere profectus, cùm
accepiſſet à Senatu litteras, quibus poſtridiè Pentecoſtes ex condicto ſe ſiſtere
jubebatur & juſiurandum dare, prolixè eodem illo die reſcripſit Senatui, &
oſtendit non eſſe ſibi integrum, ad diem dictum adeſſe, ob negotia gravia aliò
ſe vocantia: deinde vidiſſe ſe animos omnium, Stoteri calumniis aſperatos, tam
infeſtos ſibi, ut expedire non exiſtimet, caput ſuum temerè ipſis committere:
deprehendiſſe cuncta etiam optima conſilia & facta ſua tam ſiniſtrè accipi, ut
deſperet impoſterum quicquam à ſe in causâ poſſe profici: alioquin integerri-
ma conſcientiâ licere ſibi jurare, quod poſcat Senatus: metuere tamen, ſi id jam
faciat malevolos tanquam juramento metu expreſſo, perjurium id ipſum eſſe
dicturos, & augendæ infamiæ innocentis hoc quoque additUros. Itaque con-
ſtitutum ſibi abeſſe ad tempus à patriâ, & apud propinquos uxoris commora-
ri, atque ea agere quæ ad tuendum honorem ſuum, & redarguēda tam impro-
ba mendacia pertinere videantur: rogare Senatum, ut reſpondeat de diploma-
te, atque ita conſilia moderetur, ne quid ex hac contentione & injuriâ ſuâ de-
trimenti reip. eveniat: ſe reſponſum Senatus in ſeptimum uſque diem Cover-
diæ expectaturum. Multa præthereà ad pingendam rem pertinentia, ſed operâ
inani. Nam ſecundis litteris citatus ad diem prorogatum, acriùs de promiſſo ac
fide fuit per Senatum admonitus: additum etiam, facilè poſſe intelligere ipſum,
niſi ſe ſiſtat & promiſſum præſtet, quid ſit indè conſecuturum. Sed nec tum per-
ſuaderi potuit, ut à conſilio priori diſcederet: atque ita remiſsâ ad Senatum epi-
ſtolâ, quâ eludere promiſſum honeſtâ ſpecie conatus fuit, Daventriam abiit.
Poſtremò interceſſione amicorum ex ordinibus Vltrajectinis cùm redire in
gratiam cum civibus, & reverti in patriam cuperet, dilatus aliquandiu, & non
ſine verborum contumeliâ rejectus, tandem præſentibus Arnoldo Mularto, &
Ludolfo Venio, jureconſulto Campenſi, cum civitate tranſegit. Eâ in tranſ-

 actione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

actione juramentum dedêre ipſe & filius Dutmarus, civitati fideles ſe futuros,
contra eam conſilia nulla inituros, pericula & incommoda, ſi qua ex diplo-
matis provenirent, ſuo labore & impendio amoturos. Sic reverſus in patriam,
ac gratiæ & honori reſtitutus, adminiſtratâ etiam aliquandiu præfecturâ ſub-
urbanâ, ut à quibuſdam traditum video, ſine ambitione, quod reliquum fuit
vitæ, traduxit. Inter quæ Hero Mauricius Dornumanus è carcere tandem
dimiſſus ſolitis quinque Rhenenſium aureorum millibus ad ſuos revertit. Ad
hanc pecuniam conficiendam uſum ajunt ope Thedæ principis, hinc porrò
cauſam ei fuiſſe, ut quod hactenus perſuaderi non voluerat, quanquàm ſæpè
rogatus, Freburgum tandem arcem eidem dimitteret. Ferunt quidam, hoc
quoque ipſi incitamento fuiſſe, ut precibus fœminæ & procerum cederet,
quòd ſine auxilio publico non poſſe ſe in iſtâ viciniâ diu Oldenburgico reſi-
ſtere, arciſque poſſeſſionem magis oneri quàm fructui ſibi fore judicaret. Sed
arce cedens cum omni ditione fundos tamen in agro Repſholtano & Riſpe-
lano, qui Siricii fuerant, excepit, eorumque immunitatem pro ſe & hæredi-
bus ſuis pactus eſt in perpetuum. Iis addidit Theda certam pecuniæ ſum-
mam, arcemque item Dornumi ad Occidentem vici ſitam, eam ipſam quæ
jam in ruderibus jacet. In quam quod actionem juris habere dicerentur Fri-
derici Larletarii filii, recepit Theda, ſeſe cum iis ex æquo & bono eſſe tranſ-
acturam, quanquàm hîc promiſſi fides non ſervata, dubium Thedæne, an
Larletanorum vitio. Verùm exile fuit, quicquid id fuit, quod à principe &
M.CCCC. LXXXI. ejus liberis tantâ pro re Heroni redditum. Quapropter ijdem anno M.CCCC.
LXXXI circiter Paſchatos Heroni & fratri ejus Hicconi jureconſulto, præpoſito
Emdano homini ſummæ apud ſuos gratiæ, & hæredibus eorum imperium pa-
rochiarum duarum Dornumi & Reſterhavæ, quod ab Imperatore aſſigna-
tum cum imperio totius Amaſanæ Friſiæ pro ſuo hactenus habuerant (ſic enim
donationis tabulæ fratribus datæ loquuntur) referendæ causâ gratiæ pro be-
neficiis donatum voluerunt in perpetuum. Cujus rei teſtes etiam nunc ex-
tant illæ, quas dixi, ſignatæ litteræ. Medio tempore Gerardus domum cogi-
tans, è Scotiâ in Angliam navigaturus à prædonibus interceptus, & ex eorum
manibus elapſus, cùm in patriam revertiſſet, ad ingenium quoque ſtatim re-
diens, itinera mercatoribus infeſta rurſum habuit, atque in eo perſtitit diu.
Sed Friburgicâ re, quam dixi, confectâ, & in poſſeſſionem potentioris de-
volutâ, deſperans de eâ, atque inſuper recenti clade Ammerlandicâ, dire-
ptâ à Friſiis & Monaſterienſibus regione, & Ammerlandis Oldenburgiciſque
bono numero cæſis in receptu, haud parum humiliatus, tandem aliquando
ad filii fortunam, quem inimicitiarum & prædationum libidine hactenus
ad totum ſeptennium in cuſtodiâ reliquerat, reſpexit, legatoſque de libera-
tione ejus, & pace perpetuâ ad Thedam miſit. Iis auditis, & re in conſulta-
tionem miſsâ, quanquàm diffiderent Gerardo plerique, tamen quòd mole-
ſtiarum & ſumptuum omnes eſſent pertæſi, in pacem ſententiæ omnium pro-
cerum inclinarunt. Pacis verò conditiones hæ Gerardo dictæ: ut Wedam Fri-
ſicam antiquitus Friſici juris in finibus agri Friburgici reſtitueret: Zetelam
quoque & Driveram vicos vicinos Friſiis dimitteret, Rhenenſium aureorum
tria millia pro liberatione filii ſtatim exſolveret. Ita conditionibus admiſſis,
ad patrem domum è cuſtodiâ dimiſſus Adolfus rediit. At Gerardus hac parte
circumſcriptus eodem tempore non procul indè detrimentum compenſavit.
Quod quomodò acciderit, ut eſt famâ per manus traditum, ita recitabo.
Pagus eſt peramplus, fori inſtar, ad Iadam flumen in agro Friſico ſitus, cui
nomen Varela. Ejus tum loci rector erat, jure à majoribus accepto, Haijo
vetuſtæ nobilitatis in Friſiis, ſed vitæ parùm ſobriæ, cui pax cum Oldenbur-
giis magis neceſſaria quàm grata multis annis fuerat. Ad hunc invitatus fortè,
aut ſpontè commeſſantis in modum Gerardus veniens, liberaliterq; acceptus,

cùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

tus, cùm hilarem eum, & more gentis, ſui ſtudio in vinum efferri videret, per
nonnullos ſuorum ebrietatem hominis conſultò provexit longiùs. Tum calli-
dò conſilio ſubmiſſis è ſuo Comitatu hominibus ad eam rem idoneis, per col-
loquia, & potandi contentionem eò impulit jam vino obrutum, ut præceps
faceret nimio ſtudio demerendi hoſpitis, cujus ipſum non multò pòſt vehemen-
ter pœniteret. Nam perſuaſus à compotoribus, accepto poculo ad Gerardum
acceſſit, & animi ſui declarandi causâ præbibens cum hauſtu vini ditionem
ſuam, cunctaſque, quas habebat, opes liberali dono addixit, idemque exhau-
ſto poculo datâ dextrâ confirmavit. Gerardus eâ re lætus, diſſolvi convivium
curat. Poſtero mane advocati teſtes & ſcriptores, revocata in memoriam vix-
dum benè ſobrio heſterna donatio: nec tergiverſari ille, quamvis pœnitens, ac
modeſtè deprecans, aut potuit, aut auſus fuit. Sic confectis donationis tabulis,
Gerardus ſtatim in poſſeſſionem Varelæ venit. Haijo exutus omnibus rebus, &
propinquis inviſus, & tenuiſſimè ab Oldenburgicis habitus, in maximum animi
dolorem incidit, cujus magnitudine victus eodem adhuc anno, qui fuit à Chri-
ſto in terris nato M. CCCC. LXXXI, è vitâ deceſſit. Ex eo tempore Varela in po-
teſtate Oldenburgenſium manſit. Sed Gerardus idem bello Friſico liberatus,
Bremenſes, & eorum ſocios Lubecenſes, Hamburgenſes, Monaſterienſes im-
penſiùs quàm antè vexavit: nec contentus ſpoliaſſe inermes in itineribus de-
prehenſos, in carceres quoque interdum eos conjecit, & pecuniâ emunctos
non ſine verborum contumeliâ & ludibrio inſigni abire permiſit. Quod cùm
ferendum diutiùs non putaret Henricus epiſcopus, crebris ſuorum precibus
incenſus, anni ſequentis M. CCCC. LXXXII menſe Martio cum exercitu ſocia-
li in eum profectus, vaſtatâ agrorum parte, Weſterburgum arcem ad Hun- M. CCCC. LXXXII.
tam fluvium haud procul Adeſdorpo vico XVIII antè annos contra conatus
Mauricii fratris à Gerardo extructam, expugnavit, nonnullaque alia præſidia
locis munitis dejecit. Ita correptis Gerardi flagitiis, cùm ſatis pœnarum eum
dediſſe, atque impoſterum cautiorem fore putaret, exercitum reduxit. Ve-
rùm cùm ad ingenium ille mox rediret, adeoque inſanabilis videretur, niſi
extortâ ei Delmenhorſto arce, cujus oportunitas ad prædas animum pravum
incitabat, optimum epiſcopus putavit, ſi contentione adhibitâ, & omnibus
depromptis viribus ſemel tandem tot moleſtiis finem imponeret. Itaque eâ-
dem adhuc æſtate, majore quàm priùs conſcripto exercitu opibus ſolius diœ-
ceſeos Monaſterienſis (nam reliqui ſumptibus & moleſtiis feſſi quòd irritam fo-
re expeditionem vererentur, auxilia detrectabant) Delmenhorſto caſtra ad-
movit, caſtriſque fratrem Guntherum ſummo cum imperio præfecit. Sed erat
in eâ arce expugnandâ ſumma difficultas. Nam propter circumjectas paludes
niſi unâ anguſtâ viâ quæ ad portam ducit adiri non poterat, & erat vallo &
foſsâ magni operis cincta, poſtremò Gerardus illam validiſſimo præſidio dili-
genter munierat. Eam ob cauſam quoniam expugnationis magna ſpes non
erat, ad obſidendi conſilium ſe vertit epiſcopus, ut intercluſo commeatu, fa-
me ad deditionem præſidiarios compelleret. Sed interea dum ea durat obſi-
dio, Oldenburgici oppidani, & ex omni agro promptiſſimi quique in cohor-
tes deſcripti frequenter aſſultarunt caſtris, & obſidentes magnis incommodis
affecere. Horum dux præcipuus erat Ioannes Gerardi filius, impiger juvenis,
qui per devia etiam in arcem evaſiſſe intempeſtâ nocte cum nonnullis comiti-
bus & commeatum ſuo corpore intuliſſe memoratur. Eâ re motus epiſcopus,
relicto in caſtris fratre, qui obſidionẽ urgeret, omnique aditu diligenter clauſo,
cum magnâ parte copiarum Oldenburgum ipſe, ubi Gerardus cum filiis erat,
contendit, oppidumq; & arcem omni opere oppugnare cœpit. Tum verò Ger-
ardus, qui hactenus deſpicere & irridere conatus epiſcopi ſolitus erat, undi-
que circumventum ſe cernens, experienſque majorem in hoſte vim & indu-
ſtriam eſſe, quàm ipſe opinatus fuerat, animum deſpondit. Igitur vulpinam

induens egregius ſimulator, pœnitentiamque facinorum priorum mirificam
præ ſe ferens, idoneos homines ad epiſcopum miſit, qui expoſitâ hac eius vo-
luntate, filiorum nomine illum obteſtarentur, ne ob parentis culpam innoxios
& immerentes fortunis omnibus exuere vellet: conſtituiſſe Gerardum pote-
ſtate ſe abdicare, & pro veniâ delictorum religioni vitæque monaſticæ ſe devo-
vere, omnéque imperium ſtatim filiis relinquere: Hos porrò cum omnibus re-
bus ſuis in poteſtate epiſcopi perpetuò futuros. Epiſcopus oratione motus, Ol-
denburgo exercitum abducit: Delmenhorſtum in caſtra revertitur. Eam enim
arcem, quæ prædonum domicilium, ac perfugium erat, niſi captam dimittere
nec volebat, nec à ſuis quoque, qui magnas impenſas in bellum hoc fecerant,
& periculis primis expoſiti erant, permittebatur. Accedebat aliud, quod huc
impelleret, quòd Iacobi ingenium, cuius ea arx futura erat, jam prædis ſub pa-
truo tutore aſſueti, omnes ſuſpectabant. Cunctis ad diuturnam obſidionem
compoſitis, caſtriſque ne per hyemem quidem relictis, quanquam tormenti
ictu Guntherus jam occubuerat, victa tandem fame obſeſſorum pertinacia eſt,
M.CCCC. arxque ad diem XIII Calend. Febr. epiſcopo dedita. Ille præſidio novo inducto
LXXXIII. ac munitionibus inſtauratis, diœceſi Monaſterienſi, cuius opibus bellum geſſe-
rat, fruſtrà lamentante & de injuriâ conteſtante Mauricij filiâ quæ in arce
tum fortè erat, eam adjecit. Iacobus verò cum exutum ſe paternis opibus cer-
neret, cauſæque ſuæ ob communionem prædarum apud judices diffideret,
relicto ſolo patrio maria infeſta habere, & vexare cives urbium maritimarum,
quarum operâ ſe fortunis evolutum eſſe querebatur, inſtituit, & non multos
poſt annos in Norwegiâ fato conceſſit. Et ab hoc demum tempore, amiſſo
Delmenhorſto, nonnulli produnt Gerardum Oldenburgicum, relicto filiis im-
perio, mœſtum querentemque de fortunâ, domo profectum, penè ut exulem,
in Scotiam ad affinem Regem Iacobum ſe contuliſſe; ac poſt multos demum
annos in patriam revertiſſe; ſed minis eiuſdem epiſcopi Henrici, qui ei maximè
infenſus erat, rurſus in exilium cedere coactum fuiſſe. Atque idem iſte annus,
cuius principio captum Delmenhorſtum eſt, pluviâ, grandine, tempeſtatibus,
frigore per æſtatem tam horridus fuit, vix ut ab hyeme æſtas diſcerni poſſet.
Hanc cæli intemperiem, cùm fruges ad maturitatem pervenire, nec reliqua
colligi ex agro poſſent, ſecuta ingens annonæ caritas annum infamem fecit.
Operæ pretium eſt notare, quæ tum rerum quarundam pretia, velut mo-
dum excedentia, ab annalium autoribus memoriæ causâ poſteritati prodita
ſunt. Tonna butyri optimi XXXVI aureis, quos Arnoldicos vocant, minimæ
æſtimationis, vulgò veniebat: albi verò, quod deterius eſt, XXIV eiuſdem ge-
neris aureis: tonna autem ſecalis, X. Ea tum caritas cenſebatur, quæ ſi hodie
rerum æſtimatio eſſet, vilitas cenſeri poſſet. Quæ quidem ita ſollicitos recto-
res Friſiæ habuit, ut edicto frumenti & butyri exportatio vetita ſit. Eâ caritate
Friſiam cis Amaſum premente, in fata conceſſit Aijoldus Beninga Grimerſhe-
mius, Imelone patre natus, cui in exilio perpetuus comes adhæſerat, avus Ege-
rici Grimerſhemij, qui rerum Friſiæ Orientalis commentarios primus magno
ſtudio congeſſit. Hunc Haijo Papenbergius, cui Tijada Grothuſana Rederto
Beningâ nata denupſerat, è nobilitate Friſicâ ſecutus eſt, & apud Grothuſanos
ſepulchro conditus. Erat verò etiam nunc Friſiis Ciſamaſanis pulica pax cum
vicinis Oldenburgicis, aut certè bellum non manifeſtum. Sed ità tamen ple-
raque agebantur, ut haud dubium ad bellum res ſpectare videretur. Nam
Gerardus quanquam amiſſo Delmenhorſto debilitatus, & in arctum redactus,
& conditionibus promiſſionum circumſcriptus, tamen exuere naturam, & quie-
tem agere nequiit, in nullos irâ magis ſæviens poſt epiſcopum, quàm in vicinos
Friſios, quorum aut ope, aut favore prioribus in bellis uſum præcipuè epiſcopũ
non ignorabat. Deinde animũ eius vehementiùs conditiones pacis nuper initæ
cum iis, quâ agri ſui partem contra æquũ ademptum ſibi fremebat. Eandemque

rem,

rem, quam contumeliæ loco habebant, filii quoque ejus juventa calidi conco-
quere non poterant. Hinc injuriæ, in vicinos, dein populationes profectæ, po-
ſtremò apertum bellum renatum. Tum verò Theda & cum eâ filii juvenes En-
no & Edſardus remp. jam capeſcentes ex conſilio ſuorum, eo anno, qui carita-
tem annonæ eſt ſecutus, M.CCCC.LXXXIIII. diſpoſitis ad fines idoneis præſidiis, M.CCCC.
quæ ſubditos ab hoſtili incurſione quotidianâ tuerentur, etiam naves aliquot LXXXIV.
armis viriſque inſtruunt, in portu Emdano, ſummo civitatis ejus ſtudio, eaſque
in Viſurgim & Huntam flumina emittunt, & Oldenburgicos, quocunque poſ-
ſent, detrimento afficere jubent. Hæ, direptis in orâ cunctis, quæ contingere
poterant, cùm jam cum prædâ Amaſum repetere vellent, in quinque hoſtium
naves ex Viſurgi & Albi curſum habentes, ut Huntam ſubirent, inciderunt, eaſ-
que cum mercibus omnis generis interceptas Emdam ſecum traxère. Ibi præ-
da omnis ex hoſte capta, diviſa eſt, Conſulibus remp. tum adminiſtrantibus.
Nomone Meccama, Hompone Haijena, Gerardo Geldro, Bernardo Duteno,
& hoc quidem Ioanni Lingio ante biennium ſurrogato; arci verò pro Comiti-
bus præſidente Harone Wiinconio, Wiinconis filio, in locum Iarrichii Boel-
ſenii ante ſeptennium ſuffecto. Ab hoc tempore ut pax neutiquam fuit, ita bel- M.CCCC.
lo nihil memorabile, ac juſtis copiis geſtum invenio. A prædis tamen agendis LXXXV.
mutuóque inferendis injuriis nunquam, cùm oportunitas eſſet, ceſſatum. Po-
ſtremò cum annus flueret à Chriſto ex virgine nato M.CCCC.LXXXVI, Friſii ul- M.CCCC.
turi injurias ſuas ductoribus Sivecone Lengano, & Haijone Stichuſano Præ- LXXXVI.
fectis, qui militiæ Oldenburgicæ maximè gnari, & ſuperiorum annorum geſtis
terribiles hoſtibus erant, majoribus quàm hucuſque copiis in agrum Olden-
burgicum impreſſionem facere conſtituunt. Sed re per ſpeculatores enuncia-
tâ, cùm viâ Apenſi incederent, per paluſtria impedita ad ſylvam quandam iter
facientes, in inſidias, quas Ioannes Gerardi filius clam magnis illic copiis col-
locatis paraverat, improviſi incidunt. Illic fortiter pugnando cum XIIII com-
militonibus Siveco, qui toties hoſtes illos ceciderat, à fortunâ deſtitutus oc-
cumbit. Haijo cum multis vivus in poteſtatem hoſtium venit. Ea clades pro-
pter inſignes bello duces, alterum cæſum, alterum captum, major quàm
pro numero eorum, qui deſiderati ſunt, viſa fuit. Nec enim quiſquam per
Friſiam illius hoſtis magis peritus, aut in capeſcendis rebus magnis promptior,
aut in periculis fortior eâ tempeſtate habebatur. Ità accidit, ut pacem, cujus
ab hoſte fieri mentio cœperat, non multò pòſt Friſii faciliùs admiſerint. Sed
aliud quoque utrâque à parte eandem promovit. Nam Gerardus ſeu ſponte
ſuâ, ſeu per filios & populum coactus à gubernaculis reip. deceſſerat, ſeque
privatum in modum procul à curis publicis compoſuerat. Huic verò ſucce-
dentes filii, quòd quiete ſibi opus eſſe ad recreandem ægram remp. minuen-
dumque ingens æs alienum perſpicerent, metuerentque ab omni parte infe-
ſtos vicinorum animos, ad pacem Friſicam conſilia ſua retulerunt. Et apud
Friſios ſimiliter expromptâ omnium ordinum voluntate habenas à matre nu-
per acceperat Enno egregiæ indolis juvenis, annos natus XXVII, qui præci-
puis è nobilitate, & cæteris ordinibus, in quibus Dornumani & Oldershemii
fratres eminebant, conſilium & autoritatem ſuam firmabat. Ita novis utrin-
que capitibus populo datis pax faciliùs confecta conditionibus æquis, & utri-
que regioni non recuſandis, cùm annus ageretur à nato Chriſto M.CCCC. M.CCCC.
LXXXVII, Ioanne jam in locum patris conſenſu omnium ordinum apud Ol- LXXXVII.
denburgicos, cedentibus quoque fratribus, ſurrogato, ſolida & firma confe-
cta eſt, iis omnino conditionibus quæ ex uſu utriuſque regionis eſſe viderentur.
Hoc bellum diutinum finitum, quod totos XIIII annos Friſiam diſtinuerat, ſi-
multas nova cum Monaſterienſibus veteribus ſociis ſtatim excepit. Ea in con-
tentionem graviorem pedetentim, contentio in difficile & diuturnum bellum
exarſit. Ius quoddam pervetus eccleſiæ ſuæ in Friſiam Amaſanam, ac vicinos

cis ultraque Amaſum agros à multis repetitum ſæculis, tum verò etiam id, quod ex fœdere cum Foccone Lerano, Imelone Emdano, & reliquis ſociis, LX ante annos Meppenæ percuſſo, habere ſe rebantur, Monaſterienſes repetebant. Imprimis verò oportunitas oppidi Emdani indies commerciis creſcentis, atque Amaſi fluminis uſus, quibus non ut volebant uti liberè permittebantur, eos angebant. At Friſii refutare hos, & quàm iniquum ſit, quod petant, manifeſtum facere: nam priſcum illud jus, quod ferant, adverſum libertati Friſicæ, vanum aut nullum eſſe: tum à fœdere iſto tam multa eveniſſe, quæ id irritum fecerint, ut mirum ſit ejus mentionem ipſos facere audere. Verùm nihil iſta apud epiſcopum valuêre, qui ut erat armorum avidiſſimus, bellare jam conſtituerat: quamvis interponere ſe vicini aliquot principes, & litem componere ſummoperè niterentur, & Friſii quoque æquis conditionibus ad ſarciendam amicitiam ſe offerrent. Tantos viro militari animos fortuna Delmenhorſtana adjecerat. Initiò tamen lentiùs actum, pluribus curis diviſo epiſcopi animo: agebanturque eæ vigiliæ ad fines à Friſiis, ut non facilè ſine periculo niſi cum ſummis copiis ingredi in agros eorum Monaſterienſes poſſent. Quarto demum anno, quod malè dilatum diu fuerat, erupit, ut infrà memorabitur.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XXVIII.

IN reliquâ Friſiæ parte, quæ ad Occidentem ſolem eſt, à quâ totos jam XVIII annos defleximus, poſt Caroli Burgundi vanos illos conatus, induſtriâ eorum, qui judiciis præerant, toto quoque triennio tranquillitas fuerat. At eâ ſemel ruptâ unius hominis temeritate, legumque reverentiâ peſſumdatâ, cùm cædes cædem traheret, odiumque implacabile turbas ex turbis daret, ita ſurſum deorſum cuncta raptata ſunt, ut nulla confuſio major multis ſæculis proximis in gentibus fuiſſe verè dici poſſit. Has furias & calamitatem portendiſſe Cometam illum, cujus libro XXVI meminimus, longâ & ſcintillante caudâ terribilem, à vero non abhorret, qui anno M.CCCC.
M.CCCC. LXXII. LXXII menſe Ianuario Friſiæ & vicinis regionibus ſpectandum ſe præbuit. Initium à Bennerdo Doniæo Enguverano profectum. Is judicio contumax cùm aliter ad obſequium adduci non poſſet, ſuâ in arce, quam Enguverumi in Dongeranâ provinciâ habebat, ad initium Aprilis menſis anno M.CCCC.
M.CCCC. LXXIII. LXXIII à judicibus ejus loci auxilio provincialium obſidebatur. Poſt triduum verò induciis conſtitutis, cùm ſub ſerum diei iſtinc diſceſſiſſent, & nonnulli, nihil mali metuentes, quò poſtero die ad iter eſſent expeditiores, noctem in proximis ædibus agerent, Bennerdus, & cum eo Wilibrordus Meckenius, re cognitâ, in eos ex arce impetu facto, domoq; indagine clauſâ, cunctos aut interfecere, aut captivos & malè multatos in arcẽ traxere. Iudices indignati tam nefariè violatas inducias & contemptas leges, reliquis quoq; vicinis judicibus per Oſtergoam cum auxiliis evocatis, non multos poſt dies, cum majoribus copiis ad obſidionem rediere, arcemq; vi captam antè exitum Aprilis, ſolo æquarunt. Qui arci cùm præſidio præerat, Botto Doniæus (nam Bennerdus ipſe obſideri

ſe noluerat) in vincula conjectus: præſidiariorum XVIII in aquas præcipitati & enecti. Nec Bennerdus diu ſupplicium effugit. Nam medio menſe Auguſto in Collumano agro captus, cùm Doccumum equo impoſitus duceretur ad ſubeundum judicium, & progredi in itinere nollet, ab iratis ſatellitibus eſt interemptus. Alia verò cædes paulò antè hoc ſupplicium Bennerdi præceſſit, quæ multas turbas dedit. Leo Doitiæus Accrumanus complures antè annos Heſſelum Iongamæum Boſumanum ferro interemerat. In hunc circiter medium Iulij fortè incidens Ado Iongamæus, Heſſeli è fratre nepos, in Geeſtano agro domicilium habens, memoriâ facinoris in iram elatus, fruſtra deprecantem gladio trajicit. Hoc velut claſſicum ciendarum factionum, quæ aliquot jam annos quieverant, fuiſſe viſum. Nam qui in Vetcoperorum partibus erãt, murmurare, indignè ferre, fremere, tantum Sciringiis licere ſine legum pœnâ. Itaque cùm diu iram preſſiſſent nonnulli è nobilitate, ducibus Bottone Hollingio, & Tacone Meccama, in quorum ſatellitio multi ex agro Oſterbrocæo & Octopagicis erant, anno proximo obſervatâ occaſione Edonem Iongamæum Heſſelo natum, patruelem Adonis, è numero Senatus XIII-virûm apud Doccumanos, cùm Doccumum fortè veniſſet judiciorum causâ (nam in agro Geeſtano tum ſedem domicilij habebat) impetu in oppidum hoc facto, & tumultu excitato, ibidem repentè circumſiſtunt, & multis vulneribus placidiſſimi ingenii hominem ad X Calendarum Octobrium crudeliter conficiunt: in alios quoque, partim qui in numero XIII-virûm, partim qui extrà eum, impetum dant: Sipponem Hemſtræum, & Wobbonem Geroldi, Edoni ſanguine junctos, in carceres trahunt. Ioannem Iouſmæum per Sipponem Sceltumam trucidant. Hujus facinoris invidia haud parva Groninganos attigit. Nam & Taco partium dux, & Oſterbrocæi atque Octopagici cum iis erant fœdere conjuncti, ferebanturq́ue ultro jactare, ſi quis ultionem cædis vellet poſcere, non defore ſibi à civitate ad reſiſtendum auxilia. Itaque Edonis propinqui, principe Adone, magno numero coëuntes, ipſe Epo Iongama cæſi germanus frater, Geroldus Iauſma, Haringus Hottiæus, Campo Vniæus, Bartholdus & Sippo Starkenborgij, Sitio Martena, Aggo, Ioannes, Petrus, Siricius, Sitio, Haringæi, Heſſelus Feitſma, Ioannes Herema, Wibo Sibrandi, deliberatâ re, ad XII Calend. Novembr. prolixas ad Senatum populumq́ue Groninganum litteras dant, quarum ſententia fuit hujuſmodi: *Noſſe ipſos, quàm atrox facinus commiſſum ſit Doccumi à Tacone Meccama, ac aſſeclis ipſius Oſterbrocæis & Octopagicis: Eos verò fœderis cum civitate percuſſi eſſe ſocios, atque eius fiduciâ facere & loqui ferociùs: captivorum nonnullos iſtuc, ubi fœdus hoc valeat, abduxiſſe, ac quanquam iam dimiſerint eoſdem, tamen ne pro eâ quidem iniuriâ hactenus ſatisfeciſſe; gloriari inſuper, ſi quid facinoris huius gratiâ à propinquis Edonis & cæterorum moveatur, militem, arma, tormenta cum omni apparatu à civitate ſibi prompta fore: Hæc indigna eſſe per ſe, & pugnare cum famâ iuſtitiæ, & eiuſce adminiſtrationis incorruptæ non ſolùm in urbe ipſorum, ſed etiam in locis fœdere cum urbe coniunctis: pacem enim publicam enormiter per graſſatores violatam, cædes commiſſas in homines publicum munus gerentes, nec generi, nec dignitati ſanctiſſimæ parſum: eaque ideo etiam eſſe indigniora, quòd ſenatus Doccumanus ſine vitio amicitiam cum civitate coluerit, itinera mercatoribus tuta præſtiterit, publicè privatímque neminem offenderit: Indigniſſimum verò id, quod vulgò feratur, civitatis conſilium eſſe, auxilia ſubmittere ſontibus, ſêque rebus hiſce miſcere, atque ita gentem univerſam, ut factum quondam, in partes rurſum ſcindere, & furialibus armis civilibus implicare: Id verò ſe credere non poſſe, & ſperare, civitatem in corripiendis hominibus factioſis & impijs officio non defuturam, atque idem ſummis precibus ab eâ contendere: Quod ſi non impetrent, ſibi neceſſe fore, tantas iniurias armatâ vi perſequi: ac ſi impedire ſe in hac re, & factionibus movendis operam dare civitatem viderint, in animo ſibi eſſe, Deum hominéſque querelis laceſſere, & imploratâ omnium ope pro viribus iniurias ulciſci: poſtremò petere, ut quo animo ſint, quamprimùm ſignificare non graventur.* Ad quas litteras cùm Groningani aut tar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

diùs, aut alieniùs reſpondiſſent, Ado dolore incenſus vindictæ conſilium concipit: communicat rem cum iis quibus maximè fidebat, imprimis cum Epone cæſi Edonis fratre: Nec moratus diu, cum XX armatis ex agro Geeſtano Doccumum navigat ad diem XIIII Calend. Novemb. atque oppidum, quod tum nullis mœnibus cinctum erat, clam ingreſſus, idoneâ in domo ad rivum non procul ponte veteri, unde proſpectari per vicum oppidi celeberrimum poterat, ſe abdit intereà dum altera navis cum auxiliis, quam ſequi juſſerat, adveniat. Quam paulò pòſt fluitantem ex compoſito juxta oppidum, cùm per oppidanos, qui armorum aliquid in eâ obſervaverant, admoniti eſſent nobiles, qui Edonem & Ioannem occiderant, & Doccumi domicilium habebant, Gabba Iarlæus, Iouco Metſlaveranus, Sibetus Sceltuma, cum quaternis quiniſve ſatellitibus circumſiſtunt. Quibus viſis, cohortatus ſuos Ado in apertum proſilit, atque in eos ſtrictis gladiis irruit. Illi trepidi ad templum celeri fugâ ſe proripiunt, atque, cùm clauſas valuas operâ Siringici civis inveniſſent, fruſtraque ſe tueri gladiis ac defendere eſſent conati, Adonis poteſtati ſe permittunt. Ado vinctos & navibus impoſitos ſine morâ in agrum Geeſtanum devehit, & Tiardæâ in arce loco munito in cuſtodiam tradit. Eo qui ſecutus eſt, anno M. CCCC. LXXV vixdum inchoato reverſus Doccumum Ado cum Sizone Bottingio, Offonis illius, quem in exilio obiiſſe dixi, domum dejecto XVII militum præſidio occupat: mox alteram quoque in eodem oppido, quæ Taconis Mockenii fuerat, obſidione & vi tentat; ſed recedere ab eâ, infectâ re, cogitur. Ingens hoc vere ad diem XVI Calend. Maij, oppidum Bolſuerdia detrimentum accepit ab incendio, cùm malleolis diſpoſitis, ignis paſſim invaleſcens ad CC. ædes abſumpſit, oppidumque miſerabilem in modum defœdavit. Cujus ſceleris autor, quod odio quorundam oppidanorum commiſerat, Enchuſæ agnitus, & blandis verbis Bolſuerdiam traductus ad palum exempli causâ vivus igne crematus eſt. Ita cùm res haberent per Friſiam, venerunt iſtuc ab Imperatore Friderico III, qui Coloniam cum exercitu venerat, ut Carolum Burgundum Noveſio amoveret, legati viri graves: per hos Imperator petebat, ut quartum quemque puberem Friſii ex omni provinciâ ſuâ cum armis reliquoque apparatu quamprimùm Coloniam mitterent, cum gravi denunciatione, ſi recuſarent. Hæc in conventu omnium Ordinum Oſtergoæ, Weſtergoæ, Sylveſtrium, qui Leoardiæ ejus rei gratiâ coactus erat, ad diem III Calend. April. propoſita, exhibitæque ejuſdem argumenti ſcriptæ ab Imperatore litteræ, Friſii diliberatâ ſtatim re, legatum hominem doctum ex ordine Eccleſiaſtico Coloniam ad Imperatorem mittunt. Per eum demonſtrant, non ſolùm id ſibi difficile, qui iſtuc ire niſi per provincias Burgundi non poſſint, ſed libertati quoque ſuæ adverſum: Nam in jure priſco itâ ſibi Imperatorum beneficio eſſe cautum, ne militiæ causâ ſuis è finibus egredi cogantur. Imperator benignè auditum legatum cum iiſdem mandatis ſtatim in Friſiam remittit. Cujus rei gratiâ ad diem VIII Calend. Maij Ordinum conventus Snecæ rurſum habitus, & poſtulata Imperatoris è ſcripto publicè recitata. Res ardua viſa, & magni momenti: Itaque diu in deliberationem vocata. Nam offendere Imperatorem, grave; deſerere jura patria, periculoſum & turpe videbatur. Intereà verò pax ad Noveſium inter Fridericum & Carolum conficitur ea, de quâ priùs eſt dictum. Sic eo diſcrimine Friſii quoque ſunt liberati. Anno ſequente M. CCCC. LXXVI, cùm tranquilla eſſent omnia inter Amaſum & Flevum, opera data ab ingeniis moderatis, ut ſi quæ eſſent offenſionum veterum reliquiæ, quæ impedirent, quominùs integra coiret amicitia, eæ actionibus amicis penitùs tollerentur. Eum in finem conventus nobilitatis & cæterorum Leoardiæ congregatus fuit menſe Iulio, ad quem Groningani quoq; frequentem & amplam legationem miſerunt. Auditæq; illic querelæ variæ, & quædam ſopitæ. Inter cæteras reſuſcitata

M.CCCC. LXXVI

causâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

cauſa vetus Douvonis Siardæ contra civitatem Groninganam, refricatâ infælici memoriâ temporum Sicconis Siardæ, & quæ cum eâ cohærebant. Quod cùm præter expectationem accideret Groninganis nullo mandato ſuorum eam ad rem inſtructis, illi profeſſi, cupere ſe capita querelarum ſcripto conſignata ſibi exhiberi, ut ad Senatum & populum de iis referre poſſent, paulò pòſt inopinatò quoque, & expectatione celeriùs è conventu diſceſſerunt. Eam ob cauſam perturbatus Siarda, mox ab eorum diſceſſu ſub finem menſis Iunii litteras mittit ad Senatum urbis, Et queritur, præter opinionem & ſpem ſuam tam ſubitò legatos Leoardiâ abiiſſe: ſibi in animo fuiſſe, de negotiis etiam aliis ad remp. pertinentibus, quæ cum controverſiâ privatâ commune nihil haberẽt, cum ipſis agere; imprimis de annuo conuentu ad retinendam concordiam, de maleficiis ſeveriùs coërcendis: & jam de iiſdem cum compluribus è nobilitate, qui Leoardiæ præſentes erant, ſe collocutum: Quod ſi ſibi licuiſſet effectum dare arbitrari ex commodo pacis & reip. id futurum fuiſſe. His capita querelarum ſubjungit ſuccinctè; de detrimento Sicconi quondam illato in muniendâ ejus arce; de morte filii ipſius Groningæ extincti; de navigiis Franequeranis abductis; de pecuniæ debito vario: denique cauſas quaſdam aliorum eidem Senatui diligenter commendat. Verùm hoc in negotio Siardæo nihil tum actum ampliùs, præterquàm quòd actiones amicæ utrimque promiſſæ, intercedente & annitente potiſſimùm Wattione Camminga, Oldermanno tum temporis Leoardiano. At publica cauſa intereà animos in ſe vertit. Placebat Groninganis, quod de conventu annuo Dowo propoſuerat, nec videbatur diſplicere pleriſque in ordinibus Tranſlavicanis. Sed in oculis erat his fœdus civitatis cum Collumanis, quod adverſum libertati gentis, & concordiæ reip. Tranſlavicanæ nõnulli arbitrabantur. Imprimis arcem cum præfecto & præſidio vehementer inviſam habebant. Et metuebant multi, exemplum manaturum latiùs, ac remp. Tranſlavicanam enervaturum. Itaque agitata res ſermonibus variis, quæſitaque à Tranſlavicanis in concordiæ amicitiæque gratiam Collumani fœderis antiquatio. Verùm recuſare poſtulatum Groningani, alioqui concordiæ cupidos ſe oſtendere, & ad omnia ſe æqua offerre. Simul colloquia hac de re miſſis M. CCCC.
ultro citroque legatis haberi: per quæ tandem conſenſus initus, & fœdus inter LXXVII.
civitatem Groninganam ac populum Oſtergoum & Weſtergoum circiter ſolſtitium æſtivum anni M. CCCC. LXXVII percuſſum in proximum decennium. Eo comprehenſæ fuerunt conditiones hæ: *Quæ cum Occone Broecmerio, Sibeto Ruſtro, reliquiſque trans Amaſum Friſijs,* L II *antè annos inita pacta ſunt in conventu Groningano, ea omnia rata habeantur, excepto Collumano fædere nupero: Groninganis non liceat hoc decennio ullam prætere à Oſtergoæ aut Weſtergoæ partem fædere huiuſmodi implicare, aut prætoriæ poteſtati ſuæ ſubijcere: Conventus quotannis agatur alternis vicibus Groningæ & Leoardiæ, ad quem quini ab utrâque parte homines ſapientes mittantur: his X-viris undecimus adijciatur, quem ex Oſtergoâ aut Weſtergoâ quini Groningani eligent, cùm conventus agetur Leoardiæ: quini verò Tranſlavicani, ex oppido aut agro Groningano, cùm conventus ille Groningæ habebitur. Horum arbitrij ſit cauſas omnes publicas & privatas, quæ in controverſiam venient, cognoſcere, diſceptare, definire: quicquid definiverint, ab omnibus ratum habeatur: intráque præfixum tempus executioni mandetur ab ijs, apud quos ſedes tenet condemnatus, aut ab ipſis illis mulcta petatur: contumaces, ſi qui erunt, coniunctis viribus ad parendum compellantur. Eorundem delectorum poteſtatis quoque ſit, ſi id ex uſu reip. eſſe putabunt, alterum conventus diem in Smallingæo cænobio dicere. Ad eum ituris, domûmque redituris tutus commeatus præſtetur: Quòd ſi finito decennio hoc non placuerit hæc pacta prorogare, aut nova alia inire, fædera tamen ſuperiora & pax nihilominùs rata ſerventur.* Hoc modo fluctans concordia publica illic firmata. Et circiter Calend. Septẽbr. ejuſdem hujus anni Leoardiæ diuturnam litem, quam habuit cum vicinis agricolis de jure quatuor cataractarum, finivit deſcriptis certis legibus, quæ

etiam nunc apud eos ſervantur. Invenio in quibuſdam annalibus annotatum, quibus ego hîc fidem adhibere me non poſſe fateor (non enim ſinunt, quæ de fœdere memoravi, & quæ deinde memoraturus ſum) Ioannem Roordæum, præcipuâ ferociâ virum nobilem, Tiadmarinum factionis Sciringicæ inimicitias graves multo tempore cum Lidlumanis monachis habuiſſe: eundem, cùm aliter ſatisfacere animo ſuo non poſſet, ſimulatâ pœnitentiâ priorum, cum Aligone Abbate ejus loci ficto rediiſſe animo in gratiam, frequenterque deinceps ad cœnobium cum amicis itaſſe, & familiariter admodum cum monachis vixiſſe, conciliandæ ſibi fidei gratiâ. Mox cùm opportuna omnia ad facinus viderentur, vergente jam ad finem anno hoc eodem, cum comitatu paulò ampliore ad cœnobium veniſſe, hilariterque & benignè exceptum, conſultò litem Abbati moviſſe: Simul per ſatellites ſuos curaſſe, ut quos ad eam rem paratos in inſidiis juxtà cœnobium habebat, per januam quandam intromitterentur: quibus ſtatim irrumpentibus Abbatem vinciri, tum ſupellectilem ejus auream & argenteam, & quicquid omnino pretioſum in cœnobio erat, diripi, monachos obſiſtentes malè mulctari juſſiſſe: Poſtremò Abbatem à puppi navis ſuæ revinctum per rivum traxiſſe, donec ad arcem Roordæam eſſet remigando perventum. Eam injuriam Abbati amico ſuo præter meritum irrogatam Wibonē Graveſtenum è primis Friſiæ nobilibus, cujus in Vetcoperis præcipuum nomen erat, moleſtiſſimè tuliſſe: Et ſtatim ubi cognoviſſet, litteras ad Roordam dediſſe, in quibus ità ſcripſerat: valdè ſibi diſplicere facinus ab ipſo commiſſum: denunciare, ut quamprimùm Abbatem è vinculis liberatum in integrum reſtituat, atque ab omni injuriâ impoſterum ſibi temperet: alioqui ſe ipſius hoſtem fore. Sed contemptis cum riſu his litteris à Ioanne, ipſum ſilentio noctis cum manu ſuorum ad cœnobium Lidlumanum profectum, omnibus diligēter obſervatis ne quid emanaret, poſterâ nocte, qui nativitate Chriſti celebris Chriſtianis eſt, in vicinam arcem inimici cum omnibus monachis, & iis quos ipſe adduxerat, impetum feciſſe, captamque ferro & flammâ deleviſſe: Abbati è carcere educto ſua reſtituiſſe: reliquam prædam diſtribuiſſe: Quotquot deprehenderat ex iis, qui Abbati manus injecerant, eos occidiſſe: Ioannem ipſum illic invenerit an non, parum conſtare: His confectis, palam antè omnium ora domum cum ſuis rediiſſe. Erant eo tempore, quo hæc geſta feruntur, difficillima itinera terreſtria per Friſiam, propter magnam aquarum copiam. Nam Oceanus trium dierum tempeſtate continuâ & inſolitâ per menſem Novembrem commotus omnes aggeres tranſcenderat, & univerſam Friſiæ planiciem altiſſimâ aquâ texerat: nec ea flantibus Coris majorem hyemis partem exonerari rurſum potuerat: ità acciderat, ut diverſa maris monſtra, quæ poſtea in foſſis & piſcinis capta ſunt, phocæ, piſces alati, canes marini, cum
M.CCCC. undis in agrum eijcerentur. Sed anno ſuccedente M.CCCC.LXXVIII ſub fi-
LXXVIII nem Februarij continuis Euri flatibus maturè ager omnis à fluctibus liberatus, verùm ſalſedine penitùs hauſtâ parùm tamen ferendo germini idoneus fuit. Et quod peſſimum in eo caſu eſt, inſolita aëris ſiccitas ſecuta per æſtatem, & terram omni fœcunditate deſtituit, & pecorum infinitam multitudinem ſiti enecavit. Hinc magna annonæ difficultas, & fames: quam tamen paulò pòſt ſequens ſumma rerum vilitas, importato magnâ copiâ frumento, compenſavit. Et hoc quidem difficili anno primus ex fœdere novo conventus Groningæ actus ad diem XIV poſt Pentecoſtes, præſeſque ſummus in eo à Tranſlavicanis deſignatus Onno Euſumanus, controverſiæque illic cognitæ complures, & definitæ. Sibrandus Sacama, Kempo Æſma, qui cædem cognati ſui Iellonis contra cædis autorem Owonem Idamæum, abreptis rebus ipſius, & aliis illatis damnis erant perſecuti, reſtituere rapta, de injuriâ & violatâ pace publica ſatisfacere, cauſam judicio huic ſubmittere juſſi. Gaico Iuuſma vir nobilis, ut, quod ex ſyngraphâ debebat, Eberhardo Hubbeldingo, & Sibrando Vlferdi

Gronin-

Groninganis exſolveret, damnatus. Sitioni Bottingio mandatum, ut avo ſuo
Galoni Coldumano bona ab ſe præter jus occupata ſine morâ rurſum dimit-
teret. Expeditis quæ ad conventum relata erant, negotiis, Tranſlavicani do-
mum diſceſſuri mandata dederunt Quinque-viris Groninganis, & præſidi On-
noni, ut decreta, & in album relata, ſi putarent ita facto opus eſſe, porrò expe-
dirent. Itaque hi Sibrando & Kemponi ſcripsêre, ut antè omnia ſpolium reſti-
tuerent, indictâ ſingulis centum ſcutatorum pœnâ, ni facerent: cauſam reli-
quam ad proximum cõventum referrent: cùm non parerent, Gaiconi Iuuſmæ,
qui prætor intereà erat creatus eo loco, ubi illi ſedes habebant, imperarunt, eos
uti coërceret. Idemq́ue in causâ ipſius Gaiconis fecêre, tergiverſantemq́ue ad
prætorem detulerunt, & mulctam contumaciæ popoſcere. In Sizonem verò
decreverunt aſperrimè. Quæ cum acerbiora, ac nimis imperioſa viderentur,
rei hi omnes querelas de injuriâ detulerunt ad conventum judicum ordinario-
rum in præfecturâ Leoardianâ & Dongeranâ, qui tum fortè Leoardiæ paulò
antè Calendas Auguſti coactus erat. Ii, principe Kempone Vniæo, in ſenatu
oppidano Oldermanno, & ſimul prætore ſuburbano, ad ſenatum Groninga-
num, ſine cujus voluntate nihil actum eſſe à delegatis arbitrabantur, litteras
ſtatim misêre, ſignificantes: *Videri ſibi nec æqua eſſe, quæ decreta eſſent in conven-
tu in abſentes Sibrandum & Kemponem, & cætera quoque nimis aſperum ſapere impe-
rium, præſertim in eos, qui ipſorum poteſtati non ſint ſubiecti: Nec enim Tranſlavica-
nos imperium ullum Groningenſium agnoſcere: nec pati poſſe, ut ij ſine collegis ſocijs ex-
tra conventum tempus tantum ſibi ſumant, ac patria ipſorum iura pro libitu ſuo reſcin-
dant: vereri verò ſe, niſi moderatiùs & circumſpectiùs agant, has ipſorum actiones fa-
cillimè diſſolvendo ſtatim in principio novo fœderi eſſe futuras: rogare itaque, temperare
ſibi velint impoſterum, nec novis calamitatibus communis patriæ ianuam aperire.* His
litteris acceptis offenſi Groningani, per Onnonem Euſumanum, & Quinque-
viros delegatos ad collegas Tranſlavicanos ſcribunt: *Scire eos, quid inter collegas in
diſceſſu convenerit: Et poſſe ex adiunctis actorum ſcriptis* (omnia enim ſimul cum litte-
ris tranſmittebant) *videre, hoc agendi modo quàm inania ſint & decreta & imperia: nec
enim damnatos ex ſeſe iudicato parere, nec magiſtratuum autoritate & coërcitione ad pa-
rendum compelli: Sic per ſummam contumeliam iuſtitiæ locum non eſſe, & fœdus peſſun-
dari: monere igitur collegas ac petere, ut ad avertenda mala rem cum ijs, cum quibus ex fœ-
deris formulâ id fieri debet, communicent, atque hoc efficiant, ut contumaces ex præſcripto
eiuſdem fœderis coërceantur, & pœnas pendant: quam ad rem ſi auxilio ſociorum habeant
opus, ſe certiores de voluntate ipſorũ factos, non eſſe ipſis & reip. defuturos, nec commiſſuros,
ut cauſam dediſſe in ipſo limine ſoluti fœderis videri poſſint.* Tranſlavicani collegæ de-
legati ex litteris his ad XVIII-viros judices, Leoardiæ hanc ob cauſam coactos,
negotio relato, ex eorum voluntate contumacibus primùm paritionem omni-
bus graviſſimâ autoritate imperant; deinde ad diem XVII Calend Septembr. ita
reſcribunt, rationibus & precibus ad temperandum rigorem miſtis, ut placatis
ſociorum animis & fœdus ſteterit incolume, & obſequium impoſterum decre-
tis & imperiis XI-virûm in rep fœderatorum rectiùs ſit præſtitum. Ineunte
M. CCCC. LXXIX, primis Ianuarij diebus Groningam venit Arnoldus Loüs, idem M. CCCC.
qui fecialis in Friſiâ Orientali XIV antè annos fuerat, jureconſultus celebris, LXXIX.
& jam Equeſtri dignitate ornatus, atque Imperatori à conſiliis, legatus ab Im-
peratore in Friſiam Tranſlavicanam miſſus. Is mandati ac ſidei litteras com-
munes cum Georgio Eccleſiæ Rom. Cardinali, & Ioanne Kilnero fiſci præfecto
à Friderico III Imperatore Gratiæ in Styriâ acceperat ipſis Nonis Maij anno
jam elapſo ſignatas, cum poteſtate ampliſſimâ. Iuſſi enim ſunt ſive convinctim
omnes, ſeu ſinguli ſeparatim, univerſas res Friſiæ Trãſlavicanæ pro prudentiâ &
arbitrio ſuo diſponere, ſummum Rectorem, quẽ Poteſtatem dicunt, cõſtituere,
juri & judiciis ordinẽ dare, de re monetariâ ſtatuere, cætera omnia agere, quæ &
ex uſu eſſe ipſius huius provinciæ, & expedire Imperatori ac Imperio Germaniæ

arbitraturi eſſent: atque hæc quidem ſic agere, ut quidquid horum egerint, id non minùs ratum eſſet, ac ſi ipſe idem egiſſet Imperator. Sed præter hæc alia quoque aliis in locis expediunda magni momenti negotia eodem tempore iis commiſſa ab Imperatore fuerant. Quibus cùm diſtinerentur diutiùs, ne abſoleſcerent ad Friſios pertinentia mandata, reliqui duo, omni poteſtate earum rerum in ſolum Loüm collatâ, quarum ille erat peritiſſimus, eum in Friſiam miſerunt. Ille Coloniâ Groningam rectà profectus, iis, qui civitatem regebant, jam dudum notus, atque ære ipſorum conductus (res enim civitatis in aulâ Imperatoris prioribus annis curaverat) priuſquam in Tranſlavicanos iret, oſtenſis mandati ſui litteris, cum iis utpote rerum Friſicarum peritis, de omni negotio legationis ſuæ communicat liberè, & conſilium eorum exquirit, quò feliciùs, quorum causâ venerat, mandata pro Imperatore perageret. Simul litteras ad Tranſlavicanos dat ad diem XVII Calend. Februarij, quibus eos de ſuo adventu certiores facit, & diem conſtituit indicendi omnium Ordinum comitia. Quibus acceptis litteris, communicatâ inter ſe re Tranſlavicani, ut munere legatum delinirent, tributi exiguum modum raptim univerſo populo indixêre. Legatus conſilio Groningenſium jam probè inſtructus, profectus in Oſtergoos ad diem VI Calend. Martij Leoardiam ingreſſus, omnes iſtic Ordines, & in iis ſpectatiſſimum quemque ex Oſtergoâ, Weſtergoâ, Sylveſtribus, & cum his Octopagicos, Collumanos, Oſterbrocæos præſentes invenit. Poſtridiè exhibitis mandati litteris proponit, *voluntatem Imperatoris eſſe, ut tributum multis ab annis non ſolutum tandem aliquando ſolvant, rationem ineant, quà impoſterùm ſolutio eius ſit expeditior & certior; factiones evitent, quietis ac concordiæ tenendæ causà vetus inſtitutum in uſum revocent creandæ Poteſtatis; id utile toti reip. fore, & omnibus in rep. viventibus; in quo ſi morem Imperatori benevolentiſſimo, & pro ipſis ſollicito non gerant, nec ſui è medio, cui parere velint, deſignent, rem poſtulaturam, ut creando Capiti Imperator autoritatem ſuam interponat, quò tranquillitati publicæ conſulatur.* Ea audita in diverſa animos populi diſtraxêre. In tributo id vitium, quod priùs expoſui: repeti ab iis, qui interverterant, difficile, & non ſine tumultus periculo, denuò exigi ſolutum à plebe, multò etiam difficilius & periculoſius: Factionum ſtudium pertinax & imperio non cedens. De Poteſtate contentio orta urgente negotium legato, non procul abfuit, quin turbas in conventu daret. Quâ re perculſus legatus cùm odia factionum cerneret, atque inter pericula ſe verſari putaret, conſumpto nequicquam multorum dierum ſtudio, deſperatóque profectu, Groningam ſe recepit. Illic recitato legationis eventu, oſtentatâque ſuâ in civitatem benevolentiâ, ſuggeſſit Senatui, *ſi pecuniam contemnere vellent, & X millium Rhenenſium ſummam pro tributo præſtare quotannis, haud arduum ſe putare, gubernationem omnis Occidentalis Friſiæ pro civitate ab Imperatore impetrare.* Libentiſſimis æquè ac cupidiſſimis animis id à Senatu auditum: ſimul plura, ceu fit, aſpirante aura, ſpe avidâ comprehenſa. Et quanquam pecuniæ poſtulatæ magnitudo ſcrupulum injiceret, & dulciſſimam rem amarore adſpergeret, tamen hunc quoque tolli poſſe ope legati non deſperabant. Hunc enim cupidini ſuæ peropportunum muneribus & promiſſis obligare habebant in animo; cum eodemque auſi fuerunt agere de conſtituendo perpetuo in agrum Ciſlavicanum civitatis imperio; quod quidem uno Imperatoris decreto confici poſſe exiſtimabant. Id verò ſuâ operâ impetraturum ſe pedicis aureis captus legatus pollicebatur. Et erat ob oculos ad firmandam fiduciam exemplum recens Vlrici in regione finitimâ, eodem hoc autore & promotore Loö: erat aliud etiam eo recentius in hoc eodem agro Rengeri & Ripperdæ: animique oratione legati de aulæ rationibus incendebantur. Poſtremò ſic comparatum inter legatum & ipſos: Legatus, ut aditum aperiret civitati ad imperium in Tranſlavicanos, de quo mandatum ac poteſtatem certam ab Imperatore & collegis ſuis habebat, ac ut eam in qualemcunque poſſeſſionem imperii iſtius immitteret, diploma ei dedit

transfixum litteris mandati, quod ab Imperatore & à collegis acceperat: eo autem diplomate omnem poteſtatem ſuam ab eodem Imperatore & collegis ſibi datam in civitatem Groningam contulit: ejus fidei omnem Friſiam Tranſlavicanam commiſit, juſſit, eam ut curaret: in eâ ſummum Rectorem, ſeu Poteſtatem conſtitueret, cætera quoque diſponeret, ageretque eo modo, quo Imperatoris mandato erat comprehenſum, & quo fas eſſet ipſum præſentem Imperatorem diſponere, agereque. Ad quam rem ſi civitas ampliore mandato & confirmatione habitura eſſet opus, pollicitus eſt, utrumque poſcenti ſe eſſe procuraturum: denique teſtatus fuit, non hæc rogatum facere ſe, ſed ſponte ſuâ, quòd videret, bono publico, & Imperio Germaniæ itâ expedire, poſtremò ſeveriſſimè imperavit civitati, ut pro eâ quam Imperatori & Imperio deberet fide, mandato huic ipſa ſaltem parêret, quandoquidem Tranſlavicani, ad quos id propriè pertinebat, parêre noluiſſent. Id actum XI Calend. Maij. Civitas viciſſim litteras fidei ac mandati legato Loö ex conſilio ipſius ſcriptas, imò ab ipſo dictatas dedit, ex quibus pro prudentiâ ſuâ utroque de agro, qui cis ultraque Lavicam eſt, civitatis nomine ageret cum Imperatore: pariterque recepit, alias etiam litteras, eâdem de re, eodem à legato compoſitas ad palatum aulæ, atque Imperatori inſcriptas, poſt legati abitum conſtituto tempore in aulam ſe eſſe ſubmiſſurum. Ita demum Loüs Groningâ digreſſus, ingentibus oneratus promiſſis, relictâ poſt ſe ſyngraphâ teſte & acceptæ mercedis liberalis, & operæ ab ſe civitati addictæ in negotiis apud Imperatorem expediundis, in aulam rediit, ibique cum multâ ſanè inſectatione & invidiâ Tranſlavicanorum, & cum Groningenſium inſigni prædicatione legationis ſuæ rebus expoſitis, atque hoc fundamento cauſæ jacto, exhibitiſque à civitate acceptis litteris, quid in mandato ab eâ haberet, Imperatori oſtendit, eique, quantum oratione potuit, negotium commendavit. Mox ſubmiſſæ venêre illæ, quas dixi, à Groningenſibus litteræ, à Loö præſcriptæ: quarum argumentum fuit tale. *Arnoldum Loum cum mandatis Imperatoris in Friſiam Occidentalem iter habentem Groningam veniſſe, conſiliique expediundis illic rebus ab ipſis rogaſſe, iiſque inſtructum iiſſe iſtuc, & quanquam omne adhibuerit ſtudium, tamen nullâ re perfectâ gratulantem ſibi, quòd incolumi diſcedere licuiſſet, Groningam rediiſſe: Eâ occaſione uſos ſe de negotiis quibuſdam reip. ſuæ ad bonum publicum, & commodum decuſque ipſius Imperatoris pertinentibus cum eodem contuliſſe, & apud Imperatorem expediunda quoqne illi commiſiſſe. Iam autem, quod exiſtiment erratum fortè in re eſſe non ſatis explicatâ, conſtituiſſe, hoc ſcripto quàm planiſſimè eam omnem exponere. Deinde incipiunt: ſitas circùm iuxtaque urbem ſuam regiunculas nonnullas, deſcriptas & expreſſas nominatim in adiunctâ chartâ, vulgo minoris Friſiæ vocabulo notatas: eas quondam factionum peſſimarum ſtudio tumultibus aſſiduis agitatas cædes, latrocinia, rapinas diu pertuliſſe: nunc à ſe, compreſſis iis malis, pacatas, & quieti ac concordiæ redditas, cum civitate ſuâ fœdere ac pactis coniunctas eſſe ad aliquot annos: Eam quietem & conſenſionem inviſam nonnullis hominibus factioſis, quorum ſtudium ſit, turbatâ concordiâ, priora factionum mala in ſcenam reducere: Sui verò deſiderii eſſe, Imperatoris obviam ire conatui eorum antè fœderis finitum tempus: ideo Loö ſe mandaſſe, ut civitatis nomine ſanctionem pactorum perpetuam, adeoque feudum harum regiuncularum peteret ab Imperatore. Quod ſi obtinerent, faciliùs ſe malis occurrere, ac remedia adhibere, pacemque tueri poſſe: In eo verò nullum ſe ſuum commodum quærere, quippe qui reditus nullos è regiunculis percipiant, ſed bonum tantum publicum ſpectare, ut conſenſio & pax conſerventur, negotia gerentibus ſecuritas præſtetur, calamitates & earum cauſæ ſeſe ingerentes ab iiſdem regiunculis ac totâ viciniâ ſubmoveantur. Præterea, quòd non proba pecunia frequens non ſolùm inferatur in iſta loca, ſed etiam in iiſdem feriatur, petiiſſe ſe iam anteà, & nunc quoque petere ab Imperatore ius feriundæ pecuniæ aureæ, qui de argenteâ id iam per multa ſecula habuerint. Adhæc in Occiduâ Friſiâ multa mala graſſari ob ἀναρχίαν: Imperatori autem competere, Poteſtatem regioni dari, quæ ſoli ſit illi ſubiecta: eandémque regionem teneri, annuum ſolvere*

eidem Imperatori tributum, quanquam id toto iam ſæculo ſolutum non ſit. Itaque petiiſſe quidem ſe quoque Poteſtatis eius adminiſtrandæ munus per legatum Loïm, maximo bono & honori ipſius Cæſaris, ne quis alius, quem Cæſar nolit, iſtuc ſe ingerat: nec eſſe quenquam, qui compeſcere, atque in officio retinere regionem imperij impatientem queat, præter civitatem ſuam, quemadmodum Loïis oculatus teſtis poſsit planum facere; verùm, quoniam neſciant, quantum confici ex definito tributi modo queat, grave ſibi fore, dena illa millia quotannis hoc nomine polliceri, priuſquam in poſſeſsionem regionis immiſsi, ex ipsâ collectione fecerint huiuſce rei experimentum; exiſtimare quoque, ſi maxime velint ipſi, tamen, ut aſſentiatur, plebem oppidanam perſuadere ſe non poſſe. At ſi Imperatori placuerit in ipſos adminiſtrationis munus conferre, paratos fore ſe, fidem ſuam per ſignatas tabulas rurſum obligare de munere fideliter adminiſtrando, & colligendo tributo, eóque vel Francofurti vel Coloniæ exhibendo. Et quandoquidem Poteſtatis muneri annexa ſemper conditio ſit reddendarum rationum, eam quoque ſe non detrectaturos. Pro omnibus verò his iam memoratis non recuſaturos, acceptis ab Imperatore diplomatis, ad declarandam animorum gratitudinem bonam pecuniæ ſummam ei dono dare, cunctáque viciſsim facere ſummo cum ſtudio & fide, quæ ad honorem & commodum ipſius intelligent pertinere. Conſiderandum verò maieſtati eius ſe permittere, regionem Tranſlavicanam ſine magno impendio, atque hominum diſpendio pacari, & ad obſequium cogi non poſſe. Poſtremò ſignificare, ſi cenſeat Imperator, certas ob cauſas in feudum aſsignari regiunculas Ciſlavicanas, fas non eſſe, tum ſatis fore ſibi, ſi eodem ſaltem Poteſtatis perpetuæ titulo eaſdem gubernandas acceperint. Id certe extra omne reprehenſionis futurum periculum. Et itâ quidem illi. Sed ea erant tum Imperatoris tempora, cùm hæc in aulam venère, ut vacare rebus iſtis conſiliarij eius non poſſent. Nam Maximilianus Imperatoris filius, ad quem ſcripſerant etiam Groningani eodem de negotio, defendendis Burgundicis Belgiciſque provinciis bello Gallico diſtinebatur, & in non parvo verſabatur
M.CCCC. LXXX. periculo. Et Mahometes Turca Chriſtianis ubique infeſtus paulò pòſt Rhodum magno cum exercitu invaſerat, indéque cum clade rejectus Hydruntem Apuliæ civitatem maritimam ſummâ vi fuerat adortus, & continuo plurium dierum labore & cõtentione oppugnatam redegerat in poteſtatem, magnúmque terrorem univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ intulerat. Quamobrem majoribus curis minore hac ad tempus oppreſſâ, vix tandem à Loö expugnatus Imperator habendæ pecuniæ deſiderio, vergente jam anno M.CCCC.LXXX in preces civitatis animum inclinavit: decretique tabulas de Tranſlavicanâ gubernatione, feriundáque pecuniâ ad diem XII Calend. Decembr. ſcribi, & ſignari, & cum his Ioannem Steinbergium præpoſitum Goſlarienſem, Arnoldumque Loüm variis cum mandatis in Friſiam ire juſſit. Inter quæ Groningani cognoſcendis querelis à Dowone Siardâ repetitis occupati id agebant ſeriò, ut iſtâ tandem moleſtiâ ſe liberarent. Convenerat inter utroſque anno præcedente M.CCCC.LXXIX, intercedentibus arbitris viris gravibus Ioanne Wicheringo, Mammone ſacerdote, Waltcone Decamâ, Mennone Dowemâ, Bernardo antiſtite Franciſcanorum Leoardienſium, ut utrorumque teſtimonia, & documenta exhiberentur Bernardo antiſtiti Franciſcano antè Idus Iulij, & ab eodem permutata traderentur Groningana Siardæ, & Siardæa Groninganis, quò utrimque examinari, & de reſponſis partes cogitare poſſent: deinde ut ad VI Calend. Auguſti utrique adeſſent Leoardiæ ad tentandam tranſactionem, ſi modò de loco aſſentiretur ſenatus Groninganus: qui ſi non aſſentiretur, maturè ex voluntate partium locus conventui deſignaretur alius. Cùm verò Leoardiam recuſarent Groningani, dictus eſt locus in cœnobio Bergæo, actióque dilata in annum proximum M.CCCC.LXXX, in octavum diem antè ſolennem ſociorum omnium cõventum in urbe Groninganâ. Illic igitur coëuntes, hinc ipſe Dowo Siarda, Haijo Camminga; iſtinc Goſuinus Dulchius conſul, Eberhardus Hubbeldingus apud Collumanos præfectus, Aiboldus Alberda, Ioannes Grypius, Ioannes Scafferus, Bernardus Hornkenius reip. ſenatores, ita egére, ut Siarda

reciperet, arbitros ſe admiſſurum totius controverſiæ viros ſex à ſenatu Gro-
ningano, qui documenta omnia partis utriuſque conquirerent cum fide, & di-
ligenter perluſtrarent: ex perluſtratis & examinatis omnibus ex æquo & bono
incorruptam ſententiam ferrent, quomodò vellent ipſi fieri ab aliis in cauſâ
ſuâ, idque facerent præſente abbate Adoardiano & VVatcone Decamâ: Quod
ſic tuliſſent, id pollicitus eſt ille, ratum ſe habiturum: hunc finem omnium que-
relarum partis utriuſque futurum: Atque iſtum in uſum convênit, ut Siarda
cuncta, quæ putaret ad cauſam prodeſſe ſibi poſſe, ſenatui Groningano tranſ-
mitteret intra dies XIIII, & porrò ad VIII Calend. Auguſti eidem ſignificaret
ſenatui, utrum ferri ſententiam intra diem XIIII ab eodem feſto cupiat, an
verò differre rem malit in annum proximum M.CCCC.LXXXI, in id tempus,
quo Groningani cum Tranſlavicanis conventum acturi ſint Leoardiæ. Huic
actioni abbas Adoardianus, VValtco Decuma, Gaico ſacerdos Berguerda-
nus adfuêre. Pronunciatio ſententiæ rejecta in annum proximum: mortuuſ-
que intereà Waltco Decuma, & ei à Dowone ſubſtitutus, qui agendæ rei in-
tereſſet, Haijo Heringa. Latum inter cætera, ut Sicco Siarda junior Dowo- M. CCCC.
nis filius Groningam veniret antè Calend. Novembr. & coram ſenatu & po- LXXXI.
pulo quædam firmaret: Groningani liberum ac tutum ei conventum ad eam
rem præſtarent, modò is civitatis hoſtes aut exules ſecum in comitatu non du-
ceret. Is finis tandem omnis controverſiæ diuturnæ fuit. Verùm antè poſtre-
ma hæc vernante Majo anni M.CCCC.LXXXI Groningam jam venerant, quos
dixi, Steinbergius & Loüs, & perampli argumenti tabulas ſecum tulerunt. Iis
in tabulis, quas ſenatui populoque videndas legendaſq; oſtendebant, de Trans-
lavicanis ſic ſcriptum fuit. *Quoniam Friſiæ Occɩduæ regiones Oſtergoa & Weſtergoa,*
& cæteræ omnes cum his connexæ, ſine dubio ſolius Imperatoris ac Imperij ſint, Imperator-
que ob aſſidua & graviſſima Imperij negotia, & intervalli ſpatium longiſſimum, præſens ijs
præeſſe non queat, eámque ob cauſam tumultus, ædes, aliique incommoda magna ſæpius il-
lic exiſtant, idcircò Imperatorem bono omnium, qui regionem inhabitant, re bene delibe-
ratâ, ſpontaneo animi motu & conſilio, conſulibus, ſenatuíque Groningano ob viciniæ com-
moditatem, & ipſorum in Imperium perpetuam fidem, ac ſtudium, meritáque quàm pluri-
ma, ſuo & Imperij nomine munus illud, quod Poteſtatem vocant, in perpetuum tribuere
cum omni iure & commodis eidem poteſtati annexis: & velle ac ſancire, ut decretum hoc
ſuum firmum ſit atque irrevocabile in omne tempus futurum: mandare verò, ut conſu-
les ijdem, & ſenatores commiſſam regionem tueantur, regant, pacatam ſervent: ad hæc
decernere, ut ijdem, qui iam in munere ſunt, quíque poſt in conſulatum ac ſenatum legen-
tur legitimè, in Equeſtri ordine omnes cenſeantur: pecuniæque aureæ pariter & argenteæ
ſignandæ ius etiam ſenatui permittere: Pro his poſcere viciſſim, ex aſſignatâ provinciâ
Tranſlavicanâ; ut ærario ipſius illi tributum annuum ad minimum X millium aureorum
Rhenenſium pendant: In hunc finem Ioannem Steinbergium & Arnoldum Loüm iure-
conſultos legatos in Friſiam iam mittere, qui cingulo Equeſtri conſules & ſenatores pro more
induant, ac reliquis eius Ordinis inſignibus ornent, ornatóſque ſtatim in poſſeſſionem Pote-
ſtatis iſtius in regionibus Tranſlavicanæ Friſiæ immittant, omnéſque earum regionum or-
dines iubeant ſenatui huic velut Imperatoris legato perpetuo, iuſta ac legitima edicenti, ſta-
tutáque promulganti parêre, non ſecus ac ſi ipſe ea ediceret & promulgaret Imperator.
Pœnâque contumacibus, & huic decreto obſiſtentibus denunciata. His tabulis litteras
quoque addidit Imperator die VIII Calend. Decembr. ſcriptas ad omnes Tranſ-
lavicanos Ordines, in iiſque præter civitates Doccumum, Leoardiam, Frane-
keram, Bolſverdiam, Snecam, VVorcumum, longum virorum præcipuæ nobi-
litatis catalogum nominatim expreſſit: quibus litteris mandavit, uti ſenatui
Groningano munus illud pro ipſo gerenti obſequerentur omnes, ejuſque edi-
ctis & ſtatutis obtemperarent, graves interminatus pœnas, ſi ſecus facerent.
Simul ad ſenatum Groninganum etiam ſcripſit eodem die in hanc ſententiam:
Quod ipſi per Arnoldum Loüm petierint nuper de munere Poteſtatis in Oſtergoâ &

Weſtergoâ, déque feudo regiuncularum ipſis vicinarum (inſulas vocat Imperator) *de eo ſe Ioanni Steinbergio iureconſulto, præpoſito Goſlarienſi, & eidem huic Loö mandata dediſſe, ut porrò cum ipſis loquantur & agant: hiſque ſe plenam ac abſolutam eius rei poteſtatem tribuiſſe, ut prolixiùs ex ijſdem iſtuc venientibus ſint intellecturi: poſcere igitur, ac iubere, ut fidem ijs hac in re adhibeant, & quod dicturi illi facturíque ſint, non aliter ac ab ipſo dicta factáque Imperatore, accipiant.* E quibus perſpicuum ſanè, de Ciſlavicanis ſtatutum quoque tum fuiſſe, & mandata legatis data; quamvis cujuſmodi ea fuerint, hactenus mihi maneat ignotum. At tabulis recitatis, ſeu interponentibus ſeſe, quorum intererat, ſeu quod tranſigere cum ſenatu de conditionibus, imprimíſque de pecuniæ modo, quem nimis grandem ac iniquum pro honore ſtatuere Cæſar videbatur, convenire legati non poſſent, rem cum civitate non confecerunt. Itaque litteræ quidem ad ſenatum ſcriptæ & traditæ Groningæ manſerunt: diploma autem, & edictum, quod dixi, Tranſlavicanis inſcriptum, non coëunte contractu, in aulam Imperatoris ſunt relata, ubi etiam nunc inter publica Imperii acta conſervari hæc eadem conſtat. At ne ſic quidem Groninganis abjecta ſpes adſpirante favore Loï: animare ſe mutuò, ſperandi cauſas comminiſci, & depromere, aulæ facilitatem & indigentiam, legati opportunitatem & ſtudium, ejuſdemque in aulà inſignem ac præpotentem gratiam, titulum rei ſpecioſiſſimum: rectâ cum non ſucceſſiſſet, obliquâ tentandum viâ, ut imperium Friſiæ paretur, & tamen onus haud levis, perpetuique tributi avertatur: & quid nocuerit, tentaſſe denuò? Denique in hanc ſententiam eunt omnes, novis mandatis inſtruendum Loüm in aulam rediturum. Mandatorum hæc fuit ſumma: *Exponat Cæſari Loüs, ut is pro eâ, quam habet, poteſtate regiunculas Friſiæ Amaſo Lavicâque fluminibus & agro Weſterwoldio clauſas, item flumina, amnes, rivos, aquas, quæ vel perluunt has regiunculas, vel alluunt, vias quoque & ſtrata, ditiones, imperia, iuriſdictiones, & quæcunque ad maieſtatem Imperij Germanici pertinent, in feudum perpetuum det civitati: Et quod feudo inſitum eſt, ius tribuat mandandi, vetandi, decernendi, ſtatuendi, puniendi, denique agendi omnia, quæ ipſa ad conſervandam quietem, & populum in fide ac obſequio Imperij Imperatoriſque retinendum putabit facere, quæ ve Imperatori ipſi præſenti decernere ageréve liceat: ſalvis interim pactis & fœderibus inter civitatem & regiunculas has iam antè initis, & ſalvâ poteſtate eadem hæc pacta fœderáque meliora faciendi, haud aliter tamen quàm ex libero partium conſenſu: Ad hæc, ut liceat civitati, regiunculas etiam alias hiſce vicinas Imperio Germanico ſubiectas pactis & fœderibus ſibi iungere ſive in annos aliquot, ſive in perpetuum; maxime autem regiunculas eas, quæ per ſe quietæ eſſe, & legum frena pati non poſſe videntur, ſempérque negotiantibus & iter facientibus ſunt infeſtæ: utque habeat civitas ius idem in has, quod in illas priores: & ſi res poſtulet, permiſſum ei ſit ad avertenda mala publica armis iſtas coërcere, & ſuæ quoque poteſtati ſubÿcere, ſumptuſque ab ÿs repoſcere, qui armorum cauſam præbuerint, aut contumacibus ac inquietis opem quoquo modo tulerint: nec fas ſit, ſi quæ detrimenta in coërcendis ſubigendíſque contumacibus cuiquam eorum inferantur, civitati eiúſve ſocÿs ea imputare: ut imperetur quoque omnibus vicinis, hoc beneficium Cæſaris in civitatem collatum, ut ope ſuâ tueantur, cunctíſque viribus ſuis ſartum tectum conſervare connitantur tum ſponte ſuâ, tum à civitate commoniti: ceſſantibus in hoc officio graviſſima pœna ut irrogetur: Poſtremò ut irrita ſint omnia, quæ cuiquam his contraria a quoquam conceſſa tributáve videri poſſint.* Loüs chirographo dato pollicitus eſt, ex hac formula ſe acturum cum Cæſare, nec ab eâ deflexurum. Atque ità Groningâ diſceſſit poſt VIII Calend. Iunij, (iſto enim die chirographum ſignavit) ſolúſne, an cum collegâ Steinbergio, incertum. Nec ab eo tempore in rebus noſtratibus ulla Loï mentio: nec, quis eventus rei hujus, ullum in chartis publicis, aut ſcriptorum monumentis indicium. Vnde ſuſpicio mihi, aut obiiſſe Loüm præmaturè, aut fide non bonâ egiſſe, aut nullo ſucceſſu apud Imperatorem hac in re laboraſſe. Res certè ab hoc tempore ſilentio obliterata. Ego verò omnia expendens in iſtam rapior ſententiam, ſi ea, quæ tum temporis

quæſita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

quæſita fuêre, civitas ab Imperatore obtinuiſſet, & Loüs in vitâ atque aulæ gratiâ manſiſſet diutius, idemque ſtudium, quo ſe oſtentaverat Groningæ retinuiſſet, haud multos poſt annos ab Amaſo in Flevum conſtitutum imperium civitatem habituram fuiſſe. Nam Reideria quoque his terminis incluſa erat, & verſus Occaſum cum Tranſlavicanis bellandi cauſa ſpecioſa, & imperii proferendi occaſio potentiæ avidis viris nunquàm defuiſſet: impedimenta verò, quæ temporibus ſequentibus ſucceſſus civitatis corruperunt perverteruntque, Loüs ſtudio ſuo, & gratiæ potentiâ nullo negotio avertiſſet. Quòd non abs re me arbitrari, judicare poterunt ii, qui eà, quæ poſt recenſebuntur, cum ſtudio volent expendere. Sed ad Tranſlavicana jam redeundum. In Weſtergoâ ad diem XIV Calend. Auguſti anno æræ Chriſtianæ M.CCCC.LXXIX. Tiardus Iongama (ſic enim pro Iuvingio appellari voluit) opibus & nobilitate potens apud Bolſuerdianos obiit ætate integrâ: cujus mors immatura cùm Bolſuerdiæ ipſi exitioſa multis annis, tùm toti inter Amaſum ac Flevum Friſiæ ſummæ calamitati fuit. Nec antè ex hoc fonte profectis ſeditionem & turbarum civilium malis finis factus, quàm poſt exantlatas omnis generis miſerias per annos totos XX libertas tandem concidit. Id quomodò acciderit, paulò diligentiùs explicandum, ab ipſo, quod ajunt, ovo, ut appareat, quàm levibus è principiis quàm gravia ſæpè mala exiſtere ſoleant. Floruerat apud Bolſuerdianos à multis jam temporibus Iuvingiorum familia nobilis, opibus & autoritate cæteras anteïens. In his Iuvo Iuvingius, qui ad annum M CCC.XCVI contra Hollandos fortiter dimicans pro patriâ occubuit, duos reliquit, Goſlicum Iuuingium, & Tiarchonem Waltham. Hic Tiarchwerdiâ in arce, quæ in agro novo ad Bolſuerdiam eſt, ſedem habens liberos genuit tres, Iuvonem Iuvingium avi nomen ferentem, Tiarchonem VValtham, Anſecam filiam Reniconi Heringæo Slotenſi matrimonio junctam. Goſlicus Bolſuerdiæ Rector, de quo multa nobis jam dicta ſunt, filium unicum moriens reliquit, hunc eundem, cujus fatum jam nunc memoravi. Huic nupta erat VVitia VVopconis Iuveſmæ à VVorpio crudeliter confecti filiæ, quæ antè in mætrimonio Iuvonis Haringæi Slotenſis vixerat, puellamque ex eo unam ſuſtulerat Lutiam nomine, cui Sicco Siarda Franicenſis junior, Dowone natus, maritus fuit. Sed eadem Tiardo huic Iuvingio Goſlici filio, qui pro Iuvingio Iongamæ cognomen uſurpare cœpit, Goſlicum juniorem Iongamam peperit, & filiam Anſecam, ambos adhuc tenellos, cùm Tiardus maritus in fata concederet. Et huic quidem Goſlico puero jus imperii erat apud Bolſuerdianos, ſed per ætatem ipſe nondum adminiſtrare id poterat. Ea propter qui tutelæ præeſſet, & Bolſuerdiam intereà, dum ille adoleſceret, pro impubere regeret, Iuvo Iuvingius agnatus proximus ab oppidanis eſt accerſitus. Sed id matri VVitiæ adverſum, ambitioſæ & ferocis ingenii fœminæ. Quæ ut in ſe tutelæ vim ac imperium traheret, Sicconem Siardam generum, & filio ſuo ſanguine junctum, tutorem poſcebat. Verùm arcere Iuvonem non potuit, pro quo longè maxima pars oppidanorum nitebatur. Qui cùm tutelam adminiſtraret, ritu gentis, quoties ſolennia ſacra agerentur, aut adeunda altaria eſſent, primum locum, pro eâ poteſtate, quam gerebat, ſibi uſurpabat. Id verò fœmina, cui nihil rerum Iuvonis gratum erat, indignè ferens, &, pulchram criminandi materiam exiſtimans, hunc honorem ſoli filio ſuo deberi, rectumque eſſe ut ejus nomine, tantiſper dum adoleſceret, per famulum ejus obiretur, contentionum avida clamitabat. Et habebat utraque pars in oppido homines inquietos, qui frigidam ſuffunderent, nec priùs abſiſterent quàm in graviſſimam contentionem, & factioſos motus tantulâ de re nata diſſenſio exardeſceret. Tum VVitia communicatâ priùs cum nonnullis re quibus maximè fidebat, quorum è numero Senatorum magna pars erat, ex oppido profugiens Franicam ad generum ſe contulit. Cum eo egit, ut paratâ manu armatorum Iuvonem Bolſuerdiâ expelleret. Eâ re per indicium acceptâ, Iuvo, ut ſuis

rebus conſuleret, pridie Idus Februarias anno M.CCCC. LXXX. Senatum populumque Bolſuerdianum in templum, quod in oppido maximum eſt, convocat. Illic de Sicconis molitionibus quæ accepiſſet, exponit, & quid facto opus ſit, exquirit. Erant Senatores in eâ templi parte, quam chorum dicunt, ſeorſim congregati, plerique omnes non ſatis æqui cauſæ Iuvonis. E quorum numero cùm unus, periculo omnium ex verbis Iuvonis repetito, & quanta neceſſitas concordiæ ſervandæ ſit, expoſito, quo animo in Senatum cives in hoc diſcrimine eſſent, percontaretur, unica vox à factioſo cive oportunè miſſa tantum valuit, ut tumultu ſubitò in templo exorto ferrũ in ſe mutuò cives ſtringerent, & cuncta ad miſerrimam lanienam ſpectare viderentur. Sed propitio Deo tantum ſcelus à civitate averſum fuit non ſine miraculo. Senatoribus, qui ad primum ſtatim motum chori oſtia clauſerant, fugâ per averſam januam dilapſis, & furore nonnihil ſedato, Iuvo cum factione ſuâ è templo egreſſus prælatis ſtrictis mucrouibus domum, Heramæam, quæ reliquis ad ſuſtinendam vim firmior eſſe videbatur, minitabundus contendit, occupatamq; commeatu repentè, & omni inſtrumento militari in adventum Sicconis inſtruit. Poſt dies decem Sicco cum promptâ quingentorum armatorum manu advolans, repulſis nullo negotio iis, qui ex oppido à Iuvone obviam miſſi erant, ut eum aditu prohiberent, oppidum occupat, & hoſtem per feneſtram delapſum cum promptiſſimis ſuorum profugere in vicinum agrum cogit. Deinde in oppido præſidium collocat, cunctaque ad arbitrium conſtituit. At Iuvò non ſatis fidens arci ſuæ, quam Tiarcwerdiæ in vicino vico à majoribus acceptans tenebat, quòd nullà re ſatis inſtructa erat, Snecam ad Petrum Haringæum, qui ejus oppidi Rector erat, uxoris ſuæ fratrem ſe confert. Nec multò pòſt, illius, & Edonis Iongamæ Raerdani, Eponiſque Boſumani, quos Petrus ſocios adſciverat, auxiliis eandem in arcem cum commeatu ac bellico inſtrumento, & firmo præſidio reducitur. In quâ dum hæret, ii qui cum Siccone Bolſverdiam venerant, Franicenſes atque è vicino agro ruſtici, commeatu deſtituti, autore VVitiâ, cum aliunde parari nihil poſſet, in civium adverſæ factionis primùm, deinde in omnium promiſcuè ædes involant, & aliena profundunt ſine modo. Quâ injuriâ irritati Bolſverdiani coëunt inter ſe ſecretè, atque initâ conſpiratione omnes ſimul cum armis in vicos oppidi & forum ſe ejiciunt, Sicconianoſque omnes oppido expellunt. Iis expulſis, Sicco etiam, quem ſuorum proterviâ graviter offenderat, cùm aliquot adhuc dies in oppido in Iuvingiâ domo cum nonnullâ manu amicorum ſe continuiſſet, tandem Franicam & ipſe redit, paucis cum Witiâ relictis, qui & ei & domui præſidio ſint. Ita factum eſt, ut Iuvo à ſuis in oppidum revocaretur: qui reverſus ita ſe communivit, ut totos XIII annos invitis æmulis rerum Bolſuerdicarum ſit potitus, haud tamen ſine moleſtiâ. Adeò enim odium inter inimicos invaluit, ut quanquam eodem anno per interceſſores lis finita inter Iuvonem & VVitiam videretur, tamen poſtero anno M.CCCC.LXXXI novo & periculoſo exemplo, contraque leges patrias peregrina arma ſtipendiis utrimque conduxerint. Initium à Siccone profectum. Is auxilio patris ſui arcem Hottingiam in agro novo, quam tum fortè germana ſoror Suobba, quæ Iaricho Hottingio nupta fuerat, pro liberis obtinebat, præſidio occupat, & Bolſuerdianos ac Snecenſes, quorum in medio arx poſita eſt, ex vicino infeſtat. Quo dolore oppidani utrique incenſi ductore Petro Haringæo Snecenſi, aliiſque nobilibus velut ad incendium extinguendum concurrentibus præſidium in arce obſident, & tormentis Snecâ devectis etiam territant; ſed minore profectu quàm ſperarant. Et cùm tertiam jam ſeptimanam iſtic hærerent, Sicco Siarda cum majoribus copiis, magno ſtudio intereà occultè confectis & armatis, ad x Calend Mart. intempeſtâ nocte Bolſuerdiam repentè advolat, oppidumque occupat, ſperans hoc propiore periculo rerum ſuarum ſe oppidanos ab obſidione abſtracturum, & tutelæ adminiſtrationem,

unde à Iuvingio dejectus erat, recuperaturum. At Petrus re cognitâ, relictâ copiarum parte in caſtris, cum reliquis, qui ferè ſtipendio conducti erant, eódem feſtinat, hoſtemque primo impetu ex oppido rurſum ejicit, nonnullis in pugnâ utrimque cadentibus. Mox impetus fit à victoribus in fines proximos hoſtium, agerque populationibus & incendiis afflictus. Tum Snecenſium tormentis, cùm reductæ in caſtra omnes jam copiæ eſſent, arx Hottingia validè concuſſa, quod antiqui operis ſupra muros novos, qui nuper circumducti erant, eminebat, omne dejectum, novi quoque muri crebris ictibus pulſati: ſed horum major firmitas fuit, quàm ut disjicit iis tormentis poſſent. Igitur de obſidione continuandâ decretum factum, donec fames obſeſſos ad deditionem cogeret. Intereà Wibo Siverdi filius Grovenſteinus Englumanus, cui vertex raſus vulgò Raſi cognomen dedit, de quo dixi priùs, cùm in eàdem obſidione eſſet apud Haringium, ex conſilio ſociorum colloquium cum Suobbâ, quæ in arce erat, petiit, dolóne, an quod agere cum eâ de conditionibus finiendi belli vellet, incertum. Fœmina vafro ingenio congreſſum non detrectat, ſed ægram ſe ſimulat: itaque duobus validis innixa juvenibus in pontem arcis, quaſi vix ſe ſuſtinens, obviam illi progreditur. Cœpto colloquio, cùm innuiſſet, juvenes, eâ miſſâ, Wibonem pontis in medio correptum, ac fruſtra renitentem in arcem trahunt, ſtatimque pontis pars, quæ dimiſſa fuerat, in altum reducitur. Eo caſu commoti obſidentes ſeriò de compoſitione agere cum hoſtibus cœpêre. Res arbitris permiſſa Ielloni Iuuſmæ, Benoni Wirdumano ſacerdotibus, Tiebboni Vningio, Petro Camſtræ, Heſſelo Ielgeri, Saſcero Onamæ, Sicconi Aggæo. Hi poteſtate acceptâ ità pronunciarunt: Vt rata eſſet prioris anni compoſitio inter Iuvonem & Vvitiam, oppidaque vicina inita, tutelaque controverſa apud Iuvonem maneret: Sua quiſque, ut habuerat antè bellum, ita nunc reciperet, & tranquillè impoſterum haberet: captivi omnes utrimque, jurati in has pacis conditiones, dimitterētur: nec audirentur, ſi neceſſitate carceris extortum ſibi juramentum eſſe cauſari vellent: Injuriæ mutuæ ac damna, quæ hujus belli tempore illata erant, arbitris viris bonis utrimque delectis æſtimanda antè VIII Calend. Auguſti permitterentur: pax certa & fida partibus eſſet: violatores ad ſupplicia exhiberentur: Vvibo Grovenſteinus è cuſtodiâ dimiſſus (nam hujus ingenium injuriæ & quietis impatiens ſuſpectum potiſſimum erat) ſi in fide non ſtaret, reliqui opem ei, clam palámve nullam ferrent: qui contrà facerent, perjuri haberentur: peregrinos milites utrique confeſtim dimitterent, atque antè diem XVI Friſiâ decedere cogerent: dimiſſos nemo ſtipendio rurſum autoraret quocunque prætextu: In has leges cùm ab utriſque juratum eſſet, ab armis diſcederetur, & capti è cuſtodiâ emitterentur intrà biduum. Sic bellum hoc, cùm conditiones placuiſſent, diremptum: Vvibo libertati reſtitutus: dimiſſus invicem ab eo Tiardus Groeſtera Dowonis Siardæ è concubinâ filius, ipſiuſq; uxor, quos ille anno ſuperiore captos, everſâ eorum domo, cunctiſque fortunis direptis, in cuſtodiam abduxerat. Quæ cauſa Suobbæ fuit, ut Vvibonem quocunque modo rurſum in ſuam poteſtatem redigeret. Peregrina arma omnia Friſico agro educta: Friſia quieti reddita. Sed paucos poſt menſes nova belli cauſa aliunde exſtitit. Nam cùm VVibo Iarichius Accrumanus Leoardianos hoſtilem in modum deprædaretur, atque omnes iis vias infeſtas redderet, oppidani parte ſuorum emiſsâ, quòd ferre injurias non poſſent, domum ipſius, quam arcis in modum munitam Accrumi habebat, ad XI. Calend. Novemb. obſidione cinxerunt, defendente eam cum præſidio Hommone Leonis filio, Vvibonis affine. Qui cùm defenſionem contra extremam vim, & à ſororio abſente auxilia deſperaret, præproperè ſeptimo obſidionis die ſe ac præſidium Leoardianis permiſit. Tum ſine morâ domus cum omni munitione à victoribus ad ſolum detracta, & exciſa eſt. Eâ vero obſidione durante Vvibo ipſe cum fratre Hommonis Vvorpio à Sciringiis per Oſtergoam, qui Leoardiæ proximi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

erant, opem rogat, & facilè impetrat. Secutiq́ue ſunt eum è nobilitate Syzo
& Feico Bottingii fratres, Botto Herweiæus, Vvilco Ringius, Izo Ziallingus,
Petrus & Fecco Camſtræ, Ieppo junior Ziallingus Leoninus, Vvibo Grou-
venſteinus, cum compluribus aliis. Hi poſtridie ejus diei, quo deditio ab
Hommone facta erat, primo diluculo Leoardiam adventantes à Septentrio-
nibus eâ parte, quæ Oldehova vulgò dicitur, oppidum repentè invadunt, &
priuſquàm concurri ad mœnia ab iis, qui domi remanſerant, civibus poſſet,
intra munitiones penetrant: ſed confeſtim, cùm ad primos clamores undique
è domibus armati ſe cives ejicerent, atque in eos magnis animis ac viribus
ferrentur, coacti ſunt occupato penè oppido rurſum decedere, ſeq́ue in tu-
tum recipere. Nec multò pòſt oppidanorum ea pars, quæ Vvibonis arcem
everterat, domum fortè cum triumpho revertitur: alteriq́ue de alterorum for-
tunâ & bene geſtâ re eodem momento fiunt certiores. Vnde ingens gaudium
& congratulatio mutua toti municipio extitit. Quam ob rem ad perennan-
dam gratam memoriam dies v. Calend. Novemb. populo Leoardiano ſacer
eſſe juſſus eſt in perpetuum, & ſupplicationes ſolennes, atque amburbia pro
more iſtius ſæculi decreta. Hac ignominiâ acceptâ cùm denuò ſe nobilitas pa-
raret, & ad majorem motum ſpectare videretur, Abbas Foſwerdianus, aliique
viri graves ac pacis amantes, ſeſe interpoſuere. Quorum ſtudio factum eſt, ut
in arbitros controverſiæ componendæ, ſacerdotes nonnullos, in quibus ipſe
quoque, quem dixi, Abbas, tum Senatum Bolſuerdianum & Snecenſem,
ac delectos è Vvontſeranâ & Vvibritſeranâ provinciis, conſenſio fieret: ab
his paulò pòſt ad XVII diem Calend. Decembr. omnis lis arbitrio pronun-
ciato finiretur. Sed hac pace Vvorpius & Hommo Leonini, cum Vvibone
Iarichio, quod ſibi non ſatis æquam putarent, comprehendi noluerunt.
Quapropter Leoardiani impetu in eorum res facto, VVorpii domum, quam
Buxumi in viciniâ arcis inſtar habebat, captam funditùs everterunt. Quod
majoris incommodi his ipſis cauſa fuit. Nam VVorpius acceptâ lateritiâ
turri validâ è Feicone Haringæo Snecenſi propinquo ſuo, quæ Woldefendæ
ad rivum oportuno admodùm loco ad prohibendas navigationes Leoardia-
norum, quibus tum nullus alius in mare exitus patebat, erat poſita, ac præ-
ſidio illic locato, omnem propè maris uſum hoſtibus ademit. Poſtremò in ea
incommoda illos conjecit, ut ſolutis CCCC aureis numis pacem redimere co-
acti ſint. Quæ dum eo anno hic illic geruntur, capita nobilitatis Friſicæ trans
Lavicam Dowonem Siardam, Sicconis Siardæ ſuperioris generum, patrem-
q́ue junioris, Hettonem Hettonis filium Decamam, Adonem Iongamam,
nonnulloſq́ue alios mors abſtulit. Et Bruno quoque Siricii filius Sciringius, cu-
jus magnum nomen ex fortitudine inter omnes coævos in Friſiâ diu fuerat, à
factione adverſâ occiſus apud Worcumanos odia partium vehementer aſpera-
M.CCCC. LXXXII. vit. Anno M.CCCC.LXXXII, ad initium veris, VVibo Iarichis domum quan-
dam Poppingwieræ, quæ Econis & Buttonis fratrum virorum nobilium erat,
ſubito adventu nocturno occupat, & ſororium horum fratrum, qui cum paucis
in præſidio erat, interficit. Hoc caſu inopinato perculſi fratres Leoardiam ſe
conferunt, de injuriâ eà communi hoſte acceptà queruntur, auxilia rogant,
impetrantq́ue centenariam cohortem benè armatam. Ita ſine morâ Poppin-
gwieram feſtinantes Vvibonem eâ de re certiorem factum deſerere domum,
quam nondum ſatis præſidio munierat, & in tutum ſe recipere cogunt. Ipſi
præſidium militum illic conſtituunt, & vicinum agrum infeſtis excurſionibus
ex eâ velut arce divexant. Quâ re indignata plebs ruſtica, autoribus Edone &
Heſſelo Iongamæis in ultionē exarſit, & Petro quoq; Haringæo Snecenſe in au-
xilium evocato, eoq́; ſine morâ, excitis è ſomno, atque ad arma vocatis ſuis civi-
bus, per noctē cum trecētis benè armatis celeriter advolante, præſidiū circum-
venit circiter Nonas April. cumq́; oppugnationē ab omni parte ſimul cepiſſet,
facilè

facilè domus capta eſt, præſidiariis maximam partem occiſis primo impetu, reliquis in carcerem conjectis, munitiones & omne ædificium penitùs disjecta, & reliquo ſolo æquata ſunt. Ita domum ab omnibus diſceſſum: Petro Haringæo cum Snecenſibus gratiæ actæ: unum deerat cæteræ fortunæ, quòd Econem & Buttonem autores huius mali, qui in præſidio tum fortè non fuerant, non cepiſſent. Quæ res cùm majora mala minari viderentur, commiſſis inter ſeipſas civitatibus ex conſilio virorum prudentium, quibus patriæ ſalus cordi erat, Leoardiani, Snecenſes, Bolſverdiani, Slotenſes, eodem adhuc menſe Aprili, in quadriennium proximum inter ſe fœdus inierunt, in hanc ſententiam: *Vt pacem inter ſe omnes, & libera commercia haberent, vis & iniuria procul eſſent, & communi ope arcerentur, illatæ æris mulctâ, aut capite ſtatim punirentur: fœderati ſibi mutuo auxilio eſſent ſuo quique ſumptu: quantis verò auxilijs opus eſſet, à delectis* IX-*viris, quorum tres Leoardia, tres Bolſverdia, reliquos Sneca & Slota darent, decerneretur; delecti hi quocunque proficiſcerentur, inviolabiles maximo legum præſidio eſſent: Ius æquum pro legibus & conſuetudine cuiuſque oppidi ſocijs diceretur: Iis quoque, qui extra fœdus ſunt, à quoquam ſociorum impunè vis inferri non permitteretur: bellum & pax niſi ex conſenſu ſociorum omnium non inirentur: pacta inter Leoardianos & Franicenſes, item Snecenſes & Bolſverdianos nihilominùs rata illis manerent: peregrinos milites in Friſiam à quoquam induci, ſocij fœderis non paterentur: id operam darent, ut vicinæ per agrum præfecturæ, ſi ſpontè nolint, quocunque modo compellantur ius æqualiter cunctis dicere, aquæductus, cataractas, aggeres, vias publicas ex uſu regionis curare, & reficere: Conventus ſi qui fœderis huiuſce causâ agendi eſſent, Leoardiæ, Snecæ, Bolſverdiæ in orbem agerentur: Si qua capita fœderi deeſſe progreſſu temporis viderentur, ea addere pro re natâ liceret: Violantes quicquam horum, periurio, ac perfidiâ perpetuò infames eſſent, & hoſtium publicorum loco haberentur: Poſtremò gravis mulcta æris in eoſdem decreta.* IX-viris deindè in eum annum creatis Reincone Burmaniâ, Iacobo Sipconio, Alberto Nicolai, Leoardianis; Aſigone Iglæo, Pelgrimo Romconio, Foccone Lanio, Snecenſibus & Slotanis; Herone Gerleño, Zialingo Rudolfo, Homcone Dottijæo, Bolſverdianis; confeſtim ſocij litteras dant IX-Calend. Maij ſcriptas ad vicinas X præfecturas, & quid inter ipſos decretum ſit, ſignificant: petunt ut ad Calendas Maias judicia domi conſtituant ipſi ſua, ac juſtitiam adminiſtrarent, jus petenti nemini denegent: id ſi non faciant, edicunt, ut poſtridiè Nonarum Maij ſeni aut pauciores ſingulis è territoriis in conventu Leoardiæ præſtò ſint, rationémque ejus rei fœderatis reddant: vim omnem ſuo in agro prohibeant ex hoc tempore, ac gravibus ſuppliciis coërceant: Id ſi ipſi facere non poſſint, ſibi quamprimùm denuncient; ſe, re deliberatâ, ſi ità neceſſe ſit, auxilio futuros. Sed ne ſic quidem ſatis comprimi factionum ſtudia potuêre, quin alicubi in motus erumperent. VVibo Grouveſtenius injuriarum ſemper impatiens, qui id, quod ſibi nuper fraude fœminæ acciderat, concoquere non poterat, confiſus munitiſſimâ domo ſuâ, quam apud Englumanos habebat, & gratiâ atque partium viribus fretus, Siardæos, omneſque Franicenſes cum ſociis, variis injuriis appetiit. Tantum apud eum dolor valuit, ut pactorum & ſacramenti obliviſceretur. Sed impunè id non habuit. Nam Sicco Siarda Franicæ Rector, cum oppidanis & vicinis in agro contiguo ruſticis, ac Leoardienſium aliquâ auxiliari manu, ad VII Calend. Iun. qui dies Chriſtianis memoriâ miſſi Spiritus ſancti ſacer ac ſolennis eſt, magno ſilentio in eum movit, & poſtridiè priuſquam expectari poterat, Englumum primâ luce adveniẽs, arcem in quâ ipſe erat, copiis circumdedit, atque oppugnare adortus eſt. Acciditque eodem die, cùm Deus perjurii reum ad pœnam traheret, ut ad feneſtram fortè conſiſtens VVibo, copiaſq; hoſtium ex occulto contemplans, glande ferreâ ſit trajectus. Sic ſine morâ deditio à præſidiariis facta, domuſque direpta & ſolo æquata eſt: exercitus ſine injuriâ cujuſquam domum reductus.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE
Liber XXIX.

FERVEBANT eo maximè tempore exitiales ſeditiones in Hollandiâ, in Capitonum & Hœxiorum feralia nomina diviſæ, de quarum origine dixi ſuprà. Hæ multos annos ſopitæ ſub Philippo & Carolo principibus Burgundis, ſub Mariâ Caroli filiâ & Maximiliano Auſtriaco, cùm hi fœminam principem, illi maritum præferrent, reviviſcere cœperant. Mariâ verò hoc anno in venatione equi lapſu extinctâ magni animi fœminâ, & mariti peramantis, cùm ferocientibus Belgis, Maximiliani imperium atque autoritas nutaret, proceres, provinciæ, civitates diverſis ſtudiis agerentur, ob tutelam impuberum eius liberorum, vehementiùs erupêre: Superabátque tum fortè per Hollandiam propè totam fortuna Capitonum, quorum vi adverſarii in exilium pellebantur. In his Prætor Hornanus Guilhelmus Nicolai patriâ ejectus cùm in Friſiam fugiſſet cum pleriſque aliis, auxilia à Sciringiis quæſiverunt. Inventi ſunt è Friſica nobilitate, qui fortunæ periculum facere auderent, Wibo Iarichius, & Hommo Leoninus. Hi ſe Snecam, ubi exules Hollandi morabantur, cùm contuliſſent, ſic cum iis pepigêre, ut ſi Hornam captam ipſis reſtituiſſent, duorum millium aureorum numûm ſtipendio donarentur. Mox armatâ robuſtiſſimâ manu LX juvenum, cum exulibus ad diem XIII Calend. Auguſti è Friſiâ ſolventes, cùm intempeſtâ nocte ad littora Hornana appuliſſent, ſtatim magno impetu, ac majoribus omnino animis oppidum invasêre, eóque Hœxiorum concurrentium ope, qui in patriâ ſubſtiterant, potiti ſunt. Capitonum factio, quorum dux erat Martinus quidam Cytharœdus, ad Lalainium Hollandiæ præfectum ſe contulit, & queſtus de injuriis, cohortem quingentorum militum, qui eos reducerent, impetravit. Sed ea cohors cùm VIII Calend. Auguſti ſe ad mœnia inferret, ab occurrentibus Friſiis & Hornanis civibus cum duce ſuo conciſa eſt. Quanquam non diu hac fortunâ victores lætati ſunt. Quippè Lalanius, & Egmondanus, qui non procul aberant, de prælio certiores facti, cum juſto exercitu VI millium repentè advolarunt, primóque ſtatim impetu mœnibus occupatis, ſed non ſine multo ſuorum ſanguine, oppidum ceperunt: quod fuit ad IV Calend. Auguſti. Tum cædes Hœxiorum in oppido promiſcua edita, & Prætor vivus in poteſtatem redactus, medio in foro carnificis gladio ſubjectus fuit. Wibo cum Hommone in vincula conjectus, non multò pòſt, libertatem pecuniâ mercatus, atque infælici militiâ defunctus ad ſuos rediit. Hæc clades Hornana, cùm religione initiati plerique inde diffugerent, & quinque monaſticam vitam profeſſæ virgines in Friſiam proximam veniſſent, novi Cœnobij initiis, quod Sigeri ſylvam nuncuparunt, occaſionem dedit. Atque eâdem illâ æſtate, quâ hæc gerebantur, non in omni Friſiâ ſolùm, ſed per provincias quoque vicinas ingens annonæ difficultas plebem premebat, eóque pretia conſcenderant, ut ſecalis laſta, quod maximæ menſuræ ſpeciem eſſe dixi, LXXV numis aureis in Friſiæ oppidis venundaretur. Quam ob cauſam, ut inopi plebi conſuleretur, conventu omnium ordinum VVeſtergoæ & Oſtergoæ acto, ad XIII Calend. Septembr. decretum factum eſt, ne cui ex hiſce provinciis frumentum, butyrum, caſeos, reliquáque illic nata exportare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

liceret ante Majum menſem proximè ſecuturum, & tranſgreſſori gravis mulcta ſtatuta. At tamen pridiè Calend. Octobr. altero in conventu Snecæ habito ad ſola frumenta decretum eſt reſtrictum. Inconſultum enim videbatur, id quod uſui populi domi ſupereſſet, in detrimentum incolarum peregrinis pretium ſatis amplum offerentibus invidere. Reperiò in tablino Groningenſi fœderis formulam inter Groninganos & ordines quoſdam Weſtergoos, Hottingios fratres tres, Iwonem, Heronem, Iarichum, item Bocconem Haringæum, Heſſelum Martenam, Senatum Snecanum, Franekeranum, VVorcumanum; Præfecturas VVinbritzeranam, Franekeranam, Ideranam, eodem iſto tempore conceptam ſub Nonas Octobris. Verùm publicatum ne fœdus ſit, aut ſigillis firmatum, dicere non poſſum. In eo ſcriptum fuit: *Ne Weſtergoi impedirent eos, qui ſponte ſuâ ſine vi in Oſtergoâ cuperent fœdere ſe iungere cum Groninganis, nec eorum ſe rebus omnino miſcerent: Groningani contra nullos invitos ſub fœdus ſuum iſtic traherent, aut rebus novis ſtuderent: Weſtergoæ etiam rebus prorſus abſtinerent; ordinibus his ſocijs iniurij non eſſent: Pax coleretur integra & perpetua.* Ex quo manifeſtum eſt, multos jam tum metuiſſe in Tranſlavicanis ex fœderibus Groningenſium id, quod decennio pòſt evenit. Videbant enim imperii avidam civitatem ſemper ulteriora cogitare, nec facilè cupidini ſuæ ſtatuere terminum. Quapropter pactionibus eam illigandam reprimendæ cupidini exiſtimabant. Qui verò cis Lavicam degebant ordines agrarij, cùm pax ſtabilis ex fœdere cum oppidanis ſecuta per multos annos ſuaviter cunctorum mentes afficeret, quâ florere agrum, creſcere civitatem, augeri benevolẽtiam mutuam, vigere leges ac judicia, publica privataq; bona plurima provenire omnes videbant, intereà dum vicini inter ſe tumultuantur, & mala ſibi cumulant, magno conſenſu ad prorogandum fœdus idem, cujus jam tempus exibat, civitati ſociæ ſeſe obtulerunt. At civitas, dilapsâ jam ab Imperatore ſpe, quanquàm cupidiſſima ſocietatis eſſet, in temporis tamen ratione, quo circumſcriptum hactenus fœdus fuerat, hæſitabat, eóque conſilia referebat, ut quod annorum anguſtiâ concluſum, atque eam ob cauſam infirmum, incertum, & minori bono communi erat, id majori bono reip. fieret perptuum. Quod cùm obtinere non poſſet, hoc tamen effectum dedit, ut decennio terminatum priùs, ampliatum capitibus aliquot in annos XL extenderetur. Id factum triduò ante natalem Domini eodem iſthoc, quem jam notavi, anno M.CCCC.LXXXII, cùm conſules oppidani eſſent Aſſuerus Caterus, Hermannus Potterus, Rodolfus Mepſchius, Bernhardus Hornkenius. Ejus fœderis celeberrimi, & omnium ſermone his in locis triti, capita fuerunt hæc. *Pax inter partes eſſet, ſalvo cuique legitimo iure ſuo: auxilijs ſe mutuò iuvarent, ſi res auxilij egeret: temerè nemo in exilium pelleretur, niſi criminum gravium reus, & contumax: ex legibus ſe mutuò convenirent, omni vi miſſâ: Principes externos, & quoſcunque alios vim ſocijs afferentes, aut libertatem prementes communi operâ pro viribus arcerent: poſtulati auxilia ferrent ad arbitrium bonorum virorum, & ſtatim, & ſuis ſumptibus, ceſſantéſque in hoc officio M ſcutatos veteres in uſum apparatus bellici penderent: tumultuantes comprimerentur maturè: ſi qui turbatâ pace publicâ ceperint alios, ac ſpoliarint, captos dimitterent confeſtim, ſpolióque dupliciter reſtituto inſuper gravem mulctam fœderi luerent: ſine conſenſu communi bellum nemo moveret: in auxilium evocati à ſocijs fidei firmandæ causâ obſides traderent Groningæ cuſtodiendos uſque ad expeditionis finem.* Tum de judiciis ſic: *Iudicibus in agro aut ius reddere detrectantibus, aut perperam iudicantibus, ius eſſet læſo appellare tribunal ſuperius, in quo iudicant omnes totius ſocietatis Ordines legitimè convocati, eiúſque appellationis teſtimonium ſcriptum petere Groningæ intra diem X: quo accepto, non liceret iudici inferiori quicquam in eum porro decernere, aut contra eum agere, aut repetenti pignora, ſi qua ſint ablata, ac ſponſionem præſtare volenti in morâ aut impedimento eſſe: at illum diem ſi negligeret læſus, omnino iudicato priori pareret: appellans cauſam ſuam perſequeretur tribus*

 proximis

proximis in conventibus iudicialibus in ipſâ urbe, aut marcas penderet veteres quin-
que mulctæ nomine, inſupérque causâ ſuâ caderet: atque hic eſſet litium trahendarum ter-
minus, nec fas eſſet in hoc quicquam mutare, niſi ex mutuo litigantium partium conſen-
ſu: iudex inferior à cuius iudicio provocatum eſſet, ſi non veniret ipſe tuendæ ſenten-
tiæ ſuæ gratiâ ad conventum, primùm detrimento id non eſſet appellanti, deindè, præ-
ter emanſitationis pœnam uſitatam, quinque etiam marcas fiſco ſolveret: ſi latam ab
eo ſententiam confirmari contingeret, poteſtatem haberet totam cauſam porro definiendi,
etiamſi anno ſuo evoluto magiſtratu iam abijſſet: ad conventum iudicialem coëunti-
bus iudicandi gratiâ, quantumvis raro numero, ius eſſet ac poteſtas cauſas definiendi, non
ſecùs ac ſi frequentes conveniſſent: Conventus huiuſmodi Groningæ agerentur quotan-
nis quater aut ſæpius, ſi reip. ratio id videretur poſcere: eſſetque in eo, ut & in tem-
pore conventuum deſignando, arbitrium Prætorum ab oppidanis datorum (Hovetman-
nos vocant) *& eorum qui res per agrum in tribunalibus inferioribus iudicant.* Deinde
de ſontium pœnis aut mulctis hæc: *Furti, latrocinij, proditionis, incendiorum reos*
receptare fas non eſſet, aut pœnis eripere: pœna omnium horum, ſupplicium capitis. Cæ-
des cuiuſvis hominis in conventu publico præſentis, aut iſtuc euntis, aut redeuntis ab eo,
mulcta lueretur ſexcupla: idem iuris de vulnere, aliâve iniuriâ eſſet: Conſulis verò
aut ſenatoris, aut viri nobilis, aut iudicis, aut ſacerdotis cædes, vulnus, iniuria mulctâ
corriperetur duodeculpli: eius mulctæ triens ærario, bes læſo, aut propinquis eius cederet: ſi
reus ſolvendo non eſſet, ſex propinqui proximi læſo, aut læſi propinquis pro ipſo ſa-
tisfacerent, aut reum ſaltem ijſdem ſiſterent: omnes denique iniuriæ ubicunque &
quocunque tempore patratæ hoc durante fœdere in triplum punirentur ſupra modum in
legibus patrijs definitum: ſalvo intereà unicuique iure ſuo, ac pactis mutuis, quæ hiſce
non adverſarentur. Poſtremò & iſta addita, quæ ad civitatis commodum
pertinent: *Frumenti in agro ſociorum nati exportatio non eſſet in regiones alias: Cer-*
viſiam in tabernis vendere, aut in uſu habere exoticam totâ in regione non liceret,
niſi quantum antiſtitibus aut nobilibus aut cæteris viris honeſtis condere eius in penua-
riâ ſuâ in uſum domeſticum libêret: nec coquere etiam toto in agro cerviſiam diſtrahen-
di causâ cuiquam extrà urbem permiſſum: ſed qui vellet, coqueret tantum, quantum
ſatis eſſet familiæ ſuæ: veniret autem ſolùm ea, quæ à civibus in urbe cocta. Et hoc
quidem fœdus quandiu ſine vitio cultum fuit, complures per annos fœliciter
& civitas, & ordines per agrum egerunt, aſſurrexitque magnis ſumptibus,
magno ſtudio ac labore turris illa vaſtiſſimæ molis Martiniano fano imminens
in oppido, quæ etiamnum admirationi ſpectantibus eſt. Ac quoniam dabat
animos aſpirans fortuna, Senatus oppidanus iſtuc conſilia & curam vertit,
ut Amaſum flumen, ex quo maxima commoda videbat Emdanis exiſtere,
dimotum veteri alveo in ſuam viciniam derivaret. Itaque cum Monaſte-
rienſibus, qui invidiâ Emdenſium tunc æſtuabant, agitatâ ſæpius re, au-
tore præcipuo epiſcopo Ciſamaſanis perinfeſto, id tandem effecit, ut de de-
primendo novo alveo per paluſtria & ericeta ab Hedâ pago in ſinum Dullar-
tum propè Bellingwoldios, conjunctâ operâ & ſumptu, fluminéque dedu-
cendo ad exitum Septembris anni ſequentis conſenſus iniretur. Et cœptum
opus grandi impendio, extenſúmque aliquouſque, ſed difficultatum magni-
tudine, & aliorum incommodorum impoſterum metu, non multò pòſt de-
ſertum, oleo atque operâ perditis: neque poſt unquam conatus inſtaura-
M. CCCC. tus. Idem annus ſequens, qui ſuit M. CCCC. LXXXIII, in Tranſlavicanis mi-
LXXXIII nùs quidem turbulentus quàm ſuperior, non tamen ſine motu inteſtino
fuit. Eco & Buto fratres, memores acceptæ à Iongamæis nuperæ cladis, in
eorum agrum impetum faciunt ad principium Ianuarij menſis. Wopconem
quendam cum filio, direptis omnibus ejus fortunis, vinctum abducunt, in
carcerem dant, nec dimiſſuros ſe minitantur, niſi auri libra pro libertate
ipſis ſolvatur. Tali injuriâ aſperatus Heſſelus Iongama, vocatis ad arma proxi-
mis ruſticis, in eos viciſſim vim vertit, captâque ex æmulis domo munitâ in
Poppin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Proppingwierano vico, poſtrid. Calend. Martii in tantas eos anguſtias conji-
cit,ut per Leoardianos,quibuſcum tacitè conſilia hactenus communicaverant,
& quorum auxiliis clam fovebantur, pacem expoſcere, & captorum dimiſſio-
nem ultrò offerre cogerentur. Nec defuit paci Heſſelus, & lis inter eos com-
poſita. Secutum eſt hanc compoſitionem ingens in oppido Leoardiâ incen-
dium è figulinâ tabernâ primùm exortum, quod ut magnæ calamitati civibus
fuit, ita totum penè oppidum inſigniter deforme fecit. Nam à ponte Minne-
mio in longiſſimum ſpatium continuata flamma ſupra C C ædes abſumpſit, ipſis
Idibus Iuniis. Quâ clade oppreſſa civitas quanquam caput exerere multo tem-
pore non poſſet, non tamen fortunam ſuam finitimis deſpectui eſſe permiſit.
Quod in Wilcone Ringio manifeſtum fecit. Nam cùm ille magiſtratui Leo-
ardiano ſceleris convinctam fœminam, quæ ad ſupplicium ducebatur, in ipſo
vici ſui cœmiterio extortam eripuiſſet, hi leges, ac judiciorum religionem vio-
latam clamantes, putanteſque deſpici ſe, vindictæ cupidi, in domum ejus, quæ
in vico Stenio erat, validâ murorum firmitate, & ad ſuſtinendam medio-
crem vim extructam irruerunt, tanto quidem impetu ac irâ, ut protinus cap-
tam exciderint. Sed Wilco contumeliæ impatiens aliâ ſibi domo non minùs
munitâ, quæ VVopconis Iuuſma quondam fuerat, in agro Reinſmageeſtano,
magno ære paratâ, & omni opere contra vim ſubitò firmatâ ad Leoardianos
vexandos denuò ſe confert, omnibuſque incommodis ubicunque deprehen-
ſos afficit. Id quanquàm indignarentur Leoardiani, quomodò tamen contu-
meliam à rep. averterent, ſeque & ſua injuriis prohiberent, ob loci ſitum &
munitiones, quo hoſtis confidebat, expeditum non habebant: maximè cùm
non iniqua illos pati, quòd nimis acerbè VVilconis facinus ulti eſſe, & odio ac
cupidini plus quàm juſtitiæ eâ in re tribuiſſe, quin etiam cauſam in illum quæ-
ſiſſe viderentur, pleriq́ue exiſtimarent. Quod auxilii ſpem iis minuit. Tandem
cum vi non poſſent, fraude graſſari conſtituunt. Itaque anno ſequente M. CCCC.
LXXIIII, XL aureis promiſſis, miniſtrum ejus, & portæ arcis cuſtodem, homi- M. CCCC.
nem Doccumo ortum, cui plurimum fidebat, inducunt, ut dominum cum ar- LXXXIV.
ce ipſis prodat. Nec multò pòſt proditor egregiam fraudem meditatus, Leo-
ardianos quorum diripiendorum gratiâ ſe è præſidio cum paucis militum diſ-
cedere ſimulabat, eorum ſpecie quos ſecum duxerat, velut ſpoliis onuſtos con-
cubiâ nocte in arcem ducit. Quâ potiti illi Wilconem cuſtodiæ traditum Leo-
ardiam mittunt, majoriq́ue arcis parte dejectâ, ei quod reliquum erat, homi-
nem militarem cum paucis armatis imponunt, qui locum contra Sizonem Bot-
tingium vicinum æmulum tueatur, & cives ſuos iſtac commeantes tutos præ-
ſtet ab inſidiis. Verùm cùm inſolentiùs quædam agere in vicinos decuria illa
militum videretur, Sizo ferendum hoc non ratus, ſpeculatus idoneum tem-
pus, quo in vicinum pagum plerique illius decuriæ abierant, munitionem
repentè intercipit, & ne quid ex eâ detrimenti, aut periculi impoſterùm
eſſe poſſit, funditus demolitur. Nec quicquam eo anno prætereà bello pa-
ceve, quod annotatum in analibus ſit, geſtum. Et pacatior etiam, qui ſe-
cutus eſt, annus M. CCCC. LXXXV fuit uſque in extremum menſem, quo
Sicco Franicenſis novos motus concire cœpit. Is Serapium Beimæum Leone M. CCCC.
Beimæo natum ad obſidendum Dowonem Hiddamæum inimicum ſuum, cui LXXXV.
Pingumi benè munita arx erat, magnâ manu, & inſtrumento militari miſit.
Qui caſtris ad arcem locatis, & Dowonem preſſit & incendio rapiniſque
reliquos, qui in eâ viciniâ erant, æmulos afflixit. Intereà Iuuo Iuuinga, ne
Dowoni ſocio in periculo deeſſet, & creſcere inimici ſui opes ſedendo ſine-
ret, adhibito in conſilium ejus rei & auxilium Igone viro nobili Galonis filio,
ejuſque fratribus, celeriter magnoque ſilentio, ſuæ factionis manum contra-
hit, & inexpectatus Pingumum advolat, obſidentes pugnâ laceſſit, vincit, cæ-
dit, fugat, magnam multitudinem in fugâ capit, relicto Franicenſium tormento

 potitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

potitur. Ipſe Serapius vix ſe curſu hoſtibus perſequentibus eripit. Eo veluti
M. CCCC. LXXXII. belli ſigno ſublato, in proximum annum M. CCCC. LXXXVI graviora odia collecta ſunt, cauſamque majorum tumultuum dederunt. Initium horum ex Igone Galæo Geeſtano fuit. Is è victoriâ animum efferens in monachos Hemelumanos Sciringicæ factionis, quibuſcum à majoribus acceptas inimicitias diu exercuerat, in dies ſe ferociorem præbere, prædia quædam quæ collegio jam antè ademerat per civiles motus, non ſolùm repetentibus non reddere, ſed novas quoque injurias inferre: Ea propter ab antiſtite collegii Aggone, qui Staverenſis etiam cœnobii præfecturam habebat, interpoſito interdicto ſolenni ſacris prohibitus cum fratribus, pergere tamen, ludos quoſlibet in collegium facere: poſtremò, quòd interdicto nonnullos ſuorum moveri ſentiret, ne quid ſibi mali hinc exiſteret, auxilia peregrina circumſpicere. Erat eo tempore ſupremus Hollandiæ præſes Ioannes Egmondanus, vetuſtâ Hollandiæ Contitum familiâ natus, Arnoldi Geldriæ Ducis ex fratre Guilhelmo nepos, Capitonum factionis longè princeps; eamque ob cauſam Vetcoperis quoque partibus per Friſiam ſtudebat. Ad hunc igitur Igo mittere, militum manum contra conatus Sciringicos petere: hac impetratâ, convocatiſque ſuis, & ſociorum copiis, unâ cum Iuvone Iuvingâ munitiſſimum ædificium cœnobii, quod preſidii causâ quondam contrà Vetcoperos ejus oræ, ac veluti belli arx ad infeſtandam viciniam extructum erat, caſtris cingere, ab omni parte hoſtiliter adoriri, minitari atrocia præſidiariis, niſi ſe maturè dederent. Tum antiſtes, qui ſe obſideri noluerat, ad Petrum Haringium Snecam ſe contulit opis quærendæ causâ: hujus ſtudio porro Siccone Siardâ Franicenſi, Herone Hottingio, cæteriſque per VVeſtergoam Sciringiis ad arma concitatis, ingentique multitudine armatorum magnâ celeritate confectâ, mirifico omnium ardore in Geeſtanos contenditur ad Igonem ab obſidione depellendum. Sed cùm in proximo jam eſſent, præſidium obſeſſum, ignarum adventus auxiliorum, nec audens diutiùs minas obſidentium contemnere, autore Leone Roordâ præfecto, ſe hoſtibus dedidit. Quâ de deditione pudendâ certior factus Petrus ſociique, deteſtati præfecti vecordiam, cum fremitu domum quiſque ſuam diſceſſerunt. Igo munitione invisâ funditus eversâ, ſociiſque abire permiſſis, cum ſatis ſe jam confirmatum putaret, milites ſoluto liberaliter ſtipendio gratiiſque actis, in Hollandiam ſtatim remiſit. Simul lateritiam turrim aliam apud Bachuſios occupans, collocato illic ſuorum præſidio, Hemelumanos monachos, & eorum ſocium Mennonem Harichanum è nobilitate, perpetuis incurſionibus deprædatus eſt: Et cùm Petrus Haringius cum Epone Hittingio iſtuc ab antiſtite denuò rogatus cum armatorum copiâ veniſſet poſtremis anni diebus, & oppugnatione munitionem adortus eſſet, recedere cum infectâ re coëgit. At verò antiſtes tot adverſis perturbatus, angi animo, metuere opes & fortunam hoſtis, huc, illuc ſe referre, cõſilium nullum certum invenire, ad interdictum interdùm redire, id telum acuere, aliis denunciare, ut à conſortio noxiorum capitum abſtineant: ubi parum moveri hoſtem, alios etiam ſurdâ aure prætermittere minas cerneret, deſerto eo, alia rurſum conſilia meditari. Intereà fœderatarum civitatum, de quibus dixi, conventus Bolſuerdiæ indictus erat ad diem
M. CCCC. LXXXVII. penultimum Febr. anno M. CCCC. LXXXVII. Cujus conventus hic finis erat, ut de fœdere prorogando, cujus jam tempus exierat, & tumultibus tollendis ageretur. Ad hunc antiſtes ſive ſponte ſuâ, ſeu vocatus, è ſuis mittit homines fideles, qui operam darent, ut vel ſatisfieret ſibi æquo ſociorum judicio, vel interdictum in contumacem ab omnibus ſociis probatum admitteretur. Igo verò, qui Bolſuerdianis fidebat, ipſe cum Dovone fratre ſine hæſitatione eòdem profectus, proteſtatur initiò ſuo ſociorumque nomine contra antiſtitis interdictum ſe Epiſcopum Vltrajectinum, aut Præſulem metropolitanum Colonienſem, aut denique Pontificem ipſum Rom. appellare, petit ne intereà ob irritum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ob irritum interdictum quiſquam ſibi ſuiſque noceat: ad hæc profitetur ſe controverſiam cum Hemelumanis, de munitione eversâ, damnoque dato, civitatum Leoardiæ & Bolſuerdiæ duorumque antiſtitum cognitioni eſſe permiſſurum: denique hæc pro more in acta referri memoriæ causâ poſtulat. Sed diffiſus civitatibus hiſce abbas ob manifeſtum in Igonem favorem, pluraque ſibi cum inimico controverſa eſſe affirmans, aſſentiri non voluit. Deinde cùm eludendi interdicti causâ, inanibus verbis provocationem oſtentatam eſſe ſine re animadverteret, ad extrema ſibi diſcendendum exiſtimans, trecentorum armatorum cohortem ſtipendio ſuo & Mennonis Harichani, in Geldriâ conſcriptam, accerſiit circiter Calendas Maias. Quâ efferatus hoſtis, convocatis undique ſociorum auxiliis, Geldros, quos Menno cum popularium nonnullis manipulis ducebat, invadit, circumventoſque, atque acriter pugnantes ſuperat, & nonnullis occiſis cæteros per diverſa diffugere turpiter cogit. Horum nonnulli cùm in vicinum fanum pavidi ſe recepiſſent, Igo ignem fano injecit, atque ita exire, & ſe dedere, qui in eo erant, compulit. Quod facinus, exuſto cum ſacris toto fano, maximæ invidiæ autori & ſociis poſteà fuit. Non multò pòſt antiſtes Hemelumanus iis, qui ex fugâ diſſipati erant, tum Geldris, tum Friſiis recollectis, & additis, quæ undique magno ſtudio confecerat apud ſocios, novis auxiliis, in Igonem ſe incitat, tantoque impetu in eum fertur, ut is intra præſidium Bachuſianum, de quo dixi, ſe recipere cum ſociorum copiis, ac munitionibus ſe tueri ſit coactus. Dein abbas circumducere copias, territare æmulos, fortunam partium erigere: reliqui in nonnullo metu eſſe, abbati apud omnes ordines, quantum poterant, ob peregrinum militem, quem tyrannico more circùm ſe habebat, invidiam movere. Quæ res pro animorum affectu ac partium ſtudio variè acceptæ. Leoardiani, qui tumultuum ſedandorum, juriſque pacatè & æqualiter dicendi autores ſe cum Snecenſibus, Bolſuerdianis, Slotenſibus profeſſi nuper fuerant, eo fœdere finito (nec enim prorogatum in conventu Bolſuerdico fuit) cum occaſio ſe daret, fortunæ creſcentis afflatu ſublati partes rurſum ſuſcitare, atque hoc prætextu ſua augere commoda ſtatuerunt. Quapropter cum Bolſuerdianis communicatâ re, qui eódem proclives erant, & fœdere cum iis percuſſo, decretum commune edunt de auxilio ſummis viribus Igoni ferendo, armiſque non antè ponendis, quàm peregrini milites omnes ſint Friſiâ ejecti. Mox armis expeditis, Leoardienſium juventus magno numero Bolſuerdiam circiter VIII Calend. Auguſt. ſub ſignis ſe confert, conjunctaq; cum ejus oppidi civibus qui ſe frequentes paraverunt, duce Iuvone Iuvingio ad Igonem contendit, eumq; ad Nortwoldam omnibus rebus inſtructum, & ſociorum adventum expectantem invenit. Copiis cunctis conjunctis placuit omnibus ſtatim, hoſtem abbatem non procul indè in vico cum Geldris ſedentem adoriri. Sed Geldri multitudine in ſe venientium conſpectâ, relicto abbate, adventum eorum expectare non auſi, Slotam fugientibus ſimiles petunt: quam priuſquàm pertingere atque ingredi omnes poſſent, ab hoſte terga premente pars cæſa captaque eſt: reliqui à Renicone Haringio, qui tum Slotam regebat, trepidantes in oppidum recepti ſunt. Et cùm Iuvo atque Igo ſummâ vi Slotam aggrederentur, tuentibus ſe acriter oppidanis, & cohorte Geldricâ, & tormentis ex arce fulminantibus, coacti ſunt re infectâ à mœnibus abſcedere, copiaſque in tutum reducere. Deinde obſidione inſtitutâ, Renico, quòd exitum non videret, nec auxilia expectaret à ſociis, conjugem ſuam, quæ Iuvonis ſoror erat, additis nonnullis viris gravibus, ad fratrem, cæteroſque de pace & concordià conſtituendâ miſit: Eaque convenit poſt multam actionem his conditionibus: ut abbas interdictum aboleret, ſuis rebus quietè frueretur, peregrini milites confeſtim Friſiâ excederent, exercitus ſociorum Slotâ abductus dimitteretur. Hoc tumultu ſedato, peregrinoque milite è Friſiâ deducto, confeſtim novo motui, ac

longè graviſſimo Leoardienſium nova ſtudia, cupidoq́ue, de quâ dixi, occaſionem præbuêre. Etenim inter alia, ad quæ Groningenſium exemplo ferebantur, hoc quoque nullo jure ſciverant, ut, præterquàm quæ ſuo in oppido coqueretur, nullius omninò cerviſiæ publicus uſus intrà extraq́ue oppidum, aut in proximo agro eſſet. Id enim rebus ſuis augendis maximum compendium fore putabant. Sed populus legem ſibi imponi ad libidinem avarorum civium, quibus ea res quæſtui erat, paſſus non eſt: imprimis indignari nobiles, & arrogans inſolentium hominum cœptum increpare, ex oppidanis nonnulli quoque murmurare, plebs ruſtica, in quos imperium nullum oppidani habebant, obſequium recuſare: at ſciti autores pro eo niti, nec temerè ſemel cœptum omittere, Groningenſium exemplum ob oculos habere, blanditiis, rationibus, minis agere; poſtremò, ſi opus ſit, vim quoque circumſpicere, atque in animo paratam habere: ſperare, ſi initia quocunque modo ſuſtinuerint, conſuetudinem pro lege deinceps futuram. Intereà, ut fit, agricolæ plures nogotii causâ congreſſi in oppido, Harlemicam fortè bibunt. Eo ſtatim per indicium cognito, nonnulli, qui cerviſiæ coquendæ officinas exercebant, iſtuc concurrunt, legis admonent, denunciantq́ue minaciter, ne quid contra eam committant: inſolens hoc hoſpitibus viris liberis: unde rixa, clamor, pugna, ac plurium oppidanorum ſuis auxilio venientium concurſus: agricolæ multitudine circumventi, erumpentes in domum proximam Petri Cammingæ viri nobilis, & multæ apud omnes ferè ordines gratiæ, quæ validis operibus munita erat, perſequentibus reliquis, curriculò ſe recipiunt. Tum verò ejus rei rumore excita undique oppidana plebs, velut limphata arma corripit, eòdem defertur, tumultuatur ad fores, denique Petrum dedere reos violatæ legis ad pœnas recuſantem obſidet. Ea fama univerſos fines Oſtergoæ & Weſtergoæ ſtatim pervolat, omniumq́; Sciringiorum animos ob rei indignitatem ad vindictam & ferendum auxilium exſuſcitat: multos etiam movet, qui ſtudiis partium non ferebantur. Mox ut in repentinis caſibus fieri ſolet, æris campani pulſu per omnes vicos qui Sciringiis benè volebant, ad arma omnis multitudo vocata ad Barrahuſium celeriter coït incredibili animorum ardore, ſeq́ue cum Franicenſium & Snecenſium ætate militari, quæ ſub ſignis illuc venerat, conjungit. Ibi eodem ſtatim die, qui fuit ad IX Calend. Auguſti ab universâ multitudine decretum fit autoribus nobilibus, ut ferociæ Leoardienſium domandæ craſtino die oppidum eorum cunctis copiis invadatur. Interim Leoardiani, non ignari, quid foris ageretur, variè animis affici, timore & vecordiâ in contrarium agi, nec rebus ſuis ſatis fidere contra vim, nec propoſito tamen deſiſtere velle, poſtremò inter ſe quoque non ſatis concordes eſſe. Tandem prudentiſſimi quique coïtione factâ multis verbis & precibus efficiunt, ut duæ fœminæ illuſtres, quæ gratiâ multum valebant, deprecatum vim poſterâ primâ luce in caſtra irent. Harum, in coronâ nobilium oratio ad rem compoſita fuit; Veniſſe ſe exoratum nobiles ac generoſos animos, ne iræ quàm rationi plus permittere, nec infinitì cæde & ſanguine infælicem patriam fœdare velint: maxima & miſerrima eſſe belli, præſertim civilis, mala, quæ neceſſe ſit ſequi, ſi exercitum promoveant: obſecrare igitur per ſalutem patriæ, ut ab armis abſtineant, copiaſq́ue iſtinc longiùs reducant: quòd ſi quid à Leoardianis imprudentiâ commiſſum videatur, id juſtiùs pacatos ex arbitrio bonorum virorum diſceptaturos, quàm armatos bello cum pernicie innocentium eſſe perſequuturos. Moverat oratio muliebris nonnullorum animos cum lacrumis pronunciata: viſumq́ue eſt, quid reſponderi oporteret, in concilio deliberandum eſſe. Eo ſine morâ facto, ex ſententiâ omnium ſacerdos Goutumanus totius populi nomine litteras celeriter expedit ad Leoardianos, quarum hoc erat argumentum. *Vt Leoardiani æquo iure cum cæteris vivant, nec diſcedant à pactis cum Snecenſibus & Bolſverdianis ante ſexennium initis, neminem iniuriâ lædant, aut contumeliâ afficiant,* vim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

vim procul habeant, populi libertati novis ſcitis laqueos non inÿciant, aut detrimentum adferant, nova iura in præiudicium vicinorum non uſurpent, commercia omnium rerum more maiorum per omnem Oſtergoam & Weſtergoam cunctis permittant, quietem non turbent. Cum his litteris matronas in oppidum remittunt, iiſque in mandatis dant, populo ut dicant, *ſi poſtulata litteris comprehenſa acceperint, atque in eius rei fidem eaſdem litteras publico civitatis ſigillo comprobatas in caſtra ad meridiem remiſerint, exercitum ſe abducturos: alioqui conſtituiſſe in oppidum impetum dare, & ſeditioſam tumultuantémque plebem ad legum obſequia, quando aliter non poſſint, armis adigere.* Quæ cùm, recitatis litteris, Leoardiæ in concione audita ſunt, hæſitante primùm populo, & ſtudiis animiſque diviſo, Petrum Sibrandum Seniorem, qui ſummus oppidi magiſtratus eſt, doctrinâ atque uſu rerum virum inter cives præcipuum, gravem ſententiam dixiſſe ferunt. *Nil videri ſibi poſtulatis illis, quod iniquum, aut adverſum priſco iuri civitatis ſit, ineſſe, cur recipi non debeant: quòd ſi commodis civium & cupidini non ſatis fortè reſpondeant, cogitare ipſos oportere, non quod cupido, & lucri ſpes ſuadeat, ſed quod iuſtum, ac in noſtrâ poteſtate ſit, in huiuſmodi deliberationibus eſſe eligendum: Eam porro eſſe rerum præſentium conditionem, ut graviſſima circumſtent pericula, cædes, incendia, direptionem, reip. interitum, niſi à cœpto diſcedant: imminere ſtricto iam ferro maximum, maximèque infenſum exercitum, cui reſiſti ut poſſit mœnia invadenti, valdè ſe vereri: Sapientum eſſe, declinare procellam exurgentem, & proximum portum quemcunque potiùs petere, quàm cupidine ſperati quæſtus cæcos continuato curſu, ſe ſuaque in præſens diſcrimen dare: Cenſere igitur ſe, recuſatis non iniquis conditionibus remp. in præceps ne agant.* Hujus ſententiam, ut quiſque in proceribus civitatis prudentiſſimus ætate, uſu, ingenio erat, promptiſſimè ſequebatur. At in plebe, quæ maris inſtar ventorum motu leviter huc illuc impellitur, ut temeritas, libido, quæſtus cuique ſuadebat, ita maximè contrà vociferabatur: *Siccine reip. benè conſuli, patriæ fidem præſtari, ſi ab infenſiſſimis inimicis, qui Leoardienſium fortunam creſcentem æquis oculis aſpicere iamdudum nequeant, leges accipiantur? ex eorum arbitrio quæ in patriæ commodum prudenter inſtituta ſancitáque ſunt, abrogentur? aut cum hoſte corruptos colludere, qui hoc ſentiant, aut animis ignavis & timidis eſſe, qui tantis munitionibus, tanto civium fortiſſimorum conſenſui ac numero contra tumultuarium hoſtem, & citò dilapſurum confidere non auſint: Quòd ſi primum impetum magno animo ſuſtinuerint, extra periculum civitatem futuram, ſéque in poſſeſſione maximorum commodorum eſſe collocaturam: Aequum'ne eſſe, ut Weſtergoi ſibi quicquam, qui ad eos nihil attineant, præſcribant? ex Oſtergoâ, conceſſis liberis commercÿs, Leoardienſium propria commoda intervertant: mori malle, quàm hoc permittere: Proinde deſinerent patres hoc populo ſuadere. Vox quoque audita eſt in turbâ, ſi qui ſubſcribere poſtulatis auderent, ſtatim in concione morituros.* Hoc modo cùm vis ſapientiam viciſſet, ſubſcriptione recuſatâ, ad hoſtem repellendum cuncta parata. Sciringij cùm ad tempus nihil reſponderetur, progreſſi ſtatim cum univerſo exercitu, quem VIII millium fuiſſe annales habent, circiter tertiam pomeridianam horam ab eâ parte, quæ ad Orientem ſolem ſpectat, infenſiſſimis animis oppidum aggrediuntur: rejectíque primùm à civibus fortiſſimè ſe defendentibus, mox inſtaurato impetu, ſummis viribus dejectis propugnatoribus, in mœnia evadunt: tum oppido occupato, direptóque hoſtiliter, & Petro Sibrando, de quo dixi, homine innoxio, qui pacis autor fuerat, per furorem trucidato, quicunque in civibus autoritate aut opibus eminebant, omnes in vincula conjiciunt, magnâque eorum parte Snecam traductâ, & in carceribus habitâ, reliquos per diverſas cuſtodias in arcibus nobilium diſpertiuntur: E duobus tormentis majoribus quæ recens ab oppidanis conflata erant, alterum confringunt minutim, alterum ſecum abducunt. Poſtremò VVorpium Leonis filium Boxumanum, virum nobilem, & armis ferocem, rectorem, oppido miſerum in modum afflicto, diſcedentes imponunt. Eam calamitatem infælix civitas adiit, dum ſecundis rebus elata inſoleſcere altiuſque cum vicinorum iniuriâ eniti, ac pacem temerè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

turbare cœpit, magnoq́ue documento hominibus fuit, infælicisſima conſilia eſſe, quæ libidini potiùs quàm rationi parent, æquumq́ue & jus poſthabent. Sed multi è civium numero, qui ſibi conſcientiâ factioſorum conſiliorum metuebant, dum occupatur oppidum, fugâ ſe è periculo eripuerunt. Hi cùm ſe ad Igonem amiciſſimum Leoardienſium contuliſſent, eum impulerunt, ut ex arce Nortwoldicâ Snecenſes, quibus calamitatem ſuam acceptam ferebant, deprædaretur. Quâ re indignati Snecenſes, quos tum Bocco Haringius Feicone patre natus, familiæ princeps poſt obitum Petri Haringij, regebat, queſtique de injuriis, de auxiliis Franicenſes, cunctoſq́ue Sciringicarum partium nobiles, miſſis legatis, & litteris interpellarunt. Iis prompto omnium ſtudio ex universâ Oſtergoâ & VVeſtergoâ acceptis, juſtoq́ue confecto exercitu Coldumum profecti arcem Igonis eo in vico ſitam ad IIII Calend. Auguſti ab omni parte circumventam, cùm præſidium deditionem recuſaret, tormentis quatiunt, eumq́ue terrorem obſeſſis oppugnatiſq́ue injiciunt, ut quarto decimo die ſe dedere cogerentur. Capta illic Igonis ſoror virgo, & complures agricolæ, qui arcem defenderant. Hi omnes per cuſtodias variis in locis diſtributi. Triduo pòſt rebus illic conſtitutis atque arce everſâ, Ortum verſus progreſsi trajecto rivo, cùm in Oldegaum agrum veniſſent, alteram Igonis arcem longè firmiſsimam eâ parte, quam Nordwoldam vocant, à majoribus ipſius extructam, quam Igo valido præſidio munierat, ſtativis cingunt, necemq́ue omnibus minitantur, qui in præſidio erant, niſi ſe confeſtim dedant. Sed his minis cùm præſidiarii non monerentur, qui & munitionibus confidebant, & proxima auxilia ab Igone mox adfutura (is enim eam ob cauſam in Hollandiam à primo Sciringiorum motu ſe contulerat, & celeriter adfuturum promiſerat) ſperabant, ad vim extremam converſi, tormentis fulminare cœperunt irrito diu conatu. Ea enim operum arcis firmitas erat, ut contemnere quoſcunque ictus videretur. Quinûm denûm quippe laterum maximorum longitudinem, quod fidem propè ſuperat, muri craſſitiem habuiſſe ſcriptores annalium tradunt. Verùm nulla propè muri tanta firmitudo, aut moles eſſe poteſt, quæ non aſſiduis ac diuturnis ictibus terribilium machinarum terebrari, ac ſuperari poſſit. Itaque cùm totos XIIII dies, totidemq́ue noctes ſine intermiſſione latus unum arcis compluribus tormentis Sciringii verberaſſent, magnam ejus partem aperuere. Quo diſcrimine compulſi præſidiarii, fide ad extremum ſervatâ, cùm de auxilio jam deſperarant, ſe obſidentibus, vitam pacti, dedidère. In vincula conjecti omnes huc illuc deportati. Otto Igonis filius, qui patris loco arci præfuerat, Eponis Hettingij cuſtodiæ permiſſus: arx confeſtim, magno ſtudio omnium & labore ſubrutis & disjectis muris, foſſis completis, ſolo eſt æquata. Nec dum verò planè rem confecerant, cùm fama repentè advolat, Igonem cum mille militum manu peregrè conductâ adventare, & Lemmeram, qui vicus in littore Friſiæ eſt paulò infrà Slotam, jam perveniſſe. Quocircà eò ſe convertere, ut prælio adventantes exciperent. Sed Igo fortunâ ſuorum cognitâ dolens & fremens, cùm ſumptus & labores ſibi brevi momento periiſſe videret, copias ſtipendiis ſolutis, quòd earum nullum ſibi uſum in præſentiâ, omnibus Sciringiis arma tenentibus, eſſe putaret, benignâ oratione proſecutus, ſtatim dimiſit. Sciringij verò ad reliqua converſi, nonnullis in eâ orâ inimicorum ædificiis, unde vis fieri poſſet, occupatis & dirutis, animis vindictâ expletis, domum quoque ipſi diſceſsère, ac VVorpium Iuccamam Buxumanum, de quo priùs dixi, cum militum manu Harichæ contra Igonis conatus illi oræ præſidio reliquerunt. Hunc inter & Igonem minutis prœliis, incendiis, direptionibus cum magnâ plebis ruſticæ pernicie certatum eſt totâ penè hyeme, & Geeſtanus ager miſerum in modum vaſtatus. Poſtremò cùm cedere Galamæi viribus hoſtium cogerentur, quod fuit ineunte vere anni M.CCCC LXXXVIII cum magnâ exulum manu, qui ad eos ex omnibus locis à Sciringiis preſſi ſeſe receperant, in Hollandiam profuge-

M.CCCC. LXXXVIII

profugerunt. Ibi auxilio Ioannis Egmondani ſeptingentis militibus denuò
conſcriptis, paratiſque navibus menſe Iulio Friſiam, Auſtrino ſinu trajecto,
repetunt. Sed his Sciringii, qui de apparatu eorum & adventu per ſpecula-
tores erant certiores facti, repentè conflato exercitu non minore IIII millium
armatorum ex Oſtergoâ & Weſtergoâ, per littora, ubi excenſus in terram erat
idoneus, ad Worcumum ac Hindelopam potiſſimùm ſe obiiciunt, ne portum
capere, aut è navibus deſcendere poſſint. Quo animadverſo Galamæi procul
littore in ancoris ſtant, aut è conſpectu ſe recipiunt, expectantque donec ho-
ſtes, quorum ingenium noverant, moræ pertæſi dilabantur. Nec eos expecta-
tio fefellit. Nam poſt tertium diem, relicto in ſtatione ad Worcumum Scrapio
Bemæo cum magnâ parte copiarum, qui aditu Hollandos prohiberet, reliqui
Sciringii meſſis causâ ad ſua quique redierunt. Tum Galamæi fratres Dowo
& Harmannus cum Ottone nepote, qui cuſtodiâ nuper liberatus erat, (nam
Igo ipſe non intererat) accepto ejus rei indicio, proximâ nocte claſſem lit-
tori admovent ad Hindelopam loco idoneo, quem Paleſtotum à rivulo in ma-
re iſtic decurrente incolæ vocant, victoriâ Focconis quondam illuſtratum.
Sed dum anguſtum rivum difficulter ſubeunt, militemque exponunt, Sera-
pius prima luce, per ſpeculatorem edoctus citus advolat cum ſuis, impeditoſ-
que & imperatos invadit: interim alios Worcumo, Hindelopâ, & è vicinis
locis ſubitò eòdem accurrere jubet: tum pugna oritur difficilis, in quâ CC pe-
regrinorum militum & exulum Friſiorum cæſis, nec minus L captis, reliqui
cum magno diſcrimine trepidè in naves regreſſi, naveſque à littore difficilli-
mè moliti, ſe eripiunt, ac Hollandiam repetunt. Ea res geſta eſt ipſis idibus
Iulii. Quod ſecutum deinde eſt ejus anni, etſi ſine bello fuit, Sciringiis trium-
phantibus, tumultu, inſidiis cædibus injuriis mutuis non caruit: tam pertinax
in animis veſania ex factione inſederat. Itaque eo malo medendo autoribus
viris gravibus poſt Idus Auguſt. conventus Leoardiæ indictus: ad quem cùm
frequentes veniſſent, vetus illud decretum ex omnium ordinum conſenſu,
de pace ſervandâ, offenſionibus remittendis, ſtudio partium ponendo, judiciis
rectè adminiſtrandis, arcendis peregrinis militum copiis, patriæ libertate tuen-
dâ, & cæteris toties ſancitis, toties violatis repetitum. Sed furiis diſcordiæ re-
primendis, nullum ſatis efficax decretum figi potuit, quin malum paulò pòſt
haud benè compreſſum rurſum erumperet, omnemque inter Lavicam & Fle-
vum Friſiam ſollicitudine compleret. Hoc anno pridie Idus Septembr. annales
memorant, cadaver fœminæ ſtupendæ mangnitudinis, duodenûm pedum ju-
ſtorum longum ad littora Scellingiæ inſulæ ejectum eſſe, & cum ſtupore à mul-
tis iſtuc confluentibus novitatis causâ, viſum. Quod quanquam difficulter fi-
dem apud pleroſque inventurum fortè ſit, præterire tamen non debui, ne aut
omiſiſſe aliquid memoriâ dignum, aut fidem annalium damnaſſe videri poſſim.
Quin hoc quoque annotatum eſt, in fine anni ſummam annonæ caritatem,
quæ repentè extiterat, ut X CIII aureis Rhenanis ſecalis laſta veniret, breviſſi-
mo temporis ſpatio antè exitum Novembr. in ſummam vilitatem eſſe con-
verſam. Anni proximi M.CCCC.LXXXIX principio, nova & ſtupenda res alia ne- M. CCCC.
cenſes attonitos habuit. Namque ipſis Ianuarij Calendis è ſepulchro effoſſum LXXXIX.
in cœmiterio oppidi cadaver, cujus jam capulus vetuſtate computruerat, adeò
integrum apparuit, quanquam virore velut ſitu obductum, ut recens illic con-
ditum videretur, & vulnere lato ſciſſâ caro non ſecus ſi viventis hominis eſſet,
ſtatim amoto ferro coïret. Eo rumore vulgato, concurrit tota civitas, prodi-
giumque, cujus modum ac rationem capere poterit nemo, attonita ſpectavit.
Dehinc exules, quos repulſos à littore Friſiæ demonſtravi, ne quid intentatum
relinquerent, Igone principe novam manum in Hollandiâ prædarum ſpe con-
ficiunt, conſcenſiſq; navibus cùm Friſiam in conſpectu haberent, ad Worcu-
manum portum curſum dirigunt. Sed cùm in littore ſtare armatos Sciringios,

ad quos fama prævenerat, è navibus viderent, deſcendere in terram, aut portum ſubire non auſi, depoſitâ omni eâ ſpe, quòd hoſtium vigilantiam fallere ſe non poſſe experirentur, unde venerant, revertuntur. Indè Sciringiorum principes, exemplo toties repetito territi, cùm vererentur latiùs quoque exulum pertinaciâ rem progredi, & principes quoque ſpe Friſiæ potiundæ in partes vocari poſſe, communicato primùm inter ſe conſilio, deinde ordinibus cunctis Leoardiam convocatis, de legatis ad Maximilianum Rom. Regem mittendis pro Friſiæ libertate novis tabulis muniendâ in medium proponunt: Et cùm conficere rem eo in conventu non poſſent, altero apud Snecenſes indicto, ac re denuò agitatâ, tandem magnâ contentione evincunt, ut, ex omnium ordinum aſſenſu, Benedictus Heræus, Iouco Heræus fratres, Hetto longama, omnes ex ſacerdotum ordine, multâ doctrinâ & eloquentiâ viri, legati decernantur. His in mandatis datur, ut de jure libertatis Friſicæ cõfirmando per novas tabulas, de immunitatibus cunctis repetendis, offenſionibus ob tributum in tempore non ſolutum, removendis, gratiâque Imperatoris pleniùs conciliandâ, cum Maximiliano diligenter agant. Legati profecti Maximilianum è Belgio fortè tum diſcedentem, cùm in agro Tirolenſi aſſecuti eſſent, ob diverſas ejus curas tumultuante Belgio, ſponsâ Britannicâ ipſi iiſdem diebus à Gallo præreptâ, minùs celeriter, quàm ſpes fuerat, conficere negotium potuerunt. Ab horum abitu, Tranſlavicani omnes velut induciis quibuſdam tumul-

M. CCCC. XC.

tuum per complures menſes ſunt uſi. Per has menſe Martio anni M CCCC. XC. cùm Ordines Worcumum conveniſſent, decretum eſt, Vt aureorum argenteorumque numorum æſtimatio, quæ in detrimentum ingens ditiorum & honeſtarum familiarum, ceu fieri ſolet, iniquiſſimè excreverat, dum nullis legibus locus erat, ad eum omninò modum per Friſiam redigeretur, quo vicinæ civitates Daventria, Campi, Suolla utebantur, nec quiſquam contrà auderet. Sic multorum rebus, qui fortunas ſuas in agrorum locariis, aut legitimis uſuris poſitas habebant, honeſtiſſimorum hominum ratione haud iniquâ conſultum fuit. Snecenſes quoque hac quiete oportunè utendum ſibi rati, aut tenues admodum ab initio, aut vetuſtate propemodum collabentes, oppidi ſui munitiones inſtaurare, aut in majus augere conſtituunt. Itaque cenſu civium acto centeſimam redituum omnium in operum ſumptus conferendam communibus ſuffragiis decernunt: ad hanc rem XII quæſtores è civium numero creant, qui pecuniam hanc collectam ex uſu reip. adminiſtrent: Poſtremò ædilibus deſignatis, qui operi præeſſent, non parvâ induſtriâ, magnam partem eâdem illâ æſtate conficiunt, oppidumque multò quàm antè munitius reddunt. Quibus dum Snecenſes occupantur, in Friſiam quidam venit, qui ex Pontificis voluntate decimam cenſuum annuorum omnes Bernardinos monachos poſtulabat, conventu illis Groningæ indicto. Eóque jam res ab illo reducta erat, ut Wolterus Adoardius, & Ioannes Clarocampius, primi nominis antiſtites, ſe in morâ non futuros profiterentur. Sed cùm alii non aſſentirentur, atque ad Pontificem provocarent, præſertim veteris & Geritiani collegii abbates, infectâ re diſcedere coactus fuit. Hactenus citrà ferrum toto penè anno pax ſtetit. Ejus turbandæ primus Iwo Iwinga, nunquam ſatis quietis amans, tum verò ambitione incenſus, ſignum rurſum extulit. Quippe qui Godefridum Hagedornium ſacris initiatum apud Bolſuerdianos, multâ doctrinâ & prudentiâ hominem, quem Witia filio Goſlico impuberi curatorem delegerat, ob aſſertum liberiùs pupilli jus domi conſulis oppreſſum, immiſſis ſatellitibus trucidavit. Cujus facinoris indignitate, odium ei ingens paſſim conflatum, capitique noxio diræ dictæ. Paulò verò pòſt per Septembrem menſem è Sciringiis Dowo Tetæus Eponis filius, familiæ Hottingiæ, velut vicem Vetcoperis redditurus, Fopponem Tiardam Abbinganum, hominem pacis magis quàm armorum ſtudioſum, obſeſſum domi ſuæ dedere ſe coëgit, fortunaſque

ejus

ejus omnes fœdè diripuit. Cujus calamitatis inexpectatæ magnitudine fractus Foppo vitam triduo pòſt finiit. Anno ſequente M CCCC. XCI, quo Ciſamaſanæ Friſiæ Comes in patriam ex Palæſtinâ reverſus ad Friburgum interiit, idem Dowo cum Epone patre non contentus ſuperiore injuria, filium Epponis Petrum inſidiis quoque appetiit, captamque domum ejus, quam Obnahuſil habebat, omni prædâ egeſta, incendio evertit XI Calend. April. Id incendium latius ſe mox fudit. Nam Hartmannus Haringæus Hachanus occupatâ per inſidias domo benè munitâ Vbbonis cujuſdam viri nobilis, in templo ſacris fortè cum omni familiâ occupati, qui Eponis filiam nuptiis ſibi junxerat, Eponem ſocioſque in ultionem irritavit. Qui cùm adeſſent cum multitudine armatorum, Hartmannumque in eâdem domo obſiderent, excîtus quoque ejus rei famâ Edſardus Dowenius, Ianconis familiæ principis filius, Langweranus, collectâ Sylveſtrium manu ſatis validâ, ſine morâ eôdem properavit, ut ſocio Hartmanno opem ferret, &, ſi poſſet, fugatis hoſtibus, obſidione liberaret. Sed Epo adventu ejus cognito, obviàm profectus magno animo ita illum conterruit, ut cum omnibus ſuis in fugam ierit. Nec multò pòſt continuatâ obſidione, Hartmannus, dum fortiter jaciendis ſaxis, & omni telo domum propugnat, tormento tempora trajectus, extinctuſque occaſionem præſidiariis dedit, ut ſe hoſtibus dederent. Eâ re biduo triduóve poſt Nonas Maias patratâ, aliud quoque paucos poſt dies à Sciringiis facinus deſignatum. Erat tum adhuc ſuperſtes is, de quo ſæpè priùs eſt dictum, Aggo Doniæus, ſævis moribus, ſed ætate jam gravi, ac domicilium in arce gentili Doniæâ habebat. Huic multas ob cauſas ſibi inviſo Hottingii fratres, Iarichus & Hero, pecuniâ conductos duos juventâ & robore pollentes percuſſores immittunt: qui ſcholaſticorum habitu tecti ad eum antè fores fortè ſedentem accedunt, litteraſque velut aliquid petituri legendas porrigunt: & cùm lectis litteris Aggo increparet nebulones, quæretque quid aliud verbis loquantur, aliud litteris ſignificent, illi pugionibus eductis gravibuſque vulneribus illatis facilè hominem ſenectute gravem capiunt: mox arcem omni præſidio vacuam occupant. Tum repentè Hottingii advolant, quicquid rerum Aggonis in arce erat diripiunt, arcem ipſam à fundamentis ſubruunt, Aggonem vinculis oneratum Wommeliam in carcerem abducunt. Ita veterum facinorum pœnam in extremâ quoque ſenectâ homo, nequam perſolvit. Poſt hæc ſub finem Iunii Hoexiæ factionis princeps, Ioannes Nalduicus, à Capitonibus domo pulſus ex Hollandiâ in Friſiam venit, & ſe ad Bocconem Snecenſem, reliquoſque ejus oræ Sciringios opibus & genere pollentes confert: horum auxilio trecentos Friſios armat, & Staveram ducit, ut oportunè iſtinc in Hollandiam trajiciat. Sed cùm, miſſis exploratoribus, Enchuſios & Hornenſes, quibus inſidias parabat, vigilias diligenter agere, rebúſque ſuis proſpicere intellexiſſet, ab incepto deſiſtens copias ſolutis ſtipendiis ſtatim dimittit, & Snecam revertitur. Id nemini gratiùs in Friſiis quàm Iwoni Iwingio accidit, non ſolùm, quòd infælici cœpto inimicorum gauderet, ſed quòd irritatis hac molitione Hollandorum animis, in Sciringios promptiora ſibi eorum auxilia futura, velut in communes hoſtes, ſi quid inciperet, arbitraretur. Itaque hac ſpe impulſus, communicato cum amicis conſilio, menſe Auguſto ad Igonem Galamæum, qui in Hollandiâ etiam tum erat, ſcribit, ut quantum poſſit militum numerum iſtic conficiat, atque in Friſiam quamprimùm tranſportet: ſibi enim ſociiſque in animo eſſe, Snecenſes, omnémque factionem Sciringicam, quæ turbare nuper res Hollandicas per Nalduicum conata ſit, bello aggredi, & prœlij fortunam ſummis viribus tentare. Igo, qui ſuis rebus id maximè commodum fore putabat, lætus cum cæteris exulibus Friſiis cùm conſilium cepiſſet, cum Ioanne Egmondano Hollandiæ præſide agit, ejuſque operâ ſubitò ter mille viros, quos Florentius Iſelſteinius,

M. CCCC. XCI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Egmondani propinquus, juvenis magnâ indole ducebat, conficit, ac, cum primùm poteſt, afflante vento, navibus imponit. Intereà Sciringij, re cognitâ, (nec enim occulta manere poterat in tantâ viciniâ, & commerciis tam frequentibus) omnes ſocios Oſtergoos & Weſtergoos evocant, exercitumque ingentem conficiunt, & VII Idus Septembr. Staveram, Hindelopam, VVorcumum profecti, omnem illum littoris tractum, qui proximæ Hollandicæ oræ obvertitur, præſidiis occupant, ne qua facultas appellendi naves, aut in terram deſcendendi hoſtibus eſſe poſſit. Iamque totos quinque dies in ſtatione hæſerant, cùm novem naves armatum exercitum ferentes ex alto viſæ non procul Hindelopâ, ubi commodiſſimus in terram deſcenſus eſt, littori ſuccedunt. In quas tanto fervore Sciringij ſtatim provolarunt, ut non expectato tempore, donec terram tangerent, aut milites egredi poſſent, in ipſos fluctus præcipiti curſu obvios ſe ferrent, atque omni telorum genere ſuccedentes audaciſſimè impeterent. Quâ audaciâ conſternati, qui advehebantur, propiùs ſuccedere, atque ad litus claſſem ſtatuere non auſi, curſum primùm inhibuère: deinde quòd ſine ſummo diſcrimine illic ſubire, & in terram deſcendere ſe non poſſe putarent, converſis velis, velut alio in loco periculum facturi longiùs è conſpectu abierunt. Sed exorta fortè tempeſtas non ſolùm repetere conatum prohibuit, ſed ita quoque claſſem disjecit, ut procul abrepta diſſipataque totos quinque dies in mari jactaretur, & maximo accepto incommodo lacera vix tandem domum rediret. Quo cognito Sciringij, cùm dies octo pòſt eorum abitum in ſtatione manſiſſent, domum quiſque ſuam diſceſsère. Ita irritus is quoque conatus Vetcoperis in VVeſtergoâ fuit.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE
Liber XXX.

EA verò inter Lavicam & Flevum, ac diverſis Belgici partibus dum variè turbantur, Groninganis pax ferè fuit cum omnibus vicinis, ſemel tamen laceſſita leviter ab Oriente. Illic tum ad Iadam rebus præerat Edo Ieveranus, eique ſocius adhærebat Ico Onconius Cnipenſis, Lubbone Onconio & Beindeleſâ Inhuſanâ Alconis germanâ, virilis animi fœminâ natus, quem præterito fratre ejus conſanguineo, Cnipenæ arcis, ac ditionis non magnæ hæredem, parens teſtamento ſcripſerat. Hic juvenili teme-
M. CCCC. ritate neſcio quid cauſæ ferens contrà civitatem, cùm deprehendiſſet homines
LXXXVI. ejus negotiorum gerendorum gratiâ pro more in iſtas oras profectos, ex ditione Ieveranâ in vincula hos ipſos abſtraxit, pecuniam & merces eorum in poteſtatem redegit. Quâ re cognitâ Ieveranus miſſis ad Cnipenſem amicis communibus, ab eo petiit, vitandorum majorum malorum gratiâ, ut intercepta non antè diſtraheret, quàm res eſſet Groninganis ſignificata, & reſponſum ab iis acceptum. Promiſit ille in gratiam Ieverani ad dies octo ſe diſtractionem dilaturum, & expectaturum legatos eorum. Statimque Ieveranus Heroni Eſenſi uxoris ſuæ fratri, Groningenſium amico, ille Groningenſibus celeriter nũciavit.

Ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Ab his ſine morâ legati Eſenam miſſi,qui in cœnobio vicino Mariæcampo,da-
tis ad Iconem & Edonem litteris, colloquio ſe obtulére. Sed illi, neſcio quam
ob cauſam, diſſimulatâ re,nec misére iſtuc quenquam ſuorum nec ipſi venère,
legatique infecto negotio rediêre ad ſuos. Mox ſenatus ad Eſenſem, qui cin-
gulo erat Equeſtri donatus ab Imperatore, peramicis litteris ſcriptis ab eo
contendit, ut ſororio cauſam civium captivorum & civitatis commendaret:
qui ſi perſuaſus eſſet, Iconem defugere ejus autoritatem non auſurum reban-
tur. Quod cùm feciſſet ille, reſcripſiſsetque Ieveranus, ob legatos non miſſos
tempeſtivè, colloquiúmque neglectum, pecuniam & merces captivorum jam
inter ſocios diviſas ac diſtractas, ſenatus certior de re factus per Heronem po-
ſtridiè Iduum Octobris ad Ieveranum datis litteris,de totius rei iniquitate acer-
bè queritur, & petit ab eo, operam det, ut Ico ablata reſtituat, & captivos
ſine impendio ſtatim dimittat, quos ipſius in ditione, quocum putent nihil ſibi
controverſum eſſe, præter omnem expectationem ſpoliaverit, atque in carce-
res indè abduxerit: Et ſi quid Ico,aut ſocii ipſius contra civitatem prætendant,
offerre ſe ajunt ſemel judicio epiſcopi Vltrajectini Principis ſui, aut trium civi-
tatum proximarum Daventrienſis, Campenſis, Suollenſis. Quòd ſi æqui ab
eo hac in re nihil impetrent,quanquàm id libentes facturi non ſint, tamen ne-
ceſſitatem ſibi impoſitum iri, querelas injuriarum ad Principes & civitates
deferendi, & quærendi contra vim auxilia. Rogare ut & hoc in negotio quid
expectandum ipſis ſit, & an pacatè & ſine periculo civitatis ſuæ hominibus
deinceps per ditiones Ieveranas commeare, & negotia gerere liceat, ſcripto
certiores ipſos facere quamprimùm velit. Poſt dies XV cùm nihil reſponde-
ret Ieveranus, nec dimitterentur captivi, ſcribunt iidem ad Eſenſem, & gra-
tiis ei pro ſtudio ſuperiori actis, petunt enixè, ut hoc ſaltem apud ſororium ef-
fectum det, ut intereà, dum res per colloquium componatur, captivi vinculis
ſoluti in liberâ habeantur cuſtodiâ. Colloquio autem diem pollicentur ſe dictu-
ros inter feſta Paſchatos & Pentecoſtes proxima,rogántque, ut ipſe cum Ieve-
rano intereſſe colloquio,& compoſitionem promovere non gravetur. Simul in
eandem ferè ſententiam ad Ieveranum quoque perſcriptas litteras mittunt.
Sed cùm ne tum quidem reſponderetur proximis menſibus,civeſque mercatu-
ræ causâ eas in regiones itare ſoliti ex ſilentio metum conciperent, non tutos
fore ſe, ſi iſtuc ſe conferrent, & tamen ægrè commerciis iſtis carerent, horum
petitione motus ſenatus ad III Nonarum Febr anni ſequentis ad Edonem rur- M. CCCC.
ſum ſcripſit, Non poſſe ſe ſatis mirari, cur nihil reſpondeat: ſe optima quæque LXXXVII
de eo ſperare, & confidere, ante Pentecoſtes ex ipſius voluntate colloquium
coiturum,& controverſiæ finem futurum: eâ ſpe fretos cives ſuos in eas regio-
nes negotiandi causâ per tempus vernū eſſe profecturos, modò ſciant ſine peri-
culo ab ipſo, & Icone hoc ſibi facere licere: petere igitur, ut de voluntate ſuâ
certiorem reddere civitatem non gravetur. At monſtrum alens ille etiam tum
ſilentio rem prætermiſit. Itaque territi Groningani in ea ſe loca non contulère.
Hoc verò anno,quod diu quæſitum erat, ab Imperatore feriundæ pecuniæ au-
reæ jus civitati eidem Groninganæ acquiſitum: Et fœdus, quod Smalingani
quatuor vicorum incolæ, quos antè nominavi, cum rep. eadem XLII ante annos
percuſſum habebant: multis capitibus auctum. (In quibus *de prætore ac iudici-
bus arbitrio Groningenſium legendis quotannis; de compellendis iiſdem ad faciendum offi-
cium per Hovetmannos; de prætorio Hovetmannorum imperio in eum agrum; de ar-
ce, ſi res poſceret, illic exſtruendâ, & præfecto Groningano ei imponendo; de feren-
dis mutuò auxiliis contra contumaces, & domeſticos peregrinóſque hoſtes*, ex Vpſte-
rano fœdere ad verbum tranſcripta) vergente jam menſe Julio renovatum:
adjectúmque diſertè, ut ſanctionis hujus vis valeret in perpetuum. Quæ non-
dum confecta erant, cùm jam ſimultas Ieverana ac Cnipenſis in litem majo-
rem,lis in belli tumultum manifeſtum, adjuncto quoq; partibus Herone Eſenſi

progreſſa fuit. Namque in Hollandos avitum odium cùm exerceret Ieveranus, & hoſtem ſe illorum profiteretur, naveſque & res eorundem ubicunque deprehenſas diriperet, eo fortè tempore navem ipſe milite & apparatu hoſtili inſtructam, quam ei commodatò dederat Eſenſis, inſidiarum causâ in proxima Gronigenſium litora emiſerat. Hæc Hollandicam navem pretiosâ merçe oneratam cùm nacta eſſet, cum prædâ domum ſe receptura ad eadem litora à Groninganis eſt intercepta, & cum milite pariter & prædâ redacta in poteſtatem. Oderat enim prædandi conſuetudinem civitas, & ob ea, quæ memoravi priùs, non poterat niſi hoſtilia ſibi à Ieverano polliceri: nec quicquam præter fortunam in causâ fuiſſe putabat, quæ prædam ex Hollandis objecerat, quo minùs civium ſuorum res iidem hi prædones invaſiſſent. Itaque prædones in vincula conjectos, nequicquam intercedente Herone, perque legatum ſuum Geroldum Howerdæum Vphuſanum ejus rei causâ Groningam miſſum, ad legitimam cognitionem provocante, turbatæ pacis maritimæ reos capite mulctavit. Eam ob rem tantum iræ concipiens Eſenſis, quantum capere animus ejus per ſe aſper & immoderatus poterat, ducem ſe belli in Groninganos ante alios tulit. Mox ad omnes, quibus aliquid ſimultatis atque odii eſſe in eoſdem rebatur, litteras & legatos mittit, & animos omnium explorat: quos poteſt in conſiliorum & armorum ſocietatem trahit, cum reliquis agit, ne ſibi bellum geſturo impedimento velint eſſe. Quà occaſione uſi Howerdæi, qui cis Amaſum habitabant, Ailco & Geroldus fratres Snelgero nati, refricatam ſeptimum ante annum per patrueles cauſam ſuam, rurſuſque ſopitam paulò fidentiùs reſuſcitarunt: pacificè tamen, & ſine vi potiùs quàm oſtentatione armorum faciendum ſibi priùs periculum putarunt. Colloquiumque hujus rei gratiâ inſtitutum in vico Oterdumæo, ſed nullo ſucceſſu, aliuſq; conventus rurſus deſignatus: de quo dicemus infrà. Intereà Eſenſis, Ieveranus, Cnipenſis prædonibus armatis huc illuc emiſſis, Groningenſibus quàm poterant maxima detrimenta inferebant, eorum res quocunque deprehenſas loco in prædam vertebant, homines captivos abducebant, inque carceres tetros conjectos pro redemptione ingenti ære emungebant: & quæ faciebant, ea viciſſim ipſi à Groningenſibus, & eorum ſociis patiebantur: imprimis Transjadanam, Werſtenſem, Ditmarſicam oram, quibus in locis frequentes negotiari Groningenſes ſolent, magnamque in commerciis & contractibus pecuniam collocatam habebant, faciebant infeſtam: inde porro fiebat, ut eodem igne, qui in Groningenſes flagrabat, illarum regionum incolæ quoque amburerentur, atque hinc offenſa contracta, damniſque viciſſim illatis, prædonibus à littore ſuo rejectis, cauſæ ſe miſcerent. Simul Eſenſis litem, quam habebat cum Bremenſi rep. in hoc armorum tumultu, in cives & homines ejus cæteros commodùm armis perſequebatur, piraticamque in eoſdem velut hoſtes ſuos è vicinis partibus factitabat. Id verò indignè ferebant civitates cæteræ in orâ maris, non ſolùm ob ſocietatem cum Bremenſibus, & turbatam pacem maritimam, ſed etiam quòd contingeret ſuos quoque homines ex maris commercio tumultuum horum malis afflari. M. CCCC. LXXXVIII Itaque de capiendis ſocialibus armis, & purgando prædonibus mari ſermones ferebantur. Intereà commodùm à Groninganis & eorum ſociis in vicino agro, quorum erat cauſa cum oppidanis communis, litteræ venerunt ad Bremenſes, Hamburgenſes, Lubecenſes, itemque aliæ ad Transjadanos, Ditmarſos, Worſtenſes, quibus conventus petebatur horum tumultuum causâ. Conventúſque è conſenſu omnium condictus in urbe Bremâ ad dominicam tertiam ante Paſchatos. Illic cùm adeſſent ad diem dictum legati Lubecenſes, Hamburgenſes, Groningani, Ditmarſi, Worſtenſes, Transjadani, Stadlandi, iiſque ſe junxiſſent Bremenſium delecti, in ipsâ Bremanâ curiâ, memoratis conventus cauſis, & omnium querelis auditis, variiſque dictis ſententiis, quòd res videretur ad omnes pertinere, procurandæ

randæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

randæ pacis publicæ gratiâ fœdus tandem inter ſe in annos X proximos omnes inierunt. *Eo fœdere ſe obligarunt mutuò, ſi qui ex fœderatis iniuriâ afficerentur, aut vim qualemcunque paterentur à nobilitate Ciſjadanâ, eorúmve ſociis in universâ Friſiâ Orientali, quemadmodum factum erat priùs, iis ut auxilio eſſent omnes, nec ante negotii exitum eos deſererent: id verò obſervaretur, ut iniuriâ læſi cæteros de re facerent certiores: illi citatis iniuriæ autoribus pariter & læſis cognitionem ſuſciperent, ac, ſi comparerent partes, aut tranſactione amicâ, aut iudicio quàm celerrimè controverſiam terminarent: ſi non comparerent rei, iudiciúmve, aut actionem amicam detrectarent, aut iudicato nollent parére, ipſi actoribus, quibus vel illata vel intentata iniuria, præſidio cuncti eſſent, auxiliáque, ſi res poſceret, ferrent vi armatâ, eorúmque cauſam, ſuam eſſe cauſam putarent: in hunc vero uſum Ditmarſi præſtarent armatos pedites mille, Worſtenſes ſexcentos, totidem Tranſjadani cum Stadlandis: cæteras copias equeſtres & pedeſtres, apparatum, ſumptus, præberent civitates æquali inter ſe modo, & proportione ad ſocios iuſtâ: ſingulíque commeatus ſuis in expeditione ſufficerent: vim non ſolùm terreſtrem, ſed etiam maritimam hac ratione perſequerentur. Excepta nominatim à ſociis controverſia Hamburgenſium cum Virici Comitis domo de Emdanâ & Orthanâ re: cuius gratiâ movere nihil fœderati cæteri volebant. Poſtremò ſic ſtatutum, ut fœdus hoc à decennio, ſi placeret ſociis, ad maius minúſve, aut par tempus prorogaretur.* At his vixdum confectis, venit eodem ab Edone Ieverano, & Herone Eſenſi legatus, arcis Ieveræ præfectus, Henricus Scroderus. Metus enim illos invaſerat, ex famâ conventus hujus veræ falſis aggerante, ut jam in perniciem ſuam conjurari arbitrarentur. Ejus legati, impetratâ dicendi copia, exhibitiſque mandati litteris, in conventu ſociorum, biduò poſt fœdus percuſſum, oratio fuit hujuſmodi: *Adeſſe ſe, ut ad controverſiam, quæ Heroni ſeorſim erat cum rep. Bremenſi, itémque quæ eidem, & Edoni Ieverano, & Iconi Cnipenſi cum civitate Groninganâ, eorúmque ſociis in vicino agro, Ditmarſis, Worſtenſibus, Tranſjadanis, Stadlandis, per inducias ſuſpendendam, conſtituendámque armorum quietem, nomine ſuorum ſe offerat: nec enim ſuis eam mentem eſſe, ut belli mala attracta & cumulata cupiant, ſi avertere ea æquâ ratione poſſint: rogare igitur, ut qui in conventu cum poteſtate agendi adſint, iſtuc quoque conſilia conferant, & pacificâ atque æquâ actione belli miſerias ſapienter ſubmoveant.* Cùm placuiſſet oratio legatis, agi cœptum de conditionibus, & demùm decretum ex voluntate omnium in hanc ſententiam: *Vt induciæ eſſent inter partes à Paſchatos proximè inſtantis ad feſtum idem anni ſequentis* M.CCCC.LXXXIX; *per eas ab omni vi & factis hoſtilibus abſtineretur terrâ marique, ſine dolo malo: partes porro intra menſem proximum ſibi mutuò ederent Principes, aut civitates, aut populos, quibus permittere cauſam vellent aut tranſactione, aut iudicio terminandam; eiúſque rei causâ locis commodis, ut aliquid conſtitui poſſet, hoc temporis ſpatio convenirent: eo conſtituto, deinde biduo à ſolſtitio æſtivo adeſſent omnes Bremæ, & causâ apud delectos agitatâ, aut actionem amicam, aut iudicium eorum æquo animo ſubirent. Intereà captivi iuratâ fide polliciti, ſe in cuſtodiam redituros, ſi pax non coiret, permitterentur ire ad ſuos: ſolutio aut facta aut promiſſa pro dimiſſione eorum conquieſceret, nec exigere quicquam eius gratiâ, aut repoſcere liceret in eum uſque diem, quo actio apud delectos arbitros eſſet finita. Cuncta hæc rata non eſſent, niſi ab ipſis, à quibus legati omnes erant miſſi, etiam probata, eiúſque rei fides per litteras eſſet facta, Bremæ ante diem ab eo die* XX *exhibendas.* Hac clauſulâ factum, ut in ventos pactio tum abierit. Eſenſis tamen & ſocii ita ſe compararunt, ne bellum ſumendi occaſio fœderatis eſſet. Litteræque identidem miſſitatæ, quibus res ſuſpenſa. Tandem poſt annum per varia M.CCCC.LXXXIX.
colloquia, & legationes in inducias annuas conſenſus factus inter civitatem Groninganam, ſociatoſque in vicino agro ordines, & Heronem Eſenſem, Edonem Ieveranum, Iconem Cnipenſem. Ex harum induciarũ formulâ hi Bernardum antiſtitem cœnobii Eſenſis cum mãdati litteris Groningam miſere biduò aut triduò poſt ſacrũ aſcenſionis Domini, qui nomina ederet duorum, quos ipſi arbitros pro ſe deſignarant, viciſſimque nomina reciperet totidem eorum, quos delegerant Groningani, locumque & diem conventui & colloquio delectorum

arbitro-

arbitrorum cum Groninganis conſtitueret, ac cætera compararet, quæ eódem pertinerent. Arbitri illinc nominati Tado ſacerdos Werdumanus, Hicco Boijngius vir nobilis item Werdumanus, hinc Hermannus Elderwoldius theologus ac ſacerdos Groninganus, Ioannes Rengerus ex Equeſtri ordine: iis dies dictus ſextus antè Pentecoſtes in cœnobio Muntano, poteſtaſque data tractandi negotii, deſignandi poſt conventum primum loci & diei alterius, actioniſque ejuſdem ſæpius iterandæ, &, ſi res poſcat, nominandi arbitri quinti, qui ſe cæterorum diſſenſioni interponat, conſtituendæ certæ auri ſummæ, quam ſolvere debeat, qui ſententiæ ab arbitris latæ nolit acquieſcere. Qui cùm coiiſſent hujus rei gratiâ ſæpiùs (nec enim res erat facilis, cùm querelæ querelis utrimque cumularentur) & Guilhelmus Friderici, ſacerdos Groninganus, Elderwoldio eſſet ſubſtitutus, tandem circiter Idus Septembr. concepta ſententia fuit, cujus hæc erant capita. *Primùm ut oblivio eſſet omnium præteritorum, & pax inter partes perpetua, ac ſine dolo malo; commerciáque tuta ac libera. Deinde offenſionibus omnibus violentis, receptationibus hoſtium, cunctíſque conſiliis hoſtilibus manifeſtis occultíſve impoſterum abſtineretur. Adhæc, ſi quid proveniret fortè, quod movendo bello novo poſſet eſſe, non tamen arma priùs caperentur, quàm ad iudicium, aut arbitrium communium amicorum de lite eſſet provocatum: cunctáque hæc non à præſentibus ſolùm, ſed ab hæredibus etiam, ac poſteris ſervarentur: Poſtremò ſi quis quid horum unquàm infringeret, aut violaret, is eam ob cauſam ipſo facto apud omnes ordines haberetur infamis; eúmque eiúſque res, ubicunque locorum deprehenſas, fas eſſet auxilio iudicum detinere, uſquequò lis eſſet compoſita.* Sententia promptis animis accepta à Groninganis, & civitatis ſigillo ſtatim probata: ſed à parte adversâ recuſata conſtanter ob caput poſtremum. Quapropter incudi reddita, actione repetitâ, & demum reſecto capite inviſo, prioribus retentis, pronunciata ſolenniter, atque omnium ſignis adjectis & partium & arbitrorum firmata fuit. Inſtauratáque commercia more ſolito per omnem eum tractum in Danos uſque. *Bre*menſibus & Eſenſi compoſita ſimiliter res: ſed quo id factum modo, ignorare me fateor. Hoc ſolum lego apud Crantzium Hamburgenſem, cives ipſius magnam eorum manum, qui nobilitatis hujus Friſicæ auſpiciis per maria tum volitabant, ac prætextu belli Hollandici promiſcuè navigantibus erant moleſti, armatâ claſſe, atque in vicinam Friſiæ oram emiſsâ, ad idem hoc tempus in ipſis littoribus & portu oppreſſiſſe, facileque captos, quos conſcientiâ recti in extremum certamen non obfirmaverat, Hamburgum vexiſſe; illic piraticæ accuſatos, ſed nullius facinoris compertos, quæſitis in eos impensè criminibus, tandem exigui vaſculi direpti clavis ferreis pleni convictos, tantulam ob rem ad LXXIIII capita, quaſi captatâ ſeveritatis famâ, infami ad omnem poſteritatis memoriam ſævitiæ exemplo, gladio carnificis ſubjeciſſe: id eos ſtudio purgandi maris, injecto prædonibus tam aſperi facinoris metu, velare voluiſſe. Cætera ſilentio involuta. Houverdæa quoque cauſa ante annum novo colloquio fruſtra rurſum agitata, dein ab Eſenſi in actionis principio ſuæ commixta, ſed ab eodem mox deſerta, eodem tempore circiter Nonas Septembr. per Hicconem Cankenium Dornumanum jureconſultum præpoſitum Emdanum, Guilhelmum Friderici ſacerdotem Groninganum, Ioannem Canterum, Bojionem Mejionis Emdanum, Wolterum antiſtitem Adoardianum, inter civitatē Groninganam, & Ailconem & Geroldum fratres Vphuſanos tranſactione tandem finita. Eâ juredictio omnis Muntenſis Groninganis ſine controverſiâ relicta. Houverdæis pecuniæ aliquid, & agri reſtitutum. Et inter hæc, quæ jam de diverſis Friſiæ partibus recitavi, VVESSELVS GRANSFORTVS GRONINGANVS eâdem in urbe, in quâ natus educatúſque erat, in otio & meditatione rerum divinarum, quod reliquum erat ſenilis vitæ tranſigebat, conſilióque cives ſuos, apud quos ſummâ in veneratione erat, ubi res poſcebat, adjuvabat: primus Germanorum ex litteris excellens nomen uſque ad admirationem & invidiam

cæterarum gentium adeptus: Quippe qui Platonica, Ariſtotelis, philoſophorum reliquorum omnia ad unguem calleret: prophetica, apoſtolica, ſanctorum patrum monumenta rectiùs, quàm quiſquam ferè ea ætate in Europâ percepiſſet: Germaniam, Galliam, Italiam, Græciam denique diſcendo ac docendo obiiſſet: Latinæ, Græcæ, Hebrææ litteraturæ peritiam ſingularem & raram ſibi comparaſſet: in medicis etiam ſupra cæteros ſaperet, eamque ob cauſam Romano Pontifici à curandâ ſanitate aliquot per annos fuiſſet: denique in omni litterarum genere eſſet tantus, ut LVMEN MVNDI eum nonnulli vocitarent. Quæ gloria invidiam theologorum cæterorum, qui doctrinæ & ordinum titulis ſibi placebant, in eum commovit, ut hæreſeos illi crimen impingerent, & canum ignobilium inſtar famam ejus, quo cum congre.ii coram non audebant, allatrarent: ſed invidiam gloria vicit, quæ ſaturum annis ad mortem uſque comitata, ſublatum è vivis, in hunc uſque diem conſtans, nec ullam paſſa jacturam inter litteratos proſecuta fuit. Atque hujus porro è lampade lumen accendens ſuum RODOLFVS AGRICOLA ætate junior, eâdem in regione Friſiæ obſcuris natalibus apud Baſfloos ortus, tantum ſibi in litteris nomen paravit per omnem Europam, ut non ſolùm cæteros antè ſe Germanos per multa retrò ſæcula, quod in confeſſo eſt, ſed ipſum etiam Weſſelum ſuperarit, Gallos vicerit, Italis admirationi maximæ fuerit. De quo ſanè in univerſum ſilere præſtat, quàm pauca, & infra modum gloriæ ejus hoc loco, ubi breves eſſe cogimur, dicere: præſertim tot à viris clariſſimis decantatâ laude ipſius, & fama cunctis litteratis notiore, quam ut indicari opus habeat. Vnum modò me abripit, ut id præterire ſilentio non queam, quòd ſæculo nimirum tam barbaro, craſſiſſimis in tenebris, & litterarum ignoratione, tantum proficere ingenio paucis annis potuerit. Nam cùm annum XLII vivendo nondum complêſſet, multumque intereà tribuiſſet peregrinationibus, conviviis, genio, jocis, in Muſicâ quoque operam poſuiſſet, immaturâ morte abreptus eſt Heidelbergæ ad Nicrum flumen, anno poſt natum Chriſtum M.CCCC.LXXXVI ad exitum menſis Octobr. Cui ſi ſupereſſe licuiſſet diutiùs, quid non ille in litteris fuiſſet aſſecutus? quorum non gloriam procul à tergo reliquiſſet? quem in iſtâ quoque ætate extinctum admiratione doctrinæ ejus excellentis Italorum ſuæ ætatis doctiſſimus Hermolaus Barbarus Venetus Patriarcha Aquileienſis hoc epitaphio proſecutus eſt:

INVIDA CLAVSERVNT HOC MARMORE FATA RODOLFVM
AGRICOLAM, FRISICI SPEMQVE DECVSQVE SOLI.
SCILICET HOC VIVO MERVIT GERMANIA, LAVDIS
QVICQVID HABET LATIVM, GRÆCIA QVICQVID HABET.

Eum quadriennio pòſt in patriâ grandis jam natu ſecutus eſt WESSELVS: M. CCCC. XC.
cujus hæc vox ex hoc ſæculo migraturi ab aſtantibus excepta celebratur, cùm diſputationum æſtus aliquandiu animum ejus agitaſſet: *Gratias ago Deo meo, quod ſuperare mihi diſputationes iſtas licuerit: equidem nil ego ſcio præter Chriſtum, & eum crucifixum.* Cum quâ voce hilaris animam Deo reddidit, conditus in fano cœnobij virginum Spiritualium, uti vocant, humili ſepulcro, & vix noto poſteris. Invidiæ illi ante alia fuêre ea quæ docuit & ſcripſit contra Indulgentias Pontificias, & commenticium Purgatorium id eſt, contra meſſem præcipuam totius ordinis raſi, imprimiſque ipſius Curiæ Romanæ; acceſſitque de juſtificatione hominis coràm Deo doctrina multo purior, quàm cæterorum ejus ſæculi theologorum, quàm ex prophetis & apoſtolis, & ſanctis patribus Eccleſiæ veteris hauſtam in Commentario de magnitudine paſſionis Chriſti expreſſit. Præclarũ ſanè in utroq; exemplum, oſtendens non minùs læta ingenia quàm lætas ſegetes, & cætera, quæ iſtic proveniũt, ſolùm Friſicum generare, nec ullis ea aliis concedere, ſi modò, quæ fæliciter nata ſunt, rectè colantur. Rodolfus verò fratrẽ etiam habuit Ioannem Agricolam, in litteris quidem Rodolfo haudquaquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

parem, ſed tamen haud expertem politæ doctrinæ, & legum præcipuè ſcientiâ clarum. Quam ob cauſam carus admodum Thedæ principi viduæ fuit, ſummâque apud eam autoritate, eiuſque nomine per omnem Ciſamaſanam Friſiam ius reddidit, & multa in legibus provincialibus explanavit, quæ apud poſteros etiam autoritatem retinuerunt. His facibus accenſis in Friſiâ, multorum noſtratium ingenia ad laudem ſimilem velut exemplis incitata exarſerunt: de quibus nos deinceps ſuis locis dicemus. Et toto hoc tempore, de quo jam ſcripſi, Ciſamaſani poſt bellum Oldenburgicum, quieti adhuc & fælices ſub imperio juniorum Comitum & viduæ matris agitabant. Hæc enim quanquam filiis remp. dudum tradiderat, tamen in ſpeculâ cum iis permanebat, & juveniles eorum animos prudentiâ ſuâ atque autoritate ſenili temperabat, fœmina indolis ac virtutis raræ: Cui hoc ſemper firmamento fuerat maximo inter varios fortunæ caſus, quòd juſtitiæ & moderationis opinione populi animos veneratione & caritate in ſeſe verterat, unde fiebat, nemo ferè ut eſſet, qui non ſpontè imperiis ejus pro tuendâ patriâ obſequeretur, nec quiſquam aut domi inſurgere, aut foris temerè laceſſere pacem auderet. Nam epiſcopus, de quo dixi, quanquam infenſo & belli cupido eſſet animo, tamen arma movere ſtatim, non expectatâ occaſione, non audebat. Accedebant è primâ nobilitate magni conſilii, magnæ apud populum gratiæ & autoritatis viri, Hero Mauritius & Hicco Cankenius jureconſultus Dornumani, fratres germani; Haico, Wiardus, Hicco, Olderſhemii; Dido & Edſardus Luteſburgii; Feno Vttumanus, Vbbo Plewerdanus, Aioldus Hintanus, Folcmarus & Geroldus Grimerſhemii; Ailco & Geroldus Vphuſani; quos curarum ſocios fidos iidem Comites cum matre habebant, atque ut ipſorum præſidio nitebantur, ita viciſſim eiſdem ut cognatis & neceſſariis ſuis honorem tribuebant. Conſules verò, ſenatuſque civitatis Emdanæ, quæ tum cœperat alas movere, eum adhuc locum apud Thedam & filios tenebant, ut hi publicè privatimque, quoties res poſceret, non ut à nutu imperioque ſuo pendentes miniſtros, ſed ut amicos eos compellarint, & ſi quid ab iiſdem vellent, id non mandare, ſed petere familiariter, & rogare ſint ſoliti. Cæteri ordines, ut dixi, obſequio prompti: populuſque univerſus non metu, ſed reverentiâ & amore in principes, faciendo officio, ſuo quiſque loco parati: atque hos animos ipſi principes prudenti temperamento inter comitatem & imperii gravitatem ſolerter alebant, cumque ſtudio id agebant, ut amari quàm metui ſe malle omnibus facerent manifeſtum. Ex his porrò Enno, cui ob ætatem primæ partes in regendâ patriâ erant, parandi nominis causâ, quod tum in more eſſe ſolet, conſilium cepit proficiſcendi Hieroſolymam, annos jam natus paulò minùs XXIX. Quod cùm nec matri diſpliceret magni animi fœminæ, paratis omnibus, cum Victore Friſio, ex Hoijenſi agro juvene nobili, qui recèns ex Oldenburgicâ aulâ in ejus famulitium conceſſerat, & Folefo Inhuſano Alconis filio, adoleſcente æquè impigro, primo ſtatim vere iter eſt ingreſſus, cùm annus ageretur à Chriſto nato M.CCCC.LXXXIX. A cujus abitu Engelmannus Freburgicæ arci à Thedâ ac liberis poſt Heronem Mauricium præfectus, è nobilitate Weſtfalicâ, vafri & infidi ingenii vir, ſenſim obrepere Almedæ ſororum Ennonis minimæ, puellamque improvidam blandis verbis in amorem pellicere, fratris quoque abſentis, quocum magna ei ac familiaris conſuetudo antè abitum fuerat, de conjugio promiſſa ementiri, quæ joco fortè dicta ea ſeriò urgere, poſtremò non antè deſiſtere, quàm animum ejus expugnaſſet. Tum reliqua facilè perſuaſit, ut exoratâ matre velut deambulatura cum pediſſequâ ad proximum Auricæ vicum (nam in eo oppido tum fortè Theda erat) ſibi cum uno ſatellite præſtò futuro opportunè occurreret, atque in equum cum pediſſequâ ſe tolli, & Freburgum avehi pateretur. Eâ in arce ſuſtineri vim tantiſper poſſe, donec frater domum reverteretur, aut mater iram poneret. Theda re per indicẽ cognitâ, ſtatim è ſuis miſit

qui

qui filiam reducerent,& Engelmannum ſine morâ ad ſe venire juberent. Cùm
non pareretur, quòd putaret præſentiâ ac conſpectu ſuo præfectum territum
iri, ipſa cum liberis & comitatu nobilium eò contendit. Verùm aditu prohibi-
ta, cùm ab Engelmanno reſponderetur, velle ſe in reditum Ennonis, qui ſibi
affinitatis ſpem feciſſet, arcem in poteſtate habere, vehementer animo com-
mota, atque exſecrata caput perfidum, in vindictam haud iniquam exarſit.
Convocato concilio ordinum, cùm omnes non ferendum facinus cenſerent,
populus ad arma eſt excitus. Convenêre alacriter ex omnibus præfecturis
promptiſſimi quique,& exercitus Freburgo admotus. Imperium militare He-
roni Mauricio datum, qui & autoritate rerumque uſu reliquos nobiles antei-
bat,& ejus arcis res omnes penitùs noverat. Is cùm vi capi poſſe arcem muni-
tiſſimam, & præſidio benè inſtructam à præfecto, diffideret, caſtra ad obſiden-
dam eam communivit. Sed obſidio diuturnior fuit, quàm futura ſperabatur,
quòd commeatu atque omnibus rebus neceſſariis Engelmannus maturè ſibi
caviſſet. Intereà inito jam anno M.CCCC.XCI ſub finem Februarii menſis poſt
biennii peregrinationem, Enno cum comitibus ſuis incolumis tandem in Fri- M. CCCC. XCI.
ſiam revertitur. Qui cùm ex rumore de Engelmanni ſcelere in itinere incer-
ta & varia cognoviſſet, maturandum ſibi ratus, Groningâ ſtatim Reidam,
indè ſuperato per glaciem Amaſo, quod rarum iis locis eſt, Borſumum atque
Emdam accelerat. Illic de re totâ pleniùs & certiùs edoctus, atque iſthinc
Auricam profectus, cùm à matre quoque ſibi exprobrari audiret id, quod ab
Engelmanno eſſet commiſſum, qui conjugii ſororis ei antè abitum temerè
ſpem feciſſet, adeò generoſus ejus animus dolore atque irâ exarſit, ut conſu-
lere in medium non poſſet. Ita enim hominum natura habet, ut maxima quæ-
que ingentia in re indignâ vehementiſſimis motibus cieantur. Quid verò in-
dignius, quàm ſummo ſceleri infame contra ſe mendacium additum, præ-
ſertim ab eo homine, cui tantus à ſe ſuiſque honos, tanta fides habita eſſet?
Atque ita irâ præfervidus, ut ſe innocentem oſtenderet, in caſtra conten-
dit. Eratque extrema per vim ſtatim tentaturus, ſi non ſuorum graviſſimis
verbis commotus, animi impetum compreſſiſſet. Tum communi omnium
conſilio perſuaſis, ad ſe fide publicâ Engelmannum ex arce evocavit. Is quan-
quàm ſceleris ac mendacii ſibi conſcius, tamen fretus facili Ennonis ingenio,
& priore ſuâ apud illum gratiâ, cùm veniſſet, exceptuſque haud longè à foſ-
ſâ arcis ab Ennone occurrente eſſet, inito colloquio, non culpam fateri, non
cœpto deſiſtere, audaciùs etiam mendacium ingerere: Poſtremò cum ſce-
leris graviùs argueretur, ferociùs etiam, quàm nocentem decebat, principi
reſpondere. Sic exaſperato demùm Ennonis animo, cùm ſibi metuere incipe-
ret, pedem referre & per glaciem tranſmiſſâ foſſâ, quâ proximum erat, intra
munitiones ſe recipere contendit. Ibi tum Comes irâ præcipiti incenſus, ut
erat toto corpore armatus, fugientem ſecutus fuit, ut aut prehenderet il-
lum, aut unâ cum eo in arcem evaderet. Sed in mediam foſſam, quæ vix
Engelmannum inermem & gracili corpore tranſmiſerat, curriculò cùm ve-
niſſet cum duobus ſatellitibus, Vlferdo Vldingâ Nordano, & Georgio Teu-
tone, glacies pondere fathiſcens, ſubſedit, ipſumque & ſatellites hauſit,
hauſtos armorum pondus ad fundum traxit, fruſtra auxilium molientibus
qui in orâ ſtabant. Secuto omnium ploratu in re tam triſti quotquot ade-
rant nobiles, miles, plebs, uno ore fremere, nefario & perjuro præfecto diras
dicere, ad ſupplicia ſceleratum caput, acerbis animis depoſcere. Neceſſitas
tamen coëgit inducias ab obſeſſâ petere, ut extrahi ſine periculo merſorum
corpora ad ſepulturam poſſent. Ennonis corpus Auricam inter gemitus de-
vectum, atque illic ritè curatum habitumque, dum reliqua funeri faciendo
parantur: deinde Nordam maximo cum dolore familiæ, totiuſque adeò
populi delatum, juxta patrem conditum fuit. Vix credi poſſit, quàm mul-

tis lachrimis indignum caſum omnis propè patria defleverit. Tam magnam de ſe ſpem, egregia juvenis indoles apud omnes concitaverat. Sed Gelæ ſororis luctus longè maximus fuit, cujus vi in morbum virgo incidens non multò pòſt conſumpta eſt. Interim Hero Mauricius finito induciarum tempore, obſidionem ſtrenuè urgebat, ſummâ voluntate & ſtudio eorum, qui in caſtris erant. Nam omnes infælici caſu Ennonis in Engelmannum exacerbati hoc animo erant, ut niſi occupatâ arce, & in poteſtatem redacto homine nefario, iſtinc decedere nolle, ſecum ſtatuerent. Quod cùm per indicium is accepiſſet, & juſtam Thedæ omniumque ordinum indignationem metueret, quanquàm ægerrimè ab amicâ divelleretur, conſilium tamen fugæ cepit. Nihil enim rerum humanarum inertibus ac pravis ingeniis cariùs quàm vita, quæ cùm in diſcrimen venit, ut eam ſervent, cuncta facilè negligunt. Igitur obſervatâ occaſione, cùm commodum maximè eſſet, concubia nocte tacitè per averſam ab obſidentibus arcis partem munitiones tranſit, decepto præſidio, perque avia paluſtria, quæ caſtris occupari non poterant, expeditus & locorum gnarus, in tutum ſe proripit. Tum præſidiarii deſertos ſe videntes nullam moram deditionis faciunt. Almeda cum pediſſequis duabus è latebris, quas iram ſuorum verita quæſierat, protracta, & acerbiſſimis à matre fratribuſque excepta verbis, Grethanâ in arce in cuſtodiam data fuit. Reliqui omnes, ut convenerat, incolumes dimiſſi. Engelmannus non multò pòſt, internunciâ anu, cum amicâ, cui ſacra adire in templo conceſſum fuerat, per litteras ſubindè miſſitatas egit, ut deceptis cuſtodibus ſumpto mendicæ habitu, fugiens manus ſuorum evaderet: & illa perſuaſa, nactaque occaſionem, comite eâdem anu, Amaſum jam tranſmiſerat, & Groningam pervenerat. Verùm à Victore Friſico celiter ſecuto in hoſpitio publico occupata, reſumptâ jam veſte ſolitâ, permiſſu ſenatus oppidani, in cuſtodiam eandem retracta irritam eam Engelmanno ſpem reddidit. Is velut injuriam patiens ad Pontificem Alexandrum VI querelas detulit. Freburgo recepto (quanquàm ſint, qui id ſtatim à reditu fratris factum aſſerant) Edſardus ſecundus Vlrici filius, ne quâ parte honori ac famæ fratris, cui indole atque animo par erat, inferior videretur, in Palæſtinam proficiſcitur, aſſumpto eodem Victore Friſio itineris comite, viarum & hominum jam gnaro. Ei Hicconem Dornumanum Heronis Mauritij germanum adjicit. Profecti, fæliciter ſuperatis viæ laboribus terrâ maríque, luſtratâ veteri Iudæorum regione, quam eo tempore profanæ gentes ſervitio premebant, perſpectis omnibus Hieroſolymæ locis, ſepulchro Domini, quod illic oſtenditur, reverenter viſitato, poſtremò adſcripti in ordinem ſacrorum Equi-
M.CCCC. tum, ſalvis rebus omnibus in patriam anno proximo M.CCCC.XCII rever-
XCII. terunt. Ab eorum reditu Henricus Suartzburgius, Monaſterienſis & Bremenſis epiſcopus, quod diu coxerat, leviterque hactenus curarat, bellum ſeriò tandem parare, vireſque experiri ſuas in Friſios inſtituit. Aperto tamen Marte agendum ſibi, irrumpendumque in eorum fines, quorum robur & virtutem metuebat, haud putavit. Itaque paratis cunctis, magno ſilentio circumductis cohortibus ex Weſterwoldico agro in Groninganos, & à ex Groninganis ad Dunebrocæum cœnobium in Reidanos inopinus, & à nullo expectatus irrupit. Mox curſim agmen rapiens, priuſquàm cogi manus à Friſiis poſſet, VVimeram, Bonam, Bundam, vicos ejus oræ ad Dullartum, diripuit. Hinc pergerè ad eundem ſinum, & reliqua ejus agri, quæ in Amaſi littore per decem paſſuum millia longè cultiſſima ſunt, in prædam vertere animus quidem erat, ſed quòd Friſios coituros celeriter ad famam adventus ſui non dubitaret, in diſcrimen ſe mittere non audebat. Itaque converſo itinere, quà proxime ſuos in fines penetrare poterat, Weneram, inſigne forum in Reidanis, citato agmine petiit: Illic pulcherrimi templi

templi donariâ, & quicquid auri & argenti in ſacrariis habebatur, ſanctiſſimus epiſcopus eximio pietatis zelo abſtulit, ſpoliatoque fano ignem injecit; idem ædibus & horreis, quæ ob congeſtas fruges & fœnum Septembri menſe fundendo latè incendio aptiſſima erant, toto vico eſt factum. Ita mulctatis VVeneranis, quos Monaſterienſes ob virtutem pro tuendis finibus impenſiùs oderant, incendiarius præſul, ne quid mora offenderet, Stapelmoram prætериens ad Dilam extremum agri Friſici locum, in ſuos fines in tutum, quantâ potuit celeritate, ſe recepit. Eum eâdem viâ ſecutus ſtatim Edſardus, impiger juvenis, & contumeliæ impatiens, qui ſe celeriter intereà ad arma expedierat, cùm aſſequi agmen epiſcopi non poſſet, ne quid tamen gaudere aut gloriari Monaſterienſibus liceret, haud multos poſt dies validam manum ſuorum, in quibus hos, quos injuriâ epiſcopus affecerat, in illorum agrum immiſit, & quocumque modo poſſent, vicem referre hoſtibus juſſit. Illi reliquis poſtpoſitis, quæ in itinere erant, Redam contenderunt, quod oppidulum eſt primum in agro Monaſterienſi occurrens; ad Amaſum flumen haud minùs quatuor paſſuum millium à Friſiæ finibus ſitum. Eò cùm perveniſſent, disjectis Monaſterienſium præſidiis, quæ morari iter volebant, & ad L è numero eorum occiſis, oppidulum direptum incendio vaſtarunt, & cum omni prædâ incolumes domum redierunt. Id Redenſium meritis datum, qui in VVeneranos nuper maximè injurii & graves fuerant. Sic ac- M. CCCC.
cenſis odiis, Monaſterieuſes anno proximo aliâ à parte trans Amaſum, XCIII.
Hampolâ rivo, qui eos à Friſiis desjungit, ſuperato, in proximum vicum Vollenſem Tranſlædani agri impetum faciunt, templum fœdè diripiunt; reliqua omnia ſimiliter in prædam vertunt, quæ auferre ſecum haud poterant; ferro & flammâ corrumpunt. Eodem modo Steenveldæ, Woldæ, Iderhavæ, qui proximi vici ſunt, agunt. Tum diutiùs commorari non auſi ſe recipiunt. Nec morati Friſii, ne quid inultum relinquant, in Sageltanos; qui ad Lædam paluſtri in ſolo habitant, Friſici quidem generis, ſed a plurimis jam annis epiſcopo Monaſterienſi, factâ à ſuis ſeceſſione, parentes hoſtiliter incurrunt, atque omnem eorum agrum, nemine prohibere auſo, urendo & populando quàm maximè vaſtum faciunt. Rurſumque manu collectâ non multos poſt dies in Monaſterienſes ſe denuò inferunt, proximos pagos Bokelam, Nendorpium, Tunxdorpium rapinis & incendio affligunt, qui occurrere, & obſiſtere audent, aut capiunt, aut ferro conficiunt. Nec à Monaſterienſibus ceſſatum: Vollæ, Latteræ, ſacra profanaque ab iis in prædam promiſcuam verſa. Dum reliqua quoque vaſtare parant, præfecto militari primi nominis, Oldehavæ templi fores molienti crus fortè confractum fuit. Is caſus cæteros quoque recipere ſe coëgit. Inter hæc pacatæ rei ratio quoque habita, & cura ſuſcepta. Aureorum argenteorumque omnium numorum ſupra modum juſtum æſtimatio excreverat. Quod cùm publicè privatimque magno damno eſſe videretur, ex aſſenſu ordinum viſum eſt Edſardo & fratri, ad æquum pretium eos redigere. Itaque decreto propoſito aureus Rhenanus, quod genus numi cum Arnoldicis tum maximo in uſu fuit, XXIIII ſtuferis, aut crumſterdis noſtratibus XXXVI; aureus verò Arnoldicus ſtuferis X, aut crumſterdis novis XV permutari, ac tantundem in contractibus valere juſſus. Crumſterdus IIII denariolis, quos albos vocant, æſtimatus, habituſque pro beſſe ſtuferi Friſici. Aliud verò etiam multò majus ad Hamburgenſes pertinens anno eodem confectum. Hi indignè ferentes, tantam ſibi fraudem ab Vlrico factam, ſæpè ab eo vivo, ſæpius à conjuge ac liberis ejus ab ipſius morte jus ſuum repetierant Verùm tot præſidia contra ipſos ſtetêre, ut oleum & opera iis hîc perierit. Imprimis iniquus eorum titulus in jure Emdano, Friſiorum libertas, Imperatoris beneficium & voluntas, hæredum Imelonis ceſſio, populi totius conſenſus ipſis adverſabantur. Eaque

cauſa fuerat, cur ne ſocii quidem in fœdere Bremano feriundo hanc in rem iis
polliceri auxilia voluerint. Poſtremò, cùm fruſtrà reſtitutionem quærere ſe
cernerent, ad tranſactionem amicam ſe proximis annis obtulêre. Verùm
cum locis parùm tutis, & hoſtium incurſui obnoxiis, aliquoties ei rei dies dicta
ab Hamburgenſibus eſſet, atque eam ob cauſam à Thedâ & liberis ejus nemo
iſtuc veniret, acerbè hoc ferentes Hamburgenſes ſeneſcente jam Iulio menſe
anni M CCCC. XCII ad Groninganos amicos ſuos hac de injuriâ ſcripsêre,
& expoſitis querelis petiêre ab iis, ut officii & juſtitiæ domum Vlrici mone-
rent. Quod cùm factum eſſet à Groninganis, operam ſuam ad componendam
controverſiam utrique parti pollicitis, reſpondit ſuo ſuorumque nomine Ed-
ſardus, & refutatis Hamburgenſium querelis oſtendit, ſi ſecum Groningæ, aut
Dammonæ, aut etiam Oldenburgi, aut apud Ruſtros Transiadanos colloquio
experiri pars adverſa velit, imò ſi Bremæ, aut in diœceſi Bremenſi locis ab ipſis
adverſariis nominatis, cum conditione liberi ac tuti commeatus, ſe præſenti-
bus Groninganis id non eſſe recuſaturos. Hoc principio facto, miſſitatis dein-
de aliquoties hinc indè litteris, intercedentibus porrò Groninganis & rem ſe-
riò urgentibus, tandem placuit, ut Groningæ conventus & colloquium ad XVI
Calend. Martii anni M. CCCC. XCIII inſtitueretur, in quo ipſe ſe præſentem
ſiſteret Edſardus. Iſtinc ad diem dictum pro Hamburgenſibus, adfuit Ioan-
nes Longobecius conſul cum ſenatoribus aliquot, & ex populo delectis. & ve-
nit eôdem Edſardus, ſtipatus præcipuâ nobilitate agri ſui, & prudentiſſimis ex
civitate Emdanâ, & aliis è reliquo populo. Cœpitque agi magnâ partium con-
tentione, nec minore Groningenſium interceſſorum ſtudio, ut æquis rationi-
bus res componeretur. Quod factum tandem ſeneſcente jam Majo. Condi-
tiones perſcriptæ ſunt manu ejus, qui à ſecretis tum erat ſenatui Groningano:
Hamburgenſes Fredam & arcem Orthanam, quæque cum iis cohærebant, in univerſum di-
miſerunt Edſardo & Vconi, omníque ſuo iure, quod vel habebant, vel habere ſe putabant,
ceſſere. Edſardus cum fratre viciſſim ipſis promiſit marcarum Lubecenſium X *millia, de-*
cennio proximo ſolvenda denis penſionibus paribus: pollicitus etiam penſionibus paribus:
pollicitus etiam LIBERTATEM ET IVRA OMNIA EX PACTO PRIORE CVM
VLRICO PARENTE EMDANIS INTEGRA SE RELICTVRVM:
Vectigali Hamburgenſis cerviſiæ ſupra ſcaptos duos, aut quatuor ſtuferos Brabantinos in ſin-
gulas tonnas, qui modus iam in uſu erat, nihil impoſterum adiecturum; eius cerviſiæ uſum
per Friſiam ſuæ ditionis non minuturum, nec poſteros ſuos. Poſtremò, commercia Friſiis &
Hamburgenſibus ceu amicis libera uti eſſent utrimque, ſtatutum. Subſcripsêre qui ade-
rant utrâque à parte, ſed hac lege, ut utrique domum ad ſuos de omnibus re-
ferrent, conventáque rata non eſſent, niſi illic quoque ab iis, quorum intere-
rat, probarentur. Et Edſardo res domi difficilis non fuit: ea enim gratiâ erat
apud omnes, ut quod ipſi placeret, qui princeps in re erat, id reliquis etiam
diſplicere non poſſet. Sed Longobecius Hamburgum reverſus in diſcrimine
fuit, ne quid à ſuis pateretur. Indignum enim plerique exiſtimabant, tantum
jus ſuum, quantum habuiſſe ſe iſtis locis ſibi perſuadebant, tantula pecunia eſſe
venditum. Itaque fremere in conſulem, peſſimâ eum fide negotium publi-
cum tractaſſe, ab Edſardo corruptum majore pecuniâ, quàm quæ ſolvenda
civitati eſſet. At cùm tumor ille primus reſediſſet, ſecuta quoque convento-
rum probatio eſt. Sponſores pro Edſardo & Vcone fratre ejus facti Hicco Dor-
numanus juriſconſultus, Hero Mauritius hujus germanus, Beno Vttumanus,
Vbbo Pleuverdanus viri nobiles, & cum his conſules reliquuſque ſenatus Em-
danus: tabulaſque pactorum cum eodem Edſardo & Hamburgenſibus hi om-
nes ſignarunt. Verùm ne ſic quidem in Longobecium calumnia quievit: vul-
gò ſpargi per inimicos, decies mille auri Rhenani clam ab Edſardo accepiſſe;
M. CCCC. eo hamo captum rempublicam prodidiſſe, infamem, deteſtabilem, ſupplicio
XCIIII. dignum. Quæ quòd cum tempore invaleſcerent, ille ut nomini & ſaluti con-
ſuleret

ſuleret ſuæ, ad ſenatum Groninganum optimum & certiſſimum actorum omnium teſtem, tanquam ad unicum hoc in diſcrimine aſylum, confugit. Senatus re cognitâ ampliſſimum ei teſtimonium fidei & diligentiæ dedit, oſtenditque non infamiâ aut odio, ſed gratiâ, honore, præmio dignum à ſe cenſeri, idemq; hoc Guilhelmum Friderici ſacerdotem, & Ioannem Rengerum Scharmeranum, qui actioni aſſiduè interfuerint, jam autem in urbe non ſint, per litteras teſtari: hæſiſſe diu controverſiam de pecuniæ ſummâ: Edſardum Rhenenſium x millia promittere nullo modo voluiſſe, Longobecium certum quid poſcere pro civitate ſuâ conſtanter recuſaſſe: demum ſeſe interceſſoribus, ut finis controverſiæ eſſet, x millia marcarum Lubecenſium edidiſſe, eique ſtudio & hortatu ſuo partem utramque tandem hac conditione aſſenſiſſe, ſi probarent illi, quorum intererat. Hoc modo famæ innocentis, uti poterat, conſultum. Factum hoc adoleſcente anno M. CCCC. XCIIII, menſe Aprili. Eodem hoc anno ſenatus Emdanus legatum ad Maximilianum Imperatorem, cui primus ille à parentis morte annus erat, in Brabantiam miſit. Huic in mandatis datum, ut vetus civitatis jus in Amaſi fluminis uſu Imperatori exponeret, eique confirmando diploma ab eodem impetraret. Facilè obtinuit legatus, Antwerpiæ ad orandam cauſam admiſſus, diplomáque ſecum in patriam retulit, cujus hæc ſententia: *Vt omnes ſecundo aut adverſo amne Amaſo præter oppidum Emdam navigantes ancoras ad oppidum iaciant, portúmve ſubeant, merces, quas vehunt, venum oppidanis proponant, cætera, quæ mos habet, ſervent: magnæ tamen naves, quæ tempeſtatibus compulſæ ex Oceano amnem ſubeunt, & in viciniam urbis delatæ tutioris ſtationis causâ ancoras illic figunt, non teneantur ſua venum proponere, cæteráque aliis ſolita facere, ſed portorio uſitato in uſum aggerum & clauſtrorum coërcendis aquis reip. ſoluto permittantur, quando velint, rurſum diſcedere: ea rata ſint, ſalvo aliorum quorumvis iure.* Signatum diploma eâdem in urbe Antwerpiâ, ſubſcriptum à Bartholdo Moguntino archiepiſcopo, Imperii Cancellario, pridiè Nonas Novembr. cùm Conſules adhuc Emdæ eſſent Nomo Meccama, Hompo Haijena, Bernardus Dutenus, Gerardus Geldrus. Inter hæc non improſpera patriæ & filiorum, Theda extremum diem clauſit apud Grethanos ad XVI Calend. Octobr. ejuſdem anni, ſexagenariâ major: Fœmina inter paucas memoranda: cujus conſilio & virtute potiſſimùm mariti domus, à morte ejus, rebus tum maximè dubiis, ſtetiſſe viſa, & opibus quoque novis aucta: patria verò tot inter hoſtes tam infeſta vicinorum arma, nullo accepto detrimento, incolumis evaſit: cara omnibus ſuis, quibus totos XXVI annos cum magnâ juſtitiæ ac prudentiæ laude præfuit. Funus ei modicum apud Nordanos in Virginum cœnobio, ubi ipſa maritum quondam condiderat, filii fecère. Ab ejus morte (quanquam id jam antè factum eſſe, cùm mater imperium filiis relinqueret, quidam aſſerant) Edſardus apud ſe fratremque ſuum nobiles antiſtites, omnemque populum ſacramentum ſolemni more dicere adègit. Atque hujus rei gratia Transjadanos quoque aditurus, quòd & Oldenburgicorum fides nutare videretur, & Ieveranos quoque ſuſpectaret, inſtructis aliquot navibus, è portu Emdano iſtuc maritimo itinere contendit. Erat verò illorum hominum ſummum in domum Vlrici ſtudium & fides. Itaque Edſardus, cùm eò veniſſet, omnium ſummâ voluntate in ſuam fidem eos adègit, atque annui tributi modum haud invitis conſtituit. Illud verò perſuadere nullis rationibus potuit, quanquam ex uſu provinciæ in rebus dubiis eſſe demonſtraret, ut arcem ſuo in agro extrui contra incurſum & vim hoſtium paterentur. Nam ſervitutis exordia ea eſſe homines nemini niſi legibus parere ſueti judicarunt: Etſi quis in ſe hoſtis ingrueret, ſatis ſibi animi, ſatis virium eſſe dixerunt, ad eum in campis oppoſitâ acie ſuſtinendum: Ea ſibi multò certiora eſſe munimenta, quàm quæ ex vallo foſsâque timidis atque ignavis peti ſoleant: Hujuſmodi porrò fide ſe fuiſſe hactenus erga matrem patremque, ut ſuſpicione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

gravari ſine injuriâ haud queant: hunc animum, hanc fidei conſtantiam ad extremum uſque contemptis omnibus periculis eſſe conſervaturos. Quæ quanquàm magnificè magis dici à viris fortibus, quàm ex uſu reip. eſſe Edſardus, ut erat jam tum rerum prudens, intelligeret, urgere tamen eos, & invitis arcem imponere, ne diffidere fortiſſimis hominibus videretur, quod ſæpè labefactare bonorum animos ſolet, noluit; hoc tantùm conteſtatus, vereri ſe futurum aliquando, ingruente belli tempeſtate, ut hujus eos graviter pœniteat. Tum ad ſuos Emdam rediit.

DECADIS TERTIÆ FINIS.

RERVM

RERVM
FRISICARVM
HISTORIAE
DECAS QVARTA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Ampliſsimis viris, virtute, doctrinâ, dignitate præſtantiſsimis,

CONSVLIBVS ET SENATORIBVS inclytæ Civitatis EMDANÆ,

Dominis ſuis plurimum colendis.

EMITTO *tandem poſt moram longam, ampliſſimi prudentiſſimiq́ue viri, decadem quartam Hiſtoriæ patriæ, qua* XIIII *annorum res conſilio & armis geſtas in Friſiâ complexus ſum, chartarum numero quidem parem, aut paulò maiorem prioribus, ſed & uſu ipſo haud paulò, ſi quid ego intelligo, meliorem, & mihi in texendo difficiliorem. Nam & res eius propiores ſunt nobis ac tempori noſtro, & accuratiùs, pluribúſque cum circumſtantiis ex infinito & confuſo chartarum cumulo, labore verè improbo erutæ atque digeſtæ. Eam autem vobis, viri ampliſſimi & prudentiſſimi, inſcribo & offero non abſque juſtis & gravibus cauſis. Nam, cæteras ut taceam, et vos præſidetis urbi, quæ non ab homine, ſed ab ipſo Deo inſignibus & eximiis privilegiis ac honoribus ante omnes in universâ Friſiâ eſt ornata. Cur enim non dicam quod res eſt? Hæc ſcilicet illa urbs eſt, quæ eluceſcente rurſum hoc ultimo mundi ſæculo Euangelii face per Germaniam ſtatim inter primas illuſtrata divinitus lumen cæleſte recepit, & ad hoc uſque tempus conſtantiſſimè retinuit: quæ hoſpitium Eccleſiæ nobile, ac per multas gentes inclytum, ac velut pietatis domicilium quoddam per totos ferè* LXXX *annos fuit: quæ εὐταξίας in ſocietate Eccleſiaſticâ, & pauperum curâ exemplum inſigne cum admiratione videntium aut audientium eluxit: quæ conſtantia ſuæ, freta ac fulta Deo, in tuenda religionis ſinceræ causâ tempore Interimiſtico toti Germaniæ procelloſo & gravi, cum vicinis agri incolis, illuſtre ac planè rarum documentum dedit. Hæc, inquam, urbs ea eſt, in quam velut in aſylum divinitus apertum, tonante perſecutione, diverſis è regionibus ac gentibus, imprimis è Britanniâ & Belgico profuga pietas, gladiis & ignibus elapſa, parentum noſtrâq́ue memoriâ, frequens confugit: in quâ eadem iſta, indignantibus & frementibus inimicis, hoſtibus veritatis divinæ, oportu- nas latebras, & ſedes quietas per multos annos habuit, artúſque héic ſuos ex timore & trepidatione recollegit. Quamobrem Chriſto viſum, à quo præſentis ſimul & futuræ vitæ promiſſiones pietatem ha- bere ſcimus, in hoc quoque ſæculo pro bonitate ſuâ ſic benedicere urbi eidem, ut quæ oppidum tenue fuerat, incredibili fortunæ auctu totius Friſiæ beatiſſima & pulcherrima, cum admiratione omnium, qui norunt, brevi tempore evaſerit. Quid enim ea nuper populoſius pro loci modo? quid nitidius & illuſtrius ædificiis & ſupellectile? quid opulentia fælicius? quid negotiationum varietate & amplitudine in totâ hac orâ aliquandiu fortunatius? quid navigationum magnitudine & celebritate in omnes orbis plagas uberius magiſve inclytum, dum pax & concordia ſtetit? Cujus commodiſſimum portum tot naves omnis generis ſubeunt quotidiè, tot relinquunt, ut fidem propè res ſuperet: per quas naves hinc cum Saxonibus, Pomeranis, Boruſſis, Livonibus, Polonis, Lithuanis, Ruſſis, Finnis, Suecis, Gothis, Danis, Norvvegiis; indè cum Belgis, Anglis, Scotis, Gallis, Hiſpanis; quinimò cum Italis, Sardis, Siculis, Cre- tenſibus, Aſiis commercia civibus veſtris ſunt: quæ ad Æthiopas quoque & Braſilianos in alterum propè orbem per immenſa Oceani Atlantici ſpatia penetrant nonnunquam: Denique quarum commea- tu fit, ut quicquid uſpiam in orbe mercium, aut rerum pretioſarum eſt, ejus copia Emdæ aut ſit, aut ha- beri poſſit. Atque hoc tam varium & frequens ac latè diffuſum commercium non ſolùm opes extulit urbis, & ædificia cæteráque in eâ pulchriora ac meliora reddidit, ſed ipſos quos quoque civium mores fecit elegantiores. Quæ cùm ſic habeant, meritò appellandos vos in publicatione huius laboris mei cenſui, quos Deus Opt. Max. ad civitatis ejuſdem, verè totius Friſiæ ocelli, clavum collocavit. Et hoc quidem eò quoque magis, quòd haud vulgarem erga me benevolentiam veſtram & expertus ſæpè ſim, & hodie quoque experiar. Honeſtiſsimâ enim conditione, & huic ætati meæ non inconveniente iteratò propoſitâ, atque ultrò mihi oblatâ ad vos me traducere rurſus voluiſtis. Quo beneficio veſtro (meritò*

enim in beneficijs pono) etſi non utar, ut re ipſâ demonſtrem, nondum loci hujus, in quâ ab ampliſſimo ſenatu Groningano locatus ſum, quem nuper quidam, homo ſcilicet magnificus & fortunatus, ut probrum mihi objecit, me pœnitere, tamen niſi gratiam vobis habeam, eamq; ſignificatione aliquâ promtulo & fortunâ meâ declarem, ipſo me judice nec gratus nec bonus fuero. De opere, quod offero vobis, nihil hîc dico præter hoc, quod ut varium ac multiplex argumentum ejus eſt, ſincerè vereq; à me expoſitum, ita quæ recitata in eo ſunt conſilia factaque majorum noſtrorum, & indè conſecuta eventa, quaſi in ſpeculo cum omnibus circumſtantijs poſita ob oculos, ſapientiores etiam fortaſſè nos poſteros eorum, & cautiores facere poſſint. Efficaciſſima enim ad docendum exempla ſunt, maximè parentum majorumq;. Et veriſſimè à Polybio (quanto viro!) dictum ἀληθινωτάτην παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις εἶναι τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν. Habetis rationem conſilij mei. Nunc quod reſtat, rogo vos atque obſecro, ampliſſimi prudentiſſimique viri, ut quod ſtudio bono à me fit, id bono animo acceptum vos quoque benignè interpretemini. Atque hoc ita futurum, certo certius mihi perſuadeo. Chriſtus Dominus noſter, ille magni conſilij Deus, & ſolus ſapiens, ſpiritu Sapientiæ vobis adſit, & conſilia veſtra omnia ita dirigat, ut vobis Reique publicæ veſtræ, ac toti Patriæ & Eccleſiæ ſint ſalutaria. Quod cum toto pectore precor, Amen. Valete, poſtridie Iduum Febr. anno reparatæ Salutis humanæ M. IↃ C IV, Groningæ.

A. A. V. V.

deditiſſimus

VBBO EMMIVS.

IANVS DOVSA NORDOVICI DOMINVS

ad

VBBONEM EMMIVM,

Rerum Friſicarum ſcriptorem.

Hiſtoriæ decus, & patrij lux nominis, Emmi:
(Per Genium VERI *quæſo, tuámque fidem)*
Edere quid ceſſas, patrijs reſtantia faſtis,
Ingenij in lucem munera dia tui?
Vos quoque fœlices tanto ſcriptore libelli
Annales, Friſicæ nobile gentis opus:
Dicite, quidnam opicos ſic exhorreſcitis ungues?
Aerugo Vbboni nulla timenda meo.
Perpetuum vobis fas eſt ſperare vigorem,
Et duraturi carpere Veris opes.
Nil Snoiæ vobis nocuêre uredinis auræ,
Nec Tragomotanæ vos tetigêre nives.

Scribebat ANNO M. DC. II, menſe Iulio.

RERVM

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XXXI.

RELIQVA rerum Friſicarum perſequuturo velut in principio operis novi breviter præfari rurſum libet. Etenim quemadmodum navigantes poſt vada longa, & incertas brevium ac ſcopulorum ſuperatas anguſtias, cùm jam mare vaſtum & profundum ingreſſuri ſunt ad portum deſtinatum contendentes, quaſi novo ſe labori & periculo parant; ſic ego vetuſta, obſcura, intricata emenſus, ad ſequentia, velut ad opus aliud, denuò jam accingor. Cujus ut recentius, ac noſtræ memoriæ vicinius argumentum eſt, ità commentariis tam multis ac variis, & paſſim inter ſe diſcrepantibus, iiſdemque rudibus & indigeſtis conſignatum, ſimulque tantâ monumentorum aliorum copiâ in archivis publicis, ſed confusâ & nuſquam cohærente ſuffultum, ut in ea qui intuetur, quaſi in pelagus quoddam ingens & turbidum intueri videatur. Et quemadmodum notitiæ noſtræ propior res eſt, & cum formâ rerum præſentium conjunctior, ita pleniùs quoque aliquid accuratiuſque de eâ expectare & requirere lectorem, non dubium habeo. Ad hæc hujuſmodi ſæculum eſt, quod jam dicendum, ut nec difficilius aliud bellis continuis, nec mutationibus magnis & variis illuſtrius, nec exemplis inſignibus bonis maliſque nobilius, non caſuum diverſitate magis conſpicuum à Normannorum temporibus in gente noſtrâ unquam fuerit. Factiones ſummis viribus motæ, in Oriente & Occidente civilibus bellis regio penitùs concuſſa, Groningenſium marte oppreſſa inter Lavicam & Flevum omnia, Saxonum vis univerſa, tam potentis gentis, armata decreto & autoritate totius Imperii, in Friſiam effuſa, & cæteris à Flevo in Amaſum protritis, ad Groningam fracta, Geldri cum Saxonibus commiſſi, & Groningâ potiti, Burgundi attracti eôdem, & à difficilimis certaminibus cum Geldris & Friſiis imperium totius Tranſamaſanæ uſque in Flevum tandem adepti. Interim Edzardus Ciſamaſanæ Comes, rei militaris æquè ac civilis ſolertiâ ſummus, in totâ hâc fabulâ omnium oculos partium vertens in ſe, quòcunque inclinaret, maximum ſecum momentum trahens, actorque in ſcenâ præcipuus, Ciſamaſana propter eum periculis & cladibus maximis cum cæteris involuta, amoris & fidei exemplum in principem ſuum rarum & fide propè majus edens, virtus multorum adverſis in rebus, ceu cote, aſperata, piurium vitia quoque protracta in lucem, doli in hoſtem concinnati, inſidiæque paratæ, conſiliis non minùs quàm armis utrimque certatum. Quæ ſi ut geſta ſunt omnia, ità exponere dilucidè, & è commentariorum variorum perplexitate ac diſſenſione multiplici, publicarúmque litterarum pelago confuſo ac vaſto, veritatem eruere, cauſas, occaſiones, conſilia, facta, eventus ordine memorare voluero, video non parvi me laboris ac difficultatis rem eſſe aggreſſurum, & velut procelloſum in mare navem meam immiſſurum. Eam verò difficultatem & moleſtiam, parem à patriâ, & omnibus hiſtoriæ amantibus gratiam confido ſecuturam. Itaque rem ordior. INTEREA dum ea, quæ memoravi ultima, in Weſtergoâ geruntur factionum ſtudio, in Oſtergoâ varii animorum habitus fuerunt. Factio hîc

M.CCCC. XCI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. CCCC. XCI. utraque potens, ſed Vetcopera prævalens. Quæ cùm Sciringios dominari cerneret in VVeſtergoâ, & Vetcoperos opprimere, verita in Oſtergoam quoque eos vim ſuam verſuros fiduciâ fortunæ, parando in tempore ſubſidio curas intendit. Nam ſi, qui Oſtergoam Sciringij erant, VVeſtergois ſe jungerent, haud ſatis roboris ſe habituros eſſe adverſus omnes verebantur. Redieratque in ſcenam vetus malum, & factionibus ſolitum, juſtitia non integrè adminiſtrata à factioſis, facinora non punita, injuriæ cæteræ non, ut par erat, coërcitæ. Erat verò ob oculos, quàm pacatè, quàm feliciter, ac ſine tumultuum metu multos jam annos agerent, qui cum Groningenſium civitate fœdus habebant: maximéque movebat Collumanum & Smalinganum exemplum, proximum utrumque. Itaque iſtûc reſpicere multi. Nec deeſſe occaſioni Groningani, hujuſce rei tacitè peravidi: ſubjicere per homines idoneos ea, quæ ad incendendos animos in hanc rem pertinebant, rumores varios ſpargere, metúmque à Sciringiis augere, nonnullos, qui autoritate in plebe valebant, & in factione erant ferventes, impenſiùs colere, eis blandiri. In his antè alios erant, ex ordine monaſtico Ioannes Doccumanus, Taco horti Mariæ, Hermannus Foſwerdius, Henricus Sionæus antiſtites, Menno Iarlæus, Sibetus Sceltuma, VVibrandus Roorda, VVorpius Hannia, Hebbo Tiarda, Heſſelus Siarda è primâ nobilitate. Hi apud cæteros bonum publicum ſolùm prætexere, pacis conſervationem, juriſdictionem expeditam incorruptamque, injuriarum cæterorumque malorum averſionem, defenſionem contra vim factionis adverſæ; ſuas, quas plærique habebant, cauſas proprias abdere, iſta in circulis, in congreſſibus publicis & privatis in ore habere. Poſtremò conventus vicinorum, hujus rei gratiâ Doccumi coactus. Illic re pleniùs deliberatâ, aſſentientibus ſenatu populoque Doccumano, & pleriſque è proximâ agri parte, qui aderant, decretum factum de jungendo cum Groninganis fœdere, & legatione ſplendidâ ejus negotii causâ Groningam mittendâ. Miſſi ſunt ſpectatiſſimi quique in conventu, Doccumanus, Foſwerdius, horti Mariæ, Sionæus antiſtites, Menno Iarlæus, Renico Sapperus, Worpius Hannia, Heſſelus Bouvinga, Sizo Siucama, Andeleſus Abbinga, VVibrandus Roorda, Gerritius Stania è nobilitatis ordine, amplis cum mandatis omnes. Qui acceptâ dicendi poteſtate coram ſenatu & cæteris, penes quos autoritas in rep. oppidanâ, verba faciente Doccumano, veniſſe ſe oſtendunt acturos de fœdere cum civitate feriundo, re utiliſſimâ parti utrique, & civitati etiam decorâ, ſibi verò quoque prope neceſſariâ: Ità enim factionibus turbari omnia, nihil ut adminiſtrari rectè, vix quiſquam jus ſuum obtinere, nemo quieti fidere, nemo ſatis tutus domi ſuæ eſſe poſſit: Rogare itaque ut ſocietatem honeſtiſſimam ultrò offerentes ſenatus populuſque Groninganus repudiare non velint. Simul conditiones egregiæ ad alliciendos civitatis animos propoſitæ. Sed erant in civitate viri graves & prudentiâ inſtructi, qui præcipitandum negotium non cenſebant. Satis ſcilicet invidiæ eſſe ſuſceptum Collumanis & Smalinganis in fœdus admiſſis: non paſſuros rem cæteros trans Lavicam ordines, quibus etiam civitas ſit vetuſtis obligata pactis, ne hujuſmodi fœdera ineat ad ſcindendam eorum remp. pertinentia: nec è re civitatis videri, cui quietæ eſſe liceat, aliorum arma temerè in ſe provocare, aut pacem ſuam diſſidiis aliorum implicare: facillimum eſſe, bellum ſumere, ſed ad libitum ſuum ponere, id eſſe longè difficillimum: amplum ſanè civitati, poteſtatem ſuam ſub fœderis nomine ultra Lavicam proferre, & paulatim progredi longiùs: ſed ſi juſtum non ſit, ne optandum quidem: quinimò metuendum, ut, quod fieri ferè ſolet, amplioribus dum inhient, etiam ea, quæ nunc teneant, ſint amiſſuri. Quòd ſi utique fœdus faciendum eſſe ſenatus cæterique cenſeant, ſuum tamen conſilium eſſe, differendam rem, preceſque rogantium expectandas ampliores: id &

ad con-

ad conditiones ſcribendas pro commodo civitatis, & ad excuſandum facinus profuturum. Quæ cùm placuiſſent, re infectâ legati ſunt dimiſſi. Sed inſtaurata paulò pòſt legatio eadem, & repetitæ amplificatæque preces. Demùm velut exorati Groningani, probatis conditionibus, in fœdus aſſenſerunt. Ejus fœderis formula prolixa in annalibus manuſcriptis extat, cujus capita præcipua, quoniam hic fons fuit maximorum motuum, qui ſunt ſecuti, non viſum mihi à re alienum, hîc aſſcribere. *Primùm, fœdus eſſet inter partes has in annos proximos* XVIII: *eo durante pacatè viveretur inter omnes: ordo ſacer à vi prohiberetur: omnes omninò ſuis rebus uterentur, fruerentur pro arbitrio ſecundùm leges: violanti aut impedimentum afferenti æris gravis mulcta eſſet: quam ſi ſolvere non poſſet, capite pœnas daret. Deindè, fur furatus rem ſcutati Francici veteris pretio maiorem, puniretur ſuſpendio: reliqua quoque maleficia mulctis ſuppliciíſque gravibus ſeverè corriperentur: receptare ſontes, aut quoquo modo iudiciis eripere nemini eſſet impunè: imprimis iudex & iudicii miniſter non prehendens noxium caput, cùm prehendere poſſet, centum ſcutatis Francicis commiſſum hoc lueret: vim verò cuiquam mortalium domi foríſque ſeu factionum odio, ſeu quamvis aliam ob cauſam illatam pari mulctâ ſinguli, aut ſi ſolvendæ ei non eſſent, capite penderent: dominus hoc in crimine pro famulo reo, aut ſatellite legibus ſatisfaceret: factionum perſequendarum gratiâ extra fœderatorum fines proficiſcens eidem eſſet pœnæ obnoxius. Ad hæc auxilio ſibi eſſent mutuò omnes contra vim atque iniurias: criminis reum delatum, cæteris iudicibus in officio ceſſantibus abduci ad pœnam à Groninganis liceret: id ſi quis vellet prohibere, centum ſcutatos nummos mulctæ nomine dare damnas eſſet: diſſidentibus pacem indicerent iudices inferiores, mulctâ* L *ſcutatorum contrà facientibus conſtitutâ: ea mulcta iudicibus iiſdem cederet: ſi graviore mulctâ agendum videretur, id ius penes ſolos Groninganes eſſet, mulctæque hæc eſſent ipſorum. Querentibus iniquo iudicio ſe circumventos, Groninganam civitatem appellare liceret intra diem decimum, quod tempus appellantibus iuſtum eſſe ſolet: de appellatione conventus publici omnium ſociorum bis quotannis in urbe Groningâ agendi iudicium eſſet, qui temerè provocaſſe iudicaretur marcarum* V *mulctam daret: ad conventus hos omnes iudices inferiores iurati in leges patrias coïrent, & cum prætoribus urbanis, quos Hovetmannos vocant, ut Hummertzii & Langowoldii fœderis conſuetudo habet, lites omnes à reliquis tribunalibus ad civitatem Groninganam delatas definirent: Prætores urbani quanquam cæteri vocati omnes non adeſſent, iudicia nihilominùs exercerent: Præſentes iureiurando obligati de criminibus ſuâ in præfecturâ commiſſis, déque mulctis eorum, ad conventum bonâ fide referrent; ſi quis in fraudem legum & reip. aliter facere deprehenderetur, in duplum eius mulctæ, in quam rei criminum condemnandi fuerant, ſociis omnibus damnatus eſſet: nec tamen eo minùs rei legibus tenerentur: reorum mulctas & contumaciæ pœnas poſcere, & prætoriis exigere litteris, more ſuo Groninganis liceret; pecuniæ creditæ auxilio iudicum intra diem* XXI *expedirentur; delictorum quorumvis in conventibus commiſſorum, item violati iudicis extra conventum, pœna eſſet dupla; iudicis verò in conventu læſi, quadrupla: Cædes Abbatis, Præpoſiti, Antiſtitis, non minùs quàm* DCCC *ſcutat. Sacerdotis ſacríſve initiati, viri nobilis, item Groninganæ reip. Conſulis, Senatoris, Prætoris, Legati, in provinciâ ſociorum interfecti, non minùs quam* D *ſcutat. agricolæ ſuum rus colentis* CCXL *ſcutat. eius qui conductum prædium exercet,* CXXX *ſcut. lueretur: pecuniam ex mulctis venientem omnem iudices ſoli qui æquis partibus cum Groninganis dividerent: per litteras tamen prætorias exactam, ſola civitas Groningana haberet: Ceſſantes in officio iudices compelli à prætoribus Groninganis iure eſſet: commercia ex iure patrio omnibus ſociis libera concederentur: litium antè fœdus hoc initum, cum peregrinis contractarum nulla ratio haberetur: denique quæ obſcura in fœderis formulâ & ambigua ſunt, ea pro re natâ corrigi aut explanari à ſociis liceret.* Fœdus hoc celebratum die XV Cal. Octobr. anno eodem M. CCCC. XCI. Subſcripsêre præter antiſtites quos antè memoravi, & antiſtitum collegia, collegiorumque villicos, Senior, ſenatuſque & XVI-viri delecti, ac totus populus Doccumanus, & magnus M. CCCC. XCI.

M. CCCC. XCI. cum his nobilitatis numerus: in quo præter priores, quos dixi, Petrus Vniæus, Pibo Iaddæus, Sizo Meinſma, Pibo Brantgumæus, Poppo Iaringa; collegiaque alia duo monaſtica, Wardenſe, & Berlahemium: tùm integri vici ruſtici XIV Doccumo vicini, & vicani alii complures Dongeranæ & Ferwerderanæ præfecturæ ſparſim habitantes. Mox & fœdus & fœderis cauſæ publicatæ, denunciatæque per litteras & nuncios Ordinibus omnibus Weſtergoæ, imprimiſque ſenatui populoque Snecano. Nec verbis aut factis quicquam contrà motum toto penè anno. Ità commodùm pace ſunt uſi ſocii. Nec tamen defuêre, non ſolùm in VVeſtergoâ, ſed in Oſtergoâ etiam, adeoque in ipſâ illâ viciniâ, quanquàm factionibus dediti non eſſent, qui fœderi novo vehementer iraſcerentur. In quibus primi nominis erant Oſtergoi, Petrus Camminga, Doco Martena, Feico Camſtra, Feijo Hemſtra, Bartholdus Starchenborgius, Salingus Entenius, Tiardus & Gerbrandus Moccamæ, Botto & Geroldus Hijerweii, omnes evertendæ reip. Tranſlavicanæ eam pactionem eſſe arbitrantes. Sed cauſa quietis conceſſæ fœderatis, motus VVeſtergoi fuêre: quos portendiſſe incendia putatum, quæ ad exitum ejus anni Hindelopam, Bolſuerdiam, Coldumum, magno domorum numero abſumpto, deformarunt. Hindelopæ quippè domus XVIII, Bolſverdiæ XXXII, Coldumi VIII conflagrârunt.

Motuum origo ex Igone Galæo rurſum fuit. Is enim exilii impatiens ad diem
M. CCCC. XCII. XIV Calend. Februarii, anni ſequentis M.CCCC.XCII, cùm ingens gelu ſinum Auſtrinum multis locis peditibus pervium feciſſet, glaciei ſe committens ex proximo Hollandiæ littore in Friſiam venit cum comitatu non magno, ignariſque omnibus Bolſverdiam penetravit. Ejus adventu concitati fratres Iuvo Iuvingius & Tiarcho VValtha, & qui alii in factione erant, confectâ celeriter trecentorum armatorum manu, & VVorcumum oppidum matitimum ductâ, id ſine labore, nullis tum mœnibus cinctum, ceperunt, multis ex adversâ factione illic in vincula conjectis, reliquis in exilium pulſis, fortunis omnium hoſtiliter direptis. Quod cùm Sciringii vicinorum locorum accepiſſent, ductoribus Boccone Haringæo Snecano, & Iuvone Hottingio viro litteratum ſtudiis claro, VIII Calend. Febr. ſub crepuſculum veſpertinum, ut inter eos convenerat, Worcumum omni ex parte advolârunt, captâque per noctem quiete, ſtatuerunt primâ luce ſummâ vi oppidum invadere, penè certâ ſpe victoriæ. Nam ſupra DCCC illuc venerant, omnes armis benè inſtructi. Sed Igo oppugnari ſe non paſſus, ut erat ferocis & intrepidi ingenii, communicatâ cum ſociis re, eruptione factâ, cum copiis ſuis omnibus, quas jam non minores ſeptingentis habebat, primis tenebris ipſe invaſit hoſtem. Qui cùm non cederet, acerrima exorta pugna eſt: in quâ Igo labantes partes ſuas fulcire contendens, audacterque pugnans in adverſos, accepto gravi vulnere concidit, & in poteſtatem hoſtium devênit. Tùm cæteri, tanto duce amiſſo, in fugam ſe effuderunt. Ex his multos victorum gladius, haud pauciores confracta glacies hauſit. Nec parvus numerus captus. Sed Iuvo & Tiarcho mutato habitu, ne agnoſcerentur, tertiâ noctis vigiliâ Bolſverdiam incolumes pervenêre: quò reliqua quoque multitudo, quæ vim hoſtium evadere celeritate pedum potuit, ſe contulit. Igonem ad ſacra priùs admiſſum pro more Serapius Beima Leonis filius paucas poſt horas, inviſum Sciringiis caput, ſemivivum ſuâ manu interêmit. Hic finis Igonis fuit: cujus animum ſi fortuna æquaſſet, inter maximos Friſiæ viros cenſeri potuiſſet. Victores, Serapio Worcumi cum præſidio relicto, ſecuti Bocconem & Hottingios fratres domum rediêre. Intereà Dowo Galamæus, cognitis hoſtium conſiliis de oppugnando fratre, cum armatis D, quos repentè ex Accrumanis, Vornenſibus, viciniſque locis inferiorum ſylvarum coëgerat, adjunctiſque in itinere Leoardienſium auxiliis, quos Simon Recalfius vir militaris ducebat, ignarus etiam tùm cædis fraternæ, Bolſverdiam feſtinat; poſtridieque ejus diei, quo pugnatum ad Worcumum fuerat, per medios Snecenſium fines rapto agmine,

oppidum

oppidum ſero veſpere ingreditur. Vbi cùm interemptum fratrem cognoviſſet, progredi noluit, fruſtrà hortantibus eum Bolſuerdianis, & auxilia ſua offèrentibus. Ille ſatis ſibi bellatum teſtatus amiſſo cariſſimo fratre, cujus juvandi M. CCCC. XCII.
causâ arma induiſſet, poſtridiè reductis ex oppido copiis primâ luce diſcedere, atque unde venerat, redire contendit. Sed cognito ejus itinere agricolæ, quorum per fines incedebat, ad nolarum pulſum excîti morari agmen ac carpere cœperunt: mox plures è Snecano vicinoque agro concurrentes, atque ipſi etiam Snecani cives ad decimam antemeridianam oppido ſuo effuſi, cùm ad Boſumanum vicum præcedentes aſſecuti eſſent, impetu in eos dato, univerſos disjecêre: disjecti, quà cuique promptum erat, in fugam abiêre. Pauci capti, in quibus viri nobiles, qui fugam ſuorum ſiſtere erant conati, poſtremique è pugnâ exceſſerant, fuêre, VVibo & Kempo Tiepkij, Popco Iarlæus, Abbo Hornæus, ipſeque Simon Recalſius Leoardianus: qui omnes Snecam ducti, ac in vinculis ſunt habiti. Douuo, cùm & ipſe in poteſtatem Snecenſis cujuſdam veniſſet, donis & promiſſis amplis eum onerans, ope ejuſdem captivitatem evaſit. Quod cùm emanâſſet, is qui dimiſerat, metu Bocconis redire ad ſuos non fuit auſus. Hoc modo Douuo dum procedere in hoſtes, atque uti oblatis auxiliis noluit, recipiendo ſeſe in ſummum diſcrimen & cladem ipſe incidit. Sed pertinax Vetcoperorum factio in Weſtergoâ, quamquàm clade turbata, quiſcere neſciit. Itaque conſilia Bolſuerdiæ inita, Snecæ ſecundis rebus elatæ per inſidias occupandæ. In eum finem Iuvo Iuvingius cum Tiarchone fratre, & compluribus conſilii conſciis magno ſilentio tecti tenebris nocturnis ad diem VI Iduum Aprilis eò ſe conferunt, idoneiſque locis conſident, ut ſub lucem primam apertis pro more portis, impetu in eas facto, in oppidum adhuc ſemiſomne pervadant. Verùm, uti ſolet in diſcordiis inteſtinis accidere, prodito conſilio, vix ipſi incolumes ex iis locis domum ſe recipiunt. Annotatum in annalibus invenio, eo maximè tempore prodigia in aëre diverſa, ſpecies concurrentium agminum, fugientium, perſequentium, phaſmata incenſarum longo tractu ædium apparuiſſe ſæpiùs, ac ſpectantium animos ſummâ formidine affeciſſe. Nam plerique ingentes clades portendi infælici patriæ præſagiebant. In vulgum verò res ſparſa, &, ut fieri ſolet, ſermonibus vanis aucta, ſollicitudine ac metu multos mortales oppreſſit. Et, quæ ſecuta ſunt tempora, oſtenderunt, non vana præſagia fuiſſe. Inſidiis Vetcoperorum ad Snecam detectis, Bocco Haringæus, vicem redditurus Iuvoni, idoneo comitatu inſtructus ad diem IIII Idus Maij Goſlicum Iongamæum primæ tum adoleſcentiæ annos vixdum egreſſum, de quo dictum nobis ſupra, Bolſuerdiam reducit, volenteque ſenatu, & pleriſque è primâ civium claſſe, quibuſcum conſilia ſociârat, reliquo verò vulgo oppidano ob jus patris ejus, & juris jurandi religionem refragari non auſo, dejecto Iuvone tutore, oppido Rectorem imponit. Iuvoni tamen ſedes in oppido, interveniente eodem vulgo, relicta. Ità factum, ut nomen Rectoris penes Goſlicum deincèps fuerit, vis maxima apud Iuvonem, à quo multitudo pendebat, tamen permanſerit. Haud multò pòſt Albertus Saxoniæ Dux, qui poſt bella Flandrica Hollandicos quoque motus armis compreſſerat, litteras in Friſiam mittit ex oppido Hornâ, undè proſpicere adverſum litus Friſicum poterat. Harum ſententia erat, Vt tributum, quod Hollandiæ Comitibus antiquitùs Friſii debebant, penderent, aut arma expectarent. Quibus in conventu Ordinum perlectis menſe Iunio, cùm deliberatum eſſet ſatis, Ita reſpondêre placuit. Friſiam Hollandiæ Comitibus tributo obnoxiam non eſſe: nec induci poſſe nobilitatem cæteroſque ordines, ut ſolvant, quod nullo jure petatur, præſertim cùm autoramentum hoc ſervitutis ſit futurum: Quòd ſi aliter perſuaſus Princeps ſit, non detrectare ſe hâc de re colloquium: in quo ſi convinci poſſint cujuſquam debiti, non ſe bonorũ virorum, aut etiam ſubditorum officio defuturos. Quo reſponſo

M.CCCC. XCII. accepto quievit tum Albertus. Sed quod negatum Alberto, Imperij nomine eoſdem Friſios popoſcit. Hoc in occaſionem verſum ab his, qui Groningano fœderi erant irari. Inter eos longè acerrimus, & ingenii vehementis ac turbulenti Tiardus Moccama, quamquàm traditis clavibus ædium ſuarum, quas Doccumi habebat templo vicinas in præcipuâ oppidi regione, nihil ſe contra fœdus moliturum ſpoponderat; tamen odio ardens, cum Gerbrando fratre, & paucis conſilii ſociis, turbandi fœderis causâ clàm cum Snecenſibus, & qui cum iis cohærebant, ſocietatem inierat. Eo incitante, cùm placuiſſet VVeſtergoæ & Oſtergoæ Ordinibus, Imperatori ſatisfacere, illi quoque, qui in partibus erant Groninganis, juſſi fuere tributum in hanc rem collectum Ordinibus exhibere, recuſanteſque velut ad dicendam cauſam, reddendamque rationem initi fœderis apud publicum conventum, Snecam ſunt evocati. Quâ de re querelis ad Groninganos delatis, auxilioque eorum implorato, quibus mens erat, firmandi fœderis ſui causâ, ſeorſim ſolvendo tributo gratiam Imperatoris demereri, litteræ ab his ad Tranſlavicanos Ordines datæ fuerunt ſcriptæ amiciſſimè: Cum Doccumanis, Fervverderanis, Dongeranis, Dantumanis, Zietzerqueranis, Smalinganis fœdus percuſſum civitatem Groninganam habere: rogare igitur Oſtergoos & VVeſtergoos, ut ab his citandis, moleſtiâve afficiendis abſtineant tantiſper, donec ab Imperatore, ad cujus tribunal provocent, cauſa hæc fuerit definita. Harum litterarum gratiâ (variè enim acceptæ ſunt) major conventus omnium, qui trans Lavicam ſunt, Ordinum convocatus fuit Snecæ; veneruntque iſtûc utriuſque factionis homines frequentes: agitatâque re in partes varias, prout animi dicentium erant, tandem die XVI Calend. Septembr. ab iis qui pro Snecanis, VVorcumanis, Staveranis, Bolſuerdianis, Harlinganis, Franequeranis, Leoardianis conventui intererant, communi omnium nomine in hanc ſententiam Groninganis reſponſum: Periniquè contraque fas facere Groninganos, & hos, qui fœdus cum iis inierint: violari enim vetuſta Friſiæ jura, infringi pacta priora ſæpè repetita, vetantia confœderationes hujuſmodi. Et ſcribere quidem Groninganos generatim, civitatem Doccumanam, & Præfecturas cæteras fœdus hoc iniiſſe, ſed nihil eſſe notius, quàm multos iis in locis à fœdere diſſentire, totumque hoc negotium ad nonnullos è nobilitate præcipuè pertinere, homines factioſos, qui nec æqua pati, nec prætorum ſuorum ferre imperia queant, quique contra fas, contraque leges reip. malint novos ſibi judices legere, & patriam malis peſſundare, quàm ſolvere, quod creditoribus ſuis ac legibus debent: id verò ſeſe, ſi remp. à majoribus ſibi traditam ſalvam velint, diſſimulare diutiùs ac negligere non poſſe. Quapropter rogare viciſſim, ut Groningani Tranſlavicanis rebus abſtineant, diſcordiam inter quietos & concordes non ferant: Quòd ſi odioſiùs fortè quid ad ipſos delatum ſit ab hominibus turbidis & factioni deditis, haud æquum eſſe, propterea iniquiùs quicquam in vicinos & amicos ipſos decernere: nec dubium eſſe ſibi, ſi ad colloquium res deveniat, quin delatorum vanitatem ipſi ſint perſpecturi: Poſtremò hoc ſe ab iiſdem Groninganis etiam atque etiam contendere, ut quâ mente ac voluntate ſint, velint edere, & in omni hâc re æqui juſtique potiùs, atque eorum, quæ ad pacem faciant, quàm cupidinis ſuæ cum periculo gravium tumultuum rationem ducere. Mox eodem in conventu omnes, qui aderant, omnium Ordinum legati ac viri nobiles factionis etiam utriuſque, intereà dum Groningenſium expectatur reſpōſio, pactis ſe novis obligant in triennium de pace tenendâ, vi amovendâ, jure patrio per omnem Oſtergoam & Weſtergoam conſervando, ferendo in rebelles aut hoſtes quoſvis auxilio mutuo: adhæc decernunt, ut lis Bocconis Haringæi cum Leoardianis, & ſimiles aliæ, quæ arbitris permiſſæ jam erāt, intra præfinitum arbitrio tempus finiantur: cæteræ cum iiſdē Leoardianis hominū Weſtergoorum triennio hoc ſuſpendantur; pactiſque & fœderibus prioribus inter Oſtergoos &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Weſtergoos his novis nihil intelligatur derogatum. Atque hæc Friſico idio-
mate vetere exarata, & ſigillis civitatum, prætorum, virorum nobilium ſignata M. CCCC.
XXII. Signantium primus Iuvo Iuvingius Bolſuerdianus. Deindè commeanti- XCII.
bus utrinque litteris, cum Groningani oſtendiſſent, colloquium ſibi non diſpli-
cere, & locum deſignaſſent cœnobium Gerriconium in ipſis agri utriuſque fini-
bus ad quem conveniretur ad diem IV Iduum Septembris, Tranſlavicani verò
Bergæum cœnobium in Oſtergois utrique parti æquè commodum eam ad
rem nominaſſent, ex horum voluntate illìc idem ille dies colloquio dictus. In-
tereà Tiardus Moccama concordiæ inimicus, ejus turbandæ causâ, priuſquam
dies deſignatus veniſſet, cum conjuratis, contra omnem juris ac moris ratio-
nem, nullâ denunciatione factâ, Doccumanos & alios ejus fœderis ſocios in-
vaſit hoſtiliter, diripuit, damnis affecit. Quod quamquàm indigniſſimè fer-
rent Groningani, nec deeſſent, qui vim vî refutandam jactarent, tamen, ut,
quàm tranquillitatis cupidi eſſent, omnibus oſtenderent mortalibus, compreſsâ
irâ, ad colloquium devenire rem ſiverunt. In eo Snecenſibus & cæteris con-
ditionem tulêre ab æquitate non alienam: paratos ſcilicet eſſe ſe, ſubire ju-
dicium bonorum virorum, quos utraque pars eſſet deſignatura, in omnibus
quæ objici poſſent ab inimicis, & judicato parêre, modò Tiardus viciſſim cau-
tionem præſtaret, ſe quoque idem facturum, & ex judicum ſententiâ damna
ſarturum. Quæ cùm impetrare non poſſent, colloquium ſine fructu ſolu-
tum. Tum verò Tiardus, velut ungues in ulcere ponens, injurias priores no-
vis injuriis cumulavit. At Groningani, quò ſocios tuerentur, parando mili-
ti intenti, cùm ſe ad bellum accingerent, rogante Bottone Holdingio Weſter-
goo viro nobili, quietis peramante, per litteras, Guilhelmus Fridericus ſummus
ſacrorum præſes in civitate, magnæ gratiæ & autoritatis apud ſuos, & Gualte-
rus Adoardius antiſtes interceſsêre. Horumque ſtudio induciæ datæ, collo-
quiumque novum in cœnobio Bouvonis, ſi placeret Tranſlavicanis, à civita-
te promiſſum. Quâ de re certior ab interceſſoribus factus Holdingius, exper-
tuſque omnia apud VVeſtergoos eôdem pertinentiâ, ad diem XI Calend.
Octobr. teſtatus dolorem ſuum reſcripſit iiſdem, minùs ſe fidei & conſtantiæ
in promiſſis apud ſuos inveniſſe, quàm expectâſſet; ideò de colloquio ad lo-
cum & diem dictum conficere nihil potuiſſe: paratum nihilominùs ſe ad omnia
rurſum pro pace tentandâ, ad idemque ſtudium eos quoque ſe hortari. His
durantibus adhuc induciis, dum litteris res agitur, præter expectationem Sne-
cenſes & ſocii à Tiardo Moccamâ incitati, impreſſione in Oſtergoam factâ,
Doccumum repentè invasêre, diripuêre, vicina per agrum afflixêre graviter,
domibus aliquot incenſis ac ſubverſis. Ita mulctatâ malè factione adverſâ, re-
ſtitutoque in integrum Moccamâ, præſidioque in domo ejus velut in arce
contra inimicos collocato, copiarum quoque parte in oppido relictâ, poſt diem
quintum ad ſua rediêre. Groningani inexpectato facinore exacerbati, voca-
tis ad arma ſuis, & milite, quem partim ab Edſardo Comite vicino & amico
acceperant, partim belli hujus causâ conſcripſerant, adjunctiſque ſociorum
in agro auxiliis, vixdum trans Lavicam pede poſito, ſolâ adventus ſui famâ ac
terrore hoſtes egerunt in fugam. Doccumo ſine prælio recuperato, Tiardi do-
mus in oppido capta & funditus everſa, idem in Ailſumanam arcem ſtatutum,
cætera ejus omnia afflicta, eodem modo ſocii quoque mulctati, totaque factio
humiliata: Sizo etiam Hemſtræus nobili familiâ natus, pertinaciùs agens ab ar-
matis interfectus. Sicco Boltha captus non procul Bergæo cœnobio, proditio-
nis nefariæ inſimulatus, & fervido judicio damnatus, corpuſque infamiæ causâ
apud Doccumanos rotæ impoſitum; ſed poſt triduum, intercedentibus amicis,
ad amovendam ſævitiæ ac ſuperbiæ Groningenſis opinionem detractum rotâ,
ac terrâ conditum. Exemplum hoc atrox multorum animos terrore proſtra-
vit, ne quid temerè contra vindices tam aſperos auderent movêre. Exercitu

M. CCCC. XCII. Doccumi ſedente (illic enim caſtra erant poſita) qui ei pro civitate præſidebant conſules duo & bona ſenatus pars, cohortes aliquot ſtipendiarias ſuis præfectis Henrico Bileveldio, & Bario Langoveldio hûc illûc emittunt terroris diffundendi, & factionis adverſæ percellendæ causâ, litterisque & nunciis miſſitatis negotium reip. ſuæ agunt. Exercitus autem ut totius in ſe populi inter Flevum & Lavicam curas, cogitationes, ſermones verterat, ità gaudium, dolorem, ſpem, metum, ut cuique factionum ſtudium inerat, ſingulis afferebat. Eo tempore Leoardiæ plebeia factio, & qui negotiationum ſtudio erant dediti, nobilitatis, & tribuum ruſticarum vetuſto imbuti odio, occaſione inducti ad Groninganos inclinârunt: commearuntque inter eos litteræ ac legati, invitis, quibus alia mens erat, Camminganis, Minnemiis, Vniæis, Marteniis, reſque eò progreſſa, ut plebs ſine rectore ſocietatem Groninganam conclamaret. Inter hæc à Groninganis litteræ datæ ad Iuvonem Hottingium VVeſtergoum, egregià virtute & doctrinâ virum, Rectorem civitatis Franequeranæ, maximâ inter ſuos autoritate præminentem, quibus litteris oſtendunt, quamvis juſtiſſimam cauſam ulciſcendi injurias habeant, & facultatem ejuſce expeditam, tamen in pacis patriæque gratiam paratos eſſe ſe etiam nunc ad rem componendam, ſi per iniquitatem inimicorum liceat: hortari igitur, ut ipſe, quem pacis amantem nôrint, hûc ſtudia referat ſua, & alios quoque eôdem impellat: ſi colloquium placeat, locum ſe offerre idoneum apud Clarocampios: quò ſi venire velit ipſe cum cæterorum mandatis, confidere ſe, clades ab armis imminentes à patriâ poſſe averti: à ſe quidem nihil, quod æquum ſit iſtêc pertinens, defuturum. Quibus permotus Hottingius, cum fratribus, propinquis, amicis, civibus ſuis agere diligenter, ponere diſcrimen infælicis patriæ ob oculos, Groningenſium vim, apparatum, copias, expedita inſtructaque omnia, ſuarum partium res conſiliis diſſentientibus infirmas, confuſas, locis diſtractas, cuncta imparata, factionem adverſam occaſiones aucupantem, omnia denique illis procliva, ſibi & difficilia & impedita: eſſe virorum ſapientum, & reip. amantium, tempori nonnunquàm cedere, atque iniqui etiam aliquid tolerare, ne viribus impares obſiſtendi pertinaciâ & ſe & remp. perdant. Sic perſuaſi multi, ipſe & pauci delecti, cum mandatis Clarocampum miſſi poſtridiè Calend. Octobr. Illîc amicè res acta, & conditiones conceptæ. Cum his Hottingius ad ſuos regreſſus celeriter (raptim enim agebantur omnia, feſtinantibus Groninganis, & exercitum in procinctu habentibus, ut timore conſilia turbarent) communicatâ omni re cum populo Franequerano, Snecano, VVorcumano, ac nobilitate ſociâ, imprimis cum Boccone Haringæo totius factionis facilè principe, bonâ ſpe plenus ſine morâ ſignificat Groninganis, eos, quos nominavi, non recuſare pacis conditiones, induciaſque, reliquis ad rem neceſſariis conficiundis polliceri, modò mutua ipſis ſecuritas ſit à belli vî: atque hanc ob cauſam duos è ſacro ordine viros mandatis ac poteſtate inſtructos mitti Leoardiam, qui litteris commeatus acceptis Doccumum porrò eant, induciaſque & pacta confirment. Sed Groningani ludificationem id eſſe rati, præſertim cùm viderent mandati litteras, quas legati ferebant, & exiles eſſe, & ad Bocconem ac Snecenſes non pertinere, audirentque Bocconem cohorti ſtipendiariæ è vicino agro jam antè conſcriptæ novum militem addere, fœderis ac promiſſii ſocios monere, bellum haud dubiè meditari, eodem die, quo litteras has à Iuvone acceperunt, qui erat primus Nonarum Octobr. viâ Leoardianâ cœperunt agmen educere, legatoſque juſſerunt Leoardiæ adventum ſuum expectare. Quò cùm veniſſent, præter expectationem multorum, frementibus Sciringiis, & fruſtrà obnitente nobilitate, portæ ſunt ipſis patefactæ. Illîc cum Hottingiis, Franequeranis, VVorcumanis, Heſſelo Martenâ, Iuvone Decamâ, Docone Hemmemâ, & his, qui horum autoritatem ſequebantur, Franequeræ tùm conventum habentibus, commeantibus legatis, res agitata, tandemque conſenſus initus

VI Iduum

VI Iduum Octobr. Idem & faciliùs actum confectumque cum Leoardianis, M. CCCC.
binaque fœdera uno die ſcripta. Cum Boccone & Snecenſibus quamquam XCII.
ageretur etiam, & ſpes eſſet ſucceſsûs, tamen tranſigi tam citò propter pertinacia partium ſtudia non potuit. *Fœdere Leoardiano promittunt ſenior, ſcabini, ſenatus reliquus, & XIII-viri civitatis iſtius, nomine totius populi, fideles ſe ſocios Groningenſium futuros in annos XXIIII, ex formulâ fœderis Doccumani, eiúſque fœderis conditiones omnes ſervaturos: præterea permiſſuros,* VT LITES CIVIVM SVORVM CVM CIVIBVS, DE QVIBVS APPELLARE SVPERIORES IVDICES PLACET, A SENATV GRONINGANO, TEMPORIBVS IN FOEDERE DOCCVMANO EXPRESSIS, COGNOSCATVR: *cæteræ lites aut civium cum peregrinis, aut peregrinorum cum iiſdem peregrinis, id eſt, iis qui Leoardiæ domicilium non habent, ab Hovetmannis Groningenſibus & conventu juridico ſociorum, ut eſt in eodem fœdere Doccumano, definiantur.* Deîn additum, VT GRONINGANI PRÆFECTVM DENT LEOARDIANIS, QVI VEL IN OPPIDO, VEL IN EIVS VICINIA COMMODO LOCO SEDEM HABEAT; ISQVE SCABINI AVT SENIORIS LOCVM TENEAT IN SENATV OPPIDANO, EAQVE POTESTATE SIT, QVA IPSE, SI ADSIT, SENATVS GRONINGANVS, CVIVS VICEM GERET: *eidémque præfecto Leoardiani ſtipendium ſolvant decennio proximo aureos Rhenanos centenos annuos: intereà ſocii rationem ineant aliam ſtipendii eiuſdem conficiendi, quæ duret ad fœderis uſque finem, ſintqúe Leoardiani ab onere illo centenorum annuorum deinceps liberi. Præfectum hunc ſi quis auſu temerario occidat, prehenſus capite pœnas viciſſim pendat, fugâ elapſus omnibus bonis mobilibus & immobilibus exuatur, eáque ad arbitrium ſenatus in fiſcum redigantur Groningenſium: cædem verò eam ſi ſatelles aut miniſter iuſſu alterius patret, & ipſe & qui iuſſit, eâdem teneantur noxâ, idémque ſupplicium pendant: At ſi vulnere eundem quis læſerit, pœnam vulnerati hominis nobilis duplam ſolvat. Cætera ſunt de obſidibus ſex arbitrio Groningenſium legendis, & in cuſtodiâ habendis, ſicubi contingat fœderis huius obſervationem Leoardienſium vitio claudicare.* Hottingiis & ſociis eorum his conditionibus pacta ſtetêre: *Nefas eſſet ipſis, turbare Groningenſes, & fœdus cum iis jam habentes, aut impoſterùm habituros: nec contrà Groninganis liceret miſcere ſe rebus illorum, aut illos illorúmque ſubditos aut regiones illis invitis ſub fœdus ſuum trahere: quòd ſi compertum fuerit eorum aliquem in Groninganos, aut horum ſocios aliquid deliquiſſe, de eo ad arbitrium quatuor virorum, duorum è Senatu Groningano, duorum ex ipſis datorum ſatisfaciat.* His ſignatis, cùm certa eſſet ſpes, cum Boccone quoque & Snecenſibus pacem futuram, major pars exercitus â Groninganis eſt domum remiſſa. Quo cognito Snecenſes cum Boccone ſuo à flabellis incitati, abjecto, quod in manibus erat, componendæ rei negotio, expectantibus aut colloquii aut reſponſi diem Groninganis, repentè edicta proponunt, ſocios ad arma vocant, hominem à Groninganis, qui Leoardiæ erant, Snecam miſſum, ſciſcitaturum, quid id rei eſſet, quem in finem moverentur arma, in carcerem condunt: exercitum ex oppidanis, militibus ſtipendio conductis, ſociis agrariis compoſitum, ſine morâ quaſi ad opprimendos hoſtes imparatos Barrahuſam, vicum in conſpectu Leoardiæ, citato itinere ducunt, non reſponſum, non denunciationem præmittunt. Iactatum modò feroci vulgo, quòd fama Leoardiam pertulit, igne & gladiis cœnam à ſe Groninganis & Leoardiis condictam, conſtitutumque non ſexui, non ætati, non ordini, non ipſi denique religioni parcere. Vox inſolens, uti ſolet, in cladem mox verſa. Nam Groningani indigno facinore aſperati, atque animis incenſi, invocato in ultionem Deo, eductis, quas retinuerant ſecum, copiis non magnis, additiſque Leoardienſium promptiſſimis, Barrahuſam quoque profecti ſunt. Vbi cùm Snecenſes ad pugnam inſtructos ac paratos inveniſſent, factumque eſſet à Snecenſibus avide in adverſos invadentibus certaminis initium, ſic res geſta, ut Groningenſium & Leoardienſium læſus ſit omninò nemo, Snecenſes verò ac ſocii interempti, multi item capti, cæteri turpi fugâ elapſi. Victores ovantes Leoardiam reverſi. Deo ſupplicatione

M. CCCC. XCII. publicâ & ſacrorum circumgeſtatione, ut tùm mos habuit, gratiæ actæ. At Snecenſes clade perculſi, legatis poſtridiè eôdem miſſis, pacem tum demùm ſeriò petiverunt, Verùm oberant jam æquis conditionibus impetrandis duo. Iram enim in victos conceperant victores ob facinus recèns, & fortunâ elati, uti hominum natura habet, animos ferociores induerant. Itaque duras dixerunt leges, conſtringendis victis, & in fide continendis comparatas. Sic enim juſſerunt: *Bocco, Snecenſes, Ilſtani, Slotenſes, cæteríque eorum ſocij, fœderi Groningano cum Oſtergois ne ſe opponerent, nec impedimento eſſent, ſi qui deinceps aut Oſtergoi, aut Weſtergoi accedere eidem fœderi vellent: nullum ius imperiúmve in univerſam Oſtergoam aut quamlibet eius partem ſibi arrogarent unquàm: Leoardijs tormenta reſtituerent: atque omne inſtrumentum bellicum ab hâc civitate nuper acceptum: Fratribus Galamæis liberè uti frui rebus ipſorum permitterent, redderéntque æneum tormentum Igoni ademptum: de Igonis cæde, & quicquid prætereà controverſum cum Galamæis, arbitrio ſtarent Groningenſium, nec unquàm ab eo recederent: Groningenſes in quoſcunque VVeſtergoos hâc pactione non comprehenſos iniurias ſuas perſecuturos non impedirent: nec ſi quos amicorum aut ſociorum in has leges aliquid delinquere contingeret, ullo modo ſe interponerent, quominùs ijdem Groningani aut mulctam ab his, aut ſupplicium exigerent pro arbitrio: detrimenta, impendia, moleſtias belli, Groninganis ac ſocijs eorum* XVII *millibus aureorum Rhenenſium & quingentis ſpatio novem menſium ternis penſionibus paribus ſarcirent: In has conditiones omnes ſanctiſſimum juramentum darent: contra quod, ſi quicquam ipſi poſteríve ipſorum committerent, ſine mora Groninganæ civitati eius commiſſi nomine ter mille ſcutatos Francicos legitimos mulctam darent; totiéſque eâ mulctâ tenerentur, quoties fides ipſorum in uno pluribúſve eſſet prolapſa. Additum etiam, ut ijdem hâc inſuper conditione damnarent ſemet, ut, ſi temerè recederent à fide, ſenatui Groningano fas eſſet, ceu perfidos, periuros, infames proſcribere, ipſóſque ipſorúmque res quocunque deprehenſas loco detinere, nec in univerſos ſolùm, ſed in ſingulos quoque idem hoc ſtatuere, quoad ſenatui plenè ſit ſatisfactum: poſtremò, quò certius fidem colerent, cuncta iura à maioribus accepta, imperia, vectigalia, immunitates, prædum loco darent, ut omnibus ijs exciderent, ſi in fide non ſtetiſſent.* Fremere primùm Bocco & cæteri his auditis, indigna, turpia, gravia, non toleranda dicere: eóne nomen ac fortunam recidiſſe ſuam? tam viles ſe haberi animas, ut legibus tam duris atque iniquis velut abjectiſſimi hominum à Groninganâ libidine videantur circumſcribendi? Sed urgére neceſſitas telum inſuperabile, factionis res ſub oculis agi, ferri, uri, (in id enim erat hoſtis) proſtrati plebis animi, auxilium in præſens nullum, ac ne futuri quidem, quod prodeſſe poſſet, ſpes. Itaque, quod ſapientiæ erat, cedentes tempori, dolentes gementeſque conditiones admiſère, juſque jurandum dedêre. Factum altero à clade die. Conditionum ſcriptor Guilhelmus Fridericus fuit, idem, quem ſæpè dixi, ſacrorum præſes, tùm juſſu ſenatus caſtra ſequutus, conſilii publici dux & moderator præcipuus, doctrinâ, mente, linguâ antè omnes in civitate valens, animi ambitioſiſſimi, & factioni Sciringicæ vehementer inimici, inquieti, ſed ſublimis, atque ad res agendas nati. Quare in curiâ ferè frequentiùs quàm in templo verſatus fuit, civilia ſæpiùs quàm ſacra tractavit, jureconſultorum ſcripta quàm prophetarum, aut apoſtolorum, ac ſanctorum patrum habuit familiariora. Ac ut hominem mirêre magis, arte medicus erat, ex eaque pro ſcholarum more titulum gerebat. Groningani conſtitutis in eâ orâ rebus, occupatâ direptaque calente adhuc irâ Petri Campſtræi tum fortè ex aulâ Maximiliani recèns reverſi, & fœderi contradicentis arce, relictoque cum paucis apud Leoardios præfecto, Doccumum rediêre; atque ibi pactorum tabulas ab iis, qui in his nominati erant, velut capitibus fœderis ritè ſignatas, à Boccone & Snecenſibus acceperunt. Tùm miles cum præfectis ſuis Langeveldio & Bileveldio dimiſſus, ſtipendio ſoluto,

cæterique

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

cæterique domos ſuas profecti: pax agro toti reddita. Eâ durante, Onno Iuuſmæus Ideranæ præfecturæ prætor cum totâ præfecturâ ſuâ Doccumano ſe fœderi aſſcribit: idemque à paucis diebus faciunt Doco Martena, Bartholdus Starchenborgius, Salingius Entenius. Et antè hos circiter Calendas Novembris Leoardiano fœderi ſubſcribunt, qui priùs reſtiterant graviter, VVorpius Vniæus, Renico Burmanius, Petrus Camminganus; pollicenturque inſuper, domos ſuas validas, quas in oppido Leoardiâ habebant, ſi uſus ferat aut belli gerendi, aut ſeditionis coërcendæ, fœderatis ſe ceſſuros ad tempus, ſed citrà impendium aut detrimentum ſuum. Atque ita univerſa illa Friſiæ regio terrore oppreſſa, vergente jam anno, ſub nomine fœderis, velut ſub imperio Groningenſium conticuit. At Snecenſes, quos vehementer conditionis ſuæ ac pactorum turpium jam indè ab initio pœnitebat, more hominibus inſito, queri de iniquitate Groningenſium, muſſare tacitè, quæ vî ac metu extorta pacta ſint, ab iis ſine ſcelere recedere ſibi licère: ſpem in Cæſare habere ſupremo libertatis Friſicæ patrono: apud hunc, & qui à conſiliis huic ſunt, imprimis apud fiſci præfectum per emiſſarios ſuos deferre graviter Groninganos & eorum ſocios: hos ſcilicet remp. Tranſlavicanam ſcindere, pacem infringere, libertatem opprimere, tumultuum & ſeditionum eſſe autores: hos tributi ejus, quod debetur Cæſari, collectionem impedire: eoſdem Sizonem Hemſtræum occidiſſe, Sicconem Rommerſæum ſupplicio infami innocentem peremiſſe, multos in exilium pepuliſſe, pro libitu omnia agere, exactiones & vectigalia nova irrogare, denique dominatum in Friſiâ in gente liberâ ſtruere. Gravia omnia: ſed movendis animis aulæ nîl graviùs, quàm de impedito tributo quod dicebatur. Itaque legatio decreta hujus rei gratiâ in Friſiam, deſignatique qui irent Ioannes Hueſmannus jureconſultus, & Otto Langius apud Aquenſes ſacerdotio præditus. His in mandatis datum, in omnia ut inquirerent diligenter, inprimiſque in cauſam fœderis Oſtergoi, eaque ad Imperatorem, & filium ejus Maximilianum Regem referrent: controverſias etiam ex fœdere hoc, & proximo bello ortas in gente cognoſcerent, & judicio definirent; parteſque hujus rei gratiâ Coloniam, aut alium in locum non ſuſpectum evocarent: & ſi pars altera citata non ſiſteret ſeſe, licèt id iniquum ac legibus adverſum videretur, tamen in cauſâ procederent, & parti alteri comparenti jus redderent: denique, ſi opus eſſe putarent, poteſtate uterentur contumaces coërcendi graviùs. Verùm è legatis Hueſmannum in Friſiam veniſſe non reperio: Langius pluribus negotiis Imperii oneratus, antè medium menſem Ianuarium anni ſequentis non venit. Interim Snecenſes diſſimulatis his, in aulâ quæ fiebant, queſtus ſuos in Friſiâ urgere jam liberiùs, penſionem primam, cujus jam tempus exierat, non ſolvere, medelam aut mitigationem conditionum intolerabilium petere, multorum animos, maximè hominum nobilium movêre; horum verò aliquot, perindè ac ſi cum Snecenſibus in fœderis fraudem conſilia iniſſent, aut pactis non ſtetiſſent, Groningam evocatos, nec benè ſe purgantes, Groningani in cuſtodiâ tenere liberâ, & pœnam poſcere, alios domum remittere: in his Doconem Martenam centum aureis Rhenanis mulctare. Principio anni ſequentis, ipſis Calendis Ianuarii Botto, Holdingius rursùm ad Guilhelmum Fridericum ſcribit; eum rogat, ut intercedat apud ſenatum, effectumque det, ut ſi quid commiſſum à quoquam videri poſſit contra conditiones Snecenſibus dictas, aut in his ſi quid perſcriptum aſperiùs atque ab æquitate deflectens, id arbitrio bonorum virorum judicandum, mitigandum, corrigendum permittant: quod ſi non faciant, vereri ſe, tumultus, cædes, belli mala alia, ex hoc fonte oritura: deniqùe in hanc rem ſtudium atque operam ſuam offert. Sed & ipſe Guilhelmus, ut dixi, cauſæ Snecenſium durior erat, & ſenatus populuſque univerſus indigniſſimis animis levitatem fidei ferebat. Itaq; inanes litteræ, & ulcerandis tantùm malè jam antè pacatis animis fuêre: Et hi eò impenſiùs

M. CCCC. XCII.

M. CCCC. XCIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.CCCC. pecuniam poſcere, tormenta, quæ reſtitui Leoardiis debebant, flagitare, cætera, in quibus fides claudicabat, urgere; aut, ſi ſecus fieret, arma in proximum
XCIII. ver denunciare: denique verbis facta addere, ac ad bellum ſe parare. Inter hæc commodùm ſupervenit Otto Langius legatus. Is Friſiam ingreſſus, auditis Snecenſibus, Groningam ſtatim profectus, querelas Snecenſium ſcripto comprehenſas, unaque exemplar diplomatis, quo Fridericus Cæſar Friſiis jura ac privilegia patria firmat, ſenatui tradit: ſimul diligenter ſenatum monet, imò mandat, ut vî & armis abſtineant, cauſam jure ac legibus diſceptent. Quod cùm promiſiſſent omnes, idemque Snecenſibus eſſet denunciatum, legatus feſtinans, ad alia avocatus negotia, ne publicato quidem, quod ab Imperatore habebat, mandato, ne animos aſperaret, Friſiâ celeriter exceſſit. Ab ejus abitu Holdingius & pauci ejuſdem ſtudii homines moderati, conciliandis partium animis & controverſiæ componendæ, priuſquàm lis procederet odiaque incenderet, ſeſe reddidêre: eoque deduxêre rem, ut ab amico colloquio ſe non abhorrere Groningani profiterentur. Quo cognito, Bocco & ſenatus Snecenſis die XII Calend. Martii communes litteras dedêre ad ſenatum Groninganum, in hanc maximè ſententiam: Accepiſſe ſe, non eſſe ipſos alieno à colloquio animo, & locum Beetſii aut Smalenecæ dicere, ad tollenda ſemel, quæ malo patriæ fato ex obtrectatione & calumniis obrepſerint, diſſidia ac bella civilia: Significare igitur ſeſe ex voluntate ſociorum, conventum placere apud Smaleneos, ac ſperare, ſi utrimque mittantur iſtûc viri boni, & ſapientes, quique pacis & concordiæ, ac tuendæ contra inſidiantes principes peregrinos libertatis patriæ ſtudioſi ſint, facilè conſenſum eſſe coiturum, conſiliaque, quæ in perniciem omnium ex diſſidio inteſtino ab exteris coquantur, abitura in ventos: Se quidem hoc ſtudio nihil habituros prius, & ad pacem certam & æquam ex formâ veteri conſilia relaturos: rogare verò, ut idem quoque illi faciant, miſerti patriæ infælicis, malorum majorum metu cervicibus imminentium trepidantis, & epiſtolæ huic quamprimùm per eundem tabellarium reſpondeant. At Groningani diſſimulatis his, & alteris ac tertiis ejuſdem ſententiæ litteris, vel mutato animo, vel quòd non ita accipi verba ſua vellent, alias tùm curas agitabant. Etenim ſpem conceperant, ſi conſenſum ſociorum docuiſſent Cæſarem, & cauſæ æquitatem demonſtraſſent, oſtendiſſentque, non minuendo commodo ac honori majeſtatis ipſius, ſed augendo potiùs, fœdus hoc eſſe comparatum, adhibitis quoque auri machinis, ſecundo ſibi vento aulæ uti licere. Quapropter cùm jam alterius quoque ſolutionis tempus Snecanis effluxiſſet, nec adhuc reddita Leoardiis eſſent tormenta, monuere Snecanos, ut in utroque pactis ſatisfacerent: id aditum colloquio & paci aperturum. Appellatique ab Oſtergoorum quibuſdam, principibus iſtarum partium, quò ſpecioſior res eſſet, ad omnes Oſtergoæ Ordines ſcripsêre, conventu ſociorum eſſe opus, in quo de legatione ad Imperatorem mittendâ deliberaretur, quæ cauſæ æquitate expoſitâ calumnias inimicorum abſtergeret. Conventuſque non multò antè Paſchatos Doccumi actus, legatioque decreta: ſed qui in eam delecti, nuſquàm notatum. Et Botto ac Geroldus Hieruveij, Taco Reinſonius, Feijo Hemſtræus, & poſt hos Feico quoque Camſtræus, è primâ nobilitate Oſtergoâ, qui hactenus alienis à fœdere fuerant animis, conſenſione cæterorum Ordinum & conſtantiâ moti, ut res tandem ſuas recuperarent, induci oblivione detrimenta priora, inviſoque ſe fœderi aſſcribi cum juramenti religione de eo ſanctè colendo ſunt paſſi. Hoc conſenſu ſociorum & incremento conſternati Snecenſes, quæ momentum habitura ad movendos aulæ Cæſareæ animos non abs re reputabant, ſpe impetrandæ domi æquioris conditionis colloquii perculpidi, vergente jam menſe Aprili, conqueſti de ſilentio priore, aliis rursùm litteris demonſtrant, non ſe magis, quàm cæteros omnes, qui audierint, mirari hoc conſilium eorum, magnumque ex eo dolorem capere: Sibi quidem nihil

magis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

magis in votis eſſe, quàm compoſitis diſſidiis ac turbis pacem atque amicitiam cum ipſis firmam colere: ideò etiam nunc ſe offerre ad omnia, quæ iſtûc pertineant, & ſi quid deliquiſſe poſſint convinci, paratos eſſe ad arbitrium virorum bonorum de eo civitati ſatisfacere, atque ità omninò agere, ut culpari à nemine jure queant. Huic epiſtolæ reſpondent tandem Groningani, & poteſtatem colloquii ſe facere Adoardiæ in cœnobio pridiè Idus Maij, ac tutum itum reditumque viris XII hujus rei gratiâ concedere oſtendunt. At id colloquii tempus priuſquàm advênit, Moccamæi quoque fratres Tiardus & Gerbrandus, infenſiſſimi civitatis ac fœderis hoſtes, qui ſoli hactenus perſuaderi non potuerant, ut propoſito abſcederent, de fortunâ deſperantes, duriſſimis conditionibus ſubijcere ſe fœderi, in omniaque ejus capita jurare ſunt coacti. Conditiones iis dictæ, *ne reſtitutionem damnorum poſcerent, de fide non integrè ſervatâ ſuſpecti, citatique Groningam venirent, & cognitioni ſenatus ac ſociorum ſe ſiſterent, convicti criminis exciderent omnibus rebus ſuis, iiſque civitati Groninganæ cederent, omníque hîc auxilio juris contra ceſſionem renunciarent.* Ità pactum conventum V Idus Maij. Colloquium, quod dixi, neſcio an ob hunc eventum, aut non initum, aut ſine fructu ſolutum. Verùm interceſſione Holdingii & Kemponis cujuſdam, viri doctrinâ præclari, iſtûc deducta res, ut ad diem V Calend. Iunij, qui erat à Pentecoſtes quartus, Groningæ novus decerneretur conventui locus. Sed in fatis non fuit, colloquio ac tranſactione amicâ Friſios litem ſuam finire. Quippè dum omnes tempus hoc expectant, præter expectationem litteræ Ottonis Langij importunè turbando negotio supervenêre. Is namque novis litteris ac mandatis Maximiliani Regis, qui tunc Friburgi Briſgoiæ erat, inſtructus, Daventriam veniens, de adventu ſuo deque mandatis omnes, quorum intererat, fecit certiores. Ea propter Guilhelmus Fridericus, qui ſummo loco erat apud Ottonem, præceptorque honorandus ab eo ſalutabatur, ut occuparet legati animum, & querelis adverſæ factionis obſtrueret, emiſſus à ſuis Daventriam, diſſimulato conſilio prætendens privatum ſtudium atque officium, legato expoſuit, quo loco res eſſent in Friſiâ, quid de colloquio conveniſſet: oportunè ſcilicet ipſum adveniſſe; qui ſi colloquio vellet intereſſe, poſſe ſanè plurimum conſtituendæ prodeſſe concordiæ. In eum finem rogavit, Groningam ut ſecum concederet: id & civitati gratiſſimum, & toti Friſiæ ſine dubio utiliſſimum futurum. Sed rejectus hîc à legato, ob negotia, quæ erant in manibus, Suollis, quô eundem erat ſecutus, repetito ſermone priore, non jam rationibus ſolùm, verùm & precibus id obtinere ab eo conatus eſt: unaque cauſam civitatis ſuæ cum graviſſimâ accuſatione partis adverſæ egit diligenter. Ibi reſpondit legatus: mandata ſe jam recenter eodem in loco accepiſſe ab Imperatore, quæ ad conſtituendam in Friſiâ remp. ac pacem pertineant: ea expedire ſe cum fide oportere: itaque certi promittere amico nîl poſſe: polliceri tamen, facturum quod rogaret, id eſt, Groningæ ad præfinitum diem adfuturum; ſi Sciringij etiam regionis Tranſlavicanæ id ipſum peterent: intereà hoc perſuaſum amico velle, nullo ſibi loco futuras querelas factionis adverſæ, quarum audiendarum cauſâ in Friſiam cogitaret, niſi & ſcripto comprehenſas & coram legatis Groningenſium, Leoardiorum, Documenſium exhibitas, ſuſpenſurumque ſe judicium ſuum, nec quicquam in re acturum, niſi Groningenſibus quoque ac ſociis, quoàd ſatis ſit, auditis: tum verò demùm, ut Imperator juſſerit, ad ipſum Imperatorem ſe omnia cum fide relaturum, terminumque comparendi coram Imperatore, aut conſilio ejus ſtatim eodem in conventu præfixurum, nec, antequàm hæc acta ſint, edicta in Groninganos ſociosque (quæ gravia in aulâ erant cuſa) publicaturum, copiámve eorum adverſariis facturum. Ità è veſtigio & legatus in Friſiam Tranſlavicanam, & Guilhelmus domum abiêre. Hic verò re cum ſuis communicatâ non jam, velut ſtudio privato, ſed nomine reip. per litteras eadem apud legatum urſit, quas ille

M.CCCC. XCIII.

M.CCCC. XCIII. ille litteras poſtridiè Pentecoſtes Snecæ accepit. Ottonis adventu erecti animis Snecenſes, cognitâ voluntate ipſius, & quid ab Imperatore adferret, (ferebat autem præter mandata cætera & ea, quæ dixi, edicta aſpera in Groningenſes, litteras à Maximiliano Rege ad Snecenſes ſcriptas humaniſſimè, cum ſummâ benevolentiæ ſignificatione) ſine morâ ad Groninganos reſcribunt de colloquio; veniſſe legatum Cæſaris magnorum negotiorum causâ ad totam pertinentium Friſiam, eaque proponere conſtituiſſe à triduo in conventu omnium Ordinum: hanc ob rem, mandante maximè legato, non licere ſibi hoc tempore ad diem dictum Groningæ adeſſe, ne contumaces Cæſari videantur: petere igitur, ne moleſtè id ferant, patianturque colloquium differri in tempus aliud, & locum utrique parti æquè commodum ac tutum ex voluntate & conſenſu Ordinum omnium totius regionis, & legati Cæſaris nominandum: expedire, ut ad eum uſque diem omnia quieſcant. Poſtero, qui tertius fuit à Pentecoſtes, legatus ipſe uſus conſilio Snecenſium ad omnes Translavicanæ regionis ordines, & in his ad Leoardios & Doccumanos ſcribit, uti à biduo, feriâ ſcilicet ſextâ poſt Pentecoſtes, Snecam veniant ad accipiendam ampliſſimam voluntatem Imperatoris, Regis, cæterorum Imperii Principum de confirmando/augendoque jure, libertate, privilegiis gentis Friſicæ, capiendumque conſilium ac rationem ineundam ejus juris ac libertatis quàm optimè tuendi, & conſtituendæ reip. intereà verò tributum nemini ſolvant. Id inopinatum Groninganis ac ſociis: Itaque mirari, dolere, legati animum non ſincerum culpare, pauci ex his ad diem & locum adeſſe, cæteri litteris ſe excuſare ob locum infeſtum. Legatus contemni ſe putans, irâ percitus, inito cum præſentibus conſilio, die V Calend. Iunii ad Leoardios litteras dat acerbas ac ſtomacho plenas: vocatos, ait, amiciſſimè, & ſummâ autoritate citatos, nec veniſſe, nec cauſas ejus rei idoneas ullas in litteris in medium attuliſſe: eam contumaciam, ubi commodum erit, non eſſe ſe ſilentio tranſmiſſurum. Ad hæc ſecundò eos citat, & mandat, ut Suollis loco tuto & utrique parti æquè commodo ſe ſiſtant die XIII poſt Pentecoſtes, audiantque adverſæ partis accuſationes, & reſpondeant: illîc conſtitutum ſibi, & cauſam cognoſcere, & comparendi tempus coram Imperatore præfinire. Eôdem cæteros quoque Ordines omnes evocat, atque intereà quieſcere, & à pendendo tributo abſtinere rursùm jubet. Guilhelmo etiam Friderico ſe excuſat diligenter, &, cur ſatisfacere precibus ipſius non potuerit, oſtendit. Et à biduo ſeparatim, ſcriptis litteris aliis, Groninganos quoque adeſſe ibidem ad audiendum reſpondendumque, & cætera accipienda mandata, jubet. Convenêre illûc utriuſque partis legati, & adfuêre ſimul Daventrienſium, Suollenſium, Campenſium ſpectatiſſimi quique, quos Langius ex voluntate Imperatoris advocaverat. In horum conſeſſu, præſente & audiente parte adversâ, Snecenſes & cæteri factionis Sciringicæ prolixas & acerbas querelas exorſi, cùm peroraſſent, eaſdem illas in chartam relatas legato tradiderunt. Groninganos ſcilicet memorârunt contempto vetere jure, ſpretis graviſſimis mandatis edictiſque Imperatorum, neglectis promiſſis & pactis conventis, in Tranſlavicana ſe ingeſſiſſe, rebelliumque contumaciam firmâſſe, diſſidia & ſeditiones concitâſſe: Eoſdem cum ſociis puerperarum cubilia inauditâ improbitate temerâſſe, magnumque in iis mortalium numerum trucidâſſe: templorum religionem, abſtractis indè ſimiliter haud paucis, violâſſe, abſtractoſque vinculis induiſſe, vinctos Leoardiam, & hinc Groningam abduxiſſe, pecuniâ in carceribus emunxiſſe, nonnullos ad mortem uſque in eculeo torſiſſe: ad hæc tantam vim majoris minoriſq; pecoris abegiſſe, ut numerus iniri non facilè poſſit: tam multas domos diripuiſſe, vaſtaſſe, funditus diruiſſe, tam magnam multitudinem miſerorum hominum tributo expilâſſe, ut ejus injuriæ ac detrimenti modum ne nunc quidem quiſquam rectè æſtimaverit: Prætereà Snecanos & Bocconem ad iniquas & indignas conditiones

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ditiones recipiendas ab iiſdem vî & metu eſſe adactos: has conditiones fas eſſe M. CCCC.
reſcindi, quippè timore ac vî expreſſas ſineque juſſu, ſine conſenſu principum XCIII.
in parte conſcriptas ab arbitris, & per ſe omnium injuſtiſſimas: quid enim in-
juſtius, quam alteram contrahentium partem, ſi exorbitet, punire graviter, al-
teram ſine pœnâ relinquere? innocentes ac nullius damni autores in maxi-
mam mulctam condemnare, eam mulctam addicere iis, qui innocentes hos
graviſſimis ipſi affecerint detrimentis. Nec verò diſpari in culpâ eſſe Leoar-
dios, & cæteros cum iis in Oſtergoâ conjunctos. Quippè non ſine precibus
impetrâſſe nuper fœdus VVeſtergoum in triennium, & propriis ſigillis ſignâſ-
ſe; ſed antè bimeſtre elapſum ſummâ levitate ab eo receſſiſſe: atque hæc mi-
nùs toleranda Imperatori, quod non aliundè profecta ſint, quàm quod Sne-
cenſes & ſocii in conficiendo ejus tributo fidem & ſtudium ei voluerint præ-
ſtare: Id enim ferre Groninganos haud potuiſſe, negotioque impedito ipſam
ejuſce majeſtatem contumeliâ affeciſſe: ipſoſque intereà tributa exegiſſe aſpe-
rè, novaque tributi genera inſtituiſſe; quæ ſi qui detrectarent, hoc publica fide
Groningam vocatos non plebeios ſolùm, ſed etiam viros nobiles cuſtodiæ tra-
didiſſe, quoſdamque eorum ne nunc quidem dimiſiſſe; Et, quod atrociſſimum,
Sicconem Boltham barbaro & crudeli ſupplicio præter meritum affeciſſe: At-
que hæc committi omnia in populum liberum, qui nulli mortalium, præter-
quàm Imperatori, obſequium debeat. Rogare igitur Langium, eúmque poſce-
re coram notariis publicis ac reliquo conſeſſu, ut jurisjurandi atque officii ſui
memor prohibere ipſos in futurum Groningenſium cæterorúmgue injuriis ve-
lit, Groninganis etiam rebus omnibus Tranſlavicanis interdicere, eos gravem
mulctam in uſum fiſci poſcere, ſatisfactionem pro illatis detrimentis atque in-
juriis imperare, aut cuncta hæc ad Imperatorem cum fide referre. Adjecêre,
paratos eſſe ſe vel judicio experiri apud Imperatorem, civitatéſve Iſalanas tres,
earúmve unam quamlibet, aut his arbitris per colloquium controverſiam cum
adverſariis componere. At verò Groningani nec audire has querelas velle, nec
ſcriptas recipere, multò minùs ad eaſdem reſpondere: nec enim hujuſmodi
mandatum habere ſe à ſuis; quinimò juſſos eſſe, niſi re cum ſenatu populoque
communicatâ nihil agere, ſine aſſenſu ejus nihil concludere. Tùm verò excan-
deſcere magis legatus, ac jurganti ſimilis; Et quâ, ait, autoritate, quóve jure po-
pulus veſter tam inſignem Friſiæ partem, quæ ſoli debebat Imperio & Cæſari
ſubeſſe pedetentim ſine Cæſaris voluntate ſubegit? Reſpondentibus iis, civita-
tem ſuam conſtantem in fide, contrà Imperium atque ejus præſidem Impera-
torem feciſſe nihil, cauſamque geſtorum in facinora Friſiorum conferentibus;
Atqui par fuiſſet, inquit, de facinoribus hujuſmodi referre ad Imperatorem, nec
eo inſolenter contempto ſolâ impulſos ambitione dominatum regionis inva-
dere. Rurſumq; excipientibus illis, quid ita dominatum vocet, quæ ſocietas ſit tã
æqua atque honeſta, ut neminem honeſtum atque æquum improbare eam poſ-
ſe exiſtimenc? ipſe viciſſim, Quid cauſæ igitur fuit, ait, cur Leoardii & Doccuma-
ni ad conventum Snecenſem fide publicâ datâ, venire ſint prohititi? cur abſen-
tiæ cauſas exponere vititi? cur interdictum iiſdem, ne a Groningenſium ſen-
tentiis ad Imperatorem aut filium ejus Regem provocent? cur à Groningenſi-
bus interceſſum in conventu Weſtergoo, ne exigeretur ab ſociis eorum, quod
Imperatori debebatur, tributum? cur hominibus liberis, Imperio ſubditis, quos
ſocios ſuos vocent, novas & inſolitas impoſuerint exactiones? cur eo exacta
modo ærario intulerint ſuo, Ad hæc, quare commeatu & fide publicâ acce-
ptâ velut obſides Groningam profectos viros nobiles pecuniâ emunxerint,
atque emungant? quamobrem fœdus ſuum recuſantes, tam hoſtiliter preſ-
ſerint, atque in ſummas redegerint anguſtias? quâ verò autoritate vectigal
novum conſtituerint, & exegerint in uſum ſuum? Poſtremò, quid æquitatis &
juſtitiæ habeat, quod hominem nobilem Sicconem Boltham Rommerſæum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.CCCC. alienæ ditionis contra omnem juris ac moris patrii rationem, nullâ damna-
XCIII. tum ſententiâ legitimâ, crudeli & infami ſupplicio rotæ ſuſtulerint è medio? Atque hæc ferventiùs ſanè, velut oblitus ſui, quàm cognitoris perſonam decebat. Ad quæ ſilentibus Groninganis, atque hoc ſolum reddentibus, Non ſe reſpondendi ac diſputandi habere mandatum; tum verò idem Langius irâ præceps ad publicanda acerbiſſima Cæſaris in Groninganos mandata cœpit proſilire: Feciſſetque, niſi Guilhelmus Fridericus è legatis reip. precibus amicis interceſſiſſet. Eo remiſſo, legatos juſſit domum reverſos ſuis dicere, differre ſe, quod jure jam facere poterat, imò quod facere debebat: monere veró ac mandare, ut intra diem XLV ſi quam habeant defenſionem contra ea, quæ ab adverſariis intentata ſint, Argentinæ aut ubicumque tùm futura ſit aula, coram ipſo Imperatore producant, ab eodemque, aut judicio Cameræ ejus, ſententiam expectent. Sed & hanc referendi provinciam cum timidiùs reciperent legati, aliaque quædam reiicerent, conventus dimiſſus. At Langius, ne quis excuſationis eſſet locus, pridiè Idus Iunii Daventriâ ad ſenatum populumque Groninganum litteras dedit. In his, repetitis ſuccinctè, & quæ priùs, & quæ in conventu hoc erant acta, reprehenſaque tergiverſatione iniqua, oſtendit, quid mandârit legatis eorum; idem verò ſe etiam nunc per epiſtolam hanc mandare nomine Imperatoris, propoſitâ pœnâ amiſſionis privilegiorum omnium ab Imperio datorum: atque hunc in uſum capita accuſationis illatæ, unaque exemplar litterarum Maximiliani Regis ad Ordines Tranſlavicanos, ac partes quaſdam ex edicto Imperatoris & Regis exſcriptas, quam legati eorum exhibita in conventu recipere, & domum ſecum ferre noluerint, nunc ſe tranſmittere: expectare per eundem illum, qui has ferret, de voluntate ipſorum reſponſum: monere verò fideliter, agant ita, ne neceſſe ſibi ſit, commerciis omnium vicinorum Principum ac regionum ipſos prohibere; quod quo minùs factum ſit hactenus, precibus ſolius Guilhelmi Friderici ſacerdotis ipſorum eſſe à ſe datum; nec iſtuc etiam nunc ſe deſcenſurum, nî ipſi vi quàm lege perſequi cauſam ſuam malint. Ad quas litteras cùm non tuliſſet reſponſum, cujuſmodi cupiebat, cum Dowone Itenſium ſacerdote, Snecenſium ac cæterorum legato, Langius ipſe feſtinus ad Cæſarem contendit in Auſtriam, ut de his ad eum referret.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XXXII.

NON multò poſt Cæſar cognitores totius cauſæ ac judices amplâ cum poteſtate deſignat Hermannum archiepiſcopum Colonienſem, Henricum epiſcopum Monaſterienſem, jubetque ut ſinguli binive in litem inquirant, eamque definiant, aut, ſi malint, in aulam definiendam remittant. Simul idem Cæſar acerbas litteras mittit ad Groninganos, & longo catalogo eorum, quorum graviſſimis verbis accuſabantur ab adverſariis, dè illatis Imperio & Friſiæ injuriis præmiſſo,

primum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

primùm propoſitâ proſcriptionis pœnâ aſperrimâ, quæque cum eâ cohærent, mandat gravi-
ter, Tranſlavicanos ampliùs ne turbent, pacem & quietem iis permittant, quos in cuſto- M. CCCC. XCIII.
diâ habent quacunque de causâ, hos intra ſextum diem poſt acceptas has litteras illæſos &
indemnes dimittant, quicquid prætextu hujuſmodi cuiquam mortalium, vicorum, oppido-
rum, regionum extorſerint iam antè, id intra tempus idem reſtituant, promiſſa etiam ju-
rata remittant, denique Friſiam in eâ libertate ac quiete relinquant, in quâ erat ante hos
eorum conatus, donec de totâ controverſiâ ſit pronunciatum. Tùm oſtendit quos & quâ po-
teſtate quæſtionis iudices nominaverit, iubétque uti his obſequium præſtent: Significat
præterea, omnibus à ſe denunciari Principibus, Comitibus, civitatibus, magiſtratibus, cæ-
teriſque, quotquot ſint, Imperio ſubditis, ne ipſos huic mandato non obſequentes aut hoſpi-
tio excipiant, aut ullâ re iuvent, ſed proſcriptorum in numero habeant. Poſtremò adjicit,
mandiſſe quoque ſe Friſijs Tranſlavicanis, pacem ut ſimiliter ſervent, promiſſa eius gene-
ris, de quo priùs dictum, non ſolvant. Scriptæ hæ litteræ Lintzij Auſtriæ die III
Nonarum Iulii. Verùm à quæſitoribus his in Friſiâ nil actum, ſeu quòd recuſata
moleſtia ſit, ſeu quòd præmortuus Imperator (obiit enim intra bimeſtre ab hoc
tempore) priuſquàm hi ad cauſam potuerint accedere, vel quòd flexibilis ejuſ-
dem animus, ſuaſu aliorum, qui multùm apud eum poterant, conſilium muta-
verit. Quod ut non certum, ità vero non abſimile. Erant enim purpurati in
hac aulâ plerique tales, ut muneribus in omnem poſſent partem circumagi. In
his Cancellarius eminebat Ioannes Waldenerus, de quo diploma recens de
Friſiorum libertate, quod Langius in conventu Suollenſi oſtentârat, & hoc in
Groningenſes edictum, judicumque novorum deſignatio, pecuniâ Snecenſium
dicebantur empta. Poſt hunc Imperatori à conſiliis erat, eademque in aulâ
degebat, Henricus Haringæus jureconſultus, gente Friſius, civitate Snecenſis,
qui licèt ſuis potiſſimùm animos adderet, utrique tamen parti ſecretò ſeſe ven-
ditabat. Is Coloniæ Agrippinæ eo fortè tempore agens, cùm Imperator has ad
Groninganos litteras daret, eodem illo die ad eoſdem per hominem maximè
fidum ſcripſit in hanc ſententiam: Seſe de negotio ipſorum contra Snecenſes
ſuos, & de Suollenſi conventu accepiſſe; itemque Imperatoris diploma audi-
viſſe in eo conventu oſtentatum ab Ottone Langio legato de Friſiorum privi-
legiis: ejus diplomatis verum exemplar ſe mittere cum his litteris, ut legere ipſi
& pleniùs expendere poſſint: quod ſi inveniant adverſum ſibi, aut quoquo mo-
do eſſe incommodo, & aureorum XL aut L jacturam velint facere, ſeſe eâ de re
edoctum effecturum facilè, ut ipſum diploma ad manus ſuas, & alterius, à quo
profectum, cujuſve operâ impetratum à Snecenſibus ſit, quamprimùm redeat;
Imperatori etiam expoſiturum, quâ id arte in aulâ ſit confectum: id verò, ſcire
ſe ſatis, non æquo laturum animo Imperatorem ob ea, quæ hoc tempore expo-
ni in epiſtola non queant. Quòd ſi cupiant ipſi quoque diploma hoc in pote-
ſtate habere ſuâ, donec aliquid ab Imperatore ſit mandatum, id quoque in
gratiam ipſorum ſe curaturum, quò omni à parte certi ſint, nihil fraudis in-
commodive ipſis provenire ex hâc re poſſe. Et ſi quid ipſi etiam hâc in re te-
neant conſilii, quod promovendo commodo ſuo eſſe putent, petere, ut per
eundem hunc tabellarium hâc ſolùm de causâ ad eos ablegatum, hominem
fidum, id perſcribant, ac tabellario liberaliter mercedem pro labore itineris
ſolvant, ne habeat, cur ſuſcepti laboris eum pœniteat: denique in promovendo
honore & commodo civitatis omne ſtudium & benevolentiam ac fidem pol-
licetur. Cum his alias breves mittit litteras ad Suederum Caterum conſulem,
eumque rogat, ut de civitatis causâ etiam atque etiam cogitet, & effectum
det, per eundem tabellarium ut ſibi reſpondeatur: aut, ſi minùs placeat ci-
vitati oblata opera ſua, curet ut ea ſilentio tegatur, nec ſibi vertatur malo: ad
hæc, ut tabellarii verbis adhibeat fidem, & liberali donatum mercede dimit-
tat. Senatus his acceptis, ut cautus erat, hærens aliquandiù, nec temerè crede-
re ſtatim homini Snecenſi operam præſertim ultrò offerenti ſuam audens, hûc

illûc

M. CCCC. XCIII. illùc ſententiis ferebatur. Tandem ne blandientem offenderet, benignè æquè ac cautè reſpondit, Gratam ſibi benevolentiam ipſius, & gratius oblatum officium, eoque ſe uſuros libenter: Sed quoniam res magna ſit, & cum magno conjuncta periculo, quæque nec rectè nec tutò per litteras ac nuncios expediri poſſit, conſtitutum ſibi, homines fideles iſtûc quamprimum cum mandatis mittere, qui agant cum ipſo, & conſilium captant: petere ut conſilio eos & auxilio juvet, ac negotium, quâ poſſit ratione, promoveat. Miſſique abbas Foſwerdius, Guilhelmus Fridericus, Hermannus Elderwoldius. Hi cum Haringæo collocuti, ex ejus conſilio Emundum Frundium ſenatui Colonienſi à ſecretis, hominem magnæ autoritatis, & ſummæ gratiæ apud Imperatoris Cancellarium Waldenerum adeunt, eum munere perunctum ſibi conciliant. Mox ex omnium conſilio intereà dum cætera deliberantur ac fiunt, iſte ad Waldenerum Coloniâ ſcribit ipſis Idibus Iuliis in hunc modum. Conſules ſenatúſque reip. Groninganæ amicitià mihi conjuncti, queſti ſunt apud me, Ottoni Langio freto litteris Imperatoris, quales ſolent fidei parandæ causâ legatis dari, nullodum poteſtatis hujuſmodi ab Imperatore acceptæ exhibito idoneo ac ſufficiente documento, ipſos ad tribunal ſuum ad agendam cauſam contra adverſarios in Friſiâ Occidentali, expectandámque ſententiam vocare libuiſſe: eundemque præ ſe tuliſſe, in animo eſſe ſibi, mandatis gravibus Imperatoriis ipſos impetere, moleſtiámque & pericula immeritis creare: nec enim quicquam hactenùs, quòd ſciant, deliquiſſe in Imperatorem, nec impoſterûm ſcientes ac volentes eſſe delicturos, ſed fideli in obſequio ejus & fuiſſe, & futuros. Quapropter per legatos contenderunt à me, ut ego datis ad te litteris, exquiram, num quid tentatum hujuſmodi in aulâ ab adverſariis, num quod mandatum tale, num quæ talís poteſtas data Ottoni Langio, aut antiſti cuiquam alteri, ipſóſque de reſponſo tuo reddam certiores. Qui quoniam officia amicorum ac benevolentiam ſæpè præſtitêre mihi, & præſtare quoque impoſterùm poterunt, non abs re ipſorum etiam cauſæ juſtæ æquæ benè volo. Itaque cùm tuæ erga me gratiæ confidam plurimum, oro te atque obteſtor quàm maximè, ut, quomodo hæ res in aulâ habeant, quantum tibi de iis licet cognoſcere, bonâ fide ſecretò aperias mihi, & per internuncium præſentem, quem hanc ſolam ob cauſam iſtûc miſi, perſcribas. Quòd ſi factum fuerit à te, ego amicos meos de cavendis incommodis & detrimentis porrò monere potero. Obſecro etiam, ſi quid hujuſmodi jam cuſum in aulâ ſit, ex quo malum civitati provenire queat, uti cures, ne id progreſſum ſortiatur, ſed ſuſpendatur tantiſper, donec illi per me re cognitâ proſpicere ſibi, & detrimenta declinare poſſint. Poſtremò id quoque oro, ſi putes neceſſum eſſe, dilationem hujuſcemodi per advocatum cauſæ Groningenſis in aulâ peti, ut Georgio Scretlino, qui eam perſonam iſtîc tuetur, cuique eum in finem mandatum à civitate jam tranſmittitur, id indicare, eiq; eâ in re adjumento eſſe velis. Atque hoc in negotio univerſo, ſi favoris tantum & auxilii tribueris optimæ & honeſtiſſimæ civitati in gratiam meam, quantum mea de te expectatio & fiducia mihi pollicetur, nolim dubites, quin id mihi ut gratiſſimum, ità ſummi beneficii loco ſit futurum, ac me ad quælibet viciſſim officia & obſequia tibi obligaturum. In fine reſponderi ſibi petit. Litteris his pondus additum à pecuniâ, ſed parcè; promiſſa largiora: conjunctæque mandati litteræ ad Scretlinum advocatum. Guilhelmus Fridericus exemplar harum litterarum ad Waldenerum, uti mos habet, domum mittit ad ſuos, & ſignificat plures hujuſmodi confici poſſe, ſed non ſine labore, & pecuniâ; haſque ipſas non minùs florenis LXX eſſe à Frundio emptas: ſimul monet meliores, ut vigilent, ac pecuniæ non parcant in loco. Verùm tardiùs quàm res poſcebat, & poſt feſtum, quod ajunt, litteræ Frundii in aulam venêre, quæ procul Coloniâ Lintzij adhuc in Auſtria hærebat propter deficientem viribus ac morbo implicitum ſenem Imperatorem; cùm telum

illud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

illud in groninganos, edictum aculeatum, jam eſſet emiſſum. Et edictum ab M. CCCC.
ipſo cuſum Cancellario ab eodem revocari qui poſſet? Et tamen deſerendi XCIII.
non videbantur ſupplices, qui aurum habebant. Itaque aliud inventum, ſug-
geſtumque ex eâdem officinâ conſilium, velut σοφὸν φάρμακον in extremo diſ-
crimine. Id fuit provocationis auxilium ab Imperatore malè inſtructo, ut lo-
quuntur jureconſulti, ad eundem meliùs inſtruendum, quærelaque de præci-
piti edicto non legitimâ ratione impetratâ ab adverſariis: quippè quòd nulla
citatio anteceſſiſſet, cæteraque forma juris in eo non eſſet obſervata: quam ob
rem nec pro edicto cenſeri poſſe videretur. Atque huic promovendæ rei in au-
là ſtudium clàm promiſſum. Intereâ dum hoc cum reſponſo tabellarius Co-
loniam redit, à Snecenſibus incitatus fiſci præfectus, publicando in Groninga-
nos edicto intentus, emiſſis in vicinam Germaniæ regionem miniſtris ſuis, po-
ſtulandâ mulctâ, denunciandâque proſcriptione, ní edicto pareretur ſine mo-
râ, eandem civitatem cum ſociis terrebat. Quibus omnibus Groningam enun-
ciatis, indicioque ſecreti aulici ad delectos & maximè fidos perſcripto, ſenten-
tiarum varietate & conflictu in curiâ æſtuatum. Nec enim res levis erat, mul-
tique cenſebant, tuta, licet inhonora, amplis atque ambitioſis, ſed cum pericu-
lo conjunctis, anteponenda; plures pericula pro gloriâ & commodo reip. ſuſci-
pienda arbitrabantur. Poſtremò ſententia vicit, quæ appellationis fortunam
tentandam eſſe ſtatuebat. Expeditæque mandati litteræ X Calend. Septemb.
ad legatos tres Coloniæ adhuc hærentes, quibus perampla ac plena poteſtas iis
data appellandi Imperatorem, appellationemque hanc quocunque loco inter-
ponendi, eandemque ad finem uſque perſequendi: permiſſum etiam, ut ipſum
adirent Imperatorem, ſeque coràm eo ſiſterent, rectiuſque de omni re eum
edocerent, denique facerent omnia quæ ad peragendam totam cauſam perti-
nere arbitrarentur. Sed litteræ interventu rei inexpectatæ aliquandiu in urbe
ſunt retentæ. Snecani quippè oportunum id rati, perculſis tùm metu adverſa-
riis, ſubornato ad hanc rem eodem, quem priùs memoravimus, Iuvone Hottin-
gio cum paucis ex ſacro ordine, ad colloquium ſe rursùm eo ipſo tempore ob-
tulere: Conventuſque hujuſce gratiâ in Tranſlavicanis, incertum quo loco, ha-
bitus: ab Hottingio & collegis commeantibus inter partes ſummo res ſtudio
acta, ſed ſucceſſu nullo. Iſti quippè edicto animati, gratiaque elati aulicâ profeſſi
ſunt, ſtare ſe velle judicio Cæſaris, aut trium civitatum Iſalanarum, de pactis con-
ventis & cæteris inter ſeſe & Groninganos controverſis, nec ab eâ mente dimo-
veri ſe poſſe: Groningani verò ut à pactis vel hilum diſcederent, ac fœdera deſe-
rerent, perſuaderi non voluerunt. Eâ actione vixdum ſolutâ Groningam venit
tabellarius à fiſci præfecto miſſus, ferens ſecum edictum illud Imperatoris in ci-
vitatem hanc ſcriptum Lintzii, de quo mentio priùs facta: idque in curiam in-
greſſus cùm exhibuiſſet ſenatui die VII Calend. Septemb. ſenatus adhibito no-
tario publico, aſſiſtente eodem tabellario, ſecretarium reip. ſuæ Gerardum
Ovingium clarâ voce ex chartâ juſſit recitare Recitatione finitâ, ejuſdem voce
ſecretarii è veſtigiò teſtatus eſt, edictum hoc ſine controverſiâ falſis narrationi-
bus in aulâ eſſe confectum: mendacia enim certa & manifeſta pro fundamen-
tis ponere: in his eſſe, ſenatum autoritate tantùm ſuâ, nullo jure trans Lavicam
partes quaſdam ſibi ſubdidiſſe, jura, dominia, juriſdictionem, merum & mixtum
imperium earum in ſe traxiſſe: totam deinceps Oſtergoam pari ratione ſubju-
gaſſe, reſiſtentes occidiſſe, puerperarum & templorum honorem violâſſe, quoſ-
dam, ne obſequium præſtarent Imperio, aut tributum ſolverent, ſollicitâſſe, plu-
rimaq; mala alia commiſiſſe: vaniſſima omnia: Et tamen his confiſum fiſci præ-
fectū, ne vocatâ quidē, nedùm auditâ parte alterâ, pro Snecenſibus & ſociis, ſu-
breptitio modo edictū confeciſſe: eo ſe civitatemq; ſuam cum ſubditis & ſociis
læſos plurimùm, ac variis injuriis jam nunc affectos; pejora etiā metuere: itaq;
ſuo ac ſuorū nomine contra iniquas tabulas, earumq; autores abſentē Cæſarem

appellare,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.CCCC. appellare, corporáque ac fortunas omnes ſuas, ac eorum, qui ſecum in parti-
XCIII. bus ſint, patrocinio ſe ejuſdem ſubmittere. Tum ſine morâ legati viri honore præſtantes cum tabellione publico miſſi ad Ordines Oſtergoos, qui agerent cum iis de conjungendo conſilio in appellationis negotio. Poſtridiè ſenatus mandati tabulas eaſdem, quas dixi, antè quatriduum ſcriptas, cum litteris aliis, exemplóque edicti Cæſarei Coloniam mittit ad legatos ſuos. In litteris oſtendit, quid de colloquio, deq́ue edicto Cæſaris Groningæ ſit actum: eſſe voluntatis ſuæ, ut illi etiam appellationem iſtîc ex conſilio jureconſultorum optimâ conceptam formâ interponant, idq́ue faciant ſine morâ: ſibi conſtitutum, pertinacibus propoſiti Snecanis reſiſtere acerrimè, ac jus ſuum quod eſſe putent, contra eos pro viribus tueri: fidei litteras, ſimul ac ab Oſtergois erit reſponſum, & ſuo & eorum nomine, quamprimùm ſe ſubmiſſuros. His ceteriſq́ue, quæ ſimul miſſa, quæve ſubmiſſa, acceptis, legati, adhibito in conſilium prudentiſſimo & conſultiſſimo quoque eorum, quorum Coloniæ habere copiam poterant, appellationis formulam concinnant, concinnatamque & in mundum redactam, adſcitis pro more teſtibus pridiè Nonarum Septembr. eidem in urbe in Gereonis vico, tabellioni publico Marco Dietzio de manu in manum tradunt, profeſſi non alio animo, quàm appellandi ipſum Imperatorem, & in eventum omnem (metuebant enim fieri poſſe, ne admitteretur appellatio) habendi hujus rei geſtæ teſtimonium id ſe facere: atque ita tabulas hâc omni de re, cum inſertâ appellationis formâ confici ſibi, ac tradi ſine morâ poſcunt. In appellationis formulâ prolixâ, hæc fuêre. Quanquàm Imperator legibus ſolutus ſit, tamen cum legibus ſe vivere velle profiteatur, haud quaquàm veroſimile videri, edicta & mandata in Groningenſes publicata, ſi quis attentiùs ea expendat, quippè legum præſcripto contraria, ab Imperatore ſciente ac volente, aut à conſilio ejus eſſe profecta: jubere enim fœdera in commodum maximum regionum Friſiæ, conſervandamq́ue pacem & libertatem hujus priſtinam non nuper primùm, ſed dudum inita, perindè ac ſi contra Romanum inita Imperium ſint, nullo præfixo temporis termino, nullâ interpoſita morâ, pro reſciſſis haberi, cuſtoditos ſine diſcrimine dimitti, promiſſa & pacta conventa diſſolvi; nî pareatur ſtatim, Groningenſium & omnium, qui ipſis adhæreant, res fortunaſq́ue omnes omnibus prædæ eſſe: Et quamvis ſupervacaneum videatur ab his talibus edictis tam enormiter exorbitantibus provocare, tamen ne Imperio ſemper óbſequentiſſimis ſuis inobedientia, mandatorúmve contemptus, quoquo poſſit modo objici, proteſtari legatos hos, ſe in eum ſolùm finem, ut Imperatorem pleniùs & certiùs de totâ re edoceant, honeſtiſſimaſq́ue ſuorum excuſationes exponant, ipſius rei geſtæ ſeriem veram & ſuccinctam ſubijcere. Deîn memoratis breviter, quæ ſuprà recitata ſunt à fœdere Doccumano, uſque ad eum diem, quo inter Groninganos & Snecenſes tranſactum, mox ita porrò ſubjectum. Quæ cùm ſic habeant, etiam famâ & publicâ voce teſte, pluſquàm evidenter apparêre, Imperatorem falſis eſſe circumventum per procuratorem fiſci, & dolo malo tam præceps, atque à juris normâ latè deflectens edictum ei extortum. Nam certè contra omnem juris rationem, ideoq́ue nullius momenti eſſe eam proceſſus partem, quâ memoratur, famam pertuliſſe ad Imperatorem de commiſſis Groningenſium, eaque eum fretum ſic cenſuiſſe: quippè nullam legitimam cognitionem, vocatis ad dicendam cauſam reis, præmiſſam, curamq́ue de relatione procuratoris fiſci examinandâ neglectam; eum verò contentum iis, quæ ab adverſariis deferebantur, hominibus factioſis & pacis æquæ inimicis, veriora diſcere ab aliis à factionum ſtudio omni alienis, qui pacati & concordes vitam agere, & vigentia in patriâ cernere judicia exoptent, quod ei facillimum fuerit, non laborâſſe, atque ideò perperàm omnibus de rebus ad Imperatorem retuliſſe. His autem omnibus neglectis, ac tot commiſſis vitiis decreta ſcribere, nullas hactenus leges, nulla Pontificia ſcita,

nullum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

nullum curiarum ſtilum permiſiſſe,tam multis præſertim, tamque diverſis, uti
in edicto hoc unico velut contextu congeſtis ſtipata pœnis, nullo relicto è jure M. CCCC.
ſubſidio : Cùmque ex præcedentibus pateat, lites & bella omnia jam dudùm XCIII.
antè Idus Octobres proximas eſſe compoſita,cunctaque inter Lavicam & Fle-
vum quieti & concordiæ reddita , manifeſtum quoque vel hinc fieri, edictum
antè cognitionem damnans, pœnasque nullo ad parendum præfixo expectato-
que tempore, ſine morâ ac modo intentans non bonis artibus fuiſſe impetra-
tum : Et quod alibi, quanquam ordine præpoſtero,edicto hæc verba legantur
inſerta, *donec archiepiſcopus Colonienſis cum epiſcopo Monaſterienſi, aut ipſe Imperator de*
iure cognoverit , profiteri legatos , ſe ſuosque paratos cauſam diſceptare coram
Imperatore,aut delegatis præſulibus,unóve ex his ac judicio eorum ſtare, mo-
dò conſtet , poteſtatem hujuſmodi præſulibus eſſe commiſſam, ipſumque edi-
ctum adeò enorme in citationem ſimplicem,quod & æquitas poſcat;& ipſi pe-
tant,refingatur. Quòd ſi præter ſpem accidat denegari,(quoniam ſentiāt edicto
hujuſmodi iniquiſſimè ſe ſuosque lædi, timeantque majores etiam injurias ob
hominum ignorantiam, qui verum non edocti, fiduciâ edicti hujus,in corpora,
fortunas, jura proſcriptorum ſint involaturi, impoſterùm eſſe ſecuturas,) tùm
ſe ab Imperatore malè edocto doliſque circumvento, & ab edicto ejus iniquo,
contra procuratorem fiſci, Bocconem Haringæum,ſenatum populumque Sne-
canum, omneſque cum ipſis connexos, ad Imperatorem eundem meliùs fide-
liùsque edocendum provocare: aut ſi præter expectationem reijciantur ab illo,
differantúrve,aut negligantur,ſalvo honore,dignitate,eminentiâ, jure Impera-
toris, velut extremo in caſu ſuo, cogente neceſſitate, ad Pontificem Alexan-
drum VI confugere , ejuſque ſedem ac ſacroſanctam poteſtatem appellare.
Hujus rei geſtæ tabulis à tabellione acceptis, mox iidem Groningenſium legati
in Auſtriam iſtinc eunt, ut Imperatorem conveniant. Quò priuſquàm perveni-
rent, in itinere cognoſcunt, Imperatorem Fridericum feſſum annis, fractum
morbo, Lintzij è vitâ deceſſiſſe die VI Iduum Septembr. cùm Imperio præfuiſ-
ſet annos LIII, menſes V. Cujus corpus magnâ ceremoniâ, & pompâ illuſtri,
Viennæ ad Danubium, ſepulcro conditum. Hoc funere tardati in cœpto lega-
ti, incertum an etiam ex itinere ſtatim domum regreſſi, an progreſſi nihilomi-
nùs, quò ſe iis, qui hujuſmodi res tractant in aulâ, in tempore ſiſterent: in quam
ſententiam maximè mihi inclinat animus. At intereà dum in apparatu exequia-
rum fuit aula, rogante & urgente procuratore Snecenſium, ad antevertendos
Groninganos, Otto Langius de totâ re ad Maximilianum Regem parenti ſuc-
cedentem retulit acerbiùs, quàm animum rectum, & affectu non occupatum
decebat. Purgare ubique Snecenſes, & fidem ac ſtudium eorum rectum erga
Imperatorem & Imperium prædicare, Groninganos aſperè traducere, ambitio-
ſos, turbulentos, contumaces dicere, facta dictaque eorum ita memorare, ut in-
cendendo Regis animo maximè viderentur eſſe. Accedebat fiſci procurator
Groninganis etiam iratus, crimina in eos cumulans, pœnasque poſcens. Quibus
impulſus Maximilianus, ſuggerente Langio, conſilium cepit mutandæ regimi-
nis formæ in Friſiâ, & reſtituendæ, quæ dudùm in deſuetudinem venerat, ſolitæ
olim huic populo POTESTATIS, ſub quæ omnes cæteri, qui publici aliquid mu-
neris gerebant, concordiæ causâ velut ſub uno colligerentur capite. Quod cùm
placuiſſet omnibus in ſenatu regio, decretum Oeniponte, ubi tum aula erat, de
novâ & peramplâ legatione cum mandatis hûc pertinentibus in Friſiam mit-
tendâ. Legatique deſignati ipſe Otto Langius legationis princeps, Iacobus
Haldenius, Conradus Manſpachius, Ioannes Hunius Geldriæ quæſtor. Qui
quò faciliùs iſtûc pervenirent, quò cupiebant, & diſcordes animos factionum
ſtudio diſtractos, ſine quo cætera fieri non poterant, reducerent in concor-
diam, flagitante etiam fiſci præfecto, litteræ diverſæ expeditæ ſunt nomine
Maximiliani Regis, ad terrendos premendoſque comparatæ Groningenſes,

M. CCCC. XCIII. ſignatæ Oeniponte, die IX Calend. Octobris. Harum primis edictum complexus Rex in Groninganos, ſimillimum edicto patris III Nonarum Iulii ſignato, repetitis, quæ erant à procuratore fiſci objecta, ſed ad rei geſtæ veritatem pluſculum inflexis, *Groninganos ab annis proximis quatuor aut ſex pluribúſve territoria, oppida, vicos, homines Friſiæ Occiduæ, adeóque totam ferè regionem Oſtergoam, quæ Imperatoris & Imperij ſint, ſine conſenſu juſſúve Imperatoris, prætexto fœderis aut protectionis nomine, poteſtati ſuæ ſubjeciſſe, præfectos ijs impoſuiſſe, vectigalia, tributa, onera alia, quoties & quanto modo voluerint, contra libertatem gentis, vaniſſimo titulo, irrogaſſe, nonnullos Friſiorum, ut cum ipſis tranſigerent, neú contra ipſos facerent, aut metu aut arte induxiſſe, aliáque patraſſe plurima, cum Reip. & ſacri Imperij detrimento conjuncta: nec eſſe quicquam vanius, quam quod ad diluenda objecta jactent, cum ultroneis & conſentientibus plerique ſe contraxiſſe, cum notum ſit, ſine voluntate Imperatoris eos conſentire non potuiſſe. Quapropter*, ſubijcit Maximilianus, *cùm & officij & deſiderij mei ſit, Reip. & imperio prodeſſe, præcipio vobis, ut intra diem ab acceptis viſíſve his litteris noſtris ſextum, cuncta hæc è poteſtate veſtrâ dimittatis, quos homines ad paciſcendum quoquo induxiſtis modo, à pactis conventis liberetis, nexóſque iuramento, à religione eius ſolvatis, promiſſa omnia cuiuſcumque generis in hâc causâ, ipſasque cautiones, uti vocant, pœnales remittatis, denique tabulas pactorum & conventionum Snecenſibus & alijs ſine morâ ac tergiverſatione reſtituatis. Quæ niſi feceritis intra præfixum tempus, ac deinde antè diem XII, facta eſſe omnia à vobis, apud epiſcopum Monaſterienſem probaveritis, ſtatim incurretis in pœnam amiſſionis privilegiorum veſtrorum omnium, & mille librarum auri puri, atque adeò proſcriptionis extremæ. Et in hunc contumaciæ veſtræ eventum iam nunc his omnibus pœnis obnoxios vos decerno, protectione Imperij vos eijcio, ac proſcribo, omnium prædæ corpora, fortunas, jura veſtra expono, hoſtes Imperij declaro, cunctis imperio noſtro ſubjectis commercio veſtro cum denunciatione gravis pœnæ interdico; merces hujuſmodi ubicumque terrarum deprehenſas, occupantium eſſe jubeo. Ad hæc*, ait, *omnibus mandato Regibus, Principibus utriuſque ordinis, & cæteris, qui cum poteſtate ſunt, ſimiliter haud levi denunciatâ pœnâ, ſi faciant ſecùs, ne vobis commeatum dent, aut datum ne ſervent, ſed perindè ac ſi non dediſſent, velut hoſtes vos capiant, veſtra diripiant, alióſve impunè capere ac diripere ſinant. Simul*, dicit, *omnibus præcipio Oſtergois, Weſtergois, Sylveſtribus, Friſiiſque alijs imperio veſtro ſubjectis, qui vobiſcum fœdere ſunt juncti, aut veriùs vobis qui ſe ſubjugârunt, quíve vobiſcum compoſuerunt, ne adhæreant vobis, aut præfectis veſtris, nullum ius ſubiectionis, protectionis, tranſactionis, confœderationis agnoſcant, etiamſi obligationes & pœnales & iuratæ intervenerint: nam has omnes irritas ac nullius momenti eſſe iubeo; ab hiſdémque, ubi opus, pro ſummâ poteſtate noſtrâ, per has eaſdem litteras, omnes abſolvo, in eum uſque diem, quò cuncta à vobis in integrum, atque in ſtatum priſtinum, omnibus omnium detrimentis ſartis, fuerint reſtituta.* In eandem ſententiam patentes litteras promulgat ad omnes Imperii ordines, & ſeorſim ac nominatim ad Philippum filium, Burgundiæ ac Belgicarum provinciarum Principem, omnibuſque imperat, ut eo modo cum Groninganis edicto non parituris, eorumque ſociis agant, nec ullâ ratione cum iis conniveant. Filium etiam, ut pater pariter & Imperator monet, ut ſuis omnibus idem faciendum injungat. Præterea ad Groninganos, Doccumanos, Leoardios, omneſque fœderibus cum iiſdem conjunctos, communes etiam dat litteras: In his repetit, in Suollenſi conventu quæ erant acta, eaq; ex relatione Ottonis Langij verbis aſperat: imprimis recitat, quod eſt priùs memoratũ, quòd & voce & ſcripto juſſi ſint à Langio Argẽtinæ aut alibi ſe ſiſtere intra ſeptimanas ſex & dies tres, & objectis reſpõdere: atq; hoc & cætera omnia legati acta rata ſe habere ſignificat. Verùm ne de præcipiti & accelerato proceſſu in causâ tam gravi poſſint queri, profitetur ad aperiendam pleniùs eorũ improbitatem, ampliato termino, denuò ſe eos citare peremptoriè, ut antè exitum ſeptimanarũ octo poſt has acceptas litteras ſiſtant ſe Viennæ, aut ubicumque tum ſedem habitura ſit aula, deque omnibus reſpondeant. *Si non pareant, denunciat pœnam mille librarum auri puri, & rigidiorem procedendi*

agendive

M. CCCC. XCIII.

agendíve modum ex jure ac more curiæ minitatur. Cum his ſcriptis, mandatoque agendi ex formâ edicti Langius ſine morâ cum collegis legatis in has inferioris Germaniæ regiones remiſſus. Quæ qui audiebant, tot fulminibus petitos jam periiſſe Groninganos, & iiſdem ignibus ambuſtos vix recolligere ſe poſſe eorum amicos arbitrabantur. Snecenſes verò per celerrimos nuncios edocti, gaudio elati, quaſi partâ jam victoriâ, triumphum canebant. Sed vide vanitatem harum rerum, & incertos ut auræ ità aulæ motus. Namque Groningenſium & ſociorum legati de omnibus his facti certiores Maximilianum ſecuti Viennam Auſtriæ, ubi funus defuncto patri erat factum, eorum ope, quos gratiâ occuparant, aditum ſibi ad eundem aperuerunt. Eo ſalutato, cùm ſenatum, dicendique poteſtatem impetraſſent, abſente Rege, Guilhelmus Fridericus, qui collegas eruditione, facundiâ, animíque quâdam præſentiâ anteibat, ità locutus fuit. *Si quis didicit mortalium periculo ſuo, quàm fera beſtia ſit calumnia, nos certè hoc tempore cum magno diſcrimine & malo noſtro didicimus. Fœdus enim inivimus Groningani cum vicinis noſtris, longè maiore bono eorum, quibuſcum inivimus, quàm noſtro; multò verò maximo bono totius reip. Nam factionum libido ità omnes populi pervaſerat ordines, adeóque ſummos & imos iuxtà infecerat, ut nihil concors, nihil tranquillum, nemo ferè tutus in universâ eius tractus regione videretur, iudiciorum vis, magiſtratuum poteſtas, legum autoritas proſtrata & irriſa iacerent; reſp. penè nulla, pro eâ exlex rerum confuſio & quoddam chaos eſſet. Quibus malis indoluit quidem ſæpè & ingenuit civitas noſtra, ſed medendi causâ miſcere iſtis ſeſe, ut rebus alienis, & periculi plenis, non voluit. Verùm miſeriâ ſuâ compulſa plebs, hortantibus, quibus concordiæ, quietis, iuſtitiæ, legum amor, factionum & tumultuum odium inerant, ad nos velut ad aſylum confugit, comprimendíſque factionum furijs fœdus nobiſcum quæſivit. At noſter ſenatus, & qui in civitate ſapientiâ & honore præſtant, quanquàm miſerantes vicem cognatæ gentis & vicinæ, tamen quòd moleſtias, ſumptus, pericula, & cum his invidiam quoque ex re proſpicerent, ne tum quidem aſſentiendum putârunt. Poſt ubi amplior etiam miſſa legatio eſt, ubi preces exquiſitæ multæque, & miſeriæ commemoratio & queſtus, denique lachrymæ admotæ ſunt, quomodo debuimus diutiùs recuſare? quâ ratione ſine notâ inhumani ingenij potuimus ampliùs ſupplices reijcere? Humanitatis quippe obliti videntur, qui alienis malis, cùm poſſint, rogati flagitatíque renuunt ſuccurrere. Nec tamen deſcendiſſemus eò, niſi ſpem habuiſſemus, id quod faceremus, cum omnibus bonis, tum maxime Cæſari futurum gratum. Nam diſſidia finire, ſeditiones, cædes, rapinas, facinora alia comprimere, iudicia reſtituere, magiſtratuum & legum vim firmare, concordiam ordinum reducere, deníque cuncta pacata reddere, ut alibi factum, ubi fœderi noſtro locus, inſtituti noſtri fuit. Et quæ alia ſint, quæ bono ipſi regioni, emolumento omnibus vicinis, commodo honoríque Cæſari, ſummo principi, eſſe poſſunt, ſi hæc non ſunt? Ad hæc,* ait, *quàm impedita fuerit per multos iam annos ſolvendi, quod Cæſari quotannis ex hâc provinciâ debetur, tributi ratio, quàm longo tempore ſolutio eius dilata, quis eſt veſtrum, viri ampliſſimi, qui ignoret? Atqui hoc quoque nos in hâc re omni imprimis ſpectavimus, (Deus vindex eſto, ſi mentiar) ut id eſſet inpoſterum per hanc ſocietatem noſtram quàm expeditiſſimum. Et tamen reperti homines ſunt, qui hæc ita traduxerint, civitatémque noſtram ac ſocios apud æquiſſimum mitiſſimúmque Cæſarem, univerſámque adeò aulam hanc ob ea tam acerbis petierint calumnijs, ac ſi divino humanóque iure per nos violato, graviſſimâ proſcriptione eſſemus digni. Quos audimus, ut pingendæ fraudi colorem habeant, & odia in nos âſperent, inſimulare nos, cognitionem cauſæ legitimam & æquam nos defugere. Quod quàm verùm ſit, docuêre acta priora, & nunc præſentia noſtra docet. Huius enim gratiâ adſumus legati, ut quod fecimus abſentes, nunc præſentes quoque Cæſarem appellemus, paratóſque nos oſtendamus vel coram ipſo, vel apud delegatos ipſius, vel apud quoſvis alios æquos & bonos, loco æquo & tuto cauſam hanc dicere, adverſariíſque, ſi quid habeant contra nos, reſpondere. Quod ut rectè, & ſine iacturâ rerum noſtrarum facere poſſimus, æquiſſimam rem petimus, ut revocatis prioribus mandatis, quæ falsâ commemoratione freti, dolo malo, ne auditis quidem nobis, precando, urgendo, inſtando inimici noſtri extorsêre, Ottoni Langio & collegis*

M.CCCC. XCIII. *eius imperetur, tantiſper ut ab agendo abſtineant, donec Rex de cauſâ meliùs doceri poſſit. Iniquiſſimum quippè, ſtatuere, priuſquàm rectè cognoveris, & ab ipsâ damnatione iudicium ordiri; quod licèt in merentem & noxium fortè feratur, tamen quia inauditâ parte alterâ fertur, haud congruum juri, atque ità iniurium fuerit.* Audita benignè oratio, relataque ad Regem ex ſenſu eorum, qui audierant: in quibus erant, quos aureola πειθῷ legatis conciliaverat; quorum in numero ſigilli cuſtos quoque is, quem dixi, fuit. Itaque perbenignè etiam reſponſum legatis, ſignificatumque, admittere preces Regem: ſtatimque, quia periculum in morâ eſſe ferebatur, litteræ iis datæ ad Ottonem Langium & collegas ejus Haldenum, Manſpachium, Hunium; quorum hæc erat ſententia: *Se quidem*, ait Rex, *cum mandato miſiſſe ipſos in Friſiam, ut cum populo eius regionis ex mandati formâ agerent: Ottoni quoque actorum eius priorum confirmationem dediſſe, & cum eâ decretum Groninganis exhibendum. Verùm veniſſe intereà in aulam civitatis eius legatos viros graves, eóſque ad cauſam dicendam admiſſos, fidem ac obſequium ſuum ac ſuorum in Imperium tanquàm bonorum ſubditorum probaſſe, ſatíſque ſibi feciſſe hoc tempore: quapropter mandare ipſis ſeriò, ne progrediantur in negotio ulteriùs: & ſi quid litterarum hûc pertinentium iam fortè tradiderint, ſine morâ repoſcant: ad hæc apud Philippum filium Burgundiæ Ducem procurent, ne is quoque ex decreto ad eum miſſo contra Groninganos quicquam publicet, tentaríve aut fieri permittat, ac ſi quid fortè cœptum iam ab eo inſtitutúmque ſit, id ſtatim ſiſtat: Quòd ſi etiam, his litteris acceptis nihildum ad eum dederint, ne dent quicquam, ſed penes ſe retineant omnia: Simul utramque partem, Friſios Occiduos & Groninganos, certo die coram ſe comparére, cauſámque dicere iubeant, utrorumque rationes plenè, & quantum ſatis, cognoſcant; cuncta mox ſincerè & ſine vitio, manu tabellionis publici ſcripta, litteríſque ſignatis incluſa mittant ad aulam: tum ſe porrò ea auſcultaturum, acturúmque, quod honos atque uſus Imperij, iuríſque ratio videbitur poſcere.* Scriptæ Viennæ, poſtridie Idus Octobr. Cum his epiſtolam quoque mittit Rex ad Philippum filium argumenti ejuſdem, ſignificatque & quid legatis ſuis ſcripſerit, & quid ab ipſo fieri velit. Quas cùm legati Groningenſium litteras accepiſſent, læti, quantâ poſſunt celeritate in patriam contendentes, in itinere Ottonem Langium ſolum ſine collegis (erat quippè in negotio curando cæteris fervidior) deprehendunt Daventriæ: confeſtimq; adhibito tabellione Henrico Spegelio Paderbornenſi, & duobus teſtibus viris gravibus, quo major ineſſet actioni autoritas & fides, ad diem primum Iduum Novembris eidem litteras has porrigunt manu antiſtitis Foſverdici: ſimulque voce Guilhelmi Friderici exponunt, ab Rege Maximiliano eas ſe litteras accepiſſe, & quid litteræ habeant, oſtendunt, petuntque ut mandato pareat: ſe quidem paratos eſſe ad dicendam cauſam coràm ipſo & ipſius collegis vel omnibus vel ſingulis, ſi quis diem dicere, & arceſſere velit; ſed eâ conditione, quæ à Rege in litteris ſit expreſſâ. Si mandato regio non paruerit ipſe, aut collegæ ipſius, ſtatutum ſibi, actione damni reparandi, ſi quod inde ſuorum ſociorúmve cuiquam evenerit, contra contumaces experiri, idque ſe nunc denunciatum ipſis omnibus velle. Langius acceptis, ſed non reſignatis litteris reſpondet, cum collegis ſe rem communem communicaturum, & ex eorum conſilio & conſenſu per epiſtolam civitati & ſociis maturè reſponſurum. Cum hoc reſponſo dimiſſis à ſe bonâ ſe plenis Groningenſium legatis, domum feſtinantibus, ut ſuos de ſucceſſu facerent certiores, ipſe lectis regiis litteris, in varia animum verſans, ſeu communicatâ cum collegis re, ſive ſuo ſolius uſus conſilio, ſtatuit callidâ & ſubtili litterarum regiarum interpretatione ſpem Groningenſium eludere. Mox ipſe ſolus in VVeſtergoam profectus, & cum multis conſilii conferendi gratiâ congreſſus, atque in his cum iis maximè, quos Groningenſium rebus nôrat eſſe infenſiſſimos, demùm in hanc deſcendit ſententiam, nihil magis è re eſſe, quàm conventum generalem toti populo indicere, in eo, quæ habebat à rege magnifica & egregia ad ſpeciem ad ineſcãdos rudium ac ſimplicium animos proponere: indè porrò ex re conſilium propiùs ſecuturum. In eum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

finem Snecâ, ubi tùm erat, medio menſe Decembri litteras mittit ad omnes M. CCCC
Friſiæ Ordines, qui ſunt inter Lavicam & Flevum, nominatimque ad Leoar- XCIII.
dianos; quibus eos ad diem III Calend. Ianuarij acceptâ fide publicâ adeſſe
ſibi eodem in oppido jubet: habere enim ſe, quæ ad ipſos referat ad ſumma
ipſorum commoda pertinentia, magno ſuo ſtudio, nec parvo impendio pri-
vato à duobus Principibus ſummis patre filioque impetrata: inter ea condo-
nationem eſſe omnis tributi præteriti (hoc ſciebat maximè deſiderari ab om-
nibus) confirmationemque integræ libertatis, omniſque omnino juris priſti-
ni, à Carolo uſque Magno ad iſta tempora conſervati. Simul mandat, parati ut
veniant ad conferenda ineundaque ſecum conſilia, quibus pax certa & quies
populo reſtitui, legitima & incorrupta judicia reduci, iniquis levari oneribus &
tributis omnes ordines poſſint. Addit etiam interdictum ſeveris verbis, ne quis
ullum Groninganis tributum ſolvat, ſive id jam antè promiſerit, & quidem
promiſerit juratus, ſive non: qui ſecùs fecerint, eos omnia ſua privilegia eo
facto eſſe commiſſuros. Atque his iiſdem litteris Ottonis juſſu promiſſum li-
beri commeatus ſubijciunt Bocco ipſe Haringæus, Leo Doniæus, Conſules,
ſenatuſque Snecanus, & ſigillum publicum civitatis Snecanæ cum ſigno Ot-
tonis addunt. Quibus acceptis inſtinctu Groningenſium Leordiani, Doccu-
mani, & quibus cum his eadem mens erat, coitionibus hîc illic factis, nunciis
litteriſque miſſitatis, circumlatâ paſſim atque oſtentatâ Regis ad Ottonem epi-
ſtolâ, Ottonis contumaciâ contra ejuſdem Regis præceptum acerbis verbis
exagitata, refutâque inani ejus citatione, hominis ſcilicet ambitione cæci, per
fas nefaſque gratificari factioni adverſæ volentis, hoc perfecêre, ut non ſolùm
Oſtergoi, ſed magnus quoque Weſtergoorum numerus ad comitia illa venien-
dum ſibi non putaverint. Nec eo contenti, ut conſilium conſilio opponerent,
ad eundem diem ab Ottone dictum, ipſi quoque ſibi conventum in urbe Leo-
ardiâ indixêre, frequenteſque convenêre. Eâ re ſupra modum indignatus Otto,
cùm raros ad præſtitutum tempus adeſſe Snecæ, & multos è VVeſtergois
etiam deficere, ſeque temni videret, vix iræ magnitudinem ferens, nihil quod
memorari operæ pretium ſit, primo die publicè egit. Poſtero, qui ultimus
erat iſtius anni, re in conſilium præſentium miſsâ, bile fervens, peracerbas
litteras ad Leoardios, Doccumanos & cæteros in conventu congregatos de-
dit. In his culpatâ vehementiùs eorum contumaciâ, objectâque in impe-
rium & patriam perfidiâ, adductis eam ad rem ipſorúmmet mutuò ſe ad præ-
ſtandam utrique fidem obligantium litteris ac ſignis Snecæ ſibi exhibitis, pro-
beque in teſtimonium contra ipſos aſſervatis, (hæ ſunt quas recitavimus ſu-
prà) juſſit deinde ſingulos in memoriam ſecum redire, & recordari condi-
tionis priſtinæ cum præclarâ libertate, quâ non Leoardiis, non ullis aliis, ſed
ſoli Cæſari obſequium deberent: iterumque graviſſimâ autoritate præcepit
omnibus, ut Snecæ ſe ſiſterent poſtridiè Calend. Ianuarij, & cum cæteris con-
ſultatâ re decernerent de ſarciendâ concordiâ, & conſtituendâ totâ rep. Quòd
nî facerent, graviſſima quæque ex decreto defuncti Imperatoris eſt intermi-
natus. Tùm coactis omnibus qui Snecæ erant, (venerant autem poſtridiè,
quàm conventus erat indictus, complures ex VVeſtergoâ, & Sylveſtribus,
nonnulli etiam ex agro Oſtergoo, ſed ii potiſſimùm, qui factionis causâ ſo-
lum verterant, atque odio in Groninganos ardebant) idem Langius in curiâ
Snecanâ ſuperiori è loco breviter de ſe & legatione ſuâ præfatus, litteras pri-
mùm mandati ſui, fidei faciendæ causâ, produxit: deîn diploma Maximiliani,
patriſque ejus, quo confirmata erant omnia Friſiorum jura ac privilegia ve-
tera exhibuit, ac clarâ voce recitari curavit: ſecutoque omnium applauſu,
tum porrò ſic locutus fertur. *Quæ res una omnium maximè optanda vobis fuerit,
Friſij, ſi ſanæ mentis ſitis, ut tandem turbis his infinitis, & bellis civilibus ſublatis,
ſalvâ libertate & dignitate veſtrâ in pace poſſitis vivere, eius ego rei ultrò offerendæ*

M.CCCC. XCIII. legatus ad vos veni. Vos amplecti offerentem ſe fortunam, an negligere velitis, in veſtri
poteſtate nunc habetis. Sed purgatis vobis animis ad hanc rem opus eſt, cupidine, ſimul-
tate, odio, irâ vacuis: quæ ubi ſunt, nebulas mentibus offundunt, & conſilia corrum-
punt. Quapropter hortor vos, ut poſitis aut compreſſis tantiſper affectibus hujuſmodi, pe-
ſtibus conſilij, in publicam cauſam, & communem ſalutem ſincerâ ratione ac mentis acie
intueamini. In primis circumſpicite fortunam veſtram, quam ex factionum ſtudijs &
armis civilibus tot jam annos tuliſtis, direptiones, incendia, cædes, exilia, orbitates, ſacra
profanaque pariter violata, tùm odia mutua pluſquàm hoſtilia, ſollicitudines, metus; &
quid non? quibus cauſis quot oppida, regiones, regna valida funditùs quondam interiere!
Ex adverſo concordiæ & pacis bona metimini animis veſtris, quibus nulla potiora aut ju-
cundiora ſunt cunctis in rebus hominum. Quæ ſi amplexi fueritis, licebit vobis ex miſer-
rimâ & afflictiſſimâ feliciſſimam hanc patriam veſtram unà vobiſcum reddere. Sed ſe-
mel offenſas poſuiſſe, & in concordiam rediſſe haud fuerit ſatis, nî ſimul, quò minus mala
eadem recurrant facilè, ſapienter erit proviſum. Qui ſanè recurſus in populari hâc rep. in
quâ immodica ac ſoluta libertas tantum ferè cuique permittit, quantum opibus, audaciâ,
ambitione antecedit, quàm proclivis ſit, tot veſtris exemplis iam edocti ignorare per vos
non poteſtis. Remedium verò unicum huic morbo fuerit, meâ mente, ſi reſtrictâ collectâque
libertate hâc diffluente, imperio unius velut ſummi capitis ex legibus & moribus veſtris
regamini. Quam ob cauſam optimus & clementiſſimus Cæſar Maximilianus, qui vobis,
veſtræque huic patriæ optimè vult, vos monet, ut more maiorum Poteſtatem è medio ve-
ſtrum, virum ſapientiâ & virtute præſtantem, eligatis, qui reip. veſtræ univerſæ præſideat,
concordiæque & legum cuſtos ſit, tumultus ac turbas avertat aut compeſcat, libertatem inco-
lumem conſervet. Cui conſilio ac monito ſi locum dederitis, & vobis ipſis conſuletis benè,
& Regi monenti gratum facietis: Sin minùs, ferre rectorem cogemini, quem monens con-
temptus vobis è peregrinis eſt daturus. Nam rectore vobis eſſe opus Rex intelligit, ut
quieti agatis, néve cum imperij iacturâ in perniciem eatis veſtram. Itaque ſi vos vobis
conſulere non velitis, Albertum Saxoniæ Principem, aut Philippum Raveſtenum, aut Vco-
nem Ciſamaſanum Edſardi fratrem vobis imponere conſtituit: dignos ſanè honore hoc, at-
que munere propter excellentem virtutem ac prudentiam: Sed an veſtris rebus ac libertati
id futurum utile ſit, vobis eſt etiam atque etiam cogitandum. Vt alia mittam, ut de
ſumptus modo nihil dicam, qui maior multò in hos quàm in veſtratem faciendus, rem
ipſam in ſe conſiderate: & expendite vobiſcum ad adminiſtrationem provinciæ inter
externum moris, legum, inſtitutorum, ingeniorum, hominum neſcium, liberæ conditio-
nis parentium inſolitum, obſequijs deiectioribus aſſuetum, affectus inſiti in provinciam
expertem, & virum indigenam patrij moris omnis, naturæ ſuorum, rerum omnium, to-
tius regionis gnarum, in libertate genitum ac educatum, amantem patriæ, quid inter-
ſit. Nec verò adeò à recto aberrate, ut putetis, invitis vobis, num neminem impo-
ni reip. veſtræ, imperiúmque apud vos capeſſere poſſe. Nam ſi diſcordia manſerit in vo-
bis, facilè & citò ad arma relabemini civilia. Armis civilibus inter vos reſumptis, is,
qui provinciam hanc à Rege accipiet, nullo negotio effectum daturus eſt, ut à parte al-
terâ, quæ inferior viribus erit, in auxilium vocetur: auxilium ferens ſine difficultate pro-
vinciam ingredi, exercitum inducere, loca idonea & munita poteſtatis ſuæ facere, denique
imperium invadere poterit: vos ſemel imperio potitum excutere non poteritis. Oratio-
nem legati cum murmure varius animorum motus ſecutus fuit: Etenim ve-
rum dixiſſe legatum, & ſapienter monuiſſe intelligebant omnes ac fatebantur:
ſed æmulatione mutuâ atque invidiâ inter ſe, etiam illi qui in factione erant
eâdem, tenebantur; nec ferè quiſquam erat, qui quem parem habebat, ei im-
perium in ſe dare vellet: & qui factiones oderant, poteſtatem ejus, quem homi-
nes factioſi lecturi erant (hi enim multò maximo numero aderant) horrebant:
ſi qui autem diverſâ in parte ſtudia habebant, quomodo hi ſe inimici homi-
nis imperio volentes ſubijcerent? Verùm Sciringij, qui in conventu domina-
bantur, compreſſo livore inter ſe, ut majora mala effugerent, eodem adhuc die
ſententiam legati deſcenderunt. Quos etiã hoc ſtimulavit, ut faciliùs conſilium
admitte-

admitterent, quòd viderent, ſi juvante legato, & Regis nomine autoritatem
interponente ſuam, in ſuffragia hæc irent, è ſuâ haud dubiò factione guberna- M.CCCC.
torem toti ſe patriæ eſſe daturos. Itaque numero vincentes, tractis ſecum, qui XCIII.
neutri parti ſe addixerant, poſtridiè (is fuit dies Calend. Ianuarij) cum exordio
novi anni M CCCC. XCIIII, hujus rei causâ coëuntes ex ordine antiſtitum &
ſacerdotum deſignârunt aliquot, qui cum tabellione publico ſuffragia collige- M.CCCC.
rent. Mox in ſuffragia miſſi, frequentes admodùm: & majore quàm expecta- XCIV.
batur conſenſu, in Iuvonem Decamæum Bardanum Hettone natum, Hottin-
giorum ſororis maritum, honorem Poteſtatis contulerunt. Is non ſolum in
principibus nobilitatis Friſicæ iſtius oræ erat ipſe, ſed maximis quoque propin-
quitatibus, affinitatibuſque ſuffultus: ad hæc animo ſapiens, juſtus, placidus, gra-
vis, &, quod maximè ſpectari conveniebat, à factionibus alienus. Itaque non
indignus honore, nec impar aut inidoneus muneri eſſe videbatur, modò factio-
nis alterius conſenſus etiam interveniſſet. Electo gratulatus eſt Langius, & pro
Cæſare Ordinum judicio probato, juxta ſe ſtatim volentibus omnibus, ut ve-
lut in poſſeſſionem honoris mitteretur, electum collocavit. Tantâ re opinio-
ne celeriùs ac feliciùs confectâ, ad cætera mox curæ verſæ; nominatique XXIV
ex omni regione inter Flevum & Lavicam viri nobiles, velut Senatus ſupre-
mus, qui Poteſtati in rebus omnibus gravioribus, & finiendis majoribus con-
troverſiis aſſiderent; ex Weſtergoâ XII; VI ex Oſtergoâ; totidem è Sylveſtribus.
Hi fuere, (libet enim recenſere, ut appareat, qui aut in partibus tùm fuerint,
aut ob virtutem honore digni ſint habiti) Leo Doniæus, Sitio Haringæus,
Minno Hiliæus, Douvo Galamæus, Vpco Remconius, Douvo Haringæus, Epo
Alua, Nitius Leo, Taco Herema, Scelto Liaucama, Hero Hottingius, Saſche-
rus Heringæus, VVeſtergoi; Petrus Camſtra, Petrus Camminga, Haijonis
filius, Edo Iongama, Taco Obbana, Bartholdus Starckenborgius, Feijo Ona-
ma, Oſtergoi; Vlco Tiepconius, Ioannes Liodſius Tiepcohuſanus, Haico
Meinæus, Edſardus Barea; Ebo Zilkæus, Broderus Stiukena, Sylveſtres.
De his porrò decretum, ut cum Iuvone gubernatore, proximo in conventu,
ſolenni juramento reip. ſe obligent coràm populo univerſo: Fideſque & ob-
ſequium Cæſari & Imperio apud Langium tum ſtatim jurata ab omnibus, qui
Snecæ in conventu erant: Iurisjurandi quoque hujus formula in chartam
relata, ſignataque, ut ad Regem perferri poſſit, in proxima comitia Langio
promiſſa: conceptaque ea eſt idiomate veteri Friſico, quam hîc memoriæ
cauſa, ut conſcripta eſt, inſerere placet. Wy louwet ende ſwerret tho dae Hel-
gen wſen aller genadichſten Heren / den Roemſchen Koninck / Heren Maximiliaen etc.
ende alle ſijn neykomen Keyſeren ende Koningen Regerers des Roemſchen Rykes / als
wſen riochta ende natuerlike hera / getrouw / hald / onderdenich ende willich tho weſſen/
ſijn Koninclike Mayeſtaet / ende de Rykes ozber foerd tho ſtueren / hy'a ſchade tho ker-
ten / ende ney wiſſ formoge to bewarpen / Ende beſonder off emen ienſt dae Koninckliike
Mayeſtaet perſoen / ſyn ſtaet ieff regiment wulde ienſt dwaen / denſelven ney wſe beſte for-
mogen to hinderen ende to hyletten / ieffte to kennen iaen / den ieerlike trybuit to betallyen/
ende alle dat to dwaen / dat een trouwe onderſitter des helgen Rykes hy'a riochte hera den
Roemſchen Koninck ney etc. des heylgen Rykes ney inhald wſer privilegien / gude olde
gewoenten ende ſtatuten ſchildich ende plichtich is to dwaen / Alſo help ws God / ende ſijn
helgen. Deîn alia multa, quæ conſtituendæ reip. erant, cõſultata illîc & concepta,
quæ proximo in conventu generali decreto, velut edicto perpetuò, ſancirentur:
dies proximi conventus diem Iduum Ianuarij ſequẽs Bolſverdiæ dictus, ad quem
rursùm citandi omnes, qui jam Snecæ non adeſſent, ſub gravi pœnâ. Id factũ pro-
pterea, ut tergiverſatio ex loco parum tuto Vetcoperis hactenus jactata tollere-
tur, & plures hâc ratione in partes traherentur. Erat enim Bolſverdiæ potens ea
factio, principe Iuvone Iuvingio. Conſcriptaq; ſtatim omnia, in quæ præſentes
conſenſerant, & poſtridiè Cal. velut conventus decretum, ſuperiore è loco, toto
audiente populo, publicata. In iis capita hæc fuêre, idiomate Friſico expreſſa.
Confirmationẽ libertatis, & cæteri juris omnis Friſiorum in diplomate Cæſaris,

M.CCCC. XCIV.

acceptam gratiſſimis animis à præſentibus, placere publicari quamprimùm
per omnia Friſiæ loca: Poteſtatis munus unamini conſenſu demandatum Iu-
voni Decamæo Bardano: deſignatos, qui ei aſſideant in rebus majoribus, ſu-
ſupremi Senatus inſtar, viros XXIIII, XII ex VVeſtergois, cæteros ex Oſter-
gois & Sylveſtribus pari numero: conventum novum, ad quem denuò vocen-
tur, qui Snecam non venerint, indicendum eſſe Bolſverdiæ ad diem XIIII
Ianuarii, cofirmandis, quæ jam acta, & reliquis peragendis ad reip. ſalutem
neceſſariis: in eo conventu Iuvonem gubernatorem ejuſque conſiliarios XXIV
juramentum dare reip. debere coram multitudine: Ad hæc cunctos Snecæ
præſentes Regi ſacramentum dixiſſe apud Ottonem, & jurisjurandi formam
ſcriptam ſignatamque daturos ſe eidem Ottoni Bolſverdiæ, ut exhiberi ab eo
Regi queat, eamque formam ſe hoc ipſo in decreto ſubiicere: conſilio juſſu-
que Ottonis, & Iuvonis controverſias eorum omnes, qui legibus obſequen-
tes jam ſint, id eſt, Ottonis autoritatem qui ſequantur, virorum nobilium, ci-
vitatum, aliorum hominum quas habent inter ſe, ſuſpenſas eſſe in biennium:
in numero XXIV virorum deſignatorum ſi quis ſit, qui quod vel gravioris cri-
minis reus ſit, muneris capax non eſſe videatur, hoc ei impedimento eſſe non
debere, quò minùs in biennium proximum munus retineat. Prætereà pla-
cere cancellarium eligi, & ſcribam à ſecretis, qui conventuum publicorum
decreta, itemque gubernatoris & aſſeſſorum conſervent, & in volumen pu-
blicum referant; & hos eſſe perpetuos quandiu idonei erunt ac muneri pares:
ſimiliter placere, duos creari fiſci procuratores, alterum in civilibus cauſis,
alterum in criminibus capitalibus, qui contra Imperium & Imperatorem,
contra libertatem & privilegia populi, denique contra quævis reip. commo-
da commiſſa perſequantur apud Poteſtatem, & ſenatum ejus: & hos quo-
que ut priores, functionem tenere perpetuam. Denique qui Snecam non ve-
nêre citati, nec Bolſverdiam venturi ſint ad diem dictum, nec alios misêre,
aut mittent cum mandatis declarando obſequio ſuo, hos in proſcriptis ab im-
peratore habendos, bonis, honore, officiis privandos: atque hoc promulgan-
dum in omnibus ſociorum templis antè conventus Bolſverdiani diem: Po-
ſtremò ſi Groningani eorúmve ſubditi aut ſocii præſumpſerint clam palámve
litteras emittere, quæ turbandæ impediendæve regionis concordiæ, aut quo-
quo modo majeſtati regiæ adverſæ ſint, omnes teneri debere ſub pœnâ crimi-
nis perfidiæ, & proſcriptionis, ut eam rem cognitam ſine morâ deferant ad
Ottonem legatum, aut novum gubernatorem, litteraſque ipſas, ſi poſſint, mit-
tant ad eoſdem ſumptu reip. Intereà verò Oſtergoi, qui Leoardiæ convene-
rant, litteras quoque dederant ad hunc conventum Snecenſem: iis perſcripſe-
rant, ſuos & Groningenſium cæterorumque fœderatorum legatos apud Maxi-
milianum Regem fuiſſe, ab eo litteras accepiſſe ad Ottonem & collegas juri ac
voto ſuo congruas, Ottonique exhibuiſſe; iis litteris mandatum ipſis, in nego-
tio commiſſo ne progrediantur, donec aliud ab eodem Rege ſit juſſum: per-
iniquum igitur Ottonem, qui contemptâ Regis autoritate nihilominùs per-
gat, actaque ejus inania. Ad has, qui Snecæ erant, re cum Ottone communi-
catâ; legiſſe ſe litteras illas Maximiliani, & comperiſſe, ad ſolos pertinere Gro-
ninganos, non ad ullos eorum ſocios; & loqui eas de Friſiis Orientalibus quieti
reſtituendis; nec præcipere, ut privilegiorum gentis veterum confirmatio, præ-
teritique tributi remiſſio, quæ ſtudio Ottonis paulò antè in aulâ impetrata ſint,
ſuſpendantur; denique nîl inveniri in illis conceſſum cuiquam, quod libertati
à majoribus acceptæ poſſit aut debeat officere: Itaque ſe, qui in conventu ſint,
ſacramentum dixiſſe Regi hâc omninò lege, ne quid decedat juri gentis, quod
diplomate novo, curante Ottone, recèns ſit confirmatum: Et hujus quidem
operæ cauſâ fateri ſe libenter, gratiam ab ſe & ab omnibus patriæ libertatiſque
amantibus Friſiis Ottoni deberi, præſertim cùm is nullo publico gentis impêdio,

ſumptu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſumptu ac ſtudio ſuo diplomata ea confecerit. Et hujus rei gratiâ decretum generalem conventum Bolſverdiæ ad diem XIV Ianuarii, ad quem accedant non ij ſolùm, qui jam Snecæ præſentes ſint VVeſtergoi, Oſtergoi, Sylveſtres, ſed cæteri etiam omnes, qui Snecam venire non voluerunt: ad quem conventum liberum ac tutum qui accedere recuſaverint, iis pœnam fore, indignationem graviſſimam regis, & amiſſionem omnium privilegiorum ac libertatis patriæ. Quapropter hoc ſe illis denunciatum nunc velle, ut, ſi in numero liberorum Friſiorum eſſe cum cæteris, & jure patrio frui velint, ſuos quoque legatos cum mandatis & agendi poteſtate ad diem dictum mittant, fide publicâ tutos futuros ad dies totos XIV. Namque, ajunt, quanquam nonnulli veſtrûm Groninganis fœdere juncti ſitis, tamen ſperamus eos impedimento vobis nobiſque non futuros, quominùs obſequium Imperio ſummo omnes præſtemus, & privilegiorum diplomata recipiamus. Et nos quidem hîc congregati conſentientibus animis gubernatorem jam elegimus: in Bolſverdiano autem conventu eligentur, qui ei aſſidebunt, cùm res poſcet, & à conſiliis ac judiciis erunt. Quòd ſi vos in contumaciâ perſtiteritis, nec venientes ipſi, nec legatos mittentes, decretum habet Otto legatus Regis cum gubernatore & iis, qui in obſequio ſunt, perſequi vos, atque ita in vos animadvertere, ut ſolet fieri in eos, qui legibus parêre nolunt. Quò circa, facite, amici, hîc, quod & æquum eſt, & cæteri faciunt re & nomine liberi Friſii, ut nobilem hanc noſtram patriam concordiæ & paci, quietoque regimini reſtituamus: id quod juvante Deo futurum ſperamus, ſi vos & veneritis ad comitia, & ope veſtrâ ſtudia noſtra promoveritis. Atque hæc ſcripſiſſe nos ex conſenſu & mandato Ottonis Langii non diffitemur. Scripta hæc epiſtola fuit poſtridiè Calend. & trium oppidorum Snecani, Franequerani, Bolſverdiani ſigillis nomine Ordinum omnium ſignata. Ei epiſtolæ ſuam adjungit Otto, & priori contumaciâ verbis caſtigatâ, graviſſimis verbis monet ac mandat, ut ad tempus præfinitum Bolſverdiæ adſint aut ipſi, aut ipſorum legati, audiantque accuſantem ipſos procuratorem fiſci, & reſpondeant, ſi quid contrà habeant: ſimul ut conſilia & operas conferant ad actiones jam inſtitutas de rep. aut Bolſverdiæ porrò inſtituendas, & decreta priora confirment: ſecùs ſi fecerint, ſe procuratori poſcenti & inſtanti damnandis ipſis vel invitum deeſſe non poſſe. Conſulant igitur, dùm integrum, rebus ſuis, & fide publicâ in dies XIV oportunè utantur.

M. CCCC. XCIIII.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XXXIII.

Ordines Oſtergoi his litteris iterùm oppugnati, conſilii capiendi cauſâ coitionibus hîc illîc factis, in varias ſententias diſtracti, cùm alii eundum ad comitia ſalvo, quod habebant cum Groninganis, fœdere, alii non eundem, ſed eminùs ſcriptis agendum, quidam ne ſcribendum quidem cenſerent; nulli tamen ferè fuêre, qui ob Ottonem ſolvendũ fœdus, & â Regis litteris diſcedendũ arbitrarentur. Ferventiſſimi in causâ antiſtites, & quidã ex nobilitate, & plebs Leoardiana: res etiam cum Groninganis

communi-

M.CCCC. XCIV. communicata, qui, quid actum Snecæ eſſet, ex Ottonis quoque ad ſe ſeorſim ſcriptis litteris jam intellexerant, & quomodo eam rem acciperent, ſtatim per epiſtolam eidem renunciaverant. Ex horum conſilio conventus omnium, deliberandi & conſenſus ineundi causâ, Leoardiæ indictus. Illûc à ſenatu populoque hujus civitatis miſſi ſapientiſſimi quique è magiſtratu, quive in magiſtratu non erant, & his dux conſilii additus Guilhelmus Fridericus ſacerdos. Hìc cùm in rei ſummâ conſenſus eſſet, altercatio aliquandiu conventum tenuit de agendi modo. Nam qui eundum ad comitia eſſe cenſebant pertinaciùs pro ſententiâ ſua nitebantur, eamque præ cæteris è rep. & causâ communi eſſe perſuadere ſatagebant. Si ſe ſiſterent, fiduciæ & rectæ erectæque conſcientiæ in causâ indicium daturos: id placidos & nutantes & factionum ſtudio non implicitos eſſe conciliaturum, factioſis animos minuturum, inſultandique & obtrectandi apud credulos ac imperitos materiam ad empturum, Ottoni ipſi, qui quamvis juſtam emanſitationem in crimen vertat, & nihil minùs quàm adventum cujuſquam iſtius partis vel optet vel expectet, atque eam ob cauſam agat confidentiùs, conſilia turbaturum: Sed omninò haud alio animi decreto iſtûc eundum, quàm ut in fœdere Groningano perſiſtatur, nec vel hilum recedatur à litteris ab Rege impetratis, adeoque in lucem protrahatur coràm omnibus qui adfuturi ſint, & iniquitas & contumacia Ottonis: quòd ſi fiat, ut omnia inexpectata vehementiùs animos hominum afficiunt, prævidere ſe, Ottonem perplexum, & præſentium verbis preſſum, quod reſpondere queat, non eſſe habiturum, & vel ſilentio vel titubante ſermone injuſtitiam ipſum ſuam eſſe confeſſurum, multos, qui ejus autoritatem jam ſequerentur, velut detractâ larvâ, rectiùs de causâ eſſe ſenſuros, & Ottonem ejuſque ſequaces relicturos. Nec verò eſt, ajebant, quod a loco nobis metuamus, cum Iuvonem habeamus in partibus, & is gratiâ ſuâ in poteſtate habeat plebem ejus oppidi; & acceſſuri eòdem ſint complures è nobilitate VVeſtergoâ cum *Iuvone* cohærentes, multi etiam animis nobis conjuncti, qui profiteri factionem non audent, & omnes hi bonam clientum manum ſecum ſint tracturi. Quibus ſi nos etiam acceſſerimus, ne ſi volent quidem, concepto contra nos ſceleris nefarii conſilio, nocere nobis inimici poterunt. Sed Guilhelmus Fridericus aliâ mente, alio conſilio fuit, homo ſolers ingenio, & in rebus agendis antè cæteros verſatus, & patriam in pectore ferens. Hic ſecretò inter ſuos, & queis maximè fidebat, haud tutum dicebat in colloquia hoc rerum ſtatu cum Ottone deſcendere; noſſe hominem verſutum, facundum, penetrantem animos ſimplicium, & gratiam fidemque ſibi parare validum, ſuffultum etiam nunc autoritate Cæſaris, in causâ verſantem ſpecioſâ & favorabili, in firmanda libertate gentis: metuere ſe, ſi iſtûc eant, qui videantur iturire, incautos abreptum iri: & quamvis litteræ nuper ex voto impetratæ ſint in aulâ regiâ ad Ottonem, tamen expendere ſe, quàm magnâ gratiâ in eâ ſit idem hic Otto, quàm incerta & mutabilia aularum ſtudia, & corruptionibus obnoxia, ut venti & undæ hûc illûc ſeſe incitantia: quòd ſi vel paucos à propoſito ille abſtraxerit, ſat idoneam habiturum ſpeciem & occaſionem efficiendi hoc, quod animus ejus deſiderat. In conſeſſu omnium pro facundiâ, quâ plurimùm poterat, iſta ità diſſerere. Nec adeò extra periculum eſſe, ire Bolſverdiam, ut perſuaſiſſe ſibi videantur ejus ſententiæ autores homines non mali, ſed non ſatis in hâc re conſiderati: nam in comitii loco ut res tuta ſit, in itu & reditu per loca inimicis obſita, quàm multa poſſe evenire? quàm facilè ex ipsâ actione reperire facinoris prætextus? quàm proclives impetus ad audendum & excuſandum in iis, qui priores ſe ab aliis injuriâ læſos ferant, quique ſe decreto regio armatos arbitrentur. Nec verò cauſæ expedire ullo modo, vel tantillum, mandante Ottone, agere: quicquid enim hujuſce actum fuerit, id quaſi decedendo ab eo quod indulſit Rex, renunciati deſertive ejus beneficii ſpeciem eſſe habiturum, atque ita

ita beneficium illud non opinantibus irritum futurum, ſecuturamque pœni-
tentiam ac prudentiam ſeram: Si quid intelligat, optimum in præſens eſſe, mit- M. CCCC.
ſo Ottone, & poſt habito Bolſverdiam eundi conſilio, ad Ordines coituros ſcri- XCIV.
bere, & facti conſiliique ſui rationem omnibus exponere. In cujus ſenten-
tiam cùm diſceſſum eſſet ab omnibus, mox diſtante eodem Guilhelmo exara-
tæ litteræ, idiomate Friſico, quò vices redderentur, hujuſmodi: Intelleximus
ex litteris veſtris, juramentum vos novum dixiſſe Regi, Poteſtatem creaſſe,
conventum alterum indixiſſe Bolſverdiæ deſignandis Poteſtatis aſſeſſoribus,
velut ſummis in rep. judicibus, denunciare nobis, niſi venerimus iſtûc, Otto-
ni, cogente jure, ſtatutum eſſe cum Poteſtate, & Ordinibus parentibus jure
contra nos agere, pœnamque contumacium ac rebellium ex præſcripto legum
poſcere. Nos verò ſpem hobemus, Ottonem eam ad rem, aut cæteros nec ra-
tione ullâ, nec jure nec mandato idoneo eſſe inſtructos, fortaſsè etiam faculta-
te deſtitui. Nec ignorare vos volumus, litteris Regis ex aulâ à nobis relatis, Ot-
toni collegiſque ejus expreſsè præcipi, nequid omninò in negotio commiſſo
porrò agant, priuſquàm Rex ipſe partes eâ, quâ decet, ratione audierit. In qui-
bus litteris ſi qua fortè ſit obſcuritas, quis neſcit, ejus interpretationem haud ulli
competere, præterquàm eidem, qui eas ſcripſit, Regi? Iusjurandum Regi da-
tum laudamus: confidimuſque noſtros etiam legatos, cum nuper in aulâ eſſent,
idem feciſſe, & eâ quidem formâ, ut Regi hîc ſit ſatisfactum: ſumuſque etiam
nunc & quovis tempore parati omnes hoc ipſum facere, fidemque talem di-
ctis: & factis præſtare, qualem probos ac bonos decet. De gubernatore & aſ-
ſeſſoribus judicibus quod feciſſe vos oſtenditis, intelligere haud poſſumus, quo-
modo legitimè ex præſcripto privilegiorum & moris veteris hoc feceritis. Nec
tamen volumus nos eâ in re impedimento vobis eſſe, modò vos rebus Oſtergois
viciſſim vosmet miſcere non velitis. Gratum namque nobis, omnes Friſiæ par-
tes pacatè beneq; gubernari, & remp. tranquillam conſtantemq; habere, quip-
pè qui diu miſeriam fluctuantis ſtatus & diſſenſionum ipſi ſumus perpeſſi, ac to-
to animo adhuc ad ejus recordationem contremiſcimus. Et nobis aliquando
conſilium & opem veſtram rogantibus reſponſum à vobis, ut judicia & remp.
ipſi noſtram conſtitueremus, vos VVeſtergoos ſuccurrere nobis nec poſſe nec
velle; vobis vos in Weſtergoâ conſulturos. Factaque veſtra dictis reſponderunt.
Ad hæc, non videmus, ajunt, ob controverſias, quas vobiſcum graves habe-
mus, quo modo conjungere vobiſcum judicia cum incorruptâ juriſdictione
queamus. Quapropter rogamus vos, ut juſtiſſimæ huic excuſationi noſtræ, &
æquo juri locum dare velitis, quemadmodum & nos hoc idem facere vobis vi-
ciſſim parati ſumus. Quòd ſi veſtrum quiſquam, aut omnium mortalium putat
læſum ſe eſſe à nobis, aut metuit impoſterùm læſum ſe iri, id nos cognitioni ac
judicio Regis libentes permittimus, & judicato obſequiũ ſine vitio pollicemur.
Dum hæ ſcriberentur litteræ, (ſcriptæ ſunt poſtridiè Idus Ianuarii) frequen-
tes ſe Bolſverdiam contulêre omnis ordinis homines ex VVeſtergoâ, & in his
multi factionis Vetcoperæ, Iuvonem Iuvingium, Tiarchonem VValtham, E-
ponem Hettingium ſecuti: quorum præſentiâ plebs Bolſverdiana animos quo-
que ſuſtulit. Illic poſtridiè in cellâ ampliſſimâ Franciſcanorum, præſentibus qui
conſilii ſuffragiiq; jus habebant, Langius repetitâ breviter omni oratione ſuâ
Snecanâ, & commendato concordiæ ſtudio, cùm cœpiſſet exponere, quæ Sne-
cæ erant acta, electionemq; gubernatoris aſſeſſorumque ejus, & quæ alia iſtic
decreta, petiſſet confirmari, Iuvingius exſurgens muſſare primùm, mox liberiùs
contradicere: quæ acta Snecæ eſſent, contra jus & morem legitimum in populo
libero eſſe acta: abſente parte unâ, in quâ haud minùs quàm medium totius po-
puli patriæq; cenſeretur, partem alterã pro arbitrio ſuo de universâ rep. decre-
viſſe: de gubernatore quidẽ creando audire ſe, ſuoſq; haud poſſe, niſi totâ priùs
regione inter Flevum & Lavicam redactâ in concordiam; id enim æquum

eſſe, ut

M.CCCC. XCIV. eſſe,ut univerſis qui præfuturus ſit, in rep.liberâ univerſorum quoque ſuffragio poteſtatem accepiſſe videatur; Iuvonem verò ab inimicis ſuis electum, ſororium eorum,quibus non alios magis acerbos capitis ſui hoſtes habeat,eo in munere videre,haudquaquàm animi eſſe ſui,nec eorum,qui ſecum ſentiant. Quæ audientes Hottingij,qui aderant, ad quos ea pertinebat oratio,ſuam ſcilicet affinitatem objectari Iuvoni, eamq́ue prætexi ad impediendum ejus honorem, irâ accenſi, ut fit in re hujuſmodi, obſtrepere viciſſim ardentiùs, Iuvingium ſemper factioſum,iniquum, concordiæ inimicum, tumultuum autorem fuiſſe, quietem & æqua pati non poſſe:rurſumq́ue inſurgere acerbiùs Iuvingius, eiq́ue Tiarcho atque Epo aſſiſtere, res in jurgium ire: qui cum his venerant ejuſdem factionis homines,ſeſe violentiùs ingerere, pluresq́ue rixæ ſe miſcere, irà utrinque provehi longiùs, foris etiam tumultuoſiùs clamantium voces in ipsâ cellâ audiri. Itaque pavidus Otto, deq́ue capite ſuo ſollicitus, ſi ad pugnam res veniret, à prudentiâ conſilium mutuatus, manu ſilentii ſigno modeſtè dato, ut ſe cæteroſq́ue periculo eximeret, voce clariore: video, inquit, non ſatis vobis expenſam rem eſſe, de quâ agimus: quapropter in hoſpitia nunc digreſſi diligentiùs de eâ cogitate, & in horam ſecundam à meridie, ſi videbitur, hoc eodem loco rursùm nobis adeſte. Nam in maximâ, & in quâ ſalus totius patriæ veſtræ vertitur, re, non eſt vobis niſi maturo conſilio ſtatuendum. Ita, cùm æquum dici videretur, prudentis viri aſtu, concilium ſine pugnâ ſolutum. Ad tempus dictum cùm adfuiſſet rursùm Iuvingius cum ſuis, propoſiti certus & fiduciâ factionis animoſus, Otto, qui in arcem Iongamæum ſe cum ſuis receperat, non audens ſe iterùm diſcrimini committere, expectationem ſui excuſatione ſpecioſâ eluſit, in craſtinum ſpem faciens: poſteroq́ue cum nondum diluxiſſet, ſopitis adhùc cæteris, ipſe cum factionis Sciringiæ primoribus cito itinere Snecam ſe in tutum recepit. Intereà, qui Leoardiæ in conventu erant, eodem die, quo iſta Bolſverdiæ ſunt acta, ne quid omninò negligerent rei ſuæ, ſcriptum concipiunt, quo oſtendunt, etſi quidem ſupervacaneum ſit tam frivolis actis Ottonis quicquam opponere (inania enim per ſe eſſe) tamen ut cavillandi omnis anſa præſcindatur, viſum ſibi à citatione ejus, omniq́ue actione provocare: judicem quippè optimo jure valdè ſibi ſuſpectum ob acta priora, ſervientem ubique cupidini partis adverſæ, hominum præpotentum in nobilitate VVeſtergoâ, qui ſuos & ſuorum agros, colonos, cœnobia, oppida, vicos in Oſtergoâ diripere, cædere, vaſtare veriti non ſint: quorum facinorum pœnæ meritæ eludendæ videri Ottonem tam pertinaciter, vel invito Rege, urgere propoſitum ſuum: Nam per legatos omnes Oſtergoæ Ordines obſequium fidemq́ue profeſſos eſſe apud Maximilianum Regem, velut unicum Principem ſuum, & eum, quæ decreta priùs fuerant, legatiſq́ue mandata, ſuſpendiſſe omnia, ac revocaſſe, eâq́ue de re litteras ejuſdem Ottoni eſſe exhibitas: & hunc velut ſpretâ Regis autoritate, quamquàm jam antè ſuſpectum magnas ob cauſas (ſollicitatorem enim in cauſâ pro adverſariis fuiſſe) nunc etiam ſolum, abſentibus, imò ne vocatis quidem collegis, nihilominùs eoſdem iſtos Ordines Oſtergoos in locum evocâſſe ad pericula ſine dubio omnium iniquiſſimum, oppidum ſcilicet & domicilium acerbiſſimorum hoſtium, cædem & ſanguinem ſuum jamdudum ſitientium; idq́ue ipſum alieniſſimo anni tempore, hyeme quippè mediâ, cùm agri ex inundatione aquis oppreſſi, ac glacie contecti jacerent, & fœdis tempeſtatibus aër horrens faciendis itineribus eſſet incommodus, & termino inſuper ad comparendum ſtatuto minùs brevi: adhæc commeatus litteras à Snecenſibus hominibus inimiciſſimis miſſas non fuiſſe hujuſmodi, ut iis fidere liceret: nam eoſdem illos ex nobilitate, quorum nomina litteræ præferebant, fidem violâſſe, & ſigillum litteris additum vitium habuiſſe, ut nec ſignum agnoſci, nec characteres conſpici poſſent: Quas ob cauſas citationem illam legitimam non fuiſſe, contemniq́ue potuiſſe: Et ta-

men ta-

men tabellarium ſe cum litteris declinatoriis ad Ottonem tum miſiſſe: cum verò haud ſecus, ac ſi nihil horum eſſet, præcipitem, quaſi in contemptum ac ludibrium juris ac majeſtatis regiæ, ad libitum partis adverſæ perrexiſſe, fidentem improbæ ac fraudulentæ litterarum Regis interpretationi, ad pervertendum verum ſenſum, ac manifeſtam autoris mentem callidè ab ipſo inventæ, atque ita ſummâ injuriâ gravare Ordines Oſtergoos fuiſſe conatum: Itaque contra eum, & nobilitatem VVeſtergoam capitaliter à ſe diſſidentem, prædationum, cædium, ſeditionum, aliorum graviſſimorum criminum ream per præſentes has litteras Maximilianum Regem ſe appellare, & appellationis hujus teſtimonium ſcriptum petere ab Ottone, ac detrectante eo idem à tabellione, quem cum hoc libello ad Ottonem miſſuri erant, poſtulare, ut exhibere id ipſum Regi, aut ſenatui ejus poſſent. Eo cum libello ſine morâ Mammonem Eponium tabellionem Bolſuerdiam mittunt poſtridiè. Qui cùm Ottonem iſtic non inveniſſet, Snecam ſecutus tradito coram teſtibus libello teſtimonioque ejus nequicquàm petito, Ottone perplexo & conſilii jam neſcio, ad ſuos revertitur. Iuvingius Bolſuerdiæ diſceſſu inopino legati deluſum ſe cernens, non ſatis pacato animo, cum ſuis, quid tam dubiâ in re agendum, conſultabat. Nam licèt viribus factionis & ſocietate Groninganâ fideret, tamen legati regii conatus, quem gratiâ & autoritate valere in aulâ audierat, contemnendos non eſſe putabat. Quid enim non in aulis mobile & venale? Itaque re cum intimis agitatâ, comiter appellare, qui Bolſuerdiæ remanſerant, Sciringios ac cæteros factionibus non mixtos, reip. ac pacis curam præferre, nihil dicere magis ſibi in votis eſſe, quàm ut ſub propitio ac benevolo Rege, ſartâ mutuâ gratiâ, inſtauratiſque judiciis, concordibus & quietis omnibus in patria liceat vivere: ſed eſſe omninò paucos, qui hiſce votis impedimento ſint, homines in nobilitate potentes ac factioſos, alieni appetentes, æqui juris impatientes, dominandi & pro libidine agendi cupidos, cæterorum fortunæ invidos; quorum deſiderio mancipatum legatum regium multa egiſſe, atque etiam nunc parare, quæ æquo juri & libertati à majoribus acceptæ ſine dubio ſint contraria: petere igitur, ut poſitâ invidiâ, & partium ſtudio, ſecum velint omnes in commune conſulere, & patriæ periclitanti, quo quiſque poſſit modo, dicendis ſententiis, ſuccurrere: atque hæc concionabundus apud multitudinem, ſeorſim apud paucos & ſingulos, nec ſolùm per ſe ipſe, ſed per alios quoque ex compoſito: his rationibus multos factionis alterius lenire, cæteros ſibi ampliùs conciliare. Denique contentione hujus ac ſolertiâ factum, ut qui ibidem erant ex omni hominum genere frequentes admodum, adjuvantibus, qui ex Oſtergoâ ſubmiſſi venerant, decretum novum cum novâ jurisjurandi formulâ, diſcrepans à Snecenſi ediderint. In formulâ juramenti profitentur, primum Maximiliano Regi, & ejus in regno hoc ſucceſſoribus quotannis tributum ſoluturos ſe in focos ſingulos, aut ſingulas menſas nummum vnum, cujuſmodi XVI valent aureum Rhenanum; deinde in fide & obſequio eorundem futuros, ſed ſecundùm jura, leges, morem patriæ: addunt verò, atque excipiunt expreſsè, nec ad habendum præfectum ſummum, quem Poteſtatem vocant, nec ad arma in rebelles contumacéſve ferenda in hâc Friſiæ regione velle ſe teneri, niſi Rex antè in concordiam omnes reduxerit: quòd ſi nec ipſe fecerit, nec ſucceſſores ejus, nec jura genti integra illibataque ſervarint, aut eadem minui infringíve ab aliis ſiverint, ſe quoque ejus conditionis eſſe velle, ac ſi non juràſſent. Atque hæc formula ſigillo publico VVeſtergoæ ſignata fuit. Tum porrò ſic decretum, ſi hâc formulâ ſatis ſibi fieri ſineret Otto nomine Regis ſui, ut ſine morâ pecunia tributi per magiſtratus colligeretur, mitteretùrque Daventriam: illic viciſſim legati Ordinum ab Ottone diplomata Regis, & apochen ſolutæ pecuniæ reciperent: Ottoni pro ſtudio, labore, impendio in hanc rem

M.CCCC. XCIV.

M.CCCC. honoris ergò donarentur aurei Rhenani ſexcenti, in eamque ſummam pares
XCIV. partes Weſtergoi, Oſtergoi, Sylveſtres conferrent; id fieret non antè, quàm juramenti verba eſſent ab Ottone probata: Supra eam ſexcentorum ſummam nemo quicquam quocunque nomine populum horum diplomatum causà poſceret. Poſtremò, die XIV Calend. Februar. litteræ ſunt exaratæ more conſueto, teſtantes diplomata Ordinibus Oſtergois, Weſtergois, Sylveſtribus ab Ottone tradita, dictumque ab hiſdem Regi ſacramentum apud eundem Ottonem ex formulâ aſſcriptâ, idque in eventum hujuſmodi ut ſi in formulam ipſe conſentiret, litteræ eidem Daventriæ traderentur. At ille litteris his eodem die Snecæ acceptis (iſtic enim ſederat hucuſque, & eventum expectaverat) cæteriſque de rebus Bolſverdiæ geſtis certior factus, cùm videret omne ſe ſtudium ſuum fruſtrà illîc pro amicis conſumpſiſſe, in omnes partes mentem verſans tandem ſtatuit Friſiâ relictâ Daventriam concedere, atque eò in locum ſine controverſiâ tutum, ne quid iſtinc tergiverſationis detrectantibus judicium eſſet, ad dicendam cauſam partem utramque evocare. Et mox communicato cum amicis Sciringiis toto conſilio ſuo, poſtridiè ejus diei ad ſenatum populumque univerſum Groninganum, omneſque in totâ regione aut ſubditos iis, aut fœdere conjunctos cujuſcumque homines ordinis, & in his nominatim Leoardios, Doccumanos, atque horum ſocios litteras emittit: ac repetitis ab ovo, ut ajunt, prioribus actis, exagitatis acerbè iis, quæ bello proximo à Groninganis in Oſtergoâ ac Weſtergoâ per ſummum nefas ferebantur patrata, memoratis precibus partis adverſæ apud Regem de ferendo auxilio oppreſſis & miſeris, ſecutoque graviſſimo duorum Cæſarum decreto, exponit quas litteras à legatis Groningenſium & ſociorum confectas in aulâ ipſe intereà acceperit, atque in his non ſolùm ſibi collegiſque mandatum oſtendit, ut actionem ſiſtant, neû damnum Groninganis inferant, ſed etiam ut vocatâ parte utraque diligenter in omnem cauſam inquirant, omneſque, quoad ſatis ſit, audiant: addit etiam, ſic recepiſſe eoſdem Groningenſium ſociorumque legatos, cùm litteras Maximiliani traderent Daventriæ, & quidem voce ac ſcripto recepiſſe nomine ſuorum, citatos ſe more & modo legitimo in locum, in quo ſe ſiſtere ſine periculo poſſent, ad dicendam cauſam ſine tergiverſatione eſſe venturos: ſed in judicio hujuſmodi, ſi contingat convinci ipſos ac ſuccumbere, ad ſarciendum damnum ſolvendoſq; judicii ſumptus, non ſe obligâſſe; quinimò ne mandati quidem ſui ad eam rem documenta ulla tum exhibuiſſe. Qua propter, ait, ſeſe nunc pro poteſtate à Rege acceptâ jubere, ut ad diem Nonarum Februarii omnes Daventriæ ejus rei causâ adſint, aut legatos cum poteſtate plenâ mittant, nec antè iſtinc recedant, quàm cuncta, quorum quis volet eos arguere, arceſſeréve audierint: præcipere etiam, ut ſecum ferant, ſi qua habeant Imperatorum aut Regum diplomata indultáve, quibus hujuſmodi patrare facinora permiſſum ſibi eſſe arbitrentur. Ad hæc mandare omnibus ſacri ordinis utraque in parte, quorum curæ animæ hominum à Deo commiſſæ, ut ſuis in parochiis examinent ſingulos, ac velut teſtes excutiant de rebus iis, quæ in bello dicantur accidiſſe; quot fana, neces, domus, puerperarum cubilia, loca alia ſacra & profana utrimque armis violata, teſtimoniaque hujuſmodi à juratis dicta apud ſe, & in chartas relata, cum fide mittant Daventriam: ea ſe cum cæteris actis, & quæ Daventriæ adhuc agentur, ad Regem omnia, formandæ ferendæque causâ ſententiæ, tranſmiſſurum. Simul ad omnes ordines agrarios in territorio Iderano, Leoardiano, Idzerkerano, Dantumano, Dongerano, Collumano, Octopagico, Oſtbroecſterano ſcribit ſeorſim, quos acceperat, Groningenſium edictis edicta Regis, (ſic ſua ille juſſa nuncupabat) poſtponere, & in vanam appellationem illorum conſentire, præcipitque ut poſthabitâ Groningenſium juſſione, omnique tergiverſandi colore abjecto, ab appellando deſiſtant, & ſeſe ad obſequium Regis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag
401 B 23 [1]

Regis rursùm conferant: aut, ſi quid contrà habeant, ut Daventriæ ad red- M.CCCC.
dendam rationem ad eundem diem cum cæteris ſe ſiſtant, ac has ipſas litte- XCIV.
ras tabellario ſtatim reddant. Tum Snecâ èveſtigiò in Tranſiſalanos ſe con-
fert. Groningani viſis his litteris, admirati hominis pertinax ingenium, in-
dignatique animis, adhibito fœderatorum Oſtergoorum prudentiſſimo & fa-
ctioſiſſimo quoque, conſilium repetendæ aſperandæque proteſtationis prio-
ris, & urgendæ ad Regem provocationis capiunt. Hujus conſilii dux fuit Guil-
helmus Fridericus ſacerdos, ejuſque ſtilo libellus conceptus acris & multâ bile
ſuffuſus in Ottonem & Snecenſes, ac laude refertus Groningenſium: In quo
commemoratâ fœderis feriundi occaſione & causâ honeſtiſſimâ, & repetitis
prioribus actis, animoque Ottonis iniquo, in omnibus ſe prodente, common-
ſtrato, eundem Ottonem ajunt, contemnentem mandata Regis, legis, appel-
lationes legitimas, ſui ubique ſimilem, perindè ac ſi appellatum non ſit, de-
nuò appellantes citatione vanâ ac iniquâ turbare, quæſitorem non ſuſpectum
ſolùm, ſed iniquitatis manifeſtæ toties jam convictum, toties recuſatum, nunc
etiam ſine collegis quærendi partes ſibi ſumentem, teſtimonia quoque haud
ritè depoſita, inania, frivola, mille modis cum jure pugnantia cupidè admit-
tentem: denique in his ita agentem, ut aut omnis juris divini & humani igna-
rum, aut contemptorem ejuſdem ſe eſſe demonſtret. Eam ob cauſam ſe ſo-
cioſque ſuos, rursùm Regem appellare, nec ab eo propoſito vel latum unguem
diſcedere, & fidei Regis ſeſe atque omnia ſua commendata velle. Cum hoc
libello ipſe Guilhelmus ſacerdos, Hermannus Elderwoldius ejuſdem ordinis,
Ioannes Scafferus conſul, Gerardus Kenemannus ſenator à Groninganis, Taco
horti Mariani antiſtes, quæſtor Clarocampius, Rombertus Iarichius Leoar-
dius, Sibo Sceltema Doccumanus, Oldermanni, Oneco Vnama, Gerardus
Oningius, ab Oſtergois Daventriam miſſi, libelluſque publicè præſentibus te-
ſtibus Ottoni traditus, verba faciente Guilhelmo, ac liberè denunciante, ab
actione nî deſiſteret, & regio mandato parêret, de vî injuſtâ & in Regem con-
tumaciâ arceſſere ipſum ſibi decretum. Turbatus inopinâ re legatus regius,
ac velut in bivio deprehenſus, & indignans hæſit aliquandiu, nec quicquam
reſpondit. Nam velut certus actionis futuræ, eò ſe totum paraverat, & quo
major ineſſet actioni autoritas, præcipuos ſapientiâ viros apud Monaſterien-
ſem & Trajectenſem epiſcopos, ac Suollenſium civitatis & Campenſium de-
lectos hanc eandem ad rem quaſi aſſeſſuros ſibi in actione evocaverat. Hos
verò temerè evocatos videri, atque horum in præſentiâ hanc ſibi contume-
liam fieri, tacitus ſtomachabatur. At urgentibus ſociorum legatis, ac reſpon-
ſum flagitantibus, eodem adhuc die (is erat III Non. Februarij cùm nondum
Sciringij adeſſent) ex ſcripto ita reſpondit. Non diffiteri, appellationem ſibi
denunciatam primum Idib. Novembr. anni ſuperioris, ſed ſine ullâ causâ, nul-
lâ juſtâ contra ſe collegaſque ſuos querelâ demonſtratâ: nec negare, repeti-
tum nunc idem antè quatriduum, verùm eâdem etiam inanitate, ſine ratio-
ne, ſine exhibito eâ de re ſuorum mandato, compluribus etiam mendaciis
commiſſis: atque hanc ob cauſam totum id pro nihili ſe habuiſſe: reſponſu-
rum tamen planiùs de poſtulatis apoſtolis, uti vocant, ad diem II Iduum Fe-
bruarij eodem iſto in loco. Intereà hoc nunc dictum illis velle, expectari ab ſe
ſub veſperam collegas ſuos, quibus præſentibus, aut ſi non venerint, iiſdem
quoque abſentibus, rogatum ſe jure acturum, nec habiturum rationem, ſi quis
petat, cur ſecus videatur faciundum: itaque præcipere, ut ipſi ad defenſionem
in cognitione hujuſmodi uſitatam, & quæ cætera eò pertinent, ſe parent: ſibi
enim propoſitum, poſcente parte alterâ, ſive adſint ipſi, ſive abſint, in nego-
tio cœpto progredi: Et quoniam videat, Groninganos ab eo, quod apud Re-
gem promisêre, obſequio, atque à jure ac æquitate nimis evidenter declinare,
ſeſe prioribus decretis ac juſſis inhærentem, rejectâ vaniſſimâ appellatione, ac

M.CCCC. XCIV.

compreſsâ contumaciâ, id quod in litteris regiis ſibi imperatum ſit, eos etiamnunc citare; & monere, ac poſcere, ut litterarum illarum præſcripto ubique pareant ſine vitio & dolo malo, nec obſequentes Regi, & in electionem gubernatoris aſſeſſorumque conſentientes turbent, appellationíve inani aſſentiri verbis aut factis compellant: jubere etiam, ut exigendo tributo abſtineant, néve oblatum ultro quicquam hujuſmodi recipiant, nullius hominis quacunque ratione, quocunque prætextu, reditus ac res impediant, avertántve, aut etiam per alios id fieri permittant, aut curent; denique eis, qui ab ipſis diſſentiunt, nullam moleſtiam, nullam injuriam aut ipſi inferant, aut ab aliis inferri patiantur, ſinantque omnes ad litis uſque finem, ſub imperio ac tutelâ Regis, pacatè vivere. Cum hoc reſponſo domum dimiſſis legatis, à biduo, cùm fruſtrà collegæ eſſent expectati, præſentibus jam Sciringiis & cæteris, quos evocaverat, Otto jure agere cœpit, crimina audire, teſtes excutere, teſtimonia domi depoſita percenſere, diplomata litteraſque alias inſpicere, omnia per tabelliones in chartas referre: multa illîc acerbè in Groninganos, multa in ſocios, falſa etiam veris mixta, & vera ipſa ſupra veri modum aſperata, atque affectibus aſperſa, ut vel Bocconis & Snecenſium gratia, vel odium proprium teſtes impellebat; cuncta nimium cupidè ab irato quæſitore, abſentibus reis, recepta. Inter quæ civitas Groningana edocta de rebus omnibus per legatos ſuos cum ſociis propoſiti tenax, litteris mandati inſtruit Ioannem Oſtendorpium jureconſultum Daventriæ morantem, jubetque reſponſum ab Ottone poſcere. Ei poſcenti, quamquam ignominiæ dolore incitatus ſecum ſtatuerat Otto claſſicum ſtatim canere in Groninganos, tamen ab iis, quos circùm ſe habebat, mitiora ſuadentibus, lenîtus, pridiè Idus Februar. de ſcripto in hanc ſententiam tandem reſpondet. Taconem antiſtitem Foſwerdium, Guilhelmum Fridericum, Hermannum Elderwoldium ſacerdotes, legatos civitatis Groninganæ, ſociorumque Oſtergoorum, non exhibito idoneo ſuorum mandato, in aulam regiam profectos, colorandæ improbæ Groningenſium ambitioni, & affectatæ dominationi, in regiones jure liberas, deprædicatâ eorundem in colendâ adminiſtrandâque juſtitiâ laude rarâ, & vicinorum exaggeratâ pluſquàm beluinâ barbarie, haud verâ oratione Maximilianum Regem circumveniſſe, litteraſque ab eo ad ſuſpendenda decreta priora expreſſiſſe: verùm ut hoc obtinerent, eoſdem ſuorum omnium nomina prolixè ſimul eſſe profeſſos, paratos eſſe ſe ac ſuos, coràm legatis regiis ſingulis omnibúſve, parti adverſæ de objectis reſpondere, atque hoc agere, ut tota cauſa, à tabellionibus conſignata litteris, ad Regem ipſum referatur. Eas ſe litteras regias ſecutum, in Weſtergoam veniſſe, & in ipſo ſtatim aditu Iliada malorum reperiſſe, atque adeò recèns ex aulâ Regis reverſum Petrum Camſtræum equeſtri dignitate honoratum, atroci injuriâ, direptâ ejus arce Aelſumanâ, tormentiſque abductis, affectum, alios tributis & expilationibus concuſſos penè ſub oculis ſuis vidiſſe. His malis medendis conventu indicto ex voluntate Maximiliani Regis, gubernatorem ac Senatum totius provinciæ, nequicquam obſiſtentibus Leoardiis creandum ſe curâſſe: quibus feliciter expeditis, in diem Nonarum Februar. factionem utramque dicendæ cauſæ Daventriæ ſibi adeſſe juſſiſſe: Sed ecce, cùm nihil minùs expectaret quiſquam, veniſſe à Groningenſibus & ſociis legatos (eos omnes recenſet) declinandi fori, occultandæ tot commiſſorum atrociſſimorum facinorum nequitiæ, avertendæ ſcelerum pœnæ, fallendi rursùm optimi Regis gratiâ, inanem ac nullo jure nixam afferentes appellationem: Sibi verò integrum haud eſſe à demandato quærendi munere temerè abcedere: Itaque cùm ne eorum quidem petitioni æquiſſimæ, qui ſibi aſſiderent, Monaſterio, Vltrajecto, Suollâ, Campis miſſi, & à Daventrienſibus additi, ut utrimque ad finem uſque litis abſtineatur ab injuriâ, vellent aſſentiri, curâſſe ſe decreta edictaque priora

tandem

tandem contumacibus per tabelliones publicos tradi, ſimulq́ue mandaſſe, ut
intra diem XII apud Monaſterienſem præſulem ritè probent, decretis ſe plenè M CCCC.
& ſine fraude paruiſſe: Nunc verò etiam, quò nihil omiſſum videri poſſit, præ- XCIV.
figere ſe iiſdem dies VIII, intra quos declarent, an pendente actione, ab inju-
riis & vi velint abſtinere: Quòd ſi recuſent, tùm ſibi neceſſe futurum princi-
pes omnes ac civitates, & quotquot ſubditi imperio Regis Romani ſunt, im-
plorare, atque eorum opem rogare, ut lege armatâ ad pacem tenendam con-
tumaces compellant: Et hunc in finem vaniſſimam appellationem contra ſe il-
latam, qui non judex ſed auditor tantùm ſit, nec ullâ, quod conſtet, re iniquâ
quemquam gravarit, nec præter citationem quicquam ediderit, atque ita ne-
quaquàm admittendam, unâ cum autoribus tantiſper nunc ſe ſeponere, & ad
progrediendum in quæſtione cœpta ſine cujuſquam offenſione aut injuriâ pa-
ratum offerre. Quam conditionem oblatam tam æquam ac honeſtam ſi reje-
cerint etiam, & in cœptâ appellatione urgendâ perſeverârint, in eum demùm
eventum ſe Oſtendorpio apoſtolos hos refutatorios tradere, atque interim in
animo habere inchoatam actionem eâdem, quâ factum hactenus, fide integrâ
& incorruptâ, ex præſcripto litterarum Regis pertexere. Poſt hoc reſponſum,
datis ad Monaſterienſem Henricum Suartzburgium litteris, & cæteris expoſitis
eum rogat, ut ſuas quoque in causâ hâc partes capeſſat, imprimis Groningenſes
compellat, ut quo animo ſint, pacem an vim malint, intra præfinitum tempus
edant. Quo impetrato (nec enim epiſcopus id iniquum arbitrabatur) reſcri-
bunt ſtatim eidem epiſcopo Groningenſes, videre ſe, quò ipſum vocet Otto,
nempèut cognoſcendæ liti ſeſe det: ſe contrà rogare, ne quid faciat hujuſmodi,
neu ſe rei miſceat antè tempus. Nam ipſum Maximilianum vetuiſſe Otto-
nem ſervientem cupidini partis adverſæ quicquam in cœpto agere ampliùs, &
ad ſe totam hanc cauſam revocâſſe, ut ex adjuncto litterarum ejus ad Otto-
nem exemplari (id ſimul mittebant) liceat videre. De reliquâ voluntate ſuâ,
de quâ quærat Ottonis rogatu, hoc unum nunc reſpondere, in conventu, quem
idcircò velint indicere, apud omnes ſe ſocios rem propoſituros, & de conſenſu
communi quod ſtatuetur, de eo ſe ipſum reddituros certiorem. Scriptæ litte-
ræ hæ die XXV Februarij. Ab hoc tempore quicquam feciſſe Monaſterienſem
contra Groninganos, quanquam armorum cupidum, non invenio. Otto alterâ
cum parte, quod poterat, agens, querelas pro tribunali audiens, teſtes exami-
nans, aliaq́ue id genus cœptans atque urgens, cùm fruſtrà ſe niti cerneret, tan-
dem ſtomacho plenus aſſumptis ſecum Sciringicarum partium legatis, viris
utroque ex ordine ſacro & civili præcipuis, facundiâ & prudentiâ egregiis ad
Maximilianum rediit. Hujus calumnias cum accuſatoribus Sciringiis non abs re
metuentes Groningani ſociiq́ue, ut malis in tempore occurrerent, ampliſſimam
legationem rurſum decreverunt ad eundem Regem, quæq́ue ad eam inſtituen-
dam facerent, ſummo ſtudio parârunt. In his teſtimonia conficiebant & con-
feſſiones planas Oſtergoorum probandis narratis ſuis, & inimicorum obtrecta-
tionibus elidendis idoneas. Quam ad rem quatuor antiſtites, quos ſæpè priùs
nominavi, Taco horti Mariæ, Ioannes Clarocampius, Ioannes Doccumanus,
Hermannus Foſwerdius, factionis ſtudio præfervidi, exemplo ſuo præivêre:
quorum primum nomen & ſumma autoritas in totâ Oſtergoâ magnam cæ-
terorum multitudinem ſecum traxit: teſtimonium verò virorum talium ex opi-
nione religionis, quâ id genus hominum tum vulgò valebat, ingens apud Re-
gem & cæteros in aulâ pondus erat habiturum: eoq́ue magis, quòd non ſolo-
rum antiſtitum, ſed totorum collegiorum nomina & ſigna præferebat. Igitur
ſinguli in his ſeorſim cum gregalibus quiſque ſuis ad Regem Maximilianum,
cæteroſque Imperii Germanici principes atque ordines ſtilo directo, acerbiſſi-
mis verbis inſectati improbitatem impiam, ac audacem, & intolerabilem vio-
lentiam virorum nobilium in Oſtergoâ, item prætorum, judicum, cæterorum,

M. CCCC. XCIV. qui potentiæ aliquid ſupra vulgus habere ſe putabant, hos eſſe ferunt, qui cædibus, rapinis, graſſationibus, tumultibus ſediciosis, nequitiâ & contumeliâ in omnes ordines ſacros ac profanos, totam regionẽ fœdarint, cœnobia ſacrata effregerint, ſpoliarint, plebem ſæpè per vim oppreſſerint, malis deniq; nullũ ſibi modum ſtatuerint: atque eſſe diverſa contra hanc malorum illuviem tentata ſæpè remedia, ſed velut perruptis aggeribus malitiam ſemper reſumptis viribus ſuperâſſe: tandem, ajunt, qui è nobilitate ſanâ mente fuerunt, ſuis rebus contenti eſſe, aliena per vim non concupiſcere, non rapere qui ſueverant, cæteroſque Oſtergoæ Ordines extremâ neceſſitate adactos ad Groninganos vicinos ſuos, pacis juſtitiæq; cuſtodes egregios, velut ſacram ad ancoram confugiſſe, rejectoſq; non ſemel, vix demùm multis & exquiſitis precibus impetrare potuiſſe ab his, ut pacis colendæ, adminiſtrandique juris causâ fœdus cum ipſis inirent. Quapropter rogare ſe aiunt, & quotquot iſtic homines boni ſint, ut Rex principeſque hoc ipſis fœdus toti ſine dubiò patriæ ſalutare, in religionis, reique publicæ ac juſtitiæ gratiam incolume eſſe, & haud quaquam ex voto & libidine æmulorum, pacis juſtitiæ, pietatis hoſtium, poſtulatóve mendacium obtrectatorum velint reſcindere: id Chriſto ſactiſq; ejus fore gratiſſimum. Legati deſignati duo ex antiſtitum horum eorundem numero Taco & Clarocampius, cumq; his Guilhelmus Fridericus, ac Deuvo Grovingius oppidanus ſacerdos in æde VValburgis. Hi commendato diligenter ſuis pacis ſtudio, intereà dum ipſi abeſſent, ne quis quid queri poſſit, domo profecti cùm audiſſent Maximilianum in Sueviam iter habere, eôdem contendentes medio Aprili Campodunum venerunt: alteroque die poſt affuit etiam illîc Maximilianus, comitatus Alberto Saxone, principe inter omnes Germanos tùm clariſſimo, Eberhardo VVirtembergico, ſapientiâ illuſtri, Philippo Naſſovio, Comite Oetingenſi, epiſcopo Brixinenſi, & purpuratis compluribus. Aderat quoque ibidem Otto Langius, & Snecenſium ſociorumque legati, omnia jam conati, ut aures principum orationi Groningenſium occluderent. Nec ſibi præhenſando, precando, pollicendo, largiendo Groningani defuêre. Senatus his datus poſtridie adventus Regis, ex purpuratis, & jurecõſultis aulæ miniſtris, ſed præter traditas inſpectaſque mandati litteras, & cauſam legationis expoſitam breviter, actum tùm nihil. At poſtero, qui XIII Calend. Maii fuit, cùm eſſent adeſſe juſſi utrique in ampliſſimo ac maximo principum ac procerum aliorum, & jureconſultorum conſeſſu, ſublimi loco præſidente ipſo Maximiliano, & juxta eum Alberto Saxone, datâ dicendi poteſtate, Sciringii primùm pro ſe prolixè, repetentes liberbertatem gentis veterem & illibatam, Imperatoribus ac Regibus caram, majeſtatemq; Imperii Germanici comiter ac ſanctè in eâ cultam, obſequiumq; ritè ſervatum: deinde cæteris paulatim partibus ſejunctis, dum ſibi ſingulæ conſulere, aut fœderibus novis ſe tueri ſtudent, unam tamen remp. communem ad hæc uſque tempora manſiſſe omnibus Flevo Lavicáque clauſis; atque hanc, repetitis ſæpè totius populi ſcitis in comitiis gentis, renovatis Imperatorum decretis, denique fœderibus ac pactis cum ipsâ Groninganâ civitate firmatam, contraq; ſciſſionum pericula prudentiâ majorum munitam ſollicite: An audeant enim, quamvis plus ſatis effrontes & audaces ſint, negare Groningani, in fœderibus, quæ cum civitate ipſorum & olim & nuper inita nobis ſunt, ſic conveniſſe, expreſſeque ſic eſſe ſcriptum, non fas eſſe, eos ullam regionis hujus partem Lavicâ clauſam, ſeorſim ſociare ſibi? aut quicquam omninò agere, quòd ſcindendo corpori reip. noſtræ poſſit eſſe? En in promptu nobis ipſæ fœderum tabulæ, ſigillis integris, quæ negantes ſi ſit opus, queant convincere. Nec temerè hoc cautum ab hominibus noſtris viris præclaris, quibus non ſolùm inviſa propter perniciem ſciſſio, ſed etiam adverſa cum peregrinis contracta ſocietas. In peregrinis autem ſemper nobis & majoribus noſtris Groninga fuit, quippè quam Drentinis in donatione ac diplomate ſuo, non Friſiæ

liberæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

liberæ Henricus III Imperator aſſignavit. At hi non ſolùm contra ſanctiſſima
pacta ac jurisjurandi fidem, freti factioſis & turbidis hominibus numero pau- M.CCCC.
cis, vi, opibus, malitiâ validis, juris & quietis inimicis acerrimis, magnam aut XCIV.
mediam penè partem à nobis avulsêre, ſed bello quoque inſuper illato & co-
gere noſmet ad conſentiendum voluerunt, & omnis generis atrociſſimis affe-
cerunt injuriis. Quid enim atrociùs, quàm cædes bonorum facere, trucidare
inermes, puerperarum cubilia innocentium & fugitantium, ſanguine opplere,
fœda dictu, factuque alia in iis patrare, ſacra loca, fana ipſa & altaria temerare,
ſacratos viros contumeliis afficere, quietorum opes diripere, prædas abigere,
domos urere, tributis gravibus præter jus ac rationem emungere, Camſtræum
tantâ dignitate virum, ex auguſtâ hâc aulâ vixdum reverſum injurioſè mulcta-
re, multos fortunis omnibus eijcere, in exilium agere, honeſto natos loco cru-
delibus ſuppliciis causâ indictâ tollere è medio? Nec verò in nos tantùm com-
misêre ea, quorum pœnas ab iis nunc repoſcimus, ſed & majeſtatem Imperii
hujus, & invictiſſimi atque optimi Regis peſſundederunt, & etiam nunc, quan-
tum poſſunt, peſſundant. Nam populum ſoli huic Imperio & Imperatori ſub-
ditum ſeditionibus agitant, bellis infeſtant, injuriis vexant, pecuniâ mulctant, ab
Imperii obſequio recedere, ſibi parere cogunt, Regi tributum juſtum non
pendere, ſibi injuſtum pendere compellunt: denique in nos quæ patrant, in
hunc ipſum conſeſſum ampliſſimum, & præſidem ejus Imperatorem, in cujus
fide & tutelâ ſumus, haud dubiè committunt omnia. Tacemus, quod non mo-
dò contra fas iſta audent, & jura vetuſta, verùm etiam contra hujuſce clemen-
tiſſimi Regis noſtri, & parentis ejus fælicis memoriæ decreta ac juſſa graviſſi-
ma, quæ hi adeò contemnunt liberè, ut in ludibrium vertere, & autoritatem
ſacroſanctam in vaniſſimis rebus habere videantur. Novit Otto Langius le-
gatus, vir ampliſſimus, quem honoris causâ hîc nominamus, qui ipſe vidit &
ſenſit, cumque ſuperbiâ & contumaciâ horum eorundem conflictatus eſt, ad
cujus nos teſtimonium hoc loco provocamus. Quæ ſi negligenda vobis prin-
cipes, quibus Imperii cura demandata eſt, arbitremini, & hanc impunè dimit-
ti licentiam è rep. eſſe putetis, non habemus nos, quod hîc dicamus ampliùs.
Noſtrâ tantùm causâ contendimus, ut quod contra fas & pacta initum fœdus
eſt, jugulum petens reip. noſtræ, quodque vî & metu extortum Snecanis con-
venti titulo, irrita ſententiis veſtris, belloque injuſto commiſſa in nos, ex legi-
bus luere autores ac damna ſarcire jubeatis. Moviſſe conſeſſum viſi ſunt (ſe-
cutum enim murmur) cùm Guilhelmus pro Groninganis & ſociis aſſurgens
ità loqui cœpit. Fruſtrà, illuſtriſſimi principes, & viri ampliſſimi, in comme-
morandâ vetuſtâ majorum libertate, & in adminiſtrandâ rep. conſenſione,
tam multa verba ab adverſariis noſtris perdita ſunt. Nobis quippè illa noſtris-
que ſociis non minùs quàm iis ipſis, qui iſta dixêre, cara ſemper, ne dicam ca-
riora, fuerunt. Nam ſi verum dicere licet, ità egerunt illi proximis his ſæcu-
lis, qui nos accuſant, ut in ſeditionum & facinorum licentiâ poſuiſſe liber-
tatem videantur. Quoties meliorum ſtudio & multitudinis conſenſione poſt
tumultus ſarta gratia? pacta inita? pax compoſita? quoties eadem diſſu-
ta, rupta, in tumultus & bellum rurſum verſa? Inſita ſcilicet factioſis ingeniis
libido, legibus non parêre, per fas & nefas agere, judicia æqua non pati,
aliis, quæ velint, præſcribere, & his ſpecioſum illud nomen libertatis apud
imperitos prætexere. Quæ ſi verè libertas eſt, deterior ea eſt quàm honeſta
& tolerabilis ſervitus. Quàm vanum verò, quòd inſulſi homines nobis pere-
grinitatem objectant? Nam in antiquiſſimis & ampliſſimis Friſiæ civitatum
noſtram hanc eſſe, & longè latiores quondam liberæ hujus gentis terminos
patuiſſe, quàm hi homines ſomniare videntur, extra controverſiam eſt. Deindè,
nec ea ullo modo Henrici Cæſaris mens fuit, cùm Vltrajectinæ ſedi beneficium
hoc contulit, quam ex diplomate calumnia vult inferre; non fuit, inquam,

M.CCCC. ac ſi etiam fuiſſet,quid id antiquiſſimo & ſanctiſſimo obeſſe juri noſtro potuit?
XCIV. An neſciunt ipſi, qui iſta producunt, quàm ſæpè majores ipſorum aut Hollandis vicinis, aut Geldris, aut his iiſdem epiſcopis, erroréne, an quo vitio alio haud ſatis penſitatâ re, ſint aſſignati? Hoccine illos aut ſervos fecit, aut ab inſtituto honeſtiſſimo defendendæ libertatis amovit? Videte principes, & qui hanc cauſam cognoſcitis, quàm cæci hominum animi ſint, qui odio imbuti obtrectandi ſtudio ſemel ſeſe dederunt. Quid verò? ſi iniquum, Friſios fœdera nobiſcum ferire, cur quondam ipſi, cur majores ipſorum ſimillima nobiſcum fœdera iniverunt? cur confugium libertatis ſuæ in periculis, civitatem noſtram ſtatuerunt? Horumne negare aliquid audent? Non audent ſcio, quia publicæ in promptu tabulæ ſunt, quibus convinci poſſunt. Turpe verò, & nimiùm turpe, quorum ſocietate cum commodo tuo in periculis & malis aliis uſus ſis, eorum nomen malis periculiſque depulſis inſectari. Et quàm inane ex pactis crimen? in quo ſi quid ineſt, quod ſpeciem habere culpæ videri queat, (culpam quidem veram haud habet) id in ſocios conferri fortè poteſt, non in nos. Nam nos quidem precibus multis fatigati, & vix exorati tandem, cum damno noſtro, bono ſociorum fœdus inivimus. Illos verò quid moverit, cur nobiſcum fœdus habere tantoperè laborarent, ex his ipſorum abſentium teſtimoniis ſcriptis, quæ nobiſcum & tulimus (ſimul ea oſtendit) & voce præſentium, quos in hâc legatione nobis adjunctos videtis, virorum ſummorum cognoſcere, principes, poteſtis. Factionum ſcilicet audacium & effrenium petulantia apud eos erat in ſcenâ, omniaque nequitiæ & impietatis facinora in omnes ordines patrabat, judicia contempta jacebant, vis pro jure valebat, exultante ſcelere, gemebant boni, & ut malorum libido ferebat, æqua iniquaque patiebantur. Huic verò malo, tot jam exemplis prioribus docti, nullum ſe finem, nullum remedium conſtans & ſolidum niſi in ſocietate noſtrâ habituros eſſe rebantur. Nam ut ipſi quondam conſociationis hujuſmodi fructum ſenſerant, cùm ſimili ratione, ſed ad breve tempus, antehâc conjuncti nobiſcum eſſent, ità in quietiſſimum ſtatum & felicitatem vicinorum noſtrorum, quos eadem quondam mala antè fœdera noſtra agitaverant, intuebantur. Num igitur fas non eſt ſupplices & juſta precantes audire? ſeditiones & vim comprimere? judicia, leges, pacem conſtituere? propter quæ ipſi olim, qui hæc nunc tam acerbè traducunt & accuſant, cum iiſdem nobis fœdus expetiverunt. Quæ ſi crimina in Imperium commiſſa ſunt, quibus officiis quiſquam fidem ei præſtare, ac honorem tueri queat, quis dixerit? Nam nihil in fœdere noſtro eſſe, quod vel ipſa calumnia dicere poſſit, Imperii majeſtati adverſum, legenti eſt manifeſtum. Cætera belli facinora, quæ aſperari verbis audiſtis, ità habent, ut neſciam, an ea orationis pars reſponſum mereatur. Hi enim ipſi ſunt, qui hæc in nos dicunt, qui nos ſocioſque noſtros quietos & inermes laceſſivère injuriis, bellum ſine causâ nobis illatum propulſare armis coëgerunt. Et nunc dolore aliquo ex belli fortunâ perſtricti ultrò nos de injuriâ non verentur arceſſere. An quiſquam ſic bellum gerere poteſt, ut neminem offendat? ita Martem habere in poteſtate, gladiis eductis, ut nuſquàm exorbitet? nulli immerito dolorem faciat? id quod vos optimè tenetis principes, & cæteri hujus conſeſſus proceres ampliſſimi, qui bella ipſi geſſiſtis, aut gerendis interfuiſtis. Nulla unquam ducis prudentia, nulla induſtria, nulla ſeveritas tanta fuit, quæ hoc potuerit efficere, ut quod naturâ ſuâ noxium eſt, fieret innoxium. Et tamen hoc gloriari poſſumus Groningani, illatum ab hoſtibus bellum penè nos ſine dolore repuliſſe, victoriâque in prælio contentos, vim injuriamque à victis arcuiſſe. Sic quippè in hoc maximè bello nos ipſa monebat ratio, ut ſocietatem commendare volentes, quàm leviſſimè uteremur victoriâ. Quapropter vana confictaque putate, quæ de his ab adverſariis noſtris ſunt declamitata: nec fidem iis habete, quæ velut teſtimonia juſta audiſtis inferri. Sunt enim

nullo or-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 25 [1]

nullo ordine, nullâ juris formâ confecta; profecta ſcilicet ab inimicis, aut ab
hiſdem dictata, & apud eoſdem depoſita, nemine præſente noſtrûm. De Otto- M. CCCC.
te Langio hoc ſolùm dicere libet, talem ſe geſſiſſe in universâ hâc re, ut con- XCIV.
ductus ab inimicis noſtris, non quæſitor à Rege datus eſſe videretur. Itaque ut
nos non auſi ſumus, noſmet ei cognitioníve ejus ſubmittere, ità rogamus nunc
vos, qui hîc cognitores ſedetis, ne ſententiam ejuſce, hinc gratiâ indè odio cor-
ruptam, contra nos velîtis recipere, néve pro teſte ipſum habere, quandiu hac
culpâ ſe liberum non demonſtrârit. Camſtræo ſi quid accidit, quod nollet, ſibi
id, qui toti ſe viciniæ opponere auſus fuit, non nobis, qui ſocios & fœdus tueri
debuimus, imputare eum æquum fuerit. Snecenſes non vî metúve oppreſſi, ſed
arbitrio uſi ſuo, amotis jam procul armis, pacta nobiſcum firmàrunt: à quibus
ſine perjurio haud potuiſſe recedere, etiam vos, viri illuſtriſſimi ampliſſimíque,
exiſtimare non dubitamus. Quod reſtat, obteſtamur vos per fas, & ſalutem
Regis veſtramque, ut Snecenſes pactis ſtare, fœdus noſtrum, cujus causâ ve-
nimus hûc, ratum eſſe, & ſi quid anquirendum fortè in Friſiâ adhuc, alium ad
id pro Ottone ire jubeatis. Quæ ſi feceritis, optimè pariter & quieti patriæ
noſtræ, & imperii hujus dignitati, & invictiſſimi Cæſaris commodis con-
ſulueritis ſine controverſiâ. Nam frenum factionum fœdus eſt, & obſequii
firmamentum, & conficiendi ſine difficultate ac morâ cenſus Cæſarei me-
dium ut certum, ità & unicum. Et nos in hæc jusjurandum dare, quod po-
ſtulamur, jam nunc parati ſumus. Quæ cùm dixiſſet, eademque & alia man-
data litteris tradidiſſet conſeſſui, omnes ſunt dimiſſi. Tùm dicta ſcriptaque
ruminata, favor hûc illûc inclinatus. Deîn ſoluto conſeſſu, more aularum
ſpes venditata utriſque, reſponſum tamen tardatum. Intereà Guilhelmus gra-
tia parandæ ſolers Conradum Stutzelium Maximiliani cancellarium, VValde-
nero ſurrogatum paulò antè, alloquiis, donis, promiſſis occupat, cauſamque
homini commendat, Ottonem traducit graviter: deníque effectum dat, ut ad
dicendam cauſam ſenatus jureconſultorum, ipſo præſide Stutzelio, ſibi colle-
giſque rurſum ſit datus poſtridiè Calend. Maii. Deîn, poſtero quoque moni-
tu ejuſdem, Vitique VVolkenſtenii, quòd poſceret ſic res, Albertus Saxo,
Philippus Naſſovius, Martinus Polheimius, quorum ſumma erat apud Maxi-
milianum autoritas, ab hiſdem conventi: ipſi ab iis in ſpem magnam erecti,
imprimis à Saxone, qui redire quoque eos ad ſe, cauſamque exponere denuò
voluerat. Sed biduò pòſt, perculſi indicio, quòd audirent, in diem uſque III
Iduum Iulii Regem rem velle differre, ad quem cogitaret Trajecti ad Moſam
eſſe, ibique controverſiæ dare finem, prehenſato diligentiùs epiſcopo Brixi-
nenſi, déque re pleniùs edocto, rurſus ab eo in ſpem erecti, rurſusque paulò
pòſt contentione Ottonis & partis adverſæ omni penè ſpe ſunt dejecti. Nam-
que non alii ſolùm è ſenatu Imperii, ſed ipſe quoque Saxo, & cum eo VVir-
tembergicus ab Ottone permoti, abſente Maximiliano Rege, dirimendum
fœdus Oſtergoum cenſuerant, At nutantibus hûc illûc, & variè impulſis
procerum animis, cùm præſente jam Rege in ſenatu res repetita, accura-
tiuſque agitata fuiſſet, poſtridiè, quod erat ipſis Idibus Maii, præmoniti ma-
turè à Brixinenſi, in ſenatum vocati, Rege coram, iidem hi prolixè libereque
reſponderunt omnibus, quæ erant ab inimicis objecta. Ibi ita diluiſſe cuncta
viſi ſunt, ut inclinare in eos penè omnium animi viderentur. Igitur die poſtero
vocato concilio, perrogatis ſententiis, præeunte Saxone Alberto, ipſius voce
Regis decretum, ut ratum fœdus Groninganis & Oſtergois eſſet; ſed cautum
ſimul, ne quis enunciaret. Biduò pòſt, ipsâ ſcilicet Pentecoſtes feriâ, ſollicitis
& anxiis Groninganis, cùm ad ſe eos vocaſſent Saxo, Brixinenſis, VVolken-
ſtenius, ſi pro vobis decernat Rex, quantum Regi viciſſim dare pollicemini?
Ad quæ cùm hi vix tria millia dixiſſent, deinde Sciringii quoque tentati pro-
miſiſſent majora, multaque de vanitate Groningenſium addidiſſent, Brixi-

M. CCCC. XCIV. nenſis reverſo ad ſe Guilhelmo poſtridiè,quid vos,ait,pecuniæ tantillum in lo-
co negligere,& Regis benevolentiæ in vos tam promptæ & liberali ire obviam
neſcitis? An ignoratis principum magnorum generoſos excelſoſque animos,
etiamſi pecuniæ cupidi non ſint, aut dona captent, tamen gratitudine dele-
ctari? & liberalitatem liberalitate inter homines foveri? At ſciunt inimici ve-
ſtri,qui duplum triplumve dare parati ſunt,ſi ipſis victoribus hîc eſſe liceat. Ad
hæc, ut animos à vobis alienent, inſuſurrant multis, in promittendo vos ſo-
cioſque veſtros poſſe liberales eſſe, in præſtando haud dubiè fore nullos; (id
enim in more vobis) nec ſolùm munus non eſſe daturos, ſed tributum quoque
regium in rem veſtram verſuros; denique in pace turbundà impunitate pelle-
ctos pro libitu quoſvis ludos luſuros. Quæ quanquàm vera non credam, ta-
men curandum vobis, ne parſimoniâ intempeſtivâ apud animos multorum fi-
dem reperiant. Sic quippè hominum habet natura, ut levibus impulſa mo-
mentis, aut conjecturis commôta, facillimè obtrectationibus aſſentiatur. Ita-
que ſi me audire vultis,promiſſum augete, & non ſolùm promittere vos nôſſe,
ſed & promiſſo ſatisfacere velle demonſtrate. Quod cùm ad hanc rem in præ-
ſens neceſſarium vobis, tùm in futurum, ſi quò ſpes veſtræ tendunt longiùs,
occupandæ jam nunc gratiæ, erit utiliſſimum. Eâ oratione punctus Guilhel-
mus, quò moras tolleret, quatuor millia promiſit, & hianti epiſcopo quoque
injecit hamum. Indè digreſſus, & vergente die in aulam ad Regem venire
juſſus cum collegis legatis,cùm jam in viâ eſſet, ecce obvii fiunt Albertus Saxo,
Philippus Naſſovius, epiſcopus Brixinenſis, Vitus VVolkenſtenius, Conradus
Stutzelius cancellarius à Rege miſſi, qui, quid actum decretumque in ſenatu,
exponerent. Vt ventum in ædes, verba faciens Stutzelius: Placet, ait, Regi &
ſenatui ejus, pacis & judiciorum causâ, ut ratum vobis ſit, quod inter vos Gro-
ningani & Oſtergoi percuſſiſtis fœdus, utque in hanc rem diploma vobis de-
tur, quale petiſtis: placet item, ut privilegium, quod habetis, à majoribus ac-
ceptum, ne cui vos ad extera trahere tribunalia liceat, ſanciatur denuò, no-
voque diplomate muniatur: diplomatis utriuſque ea verba ſint, profectò per-
ampla, quæ in chartis his (eas tradebat ſimul) ipſi poteſtis legere: At poſcit
viciſſim Rex, ut quod facturos vos promiſiſtis, vos primùm hîc, eorum nomi-
ne, quorum vicem geritis, in obſequium & fidem ipſius juretis; deindè effe-
ctum detis domum reverſi, ut abſque morâ ſocii fœderis fortunis & patriâ eje-
ctos reſtituant in integrum,atque in his nominatim Camſtræi liberos,quorum
ſunt res direptæ, ærarióve aſſcriptæ, domuſque everſa; cætera quoque iidem
referant eò, ut pax & quies in gente veſtrâ, & Regi jus ac debitus honos con-
ſtet; denique omnes, qui in fœdere ſunt, quique miſêre hûc vos, in idem ob-
ſequium, eâdem ex formulâ, quâ juraturi vos eſtis hîc, apud legatos Regis do-
mi jurent. Quæ ſi placent vobis, Rex ſtatim legatos cum mandatis mittet il-
lûc, qui juramentum accipiant, decreta publicent, diplomata tradant, con-
troverſias aut componant amicè, aut ex jure cognoſcant, cæteraque, quæ
reip. bono, & honori Regis erunt, conſtituant omnia. Læti ſucceſſu hoc lega-
ti, cunctaque polliciti prolixè, actis impensè gratiis, obſequio & fide juratâ, à
Saxone reliquiſque dimiſſi ſunt. Mox cæteris pro honore civitatis, tuendâque
gratiâ expeditis, teſtimonio rei geſtæ accepto, mœrentibus adverſariis,
ovantium in morem die x Calend. Iunii Campoduno digreſſi,
quantâ poterant celeritate in patriam
contenderunt.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE
Liber XXXIV.

REVERSIS domum legatis, ſtatim in urbe Leoardiâ conventu indi- M. CCCC.
cto, in maximâ Ordinum, Oſtergoæ frequentiâ, præſentibus Gro- XCIV.
ningenſium primis, legationis eventus expoſitus: ſimul de reſtituendis
exulibus aut damno læſis actum: tributi quoque modus in legationis
ſumptus, in quatuor illa millia Regi promiſſa, in alia hujuſmodi, auri
hamos alios, in ſubſidia denique ſociorum, per VVeſtergoam commotam pe-
riclitantium, omnibus ordinibus ex æquo & bono deſcriptus, decretumque
de eo factum. Huic colligendo ipſi Oſtergoi Groninganique præfecti. Res in-
ſolita immuni in populo varie accepta. Qui in factione æſtuabant, ſine mole-
ſtiâ contulêre: quos ſtudia partium non agebant, quanquàm fœdere gaude-
rent ob quietem & conſtituta judicia, tamen aut inſolentiâ rei in gente libe-
râ, aut avaritiâ tergiverſabantur. At qui in factione erant adversâ, omne pla-
nè tributum hujuſmodi abnuebant. Quorum in numero Camſtræi, & ean-
dem cum illis fortunam paſſi, cùm reſtitutionem ab Cæſare mandatam po-
ſcerent, ne hanc quoque tam celeriter, quàm deſiderium ferebat, impetrare
potuerunt. Quæ cùm ſic haberẽt, & Groningani acerbiùs inciperent recuſan-
tes compellere, coitionibus factis, pluribuſque per totam Oſtergoam cauſæ
adjunctis legatio Sciringiorum ad Regem parata, quæ de injuriis reip. nomine
quereretur. In eam princeps ſe obtulit ipſe Renico Camſtræus Petri filius: eiq;
additi Camſtræus alter ejuſdem nominis, Taco Hemſtræus, Iello ſacerdos Rau-
verdanus eloquentiâ & doctrinâ in Friſiis eo tempore præcipuus. Hi domo pro-
fecti, Trajecti ad Moſam Maximilianum Regem aſſecuti, & hinc Graviam
Geldriæ oppidum eum comitati, illîc dicendi copiâ acceptâ, auſcultante ipſo
Rege in coronâ procerum, voce Iellonis, acerbè in totam eam ſocietatem, &
cenſum periniquum ſunt invecti: Multa dudum contra fas perpetrata à factio-
ſis, cædes factas, direptas incenſaſque ædes, prædas abactas, bonis omnibus mul-
tos exutos, reſtitui neminem, Regis voluntatem ludibrio haberi, nunc inſuper
inſueto injuſtoque tributo exhauſtum gementemque populum liberum adigi,
recuſanteſque vi, minis, armorum terrore compelli: hoc ſcilicet agi, ut fœderis
obtentu oppreſsâ libertate in imperium inſolentis ac avaræ civitatis omnes
veniant. Quod ne fiat, & quò mali tandem modus ſit, totam gentem ſuppli-
cem ad Regem confugere, unicum patronum libertatis ſuæ. Motus oratione
Rex & Camſtræi præſentiâ, ſtatim ſcribit Groninganis, intelligere ſe, inſolito
& inaudito hactenus tributo ab ipſis Oſtergoos, Imperio ſubditos gravari, ac
inuſitatis mandatis ad ſolvendum cogi: nec reſtitui in integrum læſos, atque
ita Campodunenſia conventa temni, & cauſas novis præberi tumultibus: ea
verò ſe ratione muneris ſui negligere non poſſe, atque hanc ob cauſam legatos
jam Campoduni promiſſos delegiſſe, propediem iter ingreſſuros, qui contro-
verſias omnium, qui inter Lavicam & Flevum degunt, cognoſcant, & compo-
nant, judicióve finiant, ſanatiſque incommodis firmam integramque pacem
reſtituant toti Friſiæ: mandare igitur, ut in adventum uſque eorum cenſu exi-
gendo abſtineant, nec quicquam iſtûc pertinens agant, Camſtræis, cæteriſque

M.CCCC. XCIV. domos bonaque omnia ablata reddant: ſi quid, cur id æquum non ſit, habere ſe putent, apud legatos exponant, quibus ipſe poteſtatem ſtatuendi tribuerat: denique obſequio paratos eſſe jubet. Cum his litteris, die altero ab Idibus Auguſti ſcriptis, Oſtergoos quoque de voluntate ſuâ certiores facit, & litterarum earundem exemplar ad eos mittit. Groningenſes litteris parùm turbati mo-deſtè reſpondent, oſtenduntque calumniâ ſe circumveniri ab inimicis, expoſi-taque ipsâ re, quanquàm ea iniqua non ſit, tamen ſe, ne quid in ſe reſidere ſig-nant, quod vel ſpeciem habere culpæ queat, in omnibus in obſequio Cæſaris futuros profitentur. Simul virorum prudentium more tempori parentes, facta quoque verbis æquant. Intereà in Weſtergoâ ex eodem factionúm ſtudio tu-multus rursùm orti, qui cum progreſſu aucti, Saxonas tandem velut manu du-ctos ad evertendam publicam libertatem in Friſiam attraxére. Occaſio ex iiſ-dem propinquis Iuvone Iuvingio, & Goſlico Iongamæo fuit. Hi duo malè ſartâ gratiâ, inimicis quàm amicis propiores, diverſis partium ſtudiis dediti, in eodem tamen oppido Bolſuerdiâ ſedes habebant. Goſlicus vulgi favore minor, ope Bocconis Haringæi ſororii, Bottonis Hollingii vitrici ſui, fratrum-que Hottingiorum clàm militem Friſium in arcem ſuam induxerat, portam-que arci vicinam præſidio occupaverat. Eâ commoti re, ac ſibi metuentes Iu-vo, ac frater Tiarcho, & cum his Douvo Hettingius iiſdem in partibus ſtudia habens, duas oppidi portas reliquas, & quicquid præſidiis idoneum in oppido, cum domo Iuvingiâ inſederunt. A vî tamen & injuriis temperatum utrimque. Sed creſcente diffidentiâ, & metu mutuo Goſlicus operam dedit, ut majori manu per Heronem Hottingium, & Sceltonem Liaucamam Franequeranum alterum ſororium ſuum intra mœnia inductâ, oppidum in poteſtate haberet. Quo feliciter effecto, æmuli timore perculſi, Iuvo cum oppidanorum parte Leordiam, Tiarcho in arcem ſuam Tiarcoverdiam in agro vicino, Douvo, quò commodum ipſi, clàm relicto oppido diſceſſerunt. Mox Iuvonis domus in vico Polano à Goſlico everſa funditus, arma, & quicquid iſtîc repertum, in arcem Iongamæam tranſlata, totum oppidum in poteſtatem redactum. Goſli-cani contrà à Tiarchone ex arce Tiarcoverdiâ infeſtati. Ab eodem facinus paulò pòſt commiſſum, ut VVorperius tradit, fœdum è Friſico nomine indi-gnum, ac ipſi imprimis exitioſum, Cives quippè Colonienſes homines præ-divites mercaturam factitantes, qui pecuniam in uſum ſuum in officinâ mo-netariâ Franequeranâ cudi curaverant, cùm agrum vicinum ipſius ditioni ſubjectum fortè tranſirent, pertractos in arcem Tiarcoverdiam, & criminis non probæ cuſæ monetæ inſimulatos, fretus prætoriâ, quàm gerebat apud VVonſeranos poteſtate, quaſi mulctam poſcens homines improbos, M. CC au-reis exuit: cum reliquo argento illæſos dimiſit. Eâ inſtructus pecuniâ valdè commodâ conſiliis ſuis, relicto in arce præſidio Leoardiam ad fratrem ſe con-feſtim contulit. A cujus abitu hoſtes Sciringii in eâ viciniâ gaudentes illuſtri prætextu ad concitandam plebem (maculam enim inuſtam genti per Tiarcho-nem ſpoliatis hoſpitibus dicebant) eductis Snecenſibus, Franequeranis, Bolſuer-diis voluntariis, & cæteris viribus conjunctis arcem Tiarcoverdiam invaſère, propugnante Dothiâ Doniæo, quem præſidii & arcis præfectum Tiarcho diſ-cedens reliquerat. Qui cùm videret, partem muri tormentis Franequera-nis concuſſam concidiſſe, die ſexto, ex quo obſidio cœperat (is erat XV Iu-nii) deditionem fecit. Sic ipſi cum præſidio, poteſtas quò vellet abeundi cum rebus ſuis data: arx ab iratis ſolo æquata. Eodem tempore inter Bocco-nem Haringæum Snecenſium ducem & Galamæos fratres Douvonem & Hartmannum tumultus excitatus. Bocco enim conciliatâ cum Galamæis gra-tiâ conceſſerat iis, ut Coldumi & VVarenij ſingulas arces ſui tuendi causâ excitarent, & tamen ne quid Sciringiis indè illis in locis detrimenti exiſteret ipſe validiùs caſtellum aliud in agro Geeſtano, non procul cœnobio Heme-

lumano

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

lumano, molitus eſt. Sed blanditiis Galamæorum deceptus, prolixè bene-
volentiam oſtentantium, domumque cum ſuis præmaturè reverſus, haud mul- M.CCCC.
tò pòſt opus omne imperfectum à Galamæis diſturbatum audivit. Itaque in- XCIV.
dignatus, majoribus cum copiis eôdem currens, majori etiam opere quàm
prius, locum munivit, præſidioque perpetuo, munitionibus perfectis, & Gala-
mææ factionis cervicibus impoſito, tum demùm Snecam rediit. Tùm quoque
per menſem Iulium, ut in nonnullis annalibus eſt, Harlingam oppidum non
munitum Wigerus quidam nocturnis inſidiis adortus, prædæ, vindictæque ſpe,
induſtriâ Douvonis Gerbrandæ Harlingani, cui per indicium res innotuerat,
turpiter eſt rejectus. Nec multò antè ad exitum Iunii menſis pugnantium cla-
mor & fremitus nocturnus auditus in aëre Bolſuerdianos conterruit: prodi-
gium graviſſimorum malorum, quæ ſunt ſecuta. Etenim Tiarcho cum Iuvo-
ne fratre quanquam Bolſuerdiâ pulſus, tamen multorum animos in oppido
ſibi devinctos habebat. Itaque ad hos clàm litteras mittit, ut ad inſidias, à ſe
oppido paratas, ſint arrecti: dies dicitur qui Non. Iulias ſequitur, quo Tiarcho-
nem antè lucem cum CCC armatis expectent. Fortè eâ nocte plurimi ejus
conſilii conſcii de more cum militibus Iongamæis vigilias agebant: quæ res
patrando negotio oportuna fuit. Nam hi ſub auroram militibus benignè ap-
pellatis, quaſi noctis minimum jam ſupereſſet, nec quicquam eſſet periculi,
facilè perſuadent, ut relictis ſtationibus cubilia petant. Tùm ſigno dato,
Tyarchonem cum CCC armatis ope ſociorum collectis, accelerare juſſum in
oppidum recipiunt. Cæſis primo impetu Iongamæis qui reſiſtere parabant,
nonnullis quoque captis, reliqui oppidani è lectis excîti in arcem Ionga-
mæam ſe recipiunt, & cum nobilibus qui in arce erant, Bottone Hollinga, &
Herone Hottingâ, ſe contra vim defendunt. Intereà Bocco Snecenſis cùm
captam Bolſuerdiam, arcemque in oppido obſeſſam accepiſſet, ſubitò ſe pa-
rans, cum Iuvone & Iaricho Hottingiis, Sceltone Liaucama, Aſigone Hoxu-
verio, Douvone Rodemario, conjunctis Snecenſium & Franicenſium vi-
cinæque plebis ruſticæ copiis non parvis Bolſuerdiam contendit, obſidet-
que. Qua fratris fortunâ cognitâ, Iuvo Iuvingius, & cum eo Epo Hottin-
gius alter partium dux, cujus filius in arce Iongamæâ captivus Bolſuerdiæ te-
nebatur, per litteras & nuncios, undique ſocios factionis fidei admonitos ad
ferendam opem evocant, celeriterque non contemnendas copias, in quibus
XIII è familiis nobilibus, & in his Heremæi, Decamæi, Roordæi cum omni
clientelâ, totæ viciniæ ruſticæ, conficiunt. Cum his bipartitò in hoſtem du-
cunt: ſed pars altera Scrordo veniens (altera, viâ Tiarcoverdicâ incedebat)
tentata prælii fortunâ cum Franequeranis cedentibus primùm, mox fiduciâ
auxilii Nylandiorum duce Iarichio Hottingio in prælium reverſis, & animosè
dimicantibus, victi fugatique ſunt, amiſſis nonnullis, nonnullis captis: cæteri
etiam, ſociorum fortunâ cognitâ, ſine prælio in tutum reverſi. In captorum
numero quatuor è nobilitate fuêre, Taco Herema Zumanus, alterque ejuſ-
dem familiæ & nominis, Aggone genitus, Douvo Alua, Haringus Doconius:
quorum primus in arcem Hottingiam apud Nylandos, cæteri Snecam in di-
verſas cuſtodias ducti. Hoc diſſipato exercitu, deſperatoque ſubſidio novo,
Tiarcho ſubornatis monachis Franciſcanis ejuſdem oppidi, qui intercedant,
cum aliis ex ſacerdotum ordine, ſemeſtres inducias conficit: conditiones dictæ,
ut ipſe Bolſuerdiâ relictâ Tiarcoverdiam inſtauret, ſi velit: captivi utrimque è
cuſtodiis dimittantur, fide datâ, ſi antè exitum induciarum pax non fiat, in
cuſtodias ſe redituros: cives Bolſuerdii facinorum rei ad arbitrium bonorum
hominum luant pœnas: milites Tiarchonis innoxii cum rebus ſuis oppido ex-
cedant, nec quenquam in itinere offendant, aut offendantur à quoquam.
Iis confectis rebus Goſlicus partem oppidi, quà Tiarcoverdiam itur, diligen-
tiùs munit, & præſidio firmat, ut egreſſus ingreſſuſque cum toto oppido ha-

M.CCCC. XCIV. beat in poteſtate. Sic res ad tempus ibi compoſitæ. At verò in Geeſtano agro à Galamæis inquieti ingenii viris ad initium Septembr. novæ turbæ datæ. Nam Douvo adhibito Ottone, fratris filio, domum Ielmeri Sydſmæ in vico VVarenio ſatis firmam, quem ex factione oderat & vicinum ferre non poterat, raptim clientium ſuorum & amicorum manu congregatâ cùm obſediſſet, Ielmerum, qui fortè tum domo ſuâ aberat ad conflandas copias, propulſandamque injuſtam vim excitavit. Itaque vocatis in auxilium Boccone Snecenſi, VVibone Iarichio, Leone Bonningio ſocero ſuo, atque aliis compluribus forma exercitus ab eo confecta, qui copias Galamæas numero longè anteibat. Nam Snecenſes, apud quos tum Ielmerus fortè erat, cùm de obſeſsâ conjuge ſuâ nuncium acciperet, populariter ſub ſignis exierant. Progreſſuſque animosè cum ſocero, velut de victoriâ certus, in Galamæos incurrit. Sed eventus docuit, in numero ac viribus non ſemper repoſitam eſſe victoriam. Nam colliſis aciebus poſt acre certamen, quod poſtridiè Nonar. Septembr. fuit, Ielmerus tandem cum ſuis victus graviterque vulneratus in hoſtium poteſtatem venit. Socer Leo cum compluribus cæſus. Quo prælii eventu cognito, Bocco qui in caſtello Hemelumano ſubſtiterat, Harichium ſe recepit ad Minnonem Hillemium. Sed uxor Ielmeri fœmina fortis, quamvis de caſu patris ac fortunâ mariti accepiſſet, tamen obſidionem tolerabat: donec interponentibus ſe amicis ac vicinis ſacerdotibus pax facta: leges pacis dictæ, ut captivis utrimque dimiſſis, uxor Ielmeri arce decederet cum familiâ, eamque hoſtibus permitteret. Sic Galamæi arcem traditam ſolo æquarunt, Intereà durantibus adhuc induciis Iuvingius exilii impatiens, cùm Leoardiæ vitam toleraret, recuperandæ fortunæ nova conſilia iniit. Eam ad rem operâ & induſtriâ Bocconis Ennij uſus eſt, civis Bolſuerdiani, hominis audacis, qui eandem cum eo fortunam tolerabat. Erant tum fortè recèns exautoratæ copiæ per Geldriam vagæ, quas Damus Tilius ductaverat. Id ſibi commodum ratus Iuvo ad eas conducendas Bocconem clam mittit: qui facilè perſuaſos milites ſine ſtipendio agentes, ac prædæ Friſicæ avidos cum præfecto Tilio, quantâ poteſt celeritate & ſilentio in Friſiam ducit. His conjunctus Iuvingius, cum prædâ propoſitâ animos eorum incendiſſet, nocturno itinere feſtinus Bolſuerdiam contendit, oppidumque ipſis Calendis Octobr. vî capit, adjutus ab oppidanorum nonnullis qui ſtudium partium illarum nondum exuerant. Cæſâ Iongamæorum parte, majore etiam captâ, reliqui ex oppido ſe ejecerunt: nec in patriam reverſi priùs ſunt, quàm Goſlicus auxilio Saxonum Imperium recuperavit. Ex captivis Hero Hottingius pro Goſlico abſente oppidi præſes æde Franciſcanâ extractus, intentatam cædem metuens, arcem Iongamæam dedidit cum portâ Tiarcoverdiâ, & ſolutis c c c aureis Rhenanis captivitatem ſtatim redemit. Iuvingius captâ Bolſuerdiâ, peregrino ſtipatus milite, toti viciniæ jam terribilis, Petrum Romptam cum copiarum parte in Pingumanos ad occupandam arcem Beimæam emiſit. Is eo fruſtratus conatu, ſpoliatis vicinis fanis, ædificiis crematis, omnibus obviis direptis, cum magnâ prædâ in oppidum rediit. Poſt biduum aut triduum Guilhelmo Friderico ſacerdoti, Ioanni Scaffero conſuli Groningano ſcribit Iuvingius, militem ſe Bolſuerdiæ habere: locutum ſeſe cum amicis, & ex eorum conſenſu petere, ut ipſi cum principibus ſenatus iſtius urbis agant de fœdere honeſtis ac patriæ utilibus conditionibus jungendo, quò pax & judicia æqua conſtitui ac ſervari poſſint, re omnium utiliſſimâ, imò neceſſariâ toti provinciæ: Ejuſdem ſecum ſententiæ eſſe pleroſque iſtius viciniæ in VVeſtergoâ exceptis Snecanis & Franequeranis, & proximi agri plebe: Ad hæc ſignificatum velle, ſi milite hoc uti Groninganis libeat in Snecanos aut hoſtes alios, ejus ſe copiam illis facturum conditione honeſtâ: rogare ut re deliberatâ diligenter, de voluntate & conſilio ſuo reſpondeant ſine morâ: militem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

quippè ſine impendio maximo retineri diu non poſſe : Et ſi ſenatus à fœdere M. CCCC.
forte & milite pariter ſit alienus, orare ſe, qui maxima beneficia in amicos con- XCIV.
tulerit, & ingentia impendia fecerit, atque eam ob cauſam ſolvendis militi ſti-
pendiis opis amicorum viciſſim nunc habeat opus, ut oportuno beneficio ſuc-
currere ſibi idem ſenatus non gravetur. Eo ſibi nihil aut oportuniùs aut gratiùs
accidere poſſe. Ad quæ Groningani : grata ſibi ab ipſo oblata : ſed fœdus in
tempus aliud ex commodo partis utriuſque differendum : milite etiam hoc
tempore ſe opus non habere: pecuniâ quoque deſtitui: meliùs eum hanc ab ini-
micis vicinis quæſiturum: ſtultum videri, cum viribus valeas, & petere ab hoſte
poſſis, quibus habeas opus, amicos his velle gravare, & hoſti relinquere, quo
mox contra te queat uti : à ſe intereà omnem ei benevolentiam in omnes ca-
ſus paratam fore. Hoc probato conſilio, confeſtim juſſu Iuvingii Bocco, qui
è Geldriâ copias adduxerat, cum iiſdem Worcumum profectus, captâ, direpta-
que Douvonis Haringæi arce, Sciringios eorum locorum fortunis exutos egit
in exilium. Deindè Witmarſenſibus, Pingumanis, Arumanis, omniq́ue viciniâ
graviſſimo tributo adactis, ingentem vim pecuniæ confecit. Ea militibus in ſti-
pendium data. At verò Snecenſes, omniſq́ue ager vicinus iſtorum periculo ad-
moniti, facto cum Slotenſibus Woldeſendiis atque aliis non nullis fœdere, re-
cuſato tributo vim vî propulſare ſtatuerunt, atque ita ſe munierunt, ut temerè in
eos tentare Iuvingius nihil auderet. Franequerani autem, quibus proximè im-
minere vis hoſtilis videbatur, pacto conjugali Iuvingium pacârunt. Ità enim
convênit, ut hujus filio filia Iuvonis Hottingii infenſiſſimi nuper inimici Foque-
la, autore patre, deſponderetur, additâ in dotem arce Worcumanâ: hoc pactum
utra pars non ſervaret, quinquaginta ſcutatos annuos alteri dependeret. Atque
eo modo acerbiſſimum illud inter Hottingios Iuvingiumq́ue & propinquos
ejus odium præter opinionem omnium ſopitum eſſe videbatur. Sed æquè ino-
pina mors Iuvonis Hottingii paulò pòſt ſubſecuta, turbavit rurſùm omnia, emi-
canſq́ue illa multorum bonorum ſpes velut brevis fortunæ ſerenitas inter im-
bres & procellas, inductâ nube, ſubitò evanuit. Nam Hottingii fratres quibus
fervida magis in turbas ingenia, cùm metus à milite periiſſet, virginem dare
nuptui filio acerbiſſimi hoſtis noluerunt. Ità renatum auctumq́ue odium, atque
arma reſumpta. Iuvingius recuperatâ patriâ æmulis paſſim ejectis, magnâ vî pe-
cuniæ collectâ, cùm hyems jam ſubeſſet, militem peregrinũ dimiſit circiter Cal.
Novembr. iſq́ue Friſiâ exceſſit. Prodit memoriæ Martinus Ilſtanus ter eo anno,
primùm menſis Ianuar. initio, iterùm ad VI Idus Iul. tertium ad X Calend. De-
cembr. Hegium Vicum, tertiâ noctis vigiliâ claro igne viſum ardere, vicinis ad
reſtinguendam flammam hinc illinc concurrentibus & ſpectro deluſis: Idq́ue
ab ipſo quoque ſe ſpectatum autor teſtatur. Ità per tumultus ille annus actus:
majorum turbarum principium fuit. Sed tempore eodem, quo miles à Iuvingio
dimiſſus, Gelmerus Canterus ſenatui Groningano à ſecretis, vir ſummæ doctri-
næ ac prudentiæ Arnoldo Michaëlio è ſacro ordine apud Daventrienſes, aulæ
regiæ percaro, à ſuis ad Maximilianum miſſus, qui tum in Brabantiâ conſtituen-
dis rebus filii, & populis in ejus fidem adigendis occupabatur. Cauſa mittendi
erat, ut tardata hactenus legatio in Friſiam feſtinaretur. His commiſſum urgen-
tibus, appellatis in aulâ Groningani nominis ſtudioſis, deſignati tandem
Antuverpiæ Volprechtus Tierſius canonicus Moguntinus, & Conradus Am-
pringius ex equeſtri ordine vir nobilis, uterq́ue Groninganis gratus: iiſq́ue man-
dati & poteſtatis litteræ, congruæ prioribus promiſſis, datæ pridiè Iduum No-
vembris. Sed diſceſſus ex aulâ tardatus in dies complures. Digreſſi tandem,
rectaq́; Groningam profecti, à Guilhelmo Friderico hoſpites excepti Ottonem
Langium cum Nicolao Zieglero in Friſiam reverſum, res novas illîc agitare
cognoſcunt. Ii vel occultis procerum mandatis inſtructi, vel quorundam in aulâ
freti gratiâ, quos dolor ex Groningenſium fortunâ urebat, non cum Weſtergois

M. CCCC. ſolùm, & ejuſdem factionis hominibus Oſtergois, ſed cum viciniis etiam con-
XCIV. ſilia clandeſtina coquebant, quibus decretum regium & legatorum mandata
eluderent: evocaverantque ad ſe Edſardum Ciſamaſanæ Comitem magnâ ſpe
excitatum, collocutique de variis, paulò antè ab ſe domum dimiſerant. At
M. CCCC. Volprechtus & Conradus edocti de his, & ſimul videntes ob id, quod illi lega-
XCV. tos ſe Regis ferrent, Groninganos cuncta habere ſuſpecta, jusjurandum detre-
ctare, pecuniam negare, ſine morâ quo loco res ſint, quid à Langio & Zieglero
agatur in Friſia, Maximiliano ſignificant: ipſi intereà delectos omnium Oſter-
goæ ordinum Groningam evocant: his in curiâ coactis frequenti numero, me-
dio Ianuario, anno inchoante M. CCCC. XCV, præmiſſis cæteris, exponunt
paratos ſe, præſtare omnia Campoduni decreta: monere igitur cunctos, ne
ſint ipſi in morâ, obſtentve fortunæ ſuæ, imprimis ad juramentum dicendum
ſeſe parent, principio totius rei, dein de expediundâ pecuniâ Regi promiſſâ co-
gitent, nec impediri ſe actionibus Langii & Ziegleri inanibus & frivolis
patiantur: ſenſuros brevi, quid potuerint hâc de re ad Regem ſcriptæ ipſo-
rum litteræ: ſe rebus Groningæ expeditis jurisjurandi ejuſdem causâ in Oſter-
goam cogitare. Dimiſſis Oſtergois, accepto à Rege mandato novo, ut rem ex-
pediant celerrimè, per Guilhelmum hoſpitem monent Groninganos, è reipu-
blicæ vitatis eſſe quam maximè, maturari negotium, dum benevola Regis mens, &
non alieni ſociorum animi: poſſe fieri facilè, ſi mora interveniat, ut aut Rex
obtrectatione malevolorum aulas Principum ſemper obſidente circumventus,
& VVeſtergoorum prece & comminatione aſſiduâ victus in ſententia mutet, aut
Oſtergoi, ut mobilia mortalium ingenia ſunt, leviſſimo offenſi momento, alio-
ve commoti re conſilium mutent: ſapientûm verò virorum eſſe, occaſionem
prehendere in tempore, & non committere deliberando differendoque, ut di-
cendum poſt, non putaveramus. Denique perſuadent de juramento: ſenatus-
que & delecti, & totus populus Groninganus die Calend. Februar. [illegible]
Campoduni convenerat, jurant: de pecuniâ quoque omne ſtudium polliceban-
tur. Mox rumor crebreſcit Groningæ, eſſe non paucos in Oſtergoâ, qui tribu-
tum conficiendis pro Rege quatuor Millibus etiam nunc recuſent, [illegible]
probatum à legatis: non eſſe dubium, quin in fraudem fœderis, [illegible]
Campodunenſis hoc fiat: ſic enim cogitare, quibus inviſum fœdus, [illegible]
impedito præſtari Regi & Regis promiſſa non poſſe iis ſi ſatisfactum [illegible]
diploma quoque firmando fœderi traditum non iri: ita cuncta [illegible]
inum. Hâc commoti re Groningani, conſultis legatis, die III Calend. Febr. [illegible]
bunt ad Oſtergoos, ut tributum pendant ſine morâ: ſi qui id non faciant, [illegible]
pro turbatoribus quietis & boni publici eos eſſe habituros, & pœnâ [illegible]
perſecuturos. Adjiciunt his ſuas quoque litteras legati, dictatas à Guilhelmo,
oſtenduntque ita ſentire ſe, qui tributum ſolvere non velint, hos fraudem [illegible]
ſimul & Regio decreto facere: denunciant pro eâ, quâ præditi potestate [illegible]
ut definitum ſolvant ſinguli: alioquin ad Regem ſe ſcripturos de [illegible]
pariterque de pœnâ cum Groninganis cogitaturos. Mox & per edictum [illegible]
vocant eos, Levardiæ ut adſint antè Idus Februarias, & in obſequium Regis
Imperiique jurent. [illegible] Volprechtus ſine collegâ profectus haud [illegible]
[illegible], legatum adeſſe ab Edone Iongamâ Raerdano, è primâ [illegible]
[illegible] in Oſtergoâ, [illegible] haud æquis fortunæ Groningenſium [illegible]
datum erat, Edonem cum ſociis excuſare, quod Levardiam non [illegible]
& [illegible] Groningenſium [illegible]. Reſpondit Volprechtus, [illegible]
[illegible] ſine [illegible] majeſtatis crimine [illegible]
[illegible], de quo ſecum vellent agere, venirent Levardiam [illegible]
[illegible] ſeſe ipſis [illegible]
[illegible]. At legati in [illegible], verbis [illegible]
[illegible] quidem [illegible]

non potuit. Ad quæ Edo pro ſe & ſuis, in quibus & è nobilitate aliquot, & totæ erant communitates, IIII Idus Februarij reſcribit, placere vehemen- M. CCCC. XCV. ter de loco tuto quod ſit renunciatum, ſed ejuſmodi locum non eſſe Leoar- diam vel ex iis patere, quæ legatis viris ſacris jam acciderint, imò ſcire certò, ſine periculo ſummo ire iſtûc ſibi non licere: rogare itaque Volprechtum, ut VVidumum aut Raerdam, aut Roerdahuſam, aut aliò ad diem proximum poſt idus Februar. venire cum collegâ non gravetur: ibi ſe ſuoſque adfutu- ros, & ſacramentum dicturos, queſtuſque expoſituros. Atqui hæ dum litte- ræ commeant, conventus coiit Leoardiæ omnium ordinum opinione frequen- tior: in quo à Groninganis quoque aderant ſpectatiſſimi è ſenatu ac populo. His coram, oſtenſis recitatiſque diplomatis, omnes ad ſacramentum vocat Vol- prechtus, ſed actum prætereà eo die nihil: Poſtero, qui erat alter poſt Idus Fe- bruarii, à Zierquerana præfectura, principibus Feicone Hemſtræo & Tacone Sitemâ ſacramentum dictum. Eos poſtridiè ſecuturi ſenatus populuſque Leo- ardianus, cùm jam adeſſet etiam Ampringius, priuſquàm jurarent, teſtati pu- blicè ſunt, utroque præſente legato, non eſſe mentis aut animi ſui, dicendo ſa- cramento hoc, à jure privilegiiſque civitatis prioribus vel minimùm diſcedere, neû fœderi novo ante biennium inter Groninganos Oſtergooſque jurato de- rogare quicquam, aut vim facere, imò niſi incolumi atque integro fœdere eo, atq; à Rege non reſciſſo, haud velle ſe hoc novo ſacramento teneri. Tùm com- modùm conſul Groninganus, Vultisne, Leoardii, eodem cautum modo pactis his quibus reip. noſtræ ſeorſim vos voſmet obligâſſe meminiſtis. At illi, Non vo- lumus, inquiunt: illuſtri exemplo, haud facilè mortales in eâ, cujus eos pœni- « teat, conditione manere, ſi diſcedendi ſit occaſio, minimaque ratione juſtum, « honeſtumque utili poſthabere. Eſtque tum ſtatim à Leoardiis, & poſt hos ab aliis atque aliis longo ordine juratum. Tandem & Edo Iongama, ac ejuſdem cum eo ſententiæ alii è nobilitate, fide publicâ acceptâ Leoardiam venêre, ibi- que multa cum legatis, multa cum Groninganis locuti de fœdere inviſo, de [illegible] mente de ſacramenti verbis, imprimis de tributo hoc novo, deque prio- ribus injuriis, & bis terque in rixas elati, rurſumque ſedati, maximè autem hâc [illegible] interpretatione, fœdus ad invitos non pertinere, ideoque nec vi cogi eoſ- dem ad tributum conferendum fas eſſe, ad fidem obſequiumque jurandum [illegible] deſcenderunt: ſimul polliciti quoque, vicanos ſe ſuos ad idem faciendum [illegible]. Idque Raerdæ (neſcio, an etiam locis aliis) die IX Calend. Martii ſic factum. Atque hæc omnia litteris conſignata & ad Maximilianum Regem [illegible]. Maximilianus triduò ante, ignarus adhuc horum, Hoeſdono Hollandiæ [illegible] & cæteris, quibus quoquo modo aut Volprechtus Ampringiuſque [illegible] Langium dedit XII Calend. Martii, eumque ab actione cum Comite impediri, aut Campodunenſia conventa tardari poſſent, juſſit abſtinere, & cum delectis Stringicarum partium ſine morâ recurrere in aulam. Volprechto & Ampringio ſignificat, eaſdem Langii & Ziegleri actiones, ignaro ſe inſtitutas, vehementer ſibi diſplicere: velle ideircò, ne iis moveantur, ſed operam dent, ut jurent Groningani, & quatuor millia pendant: & ſi utrumque non poſſint, hoc ſaltem efficiant, prius id de ſacramento ut expediatur: eoque facto con- [illegible] in aulam revocant. Sed hæ litteræ, ut oſtendi, venêre re jam confectâ. [illegible] verò Volprechtus collegaque traditis diplomatis, de quibus dictum [illegible] ſuprà, de pecuniâ agere ſedulò, Groninganos ſocioſque hortari, Edonem [illegible] graviter monere, oſtendere, quamvis cogi non debeant, ta- [illegible] neceſſarium eſſe hoc tempore, ſponte ut conferant, ad hæc querelas [illegible] defenſiones audire, compoſitiones tentare, factionibus reconcilian- [illegible], concordiæ publicæ reparandæ dare operam, ſed parum proficere, aliis alia [illegible] acerbiſſimo obſtante & turbante [illegible]. Qui enim in parte adverſâ erant, Groninganos & ſocios tracturos ferre

M.CCCC. haud poſſe:nec nomen ſine offenſione audire, ne actiones quidem ullas admit-
XCV. tere niſi ſartis injuriis, deniq; Regem ipſum appellare: atque illi viciſſim ſe purgare, Sciringios contrà criminari, eorum pertinaciam ſummam culpare, cognitionem deferre legatis: ſimul pecuniam promiſſam quoquo conficere modo. Inter quæ rumor rursùm ſerpere, ac ſuſpicio crebreſcere, aulæ conſilium eſſe, Edſardum Friſiis regendis imponere, aut ſi cum eo non conveniat, ad Principem exterum id deferre, Groninganos ludere; hûc litteras & colloquia Ottonis ac Edſardi pertinere ſine dubio: rumorque hic civitatem ſollicitam habere, & expediendæ pecuniæ ſtudium tardare, legatos ipſos penè facere perplexos. At Maximilianus de re geſtâ edoctus, vultu verbiſque læto quàm dolenti aut offenſo propior: cujus Cancellarius Stutzelius pridiè Calend. Martii Trajecto ad Moſam, quò tum aula redierat, ad Guilhelmum Fridericum hujuſmodi ſcripſit epiſtolam; quam quia aulam ponit ob oculos, víſum mihi verbis ipſius (ſcripta enim Latinè eſt) nullâ mutatâ ſyllabâ hîc inſerere: *Poſt ſui commendationem, ſalutem cum omnis boni incremento. Spectabilis Domine, & fautor colende, gaudeo mihi, plurimùm etiam gratulor Groningenſibus, quòd homagium per eos & Oſtergovienſes Regijs oratoribus, nomine Regiæ Majeſtatis, factum eſt. Eam rem Regia Majeſtas gratioſo animo plurimùm gratanter cum ſingulari clementiâ & benevolentiâ, quibus parti veſtræ afficitur, acceptavit. Et ſub fiduciâ meæ perſonæ in fidei verbo credatur, nihil earum rerum, quod Rex velit Comiti in Friſiâ vel partem Friſiæ, nec totum in feudum dare, ſed penes ſe & Imperium totum retinere, nec Rex poſſet aliquem de his de novo infeudare abſque conſenſu capituli Principum Electorum; nec audimus verbum de eo negotio. Ego & alij fautores reipub. Groningenſis conabimur pro confirmatione tractatus in Kempten. Dignetur itaque dominatio veſtra ad hoc laborare, quòd his ipſis fautoribus & mihi promiſſum adimpleatur: Erimus grati ad compenſandum, & pro dominatione veſtra deſervire ſtudebimus. Date præterea operam, ut oratores veſtri mittantur: Rex componet omnia jurgia, lites, & diſſenſiones inter Groningenſes & Weſtergovienſes ac Sibenwalden amiciſſimè, & ſpero in commodum partis veſtræ. Valete, & me commendatum habete. Datum raptim die ultima Febr. in Maſtricht, anno* LXXXXV.

Pecuniam meam date domino Arnoldo, ut mihi præſentet, vel, ſi placet, communi procuratori noſtro.

Nec moveant vos practicæ Ottonis de Langen, quia autoritas ſua penes Regem modica eſt: nihil proficiet: revocatus eſt, nec ampliùs debet quicquam agere in Weſtergoe, & Sibenwalden. Sic intelligetis ex ſcriptis ad oratores noſtros, & ad magiſtrum Arnoldum factis. Agite, quòd oratores noſtri citiùs remittantur.

Conradus Stutzel de Buchen, Doctor & miles, regius Cancellarius,

p. m. ſ.

His litteris civitas non recreata modò, ſed quoque in majorem ſublata ſpem. Et quia legati fiduciam ejus verterant in ſe, actum cum his de fœderis bono; conſtitutâque re, confecta formula eſt à Guilhelmo delineata, quam in aulam reverſi curarent manu ſigilloque Regis probari. Cujus hæc erat ſententia: *Primùm rata eſſent à legatis his acta per Friſiam in causâ commiſſâ: deindè Oſtergois liceret, finito fœderis hujuſce tempore, ſi qui vellent ſponte ſuâ, ſine vi terrorève, vel fœdus idem prorogare cum Groninganis, vel aliud huic ſimile percutere: cúmque agendum hâc de re, ut valeret id, quod pars cenſeret major, eóque tenerentur etiam cæteri: omnia hæc ſalvo Imperij & Imperatoris jure.* Poſt quæ, deſperatâ jam reconciliatione partium, tentatis fruſtrà omnibus, legati probè inſtructi, multaque de ſe polliciti, tandem Groningâ ad Maximilianum Regem ierunt. Eos Langius etiam ſecutus, præſtolatuſque diu Davētriæ Sciringicarum partium delectos ad Regem ſecum ituros, tandem cùm nemo veniret, ſolus gemens & fremens, eôdem perrexit. Ab horum diſceſſu novus rumor diſparſus, Georgium Thorenium Baronem cum milite in Friſiam cogitare ad reſtituendos Goſlicum Iongamæum & extorres cæteros, eamque rem ad Albertum Saxonem pertinere, principem potentem & bello

promptum,

promptum, ad quem conſtabat, Goſlicum fugientem ſe contuliſſe. Gronin- M. CCCC: gani ut audierunt, vix credere rumori ob benevolentiam principis in ſe Cam- XCV. poduni perſpectam, nec tamen negligendum putare: inſitam quippè principibus cunctis regnandi cupidinem, augendæ potentiæ ſtudium penè inſatiabile: ad hoc jactatam hujuſmodi rem palam à Langio jam ante annum, certè non ſine conſcientiâ Regis: eam injectam ſpem, illectam occaſione poſſe vel bonum ac rectum animum pervertere. Sed propior tamen, & major iis cura Edſardus, princeps finitimus, vafer, acer, intrepidus, potentiæ & gloriæ juxtà avidus. Cæterùm Iuvingius & frater, & qui alii in factione erant per VVeſtergoam, quantò periculis viciniores, tantò quoque magis rumore ab Alberto commoveri, metiri vires ſuas, ſubſidia maturè circumſpicere, denique ad Groninganos legatos mittere, qui fœdus cum iis jungerent. Miſſi duo, Bolſuerdianus alter, alter VVorcumanus, uterque oppidi ſui conſul. Sed Groningani, legatis auditis, perplexi hæsère. Suadebant multa, augendæ potentiæ cupido & ſpes, partium ſtudium, fortuna utrorumque communis, amicitia & promiſſa priora; nec poſſe iſtic opprimi Vetcoperos, quin ſimul peſſum eat cum Oſtergois facta conjunctio: Sed ex adverſo ſtabat formido offenſæ regiæ, quæ ſi exarſiſſet, actum de fœdere, actum de privilegiis, actum de totâ fortunâ civitatis verebantur. Ad hæc dicebant, quibus ab hoc conſilio aliena mens, videndum nobis, ne calumniæ fidem faciamus, jactatæ dudum in nos, quaſi imperium Friſiæ affectantes: cavendum ne bona noſtra cum aliorum malis temerè miſceamus, aut ita incrementa quæramus, ut ſimul omnia, quæ habemus, mittamus in diſcrimen, certaque cum incertis perdamus. Quòd ſi Alberti negotium ſit, de quo fama loquitur, non ejus ſolùm opes maximas & multorum propinquorum, ſed Burgundi quoque vim, & Maximiliani patris potentiam eſſe metuendam: horum namque cohærere conſilia: Inſipientium eſſe, & ad interitum currentium, qui, pacatis cùm vivere liceat, ad bellum feſtinent: id enim ſuſcipi facilè cùm velis, ſuſceptum geri oportere ſæpè, etiam cum nolis, aut ad arbitrium infenſi iniquique hoſtis deponi. Sed vicit demum id, quod Guilhelmo Friderico placebat, apud quem fiducia gratiæ in aulâ prævalebat. Et queritur Sicco Beninga, ſcriptor prudens & fidus, & illis temporibus florens, ambitionem tùm validam in civitate fuiſſe; eam ultra fortunæ ſuæ teminos cives tendere coëgiſſe, & in graviſſima pericula ac damna longè maxima præcipitaſſe. Tùm conditiones ſcriptæ, quæ ſi placerent Weſtergois, nec Oſtergois ſocijs diſplicerent, fœdus feriretur. Earum ſententia fuit: *Ictum inter Groninganos & Oſtergoos fœdus conſervator, & à ſocijs novis Weſtergois pro viribus firmator, promovetórque: Goſlicus Iongamæus, exuléſque alij eorum locorum ſine diſcrimine in patriam redeunto pacati, ſuáque ſine injuriâ ac vi recuperanto ſtatim poſt ſignatum fœdus hoc, ſi modò eidem fœderi etiam ipſi ſubſcribere, & ſigna ſua reliquorum ſignis adjicere volent; lites cum parte adverſâ ſine vi, ſolo jure diſceptanto; contra delinquentes* D *aureos Rhenanos pœnam pro delicto pendunto, cum quadruplo mulctæ legitimæ: oppidis & agris omnibus novorum ſociorum jura ſolitâ cum libertate integra conſtanto, quæ capitibus huiuſce fœderis non ſunt contraria. Tùm multa conſimilia fœderi Oſtergoo de coërcendis maleficijs. Factionum causâ è patriâ proficiſcens ſcutatos reipubl. pendito* C. *Groningenſes & ſocij Weſtergoi contra vim ſibi mutuo auxilio ſunto ſummis viribus, pœnáſque ab hoſtibus poſcunto: Diſſidentibus pacem edicito & vim vetato magiſtratus inferior ſuo quiſque loco in Weſtergoâ more ſolito, & edicti violati pœnam ſolus capito: ſi poteſtatis majoris edicto fuerit opus, præfectus Groninganus apud Leoardios appellator, iſque edicito, & mulctam, ſi qua inde proveniet, Groningani habento. Iiſdem ius eſto eas, quæ liquidæ erunt mulctæ, mandatis prætorijs more ſuo exigere: ab omnium ſententijs, item proſcriptionum decretis, iniurijs cæteris, quæ æſtimatione aureos Rhenanos* C *excedent, provocatio ad civitatem Groninganam, & hos eoſdem eius ſocios, cùm conventum agent, eſto intra diem* X, *teſtimoniúmque provocationis à Gronin-*

M.CCCC. XCV. *ganis, aut præfectò eorum apud Leoardios petitor: temerè provocâſſe judicatus, ijſdem Groninganis* V *aureos Rhenenſes luito. De provocatione cognoſcunto conventus juridici, quos conficient Groningani & omnes ſocij: ij quotannis coëunto ſemel ad diem* I I I *Iduum Maij, vel Groningæ vel Collumi. De minore injuriâ aut læſione infra aureos* C *appellator civitatis proximæ ſenatus à tribunalibus inferioribus. Ad conventus hos juridicos veniunto ipſi omnes, qui in judicatu erant, & cum fide de criminibus, mulctis, rebus omnibus ad conventus referunto: qui venire non poterunt, ſcribunto: diſſimulantes aliquid tantundem pendunto reip. quantum debebit reus pendere: idque reus pendito nihilominùs. Si quid non ſatis planum in his fœderis tabulis, id in proximo quoque conventu, qui vel judicij vel reip. causâ coibit, explanator: explanatio non minùs rata eſto quàm ipſum fœdus. Conventuum indictio cum mandandi poteſtate Groningenſium eſto. Controverſias quiſque ſuas cum Principibus externis enatas ante fœdus hoc percuſſum, ipſe finito ſine onere ſociorum. De omnibus, quæ patrata vi, ſi deferantur querelæ, Groninganis judicium eſto quovis tempore. Iudices inferiores ceſſantes, ad officium compelluntor, & pœnis conſtringuntor à Groninganis. Mulctæ omnes in his tabulis non expreſſæ, mediæ Groningenſibus cedunto: aggerum controverſiæ inter Weſtergoos ab ijſdem Groninganis & ipſis eorum ſocijs definiuntor.* Cum his conditionibus die I I I Iduum Martii legati domum remiſſi. Quibus profectis Guilhelmus Fridericus amiciſſimis ab Edſardo litteris evocatus ad X V Calend. Aprilium cum Hiccone Cankenio Dornumano in vico Oterdumeo in colloquio fuit de re, ut eſt in litteris Edſardi, momenti maximi, ad Edſardum, ſenatumque Groninganum pertinente. Sed quæ res ea fuerit, nuſquam legi. Credo de gubernatione Friſiæ fuiſſe; de quâ pars utraque ab Alberto Saxone & Philippo Burgundo Maximiliani filio ſibi metuebant. VVeſtergoi cùm leges fœderis Bolſuerdiæ legiſſent, ubi tum Iuvo Iuvingius, Tiarcho VValtha, Douvo, Hartmannus, Otto Galamæi, legati VVorcumani, Staverani, Hindelopii, ipſi Bolſuerdii, delecti ex agro permulti aderant, re bene deliberatâ, placuit legibus his fœdus feriri, ſed addi pauca, quò res omnis eſſet certior: imprimis hæc: Si Goſlicus & exules cæteri, ante Calendas Majas domum non redirent, fœderique ſubſcriberent, Groninganis fas non eſſet eos poſt in fœdus recipere, niſi ex conſilio conſenſuque ſociorum: appellationes in cauſis, quæ C aureos pretio non æquant, ſic intelligerentur, ſi res aureos X X excederent: deque his non aliæ civitates quàm Bolſuerdia, VVorcumum, Stavera, Hindelopa appellarentur: ab his quod pronunciaretur, non minùs eſſet firmum, ac ſi ab ipſo eſſet Rege vel Cæſare definitum. Quibus jam ſcriptis ſignatiſque, paulò pòſt etiam hæc diſpuncta, & in leges Groningâ miſſas conſenſum ſimpliciter. Id fuit Calendas Aprilis die V I I. Cum hàc conſenſione ſcriptâ, multorumque manibus ac ſigillis fultâ, conſul Bolſuerdianus Groningam remiſſus, qui peteret diem feriundo fœderi dici Leoardiæ. Groningani eâ acceptâ, inſpectaque ſyngraphâ, gaudere quidem, ſed curâ ſimul pergravi angi, atque idcirco moras nectere, diem dicere V Idus Maii, ſperare, intereà & in aulâ ſucceſſura ſibi negotia legatorum fide, & de Thorenio quid ſit, id ſe manifeſtaturum: verùm abdere hoc, cauſaſque alias prætexere: polliceri, ad eum diem non ſuo ſolùm, ſed & ſpectatiſſimos quoſque Oſtergoos fœderi iciundo adfuturos: hoc quoque addere, ſi poſtulatura neceſſitas ſit, contra imminentem peregrinam vim militem ſcribere, priuſquàm feriatur fœdus, eumque in præſidiis habere, ſibi curæ fore, ut pecuniæ ſubſidio in ſtipendia ipſis ſuccurratur. At cùm dies dicta veniſſet, quamquàm intermortuus jam de Thorenio eſſet rumor, nec è comitiis, aut aulâ afferretur quicquam, quod impediendæ rei videretur, tamen nova rurſus interpoſita dilatio fuit. Eo tempore Maximilianus Rex, vocatis ad comitia omnibus Imperii ordinibus in urbem VVormaciam, de firmandâ per Germaniam pace, de conſtituendo ſupremo in Imperio judicio, de ferendis auxiliis in Turcam,

de reprimendis Caroli VIII Gallorum Regis armis, qui in Italiam tranſierat,
imperii civitates liberas in eâ regione invaſerat, protriveratque, Neapolim, & M.CCCC.
totum regnum Neapolitanum occupaverat, reditumque jam parare, ac am- XCIV.
pliora moliri ferebatur, cum iis qui advenerant principibus ac legatis delibera-
bat. Sed dum deliberat ipſe, dum quoſdam principum tardiùs venientes expe-
ctat, dum molitur, armaque parat, Carolus, nequicquàm obſiſtentibus Vene-
tis, cæteriſque Italiæ principibus ad Alpes cum exercitu reverſus inter infeſtos
& iter morari cupientes Helvetios in regnum ſuum rediit, relicto ad novi regni
occupati præſidium cum non invalidis copiis duce Mompenſerio principe cla-
riſſimo è familiâ Borboniâ. Ad hæc comitia, quæ quidem rara principio, pòſt
fuere frequentiſſima, Maximilianus inſtinctu Langij à Bertholdo præſide Mo-
guntino perſuaſus, multa à Groninganis violenter fieri in Friſiâ, quæ evertendæ
libertati fortiſſimæ ac clariſſimæ gentis eſſent, idque non ſolùm iniquum, ſed &
reip. Chriſtianæ eſſe damnoſum, hoc, inquam, perſuaſus Rex, Friſios quoque
juſſerat adeſſe, ut cauſam ſuam iſtic illuſtri in conventu principum expone-
rent, ſimulque conſilio ſuo communem remp. adjuvarent: dederatque hâc de
re VVeſtergois inſcriptas litteras ad Ottonem Langium Daventriæ adhuc eo
tempore morantem: qui cùm in Friſiam eas mitteret, ſuas etiam ipſe his adjun-
xerat, hortatuſq; omnes erat, ut ſi ſuam ipſi rem neglectam non vellent, ad co-
mitia ſe conferre, & occaſionem pulcherrimam occupare maturarent. Sed is
erat ſtatus domi apud Weſtergoos & Sylveſtres, tanta tamque varia animorum
diſſenſio, ſimultas, odia, acerba factionum ſtudia, & quædam velut deſperatio,
ut inania Langij monita locum apud eos non habuerint. Groningenſium &
ſociorum legatus (nam hi Arnoldum Michaëlium Daventrienſem, de quo dixi
priùs, miſerant) id in occaſionem vertens, ſtudio, fide, obſequio ſuorum prædica-
to, Sciringiis in diverſum traductis, inquietis, ſeditioſis, æqua & juſta ferre neſciis,
apud Regem, principes, cæteros ordines cauſam commiſſam diligẽter agebat.
Intereà Langius ipſe Wormaciam profectus, Moguntinum rursùs accendit,
eoque impulit, ut hæſitantis, adeoque miſeriâ ac inopiâ conſilii ſtupentis populi
ſuſcipiendum ſibi patrocinium arbitraretur. Itaque ne admiſſo quidem Ar-
noldo, colloquii copiam ad purgandos ſuos petente, ferventiùs penè quam par
erat, in causâ verſabatur: ſed quòd nemo adeſſet, qui mandata à VVeſtergois,
& totâ factione Sciringiâ habere ſe profiteretur, Langioque fidendum multi
non putarent, de ſuâ exiſtimatione commodoque magis quàm de re populi ſol-
licito, ſtudium ejus inane fuit. Quocircà æſtuans Langius, & conſilii penè inops,
comparatâ cum præſule re, quaſi jubente eo, ipſis Non. Iunii nuncium quàm
ocyſſimè mittit in Friſiam: per eum prolixè factioni ſcribit, ſtudium præſulis, fi-
dem ſuam, occaſionem maximam memorans, ſi velint viri eſſe, & Wormaciam
legatos virtute & fortunâ ſpectabiles mittere, querelaſque liberè apud Regem
& principes expromere, & plenam libertatem ac honorem gentis contra Gro-
ninganos repetere, haud dubitaturum ſe de ſucceſſu: Regis animum ſcire ſe, li-
bertati favere: præſulem Moguntinum polliceri, aures ſe clauſurum adverſariis,
quoàd de ipſorum aliquid voluntate cognoſcat: aut hoc eſſe tempus, quo re-
ſtitui in integrum queant, aut nullum fore: denique omnes ſuadendi machinas
adhibet, ut hoc iis perſuadeat. Sed vana omnia, & ſurdis cantata. Itaque abjecta
à Moguntino res, ſpretuſq; Langius: & ſermo vulgò ſparſus, ſubjectus ab æmu-
lis, non pro libertate gentis, ſed pro auro à Snecenſibus promiſſo, proque acer-
biſſimo in Groninganos odio, à quibus contemptum ſe dolebat, pugnâſſe eum,
& tantos excitâſſe pulveres. Tum quatuor Millium promiſſio à Groninganis
ſolenniter renovata; paulò pòſt integra ſumma cum auctario ſoluta: purpuratis
quoque delibutæ manus: gratiæ aulicæ ſol, obtrectationum nebulis ob-
ſcuratus, refulgere viſus: res in hiſce Friſiæ oris parvo
tempore quieti relicta.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XXXV.

M.CCCC. XCV. HOc modo in occiduis Friſiæ partibus dum linguâ & ſtilo confligitur, ac velut togatum bellum geritur, in oriente gravis armorum tempeſtas Edſardo eſt conflata. Fa res & magna & poſteris obſcura paulò altius repetenda. Eſenæ tùm dominabatur Hero Sibonis filius, de quo ſæpè jam dictum. Is ferox naturâ, ambitioſus, potentiæ cupidus, audax, jus injuriam juxtà habens, nihil iniquum æſtimans, quo ſuas res poſſet augere, ſed ſimulator egregius cùm opus eſſet, parentis virtutes fingere, fidem ſibi facere gnarus. Huic pater moriens, ut oſtendi prius, teſtamento mandârat, Eſenam ut divideret cum fratribus, aut communem haberet, ejùſque nomine in fide obſequioque hæredum Vlrici eſſet. Deinde adulto Hero Mauricius Dornumanus tutor, ſepoſitâ lite ſuâ de VVitmundâ, æqui plus ſatis ſervans, ut longiſſimè à crimine iniquæ tutelæ abeſſe ſe demonſtraret, cuncta, ut acceperat, reſtituerat. Arce tamen decedens, advocatis teſtibus oſtenderat eidem, quod ſuum & ſuorum jus, quæ Sibonis promiſſa, quæ jam facultas ſibi, qui monitus amicorum: *ſed ſibi inſitum eſſe, malle minus prudentem, quàm non ſatis juſtum aut fidelem videri*: tradere itaque arcem, & cætera fidei commiſſa ſuæ, ſed monere pariter, daret ipſe operam viciſſim, ut cum bono ſimiliter etiam ageret benè. At ille in poſſeſſionem miſſus, quamquàm pollicitus eſſet prolixè, haud aliud minùs, quam de reſtituendâ re, aut æquâ tranſactione cogitavit. Deinde judicio poſtulatus, ad annum à Chriſto in terris nato M.CCCC. LXXXIV, velut efferatus injuriâ in reliquas etiam Cankeniorum res per Harlingiam Harpyæ in morem involavit. Ita ceu alea jacta ulterioribus ſe, ſuſtinendæ vicinorum inimicitiæ, paravit. Nam in Dornumanis totam lædi Vlrici domum ipſe non neſciebat: factusque impunitate primâ audacior, cùm Thedam anum, liberos ejus vixdum ætate maturos temneret, multa animo concipere, omnia deſiderio ſuo non congrua iniqua cenſere, in primis patris teſtamento iraſci, injuſtum dicere: ſeſéne Vlrico fratri ſemiſſem hæreditatis cedere, quæ nec matris ejus, nec ipſius quoque patris fuiſſet? Ennonis aut Edſardi, quorum hominum? quâ nobilitate fulgentium? imperium agnoſcere? clientelam profiteri? in verba factaque jurare, cui libero, & ſui eſſe juris, ac dominum non miniſtrum agere liceat? Nam jus ſi ſpectes, matris ſuæ Eſenam fuiſſe ex patre, Foelquam & VVibetum aviam & proavum, quod ipſorum non fuerit, id rectè donare Vlrico, Vlricum porrò in patrem Sibonem conferre, hunc diſponere de rebus non ſuis, hæredem liberum clientelâ gravare non potuiſſe. Poſt illuſtri matrimonio auctus, ductâ in matrimonium Armgardi Ioannis Oldenb. Comitis ſorore germanâ, majores etiam è natalibus uxoris ſpiritus ceperat, liberoſque Vlrici cum Thedâ matre ſpernebat. Atque in hæc ſuopte ingenio pronum Edo Ieveranus ſororius magis etiam incitabat, cui idem ſenſus, eadem conſilia, cum domo Vlrici, & ordinibus aliis nihil commune habere, ſibi dominatum proprium ſtruere. Itaque hi duo communicatis inter ſe conſiliis omnem Harlingiam, Oſtringiam, VVangriam, Ruſtriam uſq; in Iadam

à reliquo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

à reliquo reip. ejus corpore avellere contra decretum Cæſaris, ſeque dominos M.CCCC.
iis imponere ſtatuerunt. Eum in finem nobilitatem reliquam eorum loco- XCV.
rum, totumque populum blandè & benignè habere, Ennonem nuper, poſt
Edſardum traducere, de ſe plurima promittere, multos in obſequium & aſ-
ſenſum pellicere, quoſdam metu circumſcribere. Sed erant in nobilitate, qui
quos pares gradu habebant, hos dominos aſpernarentur, ſtatuerentque ma-
joribus parere, & rempub. communem colere, & Cæſaris decretum ſequi,
honeſtius, utilius, tutius eſſe. In his Ico Cnipenſis princeps erat, ſecutusque
eum Folefus Inhuſanus avunculo ejus natus, & Edo Godenſis, & hujus frater
Hicco Werdumanus, & N. Folkershuſius. Sed hi obſeſſi undique, invalidi,
disjuncti à cæteris, ab Herone facilè metu oppreſſi. Cæteros cum minis pro-
miſſisque movere non poſſent, fidentes munitionibus ſuis, & Edſardi auxiliis,
viderentque ſuâ vi operam ſe luſuros, cum Henrico epiſcopo Monaſterienſi, M.CCCC.
firmandi ſui causâ, tacitè fœdus junxêre: Cum Oldenburgico etiam clàm con- XCIV.
venere, qui pactorum causâ fœdus ferire non audebat, ut ſine fœdere partes
occultis ſubſidiis fulciret. Iis confectis Iconem & Folefum inſidiis excipere
conſtituunt. *Verùm nequid improbè facere viderentur, ut eſt humani ingenij mos,*
quod in ipsâ malitiâ boni ſpeciem quærit, compoſitò argumento maturè ſe præmuniunt.
Nam Ieveranus Inhuſanum turpium rerum, in primis furti, poſitarum-
que ſibi in ſororis nuptiis inſidiarum inſimulatum, corrupto ejus ſatellite,
& inſignis argumenti in innocentem concinnatâ fabulâ, convivantem for-
tè apud ſacerdotem Accumanum, cum manu ſatellitum repentè advolans
concubiâ nocte in poteſtatem redigit, vinctumque & Feduverdiæ proxi-
mo in pago coram delectis perfidiæ accuſatum Inhuſam ſecum trahit, &
minis adigit, ut arcem aperiri jubeat: id ſi faciat, contentum aggere ſo-
lùm pro ponte inſtituto, quâ arx aditur, cætera ſtatim ſe redditurum, &
vinculis liberatum. Sed admiſſus aperiente Tadichio ſororio Folefi, ejura-
re fidem Edſardi, ſibi ſacramentum dicere vinctum poſcit, recuſantem
minis territat, indicium ſimulans arculas ejus omnes excutit, invenit aut
invenire ſe fingit, indices comparatæ cum Edſardo rei, paratæque fraudis
litteras. Tùm velut ardeſcens irâ & verbis in captivum ſæviens, arcem
ſtatim exarmat, foſſas complet, captivum Ieveram ſecum vehit, & ne pa-
rum clemens videri poſſet, velut amicorum precibus cedens liberæ cuſto-
diæ in oppido relinquit, reverà cuſtodibus ſepit, ut tædio frangat, quem
minis invictum ſentiebat. Non multò pòſt Ieveram cùm veniſſet Bindele-
fa, captivi amita, Iconis parens, ut cum Edone de liberando Folefo age-
ret, ipſa quoque velut linguæ intemperans cuſtodiæ data fuit. Ico de re cer-
tior factus, queſtus de injuriâ, parumque proficiens, tandem fide publicâ
ab Edone acceptâ, purgandæ causâ matris, ſimul ut pro Folefo interce-
deret, eôdem proficiſcitur. Eo eventu votis ſuis apto gaudens in ſinu Ie-
veranus nec dimittit Bindelefam, & Iconem in Folefi causâ ambiguis ſer-
monibus differt, interimque ſollicitat in partes ſuas, in omnem ſe formam
vertit: ſimul clàm Heroni Eſenſi, quo loco res ſit, perſcribit, & quid fieri ve-
lit, oſtendit: ſibi ob fidem datam non integrum eſſe, in cuſtodiâ Iconem re-
tinere, ipſius caſſibus hanc prædam deberi. Tùm inſidiis jam paratis reſpon-
det, fruſtrà agi omnia, nî ſacramento mutato Edſardi partes ambo relinquant;
itaque per ſe diſcedere ei licere. Cumque abeuntem ad eum uſque locum
deduxiſſet, ubi molas aquæ verſant, en, inquit, fidem, quam dedi, ſervavi ti-
bi, cætera tu videris, præſtare non eſt meum; regrediensque, ſeptum viæ il-
lic in oppidi aditu impoſitum poſt tergum abeuntis claudit. Ille vix ad ſtadii
medium progreſſus, iſtîc, ubi jam ſupplicii locus, in Eſenſem repentè ex inſi-
diis provolantem cum expeditis inopinus incidit, fruſtraque fidem implorans,
& vim fieri ſibi publicâ in viâ in libero commeatu vociferans, facinusque

compoſi-

M.CCCC.XCV. compoſitum deteſtans, Witmundam abducitur. Ità circumvento & in anguſtias redacto conditio lata, ut vel ab Edſardo decederet, vel Cnipenam fratri Edoni reſtitueret, cujus matris quondam fuiſſet: deîn & minæ additæ: demùm labans animo, coactus eſt præſidiariis deditionem imperare: ſed ab his contemptus, quod vinctum ſui juris eſſe negarent, propereque abſcedere cum comitibus, aut vim tormentaque expectare juſſus. Tùm verò irâ perciti inimici, qui ex compoſito id agi rebantur, furere in inermem, trepidum, ſupplicem, conſilii æquè ac auxilii ignarum, mox retractum VVitmundam tetro carcere claudere, & quaſi id ſatis non eſſet, compedibus gravibus injectis, plumboque liquido in ſeras compedum infuſo, ſpem dimiſſionis omnem infelici præſcindere. His de rebus per amicos Edſardus certior factus Haronem Vterſtewerium avunculo Folefinatum, & Vdonem Coldenburgium, quanto poteſt ſilentio, copiis haud magnis inſtruit. Ii Ieveram celeriter profecti, adſcitis etiam Senguerdiis, qui in ditione Inhuſanâ ſunt, ad hanc rem alacribus & arrectis, nocte concubiâ, in oppidum tenuiter tum munitum penetrantes, Folefum cuſtodiâ educunt, raptimque Cnipenâ viſitatâ, rebusque illic conſtitutis Auricam cum eodem contendunt. Edſardus re cum Folefo deliberatâ, ſine morâ eum in Belgicum mittit ad Nitardum Foxum Francum, militari gloria florentem è diſciplinâ Alberti Saxonis, ſub quo diuturna ſtipendia in bellis Belgicis fecerat, & tum confecto bello veteranas cohortes ſine ſtipendiis ad fines Belgici ſpe majorum motuum circumducebat, ut eum cum copiis in Friſiam adducat. Ipſe intereà delectu ſuorum habito ex promptiſſimis quibuſque exercitum conficit, ut quiſque paratus erat, Riſpelam pagum Ieveranis finitimum coire jubet, illîc ſtativa ad dies aliquot habet, rebus neceſſariis ſe inſtruit. Quæ cùm Ieveranus audiſſet ex conſcientiâ facinoris ſibi timens, Wangros ſuos, Ruſtros, Oſtringios ad arma cogit, Heronem ſine morâ auxilia poſcit: ſimul legatos è ſacro ordine mittit ad Edſardum, percontatum, quo animo is ſit, quid ſibi cogendo exercitu velit. Quibus Edſardus ſolùm reddit, eo ſe eſſe in Edonem animo, quo ille mereatur: reliqua brevi ſcuſurum. Mox ut aditus in regionem hoſtilem occuparet, eo loco, quem Vpſlotum vocant, (anguſtus & longus trames eſt, ſoli firmi, ſabuloſi, aquâ ferè tecti, quem utrinque profundæ uligines paluſtres, in longum porrectæ ſpacium, velut munitio à natura contra incurſus hoſtiles illâ parte regioni objectæ, quo ſolo aditus in regionem illic aperitur) exercitum in hoſticum traducit: in quo exercitu aliquot peditum armatorum millia, equites centum ſupra mille optimè inſtructi fuiſſe dicuntur, omnes mirifico in comitem ſtudio, cujus fortunam ſuam injuriam putabant. Caſtra prima ad Borkelam in ericeto collocata, mileſque prædæ cauſa per Wangriam effuſus. Poſtridiè cùm miles rediſſet, motis caſtris Oſtringoveldam verſus, fanum monaſticum iis locis magnificentiſſimum & celeberrimum, in conſpectu Ieveræ agmen ductum, atque inde viâ latâ ad ipſum oppidum directum. Quâ re, quæ præter opinionem accidebat (nam populatione contentum ad ſua rediturum hoſtem arbitrabantur) propè conſternati Edo & Hero, qui vires ſuas conjunxerant, locoque idoneo, haud procul oppido, jacto vallo militari contra incurſum hoſtium conſederant, ac velut aliquid auſuri, eductis in apertum campum copiis, ubi patibulum puniendis ſontibus jam eſt, aciem oſtentaverant, trepidè intra vallum copias reducunt. Edſardus rectà in eos tendens, cum munitione defendi à fronte videret, converſo leniter in occidentem agmine, patibuloque ad lævam relicto, eum locum occupat, unde intra vallum è latere tormentis fulminare in confertos hæſitanteſque, & ſine ordine concurſantes poterat. Quâ ratione cùm VVangrorum aliquem numerum, plures Harlingiorum confeciſſet, hi nequicquàm retinente Herone diverſâ parte è caſtris erumpunt, in fugam ſe effundunt, domum repetunt. Secutique VVangri & cæteri omnes contempto du-

cum im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.CCCC. XCV.

cum imperio, fugâ fœdâ factâ, vallum deſertum, cuncta trepidiſſimè adminiſtrata: DC ægrè ex omni numero, qui cæteris audaciâ præſtabant, in arcem vicinam oppidi ab Edone ſubitò miſſi præſidii causâ: uxor Edonis Witmundam traducta. Edſardus, viâ patefactâ, ſine morâ progreſſus caſtra ad obſidendam Ieveram communit biduò antè eum diem, qui Spiritui S. in apoſtolos effuſo ſacer eſt, cùm annus Chriſtianus flueret XCX poſt M.CCCC. Interea Foleſus, qui cum Foxo ac Slenitio (is alter præfectus militaris) copiiſque militum jam advenerat, ab Edſardo copiam ſibi fieri petit excurrendi in Harlingios, & Heronis res affligendi: id enim avebant milites prædarum avidi: nec Hero indignus caſtigatione putabatur. Sed Comes præfervidum hoc conſilium exiſtimans, & populo potiùs affligendo quàm Heronis ferociæ domandæ eſſe, & caſus incertos habere poſſe, repreſſo calore ejus, aliâ rem aggreditur viâ: Litteras ad Heronem dat per tubicinem, ſignificat paratas eſſe cupidiſſimas populationum copias, rebus ipſius imminentes, ſolam avertendæ tempeſtatis atrocis rationem, ſi Iconem præter fas in vincula conjectum ſtatim liberum faciat, & ſe ſuaque ab Edone diſſociet. Atque is hæſitans ſecum, hinc fœdus, inde periculum metiens, præclarum quidē in fide ſtare, hoſti non cedere, ſed inſipiens « æquè, neceſſitati non obſequi, contra ſtimulum calces jactare, hoſtem validum, res ſororii afflictas, populum ſuū ex fugâ cōſternatum eſſe; poſtremò timori cedit, Iconemque dimittit. Tum Ico tam magno beneficio occupatus, ut gratiam referret, Cnipenam arcem cum omni ditione Edſardo dedit, ille eidem ſtatim, hæredibuſque ejus in feudum cuncta reſtituit. Res geſta in caſtris ad Ieveram, ſpectante exercitu. Ita cliens etiam factus Ico, qui ſubditus ante fuerat. Inter hæc dum Ievera obſidetur, & tormentis quatitur, Edone è patriâ profugo, Edſardus per Foleſum & ſtipendiarios prædatum emiſſos, agrum univerſum ad pendendum tributum cogit, recuſantes diripit, multos captivos in caſtra trahit, ſi qui obſiſtunt, ac armis ſe defendere conantur, hos graviùs mulctat, ingentem pecuniam conficit: hinc arma omnes ſua in caſtra comportare jubet, in fidem ſuam adigit, vicatim litteras fidei juratæ teſtes cum ſigillis accipit. Sed Edo ad Monaſterienſem profectus ad ferenda in tempore auxilia, priuſquàm dedatur Ievera, in extremo ſociorum periculo eum exſuſcitat: nec difficulter, propriis in Edſardum odiis ardentem, & in arma pronum impellit. Itaque confectis celeriter aliquot equitum turmis, armatâ juventute finitimâ, epiſcopus bellator, declinante jam menſe Iunio, in agrum Reidanum irrumpit, & Weneram pervolat, ut mercatum, qui eodem tempore & hominum multitudine & rerum venalium copiâ frequens illîc erat, diriperet. Sed fama adventum ejus brevi momento antevertens, æris campani ſono, ut mos gentis habet, vicinos omnes ejus oræ celeriter ad arma exciverat. Per hos aggeres interciſi paſſim, quantum tempus ferebat, ponticuli in viis rupti, cataracta VVenerana præſidio occupata, aquæ etiam per cataractas, quanquam cum damno rei ruſticæ, in humilia immiſſæ. Ità factum, ut nec forum invadere, nec longiùs progredi populandi causâ hoſtis auſus, incenſis aliquot horreis, foro contiguis, in fines ſe ſuos, eodem, quo venerat, itinere recipere ſit coactus. Expeditioque tota ſcommate vulgi irriſa. Aliquot dies poſt, obſidione Ieveræ nihilo minùs procedente, ſenatus Bremani ſtudio, fortunâ Edonis moti, de pace actio inſtituta: miſſique Bremâ in fines Freburgicos Henricus Creijus, Hermannus Steenhovius, conſules ejus reip. cum Hiccone Dornumano, Herone Mauricio ejus fratre, Vbbone Pleuverdio, Hilmaro Borſumano, viris ſummis in conſilio Edſardi, congreſſi; *inter hos convenit, utraque pars operam daret cum fide, hi apud Edſardum, illi ſenatus nomine apud Edonem, ut uterque arbitrio ſe bonorum intra dies octo ſubjiceret, arbitróſque ederet, poteſtatem illis datam ſenatui Bremenſi in tabulis tranſmitteret, induciáſque bello daret, ad ſententiam uſque ab arbitris latam; ea intra præfinitum tempus ab ijs perferretur: Si de arbitrio &*

M.CCCC. XCV. *inducijs conveniret, Edſardus ſtatim Ieverâ exercitum abduceret, Edo reſtitutus populum in Edſardi fidem adactum jusjurandum novum non poſceret ad litis uſque finem.* Sed inane ſtudium hoc fuit. Quippè Monaſterienſis eodem illo tempore ab Edone incitatus, qui per vim reſtitui, quàm æquas conditiones pati maluit, ut Ieverâ Edſardum abſtraheret, haud paulò majoribus quàm antè cum copiis, omnibus rebus inſtructus, in agrum Reidanum reverſus, ſcommateque aſperatus, fœdis populationibus ac incendiis omnia quàm maximè vaſta fecit: VVeneram ipſam, dilapſâ ejus juventute, occupavit, diripuit, domos majores contra vim quondam ſtructas, evertit. Progredi longiùs & Borgumum, Bingumum, ipſum Iemgumum forum dives in prædam vertere cupiens, præſidio cataractâ ejus loci rurſum occupatâ, & viis aquâ tectis, alio conſilium vertit. Copiis diviſis, pedites è regione Vollæ propè regionis fines minoribus navibus è diœceſi devectis, equites ad Coldemonachum pontonibus trajecit: agrum pulcherrimum omnem ſecundùm flumen non minùs ſenis patentem paſſuum millibus, vicis ſex habitatum, miſerandum in modum afflixit: ipſe Mudenſi in cœnobio caſtra poſuit. Is locus in extremo angulo eſt agri illius in confluente Amaſi & Lædæ, ex adverſo arcem Orthanam intuens, ſolo Lædæ alveo non amplo ab eâ diremptus: qui caſtris occupatus ſpeciem obſeſſæ arcis præbere videbatur. Ejus rei nuncio commotus Edſardus, abjectâ pacis cogitatione, quò ſuis etiam ſuppetias ferret, vocatos ad ſe Ottonem Papium Stichuſanum, Guilhelmum Hattenum Lenganum præfectos, viros acres & belli gnaros, cum ſuâ utrumque cohorte ruſticâ quàm maximis itineribus per paluſtria Hopeliana, Lengana, Mormeria, Tranſladana eniti, & Vollam contendere jubet; hortatur, ut pro patriæ ſalute laborent ac feſtinent quàm maximè: rem ſummi momenti futuram non ad commoda ſolùm, ſed quoque ad gloriam, ſi epiſcopum tot bellis defunctum, patriæ tam infeſtum, ad Vollam poſſint exitu prohibere: ſe diverſo itinere cum reliquo exercitu adfuturum, & à tergo, à latere hoſtem invaſurum. Mox expoſito in coronâ conſilio ſuo, cunctiſque virtutis admonitis, paucis ad Ieveram relictis, qui caſtra tuerentur, cum cæteris copiis pedeſtribus & equeſtribus feſtinus viâ Bacbandinâ, ne noctu quidem intermiſſo itinere per Heſelanos, Erincanos, Loganos, Leram pervolat: eâdemque ſtatim nocte (nocte enim venerat) magno ſilentio è regione Herenborgi & Eſclumi trajicere flumen pontonibus aliiſque navigiis, quæ fors dabat, incipit, omnia induſtriè & celeriter adminiſtrat, ſperat epiſcopum in caſtris ſe oppreſſurum: feciſſetque, niſi caſus conſilium turbaſſet. Nam qui in præſidio arcis Orthanæ erant, adventu Comitis cognito, lætitiæ causâ tormentum fortè diſploſerant. Quo audito, quid rei eſſet conjectans epiſcopus, ſublatis ſine morâ ſignis diſceſſit, fugienti ſimilis, & Vollam pervenit, priuſquàm Otto & Guilhelmus difficilibus viis iſtûc pertingere potuiſſent. At Edſardus dolens tantam ſibi occaſionem temeritate ſuorum elapſam, exercitumque à ſe fruſtrà fatigatum, tamen expeditam promptiſſimorum manum perſequi abeuntem juſſit. Et hi noviſſimum ejus agmen aſſecuti ita tergis trepidantium & prædæ metuentium clamando, cædendo inhæsêre, Papenbergâ Hampolâque poſt ſe relictis, ut Aſchendorpium ferè Monaſterienſium oppidum vicinum cum iiſdem pervenerint. Tantus tùm pavor epiſcopum & copias ejus ex adventu Edſardi invaſerat. Factum id lego die III Iduum Iulij. Eo diſcrimine & detrimento monitus Edſardus arcem apud Vollenſes viæ militari accubantem opere ac præſidio muniri, trabalia ſepta pluribus locis viæ eidem in principio agri Friſici prohibendis equitum repentinis incurſibus imponi jubet: ipſe confeſtim Ieveram cum exercitu redit, cognoſcitque præſidiarios ab Edone in arce locatos eruptionibus factis intereà dum exercitus abeſt, Senguerdios, Feduverdios, Accumanos, Dichuſanos affixiſſe, caſtra quoque ipſa infeſtaſſe.

Inſtau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Inſtauratâ obſidione arctiore, & caſtellis pluribus contra oppidum poſitis, M. CCCC.
Herone quoque ſibi ab Edſardicis metuente, Monaſterienſis denuò precibus XCV.
Heronis & Edonis adductus, pluribus copiis equeſtribus & pediſtribus ad prio-
res additis, aggredi rem, ac novo conſilio majoreque conatu tentare fortunam
conſtituit. Mox luſtrato exercitu ad Oitham Friſicam, in Monaſterienſibus
oppidum vetus ac tenue, quô convenire omnes juſſerat, per fines Oldenbur-
gicos pacato itinere ducens, cum Nienburgum veniſſet, Friburgum ſe vertit.
Illîc caſtris poſitis, omnibuſque terrendi causâ primo adventu tentatis arcem
obſidet, & tormentis magnâ vi quatit. Simul lectiſſimorum equitum turmam
cum cohorte peditum duce VVitenhorſtio viro nobili brevi viâ ad Heronem
Eſenſem mittit, ut ancipiti & vario periculo Edſardum diſtrahat, & vires dis-
jungat. *Sed virtute firmatus animus haud facilè quatitur ÿs, quibus cæteri ſuccumbere
ſolent.* Itaque Edſardus, cui excelſa indoles & virtus excellens, interritus, con-
ſilii certus, vocatis ad ſe, quos in magnis adhibere rebus ſolet, additiſque Foxo
& Slenitio militaris rei peritiſſimis, pauca de ſe & ſuâ in patriam caritate præ-
fatus, proponit, ſibi eſſe in animo, præſulem Freburgo aſſidentem, dum abeſt
VVitenhorſtius cum robore equitum, in ipſis aggredi caſtris, & duobus à late-
ribus ſimul invadere: maximam ſe ſpem habere, permagnam geri rem poſſe,
& patriæ ſalutarem: animis modò ipſorum opus eſſe alacribus, & ad manda-
ta promptis: cætera non defutura. Probantibus cunctis ac ſtudia profeſſis,
ite igitur, & parate vos ac veſtros, ait, ut ad veſperam poſſitis eſſe expediti.
Simul, quæ fieri, quos in caſtris manere, quibus viis agmen velit incedere, oſten-
dit: omnia cum ſilentio adminiſtrari jubet, ne ad hoſtem deferantur, ante-
quam ſit opus. Cùm veſper adeſſet, ſignum itineris propoſitum, agmen quàm
maximo poterat ſilentio & celeritate viâ Friburgicâ ductum ad locum, quem
Strotum incolæ vocant, non longiùs horæ itinere Friburgo diſtantem: illîc
ſiſtere juſſi omnes, donec per paluſtria uliginoſa è regione Ezelæ, vici illîc
celebris, tranſmittendis equitibus ac tormentis campeſtribus via ſterneré-
tur. Eâ re ſummo ſtudio ac induſtriâ celeriter confectâ, dum quiſque ſe pro-
bare Comiti nititur, tormentis equiſque traductis, Foxus & Slenitius cum co-
hortibus ſuis, & promptiſſimis quibuſque Friſiorum, viâ militari rectà Fribur-
gum miſſi; juſſi, ut ità ſe parent, ut cum matutinæ ſignum vigiliæ cani audiſ-
ſent in caſtris epiſcopi, Friburgo provolantes impetum eo ab latere in hoſtem
facerent: ipſe ait, ſe levorsùm cum equitibus & tormentis facto itinere di-
versâ à parte eodem tempore caſtra invaſurum. Verùm epiſcopus de conſi-
lio adventuque hoc certior per ſpeculatorem factus paulò antè vigiliam ma-
tutinam, in tutum ſe recepturus ex caſtris exceſſerat. Metuebat enim Edſardi
vim, & ut fieri ferè ſolet, primus cum metus ſubitâ inopinâque è re invaſit,
cuncta hoſtium majora veris credebat: idemque terror ex duce ad omnes
momento temporis dimanavit. Totis caſtris ferri, Edſardum cum omnibus
copiis adeſſe; itaque ſarcinas ſinguli colligere, primâ luce è caſtris diſcedere,
vix ducis Imperium expectare. Quorum noviſſimos cùm videret Edſardus,
magnâ voce, En, ait, præclarum præſulem, fortem belli ducem, cui ſolemne,
prædari armaque veſtra laceſſêre; ubi laceſſivit, trepidum diffugere: nos ſal-
tem demus operam, ne de receptu ſuo queat gloriari: Simul equites immit-
tit, qui agmen morentur, & peditum promptiſſimos & celerrimos ſequi ju-
bet. Hinc trepidatio & fuga effuſior. Quam cùm ſiſtere, & animos firmare
frater epiſcopi, qui poſt eum in exercitu curabat, niteretur, tormento tra-
jectus occubuit. Nec ſequendi finis Friſiis antè factus, quàm ad medium viæ
Nienburgicæ ventum. Hoc modo tanti apparatus & famæ expeditio, nullâ
re geſtâ, in fumum abiit. Edſardus ſuos, priuſquàm Ieverana in caſtra redi-
ret, in Harlingios viâ Buriſmonicæâ duxit, ut ſtultitiam populi cum Herone
ulciſceretur. Libidini quippè ducis parens in Nordanos veſana multitudo

 incurſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.CCCC. XCV. incurſaverat, proximisque diebus cædem aliquam propè Arrelam fecerat. Quæ res paulò altiùs repetenda. Dimiſſo Icone è carcere, periculo perterritus Hero ad pacata inclinans, ubi Ieveram reſiſtere, & vires ſuſtinere, epiſcopum in armis eſſe, Edonem ſpem non abiicere, à ſe fidem requiri cognovit, mutatâ mente terrere finitimos Edſardicos, incurrere, vexare, prædari, nihil denique tutum iis relinquere: templum VVeſterholtanum in finibus ſitum opere munire, præſidio firmare, velut caſtra in Arrelanos & vicinos habere. Quam ob cauſam Berumanos, Nordanos, Broecmeriorum partem Edſardus ex Oſtringiis domum remiſerat. His duos ex nobilitate præfecerat Eliconem Houverdæum Vphuſanum Snelgero natum, & Brungerum Pleuverdium: quorum ſtudio ac virtute Hero continere ſe, & cautiùs excurrere coactus. Sed is animo pervicax, turbidus, alieni ſemper appetens, ſummo in hoſtes odio, acceptis ab epiſcopo copiis, Edſardo in epiſcopum intento, præſidiis ad fines Ieveranos rectè curatis auctiſque, ne quid indè mali exiſteret, dum aliò totum ſe vertit, cunctis cæteris, qui arma ferre per agrum ſuum poterant, ad ſigna coactis, junctiſque VVitenhorſtianis auxiliaribus ſtipendio conductis equitibus peditibuſque, VVeſterholtanâ viâ in hoſticum rursùm irrupit, omnem agrum Nordanum, ipſamque adeò Nordam prædæ deſtinans. At Eilco & Brungerus, per exploratores re cognitâ, ſummâ induſtriâ ſe contrà parare, dilapſos domum, cæteroſque omnes, quos curandos acceperant, quàm celerrimè excire, idonea loca impediendis hoſtium conſiliis occupare. Eſt iis locis, quibus VVeſterholto Arrelam venitur, ſoli natura longo ſpatio paluſtris, alicubi etiam humilis, vix ut expeditum peditem, niſi menſibus æſtivis cæloque ſicco, ferat. Per hoc ſpatium via militaris per ambages quaſdam, ſolidiùs ſolum ſequens, & hîc illîc humano opere munita, porrigitur. Quæ ubi ferè deſinit, humillima utrimque uligine ſic arctatur, ut exiguus trames opere ruſtico ſtratus, ſingulos tantùm currus tranſmittat. Ad hunc tramitem occurrendum hoſti, ubi eques inutilis, cæteri quoque impediti, ii quos ætas uſuſque prudentiores fecerat, quorum in numero Hallo Tiarchæus erat, prioribus bellis eruditus, ſuadebant. At alii inglorium hoc putantes, juvenili ferociâ elati, contrà ſentire; illum locum ſibi æquè ac hoſti incommodum ad prælium; ſatiùs eſſe, hoſtium primos pati eò loci ſuccedere, in quo ipſi quoque conſiſtere, ferire, impetum facere, virtutis opera edere queant: illic ut benè cedat res, aditu ſolùm prohiberi poſſe hoſtem, mox rediturum, aut incitaturum ſe alibi, moleſtiamque & pericula aſſidua creaturum: hîc clade corripi, & patriam metu liberari poſſe: hoc ſecutum quondam Fucconem, capto Nicolao præſule, cæſoque exercitu, ſibi gloriam, patriæ ſalutem paraviſſe. Quæ dum diſceptant illi, & hæſitant, diverſiſque animis diviſi nihil expediunt, VVitenhorſtius cum equitibus feſtinans, præmiſſis antecurſoribus, tramitem occupat, cæſiſque aut fugatis, qui in diſſenſione procurrerant, in liberius firmiuſque ſolum evadit. Cæteri, dum prima ſuſtinet ille, & cum paucis levia prælia init, anguſtias quoque ſuperant. Tum pugna atrox orta peditum, equitumque, in quâ equitum numero multò inferiores Edſardici labore & vulneribus feſſi, multis cæſis tandem vincuntur. Victores iræ indulgent. Capti etiam aliquot, in quibus ipſe Eilco Edſardicorum dux, Eſenam in carcerem ductus. Reliqui diſpalati, quà quiſque potuit, in fugam ierunt: hoſteſque ad VVichtam vicum fugientes ſunt ſecuti. In hâc perſecutione VVitenhorſtius, dum avidiùs Occonem ex imâ plebe hominem in paluſtria fugitantem urget, lapſante equo, & in profundo ſolo hærente in terram excuſſus, ab eodem Occone & duobus aliis accurrentibus circumfuſus occiditur. Ajunt ejus mortem tam graviter tuliſſe Heronem, ut de captivo Eilcone necando cogitârit. Aliud accidit in prælio hoc memoriâ dignum, quod præterire non poſſum. Habitabat eo tempore Nortochij in agro Nordano Garmerus Tyrlingius

Tijrlingius vir fortis, ſed ſenio gravis. Hic tres filios pro uno ſe in hanc ex- M.CCCC.
peditionem à vertice ad calcem ferro coopertos cum ſingulis inſignibus equis XCV.
miſit, omnes ingentibus æquè corporibus ac animis. Horum virtus in præ-
lio ſingularis & compar, ſed fortuna diſpare. Nam minimum Meppium no-
mine, graviſſimè ſauciatum equus pugnâ extulit, vulnerumque vî extinctum
in ephippio ſeſſorem, velut vivum, & partem lanceæ equeſtris confractæ te-
nentem, domum revexit, perque oſtium ſublime penetrans, cum exanimi cor-
pore, in ſtabulo, ut conſueverat, locum cepit. Spectaculum novum parenti
ſeni haud ſcias majori ne mœrori an decori fuerit. Haijo natu primus, cum
fratre Tyrlingo, multis in prælio fortiter tentatis patratiſque, tandem à for-
tunâ deſertus, vî equi ſe diſcrimini eripuit. Et cùm magnâ contentione hoſtes
tergum ejus premerent, impoſitum viæ, quàm fugiens tenebat, tranſverſum
ſeptum humanâ ſtaturâ non humilius ingenti ſaltu equi ſuperavit, ſtupenti-
bus, qui perſequebantur. Sed eo ſaltu afflictus equus ſtatim interiit: ipſe illæ-
ſo corpore, equo ſe liberans, in tutum evaſit. Tyrlingus quoque amiſſo equo
pòſt multos pugnæ & fugæ labores, ad ſuos tandem incolumis rediit. Vox pa-
tris de prælii fortunâ edocti excepta à vicinis, & in vulgum ſparſa fuit, quâ non
filii necem pro patriâ cæſi, ſed equi caſum illum immeritum eſt miſeratus. *Et*
hîc quidem prælij eventus, quod commiſſum die V Iduum Auguſti lego, quantum ſæpè
detrimenti virium fiducia hominibus conciliet, documento fuit. A pugnâ Eſenſis, cùm
de fugâ epiſcopi audiſſet, qui Nordam & vicina diripere, maximaque emun-
gere pecuniâ conſtituerat, in vitus fremenſque, & fugaci epiſcopo dira pre-
cans, ſine morâ Eſenam ſe recepit. His de rebus certior factus Edſardus, clade
ſuorum aſperatus, eo, quo dixi, loco in Harlingios irrupit. Nec moratus diu,
circumducto infeſto agmine pes totum agrum Heronis res afflixit, populum-
que temeritatis dare pœnas coëgit. Ità prædâ gravis, Herone offerre ſe non
auſo, ſine certamine Ieveram in caſtra rediit. Illìc omnia ex hoſte parta præ-
ter tributum militi diviſit. Et jam eò redacta Ieverana res erat, ut Edo de vî
& armis deſperans, quibuſvis bellum conditionibus finiri, optandum ſibi pu-
taret. Itaque ab eo rogati Bremenſes rursùm, adjunctis ſibi Hamburgenſi-
bus interceſsère. Induciæque primùm inter Edſardum & Monaſterienſes die
XIII Calend. Auguſti, deîn inter eundem & Edonem biduò pòſt compoſitæ.
Per has Edſardus exercitum Ieverâ abduxit, populum in fide retinuit, Edonem domum
redire, rebus ſuis uti frui ſivit, arbitrio æquorum & bonorum in finiendis controverſiis,
& pace componendâ ſtaturum ſe promiſit. Inducijs tempus datum ſeptimeſtre, intra hoc
de pace conveniri juſſum. Miles aliquot pòſt dies cùm ingrueret tempus bello
inidoneum, alii pòſt alios, dimiſſus: pauci modò contra Eſenſem nondum
pacatum retenti, Edſardus tributo à ſuis in ſumptus belli adjutus. In hoc ar-
morum metu, mirum, quanta omnium rerum copia, & eam ſecuta annonæ
vilitas in his locis fuerit. Sic enim à majoribus notatum reperio, tonnam ſe-
calis vulgò crumſterdis noſtratibus XXI, avenæ tantundem VI, hordei ton-
nam cum dimidiâ aureo uno Rhenano, tonnam butyri optimi aureis ſimili-
bus IV veniiſſe. Rara ſanè temporis felicitas, vix ut fidem his ſeculis difficili-
bus commemoratio inveniat. Et hic annus initium portorij ſolvendi apud
Iemgumanos dedit: idemque ſublatâ è vivis Frouvâ Edonis conjuge in ipsâ
brumâ, dum induciæ durant, novo mœrore maritum implicuit: iſque caſus ti-
tubantes in amicitiâ fratris maritique animos longiùs etiam ſejunxit. Anno ſe-
quente M. CCCC. XCVI, domando Heroni Eſenſi, qui terrâ marique prædari M.CCCC.
non deſiſtebat Edſardus ſeſe parabat. Ejusque initium à fratre ejus Vlrico fe- XCVI.
cit. Is in dividundâ hæreditate circumſcriptus ab Herone, ſecedens ab illo felix
ſibi matrimonium quæſiverat ad Amaſum, ductâ Haiconis Olderſhemij filiâ
hæredeque unicâ Eſſâ, mediumque Olderſhemum cum ſemiſſe totius ditionis
in dotem acceperat. Indè exorto bello Ieverano blandiſſimis verbis à fratre

M. CCCC. XCVI. invitatus, qui anguſtis in rebus minuere ſibi iniquiſſimi facti invidiam cupiebat, velut tuendis rebus communibus conſilia ſociaturus, Eſenam redierat. Quâ re offenſus, vehementiusque commotus Edſardus, cùm ne litteris quidem amiciſſimis revocatum corrigere potuiſſet, vergente menſe Ianuario, nullo negotio totâ cum dote exuit. Hoc initio facto, ubi primùm per anni tempus licuit, in ipſum Heronem ſe accinxit. Erat ab hoc, ut eſt priùs demonſtratum, fanum VVeſterholtanum in extremo agri Harlingii angulo, quà occidentem hybernum aſpectat, in Edſardicos communitum. Ejus fani ſitus talis eſt. Campus planus & humili ſolo occidentem verſus latè ſe porrigit. In eo collis aſſurgit modicus, humano opere aggeſtus centum ferè paſſus à vico diſtans, cujus ſummitas fanum ſuſtinet. Hunc omnem collem vallo foſſaque cinctum in formam caſtelli Hero redegerat, impoſueratque armatorum validum præſidium. Ex his veluti caſtris ſuis excurrere in Edſardicos, prædari, vexare, aſſiduo in metu habere ſolebat. Itaque eò primum copias duxit Comes, tormentiſque majoribus verberatum apertumque vallum ſummâ vi oppugnavit. Sed eâ in oppugnatione ipſe ſummum vitæ diſcrimen adiit. Nam cùm ſuis ubique adeſſet, exemploque & monitis animos adderet, agnitus ab hoſte tormento petitus fuit: cecidiſſetque ni ſatelles, conſpecto igne incenſi pulveris, domino metuens, celeriter impulſum loco dimoviſſet. Ità ictui ſubductus ipſe, tantulo momento fatis ereptus: ſatelles loco ſuccedens, priuſquam ſemet iſtinc auferre poſſet, tibiam percuſſus vitam penè amiſit. At caſtellum coronâ cinctum, omnique à parte preſſum, tandem vî captum. Præſidiarii, qui cædi ſuperfuere, CLXXX, plærique ejus oræ ruſtici, ſed in armis durati, cuſtodiæ dati ſunt. Munitiones fani everſæ. Tùm in hoſticum progreſſus Edſardus, vicos, villas, quicquid obvium diripuit, incendia hîc illic miſcuit, terrorem maximum toto agro diffudit. Indè Eſenam ſe vertens, quô Hero confugerat, poſitis ad oppidum caſtris, tentatâ primâ vi, ſubmotis, quæ extra portas erant, ſtationibus, excurſu in ipſas portas facto, defendente ſe præſidio, obſidium inſtituit. Id fuit ſeptem dies antè feſtum ſolenne reſurrectionis domini. Hoc durante obſidio, enixiùs jam laborante Edone, qui Eſenâ in poteſtatem redactâ, induciis ad finem properantibus, ad ſe rediturum belli incendium metuebat, ſeriò tandèm de ſtabili pace inter eum & Edſardum actum. Delecti ad hanc rem inde Ioannes Reinerus ſyndicus, Henricus Stenhovius Conſul, Albertus Lauvius ſenator, Bremenſes, Ioannes Renico ſenatui à ſecretis, Hamburgenſis, hinc Hicco Dornumanus, Edſardus Peuſumanus, Vbbo Plewerdius, Friſii; Albertus Stedingius VVeſtfalus, è nobilitate omnes. Horumque opera, ſancitâ injuriarum oblivione, res demum compoſita, paxque promulgata die poſt paſchatos XXXII. *Edoni Ievera relicta, & ditio cum eâ coherens, ipſe agnoſcere & comiter colere dignitatem Comitis Edſardi, ab Icone, Folefo, Hiccone Godenſi abſtinere, moleſtiam his non creare, ſuum cuique cedere juſſus.* Addunt Ieverani, conditionibus cæteris hoc quoque adjectum, ſi quid Edo cauſæ habere ſe putet in eos, qui in ditionibus horum nobilium habitant, aut de Freburgo ſi quid velit, id ei licere jure arbitriove bonorum experiri. Ipſi non multò poſt Edſardus & Edo, quo ſinceriùs in gratia coiret, congreſſi dextras quoque miſcuerunt. Paxq; , quoad Edo vixit, inconcuſſa manſit. Intereà Hero, quamquàm ſpem auxilii nullam videret, tamen viriliùs quàm prudentiùs obſidionem tolerabat. Sed ubi cum Edone trāſactum benignè, ſibi quoque ſpem dari parem accepiſſet, deîn commeatus & cætera minui, omnes ſuos deſperare cerneret, legatos etiam ipſe ad Edſardum miſit. Per hos ſignificavit, moleſtiarum & diſcriminum pertæſum pacem amicitiamque propinqui ſe deſiderare; eam ſartam ante omnes mortales cum fide culturum, malo maximo ſuo edoctum, quàm grave ſit, cum vicino, propinquo, potentiori bellum habere. Haud facilè aſſenſus Comes, ingenio hominis diffidens, tamen ne quid cupidiùs videretur agere, aut plus ſatis vindictæ indulgere, cognoſcere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

cognoſcere ſe velle reſpondit, quibus legibus pacem datam culturum ſe Hero profiteretur. Simul capita quædam per eoſdem ad ipſum mittit. Hinc ultrò citroque agitata res, tandemque pax facta: obſidio, ipſo die, qui ſpiritui ſancto in apoſtolos effuſo ſacer eſt, ſoluta: exercitus domum remiſſus. M.CCCC.XCVI. *Hero pecuniâ mulctatus in ſumptus belli, ad hæc pollicitus, Cankenios, cæteróſque in fide Edſardi, denique quoſcunque mortales ſpoliatos ſe reſtituturum in integrum, impoſterùm nemini vim facturum, prædationes maritimas hactenus factitatas procul habiturum, Comitis honorem exemplo patris ſervaturum, in fide ejuſce futurum ſine dolo malo.* His rebus geſtis, Edſardo autoritas apud finitimos, gratia apud ſuos, gloria apud omnes crevit, paxque immota ad arma uſque Saxonica ſtetit. Cui cùm alia præclara ineſſent, tùm hoc vel maximum, quod quò altius eum fortuna ac virtus efferrent, eò magis comem, benignum, familiarem, cunctis ſe ſuis præberet, idque ita faceret, ut dignitatem venerationemque non minueret, amorem ſui augeret. Reliqua anni ejus his in locis ſine motu fuêre: nec pax quicquam memorabile tulit, niſi quòd continuatis propè funeribus Ico Cnipenſis, & Edo Banthanus, eodem patre Lubbone Onconio, ſed diverſis matribus editi, de Cnipenâ arce animis magis quàm apertâ lite diſiuncti, è vitâ ceſsêre. In Iconis jus ac hæreditatem omnem, annitente ejus matre Bindelefa, Edſardo quoque favente, Folefus Inhuſanus, qui ex Bindelefæ fratre erat, ſucceſſit. Alterius res, unica filia Reinholda ex matre Olderſhemiâ excepit: quæ multos annos poſt cedens jus ſuum Mariæ Ieveranæ non parùm Cnipenſium res turbaſſe comperta fuit. Eodem tempore graviſſimus Edſardi hoſtis Henricus Bremenſis pariter & Monaſterienſis præſul, armis quam litteris promptior clariorque, dum renovandi belli conſilia coquit, fato eſt conſumptus. Cujus locum apud Monaſterienſes collegii ſuffragiis tenuit Conradus Retbergius, Oſnaburgenſium jam antè præſul, diverſiſſimo à priore ingenio. Quippè qui diſcordiam bellaque oderat, pacem, quietem, concordiam, meliora bona, & epiſcopo potiora, cara habebat. Ea res paci inter Friſios & Monaſterienſes conſtituendæ in perpetuum, ac novo fœderi feriundo oportuna fuit. Nam præſul ubi primum inauguratus fuit, totus in eo eſſe, ut ſuos à belli conſiliis averteret, certam pacem, vicinorum amicitiam, fida commercia laudare, M.CCCC.XCVII. arma, diſſidia omnibus rebus humanis inimica deteſtari. Sed difficilior reperta res, quàm ipſe initio putaverat. Quippè in collegio ſummi fani Monaſterii qui erant, omnes genere nobiles, & magnâ in rebus diœceſeos poteſtate, pars ſuâ ſponte arma quàm pacem malebant, alii ab Henrico incitati malo in Friſios animo eſſe, cuncti jura varia in Friſiam, uſum Amaſi fluvio liberum jactare, his antè omnia reſtitutis eſſe opus, ut quid agi de fœdere & amicitiâ poſſit. Edſardus verò & Friſii nullum jus hujuſmodi agnoſcere, denique omnia malle, quàm diminutæ libertatis conditionem ſubire. Evicit tamen præſul commeantibus legatis, ut conventus colloquiis dicti, colloquiaque ſint habita: tandem præſul quoque ipſe cum Edſardo congreſſus, comitantibus inde Everuvino Benthemio Comite, Godfrido Ketelero equite aurato, aliiſque è collegio & diœceſi, hinc Hiccone ac Herone Dornumanis, Vbbone Plewerdio, Victore Friſio, Hilmaro Borſumano, delectis ſenatus populique Emdani: Per hos demum res omnis compoſita ac pax firmata ipſo ſolſtitiali die. *Edſardus, ut Grimerſhemius annotat, X millia aureorum numûm Monaſterienſibus dedit, aut daturum ſe promiſit: illi renunciarunt vano juri ſuo aut juris ſpeciei. His lex aſſcripta, ne fas eſſet epiſcopis ſequentibus aut collegio ſupremo refricare cauſam juris hujus, niſi X millibus antè reſtitutis.* Simul de Amaſi uſu inter ordines Monaſterienſes & civitatem Emdanam, ſeorſim tranſactum: *decretum, ut Monaſterienſes octiduum utróque in mercatu Emdano, triduum extra mercatum, merces ſuas Emdæ proponant, vendantque, ſi poſſint: ſi vendere non poſſint, ſoluto vectigali deportent eaſdem, quò velint: vectigal ſolvant ex veteri formâ*

M.CCCC. XCVII. *modicum, idque ſemel modò in totâ hâc Friſiæ regione: idem jus Emdanis Friſiiſque ſit in oppidis foriſque diverſis diœceſeos Monaſterienſis: hæc firma & rata ſint in perpetuum, nec ulla hic contrà valeat exceptio: ſi quid dubij aut diſſenſionis exiſtet, amicis colloquiis dirimatur.* Ob hoc caput cùm de vectigalis modo, & pecuniæ ratione controverſia, eâdem adhuc durante æſtate, emerſiſſet, ea quoque in autumno definita: placuitque nova vectigalia tolli, veteribus iniquius auctis æquum certumque modum dari, aureum Rhenanum in vectigali pro XXXVIII crumſterdis Friſicis computari. Hoc modo res inter Monaſterienſes & Friſios ad quietem amicitiamque redacta. X illa millia alacriter collata à populo, Monaſterienſibus ſoluta. Ab Edone quoque anno priore, & hoc ipſo cenſus in ſingula capita bubula exactus ad ſarcienda incommoda belli, qui à re vulgò tributum vaccarium eſt nuncupatus, & ab hoc principio profectus, id eſt, Edonis precibus datus, deîn aliquandiu variis & vafris continuatus technis, ac in immenſum auctus, in perpetuum populi miſelli onus abiit.
M.CCCC. XCVIII. Anno M.CCCC.XCVIII. per menſem Martium Edo novi conjugii ſponſionem cum Heiluvige Oldenburgicâ Ioannis germanâ ſorore, & mox nuptias iniit. Quibus nuptiis redintegrata amicitia inter eum & Heronem, quæ morte conjugis prioris, & iniquo in fratrem teſtamento penè interciderat. Nec multos poſt dies Ioannes Oldenburgicus Annam Anholdiam illuſtris familiæ virginem uxorem duxit. Et quaſi annus ille parandis nuptiis fœlix eſſet, Edſardum quoque circumſtrepentium armorum motibus aſſiduis hactenus implicitum, ubi primùm quies parta, harum cura commovit. Ei ſociata Eliſabetha Retbergica, ſoror Conradi præſulis, multis commendata virtutibus, patre avoque Conrado edita. Epulum nuptiale magnifico paratu Emdæ datum menſe Iulio, comitantibus novam nuptam Ioanne fratre, Retbergæ domino, Margarethâ ſorore Friderico Brunſvigio junctâ, magnaque procerum multitudine. Nec eo anno domi foriſque quicquam cis Amaſum memorabile geſtum. Arx modò Stichuſana ab Ottone Papio præfecto valida turre aucta, & munitior facta, & Edo Ieveranus de piraticâ Hollandis ſatisfacere poſcente Edſardo, aut arma minante, rogatu læſorum, coactus: idemque tribus filiabus quas ex Heronis ſorore ſuſtulerat, dubium, peſte an veneno (utrumque fama tulit) continuis funeribus orbatus. Ipſe veneno infectus, ope Iudææ medicæ vix periculum evaſit.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XXXVI.

VIXDVM ſolutis Wormaciæ comitiis, novi rumores trans Amaſum ſparſi varias in partes animos hominum impellebant. Saxo, Burgundus, rex ipſe Maximilianus, Edſardus quoque vicinus milite jam fultus materiam ſermonum & ſuſpicionum dabant. Alii ſpe, alii metu, ut cuique cupido, aut perſuaſio erat, agitabantur. Optimi quique de ſuâ & patriæ fortunâ erant ſolliciti. Hoc tempore Goſlicus, de quo dixi, ab Alberto rejectus, cui nondum res matura videbatur, inſtinctu hujuſce ejuſdem, miſſo homine amico ab Edſardo militem petierat. Et reſponderat is, nondum

nondum ſic cum Monaſterienſi ſibi compoſitas res, ut militem poſſet dimit-
tere: quiete partâ, libentem ſe ei gratificaturum. Poſt eôdem miſſus à Iuvin- M. CCCC.
gio fuit Bocco Enius Bolſuerdianus, qui induciis in Friſiâ Orientali cum Mo- XCV.
naſterienſi jam initis, è militibus dimiſſis CCC novo ſtipendio initiatos, facto
per amicorum regionem itinere, Bolſuerdiam adduxit. Cum his Iuvingius, &
cum magno ſuorum numero ad exitum Septembr. Bolſuerdiâ excurrens, dum
hærent adverſarii, & præſidium peregrinum nullum habent, Hagio vico, toto-
que agro vicino direpto, vaſtato, incenſo, Illtanos invadit, turrimque Sijdſonis
Haringæi, qui ſocer erat Goſlici hoſtis ſui, occupat, præſidioque ibi collocato
omnem viciniam Goſlico faventem infeſtat. Petri Poppæi turrim in vico
Morrhæo diripit, incendio affligit. Hujus exemplum ſequuti fratres Gala-
mæi, acceptis à Iuvingio aliquot militum manipulis, circiter Idus Octobr. He-
melumanum caſtellum à Boccone & Snecenſibus anno ſuperiore extructum
adorti expugnant. Intereà ingruente hyeme, ut ſe ſtipendio levaret Edſar-
dus, & ſimul Saxoni de reſtituendo Goſlico tandem cogitanti petentique mo-
rem gereret, Foxum quoque Slenitiumque ab ſe dimiſerat. Qui dum per am-
bages in VVeſtergoam tendunt, ab Edſardo rursùm rogatus Guilhelmus Fri-
dericus Dammonam profectus, de rebus magnis cum Hiccone Cankenio Dor-
numano colloquitur vergente jam Octobri. Sed colloquium hoc quoque ſilen-
tio preſſum. Et jam Slotam Foxus pervenerat, & cum eo Damus Tilius cum
veteranis militibus CCC, à Goſlico Iongamæo & ſociis conducti. Foxus relictis
Slotæ cum Tilio CC, cum reliquis C Illſtam progreſſus, auctuſque illîc haud ſper-
nendâ multitudine Sciringiorum, quos Goſlicus repentè coëgerat, & eôdem
adduxerat, Sydſonis arcem captam nuper à Iuvingio, & præſidio munitam op-
pugnat. Eo cognito, Iuvingius arci metuens cum omnibus copiis eò advolat,
Foxumque paucitati ſuorum diffiſum recipere ſe in proximam arcem Dodonis
Tetæi eodem in oppidulo ſitam cogit. Illîc oppugnare eum tormentis & omni
vi adortus, propeque jam de victoriâ ac hoſtium deditione certus, per celeres
nuncios accipit, auſpiciis Bocconis Haringæi, & Heronis Hottingii armatos
haud parvo numero Snecam confluere, atque his ſe CC illos Slotæ relictos vete-
ranos junxiſſe. Perculſus itaque & regreſſui timens, ni ſe maturè recipiat, ſubitò
collectis rebus ſuis, deſertâ quoque Sydſonis arce, concubiâ nocte ſummo ſilen-
tio diſcedens, dein obvia omnia depopulans Bolſuerdiam repetit. Cujus diſceſſu
animadverſo Foxus ex arce erumpens, veſtigiaque premens, ubi eum aſſecutus
eſt, tantâ omnes formidine implevit, ut deſertâ prædâ in effuſam fugam ſe con-
jecerint, trepidique Bolſuerdiam redierint. Eâ conſternatione hoſtium uſus
Goſlicus, perterritis jam omnibus ejus oræ Vetcoperis, ſtipatus militum & exu-
lum manipulis aliquot, comite Douvone Haringæo VVorcumano, Hommer-
zium agrum, & quæ ei vicina invadit, populat, incendio vaſtat, proximos quoſ-
que incẽdii metu magno tributo mulctat. Hoc ſucceſſu ſublatus copias peregri-
no milite ab Alberto clàm ſubmiſſo auget, conſilium capit cum Herone Hot-
tingio & exulibus aliis recuperandi VVorcumi, paratiſque in eum uſum navi-
giis idoneis, nullo penè negotio, hoſtibus, qui in oppido erant, cum rebus ſuis
trepidè dilapſis, rem conficit. Sola arx Hottingia in oppido opere & præſidio
probè munita curſum fortunæ tardat: ad quam dum ſedet, obſeſſoſque urget,
tantus ad eum militum confluxus factus eſt ex Hollandiâ, ut cum Foxianis haud
pauciores mille eſſent. His præerant Florentius è nobilitate Bohemicâ vir for-
tis, Conradus cognomento Longus, Ioannes Morſius, Ioannes Alpenus, Ioan-
nes Liranus, Lubbertus Berneveldus, omnes Alberto devoti. Sed antecede-
bat omnes virtute & autoritate Foxus, conſiliis quoque cum principe intimus.
Ab his preſſi undique, & tormentorum, quæ Franequerâ advecta venerant,
fulminibus petiti, qui in arce erant, deſperato ſubſidio, Goſlico ſe permittunt.
Tum pecunia ingens in ſtipendia Staveranis, Hindelopiis, VVijnbritſeranis,

omnique

M. CCCC. XCV. omnique tractui vicino imperata, extortaque cunctis longè lateque metu proſtratis. Ignis quippè, & direptio, & militaris ſævitia erant ob oculos. Primi Coldumani, animo ſumpto, Hertmanno Galamæo hortante, tributum recuſare auſi: iidemque immiſſo milite ità mulctati, ut aliis exemplo eſſent. Poſt hos Geeſtani, Worcumi tributi causâ adeſſe juſſi, exemplo non fracti, homines ingenii ferocis, impatientes injuriæ, coëunt, deliberant, armis ſe tueri ſtatuunt: ad Sylveſtres vicinos ſuos æquè feroces, & ejuſdem ſecum ſententiæ, ſcribunt, ſi patriam, ſi libertatem ſalvam velint, cum quantis poſſint copiis ut ad VVickelam vicum venire maturent; iſtîc ſe coïturos, & hoſtem excepturos loco valdè idoneo: quod ſi conjunctis copiis pugnare liceat, ac fors ſecundet, confidere, uno prælio bellum confici, ſervitutemque depelli poſſe. Nec mora in his, arma capiunt, loco dicto præſtò ſe ferunt Nam in partibus Vetcoperorum erant Sylveſtres, Sciringicum nomen oderant, imprimis peregrinum militem inſolentem, omnia fœdantem, amicos inimicoſque juxtà habentem, dummodo eſſet, quod rapi poſſet, in Friſiam eſſe inductum, eâ re leges patrias, pacta, fœdera à Goſlico violata, id indigniſſimis ferebant animis. Intereà milites populationibus dites prædas in Hollandiam aut Geldriam navigiis mittunt: quorum unum Slotam tendens, ut illîc quoque aliquid tolleret, (nam Slota adhuc in eorundem militum poteſtate erat) in littore Wickelæ vicino, ab iis qui ibi in armis coierant, intercipitur, captis militum cuſtodum nonnullis, nonnullis interfectis. Hoc ſuorum detrimento & clade concitati, qui Worcumi erant, & quòd conjuraſſe ſylveſtres Geeſtanoſque, frequenteſque jam coire, Slotæ imminere, peregrinis exitum minari audirent, occurrere principiis, & injuriam ulciſci ſtatuerunt. Itaque celeriter, relictis VVorcumi in præſidio ducentis, cum omni reliquâ multitudine Foxus nocturno itinere, Slotam profectus, clàm Friſiis oppidum ingreditur. Mox cùm vidiſſet, Friſios quanquàm adventus ſui ignaros, contra præſidii Slotani ſubitum ac improviſum incurſum, navim captam in ſiccum ſubducere, & tranſverſam viæ imponere, quâ Slota VVickelam itur, eique foſſam adiicere, ne iſtinc à tergo invadi poſſent, dum hoſtem à fronte expectant aut ſuſtinent, validam manum in eos operi intentos immittit, reſiſtentes poſt acrem conflictum in fugam coniicit, terga fugientium aliquandiu cædit, illi turbati trepidique ad ſuos in caſtra VVickelana revertuntur. Tùnc idem Foxus ex mœnibus id conſpicatus, ut perculſis timorem adderet, nec recolligendi ſe ex perturbatione, aut reliquam multitudinem, quæ expectabatur, convocandi daret ſpatium, cum omnibus ſuis Slotâ ſe effudit, & facili momento impulſos hoſtes, fruſtrà aciem obiicere conatos proturbavit. Periêre in pugnâ ac fugâ centum, capti multò plures, in quibus Benedictus Hettinga fuit, Epone acerrimo Sciringici nominis hoſte genitus. Pugnatum ipſis Calendis Decembr. VVickela cum vico altero incenſa: reliquus ager Geeſtanus maximo tributo mulctatus, multique Sylveſtrium vici, Geeſtanis proximi, Lemmeram uſque. Hoc turbine inopino tota contremuit Weſtergoa. Octiduò poſt Goſlicus Bolſuerdiæ recipiendæ cupidus, Lubberto Berneveldo cum CC ad Slotæ defenſionem relicto, cum reliquo exercitu ductore Foxo iſtinc decedens, cœnobium vetus in conſpectu Bolſuerdiæ, quà ſol venit, occupat, ibi caſtra locat, ad oppidum excurſiones facit. Poſt velitationes, tentataſque utrimque vires, colloquium inter Iuvingium & Foxum coiit: illud in multos uſque dies conſultò extractum, aſtu Foxi, cui conſilium erat neglectâ Bolſuerdiâ Snecam per inſidias occupare. Ad eam rem peropportunè accidit, ut gelu, quo aër riguerat diu, in pluvias repentè ſolveretur. Itaque incommodum aëra cauſatus, per quem geri armis nihil poſſet, à Snecenſibus contendit, ut ſe cum milite in urbem reciperent ad commodius uſque tempus: quòd ſi concederent, hoſpites ſe fore minimè graves: militem pecuniâ divitem civium res aucturum potius quàm futurum detrimento: promittere

ſanctè,

ſanctè, non diutiùs, quàm volent ipſi, in urbe ſe hæſurum. Quid multis? Per- M.CCCC.
ſuaſit civium vulgo, qui quæſtum ſuum quàm remp. cariorem habebant. Nec XCV.
Bocco aut ſenatus, quanquàm improbarent, diſſentire auſi. Sic miles poſt
diem XVI Calend. Ianuarii in oppidum intromiſſus malo patriæ fato. At Fo-
xus quieſcere neſcius, intereà dum in oppido eſt, oppugnandarum munitio-
num machinas parat: quibus perfectis cùm aſpiraret aër, omniaque gelu rur-
ſus conſtricta jacerent, extremo anni iſtius die ſub primas tenebras, cum eo,
quem fecerat, apparatu Leoardiam agmen rapit, ex improviſo eam occupatu-
rus: potituſque voto fuiſſet, niſi in ipſo invadendi momento coorta repentè
tempeſtas, multo imbre os oculoſque militum verberans, cunctáque impedi-
ta faciens, urbem diſcrimini exemiſſet. Exercitu Snecam reducto, Leoardii M.CCCC.
confeſtim Groninganis ſociis enunciant, quo in periculo fuerint; rogant con- XCVI.
tra reliquos hoſtium conatus in tempore ſibi mitti auxilia: eáque perampla
IIII millium numero, ſi VVorperio credas, ſtatim miſſa circiter Nonas Ia-
nuarias anni M.CCCC.XCVI Leoardiam ſunt ingreſſa. Ab hâc verò ſpe deje-
ctus aliô ſe Foxus vertit, quò ipſa etiam vocabat neceſſitas. Nam ad VII Idus
Ianuarias Berneveldus Slotæ præſidio præfectus, prædæ cupidine oppido e-
greſſus ad populandos Sylveſtres cùm Lemmeram veniſſet, concurſu plebis
ruſticæ, cum fortiſſimis ſuorum cæſus fuit, reliquis vix fugâ in tutum elapſis.
Hoc ſucceſſu Sylveſtres audentiores facti, communi conſenſu conſtituunt Slo-
tam & Snecam obſidère, militemq; externum Friſiæ finibus eiicere. Nec mo-
rati diu, octies mille armato ex ſe conficiunt, qui trinis caſtris VVickelæ, Balkii,
Tieregeeſtæ Slotam obſideant. Obſidione inſtitutâ fœni magnam copiam tra-
his impoſitam propiùs munitiones adducunt, quô foſſam oppidi compleant,
aditumq; ad vallum parent. Deinde, quò paratiores ſint ad omnia, Edſardum
Douvenium virum nobilem Langueranum, & duos cum eo Leoardiam legant,
qui Groninganos in præſidio locatos auxilia in hoſtem communem toti Friſiæ
inhiantem petant, ac promiſſi admoneant. Illi benignè polliciti, regreſſis lega-
tis, cum Leoardiis dum diſceptant, alteriq; alteros iſtûc ire æquum cẽſent, tem-
pore extracto occaſionẽ rei gerendæ præterire ſiverunt. Quippè Foxus de for-
tunâ ſuorum factus certior, concione militum, & quantum ad ſalutẽ honorem-
que omnium interſit, eos nõ negligi, expoſito, iter indicit: mox parati quæ erant
neceſſaria, omnibus cum copiis, duce Goſlico Slotam contendit. Erat eo tem-
pore ingens adhuc gelu, quo ſtagna, lacus, rivi duriſſimâ glacie concreverant,
omniaq; iter facientibus pervia jacebant. Ità accidit, ut omnes opinione cele-
riùs recto curſu, ſuperatis pluribus rivis ſtagniſque, lacu denique ipſo Slotano,
quem Slotmanum mare incolæ vocant, in conſpectum venerint hoſtium. Hoc
è lacu in terram ſubeuntes ſine morâ in hoſtem occurrentem eò loci, ubi re-
rum capitalium damnati ſupplicio affici ſolent, aciẽ dirigunt. Erant in eâ DCCC
armati, exiguo quidẽ numero, ſed veterani ferè omnes, & animum militarem
ſpirantes. Sed Foxus aliud quoque nõ leve auxilium ſuis providerat, tormenta
campeſtria, uti vocant, minoris generis complura, & unum ingens à Snecenſi-
bus acceptum, omnia à latere in hoſtem directa, Sylveſtres etiamſi audaciam
militum mirati ſunt, tantis tamẽ animis confertim intulêre ſeſe, ut cæſis primis,
& multis vulneratis univerſam eorum aciem conſternatam ruſticæ plebis for-
titudine de victoriâ penè deſperare coëgerint. Nam ne tormentorum quidem
fulmine, quo plurimi eliſi ſunt, territi de conſtantiâ inferẽdi gradus, in hoſtemq;
involandi quicquam remiſerant. Vnica res ſaluti Saxonibus fuit, quod ex diſci-
plinâ militiæ circumfuſis undique hoſtibus, & ab omni parte prementibus, or-
dines tamen ſervarẽt juſſu ducis tam pertinaciter, ut vitam antè poſituri, quàm
locum ſuum relicturi ſinguli viderẽtur. Tùm Foxus ipſe ſummâ virtute, & mili-
tariũ rerũ peritiſſimus hûc illûc volitãs nunc hos nunc illos appellans, virtutiſq;
admonens, ac præclaris verbis præclara facta addens, hoc eſſe tempus clamans,

in quo

M.CCCC. XCVI. in quo oſtendendum ſit, quid veteranus miles ferocula & armorum imperitæ turbæ ruſticæ præſtet: omnia in unâ fortitudine atque obſervatione diſciplinæ ipſis ſita: eam ſi ſervent, fortunas, vitam, gloriam ſimul ſervaturos: ſin minus, cuncta pariter reliqua amiſuros. Apud Friſios omnia penè alia: ſidere numero ſuo diſciplinæ ignari, nec ordines ſervare, nec extendere aciem aut vertere, non per manipulos cohorteſque procurrere, ſed ſine lege, ſine ratione inferri in hoſtem, eique circumfundi, nemo univerſos, ſinguli ſe regere, ferociter quidem, ſed confusè cuncta adminiſtrari. Quod & exitio tandem iis fuit. Nam cùm Saxonum armis, ut quiſque in eos temerè incurrerat, magno numero occumbere ſuos, illos ne diſiici nec impelli poſſe cernerent, conciderunt animis, in fugamque pauci primùm, deinde plures, poſtremò omnes iverunt. At cùm palati Slotam verſus tenderent, velut tacti pudore, rursùs colligere ſeſe, & conglobari, mutuoque ad virtutem repetitâ majorum gloriâ, pro defendendâ libertate cohortari: mox in ſequentem hoſtem converſi, non procul eo loco, quô flumen è lacu exit, tantis animis atque impetu in eum ſeſe inferunt, ut tùm vel maximè titubaſſe fiduciam Foxi, cæterorumque præfectorum militumque virtutem hæſiſſe, poſteà ſit cognitum. Verùm temeritas Friſiorum caſusque rursùm ipſis bono fuit. Quippè ſine ſignis, ſine ordine dum ſe incitant illi, cædendique hoſtis avidi, quâ proxima via, procurrunt, factum eſt, ut in eam glaciei partem confertim deferrentur, quâ ſpacioſus lacus in anguſtum flumen effunditur, & rapido fluxu glaciem fragilem facit. Ea ſub pondere dehiſcens magnam eorum multitudinem hauſit. Quâ calamitate ſuorũ turbati reliqui quamvis fortiter ferire hoſtem cœpiſſent, animos dejecêre. Contrà Foxus erigere, ſummâ vi urgere, inſtare, cædere, per vulnera ſua in necem hoſtis obſtinatis animis ruere. Poſtremò Friſii plurimis amiſſis, nullo rectore cohibiti, projecta victoriæ ſpe, iterum ſe in fugam effudêre, exemploque fuêre, ad præliorum
„ fortunam diſciplinam & uſum, quàm numerum ac robur eſſe certiora. Periêre eorum illo die inuniverſum, uti poſteà recenſione diligenti compertum eſt, DCC.XIV, in quibus quatuor è nobilitate fuerunt. Foxus è ſuis paucos deſideravit: vulneratus ipſe cum Conrado Longo, & majore exercitus parte: patuitque, inſpectis ſauciis, nec parvo eam victoriam emptam, nec extra ſummum rem periculum fuiſſe futuram, ſi quis ſe rursùm hoſtis in ipſos tunc incitaviſſet. Sed ea conſternatio populi iſto tempore fuit, ut quanquàm vires non deeſſent, de inſtaurando tamen prælio nemo cogitaret: ſingulique ſatis ſe fælices arbitrarentur, ſi ſe ſuaque ab hoſte domi poſſent defendere. Ferunt manu ſcripti annales, confeſſum eſſe Foxum, nunquàm ſe cum intrepidis magis ad cædes, magiſque ferocibus viris congreſſum: quos ſi vel leviter diſciplina militiæ tinxiſſet, haud dubiè pereundum ſibi ſuiſque in eâ acie fuiſſe. Addunt VVoldeſendæ è ſublimi arce hanc pugnam Becconem Snecenſem, & Leonem Doniæum proſpectaſſe, eóque fuiſſe animo, ut ſi Friſios vidiſſent vincere, ipſi ſe in exilia eiicerent. Victoriâ partâ Foxus, proximis direptis incenſiſque, ſauciis curatis ac in vehicula impoſitis, eodem adhuc veſpere Snecam rediit, ibique loco tuto, excitatis de more ignibus, feſtum victoriæ egit. Facta hæc Idibus Ianuarii. Tùm Goſlicus fractos Sylveſtrium animos tantâ clade ſperans gravé eos tributum poſcit, ſimulque gravibus minis recuſantes territat. Illi recreatis ex trepidatione animis reſpondent fortiter, mori malle omnes, quàm tam turpi ſe jugo ſubmittere. Nec mora, communi conſilio legatos rursùm Leoardiam mittunt, impetratoſque à Groninganis CCCC armatos Lemmeræ loco idoneo contra hoſtium incurſum collocant. Intereà vulgata victoriæ Saxonum fama plures facilè, ceu fieri ſolet, eandem ad militiam uberem & fælicem allectavit: magnuſque confluxus Snecæ & Slotæ factus, atque ita totus ager vicinus multitudine rapacium militum miſerè attritus. Erant omninò loca commoda duo, quibus locis ex Geldria Hollandiâ've venientibus militum copiis

VVeſter,

Weſtergoa tum maximè patebat, VVorcumanus portus, & is, quem Taconis M. CCCC.
cataractam vulgò dicunt, modico ultra Slotam itinere, ubi Geeſtanus ager rivo CXVI.
à Sylveſtribus dirimitur. Huic rivo in æſtuaria exituro more regionis canalis in-
gens cum valuis vaſtæ molis cohibendis aquis impoſitus utramque ripam jun-
git, & reciprocando æſtu portum illîc non incommodum efficit. Eum canalem
Geeſtani prohibendo eâ parte militum influxui, tabulato nuper, ſed nõ magno
cum fructu, nudaverant. Nam & adnavigantibus utrâque patebat ripâ, & qui
Slotæ erant, à fælice ſuorum pugnâ locum ſuæ poteſtatis fecerant. At Foxus
cùm ſciret ad ſubmittenda ſibi auxilia, pluresque pro libitu copias in Friſiam
admittendas, quantum in eo loco momentum eſſet, ſtatuit præſidio eum occu-
pare. Itaque ſub finem ferè Ianuarij, quoſcunque poteſt ingentes tignos Snecæ
in unum contrahit, civium ædibus aut aliunde detractos: hos opera fabrorum
in eam formam redigit, ut repentè lignea munitio ex his junctis poſſit effici,
conſtituitque vehiculis impoſitam materiam in eum, quem dixi, locum deve-
here. Iſtâ munitione excitatâ valloque & foſsâ additâ ac præſidio impoſito, duas
res magni momenti ſe conſecuturum ſperabat, ut & Lemmeranum præſidium
Slotenſibus & Geeſtanis omnibus moleſtum eo velut obice coërceret, cona-
tusque Groninganorum ab eâ parte reprimeret, & aditum exitumque Friſiæ ex
uſu ſuo haberet in poteſtate. Sed dùm hoc agit, Groningani, qui Leoardiæ in
proximo erant, ejus conſilii certiores facti, ſummâ feſtinatione miſſis Haſſel-
tum Vltrajectinæ ditionis oppidum, hominibus ſuis, materiem cædi, coaptariq;
in munitionem, ac eôdem celeriter deportari curant: omnibusque celeriter
adminiſtratis, occupato loco, compactis trabibus, propugnaculo erecto, aggere
excitato, præſidio cum rebus neceſſariis impoſito, brevi momento Foxum an-
tevertunt, damnantem tarditatem ſuam. Eo fæliciter confecto, Groningani per
Ziallingum Levinum hominem nobilem cum tormentis & manu militari miſ-
ſum, templum VVorcumanum quoque occupant, & in turri validiſſimâ, quæ
templo accubat, nec procul portu abeſt, præſidium collocant. Ita duobus opor-
tunis aditibus brevi tempore in poteſtatem ſuam redactis tum militũ influxum
illum haud parùm impeditum fecerunt, tùm provinciam, cui inhiabant, latiore
omninò indagine cinctam habuerunt. Medio tempore milites Iuvingiani, qui
Bolſuerdiæ in hybernis erant, ruſticos ejus oræ, quos alterius eſſe factionis di-
cebant, naviter affligere, domibus abreptos expilare, omnibus injuriis afficere,
prædam & quæſtum omnem ex pacto cum Iuvingio & oppidanis hoſpitibus
ſuis partiri: oppidani & ipſi exigendis in militum ſtipendia menſtruis tributis
plebem ruſticam vicinam excoriare, ipſi immunes onerum manere. Nec Foxi-
anæ cohortes Snecanæ viciniæ parcere, pro more militiæ rapere juxtà ac pro-
digere. Iamque procedente menſe Februario cohortes hæ ſtipendium trime-
ſtre flagitare ſeditioſiùs, & cùm non ſolveretur ſtatim (nec enim facilis ejus ra-
tio) carcere, direptione, incendiis cives ruſticosque pariter territare. In quo re-
rum diſcrimine legati ab oppidano ſenatu, ad Franequeranos & Hottingios
miſſi, cæterosque Snecenſium & Goſlici amicos, petitumque de cenſu hiſce ſti-
pendiis viritim per totam colligendo Weſtergoam. Colloquiaque & conventus
hâc de re habiti: ſed impediente cum ſuis Iuvingio effectum nihil. Demùm à
Sciringiis contributio promiſſa, primaque pecunia militum præfectis data: ulte-
rior collectio negata ab Hottingiis, quoad Bolſuerdia à militibus capta, Goſli-
coque eſſet reſtituta. Sic quippè cum Goſlico conventum, eamque promiſſi ſti-
pendii eſſe cauſam. Sed æquum ab inſolente commotoq; milite quis expectet?
Itaque palam ab iratis jam jactari, niſi integrè ſolutis ſtipendiis, Snecâ ſe non
exceſſuros; mox civium res inſolenter raptæ, perditæ, profuſæ; ſi qui prohibere
vellent, contumeliis affecti. Horum porrò impatientiâ, & metu majorum, fugi-
endi conſilia à multis capta, nonnulli etiam clam elapſi. Sed Bocco & ſororius
ejus Doniæus, dùm fugam parant, proditi, & cuſtodiis ſepti. Bocco, pecuniâ

M.CCCC.CXVI. negatâ, VVoldeſendam arcem Slenitio Bohemo tradere coactus; cujus militum petulantiâ haud multò pòſt fanum Ipcolgæum, in quod ruſtici quidam confugerant, cum omni inſtrumento ſacro exuſtum. A paucis deinde diebus, Goſlici ſocer Sijdſo Illſtâ Snecam quoq; pertractus. Goſlico ipſi carcer ab iratis militibus ob ſtipendium intentatus. Sed is promiſſo callido eos eludens velut conficiendæ causâ pecuniæ profecturus, cùm dimiſſus eſſet, ad milites non rediit. Quam ob rem infælix Bocco cum ſuis è cuſtodiâ in compedes datus; denique cum pecuniam ne tum quidem confici aut promitti curaret, tormentis quoque à nefariis hominibus ſubjectus. Hoc facinore perculſi Snecani, & qui in partibus erant, quò finem tantis malis darent, cæteris omnibus deſperatis remediis, ſubacto domitoque factionis odio, ad infenſiſſimos inimicos confugiendum ſibi putarunt. Mox legati Groningam profecti ſenatui populoq; proponere, ſi pecuniâ commodatâ juvare infælicem civitatem libidine militum proſtitutam velint, paratos Snecanos, ſocioſq;, atque ipſum Bocconem, factionem ejurare, fœduſque cum cæteris habere commune: nec verò obſides etiam reſtituendæ pecuniæ recuſare: „ſatis ſcilicet didiciſſe malo ſuo, quàm ſtultũ ſit, peregrina „auxilia contra cognatos & gentiles inteſtini causâ odii adſciſcere; ſenſiſſe quàm „prona armorum initia, quàm aſperos difficileſque exitus; peſtem denique eos & „miſeriam ſibi accerſere, qui in urbem regionemq; ſuam bellum admittunt; bel„lum belluam feram & indomitam, cui ne ſancta quidem ſancta videantur. Gaviſa tacitè civitas; nec, an annuendum, dubitatum apud eam diu. Et cur non ita? offerri enim nunc, quod diu in votis fuerit: & quod vix ſperare licuerit, ita fortunam moderatam eſſe rem: ut ipſis penè feriantibus beneficii gratia, inimicis cum detrimento maximo maxima invidia ex eâ proveniat. Accedebant litteræ his ipſis ferè diebus à Volprechto Tierſio ad Guilhelmum Fridericum miſſæ, quibus is ſtudium ſuum atque operam apud Maximilianum Regem Romam tùm cogitantem, *effuſiùs penè quàm par eſſet, civitati offerebat, & de prioribus actis jubebat eſſe ſecuram: addebat, ſi quid requirat, petatur ſenatus, ſignificato tantùm eſſe opus: nihil omnium eſſe, quod non ſenatus & civitatis causâ libens cupiat ſuſcipere, nec itinera nec moleſtias recuſare, dummodo gratum facere his queat: denique ità ſe fidere gratiæ ſuæ apud beneficentiſſimum Regem, ut haud facile aliquid, quod æquum ſit, ſibi negaturum ſperet.* His itaque freti litteris, fidentiùs etiam agentes Groningani, quaſi omnia ad fortunam civitatis congruerent ſimul, benignè reſpõdent legatis oſtenduntque, non velle ſe deeſſe calamitate circumventis, & opem rogantibus: delectos ſe Leoardiam miſſuros, qui ibi cætera conſtituant. Eo cum reſponſo reverſis domum legatis, præfecti militum tres, uti convenerat, Leoardiam eunt ſine morâ, delectoſque Groningenſium, in his Bernardum Conradæum reip. conſulem inveniunt ibidem. Cum his conventum ſic, præſentibus aſſentientibuſque Leoardiis, & Oſtergoorum nonnullis, *Groningani ut* VIII *millia aureorum numûm intra diem decimum in ſtipendia militum, qui Snecæ, Slotæ, cæteríſque in locis eſſent, exhiberent: illi ſtipendiis acceptis, ſine morâ, ſinèque injuriâ cum prædis his, quas antè eum diem ceperant, pacati Friſiâ excederent; ejus pecuniæ bonâ fide reſtituendæ obſides Groninganis darentur Bocco, Doniaus, Sijdſo, iique in liberâ cuſtodiâ ſine vinculis agerent, donec pecunia civitati eſſet reſtituta.* Tùm è Groninganis tres ex ampliſſimo ordine, & cum his Leoardii duo viri graves Snecam ſe conferunt: ibi cum Boccone & cæteris, totoque ſenatu oppidano locuti, & ab his rogati jusjurandum primùm, mox & chirographum rei geſtæ teſtem à Foxo & collegis, & toto militum vulgo accipiunt ad diem XII Calend. Maij. Deìn pecuniâ undequaque corrogatâ, exhibitiſque à Boccone, Leone, Sijdſone uſitatis in tali re litteris, iiſdemque illis obſidibus fidei acceptis, ſumma VIII millium integra per Bertholdum Gravium reip. Groninganæ conſulem, & Lefferdum Fridericum Leoardiæ præfectum III Non. Maij numerata, milites Snecâ emiſſi: iidemq; Slotam profecti cum commilitonibus porrò pacato itinere Friſiâ deceſsère. Horum diſceſſu læti cæteri, lætiſſimi

Snecani, quos ferunt monitos dicteriis abeuntium militum, ne quos impoſte-
rùm hoſpites admitterent, qui plus ipſis poſſent. Poſtridiè quàm milites exiſ- M.CCCC.
ſent, Groningani cum CC armatis ingreſſi civitatem eandem, miſſo Slotanis XCVI.
Conrado Vlgero præfecto cum præſidio, quantum ſatis erat, confeſtim diem
conventus edicunt omnibus ordinibus Weſtergois: ad quem Vetcoperi magno
numero, Sciringiorum aut nulli aut perpauci venêre. Ibi Ioannes Scafferus Gro-
ninganus è numero conſularium verba faciens pro facundiâ ſuâ moverat penè
eos qui aderant, ut in tributum liberandorum causâ obſidum conſentirent.
Sed obſtrepens cum Galamæis Iuvingius, haud æquum dicere, à ſe ſuiſq; quic-
quam dependi in ſtipendia militum, qui eſſent in ſe ac ſuos conducti: ſe quoque
militem habuiſſe pridem, nec ſolvendis ſtipendiis adjutum à quoquam, nec
verò unquam fando auditum, hoſtem hoſti ſtipendia cõferre, niſi victum: ſuam
non ita fractam eſſe fortunam, nec rem hoſtis tam lætam, ut hujuſmodi condi-
tionem ſubire aut æquum aut neceſſum videatur: ſatis ſibi & ſuis incommodo-
rum ab inimiciſſimis hominibus datum, ut hâc acceſſione velut ludibrio non ſit
opus: denique omnes rationes poſcere, ut qui militem in perniciem aliorum in
Friſiam vocarunt, ab ipſo milite circumventi, divino numine conſilium pra-
vum in capita vertente autorum, ſtipendia quoque eidem ſolvant. Ita impedi-
tus aſſenſus eo tempore: & conventus alius non multò pòſt eâdem de re à Gro-
ninganis ſuâ in urbe indictus ad Pentecoſtes. Quò cùm pertrahi nullis rationi-
bus poſſent Franequerani, Hottingij, cæterique in partibus Sciringiis principes
(metuebant quippè ſibi ab urbe inimicâ) reliqui è Weſtergoâ frequentes om-
nium ordinum qui advenerant in tributũ conſensêre: ſed conſenſui addita con-
ditio; ut à Sciringiis, quod conferretur, id liberandis obſidibus eſſet, cæterorum
cenſus ærario cæderet fœderatorum: deſignatuſque conferendi modus in do-
mos, armenta, cenſus cæteros. Inter hæc & de fœdere jactati rurſum ſermones,
cujus Weſtergoorum pleriq; erant peravidi. Et quanquam repetita de eo antè
mentio & actio ſæpiùs, tamen hactenus alias atque alias ob cauſas confici nîl po-
tuerat. Tùm verò majore contentione animorum reſumptum negotium, cùm
partium duces magno numero Groningæ adeſſent, & plures quàm antè con-
ſenſui cauſæque accederent, tandemque poſt aliquot dierum deliberationes, &
ſtudium ardens, & preces adhibitas ſuperandis animis Groningenſium eſt con-
fectum, fœduſque ritè percuſſum, & ſigillis ſignatum XXVII: Sigillorum primum
Groninganum, reliqua VVeſtergoorum fuêre: in his antiſtitum cucullatorum
VI, oppidorum IV, cætera primorum nobilium. Exordium hujus fœderis idem
quòd Oſtergoi; ob facinora fanda ac nefanda in VVeſtergoâ graſſantia, & peſ-
ſundata judicia, & legum reverentiam ſublatam, ob turbas & arma civilia pro-
pè aſſidua fœdus à VVeſtergois quæſitum cum rep. Groninganâ, nec niſi poſt
multas longaſq; preces impetratum. In fœdere ipſo, quæ de Goſlico priùs ſcripta
fuerãt & exulibus ſociis ejus ea, quoniam res jam mutatæ, ut aliena à temporis
conditione hîc omiſſa. Reliqua, paucis exceptis, planè eadem, quæ ſunt ſuprà à
me recitata. Pauca verò illa in commodum Groningẽſium modicè flexa, *ut non*
aliàs quàm Groningæ conventus annui ſociorum menſe Majo haberentur: ut in cauſis minori-
bus non ad proximi oppidi ſenatum, ſed ad præfectum aut caſtellanum ſuum ab inferioribus
tribunalibus appellatio eſſet: denique ut fœdus eſſet vicennale. At decreti iſtius, quod dixi,
executio difficilis, multis, qui domi manſerant viris nobilibus, oppidis, plebeijs
antiſtibus exactiones haud ferentibus, incitatis ab iis, qui in Sciringiis eminabãt,
& Groninganos oderant. Quâ re aſperati hi, qui ſumptus haud parvos bello
priore muniendo caſtello ad cataractam Taconis fecerant, & illudi pro benefi-
cio maximo recente ſibi putabant, duriùs habere obſides, &, ſi VVorperio cre-
dimus, in vincula quoque dare; quanquàm id neget Sicco Beninga autor bonus,
eo tempore in urbe degens. Simul iidem conſtitutâ re cum ſociis, copias, quan-
tas poſſunt, parant, accelerant, progreſſiq; per Oſtergoam, Leoardiâ Harlingam

M. CCCC. XCVI. rectà profecti, forum frequens oppidi inſtar in Weſtergoæ littore boreo, ſitu idoneo ad ſtationem navium poſitum, caſtra ibi locant, & ſe cum Iuvingianis, Galamæis, cæteriſque factionis ejuſdem, qui ſe in adventum eorum paraverant conjungunt. Mox ad auſtrinum latus oppidi arcem moliuntur muro, vallo terreo, foſsâ, omnibus rebus ad munitionem pertinentibus validam; opus ſummo ſtudio feſtinant; omnes intra ſena paſſuum millia habitantes homines ruſticos, lateres, calcem, reliquam materiam comportare, fodere, terram egerere, ſimilia opera facere, aut ſenos ſtuferos diurnos pendere compellunt. VVinbritſerani in ſumptus gravi tributo adacti. Ludinkerchium cœnobium imprimis ob viciniam magno onere preſſum: de quo memoriæ proditum à VVorperio, haud minùs quàm tonnam butyri iſtîc abſumptam quotidiè propter obſonantium multitudinem, atq; inde cætera æſtimari facilè poſſe. Inter quæ emiſsâ copiarum parte, Eponis Aluæ arcem VVitmarſi, Siurti Beimæ Arumi, propterea quod cum Franequeranis facerent, ſocii invadunt, occupataſque, ſolo æquant. Indè opere ad Harlingam jam perfecto, & Mathiâ Pottero familiæ patriciæ apud Groninganos cum præſidio impoſito, exeunte jam menſe Iunio in caſtellum Pingumanum, aggere terreo magni operis ſeptum, exercitum vertunt, id omni vi urgent propugnãte fortiter Siurto Beimâ, qui cum aliquot armatis in caſtello erat. Ad quod cùm æneum tormentũ maximæ molis Groningâ nuper advectũ, Leoardià in agrum Biltanum, atque indè in caſtra traducitur, non procul Englumo milites aliquot Marteniani, ex arce Hornanâ Heſſeli Martenæ erumpentes, diſturbare eos, qui illi præſidio dati è plebe ruſticâ fuerãt, conati, ab iiſdem victi, & in arcem rejecti unà cum arce in poteſtatem veniunt, arxque lateritia deformata, vallum arci circumjectum ob feſtinationem relictum. Sed tormentum in caſtra pertractum, cùm primum globum in obſeſſos Pingumi eijceret, ſeu copià nitroſi pulveris, ſeu quâ aliâ cauſâ diſſiliit in partes, nonnulloſq; circumſtantes eliſit. Eo velut omine turbati Groningani re infectâ Pingumo tum diſceſsêre, caſtellique oppugnationem in tempus aliud reſervârunt. Annotatum in annalibus durante hâc obſidione, Groninganos aliquot curru vectos, cùm cœnobium virginum ſacrarũ præterirent, janitoremq; cœnobii cereviſiam bibendi causâ poſcerent, hâc ipsâ acceptâ, cùm minùs grata palato eſſet, contumeliæ causâ porrigentem perfudiſſe, ac cantharum cũ liquore illiſiſſe ſolo: deindè regerentem aliquid liberiùs perſecutos fuiſſe uſq; in fanum, abſtractumq; ab arâ ſummâ, in ipſo fano trucidâſſe; nec facinoris hujus ſtatutũ in autores ſupplicium, hæſiſſeq; piaculum ingens in civitate, cujus fortunæ hic quoq; terminus in his partibus fuerit. Erat Groninganis in oculis Franequera, quæ ſola ex oppidis ejus regionis ſocietatem nondum admittebat, confugiumq; nobilitatis Sciringiæ ab eadem ſocietate diſſentientis habebatur. Ejus capiendæ peravidi illi, ut remoram fortunæ ſuæ auferrent, vim, dolum, quemcunq; denique modum huc ſibi adhibendũ putàrunt. Itaq; caſtris ad Dongumum collocatis, in quibus M. CCC armatos partim civitatis ſuæ, partim ſocios habebãt, circiter Calend. Iulias, emiſſam per noctem manum in ædibus oppido proximis conſidêre jubent in inſidiis. Poſtero primâ luce alios mittunt, qui armenta ſub mœnibus paſcentia abigant. Quibus prohibẽdis dum erumpunt oppidani, & longiùs hoſtem cedentem ſequuntur, proſilientes ſubitò ex inſidiis illi, quos dixi, cum vulneribus & cæde in oppidũ eos repellũt, duobus etiam captis. Sed cùm ad occupandã portam ſe audaciùs ingererent, cõcurſu majore civium & præſidiariorum facto, recipere ſe, & fugâ ſibi conſulere ſunt coacti. In quo receptu Petrus Bradius regis Danorũ filius nothus, ut Worperius tradit, cum duobus aliis à perſequentibus cæſus. Ob quam cædem iræ indulgens militiæ Groninganæ præfectus Ioannes Seſtadius vir ferox, duos quos dixi è Franequeranis interceptos, ulciſcẽdi libidine contra morẽ militiæ interemit. Inſidiis non procedentibus, & ſpe per vim potiundi oppidi propter præſidii robur abjectâ (fortiſſimi enim quiq; & acerrimi partiũ Sciringicarũ defenſores

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

in oppidum confugerant) induciæ inter partes initæ, exercituſque dimiſſus. M. CCCC.
Sed induciæ momento rursùm ruptæ, non ſinentibus odiis mutuis vicinos in- XCVI.
ter ſe pacatos agere. Itaque à levi principio Bolſuerdiani, Franequeranos, hi il-
los injuriis afficere, prædas abigere, vias infeſtas habere: Franequerani etiam
ad mœnia uſque Leoardiana excurrere, boum magnum numerum abducere:
Leoardiani viciſſim Heſſeli Martenæ, qui cum Franequeranis erat, arcem Hor-
nanam nuper deſertam invadere denuò, ac poſt bidui labores captam funditùs
exſcindere. Denique certatum mutuis injuriis. Inter quæ Franequerani du-
cibus Iaricho Hottingio rectore oppidi, & Heſſelo Martenâ pridiè Non. Auguſti
alterâ noctis vigiliâ portis egreſſi, profecti celeriter, ſub primam auroram Har-
lingam oppidum tenuiter munitum inopinato adventu opprimunt, magnum-
que habitatorum numerum, qui aut recipi arce, aut in ſummâ feſtinatione in
eam pertingere non potuerant, capiunt. Bocconem Ennium Bolſuerdianum,
acerrimum Goſlici inimicum, memores injuriarum ejus interficiunt, & cum eo
alios. Mox arce fruſtrà ſummâ vi tentatâ, direptis oppidanorum omnium for-
tunis, eodem adhuc veſpere Franequeram viris propemodùm vacuam ovantes
ſe referunt. In prædâ tormentum quoque majoris generis fuit, à Groninganis
iſthuc advectum tuendi oppidi causâ. Inter captivos Douvo Gerbranda vir no-
bilis in diuturnâ cuſtodiâ apud Franequeranos manſit. Hoc detrimento ſuorum
commoti Groningani ad prohibendas Franecenſium excurſiones in Lidluma-
no cœnobio milites CCCC ex eorum numero, qui Leoardiæ erant, in præſidio
collocant. Intereà & Edo Cornwerdius, cujus arcem nuper Pingumo dece-
dentes everterant Groningani, vindictæ cupidus turrim vici ſui communierat,
& Groningenſium ſociis fuerat infeſtus. Quod ferendum non putantes Iuvin-
gius ac Tiarcho frater ejus, collectâ ex Bolſuerdianis, Worcumanis reliquiſque
ſuarum partium hominibus non parvâ manu, turrim coronâ factâ oppugna-
runt, propugnante Edone: deindè cùm parùm proficerent, ingentem vim fœni
comportârunt, ut incendio excitato, ardore & fumo præſidiarios ad deditio-
nem aut necem compellerēt. Sed advenit oportunè Siurtus Beima amiciſſimus
Edonis, cum turmâ equitum CXX, quos ex Pingumanis, Arumanis, Witmariis
confecerat, præcurrens, & velitando ad pugnam Iuvingianos prolectavit: Mox-
que veſtigia ejus ſecuti Franequerani equites peditesque, ductu Iarichi Hottin-
gij & Heſſeli Martenæ, adfuère, unaque cum ſociis in Iuvingianos impetu facto
præclaram victoriam retulère. Sic Edo obſidione liberatus. Cecidêre in pugnâ
Iuvingianorum XXX, capti ſunt XL, & Franequeram aut Pingumum in cuſto-
diam ducti. Eo tempore Vomelius vicus ardere viſus. Groningani ſuorum cla-
de auditâ, ad inſtaurandam fortunam, collectis ſubitò ingentibus armatorum
copiis, feſtino itinere Leoardiam profecti medio menſe Auguſto, auctique illîc
confluentium ſociorum auxiliis ad Weſtergoam perdomandam ſummâ vi ſe
parant: Primuſque ab iis impetus in arcem Berlecumanam Doconis Hemme-
mæ, cui frater ejus Adolfus cum præſidio XXV validiſſimorum juvenum præ-
erat, datus. Quam arcem licèt ceſſuram ſtatim viribus ſuis, & vix primos cona-
tu laturam arbitrarentur, multò tamen majorem, quàm putârant, in re diffi-
cultatem repererunt. Nam & valli terrei, quo arx ambiebatur, firmitudo tan-
ta erat, ut tormentorum fulminibus probè reſiſteret, & latiſſimâ foſſâ aditum
oppugnaturis negabat, & ea fortitudo propugnatoribus inerat, ut periculis
non facilè terrerentur. Itaque quamvis pertinaciter oppugnantes rejecti, tor-
mentiſque quæ in arce erant, infeſtati cum detrimento in caſtra receſſerunt.
Hinc ad alia conſilia verſi, machinam ingentem ex trabibus compactam, ad-
ditis tabulatis, turris in modum in altum educunt, cujus tanta firmitas erat, ut
minoribus tormentis, qualia in arce præſidiarii habebant, noceri ei non poſſet.
Hanc in oram foſſæ promovent, ac ità fulmine tormentorum ex loco ſuperio-
re vallum arcis infeſtant, ut propugnandi causâ nemo ferè in eo audeat con-

M.CCCC. XCVI. ſiſtere. Sed ſic quoque aliquot oppugnationibus fruſtrà tentatis cùm jam penè animus Groninganis concideret, tandem ad III Non. Septembr. annitentibus omnibus Vetcoperis ejus oræ, quibus inviſa arx erat, ex omni parte eodem temporis momento, impetus in munitiones eſt factus: nec antè reductus exercitus, quamvis plurimi caderent, quàm præſidiarii continuo labore feſſi fractique, cum integri defeſſis ſuccedere ob paucitatem non poſſent, viribus deficerent. Sic captâ arce, omnes ab iratis victoribus pugnãtes trucidati ſunt, uno dempto, qui egregio aſtu, cùm ſe è victoribus eſſe oſtentatâ prædâ ſimularet, ſævitiem illorum eluſit. Adolfus præſidii præfectus hoſtium iram metuens, cùm quis futurus eſſet eventus proſpiceret paulò antè quàm arx ſuperaretur, per tenebras noctis, cum tribus comitibus clam evaſerat: quod debilius etiam præſidium reliquum reddidit. Capta in arce eſt conjunx Bocconis, Bauca, egregiæ indolis & generis fœmina, quæ in omni hoc diſcrimine viro ſe propiorem quàm fœminæ geſſerat, conſtantemque animum atque erectum præclarè ſervaverat. Quocircà inviſa victoribus, quanquam uterum ferret, tamen velut in triumphum ducta Groningam, & in vinculis habita: in quibus nõ multò pòſt, id quod invidiæ ſenatui fuiſſe quidam ſcribunt, gemellos edidit, adeò debiles, ut inter naſcendum vivere deſierint. Vorperius unicum fœtum ediſiſſe ait, eumque mortuum exiſſe. Arcem occupatam, ob viciniam gravem ſibi, demoliri cupiverunt Leoardij: ſed Groningani, imponendo contra hoſtes præſidio, eam conſervârunt. Hoc verò durante obſidio per indicium Groningani acceperant, Heronem Hottingium & Goſlicum Iongamæum in Belgium profectos, perniciosa in patriam agitare conſilia. Hanc ob cauſam, ut in invidiâ eos cum Franequeranis poneret, rumorem latè ſparſerant, militem hos ipſos quærere peregrè, & Saxonem Burgundúmve ſollicitare, ut Friſiam ſubigant, peſſimos hominum, qui factionis libidine patriam malint prodere peregrinis, & ſervi eorum fieri, quàm æquâ ratione in libertate vivere. Ad hæc edictis publicè propoſitis omnes, quibus patriæ libertas & ſalus curæ eſſet, ad ferenda in has peſtes auxilia erant cohortati. Snecanos etiam officii, Edonem Iongamæum aliosque debiti ſpeciatim admonuerant. Quibus intellectis Hottingius Iarichius, quem Principem rerum Franequeranarum tum temporis fuiſſe oſtendi, item ſenatus populuſque Franequeranus & cæteri, qui in partibus erant iiſdem, velut autores tuendæ libertatis litteras per omnem viciniam, imprimis per Sylveſtres vulgarunt, inſcriptas omnibus patriæ amantibus. Quarum litterarum hoc exemplar fuit. *Nemini ignotum, amici, ſæpè nobis colloquia fuiſſe, ſæpè conveniſſe cum Groninganis. Sed optimæ voluntati noſtræ ad pacem paratæ peſſimus ſemper reſpondit eventus. Nam pridiè quod ab omnibus decretum benè, id poſtridiè ab his interpretatum malè, verſúmque in ſervitutem noſtram. Tributum poſtulârunt nos majus viribus noſtris, quod ad æquum modum pendendum parati eramus, liberáſque inſuper appellationes feceramus. Verùm id agunt ij, ut nos ex liberis ſervos faciant, quod nobis ac genti noſtræ tolerabile non eſt. Quod ſpargunt autem, & vobis perſuadere nituntur, nos Heronémve Hottingium id agere, ut peregrinos Principes opprimendæ libertati trahamus in Friſiam, id planè falſum eſt. Nam quæ nunc contra ipſos hos gerimus, ea pro patriâ libertate gerimus: certóque affirmamus vobis, nomine noſtro in Friſiam venturum neminem, qui libertati vim ſit facturus: eſtque calumnia hæc par illi, quâ pridem vos circumvenêre; unde cædes & alia mala ſecuta omnes cum dolore meminimus, cùm perſidi homines in fraudem conjectos in ſummo veſtro diſcrimine, cùm maximè auxilijs egeretis, turpiter vos deſeruêre. Quare expendenda vobis res diligenter, nec committendum, ut nobis, qui id ſolum agimus, quò vobis haud minùs quàm nobis liceat in majorum libertate vivere, ſitis impedimento. Teſtis Deus, qui nos & vos omnes verè liberos eſſe velit. Signatum Franequeræ die* v *Calend. Septembr.* His commoti litteris multi contantiùs egêre: eratque mirum, cùm partes hoſtili animo interſe agerent, ſeq; mutuò evertere ſummâ vi niterentur, tamen utraſq; defenſionem libertatis jactare, & inimicis opprimendæ ejus conſilium ac ſtudium objicere.

Ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Ità factum,ut vulgus plurimum velut deprehenſum in medio hæreret,nec quid
ſequeretur , quid fugeret , poſſet intelligere. Sed enim ſucceſſu priore erecti M CCCC.
Bolſuerdiani Pingumanam arcem denuò medio menſe ſeptembr. ſummis vi- XCVI.
ribus aggreſſi, ſed majoribus animis à Siurto Beimâ , Edone Cornuverdio, Hil-
lone Dotyæo, qui arci inerant, rejecti ſunt. Et cùm inſtaurare oppugnatio-
nem vellent poſtridiè, Heſſelus Martena & Epo Alua cum firmis equitum pe-
ditumque copiis advolantes ſic eos vi ſubitâ invaſerunt , ut multo tempore ſi-
milem cladem haud acceperint. Tiarcho Iuvingii frater eorum dux inter pri-
mos curſu pernicis equi in tutum evaſit: reliquorum civium C L interempti, &
in his ferè lautiſſimi quique. Qui hoſtes evadere potuerunt , diſperſi , ac vix ſe
in viâ recolligentes, miſerabili agmine Bolſuerdiam rediere. Tum mœror,que-
ſtus, fletus univerſum oppidum complevit. Victores potiti tormento Bolſuer-
dianorum, cum magnâ captivorum catervâ jam in regreſſu erant, cùm Iuvin-
gius, qui eo tempore Lidlumi cum Groninganis fuerat , ac de ſuorum fortunâ
certior erat factus, cum validâ cohorte ſociorum inter Franequeram & Achlu-
mum vicum occurrens, pugnâ contractâ tormentum illud compluresque cap-
tivos recuperavit , ac fugientibus ſimiles hoſtes in proximam arcem Heronis
Hottingii Vomeliani ſe recipere coëgit. At ſigniferum ad aram apud Achlu-
manos confugientem, extractum templo in ultionem cæſorum interemit. De-
inde proximos Sciringiorum vicos vaſtavit, prædis abactis. Et Luidingkerckæ
præſidium à fœderatis poſitum ad impediendos Franequeranorum excurſus &
commeatus; ſed inani ſtudio. Nam Snecenſis via claudi rectè non potuit. Inte-
rim magis & magis Alberto Saxoni viam in Friſiam fortuna ſternebat. De quo
res monet,ut quædam repetam paulò altiùs. Anno ſuperiore, M.CCCC.XCV ver-
gente, cùm conducti à Goſlico , ductore Foxo in Friſiam milites veniſſent, hos
deinde alii eſſent ſecuti , & Weſtergoos ac vicinos protererent , nec ſatis con-
ſtaret, quo autore tantum facinus auderent, maxima ſollicitudo & terror ani-
mos hominum,ut oſtendi,pervaſerat. Itaque Groningani etiam de fortunâ ſol-
liciti ſuâ , ad Edſardum Comitem vicinum miſſis litteris oſtenderunt , quid in
Occiduâ Friſia gereretur: eam peſſundari à milite peregrino, & vulgò credi,ab
Alberto Saxone id proficiſci regionis invadendæ cupido : cupere igitur ex ipſo
cognoſcere , quæ mens ipſius ſit , velut ne conatum tuendæ libertatis commu-
nis, exturbandique peregrini militis adjuvare. Reſpondit Edſardus, qui Emdæ
tum erat,ipſis Decembr. Calend. Scire ſenatum,grave ſe bellum proximis men-
ſibus pro rep. ſuſtinuiſſe:itaque non ferre res ſuas,ut novo ſe bello tam citò im-
plicet : nec ſatis conſtare , an ſolius Saxonis id negotium ſit, an verò etiam ad
ipſum pertineat Maximilianum Regem: quem ſi attingat,facilè æſtimare ſena-
tum poſſe, ſibi, qui in ordinibus Imperii ſit,contra id ipſum nihil licere:ſin ſecùs
res habeat,non ſe defuturum officio ſuo, nec recuſaturum pro vicinis colloquii
& actionis cujuſcunq; moleſtias,ubi fuerit de voluntate ſenatus factus certior.
Eo reſponſo perplexiores etiam facti Groningani , magis & magis ipſum ſuſpe-
ctare Edſardum velut conſcium conſilii, à Saxone plurimùm ſibi metuere, Regi
quoq; & Regiis purpuratis non fidere, in conſilio planè hærere. At Edſardus rei
ignarus,ut eam cognoſceret,ſtudio Groningenſium,uti præ ſe ferebat,litteras
non multò pòſt ad aliquem è militum numero , quem gnarum eſſe totius ne-
gotii rebatur dedit , per quas quærebat ex eo, an Principis cujuſquam milita-
rent auſpiciis, quis is eſſet, quot ipſi eſſent numero, quantum mererent ſtipen-
dium,quando expiraturum ſacramentum militare? haberent'ne in animo,pro-
piùs Groningam & loca cum Groninganis conjuncta accedere , & aliquid eos
ſoſciosq; poſcere ? His verò in itinere interceptis litteris (itinera enim obſerva-
bantur) atque ad ſenatum delatis, mirum quàm aucta ſit eadem ſuſpicio. Itaq;
cùm detineri eas Edſardus intellexiſſet, moleſtiſſimo ferens animo, ſuſpectum ſe
vicinis ſine culpâ ſuâ, XI Calend. Febr. Stichuſâ ſcribit ad ſenatum , repetitisq;

M.CCCC. prioribus, & nuperis & proximis, ait conſilium ſuum non niſi amiciſſimum
CXVI. fuiſſe: voluiſſe per hominem fidum explorare totam rem, cognitâque eâ ami-
cos & vicinos certiores facere, & conſilio juvare: nunc intelligere ſe, litteras
ſuas ab ipſis interceptas detineri: idque mirum ſanè, & alienum ab amicitia
ſibi videri, præſertim toto negotio, qualecunque id ſit, in ipſorum modò com-
modum ſuſcepto: petere, ut ſaltem nunc huic novo eam ob cauſam à ſe miſſo
internuncio ferendas ad eum reddant, cui videant eſſe inſcriptas: id ut fiat ita,
& ſuâ plurimum intereſſe, & ipſorum: ſe paratum adhuc, ſi quid alicunde co-
gnôrit, quod ad ipſos pertineat, id iis ſignificare: idemque expectare mutuò. Ad
quæ cùm alieniùs reſponderet ſenatus, litteraſque aut periiſſe, aut ſibi non viſas
eſſe diceret, ſuſpicio mutua in ſimultatem, ſimultas in grave odium atque in-
micitiam eſt verſa. Intereà Snecæ admiſſi milites, & pugna in agro Slotano pu-
gnata, & Snecenſes pecuniâ adjuti à Groninganis, denique hi litteris animati à
Volprechto & arma ab his in Sciringios tributi causâ mota. Sed Volprechtus
ſuam benevolentiam & fidem oſtentans, aliorum elevans, Albertum quoque
verbis tectis ſuſpectum fecerat. Sic enim ſcripſerat, Non omnes fidem præſta-
re, quibus quæſtui cauſa fuerat: pauca intelligentibus: metuere ſe, furem parie-
tibus quoque ipſorum eſſe incluſum. Ita factum ut quemadmodum Edſardo,
ſic Alberto quoque, cujus fuerant gratiâ uſi, Groningani jam prorsùs diffide-
rent: cum Alberto etiam ipſe in ſuſpicionem magis & magis traheretur Maxi-
milianus. Eodem tempore, cùm jam poſt exceſſum militum è Friſiâ, tributi
causâ arma rursùm eſſent mota, Franequera diſcrimini expoſita, Harlinga in
VVeſtergois occupata præſidio, Goſlicus Jongamæus Bolſuerdianus, & Hero
Hottingius VVommelianus Sciringicarum partium principes dolorem non fe-
rentes, in Hollandiam profecti, Albertum Harlemi tùm morantem rursùm
adierunt. Erat his animo fixum, ulciſci dolorem ſuum & fortunam partium
inſtaurare, etiamſi cum ſummo incommodo reip. ac jacturâ libertatis id eſſet
„ faciendum. Tanta vindictæ libido mentes hominum ſæpè agitat, ut dummo-
„ dò malè perdant eos, à quibus ſe læſos putant, propriorum bonorum, inter-
„ dùm etiam ipſius vitæ ſuæ obliviſcantur. Contrà Albertus callidus princeps,
ingenio, uſu rerum, longâ ætate firmatam prudentiam habens, belli artes,
commoda, incommoda antè omnes ejus ſæculi homines perdoctus, quod cu-
piebat maximè, id recuſare ſe ſimulabat. Audierat, cognoveratque ingenium
gentis libertati natum, propoſiti pertinax, corpora valida, animos fortes &
mortis contemptores, cùm pro patriis inſtitutis veniundum in diſcrimen: fa-
cilè coaleſcentes, quamvis factionibus disjunctos, quoties contra peregri-
nos & ſervitutem pugnandum: Ad hæc regionis aditus difficiles, vias exerci-
tibus ferè invias, ſitum habitumque bello incommodum, equeſtri Marti ma-
ximè adverſum didicerat, quæque oculis ipſe non uſurpaverat, ea Hollandiæ
„ conditione notâ metiebatur. Imprimis quàm acris in armis ipſa libertas à na-
turâ ſit etiam pauper contra maximas opes, conſiderabat. Itaque cautus ac
vafer velut averſari preces, ſe feſſum bellis, quietem quærere, media alia ac re-
media monſtrare, conſilium ſuum penitùs abdere. Tum illi longiùs progreſſi,
ut animum hujus moverent, docent eo in ſtatu nunc res Friſiæ eſſe, ut ſine
Principe ſummo ſtare diutiùs non poſſint: ſibi, ſi axilio ipſius redire in patriam,
& res ſuas recuperare æmulosque evertere liceat, non fore difficile ipſi princi-
patum tradere. Hâc oratione opinione cupidiùs auditâ, præ ſeſe tamen ferre
princeps, non eò tendere deſiderium ſuum, interim benevolentiam oſtendere
ſibi pergratam, opis etiam ſpem aliquam facere. Deindè, cùm maturum vi-
deretur, Nitardum Foxum Francum gnarum jam regionis & gentis, & oc-
cultis præceptis inſtructum, cum veteranis militibus DCCC, unà cum his ipſis
in Friſiam remittit. Hos milites, ait Vorperius, juramento ſe obligaſſe, non
antè ſe, poſt pedes in terrâ Friſiâ poſitos, cibum ſumpturos, quàm ipſam Bol-
ſuerdiam,

ſuerdiam,ſedem hoſtium in VVeſtergoâ, occupaſſent. Itaque eo animo navi- M. CCCC.
gantes, cum die v Non. Octob. ad Surichum locum maritimum appuliſſent, XCVI.
curatis corporibus, quanquàm ſpectante exercitu hoſtili, in quo bis mille fuiſ-
ſe feruntur, qui famâ præcurrente excitati, impediendi deſcenſus causà ex vici-
nis præſidiis Harlingano, Lidlumano, Ludinkercano, pluribusque aliis celeri-
ter coierant, tantâ alacritate ferociâque in litus deſilière, ut velut attoniti ho-
ſtes, qui pugnatum venerant,pugnæ immemores in fugam ſe effuderint. Quo-
rum ea trepidatio fuit,ut vix præſidio in caſtello Harlingano relicto,rebusq; ad
defenſionem leviſſimè conſtitutis, tormento æneo magni ponderis in profun-
dum gurgitem cataractæ demerſo, altero in oppido præ timore deſerto,præci-
piti ac tumultuario agmine Leoardiam contenderint,Franequeranorum auda-
ciſſimis,& qui alii famâ exciti accurrerant,terga abeuntium cædentibus, & pa-
rentantibus dolori ſuo. Foxus intereà cum Goſlico & Herone,exercituq; Fra-
nequeram venit ſub veſperam,aſſumptisq; in commilitium oppidanis,& vicinis
ruſticis ſine morâ Bolſuerdiam profectus,non procul mœnibus tantiſper ſedet,
donec expectata cætera ſociorum auxilia conveniant. Tùm albeſcēte primùm
cælo,claſſico canere juſſo, militē prædæ avidum in mœnia immittit, oppidum-
que, nequicquam tuentibus ſe, qui in eo erant, ac fortiter rem gerentibus, vi
capit. Tantus invadentium devotorum impetus ac ardor fuit. Capti in oppido
Iuvo Iuvingius factionis inimicæ caput,fraterq; ejus Tiarcho, Sibrandus Roor-
da,& magnus civium numerus. Quorum Iuvo vitæ ſuæ metuens,ſtudio militū,
quibus ingens auri pondus promiſerat,abditus,Goſlici diligentiâ è latebris pro-
tractus velut victima cæſus,turbatæ pacis pœnas dedit.Hunc vitæ finē turbidus,
ferox,aſper, propoſiti pertinax, ambitione vecors, audax, patriæ fax tandē tulit.
Tiarchoni miſericordiâ militū, fruſtrà Goſlico eodē magnâ pecuniâ caput ejus
licitante,ægrè vita ſervata:crudelitasq; licitatori in patruos ſævienti,ſummæ in-
vidiæ etiam apud peregrinos habita. Oppidanorum fortunæ,qui cum Iuvingio
fecerāt,militibus permiſſæ. Berlecomia arx à præſidio timore perculſo deſerta,
& vacua à Docone domino recepta. His geſtis,exercitus Bolſuerdiâ Harlingam
ductus, oppidumq; ſine labore occupatum : caſtellum inani conatu oppugna-
tum; deîn arctâ obſidione ope vicinorū, quibus inviſæ Groningenſium res, cin-
ctum; poſtremò, rejectâ à littore ac portu Groninganâ claſſe, quæ ſubſidia &
commeatus obſeſſis ferebat,deditione captum. Et præſidium militum impoſitū
à Foxo,ut eſſet ſtipendii pignus,idoneo ſitu ad littus. Tùm animis ad fortunam
arrectis Snecēſes,pertæſi res præſentes,projectâ Groninganâ ſocietate vocatisq;
in auxiliū ſui ſtudioſis ex agro vicino,Slotam contēdunt, arcem Wattionis Ha-
ringæi,quā Groningani præſidio tenebant,invadunt,obſident,dedente præſidii
præfecto Conrado Bremano, in poteſtatē redigunt, præſidiariis cum omnibus
rebus ſuis dimiſſis.Hinc longiùs progreſſi caſtellum ad cataractam Taconis me-
moratum priùs, opere & præſidio probè munitum, quatiunt tormēti fulmine,
omniq; vi fruſtrà tentant aliquandiu:& jam deſperare de re cœperant, cùm ea-
dem illa,quæ Groninganos incipiebat deſtituere etiā hîc eos inopinatos afflixit
fortuna.Nam coorta fortè tempeſtas,uti fieri iſtis in locis eo anni tempore ſolet,
mare vehemētiùs commovit: id ruptis aggeribus in terras infuſum tantâ vi flu-
ctus in caſtellum adegit,ut præſidiarii loco non fidentes obſervatâ oportunita-
te fugæ conſiliū ceperint,atque ita Cuneram conniſi,indè Drentiam,ex eâ Gro-
ningam petierint.Caſtellum milite nudatum,a Snecenſibus occupatū & fundi-
tùs eſt everſum. Sic brevi momēto VVeſtergoa univerſa Groningenſiū imperio
aut ſocietate rurſum liberata. Tùm tributū in ſtipēdia militum collectum colla-
tumq; promptè: & cùm id ſtipēdia non æquaret, à Goſlico argētei auratiq; cali-
ces è fanis inimicorū hîc illîc ſublati,militibuſq; in ſolutū dati. Nec mora, Foxus
cum omnibus ſuis antè mediū menſis Decēbr. Worcumū pacato itinere pro-
fectus, ex eo portu in Hollandiā ſe retulit. Simul Sciringicarum partium duces,

abſtractis

M.CCCC. abſtractis cum inſtrumento & magnâ vi nitroſi pulveris Groningenſium tor-
XCVI. mentis, Harlinganam arcem tantis ſumptibus & labore vicinorum nuper
ſtructam, opera ac ſtudio eorundem ſunt demoliti. Tiarcho VValtha & Si-
brandus Roorda in Hollandiam abducti, magno redemptionis pretio numera-
to e vinculis dimiſſi: quorum ille Suollos exulatum abiit, hic in patriam eſt re-
verſus. Atque hoc modo varios inter tumultus actus cruentum etiam exitum
annus habuit. Nam pridie Calend. Ianuarii plebecula Grouvana (vicus eſt
Friſiæ) ob occiſum nuper ſacro loco à Leoardiis rectorem ſuum virum nobilem
VVibonem Iarichum, factionis causâ, cives Leoardios octo deprehenſos for-
M.CCCC. tè, aut inſidiis circumventos viciſſim interemit. Anno M.CCCC.XCVII vix-
XCVII. dùm inchoato, pacatâ jam totâ VVeſtergoâ, id quod agitari cœperat ſtatim
à Foxi diſceſſu, operâ ac ſtudio eorum, qui gratiâ ac autoritate valebant
actum multò diligentiùs, ut fœdus inter omnes Weſtergoæ ordines pacis tuen-
dæ causâ feriretur: dieſque huic rei dictus Snecæ, atque ibi ad diem XI Ianuarii
res confecta. Decretum, *ut exules omnes patriæ & fortunis reſtituerentur: ſi quæ cum*
ÿs controverſiæ eſſent, permitterentur judicio; vis omnis abeſſet: nemo alteri bellum move-
ret, aut citra conſenſum omnium ordinum peregrinum militem in Friſiam accerſeret, aut
cum Principe extero, ullóve homine, qui hujus fœderis non eſſet, nec in Weſtergoâ domicilium
haberet, fœdus feriret: cuncti rebus ſuis, uti par eſt, uterentur: è præfecturis, aut judicia-
libus conventibus ſingulis ſinguli ſacri ordines, item ſinguli nobiles, ac bini è reliqua plebe
delecti, velut Ephori eſſent, reique publicæ conſultarent, poteſtatem ſupremam tenerent,
tributa definirent, controverſias publicas determinarent, violatores fœderis coërcerent,
decreta eorum vim legum haberent. Hæc pacta valerent in decennium: ſi quis, violaret, per-
iurus, deteſtabilis, reipubl. hoſtis haberetur, ac mille aureos Rhenanos dare damnas eſſet.
Hujus fœderis beneficio totus ferè ille annus non VVeſtergois ſolùm, ſed cæ-
teris quoque Friſiis tranquillus fuit. Eâ durante quiete, Bocco Snecenſis ad-
jutus ſolertiâ ac fide civis ſui, qui eam ob cauſam in officinâ opificis Groningæ
operam ſuam locaverat, effractis vinculis, ſuperatoque vallo & foſsâ, per no-
ctis tenebras fugiens carcerem evaſit, & Suollam pervenit: indè cum conjuge
& ſorore, ac amicorum catervâ, qui obviam ei contenderant, Snecam profe-
ctus, incredibili civium ſtudio, occurrente cum ſacris ſacerdotum ordine, ſum-
mo cum honore ac feſtâ pompâ eſt exceptus. Quo caſu moniti Groningani,
perindignè factum ferentes, diligentiùs cuſtodiendos ſocios ejus obſides cura-
runt: donec ſolutis quatuor aureorum millibus hos quoque in patriam redire
permiſêre.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XXXVII.

ATQVE hæc dum his locis fiunt, Albertus Saxo oculos in Friſiam jam propiùs intendens, è ſuis ad Maximilianum Regem ex Italiâ & bello Piſano in Germaniam reverſum miſerat, ut ejus voluntatem certiùs exploraret. A quo reſponſo accepto, quale cupiverat, (quid enim ei Rex in re hujuſmodi negaret, tam benè merito?) ſpe futurorum legatos miſit in Friſiam, ut autor Vorperius memorat, ut cognoſceret, quis

quis eſſet Friſiorum animus. His, ait idem, ſenatum ordinum Franequeræ da-
tum: ibi expoſitam mentem Regis; cæteraque nomine Principis propoſita, re- M. CCCC.
ſponſumq; petitum: Cùm nondum aperire ſe aliis Goſlicus & Hero auderent, XCVII.
velut re adhuc immaturâ, legatosque etiam ſecretò prudentiæ admonuiſſent,
cæteros omnes uno quaſi ore reſpondiſſe, nondum pœnitere Friſios libertatis
ſuæ ſperare, nec Regem, nec Principem contra fas quicquam facturos, reliquis
in rebus officia à ſe prompta utrique fore. Quod ubi Princeps ex legatis acce-
pit, etſi moleſtè ferret, compreſſit tamen ſe, & alia conſilia circumſpexit. At po-
pulus velut excitatus legatione, de libertate ſuâ ſollicitus, curis acribus æſtua-
bat. Nec ſolùm qui trans Lavicam ſunt, ſed Groningani quoque cum ſociis eâ-
dem ſollicitudine angebantur. Itaque de concordiâ reparanda odio ſervitii ex-
terni actum à moderatioribus & patriæ amantibus: ſtudioq; eorum, ſi fides ei-
dem Vorperio, colloquio apud Dronrypios inſtituto, induciæ in quinque men-
ſes inter omnes, qui inter Amaſum & Flevum ſunt, vergente autumno factæ,
controverſiæq; ſuſpenſæ, auxilio etiam contra ſervitutẽ & vim externam mu-
tuò promiſſa: idem pactum inter Leoardios & Weſtergoos, quò ſervaretur ſan-
ctiùs, bis repetitum. Sub his induciis, ad anni finem milites CL agrum Sylve-
ſtrium Friſiorum prædæ causâ ingreſſi, concurſu plebis, pars cæſi, reliqui in fu-
gam acti ſunt. Intereà Albertus ad artes ſuas verſus, ut diſtraheret, quos con-
junctos ſuperare arduum intelligebat, Foxam clàm evocat; hunc quid fieri
velit, edocet; cum paucis aliis maximè fidis porrò communicat. Hærebant eo
tempore in Geldriâ & locis finitimis poſt initas inter Geldrum & Burgundum
inducias, copiæ militares veteranæ, ſacramento Principum ſolutæ: in quibus
erant annuis ſtipendiis devincti Alberto, & conſiliorum conſcii quidam cohor-
tium præfecti. Ii in Friſiam ducturi, quò magis tectum habeant conſilium ſuum,
vocato ad ſe Tiarchoni Walthæ apud Suollenſes in exilio adhuc degenti oſten-
dunt, ſine ſacramento ac ſtipendio ſe eſſe, militem adhuc ſub ſignis habere: ſi
cupiat reduci in patriam, ſe eum reducturos, nec aliud operæ pretium poſcere,
quàm prædam ex hoſte. Lætus inſperatâ re Tiarcho conditionem accipit, gra-
tias agit, patronos ac ſervatores ſuos vocat, ampliſſimarum prædarum ſpem fa-
cit. Sed rogat, ut accelerent dum gelu (id tum fortè vehemens erat) ſtrata ja-
ceant omnia, quo nihil commodius, nihil expeditius euntibus in Friſiam. Su-
pervacaneæ preces apud eos, qui per ſe deſiderio rei petitæ ardebant. Itaque
confeſtim coïre juſſis quos ſub ſignis habebant, pridiè Nonarum Febr. Arnhe-
mum cùm præteriſſent, quoſdamque per Tuentiam Suollanâ viâ juſſiſſent pro-
gredi, cum cæteris per Velaniam Campos pergunt, atque ibi conterritâ & ad
arma concurrente civitate, ad ipſa ejus mœnia flumen tranſeunt, & Gelmu-
dam feſtinant, atque indè in Sylveſtres contendunt. Antevertit tamen quan-
quam properantes fama, uti ſolet, & famæ ſuffragantes hinc illinc emiſſæ in Fri-
ſiam litteræ. In his Egberti Regis & Hermanni Heldi Groningenſium fuêre,
Daventriæ (iſtûc miſſi à ſuis erant, ut & militem conducerent, & ænea tor-
menta majoris generis coëmerent, & cum Iſalanis de rep. deliberarent) eodem
quem dixi, die II Nonarum ſcriptæ ad ſenatum: quarum verba non ſolùm ple-
raq; habebant hæc, quæ nunc expoſui, ſed prænunciabant quoque plura, quæ
poſt evenêre: imprimis id per indicia emanare, in ſocios Groningenſium, inq;
ipſos Groningenſes duci, Adoardiam caſtris ſedem deſignari, aut Dammonam:
itaque vigilantiâ & ſtudio eſſe opus, ut urbi proſpiciatur. Et has firmabant al-
teræ ſenatus Campenſis ad eoſdem per celerem tabellarium datæ monendi
causâ, ſignatæ eo die, quo copiæ flumen illîc tranſierant. Quamobrem perple-
xæ omnium mentes, qui in Friſiâ erant, & variè ſpe, metu, ſollicitudine agitatæ.
At ubi auditum compertumque, Tiarchonem in exercitu eſſe, ejusq; reducen-
di causâ agmẽ advenire, tota Sciringiorũ natio artus contraxit: cæteri ut quiſq;
moderato aut turbido animo erat, ſapientiâq; aut inſcitiâ pollebat, ità ſolliciti

M.CCCC. XCVII. ſecuríve, læti aut triſtes agitabant. Simul Sciringii metu pavidi, coire, conſultare, præſidiis & rebus neceſſariis oppida munire, in eâ ſe ſuaque conferre, cæteros quantùm poterant excitare,& auxilia poſcere. Simul præfecti militares, cum copiis,ſine maleficio per agrum Sylveſtrium profecti, jactatâ causâ adventus ſui eâ, quam dixi, omnibusque, qui Tiarchoni hoſtes non eſſent, quieſcere juſſis, Slotam pervenerant: ex eâ præſidio vicinorum contra vim muniti Douvonem Haringæum Hachanum, primæ nobilitatis & gratiæ virum, per amicis verbis evocaverant, perſuaſerantq; ut accepto obſide Cornelio Broeckhuſio ex honeſtiſſimis militiæ ordinibus, boni publici causâ, Illſtam ſecum iret. Quò cùm veniſſent, clàm Tiarchone, cum mandatis & litteris Snecam per tenebras noctis eum celeriter mittunt, ubi tum conventum nobilitatis & ordinum aliquem, eſſe acceperant. Per eum noctu in urbem receptum Bocconi & delecto nobilium concilio proponunt, ſe prætextu reducendi Tiarchonis veniſſe in Friſiam,ſed aliud verè agere,ipſorū rebus percommodū: ejuſq; magnos autores ac magnas cauſas habere: rogare itaq; ne ſe moveant,utq; duos aut tres ſpectatæ fidei homines colloquii & conſilii causâ ad ſe Illſtam mittant. Miſſiq; ſtatim cum Douvone Elingius Goſlici ſcabinus Snecēſis, & Wollo ſacerdos Roordhuſanus. Quibus Snecā reverſis,poſtridiè,uti inter eos convenerat (is erat ſecundus Iduum Februarii) præfecti militū quatuor ſine omni comitatu ad idem oppidū propiùs accedunt: His totidē ex oppido viri nobiles,in quibus ipſe Bocco,occurrunt,ſecretò de rebus quas vulgari non expediat, collocuturi. Ibi edunt illi,in fide Caroli Geldriæ Ducis ſe eſſe,ejus juſſu tēdere in Groninganos & horum ſocios:petere,per Weſtergoam iter pacatum atque innoxium: idque æquum eſſe, quoniam cum commodo futurū ipſorum,qui Groningēſes inimicos & infeſtos habeāt: poſtremò cauſas hujus rei exponunt. Contrà Bocco, non licere id ſibi ob pacta conventa : malleque ſe , fidei quàm vindictæ habere rationem : quapropter ſuadere ac rogare vehementer , ut conſilio ſuperſedeant, & pedem quam primùm referant Friſiaque excedant, neû pacem turbent alienam. Quò offenſi reſponſo militum præfecti, reverſi ad ſuos , motis ſine morâ caſtris, Tiarchone duce eodem adhuc veſpere Bolſverdiam venêre. Sic enim judicarunt, primâ dejecti ſpe aut celeritate occupandam fortunam, aut cœpto cum dedecore deſiſtendum , aut cum periculo ſummo demicandum de vitâ. Nam ad ter mille armatos Snecam jam concurriſſe è vicinâ regione præter oppidanos, & plures aſſiduò confluere, ut armis arma repellant, intelligebant, & hos locorum gnaros,ac ab omnibus rebus inſtructos munitiones quoque tenere, ſe numero pauciores, peregrinos, ſeminudos, ſine præſidio locorum inter infeſtos iter habere, horrentes frigore,& neceſſariorum penè omnium inopes. Nec tamen ſic ſine magno periculo fuêre. Nam qui Snecæ erant per exploratorem certiores de re facti, impeditos in viâ invadere parabant. Sed Goſlicus Iongamæus cum Hottingiis conſilii ſecreti conſors proque milite ſollicitus periculum certaminis exaggerans, expectanda majora auxilia monens, meliora, quæ tutiora dicens, pulcherrimam rem honeſtiſſimo prætextu impediit, exercitusque omnis contentione pedum uſus, dùm deliberant illi, ac hæſitant, diſcrimen evaſit. Tantulo tum momento fortuna nutans inter ſalutem & perniciem Friſiæ atque hoſtium ſtetit. Quo tempore Leoardii Ordinesque Oſtergoi frequentes in urbe conſilii causâ congregati per litteras Snecenſium de his rebus edocti, deque communi periculo, de ope & fide præſtandâ admoniti fuêre. Illi in re arduâ & dubiâ perplexi ſine morâ ad Groninganos ex iiſdem litteris eam referunt: ſimul addunt, quod poſt litteras ex famâ acceperant, Bolſuerdiam occupatam: incertum eſſe, quid porrò occepturi milites ſint: eoque nomine meritò ſe eſſe ſollicitos , nec ſcire ſatis , quid agendum , pactiſne occupandos milites, an armis refutandos : metuere non abs re , nî paciſcantur ipſi, nec arma quoque cum Weſtergois jungant, Weſtergoos id eſſe pacturos: ità ar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ità arma omnium in ſe ventura: petere itaque à ſocio ſenatu, ut quid ſui con-
ſilii hîc ſit, ſine mora ſignificet, & pariter ex collegio ſuo viros prudentes man- M.CCCC.
datis & poteſtate inſtructos mittat, qui in omnes caſus conſulere in medium XCVIII.
cum ſociis, rebusque præeſſe poſſint: ad hæc Collumanos & Octopagicos, qui
in præſidiis ſint apud ſe, alios jam dilabi, alios retineri diu non poſſe: poſcere igi-
tur rem, ut Groningani omnes per agrum jubeant in armis paratos eſſe, tàm
equites, quàm pedites, ut expediti ſint quocunq; vocentur ad opem patriæ fœ-
deriq; ferendam. Cùm à Groninganis delecti veniſſent, Weſtergoiq; de ſubſi-
diis inſtarent, res in conſilium rurſus miſſa Leoardiæ. Illic non pauci è nobili-
tate Oſtergoâ, & ordinibus reliquis, ut ſcribit Vorperius, ferenda Weſtergois
auxilia, qugnandumque in hoſtem peregrinum, pacem patriæ turbantem cen-
ſuere. Sed Leoardii ſententiam Groningenſium ſecuti, quos monuerat, & in
ſpem certam erexerat Tiarcho, fretiq; mœnibus ſuis, ſenſim aliô trahere, non
contra libertatem patriæ, ſed contra vim Goſlici pro Tiarchone exule militem
hunc venire, nec cuiquam pacato & ſuis contento rebus hoſtem eſſe; inſipien-
tium eſſe, fortunam quietam tutamq; ſine cauſâ cum accipiti difficiliq; bello
commutare, & crabronum examen temerè irritare. Atque in hanc partem diſ-
ceſſum à plurimis. Eo nuncio turbati vehementer Sciringii, qui Snecæ erant,
& irâ incenſi, tamen nequid omitterent, Edonem Iongamæum, animi liberi,
linguæq; promptæ virum, atque inſuper autoritate ac gratiâ validum, Leoar-
diam miſere. Hic dicendi poteſtate acceptâ, præſentibus in concilio Gronin-
genſium primis, miſerrimam fortunam patriæ lamentari, exitialia diſſidia ac
odia pertinacia deteſtari, pactorum & periculorum communium admonere,
non agi de Sciringiis ſolùm premendis, aut reſtituendo Tiarchone, quod per-
ſuaſum vulgò videat, ſed univerſæ Friſiæ à Flevo in Amaſum præſens diſcrimen
perdendæ libertatis, aut ferendæ direptionis crudeliſſimæ imminere: id ipſos
oſtendiſſe militum duces, cùm Bocconem cæterosque in fraudem trahere ver-
bis ſubdolis, ac viam ſibi in Oſtergoam & Groninganos aperire ſunt conati:
hos quippè hoſtes deſignâſſe ſuos, in hos ſe mandata habere profeſſos: ſed fidei
congruum ac forte reſponſum tuliſſe: fidem igitur fide pari penſandam à gen-
tilibus, vicinis, ſociis, recenti quoque pactione obligatis: præſertim cùm com-
munis hæc omnium fortuna ſit, nec deſeri rogantes poſſint, ſine exitio deſeren-
tium. Ad hæc rurſum Groningenſium legatus, At nos, ait, ſcimus publicos gen-
tis hoſtes hos milites non eſſe, qui Bolſuerdiam occupârunt: his verò hoſtes ve-
nire ſcimus, qui nuper Bocconem Ennium occiderunt, Iuvonem Iuvingium
non pacis ſolùm, ſed belli etiam contra leges nefariè & crudeliter trucidârunt,
infandoq; parricidio ſe polluerunt; qui Tiarchonẽ fratrem ejus vix parricidia-
les manus elapſum, qui alios hujus ſocios exules fecerunt, omnibus rebus exue-
runt, eorum res ipſi invaſerunt, occupatisq; ne nunc quidem diſcedere volunt:
qui nunc libertatis defenſionem ſimulantes, eandẽ illam libertatem gentis per
tot ſæcula tranſmiſſam ad poſteros, & ſanguine ac virtute majorũ ſæpè defen-
ſam, externo Principi nuper vendiderunt. Quæ ſi non creditis vos, quos ſtudia
partium cæcant, nos quibus multi oculi, multæq; aures foris excubant, certiſſi-
mis comperta indiciis, manibusq; propè conſtricta, & cõvicta tenemus. Quin
imò valdè veremur, niſi Deus excitatis meliorum animis, qui dormire viden-
tur, pro bonitate ſuâ, conſilia nefaria turbârit, & vos & nos omnes re ipsâ brevi
ſenſuros eſſe, quæ nunc odio hominum confingi à nobis, vos arbitramini. Cum
Boccone verò quæ egiſſe militũ præfecti feruntur, ea ſi dicta ſic ſunt, inter pru-
dentium & callidorum belli ducum ſtrategemata ponimus, qui arte quàm vî
victoriã parare, fallere ſine periculo, quam cum periculo decertare, utilius ren-
tur. Denique haud putamus è republicâ eſſe, arma movere in eos, qui ſe in ne-
minem pacatum, & reſtitutionem infelicium exulum non morantem, habere
arma profitentur, ne armatos laceſſendo juſtas iis cauſas demus, & in pericula

M. CCCC. XCVIII. patriam coniiciamus non neceſſaria. Et rectè facturos cenſemus eos, qui jam Snecæ in armis ſunt, quibus conſilium non eſt, exulum ſe hoſtes profiteri, ſi ſine morâ domum quiſque ſuam revertantur. Nobis quidem in animo non eſt, quoàd res & fides non cogent, horum militum causâ pedem efferre, aut gladios ſtringere. Quæ cùm probâſſent ordines cæteri, mœſtus & indignans Edo è concilio egreſſurus, agnoſcere ſe fatum infælicis patriæ teſtatus fuit; videri in proximo occaſum libertatis, & imminens exitium ex factionum rabie, ſed avertere non poſſe. Sed ubi Snecam rediit, & audita retulit, fremere alii, infida capita Leoardienſium, levem fidem omnium deteſtari, diris devovere, multi perplexi, & conſilii neſcii hærere, plurimi dolore pleni, patriæ caſum gemere, rapaces militum manus quiſque pro ſe & rebus ſuis metuere, denique univerſi velut de fortunâ publicâ deſperantes domum in diverſa dilabi. Inter hæc qui Bolſuerdiæ erant militum præfecti poſtridiè, quàm iſtûc venerant, cohortem validam duce Adriano Wicenſi Worcumum miſerant, ut ejus quoque oppidi exules reſtituerent. Ab his, ait Vorperius, injuriarum hoſtilium in Sciringios factum initium: cauſa facilè reperta, quam facinori prætexerent. Indè velut ſigno dato populationes quaquà verſùm factæ, nobilium virorum ædes vî oppugnatæ, captæ, direptæ, nobilitas & plebs in captivitatem abducti, Sneca per inſidias ſubito incurſu appetita: in receptu ſacra profanaque violata: fanumque ſacris ſemotis, in quod decem homines è plebe confugerant, igne injecto cum hominibus exuſtum: hæc octiduo continuo patrata: mox paucis diebus interpoſitis, confluentibus adhuc copiis majoribus, cùm jam non pauciores tribus millibus Bolſuerdiæ eſſent, ad VI Calend. Martias in Franequeranorum viciniam impetus factus, ager longè latèque vaſtatus, Sceltonis Liaucamæ domus arcis in modum valida, & XXX præſidiariis munita apud Petroberumanos vi occupata, eique præſidium contra Franequeranos impoſitum. Ex populatoribus in regreſſu circiter L à ruſticis interfecti. Id furoris novi invitamentum fuit. Ex his infælicis VVeſtergoæ malis non ſolùm non doluiſſe Groninganos & Leoardios autor Vorperius perhibet, ſed in ſinu etiam eſſe gaviſos, ſtipendiisque promiſſis multiplicandis cladibus rapaces milites incitaviſſe: hanc quippè ſpem foviſſe, attritos miſeriis inimicos, ut nuper factum fuerat, ſupplices ſibi rursùm futuros, fœderique daturos locum. At Nitardus Foxus, quem Sciringiis pridem bonam operam navâſſe ſupra expoſui, quemque choragum fabulæ hujus conſtitutum ab Alberto oſtendi, callidiſſimi vir ingenii, quò ſibi ſuoque Principi animos VVeſtergoorum maturè conciliet, ſimulato partium ſtudio milites CCL in Hollandiâ conſcriptos, intereà dum reliqui Weſtergoam affligunt, Franequeranis auxilio mittit: hos aliam manum ſubſequi jubet, Balduino Leidenſi ductore, quæ Snecenſibus præſidio ſit. Franequerani, quò à Bolſuerdicorum incurſu tutiores queant eſſe, ſuos in cœnobio Ludinkerkio miſſos præſidii causâ conſtituunt. Quo cognito, Bolſuerdici, qui populationibus ſe prohiberi moleſtè ferebant, magnâ multitudine egreſſi oppido, noctu tumultu excitato cœnobiũ invadunt, oppugnant, capiunt, præſidiarios ſe dedentes circiter CC captivos abducunt. In regreſſu Pingumum tranſeuntes, crudele facinus conſciſcunt, in hiſtoriâ non prætereundem, Sibeti ſiquidem Tadæi viri nobilis domum cæteris munitiorẽ, in quam periculi causâ, ceu fit, multi è viciniâ homines inermes & factionum expertes confugerant, ob tormentum minoris generis fortè diſploſum, dum dedi ſibi eam poſcunt, velut furore perciti invadunt; repulſiq; primùm, mox crate ligneâ ſuper capitibus levatâ contra lapidum jactus tecti murum idoneo loco perforant, pulverem nitroſum ignemq; iniiciunt, incendiũ intra domum excitant, magnum numerum innocentium, & miſericordiã fruſtrà implorantium, ac dedere ſe cupientiũ flammis enecant, quoſdam ex ſupercilio domus ſe proiicientes haſtis excipiunt, ex his ſi quos caſus ſervaſſet, vulneribus immaniter cõficiunt, vix pueris per funes dimiſſis

dimiſsis parcunt. Ab eo tempore nulla ab excurſionibus quies. Tandem invadendæ quoque Snecæ conſilium inſtauratum. Ad quam rem omnibus neceſſariis paratis, univerſi ferè partim equites partim pedites iſtuc advolant ad diem XIV Calend. Aprilis. M. CCCC. XCVIII. Sed tùm quoque vigili curâ Snecenſium animadversâ, qui ad excipiendam vim inſtructi paratique in mœnibus conſpiciebantur, inhibito primùm gradu, mox diviſi inter ſe, alii Illſtam abeunt, reliqui non procul Snecâ in ptochodocheio ſubſiſtunt. Snecenſes, qui noctem in armis expediti fuerant, militum & ruſticorum manu freti, primâ mox luce progreſsi portis, eos, qui in ptochodocheio erant, ad pugnam eliciunt: eâ leviter commiſsâ paucos interimunt, complures vulnerant. Cæteri hoc ſuorum incommodo aſperati, Bolſuerdiam repetituri, quacunque vadunt, incendiis, rapinis, cædibus miſcent omnia. Poſt diem deindè quintum in Berlecomios profecti, ampliſsimum eum vicum fœdè direptum, igne hîc illîc injecto, terroris causâ, quàm maximè vaſtum faciunt: mox longiùs progreſsi, exuſtis primis quibuſque quicquid eo in tractu vicorum aut villarum eſt, graviſſimo tributo mulctant. Nec minùs immaniter intereà actum ab iis, qui VVorcumi locum caſtris cœperant: quorum ſævitiâ non ſolùm oppidi ejus vicinia, ſed tota littoralis ora, omniſq; Geeſtanus ager miſerum in modum afflicta, Maccumumque in cineres redactum fuit. Sic otium agentibus Oſtergois, omnis Weſtergoa ad libidinem protervorum militum peſſundata jacuit. Tùm Goſlicus Iongama, Hero Hottinga, quiq; alii erant conſilii conſcii, maturũ putantes, quod hactenus crudum abdiderant, ſenſim primùm ſermonibus ſubijcere, mox jactare liberiùs, duas omninò vias videri, quibus ex hâc miſeriâ exitus pateat: aut enim ſocietati Groninganæ locum dandum, aut gubernatorem ferendum Principem externum: ſi ſub fœderis nomine Groningenſium dominatus præferatur, præter ignominiam, ſuperbiam, avaritiam Imperii hujus, id hoc quoque aſſiduò metuendum, ne rurſum diſſiliat concordia, ne quis potens hoſtis foris reip. inſurgat, cui pares Groningani cum toto fœdere eſſe non queant, atque ità non mali finis habendus, ſed tantum miſeriæ verſura ſit facienda. Sin princeps eligatur, qui ſapientiâ, autoritate, opibus præſtet, nec externam vim, nec diſſidia domeſtica reip. pertimeſcenda; pacem firmam, leges ſanctas, judicia ſarta & tecta, in patriâ futura. Cujus principis Imperium ſi legibus bonis in conventione ordines circumſcripſerint, quantulùm id à libertate abfuturum, imò quantò fælicius his turbis ac ſeditionibus, quæ fluxam libertatem comitantur, re ipsâ futurum. Quæ cum placidè audiri jam animadverterent, commendare porrò Albertum Saxonem, opibus ſuis, gratiâ Regis, propinquitatum magnitudine potentem, eundem ingenio miti, moderato, ſapiente, maximo rerum uſu, ſummâque virtute; imprimis Sciringicarum partium ſtudio ac benevolentiâ per beneficia compertum, denique talem, cui nullus videatur anteferendus. Nam in Philippo Burgundiæ Duce quis non ſuſpectet annos, immodicas & diffuſas opes, Hollandici dominatus prioris memoriam, nimis aſperi ac ſævi, ideoque perbrevis? Edſardum egregium quidem, ſed vix parem viribus, & in partibus dubium, ac lubricum, cum Groninganis inter amicitiam & inimicitiam medium. Poſtremò poſt deliberationes varias, cùm hinc libertatis amor genti inſitus, indè periculi & miſeriæ magnitudo urgerent, prævaluit tandem ſententia, legatos eſſe ad Albertum mittendos, & ejus animum cognoſcendum. Legati è nobilitate lecti Goſlicus Iongama, Bocco Haringæus, Hero Hottingius cum ſacerdotibus tribus, & ſpectatiſſimis è plebe Franequeranâ & Snecenſi. Hi die XII Calend. April. è Friſiâ profecti, cùm Medenblici in Hollandiâ Principem adiiſſent, ità locuti feruntur. *Quæ res præclara tibi & maximè optanda fuerit, nobis non tàm honorifica quàm neceſſaria, Princeps illuſtriſſime, ejus rei gratiâ nos hodie ad te venimus. Legati quippè Friſiorum, gentis tot ſeculis liberæ, ac toties fruſtrà à potentiſſimis appetitæ Principibus, in hoc miſſi ſumus, ut imperium in nos, cæteróſque, qui nos*

M.CCCC.CXVIII. *miſère, Weſtergoos, tibi deferamus. Ità ſcilicet de te, cuncta regenti Deo viſum ob egregias tuas virtutes, ut cæteris clariſſimis laudibus tuis hæc quoque tandem non ultima gloria iudicio noſtro accederet. Nec verò quanquàm afflictis tam proiecta deſpectáque nobis fortuna eſt, ut non multos ex ordine veſtro, genere & opibus illuſtres, huius eiuſdem honoris competitores avidos habeamus. Verùm enimverò tuæ admirabiles virtutes, animúſque in nos beneficio compertus effecerunt, ut omnibus te alijs & Principibus & populis in hoc ambitu, & hâc rerum noſtrarum anguſtiâ præferendum exiſtimaverimus. Huic tam egregio de te iudicio & voluntati noſtræ hoc viciſſim abs te dari petimus, ut ab eo, qui nos noſtraque affligit, exercitu quamprimùm nos liberes: deindè ut reſtitutâ pace, inſtauratâque Ordinum concordiâ, contra quoſvis hoſtes tuearis etiam impoſterùm.* Ad ea Albertus, quanquàm lætus animo, tamen velut hæſitans ac ſecum ambigens, cùm ſiluiſſet aliquandiu, & cum ſuis eſſet locutus, *Magnæ moleſtiæ res eſt, Friſij, quam defertis mihi, & plus impendij quàm fructus habitura, quamdiu Oſtergoa vobiſcum non erit coniuncta. Sed tamen quoniam ad me confugitis in hoc periculo veſtro, non committam, ut erraſſe vos, & fruſtrà in benevolentiâ opéque meâ ſpem poſuiſſe videamini. Itaque quòd fauſtum & felix mihi & vobis ſit, recipio vos in fidem meam, ac pro meis deinceps habeo. Ibunt vobiſcum proceres domus meæ, qui parēdi imperandiq; leges conſtituant, militémq; amoveant, & cætera faciant, quæ vos è re veſtrâ & noſtrâ eſſe putabitis.* Hi fuère Wiliboldus Scomburgius è Miſniâ ortus, Guilhelmus Harræus, ambo equeſtri dignitate fulgentes, Nitardus Foxus, Bernardus Metzius, uterque & genere & belli ſtudiis nobilis: Scomburgius etiam ſupremus equitum magiſter in militiâ Principis & conſilii dux, Foxus peditum primus præfectus. Qui cùm Snecam veniſſent, quod fuit ipſis Calend. April. ſtatim colloquia cum militum ducibus habere, magnum ſtudium rei præ ſe ferre, quod facillimum erat in eo magnam difficultatem egregiè ſimulare, vix tandem inducias paucorum dierum conſtituere. Intereà leges parendi concipiunt, populoque proponunt; in quibus reliqua, quanquàm inſolita hominibus liberis ac moleſta, tamen ab æquo haud multùm abhorrentia videbātur: duo maximè offendebant. Etenim poſcebat Princeps ſtruendi arces & munitiones poteſtatem ac arbitrium liberum, iuſq; conferendi beneficia quæ vocant, Eccleſiaſtica ſoli etiam ſibi vendicabat. Itaque tergiverſari populus, queri, libertatem laudare. Foxus indignè ferens, uti convenerat cum collegio; quid fieri velit, iis qui Bolſuerdiæ erant, quam occultiſſimè innuit. Illi erumpentes Wommelium vicum igne perdunt, Pingumi quod reſtabat ædium, in cineres etiam vertunt, quàcunque eunt, non aliter agunt, ac ſi omnia vaſta facere velle viderentur. Eâ re conſternati Ordines in poſtulata Saxonum deſcendunt. Eorum ſumma his capitibus ſtetit. *Weſtergoi Albertum Saxonem gubernatorem accipient, & hæredes eius: hoc munus atque hanc dignitatem ut in Albertum conferat Maximilianus Rex, ijdem ab eo petent, ipſo iuvante & promovente Alberto. Cuiuſmodi diploma ſi confici in aulâ regiâ, aut exhiberi populo nō poterit, ac ſimul populo diſplicebit parendi conditio, haud tamen licebit ei abrogare imperium Principi, aut hæredi eius, aliúmve in locū eius cooptare, antè quàm pacis & belli impendia cuncta reſtituerit: gubernatori novo oppida, arces, caſtella omnia per Weſtergoā in belli paciſq; uſus ſemper patebūt: eidem licebit per univerſam regionem, quot & quibus locis volet, munitiones novas inſtituere pro arbitrio ſuo: omnium tributū capiet in domos ſingulas ſtuferos Brabāticos tres, quales xx aureo Rhenano permutantur: item in capita bubuli equinívе pecoris bini aut ſupra ætatem eam, ſtuferi unius beſſem; in telas panni Leidenſis, aut cuiuſlibet alterius pretioſioris ſtuferos binos, inferioris verò ſingulos: omnis vini importati partem omninò xx, omnis cenſus annui centeſimam: in tonnas item cereviſiæ exoticæ ſtuferos ternos, exceptâ eâ quam nobilitas & ſacer ordo in uſum ſuum domeſticum coëment: Princeps ius dicet aut dici curabit ex legibus Cæſarijs, aut more recepto; imperium omne habebit, poteſtatémque condendi leges, conſtituendi iudicia, puniendi ſontes, cudendæ pecuniæ aureæ ac argenteæ, mandandi, vetandi, beneficia Eccleſiaſtica conferendi pro more Principum in Germaniâ: Populus renunciabit privilegijs ſuis, quæ his capitibus videri poterunt contraria: Princeps viciſſim recipiet,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

recipiet, cætera populi jura ſe nõ minuturum, oneribus his nihil additurum, ordinum omnium M.CCCC.
defenſorem ubique & in omnes futurum, neminem invitum è Friſiâ evocaturum, jus incor- XCVIII.
ruptè adminiſtraturum, commodo reip. ac regionis, & eorum qui in eâ, procuraturum; deni-
que ſacro ordini, & rebus ejus honorem, jura, immunitatem ſervaturum; poſtremò in eadem
hæc ſucceſſuros hæredes ac poſteros ſuos Capitibus his Snecæ recitatis in magnâ populi
frequentiâ in fano Martiniano die Nonarum Aprilis tertio, poſtridiè Franeque-
ræ quoque publicatæ ſunt, & utroque in conventu probata, omniaque pôſt ritè
firmata. Tùm ſine morâ Saxones Bolſuerdiam profecti, facilè ad ſe traducto,
qui iſtic erat, exercitu, univerſum eum in Oſtergoos misêre, ut iſtam quoque
regionem ab armorum injuriis immunem hactenus, à Groningenſium ſocieta-
te ad Principem ſuum deſciſcere cogerent. Secutaque brevi momento magna
inexpectataque rerum viciſſitudo. Nam poſt diuturnas belli calamitates paca-
tis tandem Weſtergois, in Oſtergoam otio longo luxuriantem ac lætam, inopi-
nus ſubituſque furoris impetus ſe vertit. Itaque, ut fit in inopinis ac ſubitis, con-
ſternati omnes his locis, Groningani in ſummam perplexitatem & conſilii ino-
piam cum ſummo dolore conjecti. Quos enim ſpes extulerat per hos eoſdem
milites adſciſcendæ ſibi Weſtergoæ, hos fortuna quaſi momento converſa in
deſperationem retinendæ quoque Oſtergoæ egit præcipites. Quam ob cauſam
vix ſibi conſtantes fremere in capita leviſſimorum militum, execrari perfidos &
venales eorum duces, ſuam etiam credulitatem improvidam & temerariam ſe-
rò deplorare: Leoardii dolere eadem ac queri, & ſuper his, ut Vorperius ait, peſ-
ſimâ quoque conſcientiâ angi; quippè qui ſocios in periculis fefellerant, nunc
falli ſe à vaniſſimo hominum genere, cui credere non debuerant, ſentiebant.
Edonemq; vatem fuiſſe fatebantur. Exercitu in Oſtergoam inducto, cuncti, qui
in eâ erãt in ætate virili, metu ſævitiæ militaris, diffugerunt: nec quicquam clau-
ſum totâ illâ regione Saxonibus manſit, præter Leoardiam munitionibus & ci-
vium robore fiſam, in quam ingens profugorum numerus ſe receperat, hujuſq;
exemplum ſecutam unicam arcem Weſſeniam apud Dongeranos, quam deſe-
rere dominus ejus Amco Iarlæus haud honeſtum ſibi putaverat. Saxones relictis
à tergo Leoardiis, vacuam viris Oſtergoam percurſantes duce Foxo Doccu-
mum ingreſſi ſunt ipſis Idibus April. quo die tum memoria mortis Chriſti cele-
brabatur. Eo die & poſtero fœdum facinus dicitur à Leoardiis cõmiſſum. Sub-
ſtiterant fortè è Saxonico exercitu milites XXX in arce Ielſumanâ Reniconis
Camſtræi, quæ Leoardiâ non procul diſtabat. Hi excurſione factâ cùm incen-
dium in viciniâ oppidi excitaſſent, à Leoardiis erumpentibus in arcem rejecti
oppugnatique hâc ſe conditione dediderunt, ut vita & ſarcinæ ipſis manerent
incolumes. Sed dediti, in vincula mox conjecti ac Leoardiam traducti, cùm in-
vitatione oppidanorum totam noctem potando tranſegiſſent, nec quicquam
minùs quàm de morte cogitarent, primâ luce, ut erant ebrij, ad judices repentè
rapti condemnatique, ac ſine morâ ſuppliciis affecti ſunt. Corpora eorum ad
XXIII, (quorum è numero Renico, Douvone Siardâ illegitimo thoro genitus, qui
cæteris præerat, fuit) ignominiæ cauſa rotis impoſita: atque ita per ſe indignum
quod erat, indignius quoq; factum. Sed Saxones irâ compreſsâ in aliud tempus
facinoris ejus ultionem diſtulerunt. Intereà verò dùm Doccumi ſedent, om-
nemque Oſtergoam ad tributum more militari vocant, & ſimul, in Groninga-
nis quid animi ſit, explorant, fama præcurrit, trans Lavicam flumen quoq; eos
cogitare. Quamobrem è nobilitate non pauci, cæteriſque Ordinibus ejus agri,
nec Groninganis nec Saxonibus ſatis fidentes, rebus ſuis, quas exportare pote-
rant, collectis, tranſmiſſo Amaſo Emdam ſe conferunt ad Comitem Edſardum.
Intereà Foxus, idoneâ manu Doccumi exigendis tributis relictâ, cum validiſſi-
morum militum quatuor millium legione pontem Gerriconium altero à Pa-
ſchatos die tranſgreſſus, direptis & graviter afflictis omnibus obviis, in cœno-
bio Adoardio conſedit. Iſtinc emiſſis cohortibus omnia vicina & longinqua

M.CCCC. XCVIII. infeſta habuit, nonnullaque terrendi cauſâ fecit atrociùs. Northormum vicum inſignem totum, Sudhormi partem maximam, ob cæſum illìc Georgium Reinſbergium equeſtris ordinis virum, qui in antecurſoribus fuerat, multaque loca alia in cineres ferè redegit. Deîn Selwerdiæ altera caſtra ponere, & amnem interlabentem aggere tranſverſo ſternere inſtituit. Hæc agentem legati à Groninganis & ſociis in agro adeunt trepidis & conſternatis, ut quid vellet, cujus rei cauſâ tantas injurias immeritis inferret, ex eo cognoſcerent. His reſpondit: Saxoni ſe militare, & VVeſtergois: ſcire Groninganos, quæ ipſi in VVeſtergoâ egerint, quorum ſe hoſtes illìc tulerint: horum ſe vindicandorum gratiâ adeſſe nunc, & ſtipendia etiam quorundam ſuorum, qui Bolſwerdiæ pro Tiarchone fuerant, poſcere. Reſponſo huic minas, & ex eo terrorem adjecit, ut ſine morâ pecuniam extorqueret. Denique cùm commeaſſent hinc indè, quibus hoc ab oppidanis & ſociis erat commendatum, ſuadente metu (omnes quippe pulcherrimæ regionis, & longâ pace fælicis vaſtationem ob oculos ſibi ponebant) cum eo paciſcuntur, *ut* XXXII *auri Rhenani millibus, & prædâ jam partâ ſatisfieri ſibi ſinat, regione ſine maleficio ulteriore excedat, obſides pecuniæ intra dies* VIII *ſolvendæ viros tres è nobilitate capiat.* Id factum die VII poſt Paſchatos. Obſides capti Releſus Euſumanus Onnonis filius, Luerdus Caterus Scultingianus, Eltetus Lellenius, atque his ſyngraphâ reip. totius oppidanæ & agrariæ viciſſim cautum. In prædâ capitum bis mille majoris pecoris abacta, eorumque redimendorum ſingulis aureis in capita ſingula dominis copia facta. Exercitus cum magno captivorum hominum numero Doccumum reductus: illìc pecunia ad diem dictum ſoluta, obſideſque dimiſſi: cæteris quoque captivis ſui redimendi facultas æqua permiſſa. In ſolutionem hanc, cùm aliundè non ſuppeteret, quanquàm templorum theſauri hûc eſſent collati, magna ſumma mutuò rogata acceptaque ab Edſardo Comite, lexque mutuò addita, ex quâ magni mali, ut dicetur pòſt, ſecuta occaſio. Tributo per Oſtergoam extorto, Foxus tentandi cauſâ ad Sylveſtres mittit, L millia aureorum poſcit; ſi recuſent, arma denunciat. Ab his re deliberatâ reſponſum animoſè, pugnare ſe, quàm iſtam ſervitutem ſubire malle. Statimque arma viritim capta, duobuſque locis contra ingreſſum hoſtium Birſumi & Liodmerodami copiæ collocatæ. Foxus, qui mandatum intereà acceperat ab Alberto de exercitu in Hollandiam ad bellum Geldricum ac Burgundicum remittendo, omiſſis iis, ac in aliud tempus dilatis, Ludinkerckum primum cœnobium, indè Harlingam abit. Ibi retentis circiter mille lectiſſimis ex omni numero, cæteros omnes milites medio ferè menſe Majo cum Slenitio, Alpenio, Covelero navibus imponit, in Hollandiam trajecturos, prædis eviſceratæ Friſiæ divites. Inter hæc à Foxo geſta Scomburgius Alberti legatus per propinquos Heronem Hottingium, Heſſelum Martenium, Edoardam Siardæam anum viduam, Siccone Siardâ ſeniore natam, Douvoni quondam nuptam, inducit, ut arcem ſuam in occiduo oppidi Franequerani latere in uſum Principis cedat ad tempus, donec alia aulæ ſedes parari poſſit: eoque domicilio cum ſuis uſus deinceps fuit. Indè Slotam profectus ad V Idus Maij oppidanos in fidem recipit: publicanos illis dat Elingium Goſlici, & Sifridum Sicconis, Snecenſes: arcem à Wattione Haringæo ejus loci præcipuam, iiſdem petitam conditionibus quibus Siardæam Franequeræ, non impetrat. Tum reliqua Weſtergoæ percurſans, totam hanc regionem ſacramentum Principi dicere cogit. Quæ vix confecta habebat, cùm audit Slotenſes à Wattione cōcitatos, deſiderio libertatis, publicanos oppido ejeciſſe, cum Geeſtanis & Sylveſtribus conſpirare. Quâ re exaſperatus grave odium in Wattionem concipit, perjuriiq; & rebellionis damnatum graviſſimâ ſententiâ proſcribit: mox minis territum, ac ſupplicem factum, intercedente Boccone Snecenſi propinquo, vix multis precibus in gratiam recipit, Slotenſi arce in perpetuum cedere jubet, eâ mulctâ levitatem hominis caſtigat: Slotenſes cœpto deſiſtentes

in aliud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

in aliud tempus differt. Cunctis in VVeſtergoâ conſtitutis in concilio proce-
rum deliberat. Leoardiam ne tentare ſtatim, an in Sylveſtres ire præſtet. Pla- M.CCCC.
cuit in Sylveſtres primùm ducere, eamq; auxiliorum ſpem Leoardiis præſcin- CXVIII.
dere. Hunc in finem D milites per Heronem Hottingium, Goſlicum longamam.
Heſſelum Martenam, Doconen Hemmenam è Friſiis conſcribit & legionariis
mille, quos Foxus ducebat conjungit: atque ita comitantibus nobilibus iiſ-
dem Calendis Iunii, qui dies Pentecoſtes feſtum biduò antecedebat, Accru-
mum proficiſcitur, vicum in confinibus Sylveſtrium. Illic eo conſilio ſubſi-
ſtit, ut poſtridiè tormentis & commeatu inſtructus, quæ navigiis Snecâ deve-
hi illo per rivum defluentem juſſerat, in hoſticum progrediatur. At verò Syl-
veſtres eâ re per exploratores cognitâ cum magnis copiis propiùs, accedentes
ità caſtris locum capiunt in ripâ ejus fluminis, quò navibus veniundum erat,
nonnihil infra caſtra hoſtium, quem locum Hernam vocant, ut facilè ne quid
Snecâ ad eos ſubvehatur, impedire poſſint: ad hæc alios quoque mittunt Ael-
ſumum Oſtergoæ vicum, ubi pro more gentis canalis ingens rivo in ſtagnum
exituro impoſitus eſt ad coërcendas aquas: Iis mandant, ut tabulato canalem
nudent, tignaque tranſverſa tabulato ſubſtrato tollant quoquo modo, & locum
præſidio teneant, contra ingreſſum Saxonum. Etenim ea loci natura eſt, ob
rivum latum longo ſpatio iſtinc Septentriones versùs ſecundùm Sylveſtrium
fines porrectum, ſtagnisque rurſus confuſum, ut niſi ad eum pagum non facilis
totâ illâ viciniâ, ex Weſtergoâ in Sylveſtres interiores tranſitus pateat. Ità &
ejus viæ uſu prohibitus, & à commeatu ac tormentis ſuis intercluſus, ſine qui-
bus in hoſtem pergere periculoſum putabat, præſertim quòd Pētecoſte in pro-
ximo erat, quâ ab armis quieſcere malebat, poſtridiè quàm venerat, Scombur-
gius iſtinc Snecam cum exercitu regreditur. Ibi vix triduum moratus, Stave-
ram cum iiſdem illis profectus copiis, in oppido eo aliquot dies ſedet, velut oc-
caſionem aucupans in hoſtes. Sylveſtres hâc vicinitate Saxonum permoti ad
Leoardios ſtatim mittunt, auxilia ex fœdere flagitant, ipſi viritim ad arma con-
currentes, Stellingwerfiis, Opſteranis, Smallinganis, Geeſtanis, item Octopa-
gicis, Longowoldiis, Fredowoldiis evocatis non minùs quàm XV millium ex-
ercitum, ſi annalibus credimus, magnâ celeritate conficiunt, & numero confiſi
non expectatis Leoardiis in hoſtem properant, ut ſi poſſint in oppidulo eo nul-
lis munitionibus tuto, atque extremo in Friſiæ promontorio poſito, ab omni-
bus ſecluſum auxiliis opprimant. Sed Wiliboldus de adventu & conſilio, eorum
certior factus autore Foxo, qui Friſicæ militiæ cæteris peritior erat, ut apertis in
campis potiùs cum iis concurrat, quàm obſideri ſe loco inidoneo patiatur, fiſus
tormentis & militum ſuorum virtute ultrò in occurſum venientibus tendit, ad
tertium Id. Iunii, atq; ad Lacxemum vicum agri Geeſtani in eos incidit. Quos
cùm fidenter quidem, ſed nullo ordine confertos, ut fors tulerat, in ſe venire
conſpicit, nihil territus, directâ acie, appellatisque ad fortiter audendum militi-
bus, tormentisque ſimul omnibus, quæ ſecum vectabat, multis & magnis in eos
emiſſis, complures ſtatim primo in agmine elidit. Quo viſo, qui proximi erant, ac
cæteris exemplo præire debebant, conſternati terga vertunt, & Saxonibus cæ-
denda præbent. Non alia fœdior gentis animoſæ fortuna in prælio unquam
fuit. Nam multitudo omnis, que nullo duce nullâ diſciplinâ, ad præliandum
proceſſerat, ſtratis fuſisque primis, ſic ſtatim animis concidit, ut ovini pecoris
more, à canibus preſſi diſpalata, ne pugnâ quidē commiſsâ, trepidam in fugam
ſe coniiceret, & ſuſtinendi hoſtis causâ conſiſteret nemo. Nec mirum, cùm
incondita plebs, militiæ ignara, nec ſpontè ſciret, quid facto eſſet opus, nec ul-
lius imperio, qui corrigere errorem, aut fugam coërcere poſſet, regeretur. Se-
cuti Saxones ſtragem ediderunt: præſertim eo loco ubi canalis rivo impoſitus,
quo plerique curſum intenderant tranſeundus erat: in cujus gurgites utrinque,
dū ſe multitudo anguſto loco impellit plurimi præcipitati, partim undis hauſti,

M.CCCC. partim pondere ac ruinâ mutuâ oppreſſi, partim ab hoſte peſequenti confoſſi.
XCVIII. Multi etiam capti: Sed longè maxima pars maturâ fugâ manus hoſtium evaſit. Tormentorum fulmine, undè initium fugæ ortum, centum cecidiſſe dicuntur. A pugnâ Scomburgius mox omnem vicinum agrum, in quo erat pugnatum, Staveram uſque in prædam vertit, ad excitandos præmio militum animos. Intereà verò Leoardii auxilia, ut diximus, rogati, Rauverderhemios, Ideranos cæterosque vicinos ſuos armari, ad ſigna venire, & ſe ſequi in Sylveſtres jubent, additis graviſſimis minis, nî pareant. Ipſi trecentis ex omni civium ac militum mercenariorum numero cuſtodiæ causâ in oppido relictis, cæteris militibus in expeditionem aſſumptis, nullâ interpoſitâ morâ populariter ſub ſignis exeunt, & feſtino agmine in Sylveſtrium agrum contendunt, ut cum ſociis ſe conjungant: quorum ſanè conjunctio ob rei militaris peritiam magnum ad victoriam momentum allatura fuiſſe putatur. Sed feſtinatio inconſulta ſociorum fecit, ut aſſequi illos & prælio intereſſe non potuerint. At de adversâ pugnæ fortunâ in itinere certiores facti, damnatâ Sylveſtrium præpoſterâ properatione cùm domum ſe reciperent, inopinantes in pugnam incidêre. Nam Iderani VVirdumanique cum vicinis nonnullis non procul VVirdumo vico, quà tranſeundum iſtis erat, coitione factâ de Leoardiorum minacibus juſſis fortè conſultabant, principe Aucono Vnya Wirdumano. Quippè qui ad Saxonum fidem ſe contulerant, & Leoardiorum vim ac inſolentiam, ſi victores rediſſent, non abs re metuebant. Hos Leoardii adventantes, rogatique, quo animo in ſe eſſent, loco, quem in aggere utrimque ad viam percommodum ad impediendos tranſeuntes occupaverant, diſcedere, ſuſpicionemque ſibi demere juſſerunt: recuſantes, hoſtili impetu aggreſſi, contracto acri certamine, tandem ſubmoverunt. Aucone Vnyâ bis humi ſtrato in tumultu, bis diſcrimini erepto, atque incolumi in arcem ſuam elapſo. Fuſis fugatisque ruſticis, compluribus quoque interfectis, victores vicina depopulati cum prædâ Leoardiam redierunt. Auco contrà vim eorum quadraginta militum præſidio arcem ſuam munivit: mutuisq; detrimentis inferendis à vicinis utrimque opera data. VViliboldus Scomburgius Slotam profectus, maximis operibus labore & impendio ruſticorum VVattianâ arce communitâ, ut quamlibet vim contemnere jam poſſe videretur, & Zieglero viro nobili præſidiariis præfecto, Snecam ſe retulit cum exercitu. Illîc Iarichum Haringæum Worcumanum, qui inter Saxones & Sylveſtres multùm commeaverat, ſimulato egregio in Saxones ſtudio, malæ fidei cõvictum, exempli ſtatuendi causâ, graviſſimo ſupplicio affecit. Haud multò pòſt exeunte Iunio menſe, victoriæ ſuperioris perſequendæ gratiâ, Metzium, Slenitium, Grumpachium intereà dum ipſe reliqua conſtituendæ VVeſtergoæ perſequitur, cum magnâ militùm manu in Sylveſtres denuò mittit, qui arma nondum poſuerant. Hi Aelſumum venientes, quà commodiſſimum ſibi iter eſſe rebantur, cùm canalibus operâ ruſticorum detectis, progredi ſe non poſſe vident, eademque adhuc nocte Snecam reverti feſtinant, in itinere cognoſcunt, Leoardios magno admodum numero, oppido egreſſos, VVirdumanorum, Rauverdiorum, Roordhuſiorum, totiusque ejus viciniæ, quæ Saxonibus ſe dediderat, res rapere, urere, vaſtare, binisque locis ad arces hoſtium intercipiendas in inſidiis conſidêre. Itaque conſpecto quoque per tenebras incendio, à cœpto itinere converſi ſummâ feſtinatione iſtûc contendunt, atque ad Raverdum vicum in graſſatores jam ſe recipientes incidunt, hos ità invadunt paulò antè ſolis ortum, ut XXIII cæſis, XXX captis, reliqui fugâ turpi ſibi conſulerent. Eâ fortuna perterritis Leoardiis inſtandum ratus Scomborgius, omnem VVeſtergoam ſe armare, ac ad certum diem ad Cœnobium novum ſub ſignis ſibi præſtò eſſe jubet, parentesque, unà cum omnibus militum ſuorum copiis, Leoardiam ducit, oppidum arctâ obſidione cingit: ipſe cum prætoriâ cohorte VViſvordicum cœnobium, ad orientum oppidi inſidens,

Cammin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Cammingaburum caſtellum, hoſtium præſidio defenſum, deditione capit, & cohortem validam ſuorum contra oppidanos illîc locat: Poſtremò eò obſeſſos redigit, ut illi deſperatis auxiliis, vix paucorum dierum obſidio tolerato ad amicam compoſitionem ſeſe contulerint. Ea Nonis Iulij facta eſt his conditionibus: *primùm, ut rata ſint pacta ſequentia, ſi Rex Maximilianus Alberto Principi tanquam legato ſuo Leoardiam totámve Oſtergoam, eo, quo par erit, modo regendam dederit, ſin minùs, ut inania ſint ac irrita: ut hîc eâdem lege Leoardiani ſtatim ibidem in caſtris apud Scomburgium ac præfectos cæteros, mandata ab Imperij ordinibus perferentes, homagium præſtent, jurêntq; in obſequio Regis, velut directi domini ſui, & Alberti Saxonis, velut eiuſdem legati ſe futuros, ſecundùm leges infrà ſcriptas: utque viciſſim Scomburgius cum collegis nomine Regis & Alberti Principis juſiurandum det Leoardijs, civitatem ſe defenſurũ, jura eius cum pactis ſequentibus cõſervaturum bonâ fide, ſimul ſanctè promittat, Principem eundem, cùm veniet ipſe in Friſiam, iúſque iurandum à civitate accipiet, viciſſim in pacta hæc omnia, iureiurando, uti in more eſt, civitati ſe obligaturum. Deindè, ut uſus in civitate ſit impoſterùm juris civilis Romani: ut Oldermanni reliquíque in magiſtratu ac iudicatu non alij ferantur in civitate, niſi eiuſce cives: ut ſacro ordini cum fanis & cænobijs ius ſolitum conſtet: ut mœnia & munitiones omnes incolumes maneant civitati ſine vitio, augeantur potiùs quàm minuantur: ut aggeres, aquarúmque clauſtra, rivi curentur fideliter, ceu decet, ex uſu agri & civitatis: ut populus nullo tributo, vectigali, onere novo præter ea, quæ in hoc tractatu probantur à Principe aut Principis miniſtris gravetur unquam: idem in expeditiones ac arma non trahatur, niſi ad defendendum limitem Friſiæ, & coërcendos contumaces iudicijs non parentes: ut Leoardij immunes ſint à ſolvendis impendijs, quæ Albertus in Weſtergoâ ac Oſtergoâ fecit faciétve, niſi diploma regium, cuiuſmodi iactârunt Saxones, fuerit exhibitum, idque onus ſolis Weſtergois incumbat ex pacto: Ad hæc de cenſu domorum, pecorúmq;, de vini, cerevisiæ, panni vectigali, itémque de centeſimâ cenſuum privatorũ, de uſu regalium, uti vocant, & principis poteſtate ex formulâ Weſtergoâ conventum.* Tùm porrò ſic: *Si diploma regium confectũ allatúmque non fuerit, ut vectigalia illa vini, cerevisiæ, telæ laneæ in uſum cedant civitatis Leoardiæ, & reliquorum ordinum factionis utriuſque ut liber ac tutus commeatus ſit in omnia & per omnia loca & Vetcoperis & Scirinġijs: ut controverſiæ omnes antè iſtum enatæ diem conquieſcant totos menſes LX, nec antè exitum horum in iudicia adducantur, aut apud arbitros agantur: denique ut allato diplomate Princeps ipſe, eiúſve legati eo numero intrent in urbem, quò volent.* Atque hæc in tranſactionis tabulis. Vorperius ſic conveniſſe ſcribit, ut exercitus ab urbe removeretur, domum omnes dimitterentur, arx nulla aut præſidium oppidanis imponeretur, ſoli XV è militum numero cum armis ſuis, ſine tormentis ac reliquo inſtrumento, domum Vniæam validis operibus à Kempone quondam in oppidi medio extructam, & tribus aureorum millibus à Worpio Kemponis filio Saxonibus venditam inſiderent tantiſper, donec de gubernandâ Friſiâ quid cum Maximiliano Rege Principibus Germaniæ placeat cognoſceretur, & diploma exhiberetur jactatum à Scomburgio: intereà verò & Leoardii abſtinerent ab omni maleficio. A conventione, eodem adhuc die, Leoardii ex oppido in caſtra venêre, & patentibus in campis præeuntibus Oldermannis & cæteris in ſenatu, ſequente totâ plebe jurârunt ex formulâ apud Saxones legatos Imperii & Principis Alberti; & Saxones viciſſim ſanctiſſimum jusjurandum dederunt Leoardiis. Tùm ſtatim exercitus reliquus abductus, præſidium modò Cammingaburi à Saxonibus relictum. Vniææ arci Petrus Vlmenſis, juratus nihil ſe contra pacta acturum, præfectus à VVilibrordo datus. Ita Snecam VVilibrordus reverſus, dùm decretum Imperatoris, de quo dixi, expectat, evocatis ad ſe ex omni Oſtergoâ antiſtitibus, nobilibus, ſacerdotibus, ac ruſticæ plebis delectis, circiter medium menſis Iulii, regionem ferè univerſam ſine factionum diſcrimine in fidem Alberti adigit iiſdem cum VVeſtergoâ conditionibus. Pauci omninò fuêre, principe Aucone Iarlæo, qui præter Leoardios huic officio deeſſe volebant. In quos excurſionibus ſævîtum, quòd

M. CCCC. XCVIII.

conſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. CCCC. conſenſum morari magno patriæ malo viderentur, non à Saxonibus ſolùm,
XCVIII. ſed ab ipſis quoque Friſiis: captusque apud Bergumenſes eſt cum compluribus ruſticis Botto Iarlæus Auconis frater, & Snecam in vincula ductus. Bergumum vaſtatum, Oldegai direpti, alia quoque loca Oſtergoæ ad Sylveſtrium fines in prædam verſa: aliquid quoque incommodi in partibus Saxonum acceptum, cæſo à Sylveſtribus Leonardo Suytzio cohortis præfecto, cum militibus nonnullis. Et eodem ferè tempore Leoardii obſidionem veriti, fanum Franciſcanorum, quod Galilæum vocitabant, haud procul mœnibus extra oppidum poſitum, quà Sol oritur, ne quid indè incommodi oriri ſibi poſſet, diruêre: dirutum, tranſportanâ materiâ, intra oppidum viciſſim, ne qua religioni injuria fieret, extruxêre. Quæ cùm per Friſiam gererentur, celebris erat & frequens Imperii Principum conventus Friburgi Briſgoiæ, conſtituendæ reip. Germanicæ causâ à Maximiliano Rege coactus. Illîc cùm adeſſet quoque Albertus Saxo, certior factus à ſuis, quo loco res eſſent in Friſiâ, ſummo ſtudio contendit, ut negotium tandem ſuum iſtîc conficeret. Et præſtò illi erant Sciringiorum legati, qui hanc ipſam ob cauſam tunc aulam ſequebantur. Magna & perplexa res ambiguum & anxium animum Regis habuit. Erat ſcilicet ipſe beneficiis multis & magnis, & hujuſce etiam rei promiſſo peculiari obnoxius Saxoni. Deîn ingens illi æs deberi à filio, eoque nomine arces & oppida in Brabantiâ & Hollandiâ, velut pignora fidei tenere eundem, atque hoc ægris omnino oculis aſpicere Belgarum proceres, ipſumq; filium Philippum nôrat: nec aliam aut referendæ gratiæ, aut fidei liberandæ ſubmovendiq; è Belgio Alberti rationem commodam magis ac honeſtam ſe habere intelligebat, quàm ſi voto petentis hâc in re locum daret. Sed obſtabat jus, libertas nempè gentis illuſtris tam longis roborata ſæculis, tot majorum, parentis, ipſius denique decretis munita; tùm fœdus Oſtergoorum cum Groninganis haud ita nuper ab ipſomet, item eorum, qui cis Lavicam cum iiſdem, ab ipſius patre firmatum: Et ſi quid peccandum hîc, filio peccare quàm alteri ſatiùs videbatur. Erat enim Burgundo quoque fælix provincia fluctuans ſine domino, oportunè ſita; ſæpè appetita majoribus ipſius, in oculis. Itaque parentem per ſe quoque hûc inclinantem in commoda ſua ſollicitabat. Vicit tamen Saxonis cauſa invidiæ potiſſimùm metu: ſed ita vicit, ut victoriæ fructus ad Burgundum tandem perventurus eſſe videretur. Acta quippè res callidè inter pauciſſimos, conſilio aptos. Comparatâ inter Maximilianum Regem & Saxonem re, apud Principes cæterosque Germaniæ ordines populus Friſius contumaciæ in Imperium, ſeditionum, tumultuum pernicioſorum, contẽptorumq; judiciorum parando colori accuſatus graviſſimè, periculaq; ejus licentiæ exaggerata. Simul remedium propoſitum ex honore Alberti principis optimè de totâ rep. meriti, omnibus cari, ſapientiâ & rerum uſu validi: eaque res avidè probata. Hinc diploma confectum Alberto, formâ duplici. In priore apud Albertum deponendo, fundamentum totius rei poſitum, & evidentiùs in ipſo ſtatim ingreſſu expreſſum, crimen priùs memoratum cum ſummis Imperij periculis & detrimentis. Alterum ordinibus populi exhibendum, moderatiùs hac in parte, & populo honeſtius: in cæteris priori par. Quod quia diſſenſionum & bellorum gravium cauſam dedit, integrum hîc inſerere non alienum putavi. *Quanquam* (ait Maximilianus Rex) *Comites, antiſtites, nobilitas, oppida, pagi, omnéſque adeò, qui terram Friſiam inhabitant, ſacri Imperatori Imperióque parentes à Magno Carolo ob inſignia in ipſum ac remp. merita, præter cætera egregia & præclara hoc quoque jure donati ſint, quotannis ut per ſenatum ſuum exemplo Romanæ civitatis unum aliquem deſignent virum gerendæ reip. idoneum, & cuius imperio annuo omnes pareant, eúmque* POTESTATEM *appellent, quemadmodum eſt in diplomate ipſius Caroli à nobis etiam nuper confirmato, tamen ipſi hi eo jure & more aliquandiu jam uſi non ſunt, eiúſque neglectu collapsâ pace ac iudicijs, in factiones diſtracti, atque hinc in ſeditiones, tumultus, bella inteſtina verſi eô rem adduxerunt, ut niſi provi-*
deatur

*deatur maturè, pernicies extrema huius ipſius regionis, & maxima Germanicæ Reip. mala
ex hoc fonte videantur ſecutura. Ea propter nos, qui præſidemus Imperio, & Auguſti titulum* M. CCCC.
præferimus, ex officio noſtro, ut mala huiuſmodi à patriâ avertamus, deliberatâ cum Princi- XCVIII.
*pibus noſtris re, qui in his comitijs frequentes nobis adfuêre, perſpectóque eorundem conſenſu,
Albertum Saxonem cognatum noſtrum præclarè de parente noſtro Friderico, & nobis ipſis,
noſtróque filio Philippo Burgundiæ Duce, totâque imò Germaniâ, communi patriâ, pace belló-
que merito, Gubernatorem Friſiæ cum nomine* Poteſtatis *damus. Friſiæ ordines omnes antè
expreſſos, nominatim partes has, Oſtergoam, Weſtergoam, Sevenwoldios, ditionem Groninga-
nam, Ditmarſos littorales, Worſtenſes, Stellenwerfios comprehendimus, omnéque hoc jus ad
hæredes Alberti, & poſteros eius extendimus. Eidem litteras mandati ad populum Friſium
hâc de re jam dedimus, & dabimus deinceps, cùm erit neceſſarium; atque hoc facimus ex ple-
nitudine poteſtatis noſtræ, volumúſque ut ille nomine noſtro, & reip. Germanicæ Guberna-
tor Friſiæ audiat, provinciam occupet, Imperium uſurpet, in fidem ſuam per juſiurandum ſo-
lemne omnes adigat; populus verò ſic juret, omnes ſe & ſingulos nobis & ſucceſſoribus legiti-
mè deſignatis, & noſtro nomine Alberto ac hæredibus eius fideles futuros, officiúmque bono-
rum & obſequentium ſubditorum diligenter facturos, annuum tributum ſoluturos, omniáq;
præſtituros cætera, quæ reliqui Imperio Germanico ſubjecti præſtant, quæque ipſi more maio-
rum præſtare tenentur. Itaque Albertus decreto hoc fretus regionem eam univerſam occu-
pato, omnéſq; eius partes, inſulas, Comitatus, arces, oppida, fora, vicos, hominéſque eandem
habitãtes, Comites, antiſtites, nobiles, ignobiles, ditiones, juriſdictiones, edicta, interdicta, mul-
ctas, mandata, tributa, vectigalia, monetæ feriundæ ius, Eccleſiaſtica & politica beneficia, re-
ditus, cenſus, aquas, aquæductus, littora, portus, clauſtra, molẽdina, ſaltus, paſcua, ſylvas, ſepes,
feras, ferarũ venationes, piſcationes, & cætera omnia ſimilia Principum regalia, magiſtratus
iura, terrâ maríq; in poteſtate teneto, poſſideto, regito, utitor, fruitor, nova in commodũ ſuum
ex æquo & bono inſtituito, eo modo, quo nobis ipſis hæc omnia facere, teneri, inſtituere, uti, frui
ius eſt: populo omni ius dicito, aut dici curato, ſtatuta, mores, leges, cõſervato, ſancito, rogato,
abrogato, inſtituito, prohibeto, pœnarúmq; mulctarûmque dominus eſto. Et contra hæc ſi quis
indigena, incola, peregrinus ſe conatus fuerit opponere, aut quoquo modo impedimento eſſe
decreto huic, ſi quis cõſpirare præſumpſerit, hunc vî aut legibus, ut rei cõmodum, coërceto, at-
que ita in obſequio populũ totum teneto, imò ſi neceſſitas popoſcerit, auxiliũ à nobis petito, ac-
cipitóque, ne quid iſtinc nobis & Imperio Germanico detrimenti eveniat: in expeditionibus
huiuſmodi vexillo publico Imperij utitor & ipſe & hæredes eius, omniáq; facito, quæ ad pro-
vinciã illã in fide & obſequio ſuo noſtróq; continendam, & ad conſervãda iura eius pertine-
re videbũtur, quæq; nos ipſos facere ratio & ius poſcerent: Eáq; omnia facta eius, hæredúmq;
rata ſine cõtroverſiâ ſunto, ſalvo tamen iure appellãdi nos, & cameram iudiciariam noſtram
in cauſis civilibus. Similiter Albertus idem, & hæredes ipſius, huius provinciæ ergò nobis &
ſucceſſoribus noſtris fidem obſequiúmque præſtanto, noſtra cõmoda cum ſtudio promovento,
incõmoda avertunto, pro nobis & Imperio ſacro gubernationem tenentes, Friſiã omni operâ
& fide tuentor: nobíſq; & Imperio eidem, uti ſubditos decet, ſerviunto ſine dolo. In his verò
omnibus expreſſè hãc legem Alberto diximus ac dicimus, ut quocunq; omninò tempore à no-
bis, aut ſucceſſoribus noſtris, Imperatoribus Imperiíve ordinibus, quinetiã accedente Principũ
Electorum conſenſu, à filio noſtro Philippo Burgundiæ Principe, Hollãdiæ Comite, hæredibúſve
eius reſtituti fuerint illi, aut hæredibus illius centum M aureorum Rhen. ſolutíq; omnes ſum-
ptus in arces, munitiones alias, operáq; cætera reip. causâ inſtituta factos, cedãt viciſſim, reſti-
tuantq; tradant univerſam provinciam, cum omni iure annexo, abſq; tergiverſatione, nec
quicquã in eâ curent, agántq; ampliùs. Quòd ſi in computandis æſtimandíſve ſumptibus ali-
quid cõtroverſiæ extiterit eo tempore, id cognitioni ac ſententiæ noſtræ & Principũ Electo-
rum, aut partis eorũ maioris definiendum permittetur. Atque hæc omnia probare ſe, & rata
habiturum Albertus pro ſeſe & poſteris ſuis teſtatus eſt, ac voce ſcriptóque ſanctè promiſit.
Nos etiã promittimus reciprocè, nihil nos aut ſucceſſores noſtros mandaturos publicaturóſve
quod quoquo modo his omnibus, aut horum parti impedimento eſſe poſſit: & ſi quid huiuſ-
modi fortè, quâ arte, quâ ratione aut memoriæ noſtræ lapſu à quoquam confici extorqueríve
contigerit, hoc Alberto, hæredibúſve eius damno fraudíque non futurum, nec vim ullam*

M. CCCC. *habiturum promittimus, vanúmque & irritum eſſe jubemus, ſine dolo malo. Decreta hæc*
XCVIII. *probatáque à ſenatu univerſo Electorum, in ejúſque rei fidem ejuſdem litteræ hoc teſtamento Alberto datæ. Poſtremò teſtamur, cuncta hæc ſic accipi nos velle, ne quid derogatum juri Comitum Hollandiæ, quod hi in Friſiam habere ſe putant, hâc ſanctione intelligatur. Signatum Friburgi Briſgoiæ die* XX *Iulij, anno poſt natum Chriſtum* M. CCCC. XCVIII. His litteris regiis adjectum diploma Electoris Trevirenſis, eodem quoque ſignatum die, quo oſtendit is, beneficium Alberto collatum à Rege juſtiſſimas & maximas ob cauſas, bono totius reip. ſciente probanteque ſe & quibuſdam aliis ex Electorum ſenatu. Deindè ad verbum inſerit diploma regium integrum, excepto ſolùm, quod in calce erat, de jure Comitum Hollandiæ, quod Friſiis erat inviſum. A cæteris Electoribus in hâc re quid factum, neſcire me hactenus, fateor. At verò quatriduò antè quàm tabulæ hæ expeditæ & ſignatæ ſunt, idem Rex Maximilianus litteras dedit ad omnes Friſiæ ordines in tabulis expreſſos: quarum hæc erat ſententia. *Alberto Saxoni graviſſimas ob cauſas ex conſilio & conſenſu Principum omnium, qui Friburgi in comitijs ſecum ſint, Friſiam regendam Imperij nomine à ſe eſſe attributam, & hæredibus ejus: id ipſos ex decreti tabulis prolixiùs cognituros. Et quoniam ob Germaniæ negotia Albertus è comitijs diſcedere, atque in Friſiam ire ſtatim non poſſit, ne quid indè incommodi aut impedimenti rebus ejus exiſtat, monere omnes ac ſeverè præcipere, intereà dum adveniat ipſe Princeps, ut legatis ejus ac cæteris miniſtris pareant, fidémque præſtent, quam Imperio debeant: movendis bellis, turbis, factionibus omninò abſtineant, nec moveri eorum aliquid à quoquam ſuis in locis ſinant, ijs, quæ exorta fortè ſint, aut deinceps exoritura, opprimendis corporibus ac fortunis ſuis omnibus. Si Alberti legatis auxilio ſint, periculáque & detrimenta à patriâ & Imperio avertant: ſi aliter fecerint, magnæ id noxæ ipſis futurum: Reliqua in Alberti adventum exponenda reſervari.* His litteris Idibus Iulii ſcriptis ad Calend. Auguſti Snecam per celeres nuncios perlatis, Scomburgius poſtridiè Leoardios adeſſe jubet, ut quæ mens ac voluntas Cæſaris ſit, cognoſcant. Illi Nannonem ac Feddonem ſacerdotes, Fopponem Mathiæ conſulem cum honeſtiſſimis civium confeſtim eò legant. Legati, qui coram Scomburgio carpere autoritatem litterarum non audebant, exemplar earum impetratum Leoardiam ſecum ferunt, populoque prælegunt: ſecutaque in populo diſſenſio & diſſonus clamor, cùm alii non eſſe ſatis momenti in iis litteris, alii Cæſaris juſſum non eſſe contemnendum contenderent. Eâ diſſenſione durante Scomburgius, qui reſponſum non miſſum pro approbatione interpretabatur, quatriduò poſt ex formâ tranſactionis nuperæ tormenta quædam currui impoſita cum reliquo inſtrumento iſtûc mittit, ut in arcem Vniæam inferantur. His, dum oppido invehuntur, à civium parte deprehenſis, concurrere primùm pauci, qui in Saxones alieno animo erant, clamare, proditam eſſe civitatem, deprehendi manifeſtas inſidias. Quam ad vocem pluribus accurrentibus, totaque civitate commotâ, ad Vniæam domum velut lymphati vadunt, & ab inermi præſidio ſtatim intromiſſi contra fidem datam, Petrum Vlmenſem, treſque unà milites trucidant, domumque ipſam, velut periculoſam civitati deformatam inſigniter, exarmant. Eodem die quo Leoardiæ hoc fit, quòd fuit ipſis Non. Aug. Scomburgius, tracto jam propiùs in partes Edſardo, Snecâ Vollenhoam proficiſcitur, oppidum diœceſeos Vltrajectinæ in Friſiis finibus. Eo in oppido epiſcopus Fridericus, clariſſimo genere natus in familiâ Badenſium Marchionum, rogatu Groningẽſium, amico colloquio diem Saxonibus dixerat, in quo, quid juris in agrum Friſicum aut hi aut Groningani haberent, cognoſceretur. Illîc Scomborgius in concilio (aderant quippè quipræſuli à conſiliis, viri ſpectatiſſimi, item Daventrienſium, Campenſium, Suollenſium legati) auditis Groningenſium querelis, cùm quæreretur ex eo, quo jure, quo autore Oſtergoam invaderet ſanctiſſimo fœdere, volente Rege ac regio ſenatu, cum civitate junctam, quo titulo, quâ fiducia tantam vim faceret, Regis Principumq; decretum & autoritatem peſſundaret, Et vos, ait, Groningani,

quo jure, quibus autoribus tantas turbas in Weſtergoâ, regione liberâ & nullâ
vobis ratione devinctâ, dediſtis, tot facinora commiſiſtis? Deindè expoſito, M. CCCC.
quod à Rege Principibusque habebat, mandato, litterisque Regis ad omnes CXVIII.
Friſiæ ordines productis, quid his, inquit, habetis potius? & ſi quid habetis,
cur non profertis in medium? Attonitis iis ac perplexis, & de Campodunenſi
diplomate muſſantibus, Quin igitur tabulas, ait, quibus hoc conſtet, hîc ex-
hibetis? & cùm non ſatis celeriter ſe expedirent illi, ipſe rursùs exemplo è ſi-
nu deprompto, Quoniam vos malâ conſcientiâ præpediti non facitis, quod
poſcimini, en ego facio: recitatisque litterarum verbis demonſtrat, caput fœ-
derum & Regii diplomatis eſſe, concordiæ quietisq; reſtitutionem. Tùm ad-
dit; Quid, hæc'ne à vobis impleta conditio? hæc Regi præſtita fides? qui pro fa-
ctionibus prælia cruenta dediſtis, litem ex lite, bellum è bello ſeviſtis, incendio
ſeditionum oleum affudiſtis, deniq; leviter turbatam provinciam concuſſiſtis
penitùs, ac velut ſedibus ſuis fundamenta ejus moviſtis? poſtremò contra re-
gium edictum recens & ipſi tumultus cietis, & Leoardios incitatos à vobis mu-
tare fidem, arma rursùm capere, vobiſcum inſanire compuliſtis? Ad quæ cùm
reſpondere vellent Groningani, efferbuit vehementiùs, obturbavitq; loquen-
tes, eoque hæc modo egiſſe voluit videri, ut illi velut victi rationibus obmutue-
rint aliquandiù, nec quicquã pro causâ firmi potuerint afferre; Vltrajectini etiã
de causâ eorum haud benè ſe ſentire ſint confeſſi: quanquàm de his aliter Gro-
ningani, ipſiq; adeò plerique Vltrajectini. Induciæ tamen breves in dies XI in-
tercedentibus Vltrajectinis conſtitutæ, induciisq; comprehenſus Edſardus cum
ſuis & omnes Imperio ſubjecti, ſtipulante Scomburgio; Leoardii, quanquàm
contra ſatagentibus Groninganis, ob facinus recens excluſi. Cauſa induciarum,
ut præſul utriuſque partis amicus intercedere porrò, & tranſactionem tentare
poſſet; ejusque ſtudio induciæ quoque longiùs perductæ. Et ſunt Groningani
Vollenhoâ diſceſſuri moniti ab hujus & civitatum ſociarum legatis, operã dent,
ne quid à ſuis agatur pertinaciùs: cogitent, grave eſſe, decreto Regis & ordinũ
Germaniæ obniti; quò ſi ſe præcipitent, haud eſſe, quod a præſule, aut ab ordi-
nibus ejus expectent auxilia. Scomburgius Snecam IV Iduum reverſus, poſtri-
diè de omni re actâ ad Edſardum datis litteris, pridiè Iduum cum omnibus,
quas in promptu habebat, copiis Cammingaburum tendit, locum in Leoar-
dios idoneum, proximum urbi, nuper à ſe præſidio occupatum, eumque com-
meatu, tormentis, majore militum manu munit, nequicquam obſiſtentibus
oppidanis, ſtatimq; cum milite reliquo Snecam redit. In hoc rerum motu Ed-
ſardus ad quem redeundum nobis, ut erat animo vigili acriq;, fortunam aucu-
pabatur. Is nuper pecuniâ mutuâ, ut oſtendi, ordines Transamaſanos juverat:
mutuò verò legem dixerat, ut niſi ad Pentecoſtes reſtitueretur, liceret ſibi,
quos vellet, & quot vellet, ex Ordinibus evocare, prædumq; loco in liberâ cu-
ſtodiâ habere quoàd ſolutum eſſet. Deindè cùm ſolutio tardaretur, prædes ſe
ſiſtere juſſerat magno numero: In his erant Gualterus Adoardius, Ioannes Rot-
tumanus, Geroldus Theſinganus, Ioannes Oſterwerumanus, Vlferdus Lop-
pershemius, ex ordine ſacro; Apco, Releſus, VVigboldus Euſumani fratres,
Haijo & Egericus Ripperdææ familiæ Farmſumani, Aſigo Hammẽſis, Ditmarus,
Ioannesq; Rengeri, Hillebrandus Entenius, è nobilitate: horũ pleriq; ſimultatẽ
ex invidia habebant cum civitate, & fœdus cum eâdem diſſolutum cupiebant.
Itaque ut libentes ad Edſardum ierant, ità cõſilia clam cum eo coquebant diſ-
ſolvendæ ſocietatis. At antiſtitum præcipui, qui id non probabant, cùm quid
ageretur animadvertiſſent, occaſione honeſtâ obveniente (erant enim domum
venire rogati, ut pecuniæ conficiendæ deliberationes in Ordinum comitiis ju-
varent) conſentiente Edſardo ad ſuos ſunt reverſi, nec ut redirẽt eôdem, quan-
quàm indignante Edſardo, induci potuêre. A cæteris, quorum ferventiſſi-
mi erant Loppershemius & Oſterwerumanus ex eodem ordine, ex nobilitate

M.CCCC. XCVIII. Euſumani, Ripperdæi, Rengeri, poſt iſtorum diſceſſum res acta diligentiùs tandemque eò eſt deducta, ut opem polliceretur Edſardus, petenteſque reciperet in fidem ſuam. Nam hic ut cætera egregius erat, itá augendæ potentiæ vix ſibi modum videbatur ponere, & idcircò offerentem ſe fortunam negligere ſtultum arbitrabatur. Sed omnia in occulto habita: ſimul conſilia in rem cuſa: imprimis cauſa in Groninganos quæſita, ut mos hominum, qui volunt ab amicis diſcedere. Edſardus, qui habere ſe jus in Bellingwoldios, inque veterem præfecturam, aut perſuaſerat ſibi, aut perſuaſus eſſe videri volebat, id amiciſſimis primùm litteris ab iis repetiit, deindè ad colloquia plura rem deduxit, poſtremò ſeneſcente jam Iunio, cùm non reſponderetur ex ſententiâ, acerbiùs denunciavit, *nî reſtituerent, iure maiorum devoluta ad ſe, ab iis autem iniuſte occupata, & detenta diù, fructúſque ac cætera priorum temporum refunderent, aut ſecum de ijs ex æquo & bono tranſigerent, deſinerént que ludificari colloquiis amicos ſe appellaturum, & quod amice non poſſet, armis repetiturum.* Tùm ſopito ad tempus negotio hoc, civitate reſpondente benigniùs, ſimultas inter civitatem & factioſiſſimos quoſque per agrum, in diſcordiam apertam, diſcordia in injurias mutuas erupit. Oppidani fœdus urgêre, agrarii fœderis violationem oppidanis multis modis obiicere, idque verbis aſperis traducere, illi in hos idem regerere, interdùm facta verbis addere: tùm ſe Edſardus interponere. Is inducias partibus conſtituit circiter Idus Iulias in menſem unum. Iis durantibus uti convenerat velut componendæ controverſiæ ſe dedit: re cum agrariis comparatâ, id egit, ut à civitate quoque arbitrio ſuo lis permitteretur. Quo non impetrato (multa quippè civitas habebat, quæ eam abſterrerent, poſtulata ipſius Edſardi haud æqua de Bellingwoldiis & reliquis, propinquitas conjunctioque cum parte adversâ, familiaritas cum Saxonibus jam apertis civitatis hoſtibus) longiùs ſciſſa concordia, nec tamen ad vim & arma adhuc itum: ſimul ſolutionis mutui dilatio, velut obſidum ſtudio in occaſionem litis verſa, cujus culpa omnis in oppidanos collata, traductaque aſperè: hos eſſe ſcilicet, qui non ſolùm impedimento collectioni pecuniæ fuerint, ſed & collectam interverterint, & res obſidum inſuper invaſerint inducias violent, Edſardo, quod ejus eſt, non reddant. Inter hæc commeantibus litteris & legatis, cùm mandatum Regis in Friſiam veniſſet, oſtentatumque eſſet, inter Saxones & Edſardum amicitia coïerat ſtudio Scomburgii, jactaque feriundi fœderis in Groninganos fundamenta: ſimul acerbæ querelæ à Groninganis delatæ ad Vltrajectinum erant non minùs contra Edſardum, quàm contra ipſos Saxones; inprimiſque crimini datum, quòd agrum civitati ſubjectum, eique à Rege & Principum VII-virûm collegio aſſcriptum invaderet ſine causâ; & injuriis vexaret; deque his erat à præſule ad Edſardum relatum, oblataque ad componendas controverſias opera. Quod quomodò acceperit Edſardus, & quis ei animus in causâ fuerit, ex reſponſo ejus licet cognoſcere. Reſpondit verò in hunc modum: *Nec ſe ullius ſibi culpæ huiuſmodi eſſe conſcium, nec quicquam obiectum tale à Groninganis in tot colloquijs, in quibus de controverſiis actum: dolere itaque, hoc modo ſe traduci apud alios: quòd ſi de iniurijs agendum, ſe de iis ipſis iuſtiùs & prolixiùs queri poſſe tum ſuo tum ſuorum nomine (commercia enim Groningani turbårant) ſed conſultò querelas diſſimulaſſe ad tempus: Et tamen paratum ſe, ſi quid putent Groningani afferre ſe poſſe, quod crimen habeat, de eo ipſo, ubi quid ſit intellexerit, præſuli reſpondere, atque eo reſpondere modo, ut videri queat, conventu ob hanc rem non eſſe opus. Sin vicinorum cauſam in has trahere querelas velint, in his eſſe quoſdam ſanguine, alios aliâ neceſſitudine ſibi iunctos: eos enatis ex fœdere diſſenſionibus, de civitatis iniuriis multis & variis, déq; fœdere rupto, querelas ad ſe ſæpe detuliſſe, & verba rebus probaſſe, ſeque opem rogaſſe, cauſam totam ſuo, fratríſq; ſui arbitrio ſubmiſiſſe: eam ſubmiſſionem opinari ſe & ſufficientem & iuri congruam eſſe: nec æquum arbitrari, tam æqua offerentes propinquos & amicos in periculis & in-*

iuriis

iurijs deſerere: ſperare etiam, ijs qui nullum niſi ex fœdere ius in hoſce vicinos ſuos habeant,
qui fœdus pro libitu violant, ac vim eius ſolvant, qui æqua pacatáq; omnia recuſent, præſulem M. CCCC.
armata auxilia non laturum: denique ſi cupiat cõventum omninò huius rei gratiâ inſtituere, XCVIII.
cauſámq; in eo cognoſcere, & agere de compoſitione, ſe quoque hîc in morâ non futurum. Ab
his litteris ſecuta actio Vollẽhoæ, de quâ dixi. A quâ Snecam reverſus Scombur-
gius ad Edſardũ ſcripſit in verba ferè hæc. Fui Vollenhoæ, in conventu ibi coràm legatis
præſulis Vltraiectini & trium civitatum Iſalanarum ſic occurri accuſationi Groningenſium,
maximè de privilegijs, & cõfirmato fœdere, quòd arcem cauſæ ſtatuiſſe videbantur, ut quod
reſponderent rationibus & argumentis meis, non habuerint. Ità factum, ut Vltrajectini cæ-
terique planè intelligerent, Groningenſium iniqua & injuſta ſtudia eſſe. Tandem ab ipſis
induciæ petitæ dierum X aut XI, per quas præſul Vltraiectinus porrò intercedere, & contro-
verſiæ compoſitionem tentare poſſet. Dedi has, cùm preces juvarent legati, quos dixi: Sed
dedi hâc lege, ut tu tuíque omnes, & quotquot Imperio Germaniæ parent, comprehen dan-
tur. Leoardios, petentibus Groninganis, velut pro ſocijs, comprehendi paſſus non ſum, ut-
potè mihi ob præſtitum homagij iuſiurandum arctiùs magis quàm ipſis devinctos. Demùm
diſceſſum ſic, ut civitas intra triduum mihi ſignificet, aſſentiatúrne iudicijs, an non. Intereà
ego à legibus earum maneo liber. Ad hæc legati interceſſorum, Vollenhoæ Groninganis
dixêre planè, intelligere ſe cauſam hanc Regis Maximiliani eſſe & Principis Saxoniæ:
idcircò nec integrum ſibi & ſuis, contra hos ipſis auxilia præſtare. Statimque manus equi-
tum quam Vltraiectinus Groningæ habebat, quam primùm indè domum ſe recipere iuſſa
fuit, ne quid contra Regem & Saxonem committeret. Vbi de inducijs reſponderint Gro-
ningani, ſtatim faxo ut ſcias. Hæc verò hoc tempore ſcribo, ut habeas iam nunc, quò re-
ferre conſilia, & res componere tuas poſſis. Ego homines meos in Brabantiam miſi. Ex his
accepi, copiam illîc bonorum militum eſſe, benéque magnum eorum numerum confici poſſe
nullo negotio. Mihi decretum, M. D. ſtipendijs Principis mei conducere: & ſi placebit
tibi, D etiam mittam ad te, ut parati omninò ſimus, &, ſi opus, cum firmo idoneóque exer-
citu in Groninganos in tempore queamus exire. Quòd ſi fiet, ſpero, ita nos rem geſturos,
ut brevì bonâ pace potiamur; præſertim ſi Vltraiectinus & civitates Iſalanæ nobis ſubſer-
vierint. In hunc finem, quò certiora nobis omnia ſint, mitte ad me ſine morâ legatos
tuos, quos promittis, mandatis inſtructos, aut locum deſigna, quo occurrere tibi ipſe,
déque omnibus tranſigere tecum, & conſtituere poſſim. Sic & res ipſa & anni hoc tem-
pus poſcit. Nam ubi autumnus aut hybernum cælum ingruerit, ob copiam aquarum &
uliginem, his in regionibus nil geri utiliter poterit. Feſtinato itaque opus, & reſponſo à
te celeri, ut ſciam quid expectandum, & quò conſilia mihi referenda. Ego ad officia om-
nia pro rerum copiâ ac viribus præſtanda totus ſum tuus. Vale: III Idus Auguſti, Anno
M CCCC. XCVIII, Snecæ. Vix hæ litteræ ad Edſardum venerant, cùm ab eo
miſſi cum mandatis ſunt, Aſuuinus Suicholdus, Victor Friſius, Mathias Neo-
camerus, ut fœdus cum Saxonibus & Scomburgio pangerent, iique quantâ
potuerunt celeritate uſi, cùm Snecam veniſſent, fœdus æquale pepigerunt,
poſtridiè Idus Auguſti. In eo auxilia mutua in Groninganos & horum ſocios promiſſa
pro viribus: cautum ne Saxones vim facerent, detrimentúmve inferrent ijs, qui in cliente-
lam & fidem Edſardi, auſpicijs Regis & Reip. Germanicæ, ſeſe contulerant, nec ullum eos tri-
butum poſcerent, ſed ut Imperij Germanici clientes ac ſubditos contra iniurias tuerentur; ad
hæc, ut tributa reliqua agri Ciſlavicani, durante hoc tumultu, dividerentur inter ſocios
æqualiter pro virium & ſumptuum modo: ut Edſardi rebus ac iuri nulla vis à Saxonibus,
nulla fieret iniuria: Edſardus viciſſim ſummis viribus, ſummâ fide auxilio ijſdem eſſet: neu-
tra pars cum Groninganis, cæteriſque hoſtibus, niſi ex alterius partis conſenſu, paciſcere-
tur. Hæc Principis & Comitis nomine ſcripta & ſigillis utrinque firmata, cu-
pidiore Scomburgio & collegis, quàm iis, qui ab Edſardo venerant. Sic quip-
pè res & fortuna Saxonum tùm videbatur poſcere. Nam qui in agro Gronin-
gano eminebant, ſi dominus habendus, Edſardum Friſium & cognatum,
quàm exterum habere malebant, & eo ſe non domino, ſed patrono uſuros ſpe-
rabant, in hunc totis ſe animis contulerant, Edſardus verò & avidus potentiæ

erat,

M.CCCC. XCVIII. erat, & ſuus potiùs quàm cujuſquam alterius eſſe cupiebat: ad hæc armorum gnarus, animo magnus, ingenio ſolers, & acer, autoritate & gratiâ, totâ in gente valens, virtutis expertæ, tùm amore ſuorum fideque & robore militari non firmus minùs quàm inclytus, vicinitate ipsâ ad res gerendas oportunus. Itaque metuere Saxones, imprimisque Scomburgius, & ipſe Albertus, ſi in gratiam rediret cum civitate inimicâ, eique reconciliaret, qui jam ab eâ ſeceſſerant, difficillimum & periculoſiſſimum ſibi bellum fore, & propè ſine ſpe; gentem ſcilicèt unanimem & conjunctam prævalidam eſſe, ac vix ſuperabilem, nec facilè niſi ſuis viribus frangi poſſe: Groningam ſuffultam ſociis potentem, firmam, formidabilem, & eorum, qui bellum in Friſios gerunt, velut ſcopulum: repetebantque & horrebant exemplum Bavari, & fatum infælix, de quo audierant, qui ſubactâ totâ quæ inter Flevum & Lavicam eſt regione, ineſcatis multorum cis ultraque Amaſum animis ac ſibi devinctis, maximo ſuccinctus exercitu, maximis opibus, adiutus oportunâ ditionum ſuarum viciniâ, armorum peritiſſimus, ingenio & armis prudens, duobus acerrimis ſubnixus filiis, tamen in hâc oppugnandâ civitate naufragium fecerat fortunæ ſuæ: omenque formi dabant nominis ejuſdem, ætatis, gloriæ, ſobolis, temporis ipſius. Nam centeſimus tum annus fluebat, ex quo Bavarus infæliciter Groningam tentaverat, prorsùs quaſi eandem repetere fabulam cum novo ſæculo fortuna pararet. Quas ob cauſas agendum cautè, nec ullas hîc circumſpectæ prudentiæ partes ſupervacaneas arbitrabantur. Suſpecta prætereà Burgundi & Belgarum conſilia, Fridericus etiam Vltrajectinus urbis protector tacitè in oculis & occultis curis animos ſollicitos augens, idem quoque nomen cum Blanchenhemio ferens, ac licèt Saxonum domui propinquo ſanguine connexus & blandus, ac benignus adhuc, tamen quia præſul ejus ſedis, & opum avidus, quò nobilior altero & potentior, eò magis metuendus videbatur. Leoardia quoque oppidum poſt Groningam maximum, validum & benè munitum in parte adversâ. Hæ illis cauſæ, cur Edſardum non quibus cuperent, ſed quibus poſſent, conditionibus devinciendum ſibi putarent, magnum ſcilicet in utramque partem momentum.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XXXVIII.

AT triduò antè fœdus ictum, exemplar diplomatis, quod Saxoni erat datum, Friburgo miſſum ad ſe, Groningam cum litteris ſuis miſerat Scomburgius, ac quæſierat, vellent'ne conſules ſenatusque ei, quod à Rege Principibusque decretum viderent, parêre: Simul repetiverat, de quo Vollenhoæ egerat cum legatis, anne Oſtergoam conſtituiſſent dimittere. Ad hæc reſponſum ab illis: in diplomate nîl reperire ſe, quod pertineat ad civitatem, aut quod obſequium ſuum ſpeciatim requirat: cum Oſteagoâ, notum omnibus, fœdus ſibi eſſe, à Rege, ſenatuque regio probatum, laudante promoventeq; Alberto: hanc ob cauſam, ſalvo honore ac fide ſuâ fœ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſuâ fœderatos negligere ſe non poſſe: nec tamen longiùs progredi velle, quàm legibus & jure facere cogantur. M. CCCC. XCVIII. Nam certè fœdere ſe teneri tam ſanctè inito, tam ſolenniter firmato, cui nullo verbo, nullâ ſententiâ in diplomate ſit abrogatum: Orare igitur, ne quid faciat ipſe, quod fœderi huic fraudi ſit, & juri legibuſque adverſum: Id verò fore, ſi Oſtergoâ decedat & abſtineat, donec judicio aut arbitrio lis finem invenerit. Miratus reſponſum hoc, deque eo cum ſuis locutus, re quoque cum Edſardicis, qui aderant, communicatâ, Scomburgius illo ipſo die, quo fœdus cum Edſardo percuſſum, ſenatui reſpondit in hunc modum. *Non exiſtimaſſe, in totâ civitate eorum, in tantâ virorum ſapientum copiâ fore nullum, qui diplomatis vim & ſenſum intelligeret: de Oſtergoâ dimittendâ quod petant, in eo gratificari ſe iis non poſſe: aliud enim in mandatis habere, aliudq; ſuadere homagium reip. totius Germaniæ, ac principi ſuo ab Oſtergois apud ſeſe dictum; eo quippè cogi ſe, hos ipſos Oſtergoos uti & cæteros Germanici imperii clientes ac ſubditos contra iniurias & vim defendere, idque ſibi facere in animo eſſe pro viribus: intereà tamen miſſa ab ipſis, uti peterent, ad principem Albertum tranſmiſſurum Bruxellam primo quoq; tempore: eum reſponſurum ſine dubio, quod rectum erit. Snecæ* III *Idus Auguſti.* Paulò pòſt amiciſſimæ litteræ à Slenitio, ſtipendia Saxonis merente, ex Hollandiâ venêre ad Edſardum, offerentes ei militum copiam, ſi iis habeat opus, aliaque officia in belli uſum. Rumor quippè diffuderat, ut ait Slenitius, fœdus eum cum Maximiliano Rege, & Alberto iniiſſe; ſed de milite rem feſtinationis egêre, propter competitores multos, qui eum cupiant conductum: ſibi promptum dicit in gratiam ipſius, quocunque loco, quocunque numero eum ſiſtere, ſi modò quæ mens ipſius, ſciat. Tùm quoque indies magis & magis ſcriptitando, culpando, denunciando fodicatus hinc illînc, inter Edſardum eique connexos in agro, & Groninganos diſſenſionum & odii ignis, arguere ſe mutuò, falſa cum veris objicere, utrique cum criminatione partis adverſæ ſeſe purgare. Demùm cùm ad arma cum Scomburgio & Saxonibus res ſpectare Groninganis videretur, & hi ab Edſardo ſibi metuerent vel maximè, inter amicum inimicumque medio, placuit quærere ex eo, ſi ſine armis tranſigi cum Scomburgio non poſſet, quid ab ipſo civitati expectandum. Ille verò in hanc ſententiam ad XI Calend. Septembr. reſpondit. *Hactenus oppidum agrúmque Groninganum habitantes in amicis ſe ſuis habuiſſe, eos verò aliena ab amicitia feciſſe multa: nam tot poſtulatis ſuis æquis ac iuſtis de reſtituendo commercio vicinorum ad modum moris priſtini, & tollendis vectigalibus novis, de reddendis Bellingwoldiis, & cæteris ſimilibus, de ſarciendis detrimentis nihil adhoc uſque tempus æqui reſponſum ſibi eſſe: ad hæc interceſſiſſe ſe ſæpè per amicè pro propinquis ſuis ac amicis, viris nobilibus in agro vicino, arbitrúmque ſeſe aut alios æquos ac bonos homines ad litem frequenter obtuliſſe, conditiones pro iis optimas & æquiſſimas propoſuiſſe; ſed oleum & operam perdidiſſe: nec veritos Groninganos fidem in hâc re datam Dammonæ (ibi conventus paulò antè collocutorum fuerat) fallere: atque inſuper miniſtros ſuos, expediendarum rerum cauſâ à ſe emiſſos, non ita nuper tractatos eſſe ab iiſdem injurioſiſſimè. Quæ ſi ſibi admirationi ſint, non eſſe mirum: interim ſperare, ad mentem nunc ſaltem redituros, & emendatis prioribus rectiùs acturos impoſterùm. Quod ad Saxones attineat, principem Albertum mandante Romano Rege præfractos quoſdam, & ſacro Imperio contumaces ſtatuiſſe corripere, & ad obſequium reducere: ad eam rem uti velle operâ Scomburgii & præfectorum aliorum, eóſque mandatis inſtruxiſſe: quamobrem ſe, qui in membris Imperii ſit, & fide ei devinctus, ſi quis locus adhuc conſilio ſuo, ſuadere, ut à defenſione contumacium abſtineant, nec ſe cauſæ eorum miſceant ullo modo, ne contemptores ac hoſtes Imperii & autoritatis regiæ eſſe videantur: Si ſecus fecerint, ſenſuros brevì, in pelagus ſe ſemet conjeciſſe inexplicabilium malorum: hoc conſilium ſuum fidele eſſe, ipſóſque pro prudentiâ ſuâ hoc poſſe expendere pleniùs. Atque hanc ſummam eſſe reſponſi ſui.* At eo dubii penè non minus, quàm antè fuerant, relicti Groningani; metui tamen quàm ſpei propiores. Nam & emanabat de fœdere aliquid, quanquam incertum, & commeantes litteræ & nuncii inter Comitem & Scomburgium obſer-

M.CCCC. XCVIII. obſervabantur, & nobilitas ſub prædum ſpecie Emdæ hærens, Comiti familia-
ris, urbi infenſiſſima, non poterat non eſſe urbanis ſuſpecta. Et qui reſpon-
ſum ponderabant diligentiùs, & animis erant non fatuis, quis ejus ſenſus ac
ſcopus eſſet, haud multùm dubitandum putabant. Suſpicionibus verò his,
frigidam ſuffundebat ab incerto quidem autore ſubjectus, ſed à vero non ab-
horrens rumor, nobilitatis conſilium eſſe, divortium cum civitate facere, at-
que Edſardo ſe ſubiicere, ſecumque plebem trahere vicinam, & jam maxima
jacta hujus conſilii fundamunta, pactaque prima inita: quò quid civitati aut
inimicius aut exitioſius? Itaque acerbæ iræ in Edſardum, acerbiores in nobi-
litatem & antiſtites quoſdam conceptæ: nobilium res ab indignantibus læſæ,
nonnullæ quoque direptæ. Et quia nec deſerere Leoardios, poſſeſſionemque
fœderis dimittere ſtatuerant, nec hos civitatis hoſtes in agro ſuo, pactorum
ruptores, inultos pati (nam minora meritis putabantur præſentia aut præteri-
ta) militem, quem habebant jam totum ſeptimeſtre ſub Ioanne Friſio præfecto,
augebant ſedulò, reliqua bello uſui comparabant, ſuos in armis exercebant,
indies in nobiles plus iræ effundebant. Quibus motus Edſardus patronus no-
bilium, priuſquàm armis rem ageret, ad Vltrajectinum circiter Nonas Se-
ptembr. ſcripſit, querens de injuriis, & ſuſpiciones rumoreſque refutans: pecu-
niam quippè non ſolutam, non conſilium illud invidiæ causâ ab inimicis con-
fictum, cauſam eſſe, cur ſecum habeat nobiles, obſides ex pacto: ad hoc, novis
ſe fœderibus miſcuiſſe Groninganos, eorumque causâ tributis affligere atque
atterere ſocios. Et paratos eſſe eoſdem hos cauſam ſuam apud præſulem dicere,
atque ejus arbitrio ſubiicere, iſtos verò nec hoc velle, nec quicquam æqui pati
poſſe: præſulis eſſe, eos corripere, imò comprimere: alioqui quid ſecuturum,
ipſum videre. Præſul Groninganos cognoſcendæ rei causâ, ad conventum ſuo-
rum & Geldrorum Daventriæ indictum evocat. Sed non erat id otium iſtis eo
tempore, ut actionibus vacare hujuſmodi, & Principes civitatis in legationes
ſupervacaneas peregrè mittere poſſent. Bellum quippè trans Lavicam arde-
bat. Leoardii namque poſt cæſum Petrum Vlmenſem, velut efferati, nullo
penè intermiſſo die in vicinos ſuos Saxonibus addictos excurſiones hoſtiles fe-
cerant, arces nobilium complurium diripuerant, incenderant, vaſtârant, vici-
nos ac ruſticos omnibus modis afflixerant. Hos verò animos à Groninganis ha-
bebant, qui & CCC milites ſubſidio eis miſerant, & ampliora, ſi poſceret res, pol-
licebantur. Tùm Scomburgius, ne quod ex morâ detrimentum exiſteret, ad XII
Calend. Septembr. cum cohortibus duabus, in quibus DCCC milites cenſeban-
tur, (alii duûm millium exercitum fuiſſe tradunt) Leoardiam profectus, caſtra
ad oppidum obſidendi causâ locat in cœnobio Wiſwerdico. Eo confeſtim ad-
volat omnis nobilitas Sciringica, quæ Lavicam inter & Flevum ſedes habebat,
compluresque è Franecheranâ viciniâ homines ruſtici. Leoardiis enim infenſi
omnes erant, qui facinore & factione ſuâ morari quietem patriæ belliique mala
prorogare videbantur. Sed oppidani nihil territi eruptiones facere, ultrò hoſtes
laceſſere, prælia inire, cædi & cædere, imprimis centurione homine Anglo in-
terfecto, ſigniferum Bertholdum Sileſium graviter ſaucium captumq; in oppi-
dum ſecum abſtrahere: Sed nuſquam latiùs quàm occidentem versùs vagari,
propterea quòd minima illic præſidia ab hoſtibus locata erant, incendere & va-
ſtare obvia, Marſumum, Deinumum, Buxumum vicos diripere fœdum in
morem, ruſticos, qui in templa confugerant, cum omni prædâ captivos abdu-
cere. Quod cùm Scomburgius videret, copias ſuas, quibus poteſt modis, au-
get, conventum omnibus Oſtergois indicit pecuniæ conflandæ causâ ad VI
„ Calend. Septembr. iis præſentibus proponit, ſine milite ſe bellum gerere, ſine
„ pecuniâ militem alere, ſine tributo pecuniã habere non poſſe. æquum enim non
eſſe tantos ſolùm ſumptus ſuſtinere Principem: agerent igitur, & compararent
inter ſe, de contributione, ſine quâ quies reſtitui non poſſet. Ad ea, qui aderant,
quanquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

quanquam exhauſtos ſe jam eſſe quererentur, tamen intra dies XIV quater M & M. CCCC.
D aureos ſe exhibituros promittunt. Intereà dùm dies is advenit, & Scombur- XCVIII.
gius in augendo exercitu eſt, Groningani delectu civium ſuorum habito, ad-
dito Langowoldiorum, Fredowoldiorum Humerziorum, Medachiorum
ſpontaneis, aut ex fœdere ſcriptis, validâque militum manu nongentorum ca-
pitum, præfecto Ioanne Itterſhemio Tranſiſalano, viro nobili, Leoardiã emit-
tunt ut commeatum obſeſſis importent, & ſuppetias ferant in hoſtem. His cur-
rus adjungunt ſuper C, omni commeatus genere onuſtos. Qui omnes, perculſis
& ſe opponere non auſis Saxonicis, nullo detrimento accepto, V die Septembr.
oppidum obſeſſum ingreſſi, cum gaudio excepti ſunt. Etenim ità præ ſe ferebat
Itterſhemius, ubi primùm cum Leoardiis & cæteris, qui ex Sylveſtribus expe-
ctabantur, ſe conjunxiſſet, de rerum ſummâ cum hoſte conflicturum, ſi copiam
pugnæ hoſtis daret, ſatis proclivi victoriâ: ſin minùs, facilè eum caſtris exturba-
turum, atque oppidum obſidione metuque liberaturum. Quod ſi fieret, augu-
rabantur omnes haud facilè fore hoſti vires recolligere ad obſidium inſtauran-
dum: & fortè etiam clade perterritum à perſequentibus & fortunam urgenti-
bus Friſiâ expelli poſſe. Sed eventus oſtendit omnia alia fuiſſe in fatis. Poſtero
enim quàm hi Leoardiam veniſſent, juſſu Scomburgii Scelto Tiarda, Taco
Hemſtra, Zialingius Bottinga, aliique è nobilitate cum turmâ DCCC equitum
Bergumum profecti ſunt, vicum ad quinque Millia paſſuum Leoardiâ diſtan-
tem, ad viam, quæ Groningam ducit, ſpeculandi causâ, quid ab hoſte pararetur.
Ab his in itinere ſtatim cognoſcitur, novam manum hoſtium cum commeatu
in viâ eſſe. Scomburgius celeriter certior factus, ducibus Heſſelo Martenâ, Au-
cone Kempio, Renicone Camſtrâ, Dauvone Roedmerio, ducentos equites ex-
peditos eò miſit: qui reliquis conjuncti, cùm hoſtes Bergumum jam attigiſſent,
ita terruére eos primo incurſu, ut deſertis ſtatim impedimentis, cæſis aut in-
terceptis nonnullis, reliqui Groningam trepidi ſe referrent. Commeatus in-
terceptus in caſtra Scomburgii convectus. Inter hæc lectiſſima Sylveſtrium
cohors ad CCCC benè armatos complexa diversâ viâ in oppidum obſeſſum ſeſe
infert: cujus præclara virtus magno uſui civitati poſteà fuit. Groningani
contrà qui animos horum adventu ſumere, & in hoſtem ſe parare debebant,
pugnæ immemores, ſeu numero ac viribus ſuis diffiſi, ſeu ſatis proſpectum re-
bus arbitrati, ſeu quo alio fato, diſcedendi conſilium capiunt: nec mora
omnibus in oppido conſtitutis, præſidioque, quantum ſatis ex ſui militumque
numero aucto ad diem IV Iduum Septembr. tertiâ antè lucem horâ, biparti-
tò exeunt meridiem versùs, qua proxima via in Sylveſtres patet. Horum qui
priore in agmine erant numero ferè DC concurſu vicinorum ruſticorum, quos
ſonus nolarum exciverat, preſſi, præſertim quâ canalis flumini impoſitus viâ
Aelſumanâ, nudatus tabulato, traiiciendus erat, in diſcrimine fuerunt: qui-
dam etiam periêre. Sed reliquis non paucioribus D CCCC poſt horæ dimidium
eâdem viâ ſubſecutis atque appropinquantibus, ancipiti & improviſo periculo
circumventi homines ruſticani, cùm & à tergo & à fronte urgerentur, qui pau-
lò antè alios cædebant, capiebant, fugabant, repentinâ rerum viciſſitudine ipſi
cæſi, capti, fugati ſunt. Groningani, quò intenderant, per Sylveſtres paca-
to agmine ad ſuos rediêre. Eorum diſceſſu Leoardii nihil animis fracti, cum
præſidio ſuo, imprimisque eâ cohorte, quæ ex Sylveſtribus venerat, audaciùs
etiam indies, ne clauſis quidem oppidi portis, in hoſtes incurſarunt. Fuêre
verò in oppido è nobilitate Oſtergoâ Ziallingius Leoninus, Sifridus Gro-
venſtenius, Bennardus Abingæus, VVibrandus Roorda, Groningenſium re-
rum perſtudioſi. His autoribus mox ab abitu Groningenſium eruptio facta in
VVeſtergoos, ager latè vaſtatus. Barrahuſium incendio univerſum abſum-
ptum, in reditu quæ circùm aggerem veterem ſunt, cuncta everſa, poſtremò
Huſumum, quod in conſpectu Leoardiæ ad orientem hybernum eſt, eâdem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.CCCC. XCVIII. calamitate involutum. Cui malo medendo Scomburgius, Ziegelerum Myſnenſem virum nobilem cum mille delectis militibus miſſum Huſumi caſtris locum capere, rivosque injecto aggere expediendis utrimque auxiliis ſternere, juſſit. Ità repreſſis Leoardiorum eruptionibus, quidam è nobilitate Friſicâ partium Saxonicarum, quorum duces fuere Scelto Tyarda, Geeſtanus, & Taco Hemſtra, arcem Reniconis Iarlæi, quam in Dongeranâ provinciâ habebat, atque hactenùs contra Saxones defenderat, aſſumptâ ruſticorum manu, ſubito incurſu ceperunt, ad exitum Septembris: nec multis interjectis diebus alteram ejuſdem familiæ arcem, quæ Auconis, antè nobis memorati, erat, juvante eos Heſſelo Martenâ, & Renicone Campſtrâ, tormentis oppugnatam deſertamque à propugnatoribus iidem occupârunt. Sic quicquid in Oſtergoâ fuit, præter Leoardiam, in Saxonum poteſtatem tandem pervenit. Haud multò pòſt, continuante obſidionem Scomburgio, ab Alberto Saxone in Friſiam veniunt Botto Comes Stolbergius & Sigiſmundus Pflugius, Ducis Cancellarius, magnâ nobilitate & doctrinâ vir, comitante eos Nitardo Foxo. Hi Franekerâ, quò primùm venerant, Snecam profecti, omnes Friſiæ ordines, ad Idus Octob. præſtò ſibi eſſe jubent. Illîc, cùm magno numero adeſſent, diploma regium de aſſignatâ Saxoni Friſiâ provinciâ à Trevirenſi ſignatum faciendæ causâ fidei omnibus exhibent, & clarâ recitari voce coràm populo curant. Cæteris acquieſcentibus, ſoli tamen in pertinaciâ perſiſtebant adhuc Leoardii, variis cauſis moti. Nam & Groningenſium auxilii fiduciâ, ac interceſſione Vltrajectini ſe ſuſtentabant, & de Burgundo haud parvam conceperant ſpem, & de æquis conditionibus ab hoſte impetrandis, quem nimis graviter offenderant, propè deſperabant. Erant eo tempore ſolliciti & perplexi procerum Belgicorum, inprimis Hollandorum animi. Nam licet ſcirent, in regio diplomate Philippo Principi ſuo cautum, tamen ſi poſſeſſionem adeptus eſſet Saxo plenam quietamque, haud facilem ejus amovendi rationem fore imaginabantur. Deindè in exemplo illo, quod ſignaverat Trevir, haud temerè, id, quod de Hollandiæ jure dixi, ex mente Electorum omiſſum eſſe ſuſpicabantur. Quid ſi decederet Philippus Auſtriacus ſine liberis? Quid ſi ſine hærede porrò liberi ejus? Atque iidem Principem ſuum, ſi fors eum adire provinciæ poſſeſſionem vellet, jure illo veteri, quàm beneficio hoc novo, Poteſtatisque titulo adire malebant. Denique ne quid ſilendo delinquerent, minuerent've jus patriæ ſuæ, more communi cavendum ſibi exiſtimârunt. Simul oportunè venit in aulam homo clàm à Leoardiis emiſſus, ſecretò exponens, paratos oppidanos Principi Burgundo ſe dedere, ſi is Saxonum obſidione liberare ipſos, & in ſuis habere velit. Id cùm excitaſſet eos ampliùs, nova quoque occaſio alia acceſſit. Vltrajectinus quippè præſul à Groninganis rogatus, & à collegio, proceribusque provinciæ ſuæ admonitus officii, ne quid defluere diœceſi pateretur, novo conventui diem ſtatuerat Vollenhoæ ſub exitum Octobris: ad quem invitaverat omnes, qui in partibus erant, ut ſi poſſet, ex æquo & bono lites componeret. Quâ re cognitâ, maturandum rati Belgarum proceres, Principem Philippum impellunt, ut legatum mittat in Friſiam Henricum Suevum, ex equeſtri ordine aulicoque ſenatu virum inſignem, & jam antè in rebus Friſicis verſatum. Is variis mandatis inſtructus ad Groninganos, Leoardios, Saxonas & Vltrajectinos à procerum primis, digreſſus Bruxellâ ad diem VI Iduum Octobris, pòſt conventum Snecæ jam actum, Groningam cùm tandem veniſſet, voluntatem Principis ſui expoſuit in curiâ, hoc modo. *Accepiſſe Principem, conventum futurum Vollenhoæ componendæ causâ omnis in Friſiâ controverſiæ: itaque ſignificatum velle civitati, Leoardiam, totámq; adeò Friſiam optimo jure eſſe ſuam, nec cujuſquam alterius, ejúſque plurima poſſe documenta proferre ex tablino Hollandiæ: à multis quippe Imperatorib. Regibúſque*

búſque Hollandiæ Comites iſtâ provinciâ donatos, coſdémque eam tenuiſſe diu, & ſe quoque M.CCCC.
eius iuris ergò in titulo eandem adhuc præferre, ſempérque conſtitutum habuiſſe, cùm primùm XCVIII.
bono ſuo poſſet, poſſeſſionem interruptam rurſus aſſerere: Albertum præ ſe quidem tuliſſe nuper, cùm Weſtergoam appeteret, in uſum patris Regis, & filij Philippi cuncta ſe agere, idémque apud Groninganos etiam affirmaſſe; ſed nec verum hoc eſſe, & neſcio omninò Philippo Leoardiam obſediſſe prius, & nunc quoque obſidere: Leoardios paucos antè dies ſecretò nunciaſſe, paratos ſe, in fidem ipſius concedere, ſi ſciant, id gratum ei fore: Eſſe verò in animo Principi, recipere illos, ſalvo omni eorum iure, libertatéque integrâ, miſſurúmque huius rei causâ quamprimùm legatos iſtûc, qui cum ijs agant, & ſi res conveniat, ſine morâ effecturum, ut ſolvatur obſidio: quod ſi recuſaturus ſit Saxo interpellatus, revocaturum confeſtim omnes Belgas eius ſtipendia merentes, prohibiturúmque ex Hollandiâ, Selandiâ, & cæteris provincijs vicinis convectationem commeatuum in caſtra: denique ſi res poſcat, armis & vî obſidionem ſoluturum: Hanc orationem eò pertinere, ut ſciant Groningani, quò referre conſilia eos oporteat in conventu, ſi gratum facere Principi velint, in cuius benevolentiâ & Belgicis commercijs haud ignorent, quantum momenti inſit ad fortunam totius civitatis: Conſtitutum porrò Principi Philippo iam nunc eſſe, civitati eidem omnia ſervare jura cum commerciorum uſu, utique civibus eius velut amicis & vicinis. Quòd ſi Groningani his de rebus legationem mittere velint ad eum, fore id nec ei ingratum, nec inutile civitati: ipſum quidem facturum omnia, quæ juſtè ab eo peti poſſint. His acceptis, Groningani hærentes animis, & valdè perplexi, quid reſponderent, ſtatim non invenerunt. Videbant enim quod fugerent in totâ re, quod ſequerentur, non reperiebant. Saxonem & Burgundum graves vicinos, imminentes civitatis rebus pariter horrebant: hunc etiam ut potentiorem plus nocere poſſe cogitabant: Denique ſuſpectam totam legationem multi habebant. Nihilominùs gratias agere Principi pro benevolentiâ, accipere omnia benignè, deliberationibus tempus ducere, cùm interim inopina calamitas in Oſtergoâ & ſpes & res penè civitatis evertit. Nam Mathias Neocamerus ab Edſardo legatus veniens in caſtra, cum Scomburgio primùm locutus, flexo ejus ad leniora animo (ſic enim expedire putabat Edſardus callidus, & rerum Friſiæ gnarus) deinde Leoardiam ingreſſus, ita permovit mentes omnium facundiâ ſuâ, poſitis ob oculos periculis, amplificatâ hoſtis potentiâ, commendatâ ejuſdem clementiâ ac bonitate, elevatâ ſpe inani à Groninganis, ut nullâ dum adhuc premente neceſſitate deditionis conſilium caperent. Itaque interceſſore eodem leges deditionis conſcriptæ die x Calend. Septembr. præter rem duræ. Sic enim pactum, *ut obſeſſi caput pedéſque nudi proſternerent ſe Scomburgio in pœnam mutatæ fidei, aut* XIV *millibus aureorum Rhenenſium ignominiam redimerent: memoriæ cæſorum in arce Vniaâ binas miſſas, uti vocant, in ſeptimanas dici curarent: centurionis cæſi viduæ auri libras duas dati ſolverent: Vniæam domum reficerent, aut pretium ejus Worpio tum Leoardiæ ex morbo langueſceret, arcem intra oppidum extruerent ſumptibus ſuis.* Poſtridiè oppido dedito exercitus Saxonici pars à Scomburgio inducta, præſidium Sylveſtrium & Groningenſium nequicquàm fremens & indignum caſum deteſtans cum omnibus rebus ſuis, ac militari inſtrumento dimiſſum, deducente & ab injuriâ prohibente Foxo. Quæ cùm eſſent audita Groningæ, indignata civitas, levitatem ſociorum deteſtans, fortunam ſuam deplorans, conſilii neſcia, legato Burgundi ſe propiùs dare, quâlibet è re remedium quærere, imprimis Vltrajectinum reſpicere, ejus fidem officiúmque imploratum legatos decernere. Burgundi legatus & ipſe hâc parte ſpe ſuâ lapſus, in cæteris hæſit. Sic enim in mandatis acceperat, omnem ut operam daret, conventúſne coïret: id ſi effectum dare non poſſet, hoc ſaltem efficeret, nè quid in eo contra commoda domus Burgundicæ ſtatueretur, Vltrajectino etiam exponeret priora omnia, diceretque ne quid ageret, agíve permitteret, quod domui Burgundicæ & huic conſilio eſſet adverſum, imò alia potiùs omnia ageret, Burgundoque pro beneficiis ac ſtudio

M.CCCC. XCVIII. vicem rependeret: adhæc ut cum Leoardiis, ſi res ſineret, loqueretur ſeorſim, cunctaque aperiret, gratiæ apud eos ineundæ nullam occaſionem negligeret, cupidinem ſui in oppidum vocandi moveret: poſtremò, ſi videret eſſe opus, Saxonicis & palàm & liberè Principis ſui mentem ac voluntatem ut denunciaret. Quæ pleraque quemadmodum verſa jam deditione Leoardiæ, ità ſupervacanea. Eundum tamen ad conventum legatus putavit. Illîc à Groninganis adfuit Guilhelmus Friderici, cum Ioanne Scaffero conſule & ſenatoribus duobus, paucisque ex agro amicis. A Saxonibus venerunt Scomburgius & Pflugius Cancellarius ac delecti nobilitatis Friſicæ Sciringicarum partium. Adfuit & Edſardus cum factione ſuâ civitati Groninganæ inimicâ. Epiſcopus ſtipatus proceribus ſuis, velut cognitor controverſiæ aut arbiter, interim etiam ut patronus diœceſeos ſuæ, multa de ſtudio ſuo atque optimâ voluntate præfatus, ad æquitatem moderataque conſilia hortatus eſt omnes. Tùm Saxones non contenti occupatis, poſtularunt, ut Ciſlavicanis quoque vicinis & fœderatis ſuis Groningani decederent: idque egere ità, ut ſeriò planè agere viderentur. Quo audito, non novitate ſolùm rei inopinatæ & iniquæ perplexi, ſed perculſi etiam graviùs hi, cùm ſiluiſſent aliquandiù, tandem dicere juſſi, ità dixêre, ut & inexpectatò ſibi hoc accidere, & ſine mandato non poſſe ſe quicquam agere hujus, & rem ipſam iniquiſſimam putare, denique ſat ſcire civitatem incolumem ſtantemque nunquam aſſenſuram oſtenderent. Indè conflictu oriente, cùm Edſardus quoque accederet, & infenſiſſimi quique ex agrariis poſcerent divortium, prolatis deindè, quæ quiſque firmandæ cauſæ ſuæ eſſe rebatur, decretisque contra decreta recitatis, diſputatio tandem in contentionem vehementem exarſit. Imprimis diploma Campodunenſe jactatum rursùs à Groninganis, non à Rege modò eodem donatum civitati quatuor antè annos, ſed ex conſenſu quoque & conſilio Alberti impetratum. Quòd ſi eo recedere modo, (aiebat Guilhelmus,) à pactis, ſi conventa promiſſaq; tam ſolemnia pro luſu habere, ſi ſacramenta mutare, decreta tollere liceat, quid futurum ſit in rebus hominum ſanctum? quid in fide certum? quæ ſocietas, quod jus ſtabile? Et quod ad vicinos attinet, ſi omnes qui in agro ſunt, idem ſentiant, ac ſimul mutare fidem cupiant, non eſſe ferendum: jam pauci cùm ſint ambitione ducti, factioſi, novarum rerum cupidi, æqui juris inimici, quis tam iniquus rebus publicis ſit, qui ferendum putet? Quapropter præter ſpem civitati accidiſſe ab Edſardo, qui homines iſtos receperit in fidem, horum causâ fœdus in ipſam, adeoque in totam ſocietatem cum exteris percuſſerit, quietem patriæ armis turbare conſtituerit. Quòd ſi iniqua fœdera ſint, Groninganâ cum civitate percuſſa, cur Imperator Fridericus, id quod cum vicinis, ipſe Maximilianus Rex, quod cum Oſtergois, firmarint? cur, cùm poſſet Saxo, utrumque non impedierit? cur ipſe conſenſerit? cur conſilio etiam probârit ſuo? Regem quidem tot negotiis oppreſſum, aut non memorem priorum, aut jam malè perſuaſum circumventumque, non ſatis conſideratâ re, in Saxonem tam liberalem fuiſſe. Contrà Pflugius, ſpecioſa magis quàm ſolida firmaque à Groninganis dici: eos variis artibus nixos in fœdera vicinos traxiſſe, ſub fœderum nomine Imperium quæſiſſe, Imperatorum Regumque conſenſum impetraſſe: Fundamenta finemque actorum talium eſſe ſpectandum, rem, non verba ponderanda: præ ſe tuliſſe civitatem, tenendæ firmandæque pacis, coërcendæ factionis, adminiſtrandi juris, conſervandæ libertatis ſtudium: fidem Imperatori Regique feciſſe, probatis fœderibus & firmatâ autoritate ſuâ, cuncta ſe quieta præſtituram: ita à Friderico nuper, nunc à Maximiliano tabulas iſtas impetraſſe: his fretam alia omnia feciſſe, ſociis & vicinis pro ſocietate ſervitutem intentaſſe, diſſenſiones ſeviſſe, aluiſſe, auxiſſe, Regis obſequium & ipſos exuiſſe, & cæteris vile feciſſe, tributa Imperii impediiſſe, denique fluctuantem provinciæ quietem in bella crudelia & diuturna commutaſſe, totamque

regionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

regionem miſerrimam reddidiſſe: Itaque fruſtrà de fide queri, qui fidem pro- M. CCCC.
jecerint, pacta jactare, quæ violârint, quorum ipſi fundamenta everterint. XCVIII.
His ſuccinere Sciringii, reliquique gratiâ corrupti. Lopperſhemius quoque ſo-
ciorum nomine vehementiùs, avaritiam, injurias, vim, dominationem me-
morare, Edſardum culpâ liberare. Tùm rursùm Guilhelmus: Non tam ſe pe-
tiſſe fœdera, quàm petentibus conceſſiſſe, nec minùs ſocios quàm civitatem
confirmationes in aulâ quæſiſſe, nec pœnitere adhuc facti eoſdem, præter-
quàm factioſos, quibus ſemper jus & quies inviſa: hos tumultuum armo-
rumque autores eſſe, & Saxonem ipſum animos opesque ſuggerentem: qui ſi
quieviſſet, ſine dubio quietam pacatamque in fide Regis, & libertate patriâ
totam nunc Friſiam fore. Caleſcentibus animis, cùm vehementiùs inſurgerent
Saxones, componi res nequiit, rejectaque ad Regis cognitionem, cujus eſſet,
contraria ab ſe data diplomata interpretari. Hunc in finem induciæ, autore
epiſcopo, factæ à die II Non. Novembr. ad Calend. Febr. placuit, ut intereà &
mens Regis cognoſceretur, & compoſitio ipſo præſente tentaretur Alberto. Vi-
ſum æquis hominibus in actione eâ, jus pro Groninganis, gratiam pro Alberto
ſtare. Ab hoc conventu in Friſiam reverſus Scomburgius, copiarum parte, uti
cum Edſardo convenerat, cum Foxo & Slenitio trans Amaſum hybernandi
gratiâ miſsâ, circiter Martini Leoardiæ arcis aream deſignat, locoque purgato
fundamenta locat, gemente civitate: lateres & ligna è ruinis arcis Vniææ, &
turrium in viciniâ à Leoardiis vaſtatarum, conſenſu dominorum, ſumit: de-
primendæ foſſæ in arcis ambitu plebem ruſticam ſeptem proximarum præ-
fecturarum edicto evocat: inque eam ſeptenis æquis portionibus perticarum
XL (pertica XVI pedum erat) omne opus diſtribuit, & excitandi ſtudii gra-
tiâ XXV aureos in ſingulas perticas addicit; denique reliquum opus magnâ ce-
leritate abſolvit. Quod dùm procedit, ipſe in Sylvanos profectus cùm milite,
univerſum eum agrum poſt debellatam Leoardiam, nemine jam reſiſtere au-
ſo, in fidem adigit, atque ita in adventum uſque ipſius Principis quietem ab
armis egit. Anno M. CCCC. XCIX vix inchoato, tumultus aliquid Emdæ M. CCCC.
ortum ob milites Slenitianos. Hos, ut oſtendi, cum ducibus Foxo & Sleni- XCIX.
tio, exoratūs à nobilitate Tranſamaſanâ, quæ à Groninganis diſſidebat, belli
avida, ſtipendiaque pollicebatur, ſimul Saxoni gratificaturus in ſuas ditiones
hybernandi causâ Edſardus receperat. Eorum parte Emdæ in hybernis degen-
te cum ipſo Slenitio, accidit fortè, ut miles cum ſutore contractâ rixâ ad ta-
bernam ejus tumultuaretur, ageretque quàm pro oppidi pacati more, in quo
hoſpes & amicus erat, inſolentiùs. Hinc clamor, & commilitonum quorun-
dam, ut fit, accurſus: ſimul voce tumultuantium excîta ædibus oppidanorum
vicinia, atque advolans in auxilium civi ſuo: tum vulneribus & cæde ſecutis,
cùm milites fugerent, major clamor oriri, plures concurrere, tumultus con-
cipere vires, voces audiri, Slenitium trucidandum cum militibus, qui eò in-
ſolentiæ in ſocios & hoſpites in civitate amicâ advenire hos ipſos patiatur. Mox
velut lymphati, concurſu ad hoſpitium ejus facto, quod deſcendentibus magnâ
plateâ, quæ ad curiam fert, oppidumque media percurrit, ad lævam erat non
procul foro veteri, ubi oſtium clauſum vident, irâ, fremitu, minis in publico
deſæviunt, Slenitium ad cædem depoſcunt. Fuiſſetque de Slenitio actum, niſi
Edſardus eodem fortè tempore in oppidi arce adfuiſſet. Is quippè tumultu au-
dito, cum ſatellitum manu celeriter iſtuc advolans, commotis reverentiâ oppi-
danis, periclitantem extremo caſui exemit. Cæterùm altiùs in animum Edſardi
quanquàm ſuorū peramantis facinus hoc deſcendit, quàm ut ſine pœnâ dimit-
tendum putaret. Itaq; cognitis tumultus autoribus, ne quis eorū causâ motus
exiſteret, aut quiſquam commovere ſe auderet, manum ruſticā fidam ſibi, be-
neq; armatam, noctu in arcē recipit, ſilentioq; in oppidum porrò immittit. Ità
metu oppreſſis cæteris, ſontes ædibus extractos, atq; in arcē ductos paulò pòſt

 gladio

M.CCCC. XCIX. gladio percuti jubet. Fama eſt per manus à majoribus tradita, aliam quoque pœnam, in iſtâ omnium conſternatione, civitati irrogatam: quam ego incertam in medio relinquo. Id certum, quod ſeveritas ſupplicii paucorum ut cautiorem civitatem reddidit imposterùm, ità nihil amoris populi in Principem detraxerit. Tanta in eo gratia apud ſuos, & tractandi populares animos peritia inerat. Et jam exibant initæ Vollenhoæ induciæ, re nullâ adhûc confectâ: itaque præſulis ejuſdem ſtudio atque operâ in diem I X Calend. Maij ſunt prorogatæ. Per has, intereà dum res in aulâ Regis agitur, præſul erat in eo, ut novo conventui diceretur dies Woerdæ, quod eſt oppidum diœceſeos ipſius, nominatuſque dies octavus à Bacchanalibus. Hujus conventus causâ Groningani, & qui cum iis concordes in agro erant, legatos misêre Vltrajectum præconſultaturos cum præſule, atque aliis diœceſeos proceribus, Guilhelmum Fridericum ſacerdotem, Ioannem Scafferum, Ludolfum Hornkenium conſules oppidanos, Allardum Gaicamam virum nobilem, Selwerdium & Warfumanum antiſtites ex agro. Qui præparatâ re ſuâ, dum expectant reſponſum de voluntate Alberti, qui in Belgico ad Moſam eo tempore morabatur, atque intereà dies conventui dictus præterit, moræ tædio, & quia in mandatis habebant, ut ſi alieniùs ageret Albertus, ad Philippum Principem ſe conferrent, ejuſque animum penitiùs explorarent, in Brabantiam profecti ſunt, eodemq; die venêre Mechliniam, quo Philippus indè ad patrem Antwerpiam conceſſit, agendi conventus causâ. Is de eorum adventu per Cancellarium ſuum, quo cum legati Mechliniæ locuti erant, edoctus litteras ad eos dat, ac petit peramicè ut Mechliniæ aut Bruxellæ reditum ſuum præſtolentur, aut ſi longior opinione futura actio ſit Antwerpiæ, hoc ſe iis ſignificaturum promittit. Intereà & ab Alberto litteræ veniunt ad præſulem Trajecti ad Moſam ſcriptæ, quibus exponit, nec cupidos pacis ſibi videri Groninganos haud fideliter colentes inducias, (querelas enim audierat hâc de re à ſuis) nec ad diem dictum ob negotiorum multitudinem, & temporis anguſtiam venire ſe Woerdam, aut ſuos mittere potuiſſe, ſed ſi placeat Groninganis, iiſque pax cordi ſit, ad diem octavum à Paſchatos ibidem ſeſe affuturum, aut ampliſſimos legatos cum agendi poteſtate miſſurum, idque gratiæ ſe daturum ipſius rogantis: ſimul vanum ſe habere oſtendit, quod legati iſtorum totas ſeptimanas tres, Vltrajecti commorati deſiderium conveniendi ſui oſtentârint: ſe enim omni hoc tempore in Brabantiâ hæſiſſe, & adiri facile potuiſſe, ſi iis id facere fuiſſet in animo. Has litteras à præſule ſubmiſſas ſibi, cùm legiſſent legati Bruxellæ agentes, confeſtim eas cum alteris à præſule conventum agente Groningam ad ſenatum ordineſque vicinos mittunt Calendis Martiis, & expoſitis cæteris de itinere ſuo, deque ejus ſucceſſu, conſilium eorum & voluntatem exquirunt, ac de pecuniæ anguſtiâ queruntur acerbè. Ii reſpondent poſtridiè Iduum: Gratam ſibi eſſe legatorum diligentiam; rogare enixè, ut pro prudentiâ ſuâ, ex eventu rei conſilium capiant, ſtatuantque cum Philippo principe, quid agendum reſpondendumque epiſcopo de conventu, idque reſponſum ipſi ſcribant, & mittant maturè: ejus rei & habere ipſos jam antè plenam poteſtatem, & nunc quoque hâc epiſtolâ iterùm iiſce fieri, quicquid factum ab iis erit, id ſibi & ratum fore & gratum. Nec multò pòſt, hoc reſponſo accepto, ſive cum Philippo congreſſi legati, ſive non, (nec enim id mihi conſtat) cùm haud procul abeſſet tempus, quo VVoerdæ adeſſe oportebat, domum ſe quantâ potuerunt feſtinatione receperunt. Iiſdem diebus in aulâ Regis, ut dixi, agitata res, atque eò deducta, ut quamvis pro civitate ſtare videretur jus, tamen Saxonis gratia prævaluerit, cujus tum etiam ope & operâ Rex bello Geldrico implicitus habebat opus. Itaque Noveſii cùm eſſet, inclinante jam Martio, diploma Friburgicum interpretatus eſt in hunc modum. *Loquutum ſe in diplomate generatim de totâ Friſiâ, omnibúſque habitatoribus & ordinibus eius, Imperio Germanico ſubiectis antiquitùs: itaque haud eſſe, quòd quiſquam cauſetur, ad ſe*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ad ſe diplomα non pertinere: omnes enim qui dicit, neminem excipere: Veruntamen ne quis tergiverſari queat ex eo, quod nominatim ſcriptus in diplomate non ſit, neû quid reſtet dubij, ſic ſe ex conſenſu præſentium Principum & ordinum reliquorum decretum Friburgicum exponere, neminem omninò Friſium intelligi exemptum, nullámve Friſiæ partem, non Edonem Ieveranum, non Heronem Eſenſem, non alios quoſcunque, aut agros inſuláſve ipſis parentes, non ipſum etiam Orientalis Friſiæ Comitem, (quem Emdenſem vocat) Comitatúmque ipſius, non Comites, Comitatúſve alios, non proceres, antiſtites, nobiles, non denique urbem Imperij Groningam, agrúmque totum cum eâ cohærentem, & quicquid præter eâ Friſiæ regionibus continetur: Quapropter prætextu præteriti nominis ſui haud fas eſſe quenquam contra Albertum excipere: quinimò omnes teneri, huic ipſi velut Gubernatori & legato Imperij perpetuo, ejúſque hæredibus juramentum dare, & Principum loco eos habere, cuncta Principibus debita officia ijs præſtare: Quòd ſi quid deeſſe videri poſſit decreto priori, id ſuppletum ſe hac interpretatione velle: Ideoque derogare ſe pro poteſtate ſummâ, omnibus privilegijs, beneficijs, libertati, iuri quorumvis, à quocunque Principe, Rege, Imperatore datis, quæ huic decreto, beneficióve in Albertum collato videantur adverſari, eáque ſe hâc ſanctione facere irrita: præcipere denique cunctis Friſiam habitantibus autoritate graviſſimâ, ut decreto morem gerant, in fidem Alberti ſeſe conferant, ei & hæredibus eius obſequium iurent perpetuum: qui ſecùs fecerint, his pœnam omnis iuris publici & privati amiſſionem fore. Quæ allata in Friſiam cùm vidiſſent, qui prudentiâ valebant, quanquam ampla eximiaque, tamen haud temerè proferenda putârunt. Immodica quippè, periculoſa, infirma, legibus adverſa, nec tam Saxonum data gratiæ, quàm Burgundicæ domus ſpei parata in longum. Quid enim ſi nunc qui diſſideant, externi odio imperii coaleſcant, & in Saxones conſpirent? & qui nunc auxilio ſint, re inopinâ commoti ex amicis hoſtes fiant? Inſitum hominibus, libertatem amare ſuam, ſuique juris eſſe, quàm aliis ſubeſſe malle, & partium ſtudiis diſtractos communis incommodi metu ſæpè ſociari: Et quod ſcriptum à Rege eſſet extra comitia, cauſâ non cognitâ, nullo Principum conſeſſu aut conſenſu, id per ſe parum roboris habiturum verebantur. Itaque mandata tempori apta ad civitatem Groningam & vicinos impetrata à Rege, promulgataque; hæc occaſioni ſervata. Interim colloquii dies aderat à VII Iduum April. qui placuerat priùs, ob temporis anguſtiam in XI Calend. Maij prorogatus. Convenerunt ipſe Albertus & Henricus ejus filius, Edſardus Comes cum comitatu ſuorum inſigni, & nobilitatis Ciſamaſanæ flore: tùm Groningenſium inimici Apco Euſumanus, Ditmarus Rengerus, Áſigo Hammæus, Vlferdus Lopperſhemius: à Groninganis autem & ſociis iidem illi, quos Vltrajecti & in Brabantiâ fuiſſe memoravi. Adfuitque Vltrajectinus, & cum eo Georgius Bavariæ Dux, cognomento Dives, cum procerum & conſiliariorum catervâ. Sed pro expectatione & apparatus modo eventus colloquii non fuit. Extrema enim urgere omnes, & juri ſuo inſiſtere, Saxo diplomate Friburgico, & Noveſianâ explicatione niti, Groningani fœderibus & decreto Campodunenſi, atque Andernacenſi inſiſtere, cæteri ſua quoque agere vehementiùs. Deîn poſt prima certamina die VIII Calendar. Maij Albertus has pacis leges extremas propoſuit. *Groningani Gubernatorem Friſiæ à Rege Ordinibúſque Germaniæ datum agnoſcant ipſum, ipſiúſque hæredes ac poſteros: ipſi homagio ſe obligent, fidem iurent, introitum in urbem liberum quovis tempore non ſecùs ac ipſi Regi, cui id ſine controverſiâ debent, concedant. hæc faciant ità, ut præſuli, eccleſiæ, diœceſi Vltraiectinæ nihil decedat. Ad hæc ijdem Groningani renuncient iuri, quod habent aut habere ſe putant in vicinos, & rebus eorum abſtineant ab hoc tempore, nec rurſùs ſe miſceant, niſi quantum paciſcendo tranſigendóque poterunt obtinere: denique ordinibus agrarijs permittant facere, exemplo Tranſlavicanorum, id quod ex decreto Friburgico facere tenentur. Poſtremò induciæ durent ad diem VIII Calend. Iulij, per quas Groningani deliberare de his omnibus & cum ſocijs ac amicis conſilium capere Ducique de voluntate ſuâ reſpondere queant. Atque his inducijs liceat agrarijs quoque conventus agere, & conſilia*

M.CCCC. XCIX.

M.CCCC. XCIX. *inire conficiendæ pecuniæ quam Edſardo debent, ſéque nexu tandem aliquandò liberare.* Contrà Groningani, de Oſtergoâ ſpe miſsâ, de cæteris in has conditiones ultimas deſcendendum, nec eundum ultrà putârunt: *Civitas maneat quemadmodum fuit hactenus, ſub Vltraiectino: eius regimini, & rebus & quæ cũ his cohærent, princeps Saxo nullâ ex parte ſe miſceat: Imperium verò agri vicini ut Friſiæ Gubernator teneat, incolumi uniuſcuiuſque jure. At civitas ex honeſtioribus ordinibus ſuis poteſtatem habeat edendi Hovetmannos iudices, qui pro Principe Gubernatore ius dicant agrarijs in urbe, in cauſis ſolitis: cives & omnes urbis incolæ quicquid iuris, ditionis, prædiorum, bonorum aliorum tenent ac tenuerunt antiquitùs, id retineant ſine vitio: eorum res dùm importantur aut exportantur, vectigalibus non graventur: ius fori, mercatus, ſtapulæ, maneat uti iam poſsidetur à civitate: uſus cereviſiæ ſit ex præſcripto fœderis: piſcatio etiam in inſulis more ſolito: Principi liceat urbem ingredi, cum volet, ſtipato comitibus quinquaginta ſexagintáve, ut hoſpitii impendia damnáque pro nullis habeantur utrinque, & oblivione obliterentur perpetuâ.* Ita irritus is præſulis conatus fuit. In inducias tamen bimeſtres ab omni parte conſenſum, & deliberandi ſumptum ſpatium. Quid enim deliberaſſe noceat? Saxonis Edſardique conjunctio & amicitia in hoc congreſſu aucta. Ille quippè indolem hujus ſuſpexit, & hoc ſocio ſibi opus eſſe cenſuit; hic ut erat ſolers, & famæ opumque avidus, rebus illius bono tamen ſuo ſe accommodavit. At legati Groningenſes Woerdâ domum reverſi, expoſitis poſtulatis, neſcias mœrorem majorem an indignationem ſuis attulerint. Omnes averſari, iniquum & improbum Saxonem, leves ſocios, haud æquum Regem, aulam venalem dicere: hæc ſecum, hæc cum ſociis queri. Quid certi, ſi non hæc certa? pacta tam proba, tam ritè concepta? verba, ſcripta, ſigilla regia?. Itaque vix continere ſe à violandis induciis. Nec multò pòſt litteræ venêre à præſule Friderico, quibus petebat, legatos ad ſe mitti Vltrajectum ad conventum celebrem omnium canonicorum; iiſque cùm alia dari mandata, tùm ut referrent, quo animo à civitate eſſet acceptum, quòd de agro vicino Saxo popoſcerat. Nam in eo ſi cedere tempori noſſent, de cæteris ſe non deſperare. Ad has Groningani re cum ſociis communicatâ, quos fidos ſciebant, ſcripto item reſpondent: Legatos mittere ſe non poſſe ob pericula circumſtantia, creſcentemq; rerum omnium difficultatem, quorum cauſâ, quos legari antè alios oporteret, ingenio atque uſu valentes, hos domi jam potiſſimùm manere neceſſum eſſe. De poſtulato Saxonis, deliberatum ſibi ſociiſque diligenter, omneſque id uno ore ac animo recuſare: nec enim ſolùm cum irrecuperabili damno civitatis connexum, ſed etiam iniquum valdè, ſeu jus ſpectes & fœdus & conjunctionis modum arctiſſimum, ſeu fortunas civium ſacerdotumque penè omnium in agro ſitas, cum fœdere certas, ſine fœdere fluxas & inanes, ſeu pactorum fidem: hanc ſcilicet ſocios à civitate poſcere, huic conſtantes inhærere, paucis modò demptis: hos ſine maximo illorum damno, ſineq; honoris fideique ſuæ jacturâ deſerere ſe non poſſe. Hoc reſponſo ſi non ſatisfaciant, offerre ſeſemet diſceptationi plenæ coràm ipſo, aliíſve æquis ac legitimis judicibus ſuis: rogare, uti hæc in præſens boni conſulat, memoriâque repetat, quod Blanchenhemiâ pactione cautum, *ne ſit fas, civitatis cum agro ſocietatem diſſolvere*: denique ne vî opprimi civitatem ſuam ſpoliaríve patiatur. Eodem tempore Saxoni quoq; reſpondent in hanc ſententiam. Haud æquum eſſe, peti à ſe de jurejurando, quod ſalvo honore, ſalvâ fide facere nõ poſſint. Nam in fide ſe Vltrajectini eſſe, & membrum diœceſeos ejus, nec licere ſibi fidem eam mutare ſine perjurio, nec cum eâ novam inire: & obſtare quoq; juſiurandum Regi ipſi datum & Campoduni & in patria: deniq; pugnantem cum totâ actione Campodunenſi, cujus pars & promotor ipſe fuerit. Agrum verò nec dimittere ſe poſſe ullo modo, nec Principẽ ſine ſummâ iniquitate id ipſum à ſe petere. Deîn addunt rationes, quæ in litteris ad præſulẽ fuere; imprimis verò ſine ſcelere deſerere ſocios in fœdere perſtantes ſibi nõ licere demonſtrãt. Poſtremò ad colloquium ſe rursùs & cauſæ cognitionẽ & æquitatem omnem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

omnem offerunt prolixè. Eo reſponſo offenſus Saxo, ad bellum ſe paravit. Et licet intercederet rursùm epiſcopus, tamen efficere nil potuit. Quod cùm intelligerent Groningani, viderentque aut bellandum ſibi, aut remp. prodendam, ipſi quoque id, quod honeſtius erat, arma ſumere, quàm tanto ſe dedecore maculare maluerunt. Itaque exeuntibus jam induciis, cùm & aſperas minaceſque ab Edſardo litteras acciperent, & cùm arma luſtrare, alia hujuſmodi ad bellum ſpectantia in manibus habere audirent, coacto concilio, armorum præfectos quatuor creârunt, Redmerum Almam equeſtris ordinis virum, Ioannem Scatterum, Ludolfum Coenderum, Nicolaum Regem, acribus ingeniis & promptis omnes, idque fervido inprimis plebeiorum ſtudio. Hi Vlricum Dornumanum Eſenſis fratrem Sibone natum, domeſticis externiſq; bellis exercitum, acris & fortis ingenii virum, militumque vulgo carum, ſtipendiis reip. conducunt. Mox famâ ferente, militem quoque cogi ab Edſardo, eumque Dammonæ invadendæ conſilium habere, Vlrico eodem ductore Quatuorviri cum ſclopetariis oppidanis magno numero militibuſque C paulò pòſt urbe egreſſi, occupatâ primùm Dammonâ, deîn Farmſumi, Oterdumi, Reidæ, locisque aliis in orâ præſidia conſtituunt ad muniendos portus atque aditus. Id belli Edſardici principium fuit. Deîn iidem ab Haijone Ripperdâ irritati, qui cum Edſardo erat, pridie Calend. Iulii, arcem Farmſumanam, ſupellectile ejus aut direptâ, aut aliò tranſlatâ, exurunt, quod incendio ſupererat, diruunt, pecora omnia Groningam abigunt. Ab hâc in alias inimicorum arces impetus verſus, idemq; paſſæ Poſtana, Euſumana, Hammæa, & ea quæ ab aggere dicta: omnes in ruinis relictæ. Naves quoque Emdanæ duæ cum pretiosâ merce interceptæ in littore, & in prædam verſæ: Simul, ut majore præſidio tuti eſſent fines, ducenti cives, trecenti milites, Dammonam miſſi. Quæ dùm fiunt hîc, Edſardus nobilium precibus impulſus, & ſuópte ingenio haud ſegnis, atque inſuper à Saxone quoque monitus, rebus aliis tunc occupato, arma quoque ipſe corripit. Eo facto, repentè ex agro Reiderio Winſcotam præfecturæ veteris vicum magnum, non procul aditu primo; cum exercitu advolat, in quo milites ſtipendia merentes DCCC, ex oppidis agroque delecti beneque armati bis mille erant: mox occupatâ, quæ iis locis eſt, arce Pekelborgâ, tenuique præſidio firmatâ; ipſe ſummâ celeritate cum expeditis Emdam redit, exercitum nobilitati Tranſamaſanæ Apconi, Relefo, VVigboldo Euſumanis fratribus, Haijoni & Egerico Ripperdis, Ditmaro Rengero Dicano, Ioanni Rengero Poſtano, Ditmaro alteri hujus germano, Aſigoni Hammæo, Hillebrando Entenio, præfectiſque militaribus commendat. Hi per Præfecturam veterem promoto exercitu ad conferenda ſtipendia, ſacramentumque Edſardo dicendum incolas adigunt, pro ſtipendiis aureos Rhenanos M CC extorquent. Hinc Slochteram prætergreſſi ſuperato ſtagno, quod iis locis eſt, in cœnobium VVerumanum veniunt. Quâ famâ terrefacti qui à Groninganis Dammonæ locati erant, loco deſerto, declinato hoſtium occurſu Lopperſhemum, inde Groningam ſe retulerunt. Idem factum ab aliis eâ in orâ. Dammona ſine pugnâ ab Edſardicis occupata. Ad hos cùm Edſardus ipſe cum delectis ſuorum mille aliis, trajecto Amaſo, adveniſſet; emiſſis hûc illûc copiis afflicti miſerè, qui partium Groninganarum erant, aut eſſe credebantur, ſtipendiaque pendere, & Edſardo dare juramentum coacti. Par à Groninganis paſſi toto agro, qui Edſardo cohærere, aut pecuniam conferre libentes illibentéſve ferebantur: univerſuſque ager miſerrimum in modum inter hos illoſque colliſus. Simul & caſtellum ab Edſardicis inſtitutum apud Oterdumæos, & Dammona ſummâ diligentiâ vallo foſſaque munita, maximè occidentem versùs. Hæc arx belli in Groninganos ſtatuta, hoc confugium nobilitatis & ſociæ plebis ruſticæ contra repentinam vim. Cujus rei dolore incenſi oppidani, quibus acerbiùs contingere nihil potuit, fremunt animis, militem novum ſcribunt, totis viribus bellum gerere

M. CCCC. XCIX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. CCCC. XCIX. conſtituunt,ipſos ſe memoriâ virtutis majorum contra belli pericula animant:
,, hos ajunt non per otium aut ignaviam, ſed per aſpera & difficilia fortunam
civitatis ſæpè defendiſſe, & majorem, quàm acceperant, poſteris reliquiſſe,
,, non deſperando, ſed audendo libertatem contra hoſtes aſſeruiſſe, pericula ſuperaſſe, gloriam paraſſe: Albertum Bavarum majore quoque potentiâ fultum, nec minore factionum robore fretum, cum exercitu maximo jam mœnibus urbis inhærentem, Hollandiæ,Selandiæ,Hannoniæ, Tranſlavicanæ, Friſiæ,Bavariæ opibus nixum, præter omnium opinionem virtute conſtantiaque fregiſſe, nec ſolùm civitatem liberaſſe ſuam, ſed Oſtergoam, VVeſtergoam, Sylvanos quoque eidem ſervituti exemiſſe: qui ſi defeciſſent animis tanto terrore undique circumcincti, tot periculis tam magno pondere preſſi, reliquiarum libertatis tùm nihil futurum fuiſſe: Quamobrem ut illi fortibus decretis factiſque patriam liberam præſtitère & poſteris ſuis reliquère, ſic nunc veſtigia eorum ſequendo per ardua & difficilia connitendum præſentibus, ut eandem liberam quoque nepotibus conſervent. Sed ſenatus bona pars ſolliciti ob rei magnitudinem & ſummum periculum, qui non impetu magis incitatæ mentis quàm formâ certâque ratione movebantur. Expendebant hi Edſardi acrem animum, ſolertem, belli gnarum, opes firmas & oportunas: Saxonis potentiam,autoritatem,virtutem,rei militaris peritiam raram, gratiam apud Regem proceresque Imperii ſummam: tùm Regis ipſius, & Imperii vim, cujus nomen rebus ſuis omnibus Albertus præferret: ſuſpectas Burgundi blanditias, ſimulatam benevolentiam: ne epiſcopo quidem animum eſſe ſincerum, apud quem plus gratia, propinquusque ſanguis, quàm fides valeat: per quæ quomodo civitas una nec opibus magna, & viris mœnibuſque modica, & deſerta à ſociis poſſet evadere? Nec hæc in conſeſſu ſolum ſuo, ſed & apud populi delectos, ac ubicunque res aut locus dabant. At accidit hìc, pro hominum more, ut quò prudentiùs quiſque iſta diſſerebat, eò ſegnior aliis & timidior videretur. Nec in ipsâ deerant curiâ, qui collegas carperent. Plebs verò ferox, inconſulta, animis in Edſardum, in Saxonem, in fœderis deſertores deſæviens, moderata conſilia non ferebat: omniaque ſine ordine, ſine concordiâ agebantur. Poſtremò omnes civitatis ordines, item antiſtites,nobilitas, ſpectatiſſimi quique tribuum ruſticarum ex agro, capiendi causâ conſilii convocati. Ab his XIII-viri cunctis ex ordinibus curando bello in quadrimeſtre deſignati, obligatique reipublicæ. Ii Vlrico Dornumano poteſtatem augendi milites fecère ad mille, ſtipendiumque quaternos aureos Davidicos menſtruos militi,ipſi Rhenanos CCC addixère. Non multò pòſt, nondum parato Vlrico, Victor Friſius & Ioannes Riperbuſcus ad Scomburgium & Foxum miſſi ab Edſardo uſum cohortis veteranæ CCCL militum impetraverant, ut Dammonam duceretur. Huic ipſe Foxus addidit ſeſe, ſociandi causâ cum Edſardo conſilii. Et jam Stellenwerfios, Drentiæque loca finitima emenſus, Slochteranâ viâ cùm in viciniam Cropſwoldæ vici in præfecturâ ſuburbanâ veniſſet, primis tenebris aperto in campo conſedit ad diem XI Calend. Auguſti. Groningani, qui de itinere ejus per exploratores jam cognoverant, & in occaſionem parati erant, re per celerem indicem acceptâ circiter mille armati partim cives partim ſtipendiarii milites, urbe jam antè egreſſi, magnâ celeritate uſi, occupatis cæſiſque qui in ſtationibus erant, feſſis & quieſcentibus cæteris ſupervenère. Ibi tùm primo tumultu excîtus Foxus, intrepidus in periculo ob longum belli uſum, occurrit ubique & providet, aciem ut poteſt inſtruit, trepidantes ſuos confirmat, clamat, turpe eſſe veteranis, ſubitis terreri, turpiùs terga dare: ſi viri ſecum eſſe velint,haud difficile fore,imbelles hoſtium copias ſolo numero fidentes, nec vulneribus aſſuetas ſuſtinere, donec auxilia veniant ab Edſardo. Sed terrore militum animis occupatis, erranteque jactu exoneratis campeſtribus tormentis, Groninganis verò maximo cum tumultu

& clamore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

& clamore ſe inferentibus, cùm caderent primi & audaciſſimi quique, omnia per noctem fierent confuſiùs, tenebræ quoque pudorem demerent, ab iis qui M. CCCC. periculo proximi erant, fuga oriri, eos plures ſequi, poſtremò tota cohors dif- XCIX. fluere ac terga vertere: Et quanquam retentare voce; exemplo, cunctis rebus Foxus conaretur, plus tamen metus in perterritorum animis, quàm imperium aut reverentia ducis valuit. Ipſe magni animi vir, & fortibus factis præclaram gloriam conſecutus, ne longa vitæ decora turpi fugâ ſenex macularet, cum paucis ſociis reſtitit, magnoque auſu magnam circùm ſe cædem edidit: tandem verò circumfuſus undique, nec dedere ſe volens, feſſus & ſaucius & in genua quoque conſidens, pugnans cædenſque occubuit; vir ætatis ſuæ haud dubio fortiſſimus, atque omnibus in bellis verſatus: cujus mors documento eſt, quantò potiorem vitâ gloriam excelſa ingenia habeant. Honorem certè cæſo etiam iratus hoſtis tribuit, qui corpus ejus in urbem vectum honeſto & conſpicuo ſepulchro in æde Franciſcanâ condidit ad aram, inſigneque elogium columnæ vicinæ adſcripſit. Natus Wurciburgi erat ad Mœnum in Franconiâ nobili ac perhoneſto loco, omnemque ferè vitam in bello egerat, ordineſque primos maturè meruerat, ingenio ut acri ac forti, ita æquè aſtuto, eoque non minùs quàm vî victorias quærens, Alberto Saxoni antè omnes carus, ejuſque auſpicia diù ſecutus, rerum ab eo geſtarum adminiſter ſociúſque non poſtremus. Cæſi ſunt cum duce non multi, ſed capti plurimi, in quibus & Victor ac Riperbuſcus Groningam tracti, diuque in vinculis habiti: Cæteri qui evadere potuerunt, ad Edſardum venêre. Victores ut latiùs ulciſcerentur inimicos, in Drentiam impreſſionem fecerunt. Habebat in eâ regione Rodenæ arcem pulcherrimam, atque omnibus rebus abundantem Apco Euſumanus Princeps inter eos, qui auſpiciis Edſardi Dammonam invaſerant, ibique ſedes ceperant. Ei & fratribus amicitia erat cum Ioanne Rechtero, viro nobili ſub præſule Vltrajectino, & major quoque cum Adolfo hujus fratre, præfecto Coverdiæ & Drentiæ. Cum his arcana conſilia tractârant de diſſuendo fœdere Groningano, miſſitatæque erant hâc de re mutuæ litteræ. Eò per indicium accepto, oppidani offenſi jam antè, magis etiam ſunt aſperati. Et quanquàm Apconem mulctare ſtatuiſſent, tamen ab arce Rodeniâ, in quam ille pretioſiſſima quæque rerum ſuarum, velut in locum tutiorem, comportaverat, idémque & fratres ejus, & amici tempeſtatem prævidentes fecerant, quia non ſolùm in ditione erat epiſcopi, ſed in feudis quoque ejus cenſebatur, hactenus abſtinuerant. Tùm autem cùm cognôſſent receptaculum id hoſtium & rerum hoſtilium eſſe, auctis jam victoriâ animis, perſuaſiſque, belli ſibi lege id licere, præſertim ſuis etiam per Drentiam ab hoſtium vî non tutis, raptis iſtûc expeditiſſimis ſuorum prædæ avidis, & militum parte, repentino turbine arcem invasêre, captamque cum omni copiâ congeſtâ verterunt in prædam. Præda pro rei modo dives fuit: capti etiam aliquot & in cuſtodiam abducti. Meijo Entenius in Drentiâ quoque ad conventum condictum à nonnullis tendens, ac Iacobus Havelous intercepti, ac in urbem pertracti. Hujus rei nuncio Dammonam perlato Apco, ſuo & fratrum ac ſociorum nomine, qui iſtic erant acerbas & prolixas querelas ad Coverdiæ præfectum Adolfum per litteras defert, aitque non contentos hiſce iniuriis oppidanos, cætera quoque per agrum vicinum conſtituiſſe invadere, totamque regionem armis opprimere ac peſſundare: atque hunc in finem copias militum tum ſine ſtipendio degentes, quas magnas vulgò dicebant, conducturire, præter æs militare ingentium prædarum ſpe propoſitâ: itaque contra vim hujuſmodi & conſilium & auxilium petit. Quatriduò pòſt, quod fuit Calendis Auguſti, idem ad Ioannem Rechterum gratiâ & autoritate pollentem apud Epiſcopum, petentibus ſociis ſcribit, oſtenditque placere conſilium propoſitum diſſuendi fœderis, idq; ſecutum ſe urſiſſe ſedulò: fatetur, cum ſuis opem imploraſſe Principum aliorum, & jam Saxonem in Friſiâ inau-

M. CCCC. XCIX. guratum eſſe: monet, ut hoc agat cum ordinibus Vltrajectinis, ut conjunctis
ſecum conſiliis & factis cogant Groninganos à fœdere diſcedere, agrumque
dimittere: quòd ſi fiat, urbem cum diœceſi junctam manere poſſe; ſin aliter,
non poſſe. His fretus litteris Rechterus liberiùs cum aliis egit de re, multoſque
ejuſdem ordinis in partes traxit, haud parvo civitatis malo. Simul Epiſcopus de
Rodeniâ arce & quicquid ſimile, ab ipſo Apcone atque aliis compluribus edo-
ctus, Groninganis edixit, ut captivos indemnes dimittant, rapta reſtituant,
damna ſarciant, impoſterùm factis talibus abſtineant. Illi excuſatâ re cauſiſ-
que ejus expoſitis litteras pro litteris ei repoſuêre. Atque hoc tempore toto,
quo iſta his locis accidêre, per aliquot menſes continuos graviſſimum bellum
ad Rheni principia geſtum inter Maximilianum Regem & Helvetios Rhætoſ-
que. Cujus ſcaturigo ex vetuſto Auſtriacæ domus, & clientum ejus odio in
Helvetios, occaſio ex injuriis inter vicinos fuit. Et licèt Maximilianus totum
fœdus Suevicum traxiſſet in partes, Germanorumque aliorum arma moviſſet,
ipſe Auſtriacis opibus maximis, & ei bello oportunis potens, tamen omnibus
præliis deceſſit inferior. Acres quippè Helvetii cum ſociis, diſciplinâ militari
& fortibus animis freti, pro libertate tanquam pro vitâ ſuâ decertabant. Quin-
quies diverſis locis pugnatum marte cruento: primò propè Brigantium men-
ſe Februario, iterùm in conſpectu Baſileæ vergente Martio, cùm vix deni
Helvetii centenis hoſtibus eſſent oppoſiti, tertiò ad Fraſtentium magnis om-
ninò copiis, ſed duplici regiorum numero, in Aprili, quartò in Alpinâ re-
gione inter Atheſinos ac Rhætos ſub exitum Maij, denique ad Dorneggum
arcem in Rauracis menſe Iulio, eo ipſo die, quo Foxus in Friſiâ occubuit.
Periêre regiorum primo in prælio ad quinquies mille, ad Baſileam DC, ad Fra-
ſtentium tria millia, ad Alpes millia quatuor, in ultimo & difficillimo millia
rurſum tria. Helvetii omnibus pugnis cecidêre vix DC, & in ſecundo, quod
, mirêre, unus tantùm, in tertio XI, ut Stumfius prodit. Tantum roboris ac
„ animi hominibus liberis libertatis amor ſuffecit. Bellum tandem Baſileæ, quæ
partibus neutris ſe junxerat, per Ludovicum Sfortiam ex voto victorum com-
poſitum. Ea res Maximilianum, aſperiorem tuentibus libertatem fecit. In-
tereà verò Albertus è Geldriæ littore in Friſiam navigans cum filio Henrico &
cohorte CCC militum Harlingam oppidum maritimum appulit ad diem XIV
Calend. Auguſti, quo eodem die Foxus Leoardiâ diſceſſerat. Huic oppidum
ingredienti ſpectatiſſimi quique ex omnibus ordinibus, in quibus Heſſelus
Martena, Scelto Liaucama, Iarechtus Hottinga VVeſtergoi, Renico Enin-
ga, Scelto Tiarda, Taco Vbbema Oſtergoi, & cum his antiſtites & ſacerdo-
tes aliquot, honoris cauſâ præſtò fuêre, eodemque die Franekeram cum eo
venêre. Ibi ſolenni more accepto datoque juramento inauguratus, poſtri-
diè Bolſuerdiam, inde Snecam, Snecâ Leoardiam iiſdem comitantibus pro-
fectus Princeps, & ſummo cum honore ubique exceptus, atque in poſſeſſio-
nem poteſtatis miſſus fuit. Soli Leoardii in viâ advenienti ad eluendum cri-
men ad genua projecti, & in gratiam ab eo recepti ſunt. Factum hoc pridiè
Iacobi, poſtridieque fides in oppido ei jurata. Mox inſpiciendi reliqui agri, ac
conſtituendæ provinciæ cura ſuſcepta. Biltanus ager, quem alluvio lateribus
VVeſtergoæ & Oſtergoæ adjecerat, dudùm nullo adhuc aggere munitus, ſu-
men quoddam terræ, Principe coràm menſuræ ſubjectus, & patrimonio ejus
aſſcriptus: magnitudo inventa bis mille ducentorum jugerum ſoli continui:
exceptis, quæ exiguo & levi vado inter ſe & reliquo ab agro diremptæ fuê-
re, inſulis non paucis: initaque ratio muniendi contra fluctus. Tùm delecti
ab Alberto, temperando, libertatis quâdam ſpecie, ſervitio crudo, viri è po-
pulo gravitate conſpicui, qui conſilio adeſſent ipſi in regendâ provinciâ, & li-
tes fori cognoſcerent, dijudicarentque. Lætiſſima res populo, eoque gratior,
quod in pactis reciprocis non eſſet promiſſa: atque hinc in cæteris quoque ſpes
ingens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ingens de Principe tam æquo concepta. Deſignati Paulus Clarocampius antiſtes, Buco Huſanus, Nanno Leoardianus ſacerdotes, Renico Eninga, Scelto Tiarda, Taco Vbbema, Oſtergoi: Petrus abbas cœnobii veteris ad Bolſuerdiam, Benedictus Franekeranus ſacerdos, juriſperitus, Scelto Liaucama, Heſſelus Martena, Iarichus Hottinga, VVeſtergoi. Quorum plerique ſi rectiùs uti poteſtate voluiſſent, coſiliaque ad patriæ potiùs caritatem, quàm ad aulæ gratiam retuliſſent, multis patriam malis eripere potuiſſent. His peractis, VI millum aureorum numûm donativum Principi decretum, è vigeſimâ omnium redituum in Oſtergoâ & VVeſtergoâ (Sylveſtres his rebus mixti non fuerunt) conficiendum. Ab Alberto quoque militum cohors Harlingæ navibus impoſita, & ad Edſardum miſſa. Quæ dùm fiunt heîc, Vltrajectinus procerum diœceſeos hortatu componendis tumultibus diſſidiisque conſilium inſtaurat. Tentatâ igitur Saxonis voluntate, Rudolfum Venium decanum ſummi collegii, & Thuringum Rikenſtenium aulæ magiſtrum, viros inſignes, ad Groninganos, Edſardum, ordines agrarios mittit: perſuadet, ut pacis induciarum've conficiendarum gratiâ ad diem x Calend. Octobr. Leoardiam accedant omnes. Venit cum cæteris Edſardus ſplendidiſſimo cum comitatu CCC hominum regis penè inſtar, adfuitque ipſe Albertus: ſed actum etiam hîc diu, effectum parùm: induciarum modò leges conceptæ, quarum ſententia hæc. *Quies ab armis & vi eſſet ad Pentecoſten ſequentem: intereà præſul conventibus & colloquÿs procuratis locis & temporibus idoneis compoſitionem controverſiarum tentaret ſummo ſtudio: omnes verò tantiſper inter ſe agerent amicè ac tranquillè: nobilitas in agro Groningano, cæteriq; rebus ſuis uterentur ac fruerentur liberè, nemine impediente: munitiones tantummodò, quas tùm quiſque tenebat, retineret, ſed neminem ex ÿs offenderet: captivi etiam datis prædibus dimitterentur ad ſuos, & cum ſuis manerent ad induciarum finem. Quæ ſi leges placerent partibus, ſignarentur exemplaribus tribus ab Vltrajectino.* At eæ populo propoſitæ Groningæ, probatæ non ſunt. Paulò pòſt, ejuſdem ſtudio præſulis, iiſdem delectis interceſſoribus, legati partium omnium coïere denuò in cœnobium Gerriconium ad Lavicam fluvium ipſis Idibus Octobr. ibique repetito conatu poſt dies aliquot novæ leges induciis ſcriptæ. In his cætera eadem cum prioribus: ceterùm *induciarum tempus in diem* III *Iduum Novembrium anni ſequentis extenſum:* deîn placandis Groningenſibus adjectum, *ut probatis inducÿs Dammonâ præſidium educatur, juriſdictio & imperium relinquatur ÿs, quorum ſolet eſſe, munitiones ejus nec augeantur, nec minuantur durantibus inducÿs: arx Oterdumæa quoque, ubi de reſtitutione mutui ſat litteris cautum Edſardo, Groninganis ab eo reddatur, & quæ cum eâ cohærent: ager omnis inter Lavicam atque Amaſum à fide liberetur Edſardi & Saxonis, relinquatúrq; juri ſuo & ſtatui priori, & ſit ſine caſtellis ac præſidÿs: nobilitas etiam diſſidens à civitate ſi volet domum redire, ibíq; ſedes habere induciarum tempore, utatur iure & moribus, quibus cæteri utuntur degentes in agro: ſi non volet, ſuis tamen rebus fruatur abſens ſine defectu.* Quibus legibus ſi coirent induciæ, colerenturq́; cum fide, jactârunt interceſſores, de pace ſe non dubitaturos. Sed cæteris non abnuentibus, ſenatu quoque oppidano non alieno, plebs ſocietatum in urbe turbida & ferociens, Edſardo nobilibusq́; infenſa, difficultatem ſponſionis, brevitatem temporis, malam fidem nobilium cauſata aſſentiri noluit. Itaque in ejus ſententiam cùm reſponſum demùm interceſſoribus eſſet, hærentibus adhuc in cœnobio, & de animo ſenatus per celeres nuncios jam edoctis, diſceſſum turbulentiùs eſt, & offenſioribus animis, quàm aut ſpes fuerat, aut conducebat civitati. Fremere omnes in plebem & ejus duces, homines turbidos, pacis inimicos, licentiâ gaudentes, jus æquum non ferentes, inſcitiâ rerum, veſaniâ, libidine conſilia corrumpentes, tantùm videntes, quæ antè pedes ſint; denique peſſimum regimen, in quo manus pedesq́; capitis munus invadãt, caput manibus ac pedibus obſequi cogatur: ſocii etiã in agro indignari belli metu, Sic in arma mentes verſæ & locus fatis datus. Itaque Albertus re cognitâ velut aſperatus litteras è veſtigio

M.CCCC XCVI.

M.CCCC. XCIX. dat ad civitatem, atque ordines agrarios, aculeis & minis plenas, monetque, ut nunc ſaltem faciant ſine morâ, quod dudùm factum oportuerit, ad homagium nempè præſtandum, jurandamque fidem ſe parent: ſi non faciant, in eos, velut in contumaces, & Imperii contemptores ſeſe animadverſurum, ac res eorum fiſco daturum. Verùm præſul Vltrajectinus diœceſi metuens, ſi bellum fieret, ad Albertum celerrimè diurno nocturnoque itinere profectus, cùm Leidæ eum eſſet aſſecutus, oratione ad leniendum animum flexâ, de novo colloquio preces interpoſuit. Quibus cùm locus eſſet ab illo datus hâc lege, ſi Groninganis præſul perſuaſerit, ipſi uti tribuant, quod gubernatori regio tribuere jure teneantur, hic rursùs ad Groninganos, quid actum à ſe, retulit, quam ſpem conceperit: ſi placuerit ipſis, ſe antè Pentecoſten rursùs locum tempusque idoneum colloquio editurum; ſperare, aut compoſiturum ſe controverſia, aut viam juri ac judicio aperturum: ad eam verò rem nihil utilius, quàm ad alterutras inducias recurrere, aut Leoardiæ, aut apud Gerriconios paulò antè conceptas, eaſque cum fide colere ad terminum præfixum: ſed opus eſſe animis moderatis, & ab æquo non abhorrentibus: nam has conditiones nec iniquas, nec intolerabiles ſibi videri: idemque ſine dubio judicaturos, quicumque audierint non Principes ſolùm, ſed & liberarum civitatũ rectores: quas ſi reſpuãt, quid ſenſuri ſint homines, quid ſecũ ordines quoq; ſui, quid deniq; quæſiturus Albertus, ipſis ſe ſtatuendum relinquere. Sed inania hæc & ſera Groningæ, conſiliis in bellum jam verſis, & armis ſumptis, magnâq; pecuniæ vi in militem effusâ, animiſq; in ſpem victoriæ propè certam erectis. Nam dum ea, quæ dixi, foris aguntur, domi XIII viri rei bellicæ præfecti Groningæ Vlricum Dornumanum Winſumi cum præſidio hærentem in urbem vocant, novas cum eo & ampliores, ſenatus nomine, conditiones ineunt. Quas conditiones, quia conſilia animoſque paciſcentium oſtendunt, non alienum fuerit, integras aſſcribere. Igitur ſic inter eos convenit. *Vlricus Dammonam, Oterdamum, & omnia inter Lavicam & Dullartum fœderibus juncta civitati, recuperet, reſtituátque poteſtati ac arbitrio ejuſdem civitatis: ipſe pro hac operà accipiat à civitate aureos Davidicos ſepties mille, bis mille intra dies decem, reliquos ubi effecta dederit prius dicta: Ad hæc civitas ei præſtet commeatus, pulverémque nitroſum in uſum tormentorum, ſed impendio ipſius: item navigia duo reip. majora, unum medij generis,* XVI *celoces, cum claſſiarijs militibus binis, unóque nauclero in naves ſingulas, tormentis etiam & tormentorum apparatu, reliquiſque inſtrumentis ſumptu reip. periculo, ſi quid negligentiâ perire contigerit, ipſius: milites ſtipendijs conductos* (placuerat ut totam legionem, quam tam vulgò nigram, famoſiſſimam eâ ætate, dicebant, in Geldriæ finibus hærentem, cujus pars jam antè traducta ad ſtipendia reip. erat) *Suidlaræ Vlricus excipiat, eóſque cis Suidlaram ſiſtat intra dies decem, & rectà Dammonam ducat: in itinere, totóque bello nemini in hoc agro moleſtus ſit, aut damnum inferat, aut ſtipendium poſcat, qui ſit partium Groninganarum: ab inimicis quicquid capiet, ſibi habeat ac ſuis, exceptis hominibus, & pecude, cujus biſidæ pedum ungulæ, quorum ſemiſſem cedat civitati, cætera retineat: ſi qui agri, oppida, fora, vici capientur eadem in regione, ea civitati tradat: ultra Amaſum autem in Edſardi ditionibus quicquid pugnando, prædando, capiendo parabitur, parantium maneat tum militum, tum civium Groninganorum, qui expeditionis fortunam cum cæteris ſunt tentaturi: præliorum, oppugnationum, quæ more militiæ poſci ſolent, præmia, Vlricus de ſuo ſolvat: idem, ejuſdémque totus exercitus intra vertentem annum contra Groninganos eorúmque ſocios in agro hoſtile nihil agat, nec hoſti eorundem militet: cum Edſardo pacem non ineat aut paciſcatur, niſi Groninganis honeſtâ conditione pacto comprehenſis: denique priori contractu cum Vlrico inito per contractum hunc, omníque promiſſo exſoluta ſit civitas: poſtremò quæ per legatum civitatis Gerardum Leonem conſulem collegáſque ejus acta cum militibus ſunt, ab his omnibus liberam & indemnem idem Vlricus civitatem præſtet.* His à Senatu quoque probatis, (ejus enim nomen præfertur in litteris) ſine morâ, miſſis hominibus ſuis, oſtentatâ ſtipendiorum & prædarum ſpe, præfectos legionis per Drentiam

& Tranſiſalanam vagæ evocat Vlricus: per hos promiſſis illectos legionem totam autorat ſibi in bimeſtre, & in viciniam traducit: huic eos qui in urbe, quique Winſumi erant, conjungit; exercitum quatuor millium armatorum benè firmum conficit: ampla animo concipit. Nam Edſardicos nullo ſe negotio Dammonâ, cæteriſque omnibus hujus agri locis ſubmoturum confidebat: dein Edſardum ipſum invadere in ſolo patrio, eoque mulctato ad ducem Lauvenburgium bello implicitum tranſire cum exercitu cogitabat. Intereà ſenatus promiſſa ei parat, navigia ex Huneſo flumine in Dammonenſem rivum Fivelæ ſe miſcentem, vectandis militibus, tormentis, commeatibus traducit; alia in ipſo Huneſo paulùm ſupra urbem, ubi criminum damnati ſuppliciis ſolent affici, ſtatuit, pontemque efficit tranſmittendis illîc copiis; ter mille aureos Rhenanos, ampliorê ſummâ quàm promiſerat, & mille alios in commeatum & impendia priora excitandis omnium ſtudiis Vlrico numerat. Is traducto conjunctoque omni exercitu Dammonam ſtatim ducit, invaleſcente jam autumno, triniſque caſtris oppidum circundat: horum bina duobus in cœnobiis vetere novoque, tertia Iamſueræ, omnia oppidi in conſpectu, locat, quantum poteſt, hoſti incommodat, rem ſummo ſtudio maturat. Sed multa & magna ei obſtacula & impedimenta præter ſpem. Nam ab Edſardo futuri provido feſtinata munitio Dammonæ, & validum ibi præſidium conſtitutum, contra terrores invictum: tùm alia loca idonea præſidiis occupata, in quibus Dichuſana arx quondam Forigin Focconis Lerani ſedes inter Dammonam & Iamſueram ſita, velut ſcutum oppidi eâ parte, manu militum veteranorum firmata: imprimis caſtellum opere terreo ad canales emiſſarios Fivelæ amnis, qui locus Delfſila vulgo nunc audit, excitatum. His paratis cùm adventare Vlricum innotuiſſet, canalium valuas, quas per caſtellum in poteſtate habebant, aperuerant Edſardici, & cuncta circum Dammonam humilia longè lateque aquis immiſſis oppreſſerant, atque hunc ipſum eorum conatum adjuverat fortuna. Nam tempeſtate à circio commotâ intumuerat Amaſus, aquaſque majore, quàm fieri ſolet, copiâ, infuderat. Mox etiam auctis ventorum flabris tranſgreſſus aggeres fuerat, hos paſſim ſciderat, denique vicina longè latèque in ſtagni ferè ſpeciem redegerat. Quibus inopinis turbatus Vlricus & hærēs, ubi primùm minutæ aquæ terras paſſim nudaverant, ſubitis opus habens, ut aditum ſibi ad ipſum oppidum aperiret, ex caſtris Iamſueranis Dichuſam tentavit ſummâ vi, tormentiſque verberatam fœdatamque immiſſo milite, ut potuit, adortus fuit. Verùm reſiſtente præſidio fortiter, ædificiique damna contemnente, recipere ſe neceſſe habuit. Indè intumeſcentibus rursùm undis, de totâ re deſperans, dolens gemensque cætera Groningam remiſit cum præſidio neceſſario: ipſe ad prædandas Edſardi terras ſe vertens, cùm, coactis omnibus copiis, in concione de conſilio ſuo cœpiſſet diſſerere, cunctaque iſtûc pertinentia parata haberet, ſubitò à ſuis vel periculo ac difficultate rei motis, vel auro corruptis deſertus fuit. Variavit certè fama. Hoc tamen maximè valuit, declinantes pericula præſentia ac manifeſta, feſtinanteſque ad Louvenburgium, ſtipendia, prædaſque pollicitum, tentato Edſardi animo, tutiora elegiſſe, ſtipulatoſque pecuniam, innoxium per ejus agrum tranſitum promiſiſſe. Id notum omnibus, ab Vlrico abeuntes alios Delfſilam, Oterdumum alios petiviſſe, obſidibuſque præfectis ſuis datis tranſmiſſo Amaſo, ſine maleficio ditiones Edſardi tranſiſſe. Vlricus vix CCCC ex iis, quos antè in ſtipendiis habuerat, ſecum retinuit, eoſque navibus ſenis impoſitos, quas â Groninganis acceperat, in inſulam Borcumanam prædationi opportunam trajecit, eaque direptâ cum prædâ non magnâ Groningam rediit. Is conatus illius finis fuit: at terminus tumultuum & populationum hoſtilium eo in loco non fuit. Nam Edſardici excurſionibus crebris Groningenſium & ſociorum res, quantùm licuit, Vlricus & Groningani viciſſim Edſardicorum

M. CCCC. XCIX.

M. CCCC. XCIX. fortunas infeſtas habuerunt. Ab his Saverdica quoque arx, inimicorum præſidio inſeſſa vî ſuperata, & cuſtodiæ militum tradita. Inter quæ, alia militum manus ex Geldriâ in Drentiam cùm veniſſet ſtipendia aut prædam quærens, Vlricus Dornumanus pertæſus conditionis præſentis, gloriæque & fortunæ parandæ avidus ei ſe junxit: prædæque ſpe ſibi obligavit. Indè pacato itinere per ſuburbanos & Weſterwoldios profectus cum cohortibus XI, ulturus inimicitias in proxima Reideriæ duxit, omnibusque Bundæ, Wimeræ, Bonæ abſumptis, & direptis, Weneram primùm, indè Iemgumum progreſſus, atque illîc quoque complures per dies in cladem totius viciniæ commoratus, pecuniamque tandem redimendis injuriis pactus, trajecto Amaſo, cæterà jam pacatus, quà proximum, in Oldenburgicos conceſſit, atque ibi prioribus eôdem profectis ſe junxit. Hoc toto tempore à conventu Leoardio Edſardus cum Saxone moratus de rebus quoque ſuis cum eo contendit. Albertus namque in omnes Friſios, porrectâ jam ſpe ſenſim ſe illi aperire, oſtendereque de clientelâ mentem ſuam, adducere decretum Regis univerſam Friſiam comprehendens, petere ei ut pareat, exemploque ſuo cæterorum obſequium incitet; tùm clientelæ hujuſmodi jus commendare non clienti minùs quàm patrono utile honeſtumque; nec eſſe onus in re, aut ſervitium, ſed honorem ac præſidium, nec deceſſurum quicqam ei familiæ've ejus, ſed acceſſurum potius, certè utrique in hâc fortunâ, in tantâ hoſtium communium copiâ, in tam variâ hominum fide expedire. Deindè recuſante adhuc illo, & Regem alia omnia velle dicente, ſenſim jam poſterius decretum inferre, id oſtendere; amplam prætereà ſpem facere de benevolentiâ ſuâ, agri vicini partem, aut præfecturam totius polliceri, denique nihil relinquere, quò moveri poſſe animum gloriæ potentiæque avidum putaret. Poſtremò eò perpulit, ut deliberandæ rei causâ formulam ſcribi, ſibique cum ſuis expendendam tradi Edſardus pateretur. Simul tamen idem liberè oſtendere, nec velle, nec jure ullo poſſe cogi ſe: eſſe ſibi quoq; tabulas nullâ re infra has Saxonis, tempore quoq; priores: nec quicquã ab ſe aut ſuis commiſſum, non obſequium fidem've violatã, non turbas civiles commotas, non periculũ creatum Imperio, ob quæ beneficio jureq; privari meruerit: nec fas, inauditum abſentemq; damnari: tùm, ne poteſtatis quidem ſuæ eſſe, ſi velit, alieno ſe Imperio ſubmittere: fratris & ſororum intereſſe, & maximè ordinum ſuorum: qui ſi diſſentiant, inanem fore aſſenſum ſuum: cætera præterire formæ vitia. Nec ultrà urgere Albertus auſus: quin imò lenire commotum, laudare, promiſſis onerare, in fide acuere cum curâ ac ſtudio. Quippè qui ſciret, ab animo ejus pendêre fortunam ſuam. Quamobrem quo tempore Vlricus in eum parare ſe ferebatur, ipſe ut benevolentiam ei probaret, Tranſlavicanos omnes in armis adeſſe, & auxilio ire juſſerat, cùm nuncius repentè venit, auxilio non eſſe opus. Deîn firmatâ amicitiâ, cæterisque per Friſiam conſtitutis, relicto, qui præeſſet, Henrico filio, conſensâ cum Edſardo nave ad diem v Calend. Decembr. ex portu Harlingano Emdam vela dedit, atque indè feſtinans in Miſniam abiit. Ab ejus abitu de clientelâ tentatæ voluntates: res ab omnibus uno ore rejecta. Intereà exercitus, de quo dixi, Oldenburgicis finibus excedens ad Louvenburgium contendebat. De cujus itinere, cauſis, eventu, quoniam ad Friſiam quoque ea res pertinet, nonnullis paulò altiùs repetitis, breviter dicam. Henrico Suartzburgio archiepiſcopo Bremenſi fatis ſublato, collegium, ut ſumptus minueret, præteritis multorum Principum liberis, Ioannem Rodium Bremenſem, ignobilem loco, ſed opibus ſapientiâque validum ſurrogavit. Id proximos quoſque Principes, qui hominem obſcurum eâ in dignitate videre non poterant, quique ſuorum repulsâ angebantur, incredibile quantum offenderit. Horum è numero Comites Oldenburgici, & Saxones familiæ Lauvenburgicæ præcipui fuêre, occaſioni in novum præſulem & canonicos intenti. Fortè præſul Rodius ad VVorſtenſes, & cæteros hinc

indè

indè Viſurgi, prætextos gentis Friſicæ legatos miſerat, qui benignis verbis, memorato quoque majorum exemplo, iis perſuaderent, ut in fidem ipſius adigi ſe, nec ad quenquam pertrahi alium paterentur. Eo à Friſiis rejecto, qui libertatem à Magno Carolo ſe accepiſſe, eandemque ad poſteros vel per arma defenſam, tranſmittere velle dicebant, animorum primùm offenſio enata. Hanc occaſionem ſpeculatus Ioannes Oldenburgius, fraternæ repulſæ dolore pariter & imperii cupidine incenſus, Friſios Stadlandos, pridem à majoribus quoque ſuis appetitos, ſollicitat: in recuſantes arma parat: illi adſcitis Transjadanis finitimis ac ſociis, & VVorſtenſium quoque auxiliis vocatis, opponunt ſe illi fortiter, & cum eo confligunt vergente Aprili. Quâ pugnâ pari ferè Marte diſceſſum. Deindè medio Majo cùm rediſſet Oldenburgicus, ad VVaddenium vicum acrius priore prælium commiſſum, quo tandem poſt multum ſanguinem fuſum pro libertate certantes ceſsère. Victor fortunam perſequens, fana occupata præſidiis, & opere munivit, incendiis, populationibus, cædibus victos preſſit. Denique conſternatâ multitudine, miſſa ad eam legatio, deditionem & obſequium offerens. Cui qui non aſſentiebantur (horum erat ingens numerus, & quidem primi quique) in exilia ibant. Edſardus alibi negotiis implicitus, injuriam ſuam ad tempus diſſimulavit. Succeſſu Oldenburgici ſtimulatus Magnus Lauvenburgius Saxoniæ Dux, pro patre Hadelerios regens, in finitimam VVorſtenſium regionem oculos coniiciens arma parat. Sed lentiùs ei procedente re, praſul Rodius cum Brem enſibus & Hamburgenſibus fœdere inito, qui invaleſcere Magnum locis maritimis nolebant, Ditmarſis quoque in auxilium vocatis, in Hadeleriam provinciam ipſius, priores impetum faciunt, totamque in poteſtatem redigunt. Eo dolore incenſus Magnus, queſtu vicinorum Principum, quibuſcum fœdus habebat, animos implet, & recuperandis ſuis auxilia ex fœdere poſcit. Placet fœderatis, militem illum, de quo dixi, vicinis gentibus formidabilem, è Belgio & Geldriâ dimiſſum communibus omnium ſtipendiis conductum acceſſiri: Is in Oldenburgicum agrum, ut oſtendi, profectus, deſperato Viſurgis trajectu, ad quem ſtationes hoſtium excubabant, hyberno præſertim tempore, converſo itinere, VVildelſhuſam, quod ad Huntam flumen oppidum eſt Monaſterienſe, atque indè Ferdam civitatem Epiſcopalem, ubi Viſurgis ponte committitur, petens, ac cum fame conflictans, per Luneburgicum agrum in diœceſim Bremenſem contendunt: in ea, oppida prætervecti ob tormentorum muralium defectum vicis tantum & agris direptis, in Hadeleriam feruntur, eamque ſine gladio educto, ſolo terrore fugatis Bremenſium & Hamburgenſium præſidiis Magno reſtituunt. Inde in Worſtenſes ſe vertunt. Sed ab his, qui ſe jam paraverant, cataractiſque apertis in humiliores campos aquas immiſerant, in ipſo regionis aditu locis oportunis excepti, fœminis quoque ut fama eſt, viriliter pro patria agentibus, commiſſo acri prælio, cùm Worſtenſes locorun commoditate adjuti pro libertate & fortunis ſuis certarent, militem verò veteranum à multitudine ruſticâ ſuperari puderet, acceptâ non levi clade repelluntur. Eâ in pugnâ Vlricus Dornumanus copiarum dux fortiter dimicans tormento manuario crus traiicitur: quo vulnere graviter affectus, cùm laborem itineris hyberni (nam Decembri menſe hæc geſta ſunt) & cæli intemperiem ferre non poſſet, exercitus curâ Oldenburgicis fratribus Ottoni & Adolfo commendatâ, ipſe domum rediit, ſæpè poſtea dicere ſolitus, nunquàm ſibi cum genere hominum nequiore negotium fuiſſe, ut in lucro quoque ſibi computandum vulnus fuerit, quod tantis ſe moleſtiis tamque ingrato imperio liberarit. At verò intereà Rodius epiſcopus à ſuis quoque ordinibus ſe deſeri, adeoque hoſtibus prodi animadvertens, quò ſe majoribus opibus muniret, Chriſtophorum Brunſvicenſem Principem, quamvis ætate nondum

M.CCCC XCIX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. CCCC. XCIX. rebus gerendis parem, Henrici filium, è collegii voluntate Adjutorem, ut vocant, & ſucceſſorem ſibi adſcivit, unoque hoc conſilio fortunam prolapſam reſtituit. Etenim Henricus & militari gloriâ & opibus ferociaque plurimum præ reliquis Principibus pollens, velut ad filii ſui res tuendas confeſtim valido cum exercitu advolabat, conciſurus veteranas copias, quæ à Worſtenſibus repulſæ, reliquæ diœceſi imminebant: Feciſſetque, niſi Daniæ Regis Ioannis legatus interveniens inteceſſiſſet. Is ſui in Regis fidem militibus adactis, ac tranſitu à vicinis impetrato, comitantibus fratribus Oldenburgicis in Holſatiam eos duxit, cùm non longè ſuprà Hamburgum, ad VVinſenum oppidum Albim tranſmiſiſſet. Erat Danorum Regi, Principi Holſatiæ & fratri ejus Friderico vetus controverſia ac contentio cum Ditmarſis, quos illi Holſatiæ principatui conjungere cupiebant. Ius ejus rei præter uſurpationem majorum, ex Friderici Imperatoris decreto, qui Ditmarſiam Holſatis conjunctam eſſe juſſerat, & diploma hâc de re parenti ipſorum Chriſtiano dederat, præferebant. Itaque cùm parere Ditmarſi judicio Imperatoris recuſarent, armorum minæ ſæpè intentatæ, ſed deliberando, intercedendo, inducias interponendo, diù dilata res, donec fratribus tandem armis jus ſuum vendicare eodem hoc anno videretur. Itaque Danus cum fratre ex omni Daniâ Holſatiâ viciniſque provinciis maximo & ſplendidiſſimo conſcripto exercitu, qualem multo tempore illæ gentes non viderant, in quem nobiliſſimus & ferociſſimus quiſque nomina dederant, odio gentis ruſticæ & liberæ, majorumque ſuorum cæde invisæ, ad bellum ſe parabant. Omnibus ritè paratis, ac legione veteranâ, de quâ dixi, in quâ non minus ſex millibus benè armatorum cenſebantur, cum reliquo exercitu conjunctâ, rex ipſe cum fratre, & tribus patruelibus Oldenburgicis, gloriæ quærendæ avidis, in hoſticum ducit, ipſis, Idibus Februar. anno
M. D. à Chriſto in terris nato M. D: nec erat quiſquam quin putaret tanti exercitus, equis, viris, armis, ornatu, conſpicui, ne aſpectum quidem, nedum congreſſum ac pugnam Ditmarſos eſſe laturos. Nam præter cæteros ex omnibus oppidis ac terris vicinis, qui aut gratiam Principum aut belli gloriam, aut ſpolia Ditmarſica ſequebantur, militiæ aſſcriptos, ad duo millia nobilium ea in expeditione circùm Regem fuiſſe autores tradunt, equis & armis ad luxum uſque ſplendidè inſtructa: quorum ea mens erat, ut ſpiritu ſe difflaturos plebem ruſticam ſibi perſuaderent. Nec prima infeliciter ceſsêre. Nam Ditmarſis, è locis editioribus ad initia regionis ſuæ, quæ defendi à ſe poſſe contra tantam multitudinem diffidebant, ad interiora, quæ difficiles aditus inter paludes humiliaque camporum habent, digreſſis, ac viam, quâ venturos hoſtes acceperant, præſidio inſidentibus, ipſi ab itinerum peritis ſolo ſtabili, quamquàm aquis tecto, quas indigenæ per cataractas immiſerant, circumducti, Meldorpum oppidum, præcipuum totius regionis, ſine detrimento perveniunt, oppugnatumque facili momento (quod leviter munitum eſſet) capiunt, in deprehenſos in oppido, terroris excitandi causâ, ſine diſcrimine ſexus, ætatis, ordinis, crudeliter deſæviunt. Tùm in oppido capto ſtativa habent ad triduum, obſervantes, quorsùm gentis conſilia evaderent. Nam plerique conſternatos ad deditionem venturos eſſe, aut in inſulam proximam confugituros, ſibi perſuaſerant. Sed cùm caſtra tenere, tueri ſe & præliari velle cognoſcerent, ducere in eos aciem conſtituunt. Eâ re Ditmarſis per ſpeculatorem captum proditâ, hi totâ nocte, magnis laboribus vallum à fronte & lateribus obiiciunt illi viæ, quâ poſtridie Principes venturos eſſe intelligebant: id vallum pro caſtris capiunt, aliquot millia ſuorum illic collocant: tormenta paſant, atque in adventuros hoſtes ſtatuunt. Reliqui, quòd non ſatis fiderent unius indicio auſint, alia loca, quibus ad ſe tranſitus patebat, præſidiis occupant. Poſtero die, qui erat XIII Calend. Martii Principes agmen eò ducere incipiunt, infælici admodùm auſpicio, nequicquàm reclamantibus, qui viæ difficul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

difficultates noverant. Erat via in Septentriones ab oppido porrecta, latis profundiſque foſſis ex uſu regionis utrimque præcincta, anguſta, cœnoſa, ut equitum peditumq; veſtigia hauſta propè ad genua uſque nonnullis in locis retentaret: Agri utrimque crebris & perplexis foſſis aliis diviſi, ut ne in latus quidem deflectere à viâ agmini liceret. His aliud quoque incommodum accedebat, quòd incolæ aquis in agrum immiſſis, paſſim diſcrimina foſſarum & camporum ſuſtulerant. Primum agmen legionarii milites è Friſiâ vocati tenebant quibus & multa ferocia inerat, & plurimùm à rege, qui eorundem operâ forti in Sueciæ regno recuperando uſus fuerat antè biennium, tribuebatur: hos reliquus peditum exercitus, illum porrò equites ſequebantur: à tergo currus cum impedimentis totum agmen claudebant. Progreſſi aliquouſque quamquam in magnis difficultatibus verſarentur, cælo præſertim pluvio & procelloſo, ac nebulis proſpectum adimentibus, tamen præter propriam ferociam tanta primi agminis fiducia cunctis inerat, cujus virtuti difficillima quæque pervia eſſe credebant, ut de ſpoliis ac cæde ruſticorum tantùm cogitarent. Sed poſtquàm vallo hoſtili propiùs primi ſucceſsêre, quamquàm animosè progrederentur, paulatim tamen, quanto in diſcrimine hærerent, cognoſcere cœpêre. Nam Ditmarſi è vallo ſuo in denſos ordines continenter fulminare tormentis, nullo propè jactu irrito, magnamque in his ſtragem edere, ipſi poſt vallum à regiis tormentis, quæ ægrè in eos jam directa erant, tuti ſedere, & ea ob pluvias madefactis omnibus ne exerceri quidem poſſe: legionarii, quâ erant audacia ac ferociâ, nihilominùs extrema tentare, pluteis, ut poterant, contra glandium plumbearum imbrem objectis, foſſas quibus arctâ & cœno alto impedita via claudebatur, lanceis longis compluribus ſubjectis velut ponticulo ſternere, ita in ſolidius ſolum evadere, tùm contra fulmina audaciſſimè ſe inferre atque ad vallum eniti: ſed quod loci auguſtiâ circumſcriberentur, & cuncta in ambitu valli, imprimiſque quà ipſis veniendum, creberrimis foſſis impedita eſſent, ut aciem dirigere, vires explicare, cum impetu procurrere non poſſent, ne ſic quidem ullum operæ pretium fecêre. Ità perplexi, quod ſolum reſtabat, in obliquum ferri, ac paulatim, quamquàm ſummo cum diſcrimine, circumire, dum cæteri a fronte ſuccederent, ut à latere quoque aperto aut tergo hoſtibus periculum crearent. Tùm verò Ditmarſi ex omni numero circiter cccc periculo animadverſo, prorumpere, foſſas ſaltu ſuperare more gentis, inſigni audaciâ pauciſſimi in tot millia ſe inferre, bis rejecti, tertiò impetum inſtaurare, inter foſſarum anguſtias deprehenſos cædere, impellere, ordines aquis aut luto impeditos & arctatos turbare, legionariis magnâ ex parte conciſis aut disjectis, reliquam multitudinem peditum in cœno hærentem in viâ, ſtipatumq; ac rigentem frigore, madentem imbre, invadere, ſternere, in foſſas detrudere, pecorum inertium inſtar trucidare, nec quiſquam evadere è clade potuit, qui non per cæſorum corpora, quibus foſſæ completæ fuerunt, viam ſibi aperiret. Hâc cæde confectâ, aucti numero accurrentium è vallo, in equitum agmen feruntur, quibus eo tempore nihil fuit impeditius: denſi conſtipatique inter ſe, quod ſummum equeſtris militiæ incommodum eſt, non regredi ob vehiculorum à tergo multitudinem, non progredi ob acervos cæſorum peditum, non in lateribus ſe explicare, aut fugere ob præaltas & latas foſſas ſinebantur: Et ut cætera incommoda abfuiſſent, ſatis tamen impedimenti ex imo cœno, quo equorum pedes ad crura uſque hauriebantur, præſertim in eâ anguſtiâ extitiſſet. Itaque non pugnâ hic, non virtus, ſed trucidatio & labor fuit: Et quos lanceæ ſagittæque non confecêre ab equis vulnera non ferentibus excuſſi, & pedibus eorum calcati, aut in foſſas demerſi miſerabili fato perierunt. Nec alio loco magis ſævitum eſt à victoribus, cepêre nullos, quamquàm arma proiicientes, & manus tendentes. Si quos in cæſorum ſtrage prælio peracto ſpirantes deprehendêre, quod reliquum iis ſpiritus erat, ferro hauſerunt. Tanto in

M. 15[illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. IO. nobilitatem odio ob contumelias jactataſque dudùm minas fuerunt. Sic factum, ut pauci è tanto numero equitum, in quibus ipſi principes cum Georgio Oldenburgico, incertum quo caſu, per ſtragem mortuorum incolumes evaſerint. Otto & Adolfus Oldenburgici Georgii fratres, quorum poſterior ſeptennem cuſtodiam perpeſſus erat dudùm in Friſiâ, in cæterà turbâ occubuêre. Equeſtris dignitatis viri plurimi, nobilitas ſine numero, denique flos omnis Holſaticæ militiæ, ait Crantzius, iſtîc periit. Ingens ſanè clades, & ſuperioribus duabus, quas eâdem à gente Holſati quondam pergraves accepêre, haud paulò major. Ità ſpiritus in Holſatis iterùm compreſſus Ditmarſis quietem proximo ſeculo reliquit. Addidit ignominiæ in nobilitatem populus victor, quod peditum multis millibus terrà obrutis, hanc exuviis detractis ſub cælo nudam ſine ſepulchro relinqueret. E legione veteranâ qui elapſi ſunt, plures quàm è reliquis ordinibus licèt periculo propiores, in Friſiam militatum redierunt. Tam inſigni pro libertate victoriâ gentis amicæ, & domus Oldenburgicæ clade arrecti exules Transjadani, de recuperandâ patriâ ſeriò cogitare, ſe mutuò incitare, cæteros hortari, monere, libertatis patriæ, ſervitutis peregrinæ, onera ac probra ponere ob oculos, denique hos ipſos movere facilè, quos conditionis per ſe vehementer tædebat. Itaque auxiliis quàm maximo ſilentio quæſitis, ab Edſardo pecuniâ & promiſſo adjuti, cum iiſdem VVoiſtenſibus ſervituti inimicis ilicò in patriam irrumpunt, libertatem conclamant, proxima præſidia Oldenburgica invadunt, alia vî ſuperant, alia deditione capiunt. Simul omnis populus arma corripit. Tùm firmiſſimum caſtellum Rodenkerchæum magnâ vi oppugnatum, captumque. Quæ audiens Ioannes Oldenburgius, quàm celerrimè ſuis ad arma vocatis, iſtûc advolat, rem reſtituturus. Sed ſanis præſidio firmo jam munitis, nomine Edſardi ab univerſis conclamato, re infectâ recedere cogitur.

RERVM
FRISICARVM
HISTORIAE
Liber XXXIX.

M. IO. IN agro Groningano anno novo vixdum inito ab oppidanis tumultuario opere VVidwerdia arx in Dammonenſes munita militumq; XL præſidium impoſitum. Mudæ quoque munitio inſtituta, Poſtanis proxima, & Siddeburii & Slochteræ, omnes aggeribus foſſiſque cinctæ & militibus firmatæ. Ità commeatus convectationi ex agro oppidanis proſpectum quieſque trimeſtris velut tacitis induciis totâ eâ regione acta. Intereà reliquiæ caſarum in Ditmarſiâ copiarum in Drentiam redierant. Quibus adſcitis civitas rursùm conſilium cepit oppugnandi Dammonam. Iuſſaque ſe armare media civitatis pars, & ſclopetarii omnes, magnáque manus ſociorum in agro, cum his & militum copiis conjuncta. Ità numeroſus exercitus die V Iduum Martii Dammonam profectus: caſtra Iamſueræ rursùm collocata, tormenta majora quaſſandæ Dychuſæ è regione arcis in ipsâ amnis ripâ ſtatuta, arx concuſſa, quâ eminebat, infernè valli objectu, quod eo latere editius erat, tuta: tentataque

ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ejus oppugnatio fruſtrà. Nam aquis iterùm diffuſis aditus liber ad ipſas mu- M. 15.
nitiones prohibebatur. Idcircò velut ſpreto caſtelli præſidio in Dammonen-
ſes ſe verterunt. Et cùm propiùs ſubire non poſſent, eminùs in eos tormentis
fulminarunt magnâ vî, ut cælum omne continuo tonitru reboare videre-
tur. Sed ſueti talibus militum animi, qui in præſidio erant, haud multum mo-
ti. Simul aër ventis, imbre, grandine, nive pariter fœdus, ac fluctus altiùs in-
ſurgens, omniaque impedita reddens, quæ nuper oppidum ſervaverant, prodi-
gii loco habebantur. At propoſiti tenaces conſilii duces, dùm aëra alium, ac
ſolum ſiccum expectant, Edſardus cum promptiſſimis ſuorum, quos habebat
more militum exercitos, tranſmiſſo Amaſo Dammonam ipſe advolat. Tum
ſtatim ut cætera fortè verſa, ita animus etiam belliqúe caſus Groninganis mu-
tatus. Nam eruptionibus factis ſine morâ, quamvis caderent pauci, tamen ti-
more correpti, cùm ſe numero vinci putarent, primâ nocte retractis tormentis,
& quicquid præterea apparatus, ſeſe recepêre longiùs, poſtridieque celocibus,
acatiis, lembis conſcenſis, cum omnibus impedimentis trepidantiùs ac con-
fuſiùs, quàm non perculſos decet, urbem repetierunt. Quos perſecuti Edſardi-
ci, quoàd potuêre, direptis incenſiſque obviis, cum prædâ Dammonam rediêre.
Poſtero, alteroque longè lateque vagati victores, res ablatæ, tecta igne abſum-
pta, captivi in vincula abſtracti, VVagenburgii, Vthuſani, Medenſes, in cine-
ribus & ruinis relicti: VVidwerdia arx, dedente præſidio, in poteſtatem re-
dacta. Sic Edſardus re benè geſtâ domum reverſus. At Groningenſium ani-
mos adverſo fato dejectos, ſtultitia hoſtium in novam ſpem rursùm erexit.
Henricum Saxonem in Friſiâ relictum quamquàm haud malum, tamen juve-
nem, & regnandi inſolentem fervor ætatis pariter, & imperii novitas effere-
bant. Hûc proclivem per ſe aſſentatores, peſtes aularum, porrò impellebant.
In quorum numero indigenæ, bono etiam loco nati, præter generis ſui decus
gratiam principis adoleſcentis captantes, miſcebantur: qui deterrimi omnium,
& patriæ exitio geniti, juvenili animo inſuſurrabant, intereſſe plurimùm, quo-
modo habeatur, quibúſve aſſuefiat populus in hoc ipſo imperii initio, vivendi
ſub principe neſcius: quem ſi rectè noſſent in eo nati eductique, hujuſmodi fu-
turum impoſterùm, cujuſmodi hæc eum fictura ſint principatus auſpicia: inge-
nia genti talia eſſe, ut niſi imperii vim ſentiât, imperare velint, at ubi principem
verè te gerere, ac poteſtate uti ſcieris, modiceque terrueris, ad quodlibet obſe-
quium dejecta. Quibus monitis imbutus juvenis, haud ſatis inter recta malaque
diſpiciẽs, cœpit agere imperioſiùs: dictare, jubere, poſcere pro libitu, liberos ſpi-
ritus, ut ſervitiis aſſuetos, habere. Erat tùm arci ſtruendæ intentus apud Harlin-
gios, ex juſſu patris, operi maximæ molis ad ipſum portum, freno regionis, & do-
minatus ancoræ, accipiendiſque pro libitu exercitibus portæ. Huic operi ſubita-
neo & magno ne materia deeſſet, dirutæ dejectæque paſſim magnatum turres
arceſque, quæ erant in eâ viciniâ, ne expectato quidem dominorum aſſenſu ge-
mentium & frementium ſecum, ſed ferentium quod prohibere non poterant.
Pupugitque hoc non ſolùm eos, quorum detrimentum erat, ſed totam nobi-
lium gentem, qui ex ungue eo leonem cenſebant. Id initium rei. Mox tributa
petita acerbiùs alia ſuper aliis, ſervitutem ſapientia. In horum numero vigeſima
fuit, de quâ dixi, honorando Principi decreta à ſenatu novo, inconſultis ordi-
num delectis, qui cõſuli ſolent. Deîn & parens Albertus, in provinciâ cùm eſſet,
bellum parans in Groninganos, quartum quemque Oſtergoæ & VVeſtergoæ
ad ſigna vocaverat, ſed mox velut mututâ ſententiâ, remiſſâ expeditione duo-
decimam cenſuum ſoli, univerſam gentem ruſticam poſtulaverat, poſtulatoq;
huic idem quoque ſolus conſenſerat ſenatus, ſine lege aut more. Populus haud
æquo ferens animo, præſentibuſq; futura metiens, haud eâ alacritate paruerat,
quâ libentes ſolent. Quod cùm intellexiſſet Henricus, rationibus inſpectis, ani-
matus à ſuis, publicato ſeveriſſimo edicto, juſſit omnes ad diem certum cõferre,

M.IↃ. quod vigeſimæ duodecimæque nomine debebant. Et quaſi id ſatis non eſſet, inſtinctu eorum quos dixi, necdùm ſolutis prioribus, velut tentaturus patientiam populi, novum inſuper tributum aliud imperavit, immuni nemine. Tùm verò fremens jam apertiùs plebs ruſtica, querens ad arbitrium aulæ, paucorumque gratiæ inhiantium, ſine publico conſilio, ſine ſuffragiis ſe excoriari, tergiverſari, coïre hîc illîc, de non parendo convenire. At princeps per præfectos ſuos & proceres acerbiùs exigere, milites hûc illûc in terrorem mittere, aſpera facere, aſperiora denunciare. In his, qui pro principe hæc agebant, nullus acerbior Heſſelo Martenâ: qui Franekerâ, ubi tum aulæ ſedem Princeps habebat, ad diem XII Calend. Maij Bolſuerdiam venit, militibus cinctus CCL. Ex eâ velut arce VVonſeranis reliquæque viciniæ edicit, ut intra diem V vetera novaque pariter exſolvant, poſtridiè, ni pareant, duplo ſolvendo ſe parent. Nec edicit ſolùm, ſed edictum facto mox firmat: poſtridiè ſimplum recipere renuit. Cætera generatim: unum verò nominatim facinus ejus recitant annales, ex quo cognoſcere omnia poſſis. Venit Bolſuerdiam ipſo die VII Calend. Maij Haringus Dowenius Abbegaus, vir nobilis, pro ſe totoq; vico cenſum ſoluturus. Sed quia pridiè hoc fieri oportuerat ex edicto, tãtulam ob culpam, ſi ea culpa fuit, correptum vinctumq; milites Marteniani ad arcem, quàm Abbegææ ipſe cum fratribus habebat, traxerunt arcis occupandæ causâ, rejectiq; à matre, fratribuſque, vaſtatis incendio domibus aliis, rediêre Bolſuerdiam. At Martenius velut damnans militum ſegnitiem, majore manu poſtridiè eôdem miſsâ, atrociùs juſſit agi: quòd ſi deditionem non facerent, qui erant in arce, mandavit in conſpectu matris & fratrum Haringum gladio feriri. Hoc terrore arx dedita & à militibus occupata. Simul aliis in locis incendia eandem ob rem facta, homines in cuſtodiam abſtracti. Id firmando imperio novo aulæ veſania credidit: quòd mox penè in exitium vertit. Quippè plebs tantæ impatiens contumeliæ, velut momento patientiâ cum furore commutatâ, conſilia ſociat, contra tyrannidem manifeſtam conſpirat, vim vi arcêre ſtatuit. Sed hoc inter paucos primùm injuriæ obnoxios: mox contagione infecit proximos, poſtremò brevi momento velut tempeſtas ſæviens ac violenta totam regionem pervaſit. Eodem quo conſpiratum die, qui fuit V Calend. Maij, milites duo ex præſidio Abbegæo in diverſa profecti, correptique à plebe, immerſi undis ſanciendo fœderi pro libertate velut hoſtiæ ad Orcum miſſi. Indè conventus vicinorum ſatis amplus coactus in Weſtergoâ in vetere cœnobio ex plebe & nobilitate mixtus, ibique bellum in Saxonas decretum: ad id gerendum duces deſignati, Tiarcho VValtha, Douvo Hiddema, Dothias Bonga, & in omnes imperium habiturus Siurtus Alua. Ad hæc placuit Harlingam, Ludinkercam, aliaque loca idonea in poteſtate haberi, Franekeram ſedem Principis obſideri, vicos vicinos præſidiis occupari, litteras ad Oſtergoos & Sylvanos ſcribi, eoſque ad ſocia arma pro libertate acciri, addi etiam, in perduellium & proditorum numero habituros ſe, & ferro ac flammâ perſecuturos, qui publicæ cauſæ in hoc diſcrimine noluit adeſſe. Simul Ludinkercæ, Zummique prima caſtra poſita, litteræ acerrimè ſcriptæ circummiſſæ, juſſo omnes cum armis ad premendam obſidione Franekeram, & exterminandam tyrannidem advolare: commotaque ingens multitudo velut incendio reſtinguendo ſine morâ accurrit: cæteri iterùm per litteras moniti, paucos intra dies ſecuti. Fidem penè res ſuperat: ſed tamen annalium ſcriptores quidam tradunt, antè diem IV Iduum Maij ad XVI armatorum virorum millia in caſtra confluxiſſe. Quippè vix quiſpiam inter Flevum & Lavicam ſedes habuit, qui hujus militiæ ſtudio, pudore, metu voluerit eſſe expers. Pauci ſolùm è nobilitate VVeſtergoâ Saxonicarum partium duces defuere, oppidaque præſidiis hoſtilibus inſeſſa. Snecenſes in partes ſciſſi, plebs pro libertate cũ populo faciens, Scelto Liaucama vetus Sciringiorum dux, ſenatuſq; & ditiſſimi quique præcipitium metu quieſcere ſatiùs rati: ſed multitudo prævalens,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. IↃ.

valens, ut in turbidis rebus fit, concurſu facto, abrogato Senatu, novoque pro eo conſtituto, in caſtra quoque iit. Leoardios arx in vertice, & Cancellarius Pflugius, ac pauci milites, & qui iſtûc confugiebant, Saxonibus fidi, retinebant ambiguos. Ex his Buco Aita ſacerdos è ſenatorum provincialium numero duos ex ſacro ordine viros graves Guilhelmum hoſpitalem Snecenſem, Iellonem Raerdanum impellit, uti Ludinkercam profecti, ubi tum conventus procerum ordinumque reliquorum erat, ſeſe turbis interponerent. Hi colloquio petito, arma ponenda, aliâ viâ ad amovenda tributa, & incommoda reip. corrigenda eundum ſuadent: principem juvenem incitatum ab aliis facilè meliora doceri, & quò velint, flecti poſſe: ad eam rem ſe ſemet offerre: legem verò hanc optimam pacis putare, ſi ipſi arma ponant, princeps tributa remittat, priorum venia & oblivio ſanciatur. Sed ferventiora tùm ſtudia erant, quàm ut moderatis eſſet locus. Itaque unâ mente reſponſum, haud aliam ſe pacis legem noſſe, quàm ſi Henricus princeps cum ſuis Friſiâ decedat, eamque pro desertâ habeat impoſterùm. Quod cùm ex his Princeps audiſſet (ad eum enim profecti ſunt, ut voluntatem ejus cognoſcerent) concitus in iram, Egón è Friſiâ abeam tam turpiter? eam mihi, patri, domui Saxonicæ nobiliſſimæ inuram maculam? veſani homines, neſcii ſui, neſcii rerum noſtrarum: quin ipſi arma ſtatim abiiciant, preces deferant, veniam rogent, ſi ſupplicia fugere velint. Eæ voces populo relatæ, oleum in camino fuêre. Quamobrem exercitus quàm proximè ad urbem ductus, quaternis caſtris arctiſſimè urbs preſſa, ac quaſi coronâ cincta. Senatus bello gerendo electus IX-virorum, quorum Oſtergoi tres, totidem VVeſtergoi, & Sylveſtres. His poteſtas jubendi, vetandi, ſtatuendi data. Horum juſſu DC in cœnobio VViſwerdio in conſpectu Leoardiæ collocati, prohibendis præſidii iſtius loci injuriis: Sylveſtribus limitis cuſtodia ad Lavicam commiſſa, eorumque maxima pars Collumum ſtatim profecta. Tum legatio Groningam miſſa, lætâ civitate, mutuoque accepta ab ea tormenta muralia oppugnando oppido, dataque pignori aurea argenteaque templorum vaſa & ornamenta ex omni Oſtergoâ & Weſtergoâ, ſarciendo damno, ſi quid mutuis accideret. Inter hæc ipſis Idib. Maij, Adrianum VVikium celebrem bello Groningâ venientem, profeſſum ire ſe, ut populo ſe offerat, ejuſque ſtipendia faciat, cùm Visfletæ moræ iſtius ordinis intemperantiùs jactaret ſe, oſtenderetque, quanta merere ſtipendia Saxonica poſſet apud Pflugium, ſuſpectumque ſe redderet, Visfletani correptum, undiſque immerſum, quod tùm ſupplicii genus erat Friſiis maximè frequens, perimunt. Poſtridie præfectus præſidii Slotani, cum paucis ſuorum ex arce digreſſus, à vicinis comprehenſus, in caſtraque miſſus fuit. Arx Slotana concurſu Snecenſium aliorumq;, & vi oppidanorum preſſa, ad deditionem compulſa, & munitionibus omnibus nudata: tormenta illic reperta cum inſtrumento in caſtra ſtatim vecta. Præfectus Oſvaldus cum omni præſidio capto ac rebus ſuis è Friſiâ relegatus. Paulò pòſt, cùm certus jam dies colloquio cum Groninganis eſſet conſtitutus, à Philippo Burgundo, Ioanne Egmondano, Cornelio Bergenſi litteræ venêre in caſtra Friſica, ad obſeſſum principem, & obſidentes ſcriptæ: quarum ſententia, ut controverſiæ arbitrium Philippo permitterent utrique cum operam daturum, ut bono utriuſque partis dirimatur quamprimùm. Sed alia Friſiis mens erat: Reſponderunt tamen cautè, colloquio cum amicis dictum jam diem, antè eum certi aliquid reſpondere ordines non poſſe; tùm benignè reſponſuros. Nec nunciis ad obſeſſos aditus datus. Similiterq; interceſſio civitatum Trãſiſalanarum rejecta. Colloquiũ Groningæ dictum ad diem III Id. Iun. in oppido Doccumo, ubi ampla cum poteſtate adfuêre indè Egbertus Rex, Gerardus Leo Conſules, Ielmarus Canterus reip. à ſecretis, hinc Edo Iongama, Douvo Galama, aliique: fœdus ibi ictum pro tuendâ libertate contra quorumvis vim, auxiliaque mutua pro viribus promiſſa: lites omnes ſuſpenſæ ad finem belli hujus; tùm arbitris traditæ.

M.IO. In caſtris intereà varia facies. Multitudo in armis ferè major quàm pro re, ſed ſine ordine, ſine diſciplinâ, præfecti præcipere, ſed abſque vi, ac obſequio; quiſq; ſibi conſulere, parêre ſi libeat, ſin minùs, contumaciam liberam præferre, libertas nimia haud parvo eſſe malo, licentia pro libertate uſurpari: imprimis à temulentiâ magna confuſio, & incommoda plurima. Nam otioſi ſub dio, aut anguſtis in tectis agentes, ſole ſub Cancro ardente, uti mos nationi, ad pocula ſe invitârunt: cùm his incaluiſſent, & imperiis contumaces, & armis tractandis inutiles, ac in pericula præter rem præcipites fuêre. Quo obſervato, qui in præſidio erant cum principe (erant CCCL veterani ad pericula intrepidi, & caſuum belli gnari) inſtructi etiam à Martenio & cæteris ejuſdem gentis, declinante jam medio die, erumpentes ſæpè ex oppido magnam eorum ſtragem fecêre. Atque his ipſis magno adjumento fuit oppidana plebs, Henrico fida, & multi nobilium, qui ſe oppido cum principe incluſerant. Quorum omnium vi obſidentes avidiùs ſæpè in portas uſque incitati ſobrii, ebrii, fortiter ſunt rejecti. Creſcebatque apud hos cum tempore imperii contemptus, & licentia popularis: quippè plebs paucis nobilium fidere, ſuſpicionibus indulgens, ad ſe imperia caſtrenſia trahere, interim invitam ferè nobilitatem in caſtris retinere, & ad pericula communia adigere. Simul falſo rumore ſe paſcebant, Albertum Saxonem obiiſſe, nec ſpem auxilii obſeſſis iſtinc ſupereſſe: haud procul abeſſe poſſe oppidi deditionem: interim & tormentis fulminare in oppidum, inque arcem Siardæam, ſedem aulæ: Sed nihil diligentiùs curatum, quàm ne nuncius è Saxoniâ, aliiſve locis non ſolùm ad obſeſſos, ſed etiam in totam provinciam penetrarêt, iterque facientes explorati pronunciatione expeditâ & rectâ verborum Friſicorum, velut militiæ teſſera, quâ qui deficerent, ſine diſcrimine, ſineque tergiverſatione in proximas aquas acti ab iratâ plebe, & ſuffocati ſunt. Poſt quæ Fridericus Egmondanus, Iſelſtenii dominus, Luſci cognomento notus, cum Florentio, magnâque nobilium virorum & gregariorum militum manu ex Hollandiâ advehitur claſſe navium XIX, littoribuſque Friſiæ appropinquat non procul VVorcumo ad diem VI Calend. Iulii. Sed viſis in littore armatis exſcendentem pugnâ excipere paratis, non auſus periclitari, oram legens, atque hûc illûc ſe vertens toto biduo, cùm nuſquàm tutum exſcenſum reperiret (nam ad curſum ejus Friſii quoque ſe movebant) emiſſo tormentorum tonitru Emdam verſùs vela fecit, expectaturus illîc Albertum, de cujus adventu fama præcurrerat. Ad Franequeram cùm variè ſæpè certaretur, pluſque detrimenti obſidentes acciperent quàm inferrent, caduceator Burgundi Carolus ferens litteras ad Henricum Friſioſque ab iiſdem, quos antè oſtendi, eôdem rurſum venit. His petebat Burgundus, ut arbitros litis admitterent Ioannem Egmondanum & Cornelium Bergenſem, procerum ſuorum primos, Enchuſam ejus gratiâ cum mandatis à ſe miſſos, utque legatos poteſtate idoneâ inſtructos eôdem eandem ob cauſam mitterent: id pergratum ſibi, ipſis utile futurum. Reliqui operam & fidem pollicebantur ſuam, litteraſque commeatus ſimul utriſque mittebant. Tùm populus, ne denuò rejectâ re Burgundum offenderent vehementiùs, legatos deſignant ituros iſtûc, Petrum antiſtitem cœnobii veteris, Hettonem Iongamæum, Edonem Iongamæum, Dowonem Galamæum, Dowonem Harlinganum. Henricus Saxo quos miſerit, incertum. Et qui è Friſiis nominati, dùm ſe parant, dùm litteras fidei pleniores expectant, tempore excluſi, irritum totũ hunc conatum fecêre. Hæc in Friſiâ dùm gerebantur, frequẽs erat Principum & ordinum Imperii Germanici conventus cum Maximiliano Rege in comitiis Auguſtæ, in quo longæ & graves deliberationes fuêre de cõſtituendis rebus reip. Germanicæ, de firmandâ juriſdictione, habẽdis ordinariis & perpetuis præſidiis, negotiiſq; ſimilibus: tandemque ad autumni principium decretum de pleriſq;, maximè, *ut ſenatus Imperij perpetuus haberetur virorũ* XX, *ex omnibus ordinib. delectus, qui ſtatis temporibus, aut pro re natâ Norinbergæ coiret, & pacis juſtitiæq;*

custos

cuſtos, & rerum in Camerâ, ſupremâ Germaniæ curiâ, judicaturum executor; & contumacium aut vim publicam facientium vindex eſſet; utq́; parochiæ ſingulæ militem unum, Principes ipſi ad DC *equites in uſum præſidij publici alerent.* In his comitiis etiam Albertus Saxo erat, Maximiliano intimus, & cũ eo duo fratris filii Fridericus princeps Elector, & Erneſtus Magdeburgenſis archiepiſcopus. Illînc Maximilianus ab Alberto inſtructus & rogatus litteras dedit ad Groninganos, ſcriptas die altero poſt Idus April. in hanc ſententiam: *ab hominibus fide dignis accepiſſe ſe, civitatem eorum membrum eſſe reip. Friſicæ: nec tamen eò minùs ipſos turbare Albertum Saxonem, eiq́; ſe opponere, & multorum malorum dediſſe cauſam: quapropter proſcriptionem in ipſos meritò jam decretam conceptamq́; eſſe: ſed interceſſione Principum quorundam adhuc eam ſuſpendi ab ſe, ac velut vaginâ contineri, quod ſpes ſit, re meliùs conſideratâ, cum Alberto ipſos conventionem, uti æquum, facturos, eumq́; gubernatorem admiſſuros: quæ ſi ſpes fallat, proſcriptionem ſe promulgaturum.* Et his litteris alias addidit patentes, per quas civitatem citabat, nî priùs ipſa cum Principe componeret & compararet rem, ut ad cauſam dicendam in aulâ ſe ſiſteret. Deindè Principes Imperii, cæteriq; ordines, ne quid præter rem de ipſis ſcripſiſſe Rex videretur, poſt dies aliquot Georgium Thorenium equitem auratum, egregiâ virtute & ſapientiâ virum, deſignârunt, qui ipſorum nomine legatus iret in Friſiam, interque Albertum ac Groninganos controverſa, & ſi qua alia impediendæ concordiæ eſſent, componeret, eique poteſtatem peramplam, & fidei litteras ad Senatum Populumque Groninganum valdè benignas dederunt, ab electore Moguntino Bartholdo, item Saxone Friderico, atque hujus fratre Erneſto, cæterorum omnium nomine, die XI Calend. Iunii ſignatas ibidem. At litteræ hæ regiæ & Thorenius cum adhuc in itinere eſſent, jam earũ rerum, quas memoravi, fama Germaniã pervadens & cum curſu creſcens, Auguſtam uſque ad Albertum pervolârat. Is inopinâ turbatus re, deque filio, honore, provinciâ, impendiis prioribus pariter ſollicitus, facinus populi deteſtans, & graviſſimis verbis traducens, animos licentiæ ſuetos, ex leges, ſeditioſos, rebelles, æqua imperia pati non poſſe dicens, ope omnium imploratâ, Auguſtâ diſceſſit, quantâq; potuit celeritate domum contendit. Tum omnia belli paratu fervere, milesque per Miſniam, Saxoniam, Marchiam, Brunſuigios, Lunæburgios, Weſtfaliam ſcribi, clientes ad arma cieri: ſimul oportunè è Daniâ tum fortè rediens manus veterana conducta; Edſardus per litteras monitus, ut ſe paret. Mox cum primis præmiſſus, & accelerare juſſus Ericus Brunſuigius Alberti gener, vir acer, & ſub diſciplinâ ſoceri eruditus, ſtipatus procerum Saxonicorum magno numero: ingreſſusque in fines Friſiæ Orientalis, & auctus copiis, quas Egmondanus iſtûc advexerat, quasque Edſardus confecerat, quà proximè potuit, Dammonam contendit. Habuiſſe ſub ſignis dicitur, Dammonam ingrediens, equites peditesque quater mille, & in his ipſum Edſardum cum manu lectiſſimâ: quamquam ſint, qui adiiciant ad hunc numerum, quidam etiam detrahant. Ad hujus adventantis exercitus famam concurſatum Groningæ, armati cives, miles etiam aliquis ſcriptus: miſſi etiam, qui Marnenſes, per quos hoſtis ducturus ferebatur. (id quod iter expeditiſſimum & breviſſimum ei erat) confirment, & auxilia promittant: reliqui ejus tractus ſocii, qui à vi Saxonum & Edſardicorum aberant longius, Longovaldii, Fredowoldii, Hummerzii ad arma exciti: Friſii in caſtris ad Franekeram, quid facto opus admoniti: fides pactorum promiſſa, poſtulataque. Ab his ſtatim deſignati Aſigo Hoxwirius, Auco Kempius, Vnico VVirdumanus, VVattio Harinxma Slotanus, Botto Sterkenborgius, VVorpius Tiarda, Teto Henrici, Gerbrandus Moccama, viri genere & virtute clari, qui cum mille lectiſſimis irent, contraque adventantem hoſtem impediendo ejus itineri loco idoneo caſtra ponerent. Marnenſes promiſſis fiſi, omni multitudine ſuâ armatâ, rivi M. IↃ.

M.IↃ. Warſumani clauſtrum,quà tranſeundum hoſti,in orâ occupant, omnia parant
ad rem neceſſaria. Simul à Groninganis ſclopetarii omnes, & reliquæ civitatis
pars media emiſſi, & his additi Longovaldii, Fredowoldii, Hummerzii ut ſub-
ſidio Marnenſibus ſint. Ab his VVinſumi ſedentibus, & loco firmando occu-
patis equites præmiſſi L X. Qui cùm vix ad ſocios veniſſent, Ericus Edſardusque
accelerato itinere, utpotè in celeritate ſolâ victoriam ponentes, opinione citius
ingruere conſpecti, moxque in ipſo aditu commiſſâ pugnâ ſatis acri & perti-
naci tandem victoriâ & loco potiti ſunt. Cæſi Marnenſes multi, capti C L: equi-
tes fugâ elapſi, reverſi ad ſuos in caſtra VVinſumana, unà cum his urbem repe-
tivêre. Res geſta initio Iulii. Victores VVinſumum ſecuti, caſtris illîc poſitis
totum agrum circumjectum afflixêre vehementiſſimè, nec cuiquam rei aut ho-
mini pepercêre, ut vulgò jam mitis Foxus, clemens Slenitius & cæteri audirent.
Sic placuit Erico ſternendæ metu pavidæ genti. Mox recolligentes ſe Fredo-
woldii, Langowoldii, Hummerzii,& canalem Adoardianum inſidentes in op-
poſitâ Huneſi ripâ, quâ trajectus in partes Tranſhuneſanas erat, fruſtrà animati
ab iis, qui ex Tranſlavicanis caſtra in proximâ viciniâ habebant, de eo quoque
loco, traſmiſſis trans amnem hoſtilibus copiis ſunt depulſi: tum populatio &
vaſtatio latior facta, arces vicinæ nobilitatis multæ hîc illîc captæ. E popula-
tioribus audaciùs procurrentibus à Tranſlavicanis aliquot cæſi, quidam etiam
capti,& ex his VII,ut Worperius ſcribit,in caſtra ad Franekeram miſſi,atque ob
facinora ibidē à Friſiis è rotis ſuſpenſi. Intereà per Edſardi ditiones facto itinere
Albertus quoq; adventabat, ducebatq; ſecum numero,robore, ſplēdore, copias
inſignes,in quibus & filius ipſius major Georgius,& procerum magna multitu-
do,quos aut gloriæ cupido,aut prædarum ſpes,aut in Principem ſtudium com-
movebat. Qui cùm Winſumum veniſſet,adeſſentq; etiā novæ ab Edſardo evo-
catæ manus,ingens jam confectus exercitus,tormentis omniq; apparatu inſtru-
ctus:tùm pons magni operis in Huneſo eo loco inſtitutus traiiciendo ſine mole-
ſtiâ amni. At ii,quos antè dixi,è nobilitate Tranſlavicanâ duces ad canalē Bom-
ſteranū conſidebant in Langowoldiis,ruptoq; canale adverſâ in ripâ caſtra mu-
nierat,& vallum perlongo ad rivum ſpatio extenderant;copias etiam,præſertim
auditâ ad Warfumum clade, multò contraxerāt majores, quanquā de numero
autores varient. Nam alii quinque alii ſex, quidam etiam octo millia nonnun-
quā fuiſſe notant. Nec conſtans omninò numerus iniri potuit. Nam ut ad Fra-
nekeram,ità & hîc ſine diſciplinâ agitabāt;& quoniam meſſis erat tempus,quo
fænum colligitur, in quo fortuna anni noſtris hominibus præcipua, ne res fami-
liaris periret, ut cuique videbatur, ad curanda ſua diffluebant ſine commeatu,
alii rebus domi conſtitutis, ſed rariores in caſtra redibant: idque delinque-
bant maximè Sylveſtres. Ità fiebat, ut interdùm vix media pars eorum, qui lo-
cum tueri debebant, interdùm vix tertia, adeſſet. Cum his verò, qui aderant,
etiam Langowoldiorum aliquot, relicto canali Adoardio, ſeſe conjunxerant.
Interim & legati ex caſtris his adventante Alberto Groningam fuerant profe-
cti, & quid animi civitas haberet, inquiſiverant, & cum bonâ ſpe, non defutu-
ræ opis, ſi iſtûc ſe hoſtis verteret, redierant ad ſuos. At Albertus ſubmonente
maximè Edſardo, VVinſumi locisque vicinis exercitum continebat, cùm ut
opera inſtituta abſolverentur, tùm ut plures hoſtium à ſignis diffluerent. Tan-
dem cum raros jam in caſtris eſſe cognoviſſet, (vix M. D. fuiſſe feruntur) ad
diem III Iduum Iulii, locato ad pontis & caſtrorum cuſtodiam præſidio, exer-
citus partem mediam traduxit,& Adoardiam cum eâ cōtendit, alteram poſtri-
diè eôdem vocavit, atque ibi cohortibus quoque aliquot, contra Groninga-
nos,ne quid hi à tergo tentarent, relictis,cum cæteris omnibus rectâ in hoſtem
ivit. Quò cùm veniſſet, ſtatim promptiſſimi quique hîc illîc Friſios territare,in
rivum uſque velut tranſituri, procurſare, ſimul quibus ea res demandata, tor-
mentorum omni genere, quorum copia ſumma erat apud Saxonas, in caſtra,
in ſtatio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

in ſtationes, in eos, qui ſe ad rivum oſtendebant, fulminare, multos ſternere, alios in magno diſcrimine & metu ponere: mox audaciſſimi globati in ipſum quoque rivum deſcendere, tranſitumque tentare. At Friſii quamquam rariores numero eſſent, ut dixi, & tormentorum parvam haberent copiam, tamen animosè contrà agere, in hoſtem viciſſim tonare, omnibus locis adeſſe, ſclopettis, haſtis, gladiis procurrentes & ſubeuntes arcêre, cædere & cædi, denique ab horâ meridianâ, uſque in veſpertinam quintam difficile hoſti certamen facere. M. IO.
Poſtremò cùm viderent nec à Groninganis venire promiſſa auxilia, quæ à tergo hoſtem premerent, (id præſidia duobus locis relicta prohibebant) & ſe magno numero cedere tormentorum vi, nec ob paucitatem poſſe feſſis recentes ſubmittere, ac vires inſtaurare, hoſtilesque cuneos ſuperatâ aqua, contemptisque vulneribus equites pariter & pedites in adverſam ripam certatim evadere, ac jam tormenta quoque traduci, atque his traductis aperto ſe latere peti, deſperato conatu in fugam ſe palantes effuderunt, inſtante hoſte, ac terga fugientium cum ſanguine & cæde feriente. Cæſos in pugnâ c c c, in fugâ multò plures propter equitum vim autores tradunt. Martinus Illſtanus in commentario ſuo ad mille in prælio fugaque eo die periiſſe ſcribit. Corpora cæſorum in ſegetibus paſſim, & incilibus foſſis reperta, ac à vicinis terrâ obruta. Cauſa cladis à victis, more hominum, qui ſi quid patiantur, cujus eos pudeat, in alios, aut in fortunam, non in errata ſua culpam libenter conferunt, in Groninganos conjecta. Hoc enim ſuppetias ex fœdere non præſtitiſſe, nec tergis hoſtium, ut cum Hoxwerio paulò antè convenerat, inhæſiſſe. Sed Groninganos, ſicuti oſtendi, præſidiarius miles Dammonæ, Winſumi, Adoardiæ relictus à Saxone apud æquos judices facilè excuſavit. Clades autem ſi quâ evenit culpâ, à projectâ diſciplina militari, dilapſis ſine ordine & commeatu ſociis, evenerat. Harum rerum fama cùm in caſtra ad Franequeram eſſet perlata, ut ſolent inopina mentes hominum percellere, magna ſtatim conſternatio orta. Quem enim mortuum crediderant, eum ſimul vivere, ſimul ſocios cecîdiſſe, in regionem victorem exercitum induxiſſe, mox ad caſtra quoque adfore audiebant. Eodem tempore augendo terrori rumor repentè extiterat, quanqàm vanus, Comitem Buranum Fridericum Egmondanum cum claſſe Harlingam appellere, eumque altero à latere ruentem ancipiti certamine omnia ipſis redditurum impeditiora. Itaque nec imperari rectè, nec Imperio præſtari obſequium, cuncta tumultuariè & confusè agi, nec ad pugnam ſatis animi eſſe, nec fugæ tamen pudorem poſſe ferre. Properabat intereà Albertus, haud ignarus, quantũ referret, clade perculſos urgêre, eâdemq; adhuc veſperâ ad fines Oſtergoæ eſt progreſſus. Illîc recreato per noctem exercitu, longo labore diei prioris feſſo, declinans iter Leoardianũ, ne moræ eſſet, circum orã ducere, unoq; atque altero loco depulſis, qui ſe oppoſuerant, quantâ poterat celeritate Frankeram feſtinare. Eo per celeres curſores cognito, ipſe Siurtus Alua, præcipuus belli dux, proximâ nocte, cum nemine communicatâ re, timore pudorem ſuperante, cum copiis ſuis è caſtris ſe ſubduxit: commotiq; exemplo, & ſociorum fugâ ampliùs proſtrati animis, qui proxima caſtra in vico Dongumano habebant, deſertis turpiter, quæ commodato acceperant, Groniningenſium tormentis (tanta vis incitati pavoris erat) hos ſunt ſecuti. Abiiſſentque etiam cæteri, qui Medumi, & Ripæ in præſidiis erant, (manabat enim res, & contagione ad proximos quoſque ſerpebat) niſi dolus unius fœminæ, uti Worperius tradit, trepidantes jam, & ſua colligentes retinuiſſet. Hæc enim ſuis rebus metuens, quas in caſtris venales habebat, callido commento ſparſit, ſcire ſe, Siurtum Aluam, quem fugâ ſibi conſuluiſſe vulgus credat, ſine morâ longè ampliſſimis cum copiis ex univerſâ regione coactis rursùs adfore. Cui dùm temerè fidem adhibent, tuendiſque locis ſe parãt, ab hoſte citiùs, quàm expectarunt, ſunt oppreſſi. Tùm pugnâ ortâ, cùm ſimul & Albertus foris caſtra invaderet, & Henricus cum omnibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. I 5. ſuis erumperet, Friſii ancipiti diſcrimine perturbati concurſare, reſiſtere primùm fortiter, hoſtem repellere, mox virtute ac multitudine ſuperati trepidantiùs agere, denique cædibus ſuorum perculſi, quà quiſque poterat, in fugam ſe coniicere. Hinc major cædes ſecuta, quæ D abſumpſit, in quibus Heſſelus Iongama, Levinus Fonſius Iawerdius, VVitio Laſius, Iarichius VVibenius, Siurtus Polanus, duoque alii è nobilitate fuêre; cæteri ex plebe. Cæſorum hunc numerum triplicant, quadruplicant alii. Illſtanus quidem non minùs bis mille periiſſe vult: nonnulli etiam plura millia adiiciunt. Sed mihi VVorperio credere magis libet, qui ultra D diſideratos negat. Hoc conſtat, à nullis magis ſævitum inclinatos, quàm ab Henrico & qui cum eo in obſidione fuerant, maximeque qui ex eâdem gente. Acrior quippè inter gentiles, & cognatos ira, quàm inter alienos. Brunſuigius etiam ſævus atque iræ indulgens, & poſt eum Egmondanus: Albertus modeſtiùs victoriâ uſus ferrum cohibuit citiùs, receptuique cecinit, ſatis pœnarum dare autumans, quibus libertas concideret. Leniſſimus verò Edſardus gentis fortunam commiſerans, & ut poterat, iras victorum temperans. Capta in caſtris cùm ingens comeatuum vis, tùm tormenta Groningana omnia. Res geſta poſtridie Iduum Iulii. Gratulatio hinc mutua filii, patris, fratris, affinis de re bene geſtâ, gaudiumque in toto exercitu. Edſardo imprimis maximæ actæ gratiæ ab Henrico, amicum, patronum, parentem, ſervatorem eum nuncupante. Nec minor à patre honos eidem habitus. Ejus enim fide, ſtudio, auxilio rem Saxonicam eo tempore ſtetiſſe in Friſiâ, Henricumque conſervatum omnes agnoſcebant, ejusque prudentiam & induſtriam laudabant. Collaudati etiam Franequerani, & qui cum iis in fide ducis ſteterant. Hinc in Leoardios Principis verſa cura in fide ambiguos. Nam poſt primos motus, armaque in Henricum capta, dubii animis, & fortunæ nutum obſervantes, utrique ſe parti venditârunt. Pflugium imprimis, qui in arce apud eos curabat, auxilia poſcentem vanis promiſſis, gentiles etiam eadem monentes fucatis blanditiis ſuſpenderant; denique eum commodo ſuo ſine diſcrimine victoribus ſe addere conſtituerant. Et erat utriſque ſic perſuaſum, utri ſe parti adjeciſſent ab initio, non dubiam ejus victoriam fore. Quippè ſi erupiſſent in gentiles viriliter, Saxonum rebus in arce uſi, in maximam eos difficultatem conjeciſſent. At ſi in arcem vi versâ pro patriâ ſtetiſſent, arceque captâ, (id quod expeditum fuiſſe putatur) tormenta omnis generis illic collocata, reliquoq; apparatu oppugnandæ Franekeræ ſtatim admoviſſent, actum de obſeſſis fuiſſet, antè auxilii adventum. Nam paucitas machinarum & pulveris nitroſi inopia vim obſidentium infregerat. Verùm ut fides, ita fortuna iis fuit: dùm fælicibus ſe addere, & duabus pariter ſedere ſellis, ac extra diſcrimen ſe ponere laborant, juſto Dei judicio in infortunium maximum inciderunt. In hos agmine ducto per Aniumanos, Minnerſgaos, Berlecomios in itinere per ſummam petulantiam militum ſacra profanaque violata, fanorum donaria & ornamenta omnia, aurea argenteaque vaſa in prædam verſa, ſacerdotes ſine causâ impunè occiſi. Ipſi Leoardii, auditâ fortunâ Franequeranâ, jam maturum rati Pflugio ſe offerre, rejecti, metu adventantium, magno numero, relictis rebus ſuis, diffugêre, multi in manus Saxonum ex arce decurrentium incidêre; hi in vincula ducti, res profugorum direptæ. Mox ubi Princeps cum exercitu adfuit, omnis civitas in prædam verſa: pretioſiſſima quæque in fana monaſtica congeſta à trepidis, ut locorum religione eſſent tuta, ſine diſcrimine rapta, nihil quod tolli poſſet civibus relictum: cives ipſi capi, in vincula coniici, contumeliis onerari: fœminis quoque & pueris puelliſque à libidine militari illuſum. Et in tantâ miſeriâ hoc miſerrimum civitati fuit, quòd ne commiſerationem quidem apud gentiles inveniret. Sic enim meruiſſe perfidos dicebat reliquum vulgus, qui deſertâ patria causâ, non fidei, non caritatis, non promiſſorum memores & patriam perdiderint, & ſemet, & omnes ſimul alios ſecum miſeros fecerint.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

fecerint. Harum rerum fama latè diffuſa, auctaque ſupra verum omnia terrore complevit. Vbique luctus, & trepidatio, & gemitus. Hoſtis victor, inſolens, M. I 5;
atrox in ore, in animo. Qui Leoardios quietos mulctet tam duritèr, qui ſacris locis, rebus, ſacerdotibus, monachis non pepercerit, quibus hominibus aut rebus parſurum? quem pœnæ aut contumeliæ modum habiturum in alios? Sic cõſternatis trepidisq; cunctis, dùm ſe mutuis querelis ac metu incendunt, quotquot in eâ Friſiæ regione erant, nobilitas, plebs, ruſtici, oppidani, ipſe quoque ſacer ordo cucullati, cucullatæque, quibus evadendi facultas, in exilia profugerunt: ex his pars in Hollandiam, alii in Geldriam, plures in Vltrajectinos, haud pauci quoque Groningam per devia ſe receperunt. Ruſticorum ingens multitudo, quos longè fugere anguſtia pecuniæ, & res familiaris non ſinebant, in Sylveſtribus locisque vicinis hæsêre. Denique talis rerum facies erat, qualem nemo omnium, qui vivebat, aut meminerat ipſe, aut fando ab aliis, audierat, nemo etiam proximis ſæculis poſt Stedingiorum cladem in totâ Friſiâ fuiſſe ex annalibus poterat ſubiicere, omnes patriæ funus ducere, ad ejus ſepulcrum ſuprema conclamare ſibi videbātur. Simul in tuta profecti, conſilia & facta ſua recognoſcere, damnare quæ fecerant, laudare quæ omiſerant, alii alios culpare, fortunã fatumque patriæ univerſi deplorare. Inter hæc Saxo in VVeſtergoam reverſus fontem mali, Snecamq; ingreſſus cum cohortibus armatis habitatore penè vacuam, principes civitatis aliquot ad ſe accerſiit fide publicâ: per hos Scomburgio interceſſore, qui oppido benè volebat, totam civitatem mulctatam auri libris XL recepit in gratiam. Eo exemplo incitati, qui in Sylveſtrium agro conſederant è vulgo ruſtico inſtigante etiam inopiâ, conſumptis, quæ domo extulerant, de liberis, fœminis, laribus, omniq; fortunâ ſuâ ſolliciti, ad Principem legatos misêre tentaturos animum ejus. His Edſardus plebis cultor, & gentis amans, conſilio, gratiâ, ſtudio adfuit, ſecumque Scomburgium traxit. Sed aſper Henricus recenti periculo æſtuans, & cum eo Georgius frater, & Brunſuigius, procerumque plurimi in diverſum niti, acerbeque loqui, rebelles, perfidos, principem oppugnantes veniâ non dignos, exiliis ſuppliciisque dignos, res fiſco dandas, colonos in loca vacua ducendos, qui Principi arent, ſerant, metant: rem juſtam exemplo quoque profuturam ad inhibendos rebellium animos, obſequiumq; firmandum: contrà, impunitatem irritamento fore aliorum licentiæ, & ſeditionũ prurigini. Ipſe Princeps ævo maturus, moderatus, humana multis caſibus edoctus, cùm verſaſſet rem diù, quod tutiùs, utiliùs, laudi propius, invidiâ remotius ratus fuit, in leniora inclinavit. Commeantibus qui intercedebãt, alii poſt alios vici cum eo compoſuêre, pro delicti opumque modo pecuniâ correpti. Modus pecuniæ centenûm, tricenûm, quadringenûm, etiã quingenûm aureorum Rhenenſium fuit: ingens, ſi tempora ſpectes, & fortunam regionis. Sed pecuniæ durior connexa cõditio, ut omnes omnia arma ſua Principi traderent, ipſi ſine gladio, ſine quovis teli genere eſſent: deîn caput & pedes nudi, diſcinctiq; Principi aut legatis ejus Leoardiæ palam in publico ſe proſternerent: ad hæc renunciarent privilegiis vetuſtis, pactisque nuperis cum hoc ipſo Principe initis, parerent verò imperiis Principis ejuſdem & hæredum ubívis locorum in perpetuum: munitionem nullam ſuâ ſponte extruerent in totâ regione. Multis hâc lege reverſis, proſtratisque ad pedes principis, aut qui nomine ejus in ſede locati erant, in quibus Henricum Vitzlebium & Heſſelum Martenam Friſium fuiſſe invenio, & ſenatu provinciali inſtaurato, conſilia domandæ Groningæ capta, remotæ imperii peregrini in Friſiâ, & exulum aſylo. Igitur eo omni ducto exercitu, pars altera ejus Adoardiæ, altera Silowerdiæ locata, Huneſus amnis navibus ſtratus ad tegularium Iargæum, his M milites cuſtodes appoſiti. Mox, quò propiùs premeretur urbs, inter ipſam & Silowerdæum cœnobium loco edito caſtra poſita ipſis Auguſti Calendis, aggeresque terrei complures hîc illîc ſub ipſis penè mœnibus excitati, foſſisque contra hoſtes cincti, velut caſtella

minora,

M. I Ↄ. minora, in his tormenta omnis generis, colubrinæ, cortowæ, mortaria, quæ pilas igneſque in ſublime eiiciunt, ſtatuta. Iis conſtitutis, pilæ ingentes, igneſque in urbem vicinam jacti continuos dies quindecim, inſuetusque terror fulminum & fulgurum hujuſmodi obſeſſis admotus. Sed cùm eventus docuiſſet, horrificum magis quàm noxium id genus telorum eſſe (duo quippè in vallo ſolùm eliſi, ædificia non multa perrupta, nec ternis quaternísve vilibus plura igne correpta) terror quoque iſte paulatim ſpretus. Erat eo tempore in armis erecta civitas, armorumque præfecti ſenatui additi, ſenatus ipſe fortis, permulti ex agro earundem partium viri haud ſegnes, & intrepidi, tum miles bello ſuetus, ſtipendio civitatis conductus ſub præfectis N. N. militiâ claris, commeatus in urbe multus, tormentorum magnorum & parvorum ingens numerus, apparatus reliquus par, mœnia vrbis contra aſſultus pœnè invicta, omnia denique ita comparata ut ab oppugnatione metus eſſet nullus. Intereà Thorenius, de quo dixi, cùm in itinere comperiſſet, res in Friſiâ armis turbatas, velut deſperans de actione, Auguſtam ad Principes reverſus, novoque mandato accepto eôdem celeriter redire juſſus, oportunè venit in Friſiam, ſecumque Vltrajectinum præſulem, collegam in actione adſcitum adduxit ſtipatum primoribus collegii ac diœceſeos ſuæ, & civitatum Iſalanarum delectis, conſeditque cum eodem Adoardiæ. Indè tentatis partium animis, agendique poteſtate acceptâ Groningenſium delectos evocatos fide publicâ adeſſe ſibi juſſit poſtridiè Calend. Auguſti. Cum his præparatâ re profectus ad Albertum in cœnobium Selwerdium, & cum eo quoque prolixè locutus locum conventui conſtituit in Huneſi ripâ, ubi claſſis Saxonica ſtabat. Ad quem cùm veniſſet ipſe Albertus, adeſſentque civitatis delecti, multa à Guilhelmo Friderico facundè pro civitate diſputata, refutata pari ingenio à Pflugio, ab Alberto quoque Principe, ut erat non infans, verba facta: à Thorenio Vltrajectinoque componendæ rei omne adhibitum ſtudium. Sed difficilis in tantâ diſcrepantium voluntatum diſſenſione, res fuit, animis præſertim ex belli injuriâ crudis. Saxo quippè imperium urbis agrique, & fœderis diſſolutionem, illi libertatem ſuam cum incolumi fœdere poſcebant: utrique pactis, Regum Cæſarumque decretis ſe tuebantur. Sed Imperii nomen auguſtum, & in armis vis, quæ pro Saxone ſtabant, civitatis jus faciebant infirmum: actioque in biduum triduúmve repetitis congreſſibus extenſa, & res ex propinquo ad totam civitatem relata. Indè Adoardiam partes ab interceſſoribus vocatæ: diverſaque rursùs ad pacem propoſita: hinc Selwerdiam, ubi ipſe erat Albertus, conventus tranſlatus, poſtremò ut liberior expeditiorque agendi poteſtas ac ratio oppidanis eſſet, & ut interceſſores quoque cum civitate poſſent agere, colloquii locus captus Ebbinganâ viâ, & urbi proximus, & à militum terrore remotus. Ibi actum acriùs, poſtquàm cætera non procederent, ut tollendo bello arbitri litis fierent, qui hactenus interceſſores modò fuerant. Tergiverſari ſimulatè Saxo propter Vltrajectinum patronum urbis, eosque, quorum conſiliis is regebatur. Groningani ſeriò Thorenium ſuſpectare adverſum ſibi, Saxoni benevolum, ab autoritate pendentem Regis, cujus animum ex epiſtolâ cognoverant. Quinimò nec ipſi ſatis fidere Vltrajectino ob propinquum cum Saxone ſanguinem, verbaque pro eo ſæpè fervidiùs dicta. Quapropter multi in eâ eſſe ſententiâ, haud induendum laqueo tali caput, ſed omnia potiùs tentanda alia, exitumque Deo vindici juſtitiæ & libertatis committendum: nec Saxoni hoc bellum facile: quod ſi ſummis gerere viribus velit, ſumptu ſuperaturum opes ejus; ſin trahere tantum, paucisque copiis ſuſtentare, inane futurum: & indiciis cognitum, per Germaniam Principum eſſe non ultimos, quibus oppreſſio hæc gentis, actioque tam iniqua diſpliceat. Si primus modò belli terror ſuperatus fuerit, non deſperandum, quin cætera quoque queant ſuperari: ac ſi deficiant alia, ad Burgundum potiùs eundum, quàm Saxonum ſubeundum jugum.

At ſena-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

At ſenatus bona pars, & Guilhelmus Fridericus prudentiùs rem putabant: male æſtimare vires Saxonis, qui ſic æſtimant, cui ſi deſint alia ſubſidia omnia, unum nimìs grave civitati adeſſe ei ab Edſardo tam acri, tam rerum gentis gnaro, opes tam oportunas vexandis ipſis ſociiſq; habente, & quod maximum capiendis ſociorum animis, ad diſſuendum fœdus tam idoneo. Burgundum fruſtrà ſpectari, amicum Saxoni, verba venditantem, animi indicia in Egmondano & claſſe in ſubſidium Saxonis ex Hollandiâ profectâ prodentem. Vltrajectino verò diffidere, quid id eſſe, niſi eundem irritare, & ex amico facere hoſtem, hoc eſt, rem committere periculoſiſſimam, & invidiæ calumniæque non rimas, ſed portas aperire? Nam præſulem hunc, ut principem, patronum, judicem, arbitrum in causâ hactenus appellatum: eum divinitùs oblatum in ipsâ jam re recuſare, quid id aliud videri poſſe, quàm fidem demere omnibus, aut cauſæ diffidere? nec ad ſolum præſulem id pertinere, ſed ad eos etiam, qui eum regunt, diœceſeos ſcilicet ordines, ſocios & amicos civitatis: Idemque penè de Thorenio dici poſſe, legato principum ordinumq; Germaniæ, non Regis, quorum autoritatem ac judicium defugere nec liceat, nec expediat fortunæ reip. Et eſſe in Germaniâ illuſtrium familiarum ac opum non paucos, quos cauſæ æquitas conjungat civitati: hos, ſi ſperni legatum ſuum, arbitriumque æquum reiici audierint, favorẽ verſuros in odium: eum expeditiſſimum ad proſcriptionem fore gradum: denique hujuſmodi jam de ſe animi recti excelſique dediſſe indicia Thorenium, ut improbum penè ſit, exiſtimare, gratiæ causâ facturum, quod injuſtum ſentiat. Atq; hæc ſententia, poſtquam hûc illûc velut æſtu quodam jactata aliquantiſper civitas eſſet, (nec enim ulla unquam cauſa hîc acta fervidiùs) vicit tandem, adjuta maximè proſcriptionis metu, rei exitioſiſſimæ. Permiſſa res tota duorum arbitrio, hâc lege, ne libertas civitatis addiceretur inimicis. Arbitri poteſtate inſtructi, qui cauſam jam antè ex colloquiis & actis cognoverant, Adoardiam profecti, vocatis, qui partium nomine adeſſent, XII Calend. Septemb. ſententiam tulêre hujuſmodi. *Injuriæ mutuæ ſint inductæ omnes, pax & gratia in perpetuum ſarta: controverſia ſequeſtro ſuſpenſa maneat uſque dum judicio Cameræ Imperij dirimatur. Sequeſter cauſæ Thorenius ſit Electorum, Principum cæterorum, omnium denique ordinum Germaniæ nomine, velut eorum legatus. Hoc durante ſequeſtro Groningani jusjurandum, conventionem, fœdus, datam fidem remittant omnibus in toto agro à Dullarto in Lavicam, nominatim quoque comprehenſis Dammonâ, & præfecturâ vetere: ij eo nexu ſoluti jurent Thorenio, in ejuſq; fide ſint ad uſque ſententiam à Camerâ latam: Thorenius, aut qui vicem ejus geret, aut alius à Principibus ordinibuſq; datus, imperium tantiſper habeat, ex legibus ac more patrio jus dicat, dicíve curet locis idoneis, novi nihil inducat, neû alteri parti regionem tradat, priuſquàm ab eâdem Camerâ, utri tradi debeat, fuerit definitum: utraque pars caveat, ei ſine obſtaculo eam traditum iri, ſecundùm quam Camera ſententiam ſit datura. Intereà nec Thorenius, nec Principes ordineſq; Germaniæ rectorem agro dent, aut quenquam ſuſtituant, qui inimicus ſit civitatis. Omnibus his nîl decedat derogetúrve juri partis uriuſque quod aut Saxo ex diplomate habet de gubernandâ Friſiâ, aut civitas longâ quietâq; poſſeſſione, cujus principij non extet inter homines memoria, comparatum tenet, vel tenere ſe putat, nec res hæc actionem eorum apud judices infirmet, non minuat jus majeſtatemq; Imperij: civitas etiam in poſſeſſione uſuq; maneat ſtapulæ ſuæ, uti vocant, mercatuum, juris cereviſiarij ac ſimilium, ad eum modum, quo fuit antè ſeceſſionem hanc ac litem, ab ultima hominum memoria, id eſt, butirum, caſei, equi, boves, vaccæ, ſimilia mercimonia alia non alibi quàm Groningæ in ſtapulæ loco, more ſolito, venum proponantur, venundentúrve: cereviſiæ in tabernis aut diverſorijs præter Groninganam toto agro uſus non ſit, nec officinæ coquendi huiuſmodi potus, vendendi causâ præterquàm in urbe ferantur. Excepta intelligantur, quæ hujus generis viris nobilibus in prædijs ipſorum ruſticis proveniunt, quibus jus ſit pro libitu, & commodo ſuo, ea divendere. Idem valeat de Dammonenſibus. Exempta etiam ſit ſtapulæ legi vetus præfectura, utaturq; jure & libertate priſtina*

M. i 9.

M. IↃ. *quoàd durabit hæc ratio ſequeſtris. Groninganis maneant non minus quàm parti adverſæ prædia, quæ habent per agrum, cum juriſdictionibus annexis, & commodis cæteris ſine diminutione. Iidem in exigenda pecunia credita, & reditibus alijs per agrum utãtur fruantur jure & more ſolito, tantum modò, ut judex in eo tribunali ſit in urbe Groningâ ipſe Thorenius, aut legatus ejus, aut qui ei ſubſtituetur ab Imperij ordinibus, ne videatur civitas, ſecùs ſi fiat, prætorium imperium in agrum retinere: qui ſi præſentes ipſi non ſint, poteſtatem tamen habeant, ex honeſtiſſimis ordinibus urbanis viros idoneos ſubſtituere ſibi, eoſdemq́ pro arbitrio ſuo rurſus abdicare, & vel alios ex ijſdem ordinibus ſurrogare, vel per ſeſe judicium exercere. Similiter permittent Groningani, Edſardo ut pecunia mutua ſolvatur ex agro, & ſi quid hujus pecuniæ ipſi interverterint fortè, aut hoc nomine quoquo modo obligati ſint, eâ in re ſubijcient ſe cognitioni judicioq́ epiſcopi Vltrajectini & Georgij Thorenij, aut eorum quibus ipſi hanc poteſtatem delegabunt. Denique de ſumptu, moleſtia, labore, quibus mutuò ſe implicuêre tum Princeps Albertus, tum Groningani, item de damnis, quæ vel Groningani ijdem nobilitati vicinæ, vel nobilitas iſtis intulere, judicium Cameræ Imperij ſit. Poſtremò tranſactione hac comprehendantur Edſardus, & quicumque harum aut illarum partium fuêre, aut ſtipendia meruêre, aut ſubſidia tulêre.* Sententiæ recitatæ ex chartâ ſubſcripſit Albertus nomen ſuum: idem Egbertus Rex, Rudolfus Vlgerus, Ludovicus Hornkenius civitatis conſules fecêre. Mox in membranas eadem relata, ſigillis Vltrajectini, Thorenii, Saxonis, civitatis ſignata, exemplis tribus. Tum exercitus omnis ab urbe abductus: legio una, in quâ milites numero M.D, cum Scomburgio trans Lavicã domandis Sylveſtribus remiſſa: cæteri ab ſignis dimiſſi. Hugo Comes Leiſnicenſis Miſnius, Rector ſupremus Friſiæ datus. In his Albertus jam antè æger, ſenio & labore pariter feſſus Dammonam delatus fuit. Indè domum feſtinans, quanquàm tenuiſſimâ valetudine, Emdam petiit cum filio utroque & procerum catervâ: atque ibi invaleſcente morbo in eâ domo, quam Monetam veterem vocant, è regione templi fato ceſſit pridiè Idus Septembr. ſcripto teſtamento, quo cætera Georgio, Friſiam Henrico legavit. Inteſtina corpori exempta Emdano in fano terrâ condita poſtridiè, & æreum monumentum cum elogio parieti affixum. Reliquæ exuviæ in Miſniam vectæ, Veſaliam uſque, cum fratre & ſororio Brunſuigio, funus deducente Henrico. Hic finis principis fuit ſuâ ætate totius Germaniæ maximi & clariſſimi, ſine quo nullum penè bellum in Vngariâ, Auſtriâ, reliquâ Germaniâ, Italiâ, Belgico geſtum, multis rebus præclarè patratis, multis trophæis ex hoſte partis. Inter extrema mandata hoc reliquiſſe præcipuum filiis traditur, ut Edſardum colerent, ejus conſiliis & ope uterentur in Friſiâ, ei viciſſim opem, ſi neceſſe eſſet, ferrent. Præſaga ſcilicet mens ſenis & fato vicini prævidit, quæ ſunt poſteà ſecuta. Thorenius inter ea ordinibus agrariis per litteras denunciat, Adoardiæ quid ſit actum: ſe nunc in eo eſſe, ut judicia conſtituat: jubere igitur, à vî mutuâ, & facinoribus aliis, etiam nunc inter eos graſſantibus, inter ea ut abſtineant, controverſiaſque omnes judiciis referent: ſi qui non paruerint, eorum ſe vindicem fore. Indè Groningâ Dammonam petit, cum Edſardo de tempore locoq; componendis cum civitate controverſiis ejus acturus. Is enim iſtûc, deducto Saxone, redierat. Eo autẽ occupationibus excuſante ſe, ac in tempus cõmodius rem reijciente, cum nobilitate agit, & cæteris civitati inimicis hominibus agrariis, qui ibidẽ erant quærit, *quo ipſi animo ſint, velintne pactis parêre?* Ad quæ illi, *velle ſe, ſi idem velint, ſincereq́ agant Groningani, quorum de animo meritò dubitent; quippè qui rebus compoſitis ne nunc quidem commercia aperiant: deîn, quoniam ſe quoque pecuniæ cauſa, quæ Edſardo debebatur, controverſiam cum civitate habere putabant,* ut antè eſt dictum, *abhorrebantq́ à tribunali longinquo, quô ſe reijci verbis ſententiæ videbant, offerunt ſe Thorenio, ejuſq́ & præſulis Vltrajectini arbitrio ſe rem permittere paratos oſtẽdunt.* Quod cùm ad Groninganos retuliſſet Thorenius, & eorũ quoque mentem exquiſiſſet, exponunt hi, nõ integrũ ſibi à ſentẽtiæ tenore deflectere, ſeq; periculis calumniæ obiicere. mox velut

mutata

mutatâ mente ſubijciunt, ne hoc quidem recuſaturos ſe, quanquàm jure id facere poſſint, ſi modo tempus locumque idoneum ipſe epiſcopusque deſignent. M. I Ↄ.
Dies tandem Vollenhoæ dictus. Illîc agitatâ re, multiſque de totâ controverſiâ diſputatis, Thorenius litteras accipit ab Henrico Saxone Alberti filio, ex iiſq; intelligit, & Albertum obiiſſe, & Henricum à patris voluntate non velle diſcedere, & ſe rogari, Veſaliæ uti ſe ſiſtat, ſuique poteſtatem eidem faciat. Itaque abruptâ actione, Guilhelmo Friderico, ſenatuique Groningano ſcribit, & quid acceperit, & quod conſilii ſui ſit ad Principem proficiſci, benevolentiamque ſuam & ſtudium apud eundem amicè ac prolixè pollicetur. Mox ſive rogatus à Groningenſium legatis, qui Vollenhoæ erant, ſeu ſponte ſuâ conſilium mutâs, ut meliùs res conſtituat, ipſus in Friſiam celeriter revertitur, illîc præſens pacem commendat omnibus, jubet ab injuriâ mutuâ, & rebus novis abſtinere, per abſentiam ſuam: Et cùm benignè promiſiſſent, qui Dammonæ erant ipſorum nomine Groningam revectus, ſenatui populóque proponit, *polliceantúrne, nullum ſe periculum creaturos aut Dammonæ, aut in agro cuiquam eorum, quos pro inimicis habeant, quoàd ipſe ab Henrico Principe, aut ab Electoribus reliquiſq; Germaniæ ordinibus redierit in Friſiam: velíntne commercia rerum libera & exportationem ex urbe ſua, aut per urbem concedere: liceátne pace ipſorum nobilitati, antiſtitibus, binis & binis è parochijs totius agri coïre certo loco, juris dicundi cauſa, & longis incommodis ex ſublatis judicijs finem dare: liceátne iiſdem de conſicienda pecunia Edſardo reſtituenda eodem in conventu conſilia inire: denique, quo animo ſit civitas de ea pecunia, quam ſciat ab ordinibus agri mutuò ſumpſiſſe ſe non ita nuper, deſtinatam Edſardo, cogitétne eam refundere.* Ad quæ Groningani ſcripto reſpondent in hunc modum: *Si nobilitas pacem colet, ſententiæ pactiſq; parebit, promiſſis ſtabit, haud fore, cur à civitate metuat ſibi, aut de commercijs vereatur: conventus juridicos ex fœdere & more majorum haberi æquum eſſe, nondum in poſſeſſionem ſequeſtræ gubernationis immiſſo Thorenio, nec fas ſibi à fœdere antè recedere, ſociosq; in fide manentes deſerere: itaque ſi petatur ab ſe, conventus pro more indicturos, unà cum ſocijs ordinibus conſulturos in medium, cauſas cognituros, calculos accepti expenſiq; poſituros, & ſi quid reſidui apud ſe, ordinibus iiſdem, at non nobilitati ſoluturos.* Ad ea, quoniam in ſententiâ ſic ſcriptum ſit, *ut omnibus res ſuæ, jura, juriſdictiones, & quæ hujus generis alia, conſtent, ac ſalva maneant*, petunt à Thorenio, ut Oterdumæam arcem ſitam in ſolo civitatis & ære ejuſdem extructam civitati reſtituat; ſeque viciſſim ſi poſtuletur, cautionem de non offendendo ex arce, niſi ſi quis prior eam oppugnet, daturos pollicentur. Sed nec hoc facere auſus fuit Thorenius, (inviſum enim nobilitati Edſardóque erat) pollicitus tamen ad Henricum ſe relaturum, civitatemque ei commendaturum, atque hanc quoque ob cauſam properaturum iter: nec cætera, ut voluit, componere plenè potuit. Feſtinabat enim ne in morâ Principi eſſet expectanti Veſaliæ. Quapropter imperatâ rurſus omnibus quiete, Edſardo Vconique fratri ipſius vicariâ poteſtate per abſentiam ſuam commiſsâ, Groninganis benè ſperare juſſis, Veſaliam quàm celerrimè contendit. Ibi de omnibus edoctus ab eo Henricus, & conſilio adjutus tabulas conſcribit ſuo & fratris Georgii nomine. In his teſtatur rurſùm, *in eo, quod actum cum Groninganis, ratam ſe habere per omnia parentis voluntatē: ideoq; totum agrum finitimum urbi Groningæ, omniaq; quæ in eo, nominatim verò Dammonam, Oterdumum, caſtellum in cataractis, permittere poteſtati ordinum Germaniæ, & eorum vicem gerentis Georgij Thorenij, fideq; juramenti præfectos ſuos omnes in eo agro, atque unà ordines agrarios exſolvere, hac lege, ut in fidem eorundem Germaniæ ordinum, Thorenijq; ſe conferant.* Signatæ tabulæ die IV Iduum Octobr. per quas Groningani petitione ſuâ poſtremâ dejecti. At hi repulsâ confuſi, ab Henrico magis & magis averti animis, ad Burgundum denuò reſpicere, deque ejus tentanda voluntate cogitare, demùm in hunc finem Arnoldum Michaëlium ſacerdotem Daventrienſem mittere in Brabantiam; ſimul à Dammonenſibus irritati

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag
401 B 23 [1]

M. I D. in eorum res injicere manus, prætoriæ poteſtatis munia per agrum mandando citandoque ſenſim reſumere, diffidentia inter partes creſcere, denique rumor ſpargi ab iis, qui Dammonæ erant, ſive levibus ac vanis ex indiciis temerè creditis, uti fit, enatus, ſive invidiæ gratiâ confictus, Groninganos Idibus Decembr. in oppidum Dammonam, atque eos qui ibi morabantur inſidias paratas habuiſſe, ſed nobilium Dammonenſiumque diligentiâ detectas evanuiſſe: poſtremò quò magìs credi videretur, quod ſeverant, iidem rumoris autores Dammonâ paulò pòſt ſcribunt hâc de re ad civitatem, acerbaſque querelas expromunt, ajuntq; non eſſe, quod inficias quis eat, aut credulitatis ipſos inſimulet: certam namque rem ſibi eſſe, certis indiciis patefactam. Quin etiam petunt doceri ſe, an etiam nunc pactis ſtare civitas cogitet: ſe quidem ad ſervandum omnia paratiſſimos profitentur. Groningani his litteris & rumore exacerbati magìs vix induci potuêre, ut reſponderent. Significârunt tantùm, injuriam magnam ſibi fieri, nec ſe in morâ fidei pactiſve fore, modò ipſi ij inimici non „ ſint: periniquum verò atque abſurdum eſſe, ab aliis fidem te poſcere, cùm ab eâ ipſe recedas. Atque hæc quidem Groningæ, in eâque viciniâ dùm fiunt, Henricus Dux cum Thorenio Veſaliâ in Brabantiam contenderat ad Philippum Auſtriacum Burgundiæ principem. Illîc invenêre magnum exulum Friſiorum numerum, quibus cura, Philippi ſe fidei tradere, eumque patriæ rebus principem imponere. Ex his Sicco Siurtus Wormaciam, ſedem ſenatus regii, profectus nuper cum fratre Haringio jureconſulto in magnâ Regis gratiâ, acturus de levandis patriæ miſeriis, in reditu inciderat in hominem ſibi notum, potentem in aulâ Saxonis, ab eoque litteras ad Sigiſmundum Pflugium impetraverat, quibus aditum ſibi ad eum aperiret. Cum his Mechliniam reverſus, ubi tum cum Henrico Pflugius erat, parato aditu oſtendit, ob animorum exacerbationem mutuam ipſi principi expedire, ut acceptâ non pœnitendâ pecuniæ vi Friſiam dimittat: eſſe provinciam non latam, exhauſtam, exanguem animos provincialium ab Henrico domoque Saxonicâ alienatos, imperium infidum, periculoſum, moleſtiæ plenum, præſidiis retinendum, impendii plus quàm fructus perpetuò habiturum. Denique Pflugius inductus promiſit, cum principe ſe acturum. Ipſe Sicco ad Tiarchonem VValtham, Tiardum Moccamam, Ziallingum Iellingæum cum copiis militaribus ad Geldriæ fines ſibi conciliatis expeditionem in Friſiam meditantes miſſus, à conſilio jam expeditas avertit. Simul exulum legati Bouvo Hantia Bolſuerdius, & Aggo Liaucama Maccumanus Bruxellam reverſi cum mandatis, quâ in urbe tùm Philippus & Henricus erant de Friſiâ ſolliciti ac perplexi: ab his actum cum proceribus aulæ utriuſque, per hos ad conſilium principeſque res relata: Mox remiſſi iidem legati ad exules, qui fide publicâ quàm maximo numero Bredam oppidum Brabantiæ eos adducerent. Eò cùm veniſſent ad L ex omnibus delecti ordinibus declinante menſe Novembri, & in his primores Edo Iongama, Edo Gerbranda, Douvo Galama, Tiarcho VValtha, Renico Camſtra, Iuvo Roorda, Siurtus VVibenius, Wattio Haringæus cum mandatis & plenâ poteſtate, eſſentque iſtinc Antuerpiam vocati, ibi dato ſenatu, in quo Pflugius & Ioannes Wittembergius pro Saxone, Cornelius Bergæus pro Burgundo præſidebant, ubi juſſi fuère edere, & quid haberent in mandatis, & quam tam fœde rebellionis cauſam præferrent, per oratorem ſuum ita locuti feruntur: *Armorum tumultuumq́ non aliam cauſam eſſe quàm in novello dominatu præter jus, & pacti fidem poſtulata, perq́ vim & contumeliam crudeliter exacta extortaq́ tributa, quæq́ in principatu ac populo imperijs ſueto ferri non poſſent, ea populo libero & contumeliarum impatienti irrogata, ex ſenſune ac juſſu Principis, ſe dicere non poſſe, per præfectos certè miniſtroſq́ ejus perpetrata, nec auxilij copiam factam: Quæ ſi impatientiam commoverint hominum, & ad mordendum frænum compulerint, quid id mirum?* „ *cùm omnibus inſitum mortalibus ſit, injurias, cùm poſſint, à ſe depellere, in libertate*

autem

autem natis eductiſq; nîl proprium magis, nîl quod exuere queant difficiliùs. Ex hoc fonte tantam ſtragem mortalium, tantam rerum omnium cõfuſionem profluxiſſe: hinc tantam animorum offenſionem atque exacerbationem, penè ut videatur immedicabilis: & poſſe fortaſſis ſuperficiem vulneris hujus coïre, vulnus ſolidari penitùs non poſſe. Quapropter orare ſe illuſtriſſimum Saxoniæ Ducem, ut inutilem Friſiæ poſſeſſionem dimittat, pecuniaq; ſatisfieri ex æquorum & bonorum hominum judicio ſibi patiatur: id non ſolum penè neceſſarium miſerrimæ provinciæ, ſed ipſi quoque & tutius & utilius, & magis ex pietate. Quid enim juvet integrare clades? quid aut inutile, aut periculoſiſſimum retinere imperium? quod ſi præſidijs perpetuis firmes, oneri potiùs quam fructui ſit futurum; ſin militem demas, de fortunâ ac capite ferè quotidiè dimicare cogaris. Quòd ſi quis dejectos gentis animos reſurgere non poſſe putet, errare vehementer, indolemq; ejus nõ noſſe: detur modò occaſio, qui jam jaceant, majore ferociâ prorupturos, inermibuſq; vel ipſum furorem arma daturum. Nec verò certam adhuc à Groninganis eſſe rem, quibus inſitum, temporibus obſequi: urbem autem hanc ſibi armis ſubigere, Saxoni arduum & ſupra vires, nec tamen ſine eo unquam firmum illi tutumq; in Friſiâ fore imperium: multò certè majora reſtare, quàm rerũ neſcij queant credere. Unum Burgundiæ principem ſe nôſſe his habenis aptum, vicinum, potentem, patre Rege fultum, populo quoque gratum, imò Imperio expetitum: cui ſi Saxo provinciam volet cedere, pecuniamq; pro eâ accipere, ſperare ſe, hunc non eſſe recuſaturum. His preces etiam præſentium & abſentium omnium nomine adjectæ. Dimiſſis è cõſilio Friſiis, re cum principibus communicatâ, placuit, ſex ex omni numero eorum, qui aderant, in Friſiam remittere, hiſq; mandare, ut ab omnibus cognoſcant certiùs, Burgundóne an Saxoni malint parêre: & ſi Burgundo, de conditionibus mutandi imperii, ut cum populo conſtituant; mandatumque & poteſtatem plenam ſibi dari curent: eo inſtructi Bruxellam redeant ad Calend. Febr. Miſſi Edo Iongama, Siurtus Wibenius, Oſtergoi, Aggo Liaucama Bouvo Hantia, VVeſtergoi; N. Ielto, Vbbo Igæus, Sevenwoldii. Sed aſtu Saxonum, qui rebus in Friſiâ præerant, variis modis ſuſpenſi, impediti, eluſi, penè infectâ re redire in Brabantiam coacti. Etenim, cognitis, quæ agebantur, Hugo & cæteri Saxonicarum partium indignè rem ferre, omnibus rationibus contrà niti. Stellenwerfios, omneſq; Sylveſtres metu perterritos pecuniâ non magnâ mulctatos recipere in fidem, & jurejurando obligare, quàmplurimos ubique in integrum reſtituere: Mox univerſam regionem inter Flevum Lavicamque in verba Henrici novi principis, & fratris hujus Georgij ſolenni modo adigere, operâ gentilium Martenæ, Hottingij, Tiardæ, Liaucamæ in cenſus annuos deſcribere, vectigalia definire, proventuum ſummam ad Henricum referre, provinciæ ubertatem & commoda omnia ponere ob oculos, ejuſque rei cauſâ Bernardum, Buchonem Aitam, Heronem Hottingium, Doconem Martenam, Sceltonem Tiardam in Brabantiam ablegare. Cenſus definitus ſic: *Omnes agri domuſq; tributariæ eſſent ex formâ Albertæâ, exceptis & exemptis, quæ à nobilitate & cœnobitis colerentur: pro cereviſiâ peregrinâ in tonnas ſolverentur Principi ſtuferi Brabantini octo, pro coctâ in provinciâ, in tabernis & diverſorijs publicis vendenda quatuor: pro vini Rhenani urna, quã amam vocant* XX, *pro cæteris melioribus* XXIV: *pro tela lanea Leidenſi aurei Rhenani partem* XXXII; *pro viliore, ejuſce ſemiſſem.* Legati cùm in Brabantiam veniſſent primùm Pflugio, deinde ipſi Henrico cuncta exponunt, eos à priore conſilio omnibus rationibus avertunt. Paulò pòſt, reverſi eôdem quoque Edo Iongama & collegæ exulũ delecti amplâ cum poteſtate. Auditâ publicè privatimq; parte utraque, & colloquiis tentatis cùm iſtîc non ſuccederet res (de conditionibus quippè convenire non poterant) omnes Gandavũ ſequi Principes juſſi. Ibi ad diem XII Calend. Martij utriſq; Philippus per Cornelium Bergenſem, præſente Pflugio & Wittembergio cõditiones propoſuit de ſcripto recitatas recipiẽdæ à ſe in fidem Friſiæ. Eæ hujuſmodi fuerunt: *ut in quinquennium proximum pendantur ipſi aureorum Rhenenſium millia* L: *intereà ab omnibus oneribus alijs provincia ſit libera: quinquennio finito, præter ordinarios ſolitoſq; cenſus eadem nihil*

Margin notes: cc M. I ↄ. / M.D,I.

M.D.I. *ſolvat:hoc ſolùm nunc promittat,uni poſtulato æquo & juribus ſuis congruo,edendo cum commodum erit,ſine imperio,liberali mente ſe aſſenſuram: De cætero,ſuo jure & libertate in provincia fruerentur omnes.* Hæ conditiones graves viſæ Friſiis: una maximè, quæ non edebatur: de quâ rogatus Bergenſis haud aliud reſpondit, quàm non placere jam edere:ſic verò inter Principes comparatum,ut ſine dubio intra trimeſtre dominus Friſiæ futurus ſit Philippus. At Pflugius ſecretò exules prudentiæ admonere, periculoſam conditionem vellicare, hortari ut maturent cum Saxone tranſigere,ſuam operam offerre, optima quæque de principe polliceri, manſuetudinem ac bonitatem ejus prolixè commendare. Omnia hæc ſic acta, ut ſimulata ſinceráve fuerint,ne nunc quidẽ poſt eventus dicere ſit expeditum. Ego ex compoſito fabulã actam magis arbitrari me quàm certò ſcire profiteor. Ad Groninganos revertor. Horum legatus Arnoldus Michaëlius Bruxellæ hærens,omnia obſervãs diligenter, animos procerum explorans, & in cauſam ſollicitans,maximis quibuſque gratiâ obrepens, intereà dùm cum Tranſlavicanis velitationes fiunt,magnam ſpem ipſe concipiens, magnam ſuis faciens, pluraq; & largiora iis quàm Tranſlavicanis promittens, Guilhelmum Fridericũ gratiâ antè omnes pollentem & cauſæ gnarum cum duobus è ſenatu velut certam ad rem & eventum optatum evocãs,ſenatum totum acribus verbis ad accelerandum & rapiendam occaſionem pulcherrimam exſuſcitans,& omnibus ſtimulis urgens,mandata ac poteſtatem amplam dari legatis venturis poſcẽs,id tandem obtinuit,ut aliis ſine Guilhelmo Bruxellam venientibus è ſenatu,Henricus Suevus is, de quo dixi antè, tractandæ rei gratia paulò pòſt Groningam rursùm legatus ſit miſſus, peramplis ab aulæ proceribus inſtructus mandatis. In his verò dum Michaëlius eſt, dumque perplexos omnes Philippus tenet, Groningani pedetentim longiùs progredi, jus more ſueto agrariis dicere, contumaces mulctare, obſiſtentes coërcere, Hillebrandum Entenium præfractum & vicinis moleſtum extractũ domo, cuſtodiæ dare, in eâque eum habere. Deindè cùm obtrectationẽ famæ & inimicorum metuerent, purgandi ſui gratiâ ad Vltrajectinum dant litteras prolixas. *In iis queruntur, vitia nec parva nec pauca obrepere contra pacta nuper inita autore ipſo, ac Thorenio: Horum cauſam ajunt mortem Alberti eſſe, & intempeſtivum Thorenii è Friſia diſceſſum ac emanſitationem: nam hac ratione nec effecta, quæ ex pactis fieri debebant, nec cætera compoſita: idq; maximo damno eſſe & urbanis & agricolis, judiciis extinctis aut ſilentibus aggeribus cataractis, rivis neglectis ac peſſum euntibus, eaq; de re querelas à ſe Vollenhoæ nuper eſſe expoſitas. Deìn & litteras inquiũt Henrici Principis haud ita nuper exhibitas ſibi à Thorenio, jubentes Dammonam, Oterdumæam arcem, caſtellum in cataractis, eidem Thorenio tradi: id verò novæ liti cauſam dare: in pactis enim ſcriptum, quæcunque per agrum civitas civeſq; haberent prædia, bona, jura, juriſdictiones, ea integra iis relinquenda, durante ſequeſtro: at arcem Oterdumæam in civitatis ſolo, ſumptu ac pecunia eiuſdem extructam: itaque in ea ſententia ſe eſſe, ſibi, non Thorenio dedi eam oportere: Et tamen omnis ſuſpicionis declinandæ cauſa, licet ſimpliciter reſtitutionem eius ex pactis petere poſſe videantur, obtuliſſe ſe & offerre cautionem, exercendæ ſequeſtræ poteſtati, impedimento hanc ipſam arcem civitati reſtitutam non futuram, modò arci ab aliis quietæ eſſe licuerit; aut arbitrorum duorum iudicio rem ſubmittere paratos ſe eſſe: denique ſi ne hoc placeat, præſulem ipſum & Thorenium, ſcriptores tabularum, verborum ſuorum interpretes non recuſare: Ad hæc, quemadmodum Thorenius ſtatuendi ius in hac quæſtione recipere in ſeſe inconſulto Henrico principe non voluerit, ſic procul dubio Henricum non audito fratre nihil definiturum; ita & alia complura oppidò neceſſaria, regioni afflictæ, & ipſa judicia, atque huius quoque controverſiæ diremptionem maximo reip. malo dilatum iri in longum. Quamobrem ut ſuccurrerent oppidanis pariter ac agrariis judicia poſcentibus, & fidem implorantibus civitatis, damnaq; averterent ab utriſq;, prætorium rursùm aperire neceſſum ſe habuiſſe, ac jus dicere cœpiſſe more ſolito, multa quoque alia, quæ reip. agrariæ ſalus flagitabat, curaſſe; idq; arbitrari rectè ac jure factum ab ſe, adeòque adhuc fieri, quoàd ſequeſter ipſe munus ſuum*

tandem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

tandem occœperit: intereà teſtari ſe ſolenniter, nîl horum fieri à ſe in deſpectum tranſactionis, quodve ab eâ cupiant diſcedere, ſed ob cauſas ſolummodo hîc recitatas, nec perſtaturos in his diutiùs, quàm quæ voluntas Principis Saxoniæ ſit; erit cognitum: eâ voluntate cognitâ, ita acturos ſe, pactaq́ culturos, ut nemo futurus ſit, à quo jure ob hanc rem culpari queant: Poſtremò oſtendunt, ideo hæc à ſe ſcribi, ut ſi quis querelas delaturus ad eum ſit, ipſe facti rationem & cauſas non ignoret. M. D. II. Nec diu poſt facti de epiſtolâ hâc certiores, qui Dammonæ erant viri nobiles, ne ſibi quoque deſint, ad eundem præſulem ſcribunt in hanc ſententiam. *Pacta quidem illa anni prioris quatuor ſigillis, in quibus ipſorum quoque Groningenſium, fidei causâ eſſe ſignata: atque in his claris verbis ſcriptum, civitatem fide nexuq́ omni liberare agrum quoquo ſibi modo devinctum durante imperio ſequeſtro: licereq́ liberè ac ſine periculo unicuique, quando volet, in ſua reverti, & ſuis rebus uti frui pro libitu, ac more patrio: At hæc Groninganos haud ſervaſſe: mandata prætoria in agrarios promulgaſſe, Dammonenſium res diripuiſſe, in oppidum ipſum Dammonenſe inſidias nuper Idibus Decembribus paratas habuiſſe, nobilitatem fortunis & vitâ exuere; oppidum funditùs evertere voluiſſe; ſed favore Numinis & diligentiâ ſuâ conſilium ſceleratum detectum ac diſſipatum fuiſſe: nec hîc ſtetiſſe modum facinoris, ſed in agrum delatos, Entenium primæ nobilitatis virum intempeſtâ nocte domo lectóque extractum unà cum fratre, qui pactis freti in ſua redierant, Groningam in vincula abripuiſſe, & etiam nunc in vinculis habere: Hæc verò eſſe hujuſmodi, ut tolerari diutiùs à ſe non queant: Rogare igitur præſulem, ut pro autoritate officij moneat civitatem, & dimiſſionem Entenij cum indemnitate ei demandet: eò ſibi gratius facere nîl poſſe.* His ſubijciunt in calce: *ſi quid horum excuſare Groningani volent, & jure factum dicere, id non poſſe non vanum eſſe: ſeſe paratos, ipſius ac Thorenij judicio ſtare.* Scriptæ hæ litteræ III Calend. Martii. Arguta ac vafra mortalium ingenia, qui uti ſeſe amant maximè, quamquàm cauſis ex adverſo diſſideant, tamen in ſuas partes jus omnes trahunt, & adverſarios ſcelerum reos criminantur. Atque ità perplexus dubiuſque præſul hærebat, nec quid probaret damnarétve, perſpicere ſatis poterat. Nam quod maximè pro Groningamis erat, quodq́ue eorum cauſam præ cæteris ſuſtinebat, exlex rerum ſtatus ſine ordine, ſine imperio fluitans abſente Thorenio, necdùm initâ ab eo poteſtate, id Edſardus interponens ſeſe, videbatur ſubruere. Legatum quippè Thorenii cum fratre ſe ferebat, atque hoc ſibi muneris à diſcedente commiſſum ajebat, idq́ue adminiſtraturum ſe integrè ſineq́ue fraude profitebatur. At Groningani nec credere ſatis dicenti, & ſi verum id maximè, tamen haud fas fuiſſe, ſic ſtatuere Thorenium, præ ſe ferre. Nam in pactis ſic eſſe, ne quem ſibi ſubſtituat, ſi res ſubſtituto habeat opus, qui Groningenſium ſit inimicus: Edſardum autem non ſolùm infenſiſſimorum inimicorum civitatis eſſe patronum, atque hos circùm ſe habere, horum conſiliis Regi, ſed arma quoque contra civitatem tuliſſe, & hoſtem ſe oſtendiſſe acerrimum: quam ob cauſam nec ipſum, nec fratrem conjunctiſſimum cum eo, poteſtatem eam gerere poſſe, nec quicquam æqui ab iis expectandum eſſe civitati: penes quos quamdiu præſidia caſtellaq́ue agri ſint, tamdiu penes certiſſimos inimicos eſſe? Et quid occœptum factumq́ue ab his pro munere eo, quid publico ſit bono? quæ judicia conſtituta? quæ lites cognitæ? quis modus aggeribus reparandis, reficiendis aquarum clauſtris, reſtituendis viis & pontibus datus? Edſardus contrà velut ignominiam ſuam recuſationem hanc interpretans, ſeq́ue ut haud integræ fidei ſuſpectari dolens, ferre id moleſtiùs, doloremq́ue animo recondere. Ad hoc, neque juſtum putare, deſerere ſe clientes & propinquos ſuos viros nobiles in hoc rerum ſtatu tam lubrico & periculoſo, neque conſultum ſibi, niſi recepto mutuo pignus dimittere. Quippè præter aurum, quod agrariis ordinibus Foxiano tempore commodârat, multo majorem quoque pecuniæ vim Saxonibus impenderat, oramq́; Amaſi pignoris loco detinebat. Addebant ſtimulum preces penè aſſiduæ eorundem nobi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. I. nobilium, quibus acerbior in civitatem animus erat, quàm ut conjunctè quieteque cum eâ vivere, multò minùs imperium ejus ullum ferre poſſent: oderantque non ſolùm fœdus illud priſcum, ſed tacitè recentem quoque pactionem, ut nimis æquam oppidanis, inviſam habebant, magiſque ei ſuccenſebat quàm dicere auderent. Et ut Saxonum imperium averſabantur, ſub quibus verſuram modò malorum faciendam, aut graviorem ſubeundam ſervitutem intelligebant, ita Edſardum amabant mirificè, ob ingenium & mores, & gentem eandem. Itaque cùm & hic præſidia retineret, inviſa civitati, eſſetque irâ plenus, & illi nihil minùs quàm hoc poſſent concoquere, crevit inter eos diſſenſio, peneque in hoſtilitatem abiit. In hoc rerum ſtatu, Slochterani, Siddeburii, Schiltwoldii, Hellumani, in Duerſwoldiis, civitatis ſtudioſi ſeu ſponte ſuâ, ſeu exhortante ſenatu, quò contrà vim militum confugia haberent, fana ſuorum vicorum cœperunt munire, atque in his præſidia locare. Sed minis Edſardi territi, qui id perindignè ferebat, & delubra in prædonum latibula verti dicebat cœpto deſtitêre. Simul alibi fomes igni huic fumanti ſubjectus Gerbrandus Moccama cum fratre exul Groningæ morabatur, quod pactis vetitum non erat, evaneſcente actione cum Burgundo, ſummæ audaciæ viros duodecim ejuſdem exilii conſortes, ad occupandam tuendamque turrim fraternam in agro Dongerano miſit, auxilia pollicitus, ſi quâ ab hoſte ingrueret vis. Eo vulgato Hugo gubernator Sceltonem Tiardam Geeſtanum, Taconem Hemſtræum, Ziallingum Iellingæum cum magnâ ruſticorum multitudine iſtùc miſit. Per quos cùm effici nil poſſet, ad diem XIV Calend. Maij militum firmam manum cum tormentis æneis magnæ molis eôdem juſſit ire. Tùm tormentorum vi convulſo turris muro, nonnulli ex eo præſidio per noctem clàm dilapſi, cæteri metu perculſi, & à ſuis deſerti, die IX Calend. Maij hoſti ſe ſine conditione dediderunt. Turris ſtatim ſolo æquata, captivi Franekeram tracti, eorum quatuor ex unâ rotâ ignominiæ causâ ſuſpenſi, reliqui duo, quorum intemperans lingua in Henricum Principem obſeſſum fuerat, vivi palis infixi, ac lento ſupplicii genere cum cruciatu maximo enecti. Hoc quamquàm ad Groninganos propriè non pertinebat, tamen quòd ex urbe ipſorum profecti eſſent, qui fecerant hæc, & paſſi erant, quodque Gerbrandus ibidem degeret adhuc, ſuſpicio aliqua in eos, velut haud ignaros conſilii, ferebatur, ipſique qui ſuſpectos ſe intelligerent, quamquàm conſilia non ſociâſſent, tamen ab iratis Saxonibus & eorum ſociis, ſibi haud parum metuebant. Itaque unde pericula exiſtere proxima rebantur, in eâ curas convertebant.

RERVM

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XL.

CIRCITER id tempus legio militum binûm millium in ditione Vltrajectinâ non procul Daventriâ ſine duce, ſine ſtipendio, (quod in Germaniâ tum malum frequens) conſederat. Ad hos prædæ avidos è nobilitate Tranſlavicanâ exules, abjectâ à Burgundo ſpe, deſperatâ etiam cum Saxone re conciliatione, (res quippè eorum aliis jam donatæ) Tiarcho VValtha, Tiardus Moccama, Hartmannus Galæus, Kempo Iongama profecti ſunt, conductosque ſtipendiis ſuis duxêre in Drentiam. Quorum itinere cognito, Groningani, qui belli fortunam experiri ſtatuerant, miſſis iſtûc legatis, ex voluntate Tiarchonis & ſociorum, quibus commoda res fortunæ ſuæ videbatur, cum præfectis agunt, ut expugnandæ Dammonæ operam civitati commodent. Conficiunt rem cum iis; promittunt, ſi Dammonam expugnent, direptionem oppidi, & ſeptem millia auri Rhenenſis, & commeatus copiam, uſumque tormentorum æneorum cum omni paratu: Et ſi occupare quoque caſtella cætera voluerint, eam etiam prædam illorum fore. De his conſiliis certior factus Edſardus (nec enim quicquam in gentili diſſenſione occultum manere diù poteſt) eorum, qui Dammonæ erant, rogatu, è fidiſſimis & validiſſimis ſuorum firmam manum celeriter confecerat: hanc Amaſo tranſvectam Dammonæ, Delfzilæ, Oterdumi in præſidia diſtribuit, forti animo eſſe omnes jubet, auxilia majora, ſi ſit opus, pollicetur. Dammonæ verò eo tempore erant præter præſidium militare è nobilitate agrariâ Haijo Ripperda, Aepco, Releſus, Wigboldus Euſumani, Ailco Onſtenius, Ditmarus Rengerus, Aſigo Hammæus, aliique ejuſdem ordinis, confluebatque eôdem non parvus ruſticorum vicinorum numerus, pericula & libidinem militum fugiens. Simul militum duces ad diem xv Calend. Iunii trajecto ſupra urbem Huneſo flumine eò loci, ubi nuper Vlricus ſuas trajeciſſe copias oſtendi, Dammonam ducunt, triniſque caſtris loco capto, qui ultra oppidum tetenderant, ſilenti agmine nocte concubia ad cataractas Delficas perveniunt, caſtellum invadunt, capiunt, præſidiarios ad unum omnes cædunt, ex ipſis Guilhelmus Meppelius & VVyntio Elborgius centuriones primo impetu cadunt. Eo facto, omnibus Dammonæ idem fatum minantur, ni ſe ſtatim dedant. Cum fruſtrà verbis terrere ſe viros fortes cernerent, ad oppugnationem ſe parant, cæteris ei rei neceſſariis inſtructis munitiones oppidi tenuiſſimas, quâque incurſus facillimus, Ortum inter & Septentriones tormentis Groningenſium quaſſant, tecta fœdant, ſimul ignem oppido hîc illîc inijciunt, omnia agunt ad ſternendos animos præſidii civiumque. Tùm horrifico clamore & curſu in oppidum ſe incitant, fumos cient, horum caligine tecti, quæ complendæ foſſæ erant, in eam congerunt, foſſam ipſam, tenuem tùm, quâ vi; quo modo hîc illîc pervadunt, vallum lacerum appetunt. Nec ſigniùs qui in oppido erant contrà agere omnia, ſe hortari mutuò, in vallo denſi conſiſtere, eminùs cominùs hoſtem arcere, ſclopetis, haſtis, enſibus, flammis eum impetere, tigna ſaxaque in ſubeuntes jacere: illi ſummo niſu ingerere ſe, vallumq; conſcendere, M. D. II.

M.D,I. vulnera temnere, paſſim cadere omnia ſtrepitu, clamore, pugnâ acerrimâ miſceri: tandem, cùm fruſtrà ſe niti viderent, feſſi labore cum clade ſe recepere. Factum pridiè Pentecoſtes, qui erat Maij dies antepenultimus. Hoc conatu fruſtrati Groninganos auxilia & tormenta plura poſcunt, ut pluribus ſimul locis invadere oppidum, & diſtinere præſidii vim queant. Nec mora Senatus, & armorum præfecti, ex agro ad ſigna vocant omnes armis & fide promptos, ſimul medium omnium ſuorum civium, qui ad amnem Aham colunt, quod extremis ſolet temporibus fieri, armare ſe jubent, cætera quàm celerrimè poſt feſti finem expediunt. Nam in feſto religio vetabat. Tùm die à Pentecoſtes tertio ſub auſpiciis præfectorum omnes Dammonam profecti, caſtraque ab his ampliſſimo ſpatio ob multitudinem Iamſueræ poſita: legionarii, qui iſtîc fuerant, alia in caſtra bina ad Ortum tranſlati. Mox opera diverſa cœpta ſummo ſtudio: in his pontes lignei compacti, ſubnixi rotis, ut propelli ad foſſam poſſent: ſimul & foſſiones inſtitutæ, agger terræ editior excitatus foſſæ oppidi imminens, feriendis ſubmovendisque telorum vî è vallo propugnatoribus, minores alii complures quàm proximè munitionibus, & ad ipſum foſſæ labrum noctu factæ contra tela hoſtium, tormenta majora directa, terrores obſeſſis hîc illîc admoti, globi igneſque jacti. Quibus dum intendunt hi, ab Edſardo milites LXX cum tormentis & tormentorum apparatu in adverſam ripam emiſſi, firmandis animis & viribus, oportunè per tenebras noctis ſummo cum ſilentio in oppidum obſeſſum penetrârunt. Secutaque fama, ſtatim cum magnis copiis adfuturum Edſardum, ut de ſummâ rerum confligat. Id accelerandæ oppugnationi ſecundæ fuit, ſperantibus qui obſidebant, antè adventum ejus oppido per vim ſe potituros: quod ſi contigerit, fruſtraneum ei laborem ſumptumque futurum. Itaque Dichuſana arx, quam Edſardus præſidio modico & vallo rursùm munierat, intereà dum fulminant in oppidum tormenta, à Groninganis oppugnata, captaq; cum præſidii præfecto Egerico Ripperdâ. Indè ſtatim impetus duobus lateribus ſimul in oppidi munitiones factus à milite, cive, plebe agrariâ: clamoribus, fumo, pulvere, fragore totus aër confuſus, ſarmenta, fimus, ſtramen in foſſam aggeſta, eôdem pontes acti, aditusque ad vallum ſtrati. Sed pari audentiâ obiicere ſe rursùm, qui in oppido erant, in hunc eventum omnibus rebus paratі. Pugna atrox ubique orta. Illi ex aggere deſuper urgere propugnantes, tormentis, ſclopetis, ignium jactu nihil propè tuti in vallo iis relinquere, ſuis adimentis, ſclopetis... tum quàm maximè tutum facere, reliqui denſis agminibus velut teſtudine factâ ſubire, ad crepidines eniti, alii alios incitare: hi contrà vix tecti vallo humili, & omnibus periculis expoſiti tamen ferro, flammâ, tormentis, omni telorum genere occurrere, ferire, moles etiam jacere, imprimis piceis ſulfureiſque ſertis ardentibus ſubeuntes induere, ſi qui denſiùs ſuccederent, liquentis ignitæque picis imbrem in eos ſpargere, aut fervẽtis aquæ totos cacabos, vaſáve ahena effundere, pleroſq; peſſimo letho afficere: denique mutuò ſe omnes clamoribus excitare ad virtutem & velut certamen laudis, fœminæ etiam & pueri, ceù viri, aggerendis porrigendisque neceſſariis ſupra ſexus ætatisque modum, laborare: hoſtes viciſſim de ardore nihil remittere, milites prædæ & ſtipendii cupidine, cæteri odio atque irâ in obſeſſos incenſi, eo modo per vulnera & cædes calidiùs quàm prudentiùs velut in perniciem ruere. Poſtremò majore vi & contentione utrinque res geſta, quàm ut fidem facilè narratio inveniat. Septiès, ait Grimerſhemius, ſummo conatu oppugnantes vallum invaſiſſe, ſeptiès cum clade rejectos, cæſos, ac in foſsâ oppreſſos multos, plùres vulneribus confectos: obſeſſos fiduciâ adventus Edſardi cum exercitu ſupra vires fuiſſe fortes. Et habent annales quidam, ſacra in oppido, quibus locis ſummum periculum erat, firmandis pugnatorum animis, pro more temporis iſtius, circumlata, Deoque vota facta. Interea Edſardus, uti promiſerat, ſubſidio ſuorum intentus, militem equitemque collegerat, omnium ruſticarum tribuum delectum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

egerat, peritiſſimoſque rei militaris & validiſſimos in cohortes manipuloſque M. D. I. deſcripſerat, ex Butiadis quoque voluntarios exciverat homines armis promptos. Emdenſium etiam magnum numerum armaverat. His in naves impoſitis cum tormentorum magnâ copiâ, ipſe cum omnibus haud exiguâ procerum ſuorum multitudine velut prætoriâ cohorte ſtipatus, flumen Amaſum trajecit, partemque Reidæ, cæteros Oterdumi, aut Muntæ in terram expoſuit. Luſtrato deindè apud Oterdumæos exercitu, in quo M.CCCC. ære merentes, bis mille D ruſticæ gentis fuiſſe Sicco Beninga fidiſſimus ſcriptor tradit; (Emdanos non memorat) claſſem univerſam in altum ſubvehi, ac domum redire juſſit, advocataque concione ita locutus fertur. Abnavigat en, claſſis noſtra, commilitones, quâ vecti hûc ſumus. Id conſilio & juſſu factum meo, ne quis noſtrum in fugâ præſidium ponat. Omnes eâdem ſorte tenemur: nec mea melior quàm veſtra fortuna eſt. In terrâ alienâ conſiſtimus univerſi, in quâ niſi vicerimus, aut mori, aut vincula, ludibria, inſolētiam ſuperborum hoſtium captivi perpeti cogemur. In victoriâ nobis ſola ſalus: ea niſi fortibus animis & factis parari nō poteſt. Fuga omnis intercluſa, niſi in carceres hoſtiles. Hoſtis Groninganus is eſt, quem majores noſtri (vobis hoc Friſiis meis dico) Foccone proavo meo, & antè eum Kenone Broecmerio duce ſæpè ceciderunt, nos hactenus ab eo ſuperati non ſumus. Nec vos, milites, talibus commilitonibus in cædes & vulnera promptis, de virtute & fortunâ deſperare veſtrâ contrà hoſtes debetis. Hoc quoque expendendum nobis fuerit, non noſtra ſolùm capita ab animis manibuſque noſtris pendere, ſed vitam quoque illorum, qui Dammonæ obſidentur, viri fortiſſimi, nobis ſanguine, affinitate, amicitiâ juncti: qui fiduciâ noſtri tantos labores & pericula etiam ſupra vires ſuſtinuêre, ut patriæ nobiſque conſulerent. Nec vos verba ſpectare mea volo. Niſi ad pericula præivero, damnate me, & fortia detrectate, fugæque conſilium capeſſite. Me ducem, non mandatorem habete. Mihi ſi quid acciderit, patriæ & cauſæ publicæ quàm mei rationem majorem ducite. Denique veſtrum nunc eſt, exemplum prodere, quam proba poſteritas admiretur, imiteturque. Sic animatum exercitum Farmſumum duxit ſecundùm oram, & quaſi caſtra illic habiturus, ac ſpeculaturus hoſtium res, aggere levi vicum præſepſit, ne repentinis eruptionibus præſidii Delfſilani pateret. Sed vix biduum ibi moratus, complanatis intereà incilibus ad aperiendam viam, die XIV Calēd. Iulii primâ luce ſignis canere juſſis Dammonam contendit cum omnibus copiis & apparatu, eo animo, ut aut oppido commeatum & militem, & quæ alia neceſſaria, inferret, aut ſi in itinere ſe obiiceret hoſtis, cum eo dimicaret. Quorum poſterius accidit. Nam Groningani cùm de itinere ejus cognoviſſent, per pontem levi opere amni jam antè impoſitum infra Dammonam è regione Solwerdiæ, conjungendis illîc binis caſtris, quæ amne dirimebantur, contemptâ ruſticorum turbâ, & militum paucitate, ut vel oppido adventantem excluderent, vel patentibus in campis illic cum eo confligerēt, primùm omnes ſtipendiarios milites, deîn ſclopetarios urbanos, demùm ruſticæ plebis magnam multitudinem miſere in occurſum. Intereà ipſe Lucuverdicâ viâ ducens in acies tres univerſo exercitu diviſo ſic inceſſit, ut, quâ abundabat, bonam tormentorum majorum minorumque copiam ſingulas antè aceis diſpoſitam haberet: ſimul hoc ſtudium ei fuit, ut adverſo ſole, ventoque, qui ab Eoo flabat, invitum quoq; hoſtem ſecum pugnare cogeret. Id verò aſſecutus tandem, fælici jactu tormentorum vehementer primùm hoſtes conteruit. Mox impetu dato, vento, fumo, pulvere adjutus, ipſe antè alios conſpicuus, voce exemploque ad virtutem ſuos ciens, cum globo fortiſſimorum equitum in adverſos fertur, ſecutaq; tota acies tantâ vi pugnavit ſclopetis, contis, gladiis, ut promptiſſimis quibuſque hoſtium ſtratis, cæteri fuſi, fugatique, abjectis armis, pedum pernicitate ſibi conſulerent. Fugientium major pars pontem, de quo dixi, petiit: in quem cùm, timore incitante, à perſequentibus preſſi magno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.D.I. ſimul numero ingruerent, ſeque mutuò impellerent, ipſe pons ponderi cedens concidit. Ea ruinâ ingens multitudo involuta ſuffocataque undis periit. Multi etiam in eundem ſe amnem inferentes, dum gladios fugiunt, ſimili fato abſumpti. Multi perſequentium cædentiumque tel s confecti. Cæteri, qui cis amnem deprehenſi, vivi in poteſtatem venêre. Pauci, qui pontem primi tranſ-jerant, nonnulli etiam natatu, vadóve flumen ſuperantes evaſerunt. Eodem tempore qui Dammonæ erant in præſidio, cum oppidanis juncti, visâ victoriâ, de vallo proiicientes ſe (porta enim oppilata ea parte) foſſam ſuperant, in Groningenſium caſtra eo latere locata, in quibus flos penè juventutis urbanæ, & ipſe conſul Conradus Coenderus vexillum reip. curans erat, impetum dant, ac pugnam in ſtativis miſcent. Simul Edſardus recenti cæde calens cum expeditiſſimis & fortiſſimis per Eoam portam in oppidum pervolat, reliquisque ſubſequi juſſis, ſimili celeritate per averſum ſe oppidi latus in hoſtes eiiciens eôdem advenit. Tùm verò acrior pugna fieri, mox omnes adeſſe Edſardici, Groningani multi cadere, premi, denique in fugam verti, horum tergis inhærere victores, cædes & prædas facere Poſtam uſque medio inter Dammonam & Groningam itinere. Nihil fœdius & fuſius iſtâ fugâ. Diſpalati lato ſpatio non antè timorem poſuêre, quàm ad portas penè urbis veniſſent. Inter fugientes ipſe conſul, reip. vexillifer, vexillo amiſſo. Capta ingens omnium ordinum turba. Interempti è nobilitate urbanâ Albertus Iargæus, Hermannus Iargæus, Goſenus Scafferus, Ioannes Mepſchius, omnes conſulum filii, & hic quoque jam ſenator, vir inſigniter locuples: & præter hos Otto Grellius Senatorius, multique eo ordine digni, in civibus conſpicui. Cæteri cives, & ex ruſticâ plebe ſpectati CCL, milites CCCC. Vilium ex agro, & calonum multò major numerus, ſed in annalibus optimis non expreſſus, Grimerſhemius ſolus ad ter mille in univerſum cecidiſſe diverſis caſibus memorat. Vexilla à victoribus relata XI, & in his conſulis Coenderi, omnia Emdam in triumphum miſſa, & in fano majore à ſummis laquearibus victoriæ trophæum ſuſpenſa. Tormenta etiam hoſtilia, ſi Tranſlavicanis ſcriptoribus credendum, intercepta. Strages corporum nudorum relicta campis, dum ſuos quique ad ſepulturam quærunt, toto ferè octiduo miſerabile ſpectaculum vicinis fuit. Nec pauci in his canibus corvisque eſca facti. Hâc clade acceptâ ingens in urbe luctus & conſternatio erat, ac magna conſilii perplexitas. Vt quiſque bellum magis ſuaſerat, ita nunc magis jacebat: qui pacis tuendæ ex formâ Thoreniâ autores fuerant, in cæteros invehebantur: Thoreniam pactionem omnes inanibus jam votis optabant. Denique à fortunâ icti cum Phrygibus ſapiebant ſerò. Poſtremò ad Vltrajectinum unicum confugium ſuum litteras dabant miſeriæ hujuſce nuncias, in lamentationes & preces effuſas, conſilium auxiliumque implorantes. At Edſardus victoriæ perſequendæ intentus Mudanum caſtellum ad Fivelam amnem munitum à Groninganis tentavit: rejectus à præſidio, per Sibonem Hoiconium Orthanum & Otthonem Papium Lenganum præfectos Geroldeſveræ poſitis caſtris obſedit, ipſe Lopperſhemi cum delectâ & validâ manu, loco commodo, penè in agri ejus medio, comprimendis rebus novis hoſtium, caſtra habuit, & in fidem proximos quoſque ejus viciniæ adegit. Intereà Otto Papius, ut eſt in annalibus noſtris traditum, verſuti vir ingenii, dolium oblongum ejus generis in quo butyrum conficitur, è vicino cœnobio ſumptum rotis imponit tormenti inſtar, & ſubjunctis jumentis in conſpectum præſidii Mudani trahi curat, cætera agit, ut tormentum eſſe dolium videretur. Quapropter perterriti præſidiarii, cùm dirigi contra ſe tantam machinam, cui parem caſtelli firmitatem non putarent, reliquaque oppugnando caſtello parari cernerent, cum præfecto ſuo Pileario è civibus Groninganis, homine ante pericula feroci, Papio ſe tradiderunt. Is Pilearium irriſum à ſe domum porrò deridendum, bello ineptum, miſit. His omnibus rebus ex proximo cognitis Hugo Leiſnicenſis, qui Tranſlavi-

canis præerat,totoque animo in eventum fuerat intentus,occaſione uſurus,no- M. D. I.
bilitatem ejus oræ Saxonibus fidam, & militum præfectos quàm celerrimè ſibi
jubet adeſſe. Per hos de conſilio ſuo edoctos militem,quem in totâ regione ha-
bebat, & quintum quemq; virum ex Oſtergoâ, Weſtergoâ, Sevenwoldiis pro-
però evocat: reliqua ſimul parat: omnia ſummâ feſtinatione mandat admini-
ſtrari. Eo rumore inopino perculſi denuò Groningani, monitique ab amicis le-
gatos è Senatu ad ipſum mittunt ſine morâ; quærunt, quæ cauſa armorum ſit,
quid civitatem poſcat? Ad quæ ille,homagii, inquit, jusjurandum, principibus
meis Saxoniæ Ducibus jurari volo, meque cum præſidio, quanto opus contra
vim ac motus civiles,in urbem intromitti,portam turrimve pro arce tradi,tor-
menta,cum omni inſtrumento & apparatu bellico meæ poteſtati permitti,ob-
ſides præcipuos quoſq; quatuor aut quinque dari,agri curam à civitate dimitti.
Quo cum reſponſo dimiſſis legatis mox agmen primum præcedere in Huneſ-
gonios præcipit:ipſe ſtatim cum cæteris ſequitur:caſtraq; Adoardiæ in cœnobio
ponit. Illîc litteras à civitate cùm accepiſſet, recuſante poſtulata, & ad epiſco-
pum principem ſuum atq; alios à partibus alienos provocante; reſpondiſſetq;,
quod còmmodum pro tempore videbatur,communicatâ cum Edſardo re, qui
Winſumum intereà cum exercitu venerat,locũ condendo caſtello ad premen-
dam urbẽ inſigniter idoneum cepit ad clauſtrum emiſſarii Adoardii in Huneſi
ripâ,ſitu commodiſſimo. Hoc verò agentem Henricus Suevus adit à civitate ro-
gatus,de quo dictũ antè pluries, moratus hactenus Groningæ,multaque, uti in
mãdatis acceperat ex aulâ diſcedens, de conditionibus cum domo Burgundicâ
ineundis molitus. Is memorat,legatũ ſe Philippi Groningam veniſſe,multa cum
civitate egiſſe,imò & tranſegiſſe: rogare, uti civitati in fidem Principis receptæ
vim non faciat. At Hugo homini fidẽ non habens,re per celerem nunciũ relatâ
ad Philippum, nihilò ſecius progreſſus in cœpto fuit. Ità conjunctâ utriuſq; ex-
ercitus operâ,ſimul adactis ad laborem Middachiis, Langowoldiis, Fredewol-
diis,Hummerziis, latiſſimus & altiſſimus agger rari ad id tempus exempli exci-
tatus, foſſaque ad pedem aggeris pari modo depreſſâ, opus omne ſingulari
induſtriâ properatum, in quadrum clauſum, firmitudinis eximiæ. Huic operi
pons & validæ compagis & raræ latitudinis additus, Huneſo flumini impoſitus
ad expeditos tranſitus. Eo facto, agri totius habitatores vicatim vocati ad pen-
dendum tributum; exactique viceni, triceni, quinquageni aurei Rhenani
pro vicorum modo: id cis Huneſum Edſardo, ultra eum Hugoni ſolutum.
Hogekerkij & Legekerdij cenſum recuſantes incendiis afflicti, ſeneſcente Iu-
lio. Simul à Philippo Hugoni renunciatum, (en exemplum vanitatis aulicæ ſive
in Henrico, legato, ſive in cæteris, qui aulam regebant) vanum legatum, om-
nia ab eo præter mandatum facta. Ità aucto apud hos ſtudio, Groninganis res
in arctum redacta, excurſiones aſſiduæ factæ ad ipſa uſque urbis mœnia, pecuſ-
que omne abactum: molæ in urbis latere Boreo,demptis tribus igne abſumptæ
noctu: mox creſcente audaciâ ſacella etiam tria eodem loci mediâ luce flam-
mis data. Indè exercitus bona pars die Iulij penultimo Adoardiâ emiſſa cùm in
cœnobium Eſſenum & Helpenam vicum veniſſet, per tenebras noctis ad ur-
bem ſilentio progreſſi molas ſimiliter eo latere,& quæ illîc erant ædificia om-
nia exurunt: deîn primâ luce patibulum è ſaxo Benthemio ſtructum,ob ſuſpen-
ſum militem Dammonæ natum,fœdo facinore ſubruunt,conjectoque ſuſpenſi
corpore in puteum ejus loci, in caſtra Adoardiam ſe recipiunt. Eo quoq; tem-
pore Harenæ turris à xxx Saxonibus occupata ad infeſtandam viam Groninga-
nis tritam: Iiique miſſu Groningenſium oppugnati acriter,cùm ſuperari ratione
aliâ haud poſſent, conjectu ignis in fanum turrimque ad deditionem coacti,
dediti in cuſtodiam ab urbe tracti. Quæ dum aguntur in his locis, Comes Ol-
denburgicus Ioannes, & præſul Bremenſis Chriſtophorus Brunſuigius conſpi-
rant in Stadlandos & Butiadas, quos ægris oculis videbant ſub imperio Edſardi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. I. eſſe:ei rei hoc tempus idoneum putant,quo Edſardus abſens alieno in ſolo bello diſtinebatur. A præſule concitatus parens Henricus Brunſuigius Dux (ut ait Cranzius) ope ac ſtudio complurium Principum cognatorum Henrici Luneb. Magni Megalb. Bugiſlai Pomerani, N. Haſſi, Erici quoque fratris magnas copias corrogat pedeſtres equeſtreſque: Erat is ingenio,corpore,opibus princeps validus, animi vaſti & inquieti, armorum cupidus æquè ac gnarus, qui totam eam oram Germaniæ aliquot annis bello Hildeſhemenſi primùm, deindè Brunſuicenſi turbaverat,& Brunſuicum urbem redegerat in ordinem:denique indomitus pullus Martis cunctis in viciniâ terrori diù fuerat. Itaque dùm colligit corrogatque has copias, dùm bellum inſtruit, univerſos fere ſollicitos habuit. Aſt ubi ſe in diœceſin flexit Bremenſem, ut ab aliis pleriſque timor demptus, qui ad orientem auſtrúmve ab ditione ejus ſunt, ita in Hadelerios, Wurſtos, Butiadas jam antè arrectos, præcipuè verſus. Quapropter hi quoque impenſius ſe contrà parare,præſidia circà fines diſponere,munitiones reficere,imprimis à Transjadanis hæc agi ob Oldenburgium, quem in armis quoque eſſe, & auxilia conquirere audiebant. Denique omnibus inſtructis conjunctiſque, ingens confectus exercitus. Siquidem Henricianis additæ Bremenſis diœceſeos integræ vires,& Oldenburgio ab ſororiis Edone Ieverano & Herone Ienſi auxilia miſſa. Belli auſpicia Henrico data, quem comitatus frater Ericus gloriæ avidus. Igitur ad Septembris initium Stadlandos ingreſſi, agrum hunc omnem ſine diſcrimine occupant, præſidia ſubmovent, prædâ ſe ſatiant: indè in Transjadanos ituri: fiduciâ pleni, velut compertâ victoriâ in munitiones eorum incurrunt in finium aditu,invadunt ſummâ vi,ſed conatu vano. Nam qui in præſidio erant,aditusque tutabantur, magnis animis, magnis viribus pro patriâ, pro libertate, pro fortunis fortiſſimè reſiſtebant, & ſtrages ingruentium dabant,& quamquam caderent quoque ipſi frequentes,tamen nec animos ponebant, & majora quàm acciperent incommoda hoſti inferebant. Simul & aër pluvius incommodiſſimus oppugnantibus omnia his impedita faciens ob naturam ſoli,ingruebat per autumnum, & fama de Edſardo advolabat cum auxiliis adventante.Is enim de fortunâ ſuorum certior factus, conſtitutâ in caſtris re cum Hugone, cum manu validâ DC militum Amaſum trajecerat, & armatis è ditione ſuâ promptiſſimis in procinctu jam erat, ut ſuis ſuccurreret, & Oldenburgios fines infeſtaret. Ità animus Iadanis additus. Brunſuigius verò fremens & æſtuans, cum ſine ſpe ſe niti videret, cælo ſoloque iratus conſilium receptus cêpit,ſtomachans ſecum, quòd cui militaris pubes ubique ceſſerat, & acerrima bello civitas Brunſuigum ſeſe ſubmiſerat, à ruſticâ gente ſuperaretur. Itaque fano Golzwerdio in Stadlandis munito, infeſtandæ viciniæ causâ, & ut inſtrumentum belli futurum eſſet, primus ipſe copias ſuas reduxit: deindè Bremenſes & Oldenburgici quoque ſe recepêre. Nec multò pòſt fanum undequaque preſſum,diffugiente præſidio, ad populum rediit. Hanc abſentiam curaſque Edſardi ſpeculati Groningani,factâ manu ex milite, civibus, ruſticis,per Weſterwoldios,in agrum ejus invaſerunt, obviiſq; ex itinere feſtino hîc illîc direptis,Bundam in orâ Dullarti vicum celebrem & magnum invaſerunt,direptumq; & malè mulctatum incendio univerſum dederunt:ipſi quoque fano, quod peramplum & illuſtre eo in loco eſt, oppidanis ſimili flammas injecêre.tanta acerbitas animorum in ulciſcendis injuriis fuit. Progreſſuri longiùs,cùm audirent, cogi manus, Edſardumq; ipſum adfore, recepêre ſe, ſpoliis & prædâ graves.Trecentis plures boves & vaccas, equorum magnam vim, minoris pecoris infinitam multitudinem abegiſſe, & Groningam compuliſſe feruntur.Res die XII Calend Octobr.geſta. At Vltrajectinus novis querelis Groningenſium exſuſcitatus, deque omnibus actis factus certior, tandem rursùs ſe partibus interpoſuit,& quietem ab armis primùm,deindè colloquium tollendo toto bello confecit in cœnobio Aſſeno XII paſſuum millib.ſupra Groningam in

Drentiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Drentiæ agro: Illîc variè & prolixè res agitata: tandem ſummâ contentione M.D.I.
ſtudioque epiſcopi atque ordinum diœceſeos ipſius, qui frequentes aderant,
conſenſum rursùs in pacta prioris anni, mutatis ſolùm capitibus tribus. Nam
*pro Thorenio ſequeſter declaratus præſul ipſe: idemq́ judex totius cauſæ pro Cameralibus
conſtitutus: intereà verò, pendente adhuc lite, loca munita, quæ Thorenius cuſtodire de-
buerat, Dammonam, Oterdumæum, Caſtellum Silanum, & id quod recens ad Hune-
ſum extructum, manerent in poteſtate Saxonum: Sed addita pactioni conditio, ſi place-
ret Alberti filijs. Itaque ejus exquirendi causâ induciæ factæ dierum* LXXIII, *quarum
exitus eſſet in proximam brumam. Quòd ſi res à Principibus non probaretur, induciæ
tamen in brumam eſſent ratæ.* Sic bona pars militum à ſignis dimiſſa ab Hugone.
CCCC cum ipſo in Friſiam Occiduam reverſi: cæteri in caſtello novo ad Hu-
neſum relicti. A Groninganis quoque miles exautoratus, iſque cum Saxoni-
cis dimiſſis per Drentiam profectus. Res ad Principes ſtatim relata: intereà
dùm expectatur reſponſum, induciæ, quanquàm non ſine querelis alternis cul-
tæ, commerciaq; reſtituta, civitas in poſſeſſione prætoriæ poteſtatis in agri or-
dines ex formulâ fœderum ac moris veteris relicta; nec quicquam ferè, allato à
Principibus reſponſo, proximis menſibus mutatũ. Reſponſi ſumma fuit, Dreſdæ
à Georgio ſcripti: *ſine Regis voluntate pactis aſſentiri ſibi non licere: quòd ſi antè exi-
tum induciarum cognoſci voluntas hujus, aut conſenſus confici non queat, placere ut in-
duciæ eædem in finem Februarij proximè ſecuturi, aut longiùs quoque ad* VI *Calend. April.
prorogentur.* Eo autumno Douuo Galæus Accrumanus exul fiſus commeatus
litteris redierat in patriam, ut cum Hugone tranſigeret. Sed non memor tem-
poris, quod commeatui datum, hæſit inter ſuos diutiùs, re cum Hugone non
confectâ, & Snecæ è lecto abreptus, pertractuſque Franekeram in carcerem
datus eſt. Et cùm nobilitas frequens interceſſionem pararet, gubernator nega-
re veritus, quod concedere augendæ licentiæ eſſe putabat, poſtridiè Non.
Octobr. antè lucem gladio percuti eum in arce Siardeâ juſſit, conſiliumq́ue in-
terceſſorum accelerato ſupplicio eluſit. Obiit eo anno in regione Amaſânâ
primæ nobilitatis vir Gerlacus Beninga, parens Egerici ſcriptoris annalium,
menſe Ianuario, Grimerſhemi conditus. Tunc quoque ædificium novum in
arce Orthanâ Edſardi juſſu cœptum, Sibone præfecto. Primis anni novi diebus, M.D.II.
durante armorum quiete, nullo dum de voluntate Regis allato indicio, Hugo
Leiſnicenſis valetudinis causâ in Hollandiam profectus fuerat, provinciamque
Guilhelmo Truchſeſio Walburgio Franekeræ præfecto, Gunthero Bunavio,
equiti aurato, Caſparo Zieglero viris ſummis, caſtellum verò ad Huneſum flu-
men Nicolao Vlmenſi, & Hanſio Lelinio hominibus militaribus commenda-
verat. Eo in Friſiam reverſo, incertâ adhuc de voluntate Regis re, de novo col-
loquio componendæ inter Groninganos & Saxones controverſiæ ſeriò rursùs
laboratum. Princeps ejus rei cum Vltrajectino Vlferdus fuit, præpoſitus quon-
dam apud Lopperſhemios, inimiciſſimus civitati, in quâ erat natus, verè peſtis
ac fax patriæ, cùm exul eſſet, apud Collumanos ſacerdotio ornatus, permagnâ
apud Saxonas gratiâ, & in conſiliis penè primus. Is velut pœnitens priorum,
& ac ſi amor patriæ rediſſet, oſtendit Saxonibus, firmiora eſſe pactione quàm
judicio definita: ad hæc ingenium, mores, jus populi poſuit ob oculos, pru-
dentiæq́; admonuit, denique induciis in Paſchatos primum, deîn in III Iduum
Iulii productis, diem & locum obtinuit colloquio. Dies Saltzæ primùm, pòſt
Lipſiæ dictus in Miſniâ ad Pentecoſten. In eam legationem deſignati à civi-
tate Guilhelmus Fridericus ſummus ſacerdos, Ioannes Scafferus, Conradus
Conderus conſules, Gelmarus Canterus ſenator à ſecretis reipubl. doctiſſi-
mus & facundiſſimus ſæculi ejus inter ſuos. Sed ardua deliberatio in civitate
de conditionibus tranſactionis, de mandatis, de poteſtate legatis dandâ, fer-
ventiſſimis quibuſq; acerrimas ſententias dicentibus, cæteris cenſentibus mo-
deratiùs. Simul ad Vltrajectinum relata omnia, ejuſque voluntas & conſilium

M. D. II. quæſitum. A quo cùm reſponſum eſſet Duroſtati, ubi tùm erat, haud diſplicere ſibi rem, modò ne quid in fraudem fiat diœceſeos ſuæ, ſuâ mente rectè facturos, ſi nîl ſtatuerent inconſulto ipſo, & ordinibus ipſius, ſed ipſorum deliberationi & conſilio integra reliquerint omnia, tùm ſtatim de mandatis conſtitutum, legatique ſine mora domo profecti. Qui cùm Lipſiam veniſſent, invenêre illîc, cum principibus Vlferdum, paucoſque è Friſiâ alios, & qui principibus ſolent eſſe à conſiliis, in quibus Pflugius quoque rerum Friſiæ gnarus. Ibi multa pro causâ utrinque, ſed ſine acerbitate, autore imprimis Vlferdo, qui vehementiam tùm averſabatur. Demùm ut controverſiæ finis fiat, in hæc ſe capita deſcendere paratos oſtendunt legati. *Primùm, ut Principes, quod habent, haberéve ſe putant, jus in agrum Amaſo & Lavicâ comprehenſum, id aſſentiente Rege & ordinibus Germaniæ tradant Groninganis: ſinantq́; hos, & jus dicere omni agro more & modo ſolito, & totam gubernationem tenere: hi viciſſim hoc nomine pecuniam dent principibus, deq́; eâ cum ordinibus agrarijs, autoribus iiſdem, conſtituant; quam ſi placuerit annuis penſionibus potiùs quàm penſione unâ expediri, ejus pendendæ finis ſit imperij Friſiæ in Burgundum tranſlatio. His aſſentientes exules omnes in patriam redeant, reſtituanturq́; in integrum, jure & more patrio utantur, fruantur. Munita loca per agrum ſtatim tradantur civitati: ea de his, quod expedire provinciæ videbitur, ſtatuat.* Addit Guilhelmus & æquitatem rei, & Principum commoda. Contrà Saxones, ſi pacem civitas velit, in alias leges eundum oſtendunt. Has ita explicant. *Terni ex nobilitate agraria, totidem ex civitate agrum regunto Principum nomine: Omnes, qui in agro habitant, coacti in unum jusjurandum danto principibus & VI rectoribus parento: ipſa quoque civitas jurato principibus iiſdem velut Gubernatoribus Friſiæ ac legatis Imperij. In omnibus cauſis ex agro toto ad Principes, aut qui eorum vicem geret in Friſia, provocatio eſto. VI rectores rationem ineunto conficiundæ ex agro pecuniæ pro Principibus ad XV aureorum Rhenenſium millia. Auxilia omnes præſtanto Principibus contra quoſvis hoſtes externos, internóſve, & cunctos, qui parére adhuc recuſant in regione à Rege his aſſignatâ. Groningani ſoli L aureorum M conficiunto & ſolvunto, redimendo ab Edſardo agro: atque inſuper eidem Comiti pendunto, quod debent: judicium litis cum nobilitate de injurijs damniſq́; permittitor principibus: Dammona non tenetor in tabernis uti cerviſiâ Groninganâ, ut cætera agri loca: Denique munitiones quæ in agro ſunt, in Principum poteſtate permanento: Ita pax eſto, & litium finis.* Quæ cùm audiſſent legati, ſtupere, vix loqui contrà, id tantùm præ ſe ferre, inexpectata, alieniſſima à re, intolerabilia, ne locum quidem agendi relinquere, ideóque mœſti diſceſſui ſe parare. Sed Vlferdus, & qui in aulà moderatioribus animis erant, monere Principes, extrema & verè plus quàm gravia ne urgeant, nec excelſos ac liberos animos in deſperata adigant conſilia: difficile bellum, ſumptuoſum dubium oſtendere, nec eſſe tam deploratam civitatis fortunam, ut movere ſeſe, & pericula, labores, ſumptus longos facere hoſtibus non poſſit: nec Saxonicas res in Friſiâ adhuc firmas, & extra aleæ eſſe ſortem: multa etiam nunc vulnera in confectâ provinciæ parte hærere, multa ad integram conficiendam, ut ea à Rege aſſignata, agenda, multa ſuperanda reſtare: ad omnia hæc nihil utilius, quàm amicam conjunctamq́ue civitatem hanc habere, arcem belli in hoſtes, metum malis, firmamentum bonis: denique nihil tam arduum in Friſiâ, quod hujus civitatis ſocietate ac fide Saxonibus non queat ſuperari: ominari nolle, ſed tamen, ut omnia belli dubia, ſi quid in armis acciderit adverſi, quàm facilè id animorum poſſe dare converſionem, in populo præſertim libero, & non libenter conditionem parendi ferente? Et ſi nihil tale, impendia tamen ſupra commoda fore; & in ipsâ fa l ciſſimâ belli fortunâ proventura, quibus plus doleas quàm gaudeas. Nam tua, in victoriâ hujuſmodi, nõ aliena afflixeris, & miſerã acceperis provinciã, quàm pactione honeſtâ ſalvã ac incolumem habere liceat, Et ſi quod è bello lucrum ſit, id nõ Principum, ſed barbarorum improborumq; militum eſſe. Eſſe „ verò Principum bonorum, ſuorum commoda tueri, provinciamq́ue à Deo ac Rege

Rege acceptam non minùs quàm familiam ſuam curare. Sic flexis Principum animis reductâ ad colloquium re, multis iterùm diſputatis, tandem in hanc ſententiam, non tam tollendæ controverſiæ, quàm bello differendo, facta conſenſio die III Calend. Iunii. *Permittant Principes fœdera pactaq́; civitati & agrarijs rata eſſe in quadriennium; eaq́; ipſi ipſorúmve ſocij non impediant: ea propter octo millia auri Rhenenſis annua recipiant: Dammona, caſtellum Delfſilanum, item novum in ripâ Huneſi maneant in poteſtate eorundem: ſed munitiones horum, ut & urbis Groningæ, non augeantur ab eo die uſque in Calend. Septembr. nec novæ munitiones aliæ in agro intereà extruantur: nulla vis aut injuria ex oppido Dammonâ aut caſtello Huneſano, civitati agróve inferatur: hoc quadriennio Principes contra quoſvis hoſtes, excepto Philippo Burgundo in omnibus cauſis judicio arbitrióve eorum ſubmiſſis, civitatem agrumq́; non ſecùs ac cæteras Friſiæ parentis regiones tueantur. Civitas viciſſim & agrarij in omnes Friſiam appetentes, aut turbare conantes auxilio Principibus ſint, contumaceſq́; obſequium induere cogant pro viribus: Cum Edſardo etiam Principes agant, ut de commodatâ pecuniâ* XXV *millia aureorum Rhenenſium, pro quâ agri partem in pignus tenet, aliquot penſionibus in annos plures ſatis fieri ſibi patiatur. Quod ſi conficient, eam quoque partem reliquo agro conjunctam relinquant, pecuniam verò hanc civitas cum agro Comiti ſolvat. Ad litem quod attinet, quam cum Edſardo, item cum viris nobilibus civitas habet, operam dent Principes, ut & comes & nobilitas eam Hugoni Leiſnicenſi, & antiſtitum uni ex agro eodem per Hugonem delecto ſubmittant. Hæc capita pars utraque Saxones & Groningani expendenda ſumant, uſque in Septembris finem: intereà Hugo alijq́; à Saxonum parte, & delecti Groningenſium loco idoneo coëant, Calend. Septembr. qui ut de capitibus ſtatuturi ſunt, ità firma rataq́; ea teneantur. Et ſi alijs quoque de medijs pactíſve colloqui volent, hujus quoque rei eo in conventu habeant poteſtatem. Quòd ſi verò nec de hiſce ipſis, nec de novis aliis poterunt convenire, hoc decretum pro nullo ſit, parteſq́; eo loco ſint poſt exitum induciarum, quo erant ante hanc actionem: induciæ pari modo, ut initæ nuper ſunt, duraturæ ad* XIII *Iulij, ità in finem uſque Septembris continuentur.* Hæc verò ad populum relata, legatis domum reverſis, indignatione penè omnium animos complerunt. Locus tamen colloquio ex formulâ deſignatus in ripâ Huneſi propè caſtellum novum; venitque eò cum ſuis ipſe Hugo, & qui à Groninganis Lipſiæ fuerant: Sed conſenſus iniri illic non potuit, quippè cùm de conditionibus hujuſmodi ne audire quidem civitas ſuſtineret. In hac actione mirificum rursùm ſtudium Vlferdi fuit, ut nunc, quantum antè turbandis rebus incubuerat, tantum componendis rursùm laborare videretur. Poſt multam vehementemque actionem tandem à Groninganis ſcriptæ conditiones, quas ultra non procedere decreverant, exoratique Saxones polliciti ſunt, ad Principes ſe eas relaturos. Quas quia ad hiſtoriam faciunt, hoc etiam loco aſſcribo. *Primùm fœdera civitatis agriq́; valeant ad annos* XII: *his cohæreant conditiones hæ; Munitiones cæteræ omnes in agro ſine morâ, Dammona & caſtellum novum ad Huneſum intrà annum ab admiſſâ pactione civitati tradantur: Durante pactione hac, civitas ex agri portorijs, vectigalibus, ſimilibuſq́; proventibus iſtîc in hunc finem inſtituendis, pendant Principibus* IV *mill. & D. aureos Rhenanos quotannis: Principes viciſſim contra omnium omnem vim civitatem agrumq́; tueantur, excepto Philippo Burgundo, auxilioq́; ſint contra eos, qui vectigalibus novis opponere ſe, & quoquo modo obſequium negare, aut ſeditionibus turbare remp. volent: ijdem opem mutuam à civitate & agro expectent in omnes, qui Tranſlavicanos movebunt impetentve ſine cauſa juſta, excepto eodem Burgundo,* XV *millia, quæ Edſardo à Principibus debentur, annuis penſionibus ex agri proventu à civitate ſolvantur intrà annos hos* XII, *cautioq́; fidei hujus ſervandæ præſtetur ex æquo & bono & à civitate & Principibus. Munita loca ut tradita civitati à Saxonibus, ità poſt elapſos annos* XII, *niſi intereà aliter convenerit, Principibus aut hæredibus eorum reſtituantur ſine dolo malo. Inter Edſardum viroſq́; nobiles, ac civitatem controverſiæ ſubmittantur legitimo judicio, aut arbitrio amico duorum antiſtitum, utraque à parte Electorum, qui ſi conſentire*

M. D. II. *in ferenda ſententia nequeant, Comes Benthemius diſſenſionem eorum dirimat. Quòd ſi inter annos* XII *Philippum Burgundum contigerit redimere à Saxonibus Friſiam Tranſlavicanam, Groningani quoque ab omni hoc contractu ſint liberi. Poſtremò ut Principibus ita civitati quoque maneant integra jura omnia, quæ iÿ ex diplomatis, hæc ex poſſeſſione omni hominum memoriâ antiquiore habent, aut habere ſe rentur, in uſum judiciÿ, nec hac pactione, quicquam iÿs decedat.* Cum his in Miſniam ad Principes remiſſus Vlferdus ſtudio pacis ultrò ſe offerens, ſed operam ludens. Nec enim ea ad palatum Principum juventute calentium, aſſentatione ſe efferentium, cuncta putantium in Friſiâ infra vires ſuas. Itaque bellare malle, quàm de propoſito ac cupidine ſuâ quicquam remittere; & ſublimiora potiùs, quamquàm incerta ac lubrica, quàm moderata, ſed certa firmaq; ſectari. Quod cùm faciunt, quibus in Friſiâ licuiſſet fælicibus eſſe, omnia illîc tandem perdidêre. Induciæ tamẽ ejuſdem ſolertiâ Vlferdi in diem IV Calend. Mart. anni ſequentis, & hinc longiùs in VII Calend. Maij anni M.D.IV prorogatæ. His durantibus induciis anno M. D. II, Hugo exorbitantem æſtimationem nummorum majorum ad modum legitimum redegit in Friſiâ, aureuſque Rhenanus ab eo à ſtuferis Brabanticis XXX ad XXVIII retractus. Lex quoque lata de ſolutionis modo; ſtatutum ut in ſolvendo ad tempus reſpiceretur cõtractus, quanti ſcilicet ea pecunia, quæ dabatur, tùm fuiſſet. Eodemq; anno, ſeneſcente jam Iulio menſe, intereà dum Philippus Burgundus in Hiſpaniâ agit (eò ſub finem anni prioris per mediam Galliam cum uxore profectus) Cornelium Bergenſem cũ præfectis aliquot Hollandicis Worperius notat in inſulam Scellingam veniſſe caſtelli causâ illic excitandi: Sed Hugonem re cognitâ profectum ab eâ mente eum deduxiſſe, ſecumque Franekeram honoris gratiâ adduxiſſe, tùm Cornelium indè die XXVI Hollandiam repetiviſſe. Scriptum quoque in annalibus reperio, ad diem VII Calend. Novembr. ingens diluvium regiones Friſiæ oppreſſiſſe, ſed ſine magnâ hominum ac pecorum pernicie. Vallum tamen caſtelli Harlingani convulſum aliquot locis. Quam ob cauſam ab Hugone ſubſidium inſtitutum in ſimiles caſus, depreſſis denſâ ſerie muri in modum tignis ac palis, velut promontoriis duobus in pelagus porrectis, excipiendis undis, & vallo protegendo, opus toti oppido perutile. Ab hoc diluvio quod reliquum ejus anni fuit, tam mite cælum habuit, ut æſtati, quàm hyemi ſimilius videretur, & præter temporis rationem omnia germinarent, multa etiam veris inſtar flore pulchro nitêre conſpicerentur. Deindè
M.D.III. quatriduò poſt Ianuarii Calend. anni M. D. III tam aſperum gelu excepit, à levi initio profectum, ut omnia flumina, ſtagna, lacus, paludes, glacie ſtrata & hominibus, jumentis, curribus etiam onuſtis pervia ad extrema uſque hyemis jacerent. Fortè tùm accidit vergente jam Februario, ut illecti aëre ſereno & placido maxima mortalium multitudo, die ſacro, voluptatem ſecuta, ex urbe Emdanâ ſe effuderit in glaciem, quà flumen inter urbem & inſulam Neſſam medium defluit. Quæ cùm læta ludos ageret, & periculorum ſecura neſciret ad oram quid fieret, glacies repentè ſoluta ab terrâ, ſciſſaque, non variata cæli temperie, ſecundo alveo ſenſim cœpit defluere: Conjectaque in ſummum diſcrimen tanta hominum turba eſſet, niſi ſenis conſilio, qui rem animadverterat, nolæ in urbe pulſatæ magnâ vi, & incensâ non procul templo domunculâ vili, flammæ excitatæ ſignando diſcrimini fuiſſet. Ità ad portum, & quò quiſque potuit, ad ripam feſtinarunt: iis vix in terram egreſſis glacies ripis liberata liberiùs flumine ſecundo deſcendit. Res memorabilis poſteritati tradita. Hanc aſperitatem hyemis ſecuta eſt veris ac æſtatis ſiccitas rara: ea ſterilitatem, annonamque difficillimam traxit. Peſtis etiam peratrox ſenſim orta anno ſuperiore, tùm verò omnibus velut viribus deſæviens, per Germaniam, Galliam, vicinaſque gentes ingentem mortalium ſtragem dedit, extinctâ multis locis ampliùs, quàm quartâ eorum parte, peſtemque alia lues penè fœdior in Sueviâ, Bavariâ, omni tractu Rhenano excipiens miſeriam miſeris cumulavit, &

hominum

hominum animos irâ Numinis attonitos habuit. Medio tempore Vlferdus, qui præcipuus in ſcenâ actor fuit iſto triennio, propoſito ſuo inſiſtens, hûc illûc itineribus ſuſceptis, inducias ad IV Calend. Martias exeuntes ad VIII Calend. Iulias inter Groninganos & Saxonas curaverat extendi. Deîn prolixiùs etiam ſe obtulerat civitati, pollicituſque multa de ſtudio ſuo ac ſpe conceptâ, id effecerat, ut legatus ad Georgium Principem in Miſniam paulò antè Pentecoſtes mitteretur. Georgius quippè re cum fratre comparatâ, cui Friſia horrori erat ex memoriâ priore, in ſe ſolum, jus provinciæ hujus verterat. Ad quem Dreſdam cùm veniſſet, non ſolùm induciarum tempus ad Michaëlis uſque protulit, ſed colloquii quoque copiam cum commeatu libero ad tentanda ulteriora impetravit. Sed cùm procul domo principes civitatis mittendum ſenatui populoque non videretur (Saltzæ in Miſniâ locus à Georgio dictus fuerat,) Vlferdus ipſe, cum certis mandatis in Miſniam eſt remiſſus. Illìc Lipſiæ Principe reperto, multa cum eo de causâ locutus, in his *de legato perpetuo Principis, qui vicem ipſius Groningæ gereret, conventibus juridicis uſitatis præſideret, civitati in conficiendâ pecuniâ ex agro in uſum Principis auxilio eſſet, controverſiis componendis inter Edſardum nobilitatemq́ vicinam & civitatem ex formâ priore Lipſiæ conceptâ operam daret, ſtipendium hujus & reliquæ operæ à civitate honeſtum ac liberale haberet*, propoſuit: deindè has ei conditiones detulit: *ut civitas agerq́ in fœdere maneant, inſtitutis ac moribus ſolitis ac priſcis utantur in decennium proximum: ut eo durante decennio civitas unà cum agro ex agri cenſu* XXVIII *illa auri Rhenenſis millia, pro quibus oppignoratam à Principe Saxoniæ præfecturam veterem, aliáſve agri hujus Ciſlavicani partes Edſardus tenet, conficiat & ſolvat, partibuſq́ illis redemptis Edſardus ſtatìm decedat, ac reliquo agro & civitati rursùm conjungi patiatur: ut civitas eadem cum agro, eodem durante decennio ex agri cenſu quotannis numeret Principi Georgio aureorum Rhenenſium millia quatuor: ut viciſſim Princeps civitati demonſtranti hæc pacta ſeriò fideq́ integrâ ſervare ſe velle, atque iſtuc conſilia ſua referre, munitiones per agrum omnes ſub cautione de reſtituendo tradat.* Haud iniqua hæc, aut aliena à Principis rebus, ſi æquum prudentemq́ue cenſorem inveniſſent. Sed Princeps virium fiduciâ tumens, & cupidine cæcutiens, ad hæc à follibus aulicis incitatus in alia omnia ire, nihil audire velle, niſi civitas in fidem & obſequium ſuum jurare, agrumq́ue miſſum facere paratam ſe declaret, in cæteris arbitrio bonorum virorum ſe ſtaturum profiteri: quæ ſi recuſentur, nullas ſe inducias poſt harum exitum, nullam colloquii copiam daturum poſthac, ſed jus ſuum armis aſſerturum. Ità triſtis è Miſniâ diſcedens Vlferdus Caſſellis ex itinere, litteris præmiſſis, de eventu ſenatum præmonet, velut animos in adventum ſuum præparans: mox ipſe ſecutus, expoſitâ latiùs re, & dolore ſuo explicato, cùm videret turbatos in civitate omnes, & indignatione completos, ſibique ab offensâ multitudine metueret, ſedandis animis ſpem rursùs oſtendit: promittit ſe pecuniâ in ſumptus inſtructum à ſenatu ad Principem Georgium reverſurum, & aut æquiores, & civitati tolerabiles conditiones confecturum, aut pecuniam ſenatui redditurum è ſuo. Nec mora, pactus hoc modo, cùm in Miſniam rediiſſet, blandè omnibus in aulâ appellatis, multis peramplâ oſtentatâ ſpe, civitatis animis ſtudio pacis commendatis, Principem ad moderatiora flectere nixus fuit: nihil verò moderatiùs atque æquiùs ſe noſſe oſtendit, quàm ut princeps & civitas quæſtionem totam aut arbitris, aut judicibus è Principum procerúmve numero viris integris minimæq́ue ſuſpectis ſubmittant, dataque ſponſione idoneâ promittant judicum arbitrorúmve ſententiæ ſine morâ ac vitio ſe parituros: polliceantur quoque nec ipſos, nec quenquam ipſorum nomine, munitionem ullam novam toto in agro extructuros, priuſquàm lis finem habuerit: atque his addita quædam grata nobilitati, commodaq́ue Principi. Sed rursùm fruſtrà omnia, perſtante in ſententiâ Georgio. Itaque cùm ampliùs non poſſet, induciarum modò prorogatione in VII uſque Calend.

M.D.iii.

M. D. III. Maij proximè ſequentis impetratâ, triſtior quàm antè Vlferdus, tot moleſtiis
ſuis & ſumptibus perditis, domum rediit. Eo anno Edſardo reconciliatus Vl-
ricus Dornumanus frater Eſenſis Olderſhemum reverſus in fidiſſimis amico-
rum ejus hæredumque manſit. Vix fidem apud me invenit, quod quidam no-
tat, aquilam tricipitem eodem tempore per Friſiæ regiones circumlatam ad-
mirationi ſpectantibus fuiſſe. Cella verò interior fani Snecenſis, quam cho-
rum dicunt, inchoata antè quinquennium, ſed ob difficultatem temporum
hactenus deſerta, nunc in ſublime educta, faſtigioque clauſa: fanum quoque
ipſum editiùs factum. Simul quod invitaret otium, (erat enim ſumma ab ar-
mis quies in totâ Friſiâ) ſtudio Hugonis Tranſlavicani de aggeribus cura ſuſce-
pta: in conventu ſtatutum, *ut Sylveſtres quoque ab hoc onere, quamquàm procul ag-
geribus poſiti, tamen boni publici cauſa, & quia ad eos quoque infuſi fluctus perveni-
unt, non ſint immunes. Deſignati duodecim, quaterni ex ſingulis regionis partibus qui
ſummam poteſtatem regundorum aggerum, canalium, aquæductuum haberent.* Per hos
decretum, *ut Oſtrogoi aggeres ſuos, Sylveſtres cum Weſtrogois, Weſtrogoos tuerentur.*
Rivus quoque limo oppletus hîc illîc, Doccumo Leoardiam rectà porrectus,
purgatus rursùm, & navigabilis factus. Ità navigatio longior per ambages in
Merco amne, qui Reinſmageeſtum attingit, quam neceſſitas invenerat, abo-
lita. Autumni medio comitia Principum Germaniæ habita Francofurti, in
quibus Archiepiſcopi Electores tres, Philipus Palatinus, Ioachimus Brande-
burgicus fuêre, à Frederico Saxone legati miſſi, Principum & ordinum cæte-
rorum magnus numerus. Negotia magno ſilentio tecta. Iam ſub exitum anni
in Belgicum redierat ex Hiſpaniâ Philippus Princeps per Narbonenſes, Allo-
broges, Sequanos, Helvetios ad patrem primùm Oenipontem, deín ſecundo
Rheno Coloniam, atque hinc in Brabantiam magnis itineribus profectus, re-
lictâ in Hiſpaniâ conjuge gravidâ. Is, dubium ſpontè ne ſuâ, an Saxonum ro-
M.D.IV. gatu primis ſtatim anni M. D. IV diebus, miſſitatis hûc illûc legatis, tandem
perſuaſis omnibus componendæ rei Friſicæ diem colloquio apud ſe conſti-
tuit Gandavi circiter Paſchatos. Eo à Groninganis bonâ ſpe plenis (fidebant
enim gratiæ Principis) miſſi cum peramplis mandatis, & ſplendido Comita-
tu Ioannes Scafferus, Ludolphus Hornkenius, Conradus Coenderus reip.
conſules, Gelmarus Canterùs ſenator. Venêre & ab Edſardo legati, & à nobili-
tati civitati inimicâ. Poſtremus adfuit Georgius Saxo ſtipatus equitum agmine
illuſtri atque amplo (CL fuiſſe feruntur omnes ſpecioſo cultu) ac ſatellitum nu-
mero majore quàm pro re, luxu penè regio, ut magnificentiâ certare cum Bur-
gundo potentiſſimo voluiſſe, aut perſtringere animos Groningenſium videa-
tur, Friſiam quippè, ut jam antè oſtendi, quam parens Henrico aſſignaverat, in-
ſtitutâ eum eo permutatione ipſe ſibi comparaverat, atque ita ſublimiùs de ſe,
quàm ſolitus erat, ac de fortunâ ſuâ ſentiebat, fratrem verò contemnebat, qui
timore impeditus memoriâ caſus prioris redire in Friſiam non auderet. Ad
conſeſſum cùm ventum, cui præſidebat ipſe Philippus, propoſitâ conventus
causâ, Pflugius cuſtos ſigilli Saxonis, acerbiſſimâ oratione increpitis Groninga-
nis, & velut victor ad genua jacentibus inſultans, ac leges victis dicens, agrum
eos, & quicquid in Friſiâ haberent, miſſa facere juſſit, urbem Principi ſuo aperi-
re, fidem ei, ut domino & totius Friſiæ rectori perpetuo, jurare, aureorum
Rhenenſium M. XL intra quadriennium penſionibus æquis pro damnis illa-
tis, & belli impendiis ſolvere, poſtremò his viri ſignum ex ſolido auro Alberto
collocandum honoris causâ ſuperaddere: quam ſi faciant paratum principem
ſuum, recipere ipſos in gratiam, nec quicquàm ſtatuere acerbiùs: ſin recuſent,
præter excidium urbis, & cætera victorum rebellium mala ſperare eis nil
poſſe: rem poſcere, ut maturè, dum liceat, conſulant ſaluti ſuæ. Vbi finie-
rat, modeſtè pro Groninganis Canterus civitatem excuſans, jus ejus repe-
tens, atque ob oculos ponens, non eam, ſed Saxonem belli cauſam eſſe,

iniqua, illicita, impoſſibilia eſſe, quæ petantur: unde enim civitati exhauſtæ tantam pecuniarum vim? ubi fidem & jusjurandum Vltrajectinum? quò libertatem tam veterem, tam ſanctam, tot laboribus & periculis hactenus defenſam? tam multis regiis firmatam decretis? quò denique fœderum veterum recentiorumq; ſanctimoniam? Itaque fruſtrà hæc proponi, quæ nec poſci jure à Principe, nec concedi à civitate poſſent, quæque virium ejus modum procùl ſuperent: Rogare, ut æquiùs agere, & non quid valeret, ſed quid fas ſit, expendere velint: haud eſſe conſilia fælicia, quæ libidine potiùs, quàm jure ac ratione reguntur. Quòd ſi infirma civitas, & injuriis oportuna, eſſe tamen in cælis potentem moderantem videntemq; omnia, contumeliæ, injuriæque vindicem: male fidere, qui contrà fas auribus fidit ſuis; nec ſapientem eſſe, qui deſpectui hoſtem habeat, aut bellum quærat, cum pacem æquam habere poſſit. Quod ſi, quæ juſta, ac æqua ſunt, poſcatur civitas, nihil non eam pacis causâ facturam. Oratio gravis viſa commoviſſe Saxonem: quæſitique Groningani, quæ eſſent ea, quæ juſta, æquaq; exiſtimarent, reſponderunt, pecuniæ jacturam civitatem ſubire paratam, & agri nomine clientelam Principis profiteri, feudiq; dominum eum agnoſcere, honorificum illi, æquè ac fructuoſum, & civitati obligandæ firmiſſimum: quod ſi placeat, de pecuniæ agendum modo, ſeu annuam malint, ſeu unâ comprehenſam ſummâ. Tùm jactata de his multa: laudare quidam, ut moderata ac paci apta, alii improbare prorsùs, & vecordiæ arguere: plures medios ſe ferre, haud contemnenda initia, à quibus ad æqua & utriſque commoda queat perveniri. Ipſe Georgius, & circà eum purpurati aulæ, aut tumidi animis, aut gratiæ ſervi, aliena, iniqua arbitrari, eò modo de pecuniâ audire non velle. His frigidam porrò ſuffundere ab Edſardo miſſi, imprimis inimica civitati nobilitas: ambitionem, avaritiam, fraudes ſenatus & civium aſperis verbis arguere: Id eo maximè fine facere, quod per ambages Edſardum collocare in poſſeſſione imperii iſtius, ſubmoto Saxone, concupiſcerent: ad eam verò rem turbatâ ſibi aquâ opus eſſe videbant. Addit Sicco Beninga, Edſardi quoque ipſius conſilia ac deſideria jam tunc iſtûc ſpectaſſe. At diſcrepantibus hoc modo ſententiis tandem Philippus per ſuos ſe interpoſuit Bruxellæ, quò tranſlatum colloquium fuit, formamque propoſuit aliam conſtituendæ concordiæ: cujus capita cætera omnia antè diſceſſum recepta ab utriſque, tria à Groninganis rejecta, cauſæque rejectionis explicatæ in concilio prolixè. Ea de ſacramento diſcendo, de præſidio in urbem recipiendo, de fœdere cum agro ſolvendo, ſpecioſis ac lenibus expoſita verbis, quò minùs offenderent, fuêre. Datum tamen petenti Philippo, ut legati reciperent, domum ſe reverſos ad ſuos hæc eſſe relaturos, & de eorum ſententiâ reſponſuros quamprimùm. Cui rei quies ab armis & vî ab eodem Philippo conciliata ad diem IX Calend. Iunii, qui dies alter erat ante Pentecoſten. Et quia tempus induciarum priorum exiturum erat, priuſquàm legati domum redire, aut hæc per citos curſores in Friſiam perferri poſſent, convênit, ut ſi quid intereà hoſtiliter fieret id reſtitueretur ſine morâ. Sed eſt in hâc re Saxonum fides deſiderata: Nam cùm in itinere adhuc legati eſſent, ſoluto conventu, vixdùm finitis prioribus induciis, nondùm denunciatâ prorogatione, de quâ dixi, Saxones, qui in præſidiis erant, & cum his Tranſlavicanorum multi prædandi ſtudio excurrentes res Groningenſium, imprimis ingentem boum vim tùm primùm in paſcua compulſam diripuêre, homines in vincula traxêre, alia multa more hoſtium fecêre: deîn, cùm quid conveniſſet Bruxellæ, in Friſiam allatum eſſet, quievêre quidem poſt, ſed prædas reſtituere, captosque è vinculis dimittere noluêre: civitas re omni, quæ acta Bruxellæ erat, ex legatis intellectâ, eâque conſilij causâ enunciatâ Vltrajectino, ne expectato quidem ab hoc reſponſo, de capitibus tribus Philippo nunciat, non ſe poſſe in ea deſcendere: & Georgius Saxo, negotiis cum Philippo, ut poterat, conſtitutis, in Friſiam venit, die VI Iduum Maij

M.D.XVI

M.D.IV. ex Hollandiâ Harlingam appellens: ibique honorificentiſſimè à delectis provinciæ exceptus, ac ab aliquot diebus Franekeram profectus ex arce Siardæâ edictum promulgat, quo jubet, ut omnes provinciæ ordines inter Flevum & Lavicam ad diem XIII Calend. Iunii ſibi præſtò ſint eo in oppido. Quibus ad tempus præſtitutum præſentibus Princeps expoſito contractu cum fratre, & quid ſibi cum Burgundo conveniſſet, per hominem ſuum de ſcripto recitat, quas parendi leges velit eſſe. Cætera pleraque moderata: unum maximè inopinum & inſolitum Friſiis, offendit nobilitatem. Poſcebatur quippè, ut qui hujus ordinis eſſent, quæ prædia, villas, agros habebant, in feuda verterent, beneficioque Principis & hæredum tenerent impoſterùm. De quo cùm deliberandi ſpatium petiſſent, Georgius eo permiſſo Franekerâ Leoardiam poſtridiè proficiſcitur, rebusq; cum Hugone comparatis, Franekeram ſtatim, atque inde Harlingam revertitur. Intereà verò ad eum, & ad Groninganos litteræ à Philippo allatæ in Friſiam erant. Is enim accepto à Groningenſibus reſponſo, dolenti ſimilis ipſis Idibus Maiis Brugis oppido Flandriæ ſcripſerat ad utroſque, & hortatus ad pacis conſilia petierat legatos cum mandatis & poteſtate ad ſe remitti tentandæ denuò rei gratiâ, in eumque finem inducias in dies rursùm aliquot extendi. Groninganos etiam ſeorſim rogârat, ut ſi Saxo renueret, ipſi nihilominùs delectos mitterent: nam quòd ad ſe res quoque haud leviter pertineret, ſibi conſtitutum vel ceſſante Saxone cum ipſis agere, & rebus ſuis conſulere. Sed nec Groningani aut ſatis fidere Philippo, aut ſatis tutum iter ſine induciis & Saxonis voluntate in Hollandiam Brabantiámve putare, nec Georgius ad belli conſilia jam verſus, induciarum ampliationi aurem facilè præbere, nec conſultum rebus ſuis ducere, colloquiis inanibus animis civitatis metu nondum ſat debilitatis præparatisq;, tempus gerendæ rei oportunum perdere. Itaque expirantibus induciis Bruxellanis, nequicquam obſiſtente Vltrajectino ac dehortante Burgundo, ad arma pars utraq; rursùm verſa fuit. Leiſnicenſis, uti juſſus à Georgio erat, mox ab abitu ejus militem hînc illînc convocatum, auctumque firmâ manu ruſticâ, Adoardiam partim, partim Collumum miſit, ut finitis induciis eſſet in omnes caſus expeditus. Eodemque tempore ad eum Edſardus venit Leoardiam, paucisque collocutus, ad Georgium Harlingam contendit, nec ibi diù moratus, ſalutato Principe, conſiliis cum eo initis, ad ſuos quantâ potuit celeritate rediit. Simul Adoardiæ qui erant milites, lectiſſimi omnes numero CC, ruſticique CCC, quibus pariter præerat Alexander Leiſnicenſis Hugonis frater, & huic adjuncti è nobilitate Tranſlavicanâ Iemmo Iuveſma, Gerlefus Herweius, Gerbrandus & Tiardus Moccamæ, Botto Branda, Hero Harcama, ut Sicco Beninga tradit, pridiè Pentecoſtes (qui dies erat VIII Calend. Maij) prædandi causâ caſtris egreſſi ad ipſa penè urbis mœnia ſe intulerunt mediâ luce, ibique ædificium longum, coquendis lateribus ſtructum ad Huneſum flumen, ubi id in angulum ſe flectere incipit, incenderunt, ſpectantibus ſed prohibere non auſis oppidanis: ſclopetis tamen certatum in eos à nonnullis ab altero fluminis latere, qui Botteranâ portâ excurrerant, torpentibus qui majore numero impediendis injuriis amnicâ exierant milites pariter & cives. Nec procul obſidione jam Groninga aberat tribus præſidiis, Adoardiano, Huneſano, Dammonenſi cincta, omniaque ei circumcircà erant infeſta, aditus & exitus penè clauſi, negotiatio impedita, præterquam Drentiam verſùs. Nec tamen inertes oppidani, cùm ſua ferri, rapi, uri viderent, ſed ſolutis primùm molarum ſuarum machinis & in urbem tranſlatis incendii metu, excurrere cum militibus ſuis, (habebant ſtipendiis conductos circiter CC) res, pecudes, homines ex hoſtico abducere, multa damna dare, in Stellenwerfios uſque magnâ manu pervadere, aſperitate cum hoſte certare, nonnunquam & ſuperare, in Collumano agro honorem puerperii petulanter violare, inque ipſo cubili puerperæ cædem patrare. Hoſtis contrà, ex Huneſano & Adoardiano præſidio

præſidio

præſidio paria paribus referre, omnibus viis inſidiari, nec oppidanos ſolùm, ſed M. D. I V.
ſuburbanæ quoque præfecturæ homines, Drentinos, qui in fide Vltrajectini erant, in viis ab oppido ducentibus deprehenſos ſpoliare, captivos abripere, Bernardi Conderi domum apud ſuburbanos præfecti, Helpenæ diripere, utrique non ſe mutuò appetere juſtâ vi, ſed cum ruſticis bellum gerere: Edſardus, & que Dammonæ, ſeſe parum commovere, ac propè ſpectatores fabulæ eſſe. At Philippus Princeps in his armorum turbis quietis autor utriſque sursùs eſſe, eosque ad colloquium novum apud ſe per litteras & nuncios invitare, & ſucceſſum polliceri meliorem. Idem verò eodem tempore & Vltrajectinus agebat majore ſtudio, quem non ſolùm cauſa non minùs quàm ullum attingebat, ſed ſcintillæ quoque in diœceſin ſuam tranſvolantes identidèm ex incendio proximo angebant, quique & vicinior, & oportunior rei erat, ac ſimul ab ordinibus ſuis in hoc ſtudium vehementiùs extimulabatur. Atque ab hoc demùm res ad colloquium denuò deducta eſt apud Vollenhoos, ad quod, contrà Truchſeſium & Zieglerum Bernardus Coenderus præfectus ſuburbanus, Petrus Sickinga Hovetmannus, Gelmarus Canterus ſenator à civitate miſſi. Illic cùm & ipſe adeſſet præſul, & graviſſimi quique ex diœceſeos ordinibus, tandem die I I I Iduum Iunii in novas inducias conſenæo rursùm facta, duraturas ad I I I Iduum Novembris. Conditiones his capitibus comprehenſæ: *ut pacatè & amicè inter ſe agerent omnes & factis & urbis: tenerent utrimque, quæ tùm tenebant, eaq́; ſarta tecta ſervarent: munitiones novas toto agro inter Lavicam & Amaſum non inſtituerent: agrarios omnium onerum & tributorum immunes toto induciarum tempore relinquerent: Siboldum Ianconium captivum Groningani ſtatim dimitterent: per has inducias ageretur ſedulò & ſeriò, de plenâ atque integrâ pace.* Tùm ſtatim præſidium Adoardiâ abductum. Inducias cura Saxoni à Germaniâ injecta promovit. Namque diſſidium inter Rupertum Palatinum, & Albertum fratresq́ue ejus Bavaros, de cernendâ hæreditate Georgii Bavari, qui ſocer fuerat Ruperti, ortum nuper, in bellum grave eruperat: gerebaturq́ue in Palatinum, patremq́ue ejus Philippum acerrimum virum auſpiciis Maximiliani Regis, qui totam penè Germaniam in adverſarios à ſe proſcriptos concitaverat. Hanc ob rem videbat Georgius auxiliis eorum, quorum fiduciâ fuerat ferocior, uti ſe hoc tempore non poſſe; eratq́ue etiam ob id, quod cum nobilitate atque ordine ſacro in Friſiâ habebat controverſum, ſollicitus: atque itâ commodiores ſibi inducias quàm bellum exiſtimabat. Nam, iſtuc ut redeat nobis narratio, impetrato ad deliberandum tempore, frequens nobilitas die I X Calend. Iunij, quocum finitæ induciæ erant, Leoardiæ coierat. Iſtic ſententia omnium fuerat, recuſandam eſſe rem & iniquam per ſe, & Friſiis ignotam. Lectique erant ex omni numero quinque, qui cum Principe agerent, Renico Camſtræus, Edo Iongama Oſtergoi, Hero Ockinga, Siveco Eminga, Aſigo Mantegumanus VVeſtergoi. Hi difficilem experti rem, dùm prima tentant, quinque alios ex cæterorum voluntate adſciverant ſibi, Doconem Martenium, Sibetum Sceltumam, Eponem Douvonium Oſtergoos, Eponem Alvam, Habbonem Doconium VVeſtergoos: omnesq́ue plenam poteſtatem ab univerſo ordine acceperant. Hi Harlingæ Principem adierant Nonis Iunij, demonſtrarantq́ue modeſtè, cur aſſentiri non poſſent, deîn preces quoque ſubdiderant. At perſiſtente Principe, & exempla ampliſſimæ nobilitatis Germaniæ adferente, ibi tum hærere illi anxij, habere quæ pro causâ dicerent, ſed offenſæ metu coram Principe expromere non audere, preces modò priores repetere, demùm ſignificare, cupere ſe, copiam colloquii cum proceribus abſente Principe ſibi fieri. Quod cùm datum iis fuiſſet, Mareſcallus aulæ prolixâ oratione aggreſſus eoſdem, commendatâ re honorificâ, & toti Germaniæ aliisq́ue nationibus uſitatâ, expetendâque ultrò, ſi quis vim & commoda ejus rectè intelligat, ſimul deprædicato Principis ingenio benigno, & liberali, recompenſandis

M.D.IV. obſequiis promptiſſimo, rationibus, monitis, hortatu impellere conatus eſt, ut morem Principi gererent. Ad quæ liberè jam & ſine metu Edo longam a omnium nomine: grave ſibi nimis, imò intolerabile eſſe, res à majoribus hominibus liberrimis liberas ac immunes acceptas clientelares facere: Quid enim id ferè aliud, quàm hæredes ſuos patrio jure optimo ac pulcherrimo, virtute majorum per tot ſæcula defenſo conſervatoque defraudare, proque eo hanc iis ſervitutem relinquere, ut quæ propria ipſorum eſſe debebant, hæc à liberalitate Principum expectare mercarive cogantur? Se quidem honorem commodumque rei intelligere non poſſe, ſervitii verò legem haud aptam genti liberæ, aliis fortè antiquitùs aſſuetis convenientem, in eâ intelligere: aliud jus eſſe, alium morem Friſiæ, quàm reliquæ Germaniæ, nec iſtius exemplis premi libertatem hujus, æquum: illîc quod jus, hîc injuriam haberi poſſe, denique quidlibet quàm hoc perpeti malle: fide, obſequio, cultu Principis cum quovis certare ſe paratos, annuum quoque cenſum de ſuo conferre; cætera facere quæ bonorum ſubditorum ſint. Hac oratione Mareſcallus commotus Principem quoque fortunæ dubiæ monitu permovit: gentem quippè metu potiùs quàm caritate parêre; verùm cæteros ſine nobilitate nîl poſſe, nîl audere: quòd ſi nobilitas irritata hoc tempore frenum rurſum momorderit, quàm facilè in ſummam difficultatem conjici univerſam fortunam poſſe? Placuit cenſus modum certum poſcere: poſtulataque redituum annuorum pars viceſima: ab delectis contrà copia referendi ad ſuos petita, ejuſque rei gratiâ conventus totius nobilitatis Leoardiæ indictus. Nec verò hoc proclive, laboratumque diverſis ſententiis, ſæpéque ad Principem, ſæpè ad nobilium concilium res relata, ac tracta in longum: tandem iiſdem delectis data poteſtas agendi tranſigendiq; ab his XXIII^{tia}, dein XXII^{da} oblata Principi, ſed rejecta: Princeps quippè à Groninganis jam ob inducias ſecurus, propoſiti tenax, à naturâ pecuniæ plus ſatis intentus: poſtremò *in* XXI^{mam} *factus conſenſus: expreſſimq; additum, ut intelligeretur* XXI^{ma} *redituum ſoli, & ſemiſſis ejus ad diem* VIII *Calend. Auguſti, reliquum pridiè Idus Novembr. ſolveretur. Ità cunctis oneribus alijs nobilitas eſſet libera in perpetuum: fidem tamen Principi deberet, quam veri clientes debent, & viciſſim commodis aut privilegijs clientum frueretur.* Et in hæc firmandæ fidei causâ litteræ mutuò datæ Leoardiæ. In his demirari libet, Georgium ſic ſcribere auſum, jure quidem licuiſſe ſibi, ex conſuetudine Germaniæ & legibus Cæſareis nobilium familiarum poſſeſſiones omnes immobiles clientelæ ſuæ facere, idq; etiam in animo ſe habuiſſe: attamen precibus multorum, cauſiſq; aliis commotum remiſiſſe, beneficiumq; hoc ſuum augendo eorum obſequio futurum confidere. Quod quanquàm verum non eſſet, non tamẽ audebat contradicere nobilitas. Tantus tùm ex timore in animis etiam primorum ſtupor fuit. Poſt hæc Franekeram vocati antiſtites omnes, intereà dum Princeps Snecæ eſt cum Epiſcopo Vltrajectino, qui ejus viſendi causâ venerat in Friſiam, (id fuit VII Calend. Iulii,) poſtulati tributum ſunt ex agris ſuis, ut reliquus Friſiæ populus. Et quamvis more, pacto, legibus divinis humaniſq; ſe tuerentur, tamen in parte tandem cedere ſunt coacti. Promiſſa vigeſima cenſus ex omnibus agris, excepto ipſo cœnobii cujuſque fundo. His dùm occupatur Georgius, Groningani denuò à Philippo extimulati conſilium cœpêre mittendi legatos ad eum. Miſſi ſunt conſules duo Conradus Coenderus, Ioannes Scafferus, & ſenator Canterus: quibuſcum multa Princeps, non revelanda vulgo. Itaque domum reverſis concilium datum XII virorum delectorum à civitate, ad quos referrent, quæ expediebat inter paucos ſilentio fidos premi, ne quid emanaret ad inimicos, quod turbandis conſiliis poſſet eſſe. Sic factum, cùm non ſuccederet res, ut apud vulgum & poſteros etiam non innotuerit. Interim dimiſſo Vltrajectino, Princeps Saxo omnes agri partes obiit, plebemque in fidem ſuam adegit. Nobilitas quoque ſacramento obligata Leoardiæ die v Calend. Auguſti. Vtriuſque

ſacra-

ſacramenti carmen peracre & longum, quò ſanctiùs ſervaretur. Tùm legum quoque & judiciorum cura ſuſcepta. M. D. I V. Delecti juris ac moris patrii periti, viri doctrinâ valentes, qui ex jure Cæſareo conſcriberent ſtatuta, accommodata provinciæ, maximè ad formam judiciorum pertinentia: hæc legum vim habere, ſecundùm ea jus dici deinceps à Principe juſſum. Rectores etiam V I, loco unius, provinciæ impoſiti, Hugoni munus abrogatum. Rectorum Princeps deſignatus Guilhelmus Truchſeſius; poſt eum Sivertus Luſingius equeſtris ordinis, Heſſelus Martenius, Franciſcus Minnemius è Friſicâ nobilitate, Sigiſmundus Pflugius, Buco Aila jureconſulti. His additus ſenatus V I I virorum juridicundo præfectus, penes quem ſumma judiciorum poteſtas eſſet, in queis ſeptimus è rectorum ordine, ſenatus præſes. Placuitque ut cognoſceret ſenatus hic, non ſolùm lites civiles, ſed crimina quoque capitalia: coiret quotannis quater Leoardiæ, & jus petentibus diceret diebus quaterdenis: appellaretur ab omnibus tribunalibus totâ provinciâ, ſineque exceptione ſententias ferret. In hujus uſum domus ſplendidè extructa è regione arcis eodem in oppido. Menſuræ quoque & pondera ubique æquata, quæ diverſa diverſis partibus fuerant. Poſtremò Billanus ager menſuræ rursùm ſubjectus, locatuſque Hollandis, dicta conducentibus, ut agrum haberent colerentque annos X, eumque aggeribus cingerent, rivos in eo effoderent, aquarum clauſtra conſtituerent: in hæc impendia ſemel à Principe acciperent aureorum Rhenenſium millia quinque: reliqua præſtarent de ſuo, aureum ſcutatum inſuper in jugera quotannis ſolverent. Qui contractus haud parvo damno iis fuit. Sic conſtitutâ provinciâ magis triſti quàm lætâ ob tributa, præſidioque Harlingæ, Leoardiæ, Franekeræ, relicto in arcibus, Leoardiâ Georgius diſceſſit medio menſe Iulio, & cupidine videndi Ciſlavicanos Adoardiam adiit cum comitatu illuſtri. Sicco Beninga ſpectator agminis, qui videndi ſtudio in cœnobium venerat, ſcribit, Comitum familiis natos ſex, ex ordine nobilium magnum numerum, equites in univerſum C C L armis & ornatu fulgentes, peditum trecentorum cohortem lectiſſimam, adhæc campeſtria tormenta omnis generis cum apparatu, curruumque ingentem multitudinem vehendis impedimentis, ac precioſiſſimam ſupellectilem ſecum duxiſſe, magnificentiamque omnibus rebus oſtentaſſe. Adoardiæ per noctem moratus, quamquàm inducias haberet cum Groninganis, tamen metuens ſibi, quòd ſine commeatu copiâque ipſorum, præter morem adveniſſet, equitum peditumque magnum numerum in excubiis eſſe, itinera obſervare inter urbem & cœnobium, vias percurſari interdiu noctuque juſſit: Poſtero, primâ luce ad caſtellum progreſſus in ripâ Huneſi, trajecto illîc ponte per Winſumanos Dammonam contendit: ibi ſolenni pompâ, effusâ in occurſum Diichuſam uſque omni multitudine, prælatis ſacris, per ſummos honores exceptus, & in oppidum inter voces gaudentium & gratulantium inductus fuit. Adactâ in fidem nobilitate agrariâ, quæ in oppido erat, à civitate diſſidens, cùm ſe offeret etiam plebs vana, præceps, bonique conſilii inanis, ipſe eam repulit, ne quid contra pacta facere videretur. Simul Emdâ venit Edſardus, ſecretoque locutus cum Principe, atque omni eum honore proſecutus per dies aliquot, & ipſe magnifico paratu, ſtipatus ſplendidiſſimâ cohorte nobilium velut cum luxu Saxonico opibus Friſicis certans, ubi ſatis officio pompæque datum, dimiſſo Principe ad ſuos rediit. Georgius Dammonâ digreſſus, nequicquàm indignante Groningâ, audere hoc inimicum ſuſpectum, non quæſito conſenſu, tantulis cum copiis per Duerſwoldios, Cropſwoldam, Sudlaram, Roldam, cæteramque Drentiam in Vltrajectinos, indè in reliquam Germaniam & Miſniam feſtino itinere eſt profectus. Ferunt annales, tantâ pecuniæ cupidine in conſtituendo cenſu Tranſlavicano fuiſſe, ut præter cætera cuncta in totâ hâc provinciâ etiam cœnobia, ſacerdotia, fana, ptochodocheia, deniqùe ſacra profanaque omnia tributaria reliquerit. Cenſus ità definitus, *ut plebs & cæterj, qui ſuprà expreſſi non*

 ſunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. IV. *ſunt, tres ſtuferos darent Principi quotannis in ſingulos aureos redituum ſuorum è ſolo provenientium, qualium ſtuferorum* XXVIII *aureum Rhenenſum conficerent: hujus verò pecuniæ ſemiſſem locator, reliquum conductor ſolveret, niſi aliter in contractu cautum: prædij aut ſoli ſui cultor totum penderet, ædificia quoque oppidana, & quæ per totam regionem in vicis connexa agris non erant, aurei Rhenenſis dimidium conferrent. Quibus addita vectigalia, ut ab Hugone ante biennium, ſupra priorem modum aucta.* Quæ cuncta tum in fiſcum Principis inferebant aureos florenos XIII M. D. CCCCLI, exceptâ ex onere hoc Leoardiâ urbe, quæ pendebat nihil: cætera verò oppida quorum tria mœnibus cincta, reliqua ſeptem ſine mœnibus, in hanc conferebant ſummam M. CCCLXX florenos: Cenſebanturque eo tempore in universâ eâ regione inter Flevum & Lavicam flumina, præfecturæ XXVIII, vici CCCXC, abbatiæ IX, cœnobia alia XL. Ab abitu Georgii eodem adhuc menſe Iulio Coldumi prodigioſa res accidiſſe in annalibus memoratur. Deſcenderat per ſcalas in puteum præaltum juvenis extrahendæ causâ urnæ, quæ deciderat, & cum ad paſſus ferè duos ſe ſubmiſiſſet, exanimatus repentè corruerat. Accurrentibus aliis juvandi ſtudio, atque uno diſcedente eôdem, & ipſe quoque inſpectantibus cæteris collapſus fuerat: idem tertio & quarto acciderat: poſtremò dimiſſi quintus & ſextus certius cognoſcendæ rei causâ per eaſdem ſcalas funibus corpus circumligati, cùm ad eandem altitudinem deſcendiſſent, compreſſo ſpiritu, è ſcalis defluentes, operâ eorum, qui ſuperné ſtabant, celeriter extracti ſervati ſunt. Canis quoque ſimili tentamine per funem demiſſus exanimatusque. Eo cognito, puteus extractis unco corporibus terrâ oppletus. Hoc rerum ſtatu, cùm quies ab armis eſſet, diffidentia tamen ſumma, atque animus haud amicus inter Groninganos & Dammonenſes, quique apud hos ex nobilitate agebant, commercio eorum diſtinebant. Imprimis Dammonenſes, neſcio ex conſcientiâ ne ſuâ alios æſtimantes, malè ſibi à Groninganis metuere, nec facilè ſe ſuáve iis credere, denique per litteras animos eorum tentare priùs quàm diſcrimini ſe darent: at ij contrà liberaliter reſpondere, commerciis in morâ ſe non futuros, modò Dammonenſes ipſi non ſint, importationes, exportationes, tranſvectationes rerum omnium per urbem ſuam conceſſuros more & lege veteri, ſecuturosque hoc, quòd viderint ſuis hominibus permitti imponivé Dammonæ, imò verò demonſtraturos ipsâ re, benefaciendo à Dammonenſibus vinci ſe nolle. Tum commerciis factum initium, timidiùs primùm, mox liberiùs; deîn prolapſa rursùm res, navi Dammonenſium deprehensâ à Groninganis frumento onuſtâ, cumque onere Groningam ſubductâ, propterea quòd contra fœderum ſcita frumentum exportaret. Quâ re nobilitas, cujus id frumentum ferebatur, in iram incenſa queri graviter, civitatemque arguere de vi & injuriâ, Saxonas quoque incitare, hoc agere, ut induciis remitteretur nuncius, aut ſaltem finitis iiſdem ad arma rediretur. Sed obniſus rursùm Vlferdus, tòtus jam quieti addictus, ad Georgium etiam eam ob cauſam profectus: & ipſe Princeps curis Germaniæ nondùm ſolutus induciis paratior. Acceſſit & à Benthemio Comite Everwino ſtudium, qui & affinis Saxonibus & amicus Groninganis erat. Ita contra nobilium votum, jubente Principe, initio Novembris colloquium rursùs coiit in cœnobio Gerriconio, paucisque offenſionibus diſcuſſis, induciæ iterùm firmatæ in diem XIV Calend. Martii anni ſequentis: Groningani, ut hactenus, ſic nunc etiam in uſu ac poſſeſſione poteſtatis prætoriæ per agrum, cæterisque è fœdere ſolitis relicti: navis frumentaria, de quâ dixi, in gratiam Saxonum ab his nobilitati reſtituta. Princeps Saxonum in actione hâc VVilhelmus Truchſeſius fuit, equitibus ſtipatus X, pro Groninganis affuêre Conradus Conderus, Ludolfus Hornkenius Conſules, Petrus Sickinga quinquevir Hovetmannus, Gelmarus Canterus ſenator. Induciæ ſine vitio cultæ. Vnum verò in chartis reperio ad hoc tempus pertinens, undè me, fateor, explicare non poſſum. Id diploma

eſt, à

eſt, à Geörgio, ut ajunt, datum Dommonenſibus: in quo & Dammona civitas & magiſtratus ejus inſolitis titulis conſules, judices, ſenatores indigetantur: tum velut benè meritis in fraudem Groningenſium tribuitur jus mercatus ſolennis quater habendi quotannis, temporibus ſtatis, bis per dies octonos, bis item per diem tantum unum: & præter mercatus hos forum etiam vulgare rerum venalium conceditur ſeptimo quoque per totum annum die: Deindè & gratia iis fit vectigalis tributique cereviſiarii, quod ex hujuſce potus genere, bibendi in oppido eodem, tàm illic cocti quàm peregrè aducti, debebatur fiſco. At diploma Leoardiæ ſignatum lego ab ipſo Principe, die I V Iduum Octobr: cùm Princeps procul Friſiæ regionibus in intimâ abeſſet Germaniâ: Et quod Dammonenſibus tributum in eo eſt, id durantibus induciis tribui quomodo potuerit, non intelligo, cùm induciarum legibus & omnibus pactis cæteris adverſetur è regione. Hujus anni fine in Orientali Friſiâ apud Dornumanos ex hâc vitâ abiit in Friſiis nobiliſſimus, & ob virtutem omni ævo memorabilis, Hero Mauricius Cankenius, Edſardi quondam tutor & Heronis Eſenſis, bello & pace patriæ perutilis, numeroſâ ſobole ex Algethâ VVerdumanâ conjuge poſt ſe relictâ. In quâ Hicco puer præclaræ indolis patri ſucceſſit, ſub tutelâ patrui adoleſcens. Hunc ſecutus poſtridie Non. Decembris apud Farmſumanos inclitæ nobilitatis Hoijo Ripperda Vnicone genitus, & poſt eum continuis penè funeribus Edſardus Manninga Didonis Lutzburgii filius, Dodonis frater, Peuſumannis opibus inſitus per dotem uxoris: ex quo Poppo & Focco progeniti.

M. D. IV.

DECADIS QVARTÆ FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

DECAS QVINTA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMISQVE VIRIS,
virtute, doctrinâ, dignitate præſtantiſſimis,

D. FRIDERICO COENDERS

AB HELPEN, TOPARCHÆ IN FRAEM & HVSINGE, inclytæ civitatis Groninganæ Conſuli digniſſimo:

ET

D. ABELI COENDERS

AB HELPEN, TOPARCHÆ IN FAEN ET CANTES, IN illuſtri collegio Generalium Ordinum Belgicorum, quod Hagæ Hollandiæ eſt, nomine civitatis Groninganæ aſſeſſori prudentiſſimo, fratribus,

Dominis ſuis plurimùm colendis.

CVM multa difficilia ſunt in rebus hominum, nobiliſſimi ampliſſimique viri, tum nihil ferè difficilius, quàm benè hominibus imperare. Quod cùm vulgus dici audit, non modò παράδοξον audire ſe putat, ſed & magnæ manifeſtæque vanitatis ſententiam eam, ſententiæque autores condemnat. Nam non ſolùm ſummâ illâ difficultate liberat opinione ſuâ imperandi munus, ſed in facillimis quoque rebus habet, & tale omninò, cui nemo penè omnium parem ſe non eſſe ingenio ſuo, aut etiam ſuperiorem exiſtimet. Imò ſic uſu venire videmus, ut quò quiſque ſtolidior & ineptior ſit, eò ſe magis habilem ac idoneum ad capeſcendum tenendúmque in rep. clavum eſſe arbitretur. Nec ferè quiſquam tàm nullo ingenio, doctrinâ, rerum uſu eſt, qui, non dicam non minùs benè, ſed etiam multò meliùs quàm ij, qui laudem in eâ re merentur, idem hoc gerere munus ſe poſſe non perſuadeat ſibi, interdùm etiam profiteri non erubeſcat. Itaque fit, ut ſine diſcrimine ambire imperia & magiſtratus auſint, ſéque ijs ingerant, non ſolùm quòd lucroſa & honorifica miniſteria, ſed etiam quòd facilia illa ipſa eſſe perſuaſum ſibi habeant; rariſſimi autem reperiantur, qui ſe, quanquàm ſint ineptiſſimi, tamen infirmitatis ſuæ conſcientiâ ob difficultatem functiones hujuſmodi recuſent. At meliùs fatuo vulgo ſapiens graviſque ſcriptor T. Livius; qui excellentibus etiam ingenijs citiùs defuturam artem ait, quâ civem regant, quàm quâ hoſtem ſuperent. Quò quid illuſtrius ad hanc rem dici poteſt? An enim cujuſvis eſt hominis ſcientia illa rei militaris? an non rara admirabiliſque imperatoria virtus? vix ut ſingulis ſæculis unus aut alter ejus gloriâ illuſtris inveniatur. Et tamen eâ arte rariorem difficiliorémque Livius hanc aſſerit, quâ civis regitur. Quòd ſi cauſam quis quæret, cur id, quod facillimum vulgo creditur, reverâ ſit difficillimum, non aliam veriorem reperiet, quàm quòd homines utrique ſint, & qui imperant, & qui civili imperio reguntur. Nam, ut de his dicam priùs, quemadmodum non ignotum, ità nec vanum eſt, quòd magni nominis vir dixit, nullum omnium animalium difficiliùs imperio regi quàm hominem, propterea quòd ratione ſit præditus. Quam ille ſi puram incorruptámque teneret, imperantémque affectibus & deſideriis, non ſolùm eâ non redderet imperandi rationem difficiliorem, ſed faceret eandem quoque faciliorem. Iam autem non modò ipſa infirma eſt per ſe, & cæcutiens, ac velut nebulis denſis obſita, ſed & affectibus, deſideriiſque quibus implicita & conſociata in naturâ hominis eſt, tentatur, agitatúrque variè, ac quanquàm verum rectúmque nonnunquam videat, ſeducitur tamen, aut abripitur tranſverſim, & vehitur per præceps; denique miſerè ſervit ijs, quos regere debebat, ut homo verſuta quædam & callida, id eſt, ingenio ad nequitiam & militiam armata bellua eſſe videatur. Ad hæc ſic habet rationis ingenium, ut liberam ſe eſſe à naturâ, genitámque ad libertatem exiſtimet; ideóque qui ratione præditi ſunt homines omnes, libertatem ſibi deberi arbitrantur. Parêre autem, & aliorum imperijs ſubeſſe, ſpeciem quandam præ ſe ferre videatur ſervitutis. Et quia eâdem ſe ſtirpe ortos eſſe, ejuſdem rationis ac naturæ participes, eâdem naturali conditione, lege, nobilitate ſentiunt omnes, indignum cenſent, præſcribi ſibi, ac leges dici à paribus; eos non modò libertatem retinere, ſed imperium quoque tenere; ſibi ſervitutem parendíque neceſſitatem relinqui. Imò, quoniam quiſque vitio quodam naturæ magnificè ferè de ſe ſentit, & quò inanior ſtultiórque eſt, eo majorem ſibi ſapientiam tribuit, communique vulgo id, de quo dixi initiò, judicium ineſt pleriſquàm ſuum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

*tuum, eò uſque ſtultitiâ pervadit, ut imperio ſe quàm obſequio digniores eſſe, fingere ſibi non vereantur.
Accedit quòd ex amore ſui, quem à natura habent, non ſolùm de ſe ſentiant ſublimiùs quàm par ſit, ſed
ſuis quoque commodis impensè gaudeant, incommoda quàm maximè averſentur, & ſi de his quæſtio
exiſtat, ſecundùm ſe potiùs quàm contra ſe, quâ jure, quâve injuriâ, in animis ſuis ſententiam ferant,
ſibique faveant, quoniam ſe magis quàm alios amant: Unde hoc quoque ſequitur, ut incommoda onerá-
que pro ſe quiſque cum commodo ſuo in alios derivare ſummo ſtudio nitantur. Quæ ſi quis jungat, fa-
cilè intelligere poteſt, ineſſe homini in hac depravatâ naturâ ſemina quædam fœcunda & valida ad gi-
gnendam contumaciam adverſantem imperijs, detrectantémque obſequia: ex quâ illa, de quâ nobis agi-
tur, regendi difficultas in ſocietate humana exiſtit. Addo, quòd in populo quolibet ingenia hominum
ſint diverſa, ſtudia, vitæ genera, inſtituta, ſodalitia, collegia varia, factiones quoque aut ſectæ in rep. in-
ter ſe contrariæ: quibus hoc ferè ineſt, ut quod commodum his, alteris incommodum, quibuſdam gra-
tum, cæteris adverſum, unis æquum, reliquis iniquum ſit, aut eſſe videatur. Quibus ut pariter ſatisfa-
ciat, qui remp. adminiſtrat, atque ità agat, ut non aut hi aut illi id ferant indignè, actáque peſſimè tra-
ducant, imò, quâ ingenio, quâ vi, eludere atque impedire conentur, quantam id habet difficultatem?
quanto eſt ad eam rem ingenio, prudentiâ, juſtitiâ, diligentia opus? quot ſæpè, ſi reip. conſulere vult, &
juſtitiam tueri, propterea ſubeundæ devorandæq; calumniæ? quot pericula ſuſtinenda? Satis de iis qui re-
guntur: videamus de ipſis regentibus. Qui licet dij à Spiritu ſancto nuncupentur, quòd emineant in ho-
minum ſocietate, & vicem Dei gerant, licet etiam ſapientiâ & virtute ſæpè excellant, tamen homines
ſunt, humanæ naturæ infirmitatibus obnoxij. An quis, qui homo ſit, tanto ingenio, ſapientiâ, virtute
eſt, ut omnia, quæ uſus reip. poſcit, intelligat? omnique loco & tempore ſapiat? Quàm multa fugiunt
etiam ſagaciſſimos quoſque, obſcuráque ijs ſunt, quæ ex uſu reip. eſſet rectoribus eſſe perſpecta? Quàm
multa debilitant & occœcant judicij vim, & quaſi caligine adſpergunt, quæ ſi abeſſent, expeditiùs &
meliùs rectum videri poſſet? Quàm multa ſollicitant etiam bonorum animos, ut aut ab eo, quod ratio
recta oſtendit & ſuggerit, modicè deflectant, cauſaſq; quæritent, quibus hoc, quod ſtatuunt, honeſtè ſe
ſtatuere cùm alijs, tùm ſibi quoque ipſis interdum perſuadere conentur? aut ſi ab eo quidem non decli-
nant, tamen progreſſum ejus morari ſibi obliqua ratione permittant? Denique quàm ſunt multa & va-
ria, quæ multos ſcientes volentéſque apertiùs à recto diſcedere, & vim facere conſcientiæ, ſæpe quoque
honorem ſuum proſtituere compellunt, ac juſti injuſtique rationem habere non patiuntur? Quæ cùm
quis expendit diligentiùs, ſi bono ingenio eſt, fieri non poteſt, quin ingemiſcat, humanæque naturæ infæ-
licitatem & miſeriam deploret. Et quamquam verum ſit, alios alijs heic præſtare, nemo tamen om-
nium vitio caret. Videre licet quoſdam, cætera egregios, in iram tamen præcipites eſſe, aut amore gra-
tiâve vinci, aut odio inclinari, aut, quod imbecillis abjectique animi eſt, invidentiæ locum dare; quoſ-
dam ſpe metûve duci faciliùs, aut φιλαυτίᾳ laborare, quódque inde exiſtit, ſententiis ſuis pertinaciùs
inhærere, nec pati, ab ijs ſe dimoveri, nec tam pro veritate ac juſtitiâ quàm pro honore ſuo contendere,
denique in peſſimum morbum φιλονεικίας ſenſim incidere; nonnullos etiam diſſentiendi ſtudio, & con-
tradicendi libidine in deliberationibus publicis, ferendiſve ſententiis titillari. Alios cernas remiſſiùs
publica curare, curáſque communes collegis relinquere, laborum moleſtiarúmque muneris minùs patien-
tes eſſe, atque in induſtriâ deficere; alios lenitate, facilitatéve, alios ſeveritate aut gravitatis quadam
ſpecie à medio recedere, & in confinia vitiorum abire, nominique ſuo & reip. officere; alios omnibus
promiſcuè benignos ſe præbere, autoritatémque muneris proſtituere; nonnullos præter rem miſericordes,
&, ad ignoſcendum pronos, dum ſontibus miſeris benefacere, & clementes eſſe volunt, in remp. & juſti-
tiam cum periculo detrimentóque innocentium delinquere; denique etiam bonos varijs modis hallucinari.
Sed nullum vitium πλεονεξίᾳ frequentius, potentius, nocentius, quod honorum, potentiæ, pecuniæ immo-
dicum ſtudium habet, fera & indomita bellua, ſi capiſtro remiſſo ſiveris ire. Honorum cupido honeſti
bonique ſpecie ſe venditat, ut bonos quoque ſeducat: Potentiæ deſiderium haud abſimile illi, magnis &
generoſis animis facilè ſe inſinuat, ac hâc ſe ratione commendat, quòd, ut quiſque melior eſt, eò plus poten-
tiæ ſibi deberi exiſtimet. Opum verò divitiarúmque tàm dulcis & efficax gratia eſt, & amor earum
adeò inſitus mortalibus, ut verum planè ſit, quod quidam ſcribit, multò faciliùs inveniri, qui eas vitu-
peret, quàm qui faſtidiat. Atque hæc bellua nuſquàm magis, quàm in animis eorum, qui in poteſtate &
imperio ſunt, ſe ſubrigit; in his velut in caveâ ſuâ ſe commovet, aut in arenâ propriâ verſatur. At qui
virtute præditi ſunt, reprimunt eam, compedibúſque & catenis conſtringunt. Exturbare verò eandem
penitùs aut perimere, id ferè fuerit naturam vincere, quod eſt difficillimum. Nam illud, Amare ſeſe &
commoda ſua, ut & antè dictum, ita naturæ noſtræ inſitum eſt, ut cum eâ pariter natum videatur. Ita-
que quo tum quemque reperias etiam in eorum numero, quibus virtutis ſtudium ineſt, qui ſic animum
ſubigere queat, ut cùm de rep. deliberatur, non iſtuc inclinare rem malit, quod ex commodo magis ſuo &
ſuorum eſſe, quàm ex commodo aliorum arbitretur. Nec verò hæc lucta Magiſtratibus eſt tantùm cum
deſiderijs affectibúſque ſuis, ſed cum cupiditatibus quoque aliorum eſt conflictandum. Sæpéque accidit,
ut qui à ſe integri ſunt, ſibique rectè imperant, vix præſtare queant, ut à deſiderijs alienis non vincan-
tur. Interdum inopum afflictorúmque lamentationes & preces, ipſáque fortunij eorum contemplatio ten-
tant animos, & à recto abducunt. Nonnunquàm amici moleſti ſunt, inſtant, urgent, nec antè deſinunt,*

 donec

donec ipſâ importunitate impetrarint aliquid. Adde neceſſitudines ſanguinis affinitatiſq́ue, & in his præcipuos; fratres, parentes, liberos, prævalidam vim ad expugnandos animos. Denique potentiſſimum tormentum à conjuge ſæpè venit: quæ ſi potens mariti eſt, affectúſque ejus poſſidet, iſtuc plerumque pervadit, quò cætera omnia, quæ dixi, intranea & extranea pervenire non poſſent. Ità fit non raro, ut fœmineis deſiderijs negotia in curijs, prætorijs, foris, alijs locis publicis vitientur. Hoc ſcilicet illud eſt, quod Themiſtoclis filius adhuc penè puer jactabat inter ſuos, Athenas, adeóque Græciam totam ſe regere; mirantibúſque dicebat, ſe in poteſtate matrem habere, matrem imperare patri, patrem conſilia publica Athenis gubernare, Athenienſes Græciæ principes eſſe; ita verum eſſe, quòd gloriaretur. Sed longiùs ivi, hæſiq; in argumento hoc diutiùs, quàm ſtatueram ab initio, dùm vulgum confuto, & quàm arduum & difficile, & non cujuſvis hominis ſit, remp. bene gerere, oſtendo. Ad vos me nunc verto, nobiliſſimi ampliſſimíque viri, qui ut cæteris fortunæ & animi dotibus egregiis excellitis, ità benè gerendæ reip. exemplis raris & inſignibus præitis, & velut clariſſimæ faces in præſtantiſſimâ pariter & difficillimâ hâc re cum eximiâ integritatis & prudentiæ laude prælucetis. Qui ut pietatem à pientiſſimo atque optimo parente veſtro Theodorico Coenders, nobilitatis patriæ iſtius temporis illuſtri ſydere, hæreditariam accepiſtis, & quaſi cum lacte materno hauſiſtis, ità eandem nunc præclarè tuemini, religioniſque illius ἀληθινῆς καὶ γνησίας nutritios vos geritis. Quorum alter, major natu, in bonis litteris præclarè verſatus in adoleſcentiâ Germaniam omnem, omnémque Galliam, & magnam Britanniæ partem non peragravit tantummodò, quod multi facere ſolent, ſed luſtravit diligenter, & ingenia, mores, inſtituta hominum obſervavit, didicítque, atque eo penu animum ſuum ad prudentiam inſigniter inſtruxit, præſtantiſſimos viros hìc illìc vidit, audijt, familiares habuit. Deindè ad ſuos ſecundò reverſus, ſæviente perſecutione Hiſpanica ob religionem cum patre & ſororio Regnero Alberdâ, viro optimo & præſtantiſſimo, & hujus oræ nobilitatis longè eruditiſſimo, urbis hujus conſule laudatiſſimo, & propinquis alijs in exilium profectus, ſic in eo vixit multos annos, Deo & pietate ac virtute fretus, ut meliùs illâ ſuâ fortunâ uti, & fælicior eſſe, quàm ipſi perſecutores & eorum ſocij, ſecundo fortunæ vento navigantes, videretur. Pòſt defuncto jam parente & ſororio, Hiſpanis virtute illuſtriſsimi principis Mauritij Naſſovij, exercitus fœderatorum Ordinum ſupremi imperatoris, & patruelis ejus Guilhelmi Ludovici, Groningâ expulſis, in patriam voce publicâ revocatus, in omnibus ſummis muneribus regundæ reip. cum ſummâ laude & honore ad hoc uſque tempus verſatus eſt, atque etiamnunc verſatur. Alter cum eodem parente exilij fortunâ in ætate minore toleratâ, primiſque litteris liberalibus hauſtis, ad uberiorem litterarum quæſtum faciendum ad illuſtres Germaniæ Academias profectus, indéque ad ſuos in exilio adhuc agentes regreſſus, tandem cum fratre eodem, in patriam Hiſpanica tyrannide liberatam redijt. Nec multò pòſt in Senatum urbanum cooptatus, & conſulatu, judicatúque in Camerâ per vices defunctus, laudémque inſignem meritus à civitate in ampliſsimum ſenatum illum Ordinum ſociorum, qui Hagæ ſedem habet, miſſus fuit, in eóque Senator patriæ nomine biennium ac menſes aliquot ſedit: iterúmque domi conſulatu geſto, ſuffragijs ſuorum aſſeſſor in collegio illuſtrium Ordinum Generalium, cui Reges & Principes ſummi honorem deferunt lectus, triennium jam in eâ dignitate ac munere, bono publico, continuat, veréque eximiam hanc Spartam eximiâ virtute & prudentiâ domi foriſque exornat. His verò ego (ut denuò appellem vos, nobiliſsimi ampliſsimíque fratres, verè fraternis animis inter vos, fraternâq; concordiâ devincti) his, inquam, virtutibus veſtris & præclaris in remp. meritis commotus, & quòd multos jam annos, & quidem in utrâque veſtrâ meâq; fortunâ ſinceram conſtantémque in me benevolentiam veſtram expertus ſum, ſimúlque animos veſtrorum omnium (in quibus tres inſigni ac verè nobili indole fratres, Henricus dudum fato functus, Allardus & Guilhelmus adhuc ſuperſtites, omnes pro patria militantes, cohortiúmque ductores, non minùs morum modeſtia & comitate, quàm militari fortitudine & genere fulgentes) mihi meiſque addictos ſenſi, hanc quintam decadem Hiſtoriæ Friſiæ jam tandem prodeuntem, ſub auſpicio nominis veſtri prodire, vobiſque conſecrare volui, ut extaret viciſſim grati, ac veſtrûm obſervantis animi mei argumentum aliquod, non ſolùm apud præſentis ævi homines, ſed etiam apud poſteros. Rogo vos, ut id conſilium & factum meum pro ſolita veſtra in me benevolentia ac humanitate boni conſulere, & benignè interpretari, librúmque prodeuntem in patrocinium veſtrum contra obtrectatores ſuſcipere non dedignemini. Valete fæliciter XVII *Kalend. Septembr. anno reparatæ Salutis humanæ* M. DC. VII.

A. A. V. V.

deditiſsimus

VBBO EMMIVS.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XLI.

ORDIOR nunc annum M.D.V. à nato Chriſto, difficilem civitati Groninganæ, quo rejectis tandem induciis, bellum in eam inſtauratum: M. D. V.
cujus vî in anguſtias redacta, multaque domi & foris perpeſſa, demùm in fidem ſe Edſardi conferre coacta fuit. Quæ ut geſta ordine ſunt, ita, quâ potero brevitate, explicabo. Initio anni Benthemius paci intentus, finiendæ diſcordiæ conventum in Drentiâ rursùm conſcivit Roldæ. Eò ipſe venit Benthemius, partium medius. Ex Miſniâ miſſus cum mandatis Sigiſmundus Pflugius equeſtri dignitate illuſtris, Truchſeſio adfuturus: qui agrum Emdanum tranſiens cum Edſardo conſilia cepit: deîn per Dammonam & Groningam itinere facto ad conventum ſe contulit. Eum mox ab Edſardo ſecuti legati itinere alio Vlricus Dornumanus, Harco Suderhuſanus jureconſultus doctiſſimus; & cum his delecti nobilium Dammonæ ſedentium, Relefus & Wigboldus Euſumani, Aſigo Ailcama Hammæus. A Groninganis eôdem miſſi iidem, quos proximo in colloquio fuiſſe oſtendi. Cùm adeſſent omnes, & in his Truchſeſius Trãſlavicanis ſtipatus, propoſuêre Saxones, quæ ſolent: *ſi pax cordi eſſet Groninganis, urbem aperirent Principi, obſequium & fidem jurarent, arci locum in urbe darent, agrum ſocium dimitterent: in cæteris quæ ad injurias, damna, belli impendia, aliaq; ſimilia pertinerent, experturos Principis æquitatẽ & clementiam: idemq; de Edſardo & nobilitate pollicebantur.* At Groningani nihil alienius à ſcopo, nihil iniquius eſſe cenſentes, ſententiamque ſuam rationibus firmantes, tandem has ipſi conditiones detulêre. *Quoniam de totâ cauſâ tranſigi non poſſe tam facilè videretur, induciæ fierent in annos aliquot: ijs durantibus omnia relinquerentur in eodem ſtatu, quo fuerant ante Saxonum adventum, fœderaq; civitatis cum agro ſervarentur: caſtellum Huneſanum & Oterdumæum, ac Dammona civitati traderentur, aut munitionibus omnibus exuerentur: certus pecuniæ annuæ modus ex agro Principi ſolveretur, cujus conficiundæ ratio ex vectigalibus aut tributis in arbitrio eſſet civitatis & ordinum agri: intereà civitas & ager in tutelâ eſſent Principis contra omnes hoſtes externos & domeſticos, imprimis contra eos, qui vectigalibus aut tributis novis vellent impedimento eſſe: Iidem Principi viciſſim aſſiſterent contra omnes vim ei inferentes præter jus & fas in regione Tranſlavicanâ, pacémve turbantes: Exceptus utrâque à parte haberetur Philippus Auſtriacus Burgundiæ Dux; controverſiis civitatis cum Edſardo & nobilitate finiendis eligerentur antiſtites duo ex agro ſocio; qui ſi conſentire non poſſent, Comes Benthemius ſummus arbiter ijs adderetur: Quòd ſi ante finitas inducias has Philippus Auſtriacus regionem Tranſlavicanam à Saxone redimeret, civitas etiam diutiùs his conditionibus non teneretur: omnia hæc acciperentur & valerent ſalvo partium jure.* Sed fruſtranea cuncta, diſceſſumq; re nullâ confectâ dolente Benthemio. In diſceſſu Euſumani, commeatu freti per urbem redière ad ſuos. Hinc jam offenſis animis titubare induciæ, minúſque ſincerè coli, Edſardus munitiones Oterdumæas & Delfſilanas augere, Groningani cenſus aliquid agrarios poſcere Saxones, velut ulturi id, naves Groningenſium ad pontem Huneſanum & caſtellum detinere, caſtello etiã operum aliquid addere, cuncta induciis adverſa & belli prænuncia.

M. D. V. Ac jam artus cœperant contrahere, qui bellum horrebant, multiq; ſubducere ſe periculis meditabantur, cùm Benthemii ſtudio, ac induſtriâ Vlferdi novus cõventus apud Gerriconios eſt conflatus biduò poſt Calend. Febr. In quo quanquàm ferociores ſe ferrent Saxones, induciæ tamen in exitum Martii ampliatæ, vitia amota, navium commeatus liber civitati tributus. Benthemius etiam, cui tempus induciarum nimis breve diſplicebat, evocatis Aſſenam partium primoribus, hoc contendit, ut in Calend. Febr. anni ſequentis induciæ extenderentur, effecitq; ut promitterent utrique, ſi modò Saxoniæ Princeps, & Edſardus cum nobilitate vicinâ aſſentirentur. Res ad Edſardum nobilitatémq; ex propinquo, ſimul per celeres curſores ac litteras ad Principem Georgium relata: ab hoc ad conſilium & arbitrium illorum rejecta. Rectores Saxonici hâc voluntate Principis ſui acceptâ, ad eoſdem illos Dammonam, (erat enim illic tum temporis ipſe Edſardus) pridiè Paſchatos ſunt profecti, ibique cum iis collocuti, finitâ feſti ſolennitate, Groninganis diem colloquio dicunt in eodem cœnobio Gerriconio v Calend. April. qui quintus erat à Paſchate. Cùm adeſſet pars utraque, Saxones exponunt, quid à Principe ſibi reſponſum ſit: ſtatimq; tentatas à ſe voluntates Edſardi, ac vicinorum nobilium. eos oſtendiſſe, ultra exitum Martii inducias probare non poſſe: ſeſe quidem quietis cupidos inducias quàm bellum malle: ſed videre Groninganos, ſine illorum aſſenſu ſtatuere ſibi nihil licere: Monere, dùm tempus ſit, dùm animi novis injuriis ex bello nondum acerbati, ut conſulant rebus ſuis, Principique haud iniqua poſcenti morem gerant; quod nî fecerint, & ad arma ſiverint rem prolabi, ſerò cum Phrygibus meliora ſenſuros. Illi inopino reſponſo turbati, induciarum cupidi, pro civitate dicere, quæ tempus & res dabant, offerre ſtudium ſuum, ſed queri, tam feſtinanter tantulo temporis ſpatio (triduum enim ſupererat) tantâ de re ſtatui nihil poſſe: denique hoc effectum dare, ut Saxones cum Edſardo & nobilitate de prorogandis induciis acturos ſe pollicerentur. Atque ita diſceſſum. Biduò pòſt Saxones tentatis animis Leoardiâ reſcribũt civitati, de induciis annuis fruſtra laborari, priorum prorogationem in Nonas April. concedi, ut ſi velit civitas, inſtaurando conatui de compoſitione tempus non deſit. Placuit colloquium iterare, eique dies dictus II. Non. April eodem in loco omnibus æquè oportuno. Legati iſtûc à civitate iidem, qui ſæpè priùs, Conradus Coenderus, Ludolfus Hornkenius, Petrus Sickinga, Gelmarus Canterus, idque pridiè ejus diei, ne in morâ eſſent. At Saxones tardato adventu cùm vix poſtero die ad meridiem ſe ſtitiſſent, intenti epulis, ſignificabant Groninganis, Dammonâ ſe reſponſum expectare, atque ità in tenebras res ſine colloquio extracta. Demùm allato reſponſo, circiter quartam noctis vigiliam excîti ſtragulis Groningani. Ab his dicere juſſis, induciarum leges ex formâ Aſſeniâ Gerriconiâve propoſitæ. Sed Saxones rejectis iis, ſi bellum non vultis, ajunt, imperio agri, quod uſurpatis, ſtatim decedite, fori jus Dammonenſibus dimittite, aream in urbe Principi tradite loco idoneo, in quo nymphæum Principe dignum queat extrui: quæ ſi facere voletis, inducias vobis dabimus quantumvis longas, per quas de totâ causâ porrò cognoſci, deque agri jure ſecundum nos aut vos ferri ſententia poſſit. Vltra quæ quod demus vobis, non habemus: vos, quid expediat rebus veſtris, ipſi diſpicite. Ad quæ, ut erat acer ac vehemens Coenderus, vix expectato fine & quid poſceretis ampliùs, ſi victis nobis leges diceretis? An non hæc ſunt, de quibus dimicavimus hactenus? pro quibus fortunam vitamque periculis objectavimus? tot labores ſubivimus? tãtùm ſanguinis noſtri fudimus? Nos verò non faciemus hæc, quoàd in civitate viri erunt, qui arma ferre, ac pugnare in hoſtem poterunt: potiùſcue ſumma imis miſceri, quàm leges tàm iniquas æquè ac turpes imponi nobis patiemur. Atque ità ſtomacho plenus & ferox colloquio excedit cum ſuis. Ob quæ mœſti homines quietis amantes, lenire animos utrinque, monere, rogare, belli mala ponere ob oculos, ſed parùm proficere. In his Vlfardus cum Fràciſco

Menne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Mennemio Tranſlavicano Saxonum amico, ad Groninganos viæ paratos accedens, Spes, inquit, noſtra nos fefellit, amici. Pacem nobis promiſeramus, in bellum nos ruere videmus, patiq; cogimus, quod prohibere non poſſumus. In principum aulis ut capita multa, ita multæ ſententiæ: nec fluctus magis varii, incerti, inſtabiles in pelago ventis turbido, quàm in eo mari conſilia. Vnum rogamus vos, quoniam in bellum urgemur, ne incendiis ſæviatis, innocentéſque ruſticos ſine ratione perdatis: nos ſperamus, à Principe noſtro idem nos impetraturos. Cui rursùm Coenderus irâ calens. Sic eſt certè, ut ais, ad arma cogimur: Agite igitur ut lubet, urite, capite, diripite, conficite ferro, laqueo, rotâ ſævite denique quantum poteſtis: nobis cura, ne patiamur inulti. Deus vindex in autores malum vertito. Sic ungues in ulcera miſſi, colloquiumq; offenſis diremptum animis. Groningani in urbem reverſi, ſenatum primùm & concilium, deìn concionem & totam multitudinem indignatione complerunt: loqui aſperè omnes, aſperrimè verò Coenderus animi vehementis, & expromptæ linguæ: Si ſervire velint, & majorum virtute induſtriàque parta deſerere, ſi inſolentiam ſubire Saxonum, ſi ignominiam, contumelias, ludibria perpeti ſociorum, rebellium & ſeditioſorum, inducias promitti: ſin iſta ferre recuſent, bellum habendum: medium eſſe nullum: ſpernere hoſtes civitatem velut proſtratam, meditarique jam nunc probra in eam varia, in conviviis & circulis inter ſe dicteriis in hanc rem certare: at hos eoſdem, ſi eam arma capere, atque animos non abjicere, ſi uri, vaſtari, rapi ſua, ſi homines capi, feriri, cædi viderint, poſituros contemptū: audenti civitati, ac juſta tuenti nec vires, nec auxilia defutura: Deum pactorum, fœderum, libertatis, juris vindicem fortibus & ſtrenuis laturum opem, ſolitum per parva ac humilia ſuperbos & injuſtos deprimere. Tum verò haud credibile, quàm varii ac vani æſtus animorum, quàm inania conſilia, ſtultæ voces civitatem pervaſerint: arma crepare omnes, inflare ſemet, extrema, atrociſſima quæque in mente & ore habere; non plebs ſolùm, ſed ſenatorum quoque nonnulli ſacerdotumq; inſanire; in Saxonas, Edſardum, ſocios infidos verbis aſperrimis ſævire: conducendam militum vim magnam, his Tranſlavicanos omnes in prædam dandos pro ſtipendio, regionem ferro ac igne proterendam: ità plures ad ditia ſpolia concurſuros: ſimul libertatis nomen conclamandum, plebemq; gementem in Saxones concitandam: ejus ope Saxones regione totâ pellendos. Alii aggeres ſcindere, clauſtra igne perdere, agrum omnem fluctu mergere meditabantur: quidam quicquid inter Lavicam & Amaſum eſt, ferro & flammâ perdendum, regionemq; Edſardo & Saxoni reddendā inutilem clamabant. Oeſtro correptas vulgi mentes dixiſſes. Erant tamen, quibus vana hujuſmodi aut veſana diſplicebant, ſed pauci numero & furori impares. In quibus Sicco Benninga hiſtoriæ hujus conditor, ubi res & tempus dabat, in frequenti coronâ vanitatem verbis quoque coarguere. Quid verò, vos, ſi iſtuc feceritis, belli finem vos habituros putatis? hoc non fore miſerrimi & ſæviſſimi belli principium? quot milites conducetis, quantumvis mites cùm conducuntur, tot lupos, urſos, harpyas, per fas & nefas graſſantes in vos ipſos habebitis. An neſcitis Snecæ quid acciderit? quid ipſis nobis nuper, cùm Dammonam petebamus? cùm victi nullâ re geſtâ contra pacta, ſtipendia poſcebant. Si Tranſlavicanos vaſtare cœperitis, plures vobis hoſtes, qui hoſtibus plus ſatis abundatis, concitabitis: Quid ruſtico fortunis ejecto, ſine re, ſine ſpe, ferocius, infeſtius, violentius? cui ira animos, inopia prædæ ſtudium addit. Quo concitato, ne opus quidem fuerit Saxoni alio in vos milite. Vicinis verò vaſtatis, quibus plus quàm vobis nocueritis ipſis? illos ſuæ opes domi ſuſtentare poterunt: civitatem totâ viciniâ perditâ, è quâ animam ducit, quid ſuſtinebit? Ridebunt hoſtes nos in noſtra velut viſcera ſævire, ac fortunam noſtram ab radice exſcindere, & hanc nobis amentiam ultrò optabunt. Quæ quanquàm ſurdis auribus acciperent plerique, quibus animus vecors, haud pauci tamen erant, in

M. D. V.

quorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. V. quorum pectora deſcendebant, adjutaque tempore haud parùm fervida conſilia temperarunt. Nec tamen idcircò minùs tuendæ libertatis propoſitum ſtetit: huic ſe devovere, pro hâc omnia perpeti, omnia facere velle. Itaque ne animos ipſis pavore proſtratos putaret hoſtis, ipſi priores vim faciunt: per globum audacium juvenum, cive, milite, ruſtico miſtum, ſub tenebras emiſſum portis die VI Iduum Aprilis, Vnderndamo milites Saxonicos XIV cum ruſticis duobus inexpectatò occupatos, per noctem in urbem trahunt. Poſtridiè Rectores Saxonici, multique è nobilitate Tranſlavicanâ cum cohorte ducentorum militum, totidemque è plebe ruſticâ Leoardiâ profecti Adoardiam occupant, præſidium illîc locant. Simul Edſardus, totius belli dux à Saxone deſignatus, DCCC lectiſſimos ſuorum è tribubus ruſticis, in armis exercitos, ducentoſque ſtipendiis conductos Amaſum trajicit: horum parte Dammonæ relictâ, cum cæteris Winſumum die III Id. April. progreſſus, tranſmiſſo illic ponte Adoardiam ſe confert, quæ opus, cum rectoribus conſtituit. Fremere oppidani, variis conſiliis ſe fatigare, nihil quod memoriâ dignum, occipere. Et Saxones quoque proximis diebus aliquot porrò nihil agere. Deindè XII Calend. Maji, qui concionibus ſacer dies erat, tertiâ noctis vigiliâ equitum pauci caſtris Adoardianis egreſſi cum peditum robore, in inſidiis ad põtem Honæum & Huneſi flexum urbi proximum binis locis collocato, ad portam uſque ab amne nuncupatam adequitant, ut oppidanos eliciant, domus molamque incendunt, ſed præter Franciſcanos monachos exeunte nemine, nullâ re aliâ geſtâ, redeunt ad ſuos. Eâ audaciâ quaſi irritati oppidani promptiſſimi quique ac prædæ avidi adſcitâ militum ac ruſticorum parte, quorum magna multitudo in oppido erat, omnes numero CCCC, eodem die ſub veſperam portis egreſſi, in vicina Farmſumi effuſi, Hevenſcæum vicum invadunt, ignem omnibus ædibus injiciunt, majora minoraque pecora vici ejuſdem, & Oſterwerumana & VVitwerdica ejuſdem viciniæ omnia abigunt, in fanis quæ congeſta erant velut in aſyla, effractis foribus diripiunt, viros ex fanorum turribus ſe tuentes, nullâ vî, nullis minis ad deditionem adigere queunt. Interim, qui Dammonæ in præſidio erant, incendio exciti milites, aucti magnâ multitudine concurrentium ruſticorum è vicis proximis ſummâ feſtinatione iſtûc contendunt, digreſſoſque jam Groninganos maturè ſe recipientes cum prædâ in Schiltwoldios uſque perſequuntur: Sed hi ſine detrimento itinere continuato Groningam redeunt, prædámque inter ſe partiuntur. Paulò pòſt, ut propiùs premeretur urbs, Saxones cum Edſardo pontem in Huneſo novum moliri, loco non plus mille paſſibus ab urbe diſſito, tigna in amne defigere, materiam congerere, copias defendendo operi paratas habere. Groningani contrà, maximo numero Botteranâ & Ebbinganâ portâ effuſi die IX Calend. Maji, diversâ fluminis ripâ operarios propellere, opus turbare: ſimul accurrentibus in ſubſidium Adoardiâ equitibus pluribus, omnibus copiis ad ponticulum ſaxeum loco medio in procinctu locatis, ſclopetorum grandine certatum aliquandiu intermedio amne, illata utrinque acceptáque damna. Demum, recipientibus ſe Saxonibus, opus à Groninganis convulſum, tigna fluitantia in amne, metu redeuntium hoſtium, relicta. Opus tamen eodem veſpere, majoribus copiis præſidio adductis, inſtauratum ab hoſte, perfectumque. Poſt hæc, quòd via eſſet Tranſlavicanis per Midwoldios in agro Fredowoldio incurſandæ Drentiæ, per quam Helpenam uſque contra urbem Saxonici ſæpè penetrabant, eademque Groninganis patêret infeſtandis Tranſlavicanis, arx eo loci Hermanni Benneconis à Saxonibus præſidio occupata, vallo foſsâque cingi cœpta, eadem, munitionibus nondum abſolutis, difficillimo itinere nocturno per invia, & incilibus impedita, à Groninganis appetita, ſed cum clade appetentium à præſidiariis egregiè defenſa: pecudes tamen à rejectis abactæ, & ruſtici innocentes in vincula tracti: Rodenæ Drentiæ in tranſitu, ab iiſdem

vaſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

vaſa ingentia ahenea ligneaque, coquendæ cerviſiæ, & clibani piſtorii, ne uſui
Saxonibus eſſent, confracta. Nec alius iiſdem ſucceſſus alibi fuit, cùm præſidium M. D. VI.
conſtituere in villâ Adoardianâ impediendo itineri inter Dammonam & caſtel-
lum in orâ Huneſi vellent. Quippè ob difficultatem viæ re deſertâ domum re-
verſi ſunt. Tertius quoque conatus invadendæ Oterdumææ arcis, in quem à
perfugâ Vdone Riſumano, ducem ſe profitente, inducti, arce à Ditmaro Ren-
gero præfecto probè curatâ, irritus. Quæ dum hîc geruntur, Georgius Saxo à ſuis
de re edoctus, litteras aut legatos ad Principes Germaniæ, ad Philippum Bur-
gundiæ Ducem, ad Reges etiam exteros mittit, de Groninganis queritur acer-
bè, eóſque in invidiam vocat, auxilia quoque hîc illîc conquirit, ipſe ad Maxi-
milianum Regem profectus proſcribi contumaces petit. Maximilianus non fe-
rendum putans, civitatem judicio & decreto obniti ſuo, ut eam omnibus ex-
uat auxiliis, inauditam neſciámque proſcribit, proſcriptioníſque tabulas pro-
mulgat. In his cauſas exponit has: *quòd Alberto Saxoni dudum, nunc Georgio filio
ejus, contra decreta Ordinum Germaniæ, non ſubmittat ſeſe, atque inſuper Imperij ditio-
nes ſubigat, aut ſubigere conetur, eas diripiat, vexet, urat, omnia denique hæc faciat in
Regis ipſiúſque Imperij contumeliam graviſſimam:* ſingula verbis aſperata quàm ma-
ximè. Simul proſcriptione comprehenſa omnes civitatis ſocii ac amici. Signatæ
tabulæ VII Calend. Maij Argentinæ, ac pro more, ut ſpargi latiſſimè poſſent,
typis excuſæ. Cum his, & mandatis aliis à Principe ſuo in Friſiam rediit Hugo
Leiſnicenſis, itinereque per urbem Emdam ac Dammonam facto, cum co-
horte militum Adoardiam ſe contulit, ubi tùm Edſardus erat bello intentus.
Cum eo conſtitutis, quæ res poſcebat, proſcriptioneque vulgatâ, Leoardiam
abiit. Civitas iniquâ proſcriptione nihil territa, nec Angliæ Regis litteris à Sa-
xone emendicatis, quæ paulo pòſt allatæ quoque ſunt, turbata, Deo & cauſæ, &
ordinibus Vltrajectinis fiſa, denique in benevolentiâ Burgundi ſæpiùs oſtenta-
tâ, procerumque ejus promiſſis ſpem aliquam habens, à ſtudio tuendi ſui ni-
hil remittebat. Quod cernens Edſardus, oppugnationibúſque capi urbem non
poſſe, aut minis incommodíſve debilitari intelligens, ad domandam fame, ac
rerum omnium inopiâ ſe vertit. Itaque ab omni parte præſidiis præcludere
aditus conſtituit. In hunc finem è Tranſlavicanis petit cohortes duas validas
è plebe ruſticâ conſcriptas, ut præſidio Adoardiæ eſſent, dùm ipſe cætera cum
milite expedit. Eæ cùm veniſſent, Rectorum ſtudio celeriter confectæ, DC ca-
pitum Sceltone Tiardâ & Aſigone Hoxwierio ducibus, quod fuit exeunte
menſe Majo, ipſe additis ad has è militum numero centum belli peritis, cum
cæteris omnibus copiis mille quingentorum armatorum Dammonam petit.
Illîc reliquis ad rem paratis, multiſque ex eo quoque præſidio & caſtellis pro-
ximis adjunctis militibus, magno numero ruſticorum vicinorum excîto, per-
que Duerſwoldios itinere facto, apud Slochteranos caſtellum molîtur viæ mi-
litari imminens ad Orientem fani: ſed ob paluſtris ſoli naturam haud feren-
tem aggeris molem, levius quàm conſtituerat, id facere cogitur. At Gronin-
gani, cognito Edſardi diſceſſu cum exercitu, parant ſe ad invadendam Ado-
ardiam, armant M. CC ex omni ordine, clamat omnis ætas, omnis ſexus, om-
nis ordo, delendam inviſam arcem belli, in perniciem urbis ſtructam, an-
ſam occaſionemque mali perpetuam: neminem jam toto ſæculo hoſtem ci-
vitati fuiſſe, qui non his caſtris ſit uſus. Erumpunt itaque alacres ac feroces,
atque ad cœnobium feſtinant, quaſi mox invaſuri: ſed inhibito impetu, tor-
mentis omnis generis, quæ ſecum vexerant, inprimis colubrinis ingenti-
bus portas muroſque verberant: itâ aditu patefacto, alij iſtûc irrumpere,
alij ſcalis ad ſcandendum aptatis, alias in partes ſe inferre parant. Sed pri-
mis procurſibus factis, fulminantibus contrà, qui in præſidio erant, &
defenſioni ſe offerentibus, non auſi ſuccedere propiùs. Mox cùm ru-
mor percrebuiſſet, Edſardum paulò pòſt adfore, timore perculſi, ne cir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. V. cumvenirentur, celeriùs quàm venerant, domum ſe recepêre : quo viſo præſidiarii, eruptione factâ terga abeuntium ita preſsêre, parum ut abfuerit, quò minùs tormentum maximum, quod ob molem movebatur tardiùs, redigerent in poteſtatem. Sic haud rectum conſilium, non bonum quoquo eventum habuit. Poſtridiè periculi causâ, præſidii ſupplementum novum è Tranſlavicanis in cœnobium miſſum, ac major loco ſecuritas parta. Eo tempore ab Vltrajectinis litteræ venêre ad Edſardum Saxoneſque. Groningani enim in hoc diſcrimine ſuo & armorum motu gratiæ & opis quærendæ causâ litteras dederant ad urbes & Principes vicinos. In his præcipuè ad Vltrajectinum præſulem ordinéſque diœceſeos iſtius ſcripſerant, opemque ex pacto & ſocietatis lege & ampliſſimis promiſſis rogarant. Atque hi hujus rei gratiâ, frequentes apud epiſcopum convenerant Duroſteti. Ibi cùm variatum ſententiis eſſet, tandem placuit ad Groninganos ſcribere, paratum quidem epiſcopum & ordines ad ferenda auxilia; ſed rem poſcere, ut priùs ipſi & diœceſeos ſe membrum eſſe, & cauſæ cognitionem arbitriumque epiſcopo & ordinibus permittere velle profiterentur: eo facto omnia fore procliviora. Civitas opis avida, ſine morâ prolixè id fecit, datis litteris non ad epiſcopum ſolùm, ſed ad ſingulas deœceſeos civitates, cæteráque ejus membra. Tùm iidem, quò major rei ineſſet autoritas, per denos tabellarios ſeorſim denas litteras dedêre ad Edſardum & Vitum Drachſdorpium (is Adoardiæ tum curabat, aſperi homo & ferocis ingenii) & cum his ad Rectores quoque Friſiæ Tranſlavicanæ. Earum omnium idem argumentum: *Groningam juris Vltrajectini eſſe antiquitùs : cum eâ ſi quid controverſum Saxoniæ Duci ſit, æquum eſſe, id apud ſe jure & legibus, aut colloquijs amicis, non vi ac armis expediri : & Groninganos quidem, ut ſæpiùs antè, ità nunc rursùm offerre ſe ad legitimam controverſiæ cognitionem, ac ſubeundum arbitrium, ad eámque rem ſe litteris ſolennibus obligare : petere itaque, ut bello abſtineant toti viciniæ noxiæ, nec vim inferant ad æqua paratis : ſed inducias cum ijs ineant ad Calend. uſque Octobris : ijs durantibus ſe cauſæ cognoſcendæ definiendæq;, aut ex æquo & bono componendæ operam daturos, juſtéque & cum fide acturos : hoc ſi denegetur, fateri ſe, non ſe poſſe vim patientibus deeſſe.* In denis his primùm locum litteræ habebant ipſius epiſcopi, ſcriptæ prid. Nonarum Iunij. Edſardus cum Drachſdorpio cæteriſque collocutus, communi nomine reſpondet: non eſſe, quod petant, arbitrii ſui : ab eo petendum, cujus hoc bellum ſit: illo volente, ſe in morâ non futuros. Simul Slochteranâ munitione nondùm perfectâ, præſidioque ibi tuendis operibus & vicinis finibus relicto, Edſardus ipſe per Cropſwoldios, & paluſtria eniſus cum exercitu & tormentis, Sudlaram Drentiæ vicum venit, non ſine maximo labore & moleſtiâ, ob cœlum pluviis fœdum : deîn reflexo nonnihil itinere civitatem versùs, ad flumen Aham concedit eo loco, cui à pontone navi nomen eſt, ob trajectum, quem jam pons flumini impoſitus præſtat, millibus paſſuum VI ſupra Groningam, haud procul indè, ubi centum antè annos caſtellum Blancoweranum à Blanchenhemio præſule Vltrajectino contra urbem ſtructum fuerat. Ejus loci hæc natura eſt, ut eum qui teneat, iter univerſum ex Drentiâ in urbem habeat in poteſtate. Nam minima illîc ſoli latitudo, circiter mille paſſ. inter flumen hoc, quod dixi, & lacum Laræum III paſſ. M. in longitudinem porrectum, per quem Huneſus ex Drentiâ veniens ad urbem defertur. Et in hujuſce ſpatij medio, duobus amnibus clauſi, dorſum ſe modicè attolens viam militarem hahet, ex Drentiâ Groningam commeantibus tritam : à quo dorſo cætera utrimque ſenſim deſcendunt, & humilem planiciem paluſtris ſoli in ripas uſque efficiunt. Et quæ trans amnem lacumque, difficillima itinera habent, maximéque ad ſiniſtram & occidentem, quâ Aha fertur ob ſoli uliginoſi ac humillimi conditionem, etiam æſtate vix pediti expedito per anguſtas ſemitas humanâ induſtriâ ſtratas, nedum curribus & oneribus perviam, in latiſſimum patentia ſpatium, in quantum ferè viſus hominis procurrere poteſt : atque hæc quà

deſinunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

deſinunt, illîc itinera alia quanquàm difficilia ac incommoda in Benneconiam arcem, aut Adoverdiam incurrunt. Ad orientem verò porrecta devia, & impedita, in Slochterana, aliaq; præſidia Saxonum deſinunt. At ipſe, quem ab Edſardo inſeſſum eſſe dixi, locus, Nordearam vicum, Lareno lacui accubantem, ad orientem hybernum non magno diſſitum ſpatio, Blancowerani caſtelli vallum ſemirutum, ad æquinoctialem editiore in dorſo, intervallo etiam minore disjunctum aſpiciens, in ultimâ amnis ripâ humili ſitus, reliquo ſolo paluſtri paulò altior ac firmior, aditu anguſto, ideóq; oppugnatu perdifficilis, & Blancowerano tenendis præſidiis multò melior. Hanc igitur fælicitatem ſpeculatus Edſardus domandæ Groningæ, ac velut premendis faucibus ejus, ne è Drentiâ ducere ſpiritum poſſet, vallum ibidem ingens, & magnis quoque copiis recipiendis idoneum eſt molitus; ei fini infinitam multitudinem plebis ruſticæ, præter eos, quos ſecum duxerat, ex præfecturâ ſuburbana, vetere, Duirſwoldiis, cæteris Fivelingiis, ac omnibus vicinæ Friſiæ locis cum ligonibus, equis, curribus, carris excivit; jumenta quoque, plauſtraq;, cœnobia per Oſtergoam, & Weſtergoam popoſcit magno numero: ſummo ſtudio egeſtâ atque adeò undiq; convectâ terrâ opus urſit, quæ in ea viciniâ & totâ Drentiâ Groningenſium ædificia erant, ſubverti, materiam omnem inſtruendo ædificandoq; caſtello comportari juſſit ob negatum tributum, ipſe intereà cum exercitu in aperto tetendit, nec foſsâ, nec aggere tectus, armis & virtuti fiſus, & terrori illi, quem ex ſeſe habere oppidanos noverat. Eo tempore increpitam ab ſe plebem in urbe, antè pericula ferocem, exitia ſacratis locis & ædificiis innocentibus intentantem, Sicco Beninga hiſtoricus ſcribit: Hunc eſſe locum oſtendendæ virtutis: quòd ſi fiderent viribus ſuis, & pares ſe bello huic eſſe putarent, erumpendum jam in Comitem tantulo cum exercitu tendentem in campis, loco aperto, in conſpectu urbis, urbi inſultantem, & quid aliud quam provocantem ad certamen? quòd ſi facere non auderent, quam in bello ſpem ſupereſſe? cur Adoardiæ aut cæteris locis ſacris eſſent infenſi, & imputarent perniciem ſuam? an non re ipsâ nunc diſcerēt, eos, qui urbem oppugnare velint, locis hujuſmodi non indigere, tantis quippè viribus fretos, ut expectare pugnā quolibet loco, atque ea ratione caſtella pro arbitrio ſtruere in civitatem queant? Certè aut nunc agendum fortiter, & loco depellendum Edſardum, dùm vallum adhuc nullum eum tueretur, aut de bello deſperandum. Quæ cùm vera dicerentur, confuſi & perplexi hærere primùm, dein fremere, indignari, diſcurſare, in varias abire ſententias, verbis, vultuq; ſævire, procurrere interdum portis, ſed in Edſardum totis copiis ire non audere; impendiis ſuſtentando bello hoſti prægravibus, auxiliis Vltrajectinis ſæpè promiſſis, interceſſione Burgundi, Benthemij, principúmve aliorum ſpem fulcire ſuam; ac ſi cætera deficiant, fata viam inventura: Sæpè quorum res deſperatæ ‘‘
fuerint, ſine ſpe, ſine ope, divinitùs inopinâ ratione eſſe ſervatos. Simul bello ‘‘
neceſſaria ex agro in urbem inferre, agricolis vim facere, eos qui in Saxonum partibus erant, quive iiſdem quicquam conferebant, præ cæteris duriùs tractare. In his per ſpeculatorem edocti, naves quatuor commeatu plenas in Huneſo ſtare, haud procul caſtello oræ iſtius, audaciſſimi quique numero L X V urbe egreſſi ſpe prædæ parandæ, cùm incautiùs proceſſiſſent, a militibus Adoardiis per indicē monitis, & manu concurrentium ruſticorum Marnenſium circumventi, & in fanum Nielandicum agri Marnenſis confugere, & ſe dedere ſunt coacti: in quibus Vdo quoque Riſumanus fuit: omnes in vincula ducti & more militiæ habiti. At verò Edſardus urgens, feſtinanſque opus, plures indies in laborem vocabat, militem hûc illûc emittebat interdiù, res Groningenſium tributa recuſantium affligebat, prædas abigebat, uno die ſeptenas ædes illuſtres Helpenæ tradebat igni, noctu in caſtris omnes continebat. Eodem tempore, cùm res docuiſſet, in vallo Slochterano erigendo ob ſoli ingenium fruſtrà laborari, quòd ſideret, quicquid aggeretur, Otto Papius Stichuſæ præfectus,

DECAS V. Edſardi

M. D. V. Edſardi juſſu cum duobus armatorum millibus, ut tradit Sicco Beninga, iſtùc ex Reideriis venit, evocataque è Duirſwoldiis, & præfecturâ veteri multitudine cum ligonibus & inſtrumentis aliis, miſſo conatu priore, fanum turrimque foſsâ atque aggere cingit, ei munitioni ſolo firmiore validum præſidium imponit; uno eodemque opere Duirſwoldios, Oldamptios, Reiderios ab incurſionibus ſecuros, & commeatuum convectationem ex Amaſanis & Fivelingiis in caſtra Edſardi tutam facit. Et inter hæc, quis credat? in tantâ rerum anguſtiâ placuit civitati ære alieno maximo oppreſſæ, & in arctum redactæ, ſeu diſſimulandæ inopiæ pecuniariæ, ſeu ut ureret hoſtes viros nobiles, ſive ut locum muniret, ingens propugnaculum opere lateritio antè Botteranam portam ſtrure. Affirmat eorum temporum æqualis ſcriptor, avaritiâ magiſtratuum, qui pecuniam ex tributis incendiariis penè ſine ratione tractabant, & libidine nocendi id eſſe factum. Nam nobilitatis inimicæ domus, quæ in urbe erant, (quarum quædam præclaræ atque amplæ) ſenatus decreto deſtructæ, lateresque & cætera materia in hoc opus verſa. Sed cœpta res tardiſſimè progreſſa, & vix multos poſt annos abſoluta. Vltrajectini accepto, de quo dixi, Edſardi reſponſo, cùm cognoviſſent, progredi eum, & in ſolo quoque Vltrajectino caſtra habere, munitionemque inſtituere, atque ibi ſedem belli parare, homines ſuos incommodis afficere, denuò ad eundem ſcribunt, acriusque quàm antè inſtant, & arma, nî deſiſtat, denunciant. Simul ad Georgium Principem litteras & legatos mittunt. Edſardus cum Saxonicis communicatâ re, ex conſenſu eorum ferociùs quoque ipſe reſpondet, minis non cedere ſe, non terreri; tendere aperto in campo, paratum expectare venturos, & ferro pro loco decernere: Saxoni ſe militare, Imperij principi, gubernatori Friſiæ, decretis Imperij & Regis armato: huic fidem præſtare, cætera aliis diſputanda relinquere velle. Tanta ei fiducia virtutis ſuæ & ſuorum tum inerat, ut tantulis inſtructus copiis in aperto tendens, tàm amplæ ac divitis diœceſeos opes, & ſimul civitatis obſeſſæ vim Principibus magnis quondam formidabilem, hinc illînc imminentes, tàm promptè contemneret. Sed aliâ re vulgò ignotâ, ut pleriſque perſuaſum fuit, ferocia ejus ſuſtentabatur. Etenim epiſcopus ingens ſtudium pro civitate ſimulabat: ſed Saxonis, Regiſque gratiam ſequens, quorum utrique proximo conjunctus ſanguine erat, aliud arcanis conſiliis agitabat. Deſerrere ſcilicet civitatem precariò, uti ajebat, parentem conſtituerat, ac conſilia ſuorum quâvis arte quàm occultiſſimè impedire, idque ille Saxoni, Saxo Edſardo aperuerat. Eo hic fretus, nec ordinũ minis, nec Groningenſium viribus movebatur. Quippè epiſcopum callidè ſimulantem ſtudia, eluſurum facilè conatus ordinum, & Groninganos expectatione promiſſi, quô ſine periculo pugnarent totis viribus, nihil tentaturos, ut ſagax & callens erat, ſibi pollicebatur. Atque ut artem arte juvaret, iniquiùs, & abjectiùs de epiſcopo ſæpè loquebatur, ac ſcribebat; ſacrificum, ſacerdoteſque cæremonias in fanis curare, principibus bella, ac civilia alia relinquere decère; alioſque exemplo ſuo idem facere, multa in eundem falſa dicere curabat, idque non invito epiſcopo faciebat. Ità hominis unius infulati vafrâ mente & Vltrajectini, & Groninga in fraudem venêre. Addunt alij, à nonnullis ex ordinum numero, qui libertati Groningenſium invidebant, adiûtum præſulem faciliùs iſtûc perneviſſe, quò volebat, idque ad Daventrienſes, & Suollenſes, ac è nobilitate quoſdam maximè pertinere. Eâque in ſententiâ Worperium quoque fuiſſe video. Eo tempore, ne militi alendo, qui in urbe habebatur, pecunia deeſſet, tributum erat agrariis à civitate vicatim indictum, incendiumque non ſolventibus denunciatum. Et cùm in morâ VVeſteremdani præ reliquis eſſent, caſtigandis iis ab oppidanis facta eruptio eſt, & flammæ quidem parſum, ſed maximus pecorum numerus in urbem abactus: in receptu verò à concurrente ruſticâ plebe è militibus unus, calones tres cæſi. Ob hanc rem Edſardus præſidia poſuit diligentiùs, excurſioneſque fecit impeditas. Ac licèt

oppida-

M. D. V.

oppidani inſtarent vehementiùs, incendiaq; minitarentur, tamen tantus ab Edſardo metus omnibus inerat, ut nemo pendere quicquam, ulláve cum urbanis commercia habere auderet; metuſque minor majore vinceretur. Viæ etiam tam arctè obſeſſæ, ut ſine obſidentis conſenſu nulli ferè in urbem aditus, nulli exitus, niſi furtim & cum periculo pateret, nihil inferri, efferríve poſſet. Si quid hujuſmodi fieret, ſi qua pecunia clam importaretur, id per ſacerdotes & mulieres redimendorum captivorum gratiâ commeatu impetrato, aut à ſuburbanis hominibus nec magnâ copiâ, nec ſine graviſſimo diſcrimine fieri erat neceſſe. Publicatumque demùm decretum, quo ſpes annonæ, & cæterarum rerum neceſſariarum magis magiſque in arctum obſeſſis redigeretur, ut qui intra IV paſſ. millia circùm urbem habitant, ædes ſuas tectis nudarēt, viri ad alia ſe loca conferrent, fœminis, pueris, puelliſque, quæ vellent, manendi jus eſſet cum vaccis haud pluribus, quàm quaternis, hæ fœnum ſegetemque colligerent. Decreti tamen ſeveritas à multis pecuniâ redempta; à multis obſequium præſtitum. Et jam quicquid humilis ſoli erat ad occidentem & meridiem ab urbe longiſſimo ſpatio porrectum, id nō ſolùm pluviâ, cælo valde fœdo totâ eâ æſtate, ſed etiam diſruptis Edſardi juſſu aggeribus Huneſi & Ahæ aliquandiu nataverat, annique proventus perierat, omnis illa plaga lacus aut maris faciem, quà latiſſimè viſus hominum patebat, induerat. Hoc modo excurrendi facultate privati oppidani eâ parte, aliâ tamen ratione fortunam periclitaturi, prædæ ſpe in naviculas ſe conjecêre, vaſtatiſque rursùm apud Rhodenos in Drentiâ fornacibus & quæ coquendæ cerviſiæ faciunt, ne Saxonibus commodo eſſent, prædæ inanes per Hogekerkios, & Legekerkios in urbem rediêre. Hinc proximis diebus dum procedit opus in Ahæ ripâ, de quo dixi, tardiùs quàm par erat ob nubium fœcunditatem, variè ſe partes fatigarunt. Edſardici ad proxima urbis in latere auſtrino per noctem delati, ut molas, atque ædificia incendio darent, ſed tormentis rejecti: patibuli novi machina magnifici operis ab iis ſubverſa, Helpenæ domus aliquot, in quibus Coenderorum, vaſtatæ. A Groninganis pomarium Onſtæum Sawerdiæ excîſum; indè ingenti manu in Marnenſes ob memoriā prioris injuriæ inviſos excurſio facta: vexata, & tributis, damniſque afflicta plebs ruſtica: res per imbrem intempeſtivum prædatoribus impeditior facta, ager miſerè inter utroſq; colliſus, & attrîtus, pecuniæ per oppidanos, acerbiùs quàm patronos & defenſores decebat, ab innocentibus extortæ, malum bello familiare, quod ut dimenſo non paciſcitur, ità æquum ſæpè teneri in eo non poteſt. Erat ob has res pecuniæ publicæ ratio hujuſmodi, ut fraudum ſinibus variis pateret avaritiæ: incideretq; in ſuſpicionem reip. quæſtor ejus temporis Elethus Tammius, è plebe natus apud Siddeburios, ſed in civibus aſſcriptus, propterea quòd intra triennium ex tenui re ad magnas divitias perveniſſet: ejuſq; exemplo cæteri quoque, qui æris publici partem tractabant, ſua commoda non neglexiſſe videbantur. Itaque Tammio quæſturâ dejecto Rudolfus Huinga ſuffectus, eiq; additus Conradus Coenderus conſul: ſinus quidam ad dolos obſtructi, id eſt, Lernæ capita ferro reſecta. Simul varii affectus, ac ſermones in populo; ſæpéq; liberæ voces editæ, cupidini paucorum, odio, avaritiæ, ſuperbiæ procerum parentari miſerrimis afflictionibus innocentis agri. Medio tempore, cùm jam legatus Vltrajectinus ad Georgium veniſſet, & Georgius ad Maximilianum Regem rem rejeciſſet, ardente bello Geldriâ, Rex convētum ordinum Germaniæ indixerat Coloniæ, atque ipſus cum illuſtri comitatu procerum iſtûc venerat, coïerantque ad eum Principes, aliiq; ex ordinibus complures. Conventus cauſa ferebatur duplex, ut Philippus Palatinus Elector, mortuo nuper ex animi mœrore filio Ruperto, qui bello publico petitus fuerat anno ſuperiore, & graviter afflictus, compoſitis cum parte adverſâ, imprimiſque cum Lantgravio Heſſo rebus, publicis in comitiis in gratiam Regis fidemque Imperii reciperetur: præcipuè verò, ut bellum Geldricum, quod in Carolum Ducem Philippus Burgūdus

M. D. V. Maximiliani filius paulò antè morte ſocrûs Caſtellæ rex appellatus, opibus Bel-
gicis gerebat, extingueretur. Illîc in Principum numero cum Rege Maximilia-
no fuit quoque Georgius, & de rebus Friſicis accuratiùs edoctus ab Hugone
Leiſnicenſi, quem rurſum Friſiâ evocaverat, cum eodem Rege egit, ut litteræ
mitterentur ad præſulem ac ordines Vltrajectinos, quibus monerẽtur graviter,
ne ſe rebus Groningenſium miſcerent ullo modo: deîn uti milites militumque
præfecti, qui Groningenſium merebant ſtipendia, edicto regio juberentur, vel
ſtatim ab his ipſis diſcedere, vel cum iis proſcriptorum in numero haberi. Vtro-
que impetrato, & caduceatore Groningam miſſo, Maximilianus expeditâ cum
Palatino re, cæteris Coloniæ relictis, ipſe cum filio & illuſtri exercitu ſecûndo
Rheno deſcendit Arnhemum Geldriæ oppidum primarium & maximè muni-
tum, in quo Carolus Dux, qui iſtûc, bello preſſus, amiſſis compluribus oppidis
aliis, ſeſe receperat, à Belgis obſidebatur, ut deditionem oppidi & Ducis matu-
raret, bellumq; finiret. Eâ tempeſtate legatus cum litteris à Philippo rege Sacel-
lanus Maximiliani, (Arnoldúſne ille fuerit Davẽtriæ ſacerdos, de quo antè ſcri-
pſi, non poſſum dicere) Groningam venit, ſine voluntate & conſilio, uti creditũ,
Georgii. Is ſenatui expoſuit, ſi civitas, uti nuper factum, ità etiam nunc arbitrum
ferre Philippum vellet, ſperare eum, ex commodo partis utriuſque ſe rem om-
nem inter eos compoſiturum. Eo per populum vulgato, (Senatus quippè cum
XXIV-viris, hi cum cæteris communicabant) rursùs variis certatum ſententiis:
Multi Principis benevolentiam toties ſe offerentem non negligendam judica-
» re, metuentes ſpretam denuò in offenſionem atque odium verſum iri: Sic quip-
» pè naturam habere hominum, quò quiſq; generoſior ſit, eò indignius uti ſperni
officia ſua ferat: in Epiſcopo plus ſimulati ſtudii, quàm veræ benevolẽtiæ adhuc
deprehenſum: Amentium deniq; eſſe, cùm melioribus ac certioribus uti liceat,
incertis & haud æquè bonis inhærere. Philippum civitatis amantem, nec gratiâ
Saxonis moveri ob opum ſuarum vim, & apud Regem patrem plus quàm ul-
lum principem poſſe: occaſionis rem eſſe haud facilè recuperabilis: quæ ſi non
offerret ſeſe, quærendam ultrò atque optandam; & cùm nuper accepta cõditio
ſit, meliore adhuc civitatis fortunâ, dementiam videri in his rerũ anguſtiis ean-
dem contemnere. Alii ſuſpectam benevolentiæ oſtentationẽ habere: non ver-
bis, ſed rebus ac rationibus ponderanda negotia: an veroſimile, à patre filiũ diſ-
ſidêre? alia odia, alios affectus habere? non principum fortunâ & cõditione com-
» muni, non ſocio ſanguine moveri? eſſe inſitum ordini potentûm, maximè ſi qua
» inter ipſos neceſſitudo, ut ſibi potiùs mutuò, quàm populis liberis faveant, nec
» ullam rem magis, quàm civitatum fortunã inviſam habeant: & ſi nihil ſit aliud,
quod iſtuc impellat, pactum cũ Saxone de reſtituendâ Friſiâ eum impulſurum:
nã pro Saxone quod jam facturus cẽſurúſve ſit, reverâ pro ſe ipſo, ac hæredibus
» cenſurum ſuis: naturæ enim hanc legẽ eſſe, ſibi quemq; magis benè velle, quàm
alteris: epiſcopũ contrà, pro civitate facientem, pro diœceſi ſuâ facturum: cui ſi
animus quoq; rectus non ſit, nocere tamẽ pro voluntate haud poſſe ob ordines
ſuos, quorũ in poteſtate conſilia ſint ipſius: hos autẽ nec minui paſſuros rempu-
blicã ac diœceſin ſuam, & liberos pro liberis, ſimiles pro ſimilibus eſſe cenſuros.
Nec pauci fuêre, quibus nec hoc, nec illud ſatìs placeret, ac ut fit in rebus arctis,
qui viderent quid fugiendũ improbandumq; in conſilio, at quid ſequendũ lau-
dandúmve, haud viderẽt. Poſtremò in hanc ſententiã legato reſponſum, Vltra-
jectinis jam rem permiſſam, ab eo recedere civitati non licere: à Philippo prin-
cipe intereà enixè civitatẽ petere, ad eam rem ſi quid poſſit (poſſe autem, omnes
exiſtimare) apud patrẽ Saxonemque, id uti faciat, ac pacem æquam promoveat:
hujus beneficii, ut omnis prioris benevolentiæ memoriã omnium animis fore
perpetuam. Vix digreſſo legato, ſeu ex compoſito, ſeu fortè, fecialis affuit, de quo
dixi, ab Rege & Principibus litteras ferẽs, ad militum præfectos pubemq; milita-
rem, acriter ſanè ſcriptas. Sed ut fecialis munificè honeſtéq; habitus, ità litteræ
penè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

penè deriſæ, jactantibus, qui ferociâ anteibant, fruſtrà litteris tentari, qui armis
ſuperari non poſſent. E Saxonis quippè mente, non Principum cæterorum vo- M. D. V.
luntate ſcriptas eſſe litteras rebantur. Vltrajectini intereà de auxiliis rursùm
admoniti; priuſquàm firmaret ſe ac vallaret Edſardus, excuſare ſe belli Geldrici
metu, exterriti quoq; denunciatione Regis: poſſe quippè nullo negotio è Gel-
driâ in confinem diœceſim arma verti: rogare Groninganos, ut brevem moram
patienter ferant, omnemq́; ab ipſis fidem expectent. ſperare præſulem ſuum ad
Regem profectum æqui aliquid ab eo impetraturum: ſi ſecùs, non ſe tunc diu-
tiùs promiſſum dilaturos. Mox à præſule litteræ venêre è caſtris domū reverſo.
Is enim urgentibus atq; inſtantibus ordinibus ſuis ad regem utrumq; ſe contu-
lerat, ut de vi atque injuriâ quereretur, tuereturq́; diœceſeos jus. Eo, uti præ ſe
ferebat, expedito cū fide, & re ad ſuos relatâ, ſine morâ Duroſteto ſenatui Gro-
ningano ſcribit, in caſtris ad Arnhemum à Maximiliano Rege ſe juſſum, ordi-
nes ſuos denuò convocare Daventriæ, ut cùm alia agantur ad diœceſin totam
pertinētia, & in his de litteris Philippi regis, tùm tranſactio tentetur inter Saxo-
nem & ipſos: venturos iſtuc à Maximiliano & filio legatos; & ſeſe adfuturum:
itaque poſcere rem, ut ipſi quoque ſuos eódem mittant, neû in morâ ſint: diem
conventus ſtatuere ſe IV Calend. Auguſti. Poſt dies ſeptem caduceatorem mit-
tit ad Edſardum & Saxones, commeatumque liberum legatis petit. Quò impe-
trato, deſignati, qui Daventriam irent, prudentiſſimi & graviſſimi quique in ci-
vitate, Guilhelmus Fridericus ſacerdos, Hermannus Leo, Conradus Coenderus
conſules, Petrus Sickinga, Hermannus Clantius conſulares, eo anno ſenatores
ſimul & Hovetmanni, Gelmarus Canterus ſenatui à ſecretis: atque his mandata
data hujuſmodi; in rebus totius diœceſeos agerent cum cæteris, quod res poſce-
re videretur: in causâ civitatis ſi poſtulaturus eſſet Saxo, fidem ac obſequium
jurari ſibi, & quidquid hujus generis, id omnibus modis ac rationibus refuta-
rent: divortium quoque urbis & agri abnuerent: cognitionem & judicium Ca-
meræ uti ſuſpectum recuſarent, recuſationiſque rationes exponerent. Ejus loco
ſi interceſſio & actio Electorum Principúmve aliorum deferretur, ſtatuerent eâ
in re pro prudentiâ ſuâ: ſimiliter facerent de induciis quantívis temporis, ma-
nētibus etiam caſtellis ac munitionibus Saxonum, cujuſmodi eſſent nunc, mo-
dò de juriſdictione nihil detraheretur, eaque maneret, qualis eſſe ſolet; alioqui
in hâc parte concederent nihil: ſi commodum videretur, & ex re civitatis, cum
Maximiliano Rege, aut filio Philippo, aut Principe Saxone, alióve agere & pa-
ciſci conditione tali, ut ager in poteſtate maneat civitatis, in eo ſequerentur ju-
dicium ſuum: denique largitione quoque pugnarent, ſi cum fructu poſſent. Po-
ſtremò perampla iis poteſtas permiſſa faciēdi in omnibus, quod utile ac ſalutare
patriæ putarent, atq; hæc ipſa mandata arctandi ampliandiq́;, quemadmodùm
fortunam præſentem poſcere, atq; eidem patriæ expedire arbitrarentur. Cum
his mandatis Daventriam profecti, comite feciali. Iſtîc præſtò fuêre Fridericus
epiſcopus, & pauci è nobilitate, cum delectis civitatum Iſalanarum: à Regibus
& Saxone nemo venit. At præſentium, cùm actio cœpiſſet, talis ad Groninganos
fuit oratio. A Maximiliano jam antè denunciatum ſibi, Groningam graviſſimas
ob cauſas eſſe proſcriptam, & omnibus auxiliis, ſocietatibus, commerciis pro-
hibitam: & tamen à ſe commeatum ad hoc colloquium liberum ac tutum, &
colloquii facultatem apud eundem Regem & Saxonem ipſis impetratum, non
quietis magis, quàm ipſorum ſtudio: id unicum fuiſſe, quod hactenus pro ſociis
facere potuerint. Nam arma movere duobus regibus cum exercitu in viciniâ
expeditis, & Saxone hoſte præſente, haud conſultum fuiſſe. Ad hæc miſſum ad
Saxonem in viciniâ agētem à ſeſe celerem nuncium, qui inquirat, an ſuo epiſco-
piq; judicio cauſam velit ſubmittere: hujus nuncii adhuc expectari reditum: ac
vereri ſe, non ex ſentētiâ Saxonem eſſe reſpōſurum. Quòd ſi fiat, cupere cogno-
ſcere, Camerámne Imperialem judicē, aut Maximilianum Regē, Philippumq́;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. V. filium ejus, arbitros poſſint ferre: ſine his non videre, quomodò ex tantis erui
belli malis queant. Dulcem quidem libertatem, cæteraq; pro quibus dimicent,
» ſed contra neceſſitudinis vim fatumque niti, & reliqua cuncta cum libertate
» peſſum dare, extremæ demẽtiæ eſſe: neceſſitati verò cedere, & cum omnia non
» poſſis, nonnulla ſervare, hoc ſapientiæ & rationi convenire: ſibi quoque permo-
leſtum perdere ſui partem, ſed ferre, quod mutare non queant. Ad ea cum ſuis
locutus ſeorſim, atque ad conſeſſum reverſus Guilhelmus Fridericus: longè aliâ
ſe ſpe veniſſe; dolere cùm alia, tùm de proſcriptione quod dictum iniquâ & va-
nâ: nam pollere quidem Regem poteſtate decernendi, ſtatuendi, mandandi, ſed
ſecundùm jus: atque ità obſequendum ei: verùm ſi qua divino humanoque juri
ſtatuat adverſa, obſequium haud mereri: Fuiſſe officii regii, ſi quid putaſſet de-
linquere civitatem pœnâ dignum, citare eam, contumacemque, aut criminum
cõvictam damnare, damnatamque, & judicio non parentem proſcribere: quo-
rum cùm factum nihil, iniqua & inania eſſe iſta præcocia & informia fulmina,
nec fas eſſe moveri iis ſocios & æqui amantes, ullóve iis modo morem gerere:
iniquis quippè mandatis parentem, injuſtitiæ ipſius ſe facere miniſtrum. Si Saxo
conditionem admittet, de æquitate præſulis principis ſui ac ſociorum optimam
ſe ſpem fovere. Si ſecùs, quamquàm de eo mandata non habeant à ſuis, ut quic-
quam reſpondeant, tamen exiſtimare, è re civitatis haud eſſe, Cameræ regiæ ſe
permittere: judices quippè gratiæ ac ſtudii partiũ haud abs re civitati ſuſpectos:
Philippum paulò antè ſuum legatũ in urbem miſiſſe, eiq;, quod maximè æquũ,
eſſe reſponſum: ſed nihil iſtinc hactenus bono cauſæ proveniſſe, nec ſpem in fu-
turum ſupereſſe. Quòd ſi alio ſuccurrere modo non queant, etiam atque etiam
metuere ſe, imò prævidere, populum deſertum à patronis ſociiſq;, ac neceſſitate
ſubactum, ad alia auxilia convolaturum, quoniam Saxonum haud velle ſubire
ſervitutẽ animis omnium fixum: id verò nec bono fortaſsè ipſius, nec commo-
do diœceſeos futurum. Eâ oratione velut attonitus præſul, parãtes ſe itineri le-
gatos orat, ut in craſtinum ſaltem expectent: intereà ſe cum ſuis deliberaturum.
Craſtino reſpondẽt omnes: Si tolerare obſidionem ac fortunam poſſint ad dies
XIV, nec intereà fiat tranſactio, ſe iis auxilio futuros. Ita Daventriâ diſceſſum die
III Non. Sextil. Inter hæc Carolus Geldrus, de fortunâ belli deſperans, exutus
omni ferè provinciâ Philippo regi cognato ſe reconciliat. Coière in arce Roſen-
daliâ propè Arnhemum, & ſoli cubiculum ingreſſi, Geldro ad pedes Burgũdi ſe
abjiciente, & ab eodem erecto, conditionibus arcanis de omni re transegère.
Fama fuit, ſic conventũ, ut Carolus Geldriam ſub patrocinio Burgundi & hære-
dum ejus retineret. Pace publicatâ, reſtituta ibi quies, & miles dimiſſus. Geldrus
à Burgundo Sanctos, oppidum Cliviæ, ductus ad Maximilianum parentem, ut ei
quoq; reconciliaretur. Huc à ſenatu populoq; Groningano, promiſſis inanibus
Vltrajectinorum ad ſpem rursùm erecto, Canterus ad Philippum regem miſſus,
iſque ab eo rogatus, interceſſurum ſe apud patrem & Saxonẽ pro civitate polli-
citus eſt. Edſardus abſoluto jam ferè caſtelli vallo, & reliquo opere, incensâ, va-
ſtatâq; per noctem Eberhardi Coenderi domo Helpenæ, paſſimq; per paluſtria
in ditione Vltrajectinâ exuſtis ceſpitibus aridis, domiciliis, & quicquid prætereà
igni perdi poterat, quod Groningenſiũ eſſet, eo tempore, quo Daventriæ actio
cœperat, omnẽ ſupellectilem coquẽdæ cerviſiæ, aliaq; culinariæ officinæ, lectos,
ſtragula, ab Eſſeniis ſumpta, in caſtellum novum tranſtulit. Id perfectum, à re-
pellẽdis oppidanis, quibus ſolitum iſtuc excurrere, & commeatus petere, Wer-
denbraſſum joco militari dixit. Tùm collocato illîc præſidio, quantum ſatis eſſe
rebatur, ipſe cum cæteris Adoardiam ſe retulit. Ibi petente præfecto Coverdio
Rodolfo Munſtero Groningenſium villis & colonis, qui in præfecturâ ſuburba-
nâ, totâq; Drentiâ ſedes habebant, in gratiam præſulis Vltrajectini, mẽſtruas in-
ducias dedit; adjectâ lege, *ne quid intereà commercij cum urbe haberent, ne qua infer-
rent, efferrentq;, idq; ipſa quoque probaret civitas.* Simul rebus illîc conſtitutis, relicto
legato

egato Vito Drachſdorpio, Dammonam, Dammonâ Emdam abiit. Ab hujus M. D. VI
abitu Groningani maximo numero naviculis petitâ Drentiâ frumentandi cau-
sâ, & tenuiſſimâ ſecalis paratâ copiâ, ut erat cum ſtramine demeſſâ, atque in ur-
bem relatâ, in Harenſi fano præſidium poſuere, cum præfecto Hodemakero. Ei
præſidio expugnando miſſi à Saxonibus milites die XI Calend. Septembr. ſub-
miſſaque in hos confeſtim ab oppidanis ingentia auxilia, pugna conſerta in ipſâ
meridie, meliore horum quàm Saxonum fortunâ. Groningēſium quippè ſupra
IX non cæſi, & X capti, in quibus Eberhardus Entenius, Petrus Holtenus, Allar-
dus Neocloſterus. Illorum ſeptuplo plures interempti, ſed pauciores vivi in po-
teſtatem redacti. Mars tamen anceps penè habitus. Præſidium ab oppidanis do-
mum reductum. Paulò pòſt ſupplemēto mille militum è Tranſlavicanis Adoar-
diam miſſo, Vitus Drachſdorpius abſente Edſardo curans, pontem Huneſo no-
vo celeriter imponit, loco inter Adoardiam & Selwerdiam medio, cohortes
ducenarias quatuor Selwerdiæ collocat, tumultuario opere aditus cœnobii
munit, cuncta ab eâ quoque parte uſque ad urbis mœnia obſeſſis infeſta efficit.
Hoc novo dolore uſti Groningani, rebus nondum ſatis paratis, eductis tormen-
tis ex urbe, eo loco, ubi editior campus ſubſidere incipit, fulminare in cœnobiũ,
ut cohortes indè dejicerent, ſed propiùs non accedere: præſidiarii contrà colu-
brinarum ingentium, quas Vitus miſerat, globos in eos torquere, nec loco ce-
dere, deindè velitationibus nonnunquàm contendere, ad urbem uſq; noctu ex-
currere, & tumultus ciêre, ædificiis & machinis etiã ignes injicere. In his tamen
malis & fortunæ decremento promiſſis ſociorum animos adhuc ſuos oppidani
ſuſtentabant. Socii verò per epiſcopum aliarum quoque rerũ causâ profectum
ad Philippum, ſollicitabant hunc, ut gratiâ ſuâ apud parentem & Saxonem col-
loquio paciq; fores aperiret. Annuente hoc, hujuſq; operâ patre ac Saxone per-
ſuaſis, Maximilianus poſtrid. Calend. ſeptembr. Bruxellâ ſcribit epiſcopo, collo-
quio diem ſe cõſtituiſſe Doesburgi in Geldriâ alterum poſt Idus Septembr. co-
gnoſcendæ cũ Saxone controverſiæ in re Groninganâ; mandat, ut ad eum diem
ſiſtat ſe cum ſuis, idemque ſignificet Groninganis, & jubeat in tempore adeſſe.
Ille confeſtim id his enunciat, ac parare ſe jubet, ne ſint in morâ: intereà pro-
mittit, ordines diœceſeos ſe convocaturum, & cum his de re deliberaturũ Du-
roſteti. Simul de fide publicâ caveri ipſis curat. At hi, acceptis epiſcopi litteris,
verſare rem in omnem partem, ſpem, metum, pericula metiri: demùm in hanc
deſcendere ſententiã, Gelmarum Canterum, qui nuper in diœceſi ſubſtiterat,
ut urgeret auxilia, inſtruẽdum mandatis pro tempore, mittendumq; Doesbur-
gum. Mandata ſcripta generalia: inprimis ut prece ac pretio & rationibus con-
tendat apud Maximiliani legatos, ut quemadmodũ hactenus fuerit, ita deinceps
quoq; civitas cum agro ſocio in fide relinquatur Regis & Reip. Germaniæ, & in
clientelâ epiſcopi Vltrajectini: ut omnes recuſet inducias, niſi caſtellis omnibus
& cæteris municionibus Saxonum everſis, aut ſaltem aliorum poteſtati traditis,
ut pro ingenio ſuo reip. conſulat, ſequaturq; potiſſimùm illa, quæ Daventriam
ituris erant in mandatis data. Cum his epiſtolam mittunt ad Canterum, eumq;
rogant, ut Doesburgum eat, & civitatis cauſam tueatur, eandemq; de non miſ-
ſis aliis legatis excuſet. Simul & ad præſulem ac ordines Vltrajectinos ſcribunt,
quòd legatos cum amplioribus mandatis non mittant è civitate, id fieri, quòd
tempus conventui ſit dictum brevius, quodque commeatus litteræ ad ſe miſſæ
non ſint hujuſmodi, cujuſmodi eſſe debeant, denique quòd exiſtiment idẽ fu-
turum in conventu hoc, quod nuper acciderat Daventriæ, ubi, præſentibus, &
cum periculo iſtûc profectis reip. legatis, ex adverſariis nemo comparuerit, atq;
ità labor & ſumptus perierint. Petunt excuſatos haberi ſe, & ad omnia æqua ſe-
ſe offerunt, cauſamq; civitatis etiam atque etiã commendant. Conventum ta-
men Doesburgi, & res cum legatis regiis tentata: ſed quòd ſine integrâ legatio-
ne Groningēſium, & ampliore legatorum poteſtate vderetur nihil agi utiliter,

M. D. V. nihil confici poſſe, indignantibus regiis & in civitatem ſtomachantibus, actio eſt abrupta. Dies tamen & locus alius eſt deſignatus conventui novo, intercedentibus Vltrajectinis. Locus Hattumi placuit oppido Geldriæ ad Iſalam flumen, paſſuum millibus octo ſupra Campos, bidui ferè itinere æſtivo, tridui hyberno Groningâ diſſitum. Dies dictus Cal. Octobr. eoq́; omnes vocati, quorum intererat. Ad Groninganos caduceator miſſus cū litteris commeatus liberi à Maximiliano Rege, & Principe Georgio. Itaq; nec tergiverſandum hi rati, de mandatis fuêre ſolliciti. Seriò enim agi res, & exprompto conſilio ac magnâ ſapientiâ opus habere videbatur. Demùm capitibus iiſdem, quæ Daventriam euntibus nuper data fuerant, inſiſtere placuit. Nec dubitatum, quin iidem legati, qui Daventriæ fuerant, nunc quoq; Doesburgum eſſent mittendi. Erant enim ſapientiſſimi in civitate & animis non abjectis, & in hâc cauſâ actioneque verſatis. Hi domo profecti v Cal. Octobr. omnibus fælicia cōprecantibus cùm Hattumum veniſſent, ab Vltrajectinis, qui aderant, lætis animis ſunt excepti. Venêre eôdem à Maximiliano Rege tres ſummæ dignitatis viri, in quibus Cancellarius ipſius, atque alter è Comitum ordine: à Philippo quoque totidem, à Saxone Pflugius, Duvenus, Siverdus, Luſingius, & duo alii ex Rectorum Friſiæ numero, atq; ipſe Edſardus Comes: à nobilitate agri Groningani Releſus Euſumanus, Aſigo Raſwerdius, Ioannes Rengerus Poſtanus: frequentiſſimi verò cum præſule ſuo Vltrajectini, omnium ordinum, inprimis delecti civitatum Iſalanarum. Tùm ex compoſito datæ ſunt præſuli litteræ Maximiliani Regis die v I Calend. Octobr. ſcriptæ Argentinæ, (ſi vera eſt, quæ in exemplari legitur, ſubſcriptio,) admodum aculeatæ, quibus ei ordinibuſq́; ejus ſeveriſſimis verbis cum denunciatione graviſſimæ pœnæ mandatum, ut à conſilio ferendi Groninganis auxilia abſtinerēt. Mox ad conſeſſum ubi ventum, quod fuit die v Non. Octobr. orator Maximiliani Regis è Comitum ordine, ut ait Sicco Beninga, ad Vltrajectinos primùm ſe vertens, repetito litterarum jam memoratarum argumēto, Friſiam omnem, inquit, nomine ac bono reip. Germaniæ pacandam regendamq́; Alberto Saxoni & hæredibus ipſius ſeptem antè annos publicis in comitiis eſſe aſſignatam, eaq́; aſſignatione Groningam quoq; comprehenſam. Sed huic ſe oppoſuiſſe potiſſimū Groninganos, & multa in Friſiâ turbaſſe: Albertoq́; defuncto, in hæredes inſurrexiſſe: ideò cum ne moniti quidem abſiſterent, à Rege Maximiliano eſſe proſcriptos, & bello petitos: Intereà auditum, præſulem civitatē hanc in ſuis habere, eiq́; defenſionem & auxilia promittere, atque ità alere & augere ferociam ejus, & contumacia conſilia. At Regem mādare, ne quid tentet hujuſmodi, nec ordines ipſius; monere omnes, ut memores ſint fidei, quàm Regi & Reip. Germaniæ debeant. Si ſecus faciant, gladium eundem ſtricturum Regem in ipſos, quē in Groninganos ſtrinxerit: hoc ipſis denunciatū Regem velle. Hinc ad Groninganos converſus, verbis vultuq́; aſper: Vobis, inquit, mandat Rex, ut urbem veſtrā Alberti filiis Saxoniæ Ducibus aperiatis, his ſacramentū dicatis, aream in urbe extruendæ arci, quantā volent, aſsignetis, poteſtatem liberam eligēdi conſules, ſenatum, magiſtratus cæteros cedatis, munitiones tormentaq́; cum omni inſtrumento ac apparatu tradatis: vectigalia etiā urbis, portoria, omnes denique civitatis reditus in eos trāsferatis: Poſtremò omni juri, quod in agrum vicinum habere vos arbitramini, renuncietis. Quæ ſi feceritis, corpora fortunæq́; privatæ vobis manebunt incolumes. Si perſtiteritis in propoſito, experiemini brevi pertinaciæ veſtræ fructum, & malo veſtro docebitis alios, quid ſit Regis ac Principum decreta temnere, & minas ridere. Eſt ſcilicet jam nunc paratus exercitus, nutū regis principumq́; expectās, ſine morâ advolaturus, ut cum Saxonibus vos ſocioſque veſtros invadat, & extremas ab omnibus vobis proſcriptorum pœnas exigat. Hâc inopinâ oratione (nec enim tantam acerbitatē expectaverāt) vehementer turbati Groningani, nec parùm perplexi Vltrajectini, alii in alios diù intuiti, velut attoniti hæsêre; dolorē vultu & verbis prodere, queri etiam liberiùs,

reſponſi

reſponſi denique dilationem petere in craſtinum. Craſtino pro Vltrajectinis ſummi collegii decanus reſpondet: Groningam DCCL ante annos ab Henrico Imperatore ritè donatam eſſe Eccleſiæ Vltrajectinæ, eámq; ad hoc uſque tempus in fide epiſcoporum fuiſſe: hæc certiſſima eſſe, & adeſſe horum teſtes has litteras;(ſimul litteras proferebat) nec quemquam hoc jus eccleſiæ feciſſe controverſum: adhæc epiſcopum ſuum Fridericum ex illuſtriſſimâ Badenſium familiâ ritè electum, ab Romano Pontifice conſecratum, à Rege hoc eodem Maximiliano in poſſeſſionem ſolenni more immiſſum, & à Groninganis appellatum dominum. Quapropter nec fas eſſe, nec æquitati clementiſſimi Regis congruum, pietate majorum collatum donum, vetuſtæ tranquillæque poſſeſſionis clariſſimum jus, deniq; beneficium etiam ſuum ſine causâ culpâve delinquentis reſcindere; ſperare Epiſcopũ ſuum, & omnes ordines, ſi quid non cognitâ causâ ſtatutum ſit in aulâ (quis enim cuncta omni momento tenuerit,) id, meliùs re intellectâ, vim non habiturum. At Guilhelmus Fridericus pro civitate ſuâ, quàm procul æquo juſtoq; abſcedant, quæ abs ſe poſtulentur, oſtendit; Ea enim damnatarum victarumq; urbium ab iratis irrogata victoribus extrema ſupplicia eſſe ſolere. At ſuam civitatem nullius ſibi delicti conſciam, non vocatam in judicium, nedum convictam, damnari juſtâ ratione non potuiſſe, nec proſcriptionem hujuſmodi nullo jure promulgatam nocere ei debere. Nam præter juris modum ac morem quod fit, id per ſe irritum eſſe, nec gravandis innocentibus uſurpandum ab his, qui juſtitiæ præſides audiunt. Præterea *Friſios quondam mangno honori, magno auxilio fuiſſe Carolo Magno Regi, ejus caſtra in Galliam, Hiſpaniam, Italiam, pannonas, Sclavos, Danos eſſe ſecutos, imprimis in ſubigendâ pertinaciſſimâ Saxonum gente, fortiſſimam fideliſſimámque operam præſtitiſſe: hanc ob cauſam caros eoſdem Carolum habuiſſe, & inſignium meritorum ergò multis viciſſim beneficijs atque optimis privilegijs ornaſſe, damnatiſque ſervitute Saxonibus, hos liberos eſſe in perpetuum juſſiſſe, immunes à Principum imperijs, ſuo jure, ſuis moribus viventes, ſibi magiſtratus pro libitu ſuffragijs creantes, majeſtatem Cæſarum comiter agnoſcentes, fœdera inter ſe, & cum vicinis tuendæ paci libertatíque ferientes: atque hoc jus optimum à ſucceſſoribus ejus Regibus ſæpè confirmatum ad iſta uſque tempora perveniſſe. Eo jure eos, qui inter Lavicam & Amaſum colunt, à multis jam ſæculis, atque antiquiſſimâ hominum memoriâ cum civitate ſuâ fœdus pactáque habere, haud parvo totius reip. ac quietis bono, eaq; ab Regis parente olim, & nuper ab ipſo quoque Rege hoc, diplomatis eſſe probata. Quæ cùm ità habeant, haud deſperare ſe, cognitâ causâ, plus apud mitiſſimum Regem, cæterosq; Germaniæ proceres jus ac fas, quàm Saxonum gratiam, & inutile decretum valitura, nec nomen honorémque ſuum cum ſanctiſſimâ juſtitiæ relligione ſummum Principem paucorum cupidini & amicitiæ eſſe poſt habiturum.* Ad ea rurſum Regis orator cum Saxonum Burgundíque legatis paucis collocutus, *Henrici Cæſaris donationem, quam aſſertis Vltrajectini, ad eccleſiaſtica tantùm*, ait, *non ad civilia cenſemus pertinêre: in ijs Rex impedimento epiſcopo aut ſedi Vltrajectinæ futurus non eſt: civilium alia ratio: ea Imperij & ejus præſidis ſunt, & arbitrij eorum ſecundùm leges. At Groningani quòd non citatos indictâ causâ ſe proſcriptos queruntur, id verum eſſe non fatemur. Vocata enim per edictum civitas, ac non ſiſtens ſeſe, damnata proſcriptáque fuit. Alienum verò, quod de Friſiorum libertate ac iure dixiſtis Groningani. Nam oruare potuit eos Carolus ob merita, & beneficijs afficere, ſed ab Imperio alienare in univerſum, nec voluntas illi, nec fas fuit: quippè diminuendo imperio, cuius augendi auguſtum nomen præferebat, id fuiſſet. Et ſi quid excidiſſet ei huiuſcemodi, hoc legibus contrarium, robur habere haud poſſet. Nos verò procul id à mente excelsâ, & boni publici cupidiſſimâ & prudentiſſimâ abfuiſſe non dubitamus. Itaque miſſis inanibus diverticulis & effugijs, obſequimini, & conſulite vobis, dùm licet, ne, ſi feceritis ſecùs, ſerò deplorare ſortem veſtram cogamini, cùm pœnitentiæ non erit locus.* Atque hæc vehemens animo, ac voce acerbâ. Cui cùm reſpondere cuperent utriq;, ſurgentibus

M. D. V.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. V. Cæſarianis, confeſſus ante tempus eſt ſolutus. Poſtero cùm coiiſſent dentio, priuſquàm dicendi facultas Groninganis ſociiſque eſſet data, querelæ in illos variæ à cæteris illatæ. Edſardus repoſcere debitum Foxiani temporis: nobilitas ædes ſuas atque arces direptas & everſas memorare; Saxones inducias ſæpè violatas, & damna illata recenſere. Illi quanquàm obruti numero, ad ſingula tamen reſpondere: Aurum non civitati, ſed agrariis mutuò datum ab Edſardo, & cùm reſtituendi ejus causâ cenſus eſſet collectus, iſque ſervaretur in urbe, bello communi Tranſlavicano impenſum non neſciis invitiſve agrariis: quæ paſſa nobilitas fœderum ruptrix, ea non damno, ſed merito penſanda, belli tempore apertis irrogata hoſtibus: in Saxonibus quidem dubitari poſſe magiſne accuſanda iniquitas, an miranda frons, qui facinus ſuum objiciant civitati: hos quippè auctis munitionibus, pacto non ſtetiſſe, libero rerum uſui impedimento fuiſſe, Oterdumæam arcem ne nunc quidem reddidiſſe, Dammonæ vectigalia nova inſtituiſſe nullo jure: atque has ſimileſque ob cauſas civitatem adactam Dammonam armis appetiiſſe, clademque accepiſſe non levem, quæ omnia damna, de quibus queri hoſtes queant (ſi ea, quæ bello commoto belli vis hoſtibus infert, hoc modo cenſenda ſint) non æquet ſolùm, ſed procul etiam ſuperet. Verùm vix finierant hi, quùm pars adverſa obturbare rursùm, dictáque refellere: pecuniam bello conſumptam nullo ordinum agri conſenſu, effractâ arcâ ablatam, bellumque non neceſſarium, duce libidine, non ratione, dolentibus agrariis eſſe trans Lavicam geſtum: agrum totum tributo à civitate emunctum contra induciarum leges: bellos homines, qui alios pactis teneri velint, ipſi teneri nolint: de Oterdumæâ arce vaniſſimum, pacto non incluſâ: cætera quoque inania. Denique obſtrepentibus iterùm iſtis, & liberâ voce cauſam tuentibus, confuſior clamor oriri, propéque in rixam deſinere. Eâ compreſsâ, legati Groningenſium juſſi edere, de poſtulatis quid haberent animi, cùm deliberaſſent pauliſper, per Guilhelmum Fridericum reſpondent hoc modo: *Fruſtrà ſperant adverſarij, ad conditiones tàm iniquas, tàm turpes ſubeundas verbis perpelli civitatem noſtram poſſe: parati ſunt, quos domi reliquimus, mortem potiùs oppetere pro libertate patriâq; pugnantes, quàm iſtuc ſe dimittere dedecoris: nec volunt fœderum jus cum vicinis deſerere, aut quoquo modo ab eo diſcedere. Hoc verò putamus pati eos poſſe, ut arbitri controverſiæ hujus fiant Philippus Caſtellæ rex, Fridericusq; epiſcopus cum ordinibus diæceſeos ſuæ: & ſi hi congruere ſententijs non potuerint, ut his ijſdem poteſtas ſit allegendi tertium à partium ſtudio liberum, qui diſſentientia judicia dirimat: qui ſi pronunciaturi ſint, haud juſtum jus eſſe, quod in agrum, aut cum agro oppidani habemus, confidimus, quantumvis durum id, ac penè intolerabile, tamen cupidine pacis civitatem pronuntiato parituram, modò Saxoniæ Princeps eandem judicij aleam velit ſubire. Ampliùs quod demus, aut polliceamur, non habemus.* Hoc reſponſo turbati non Saxones ſolùm, ſed & regii, repudiatâ conditione, offenſis animis è conſeſſu abiêre. At Vltrajectini adire eos, ad leniora trahere, totoque quatriduo varia cum iis agitare, agitataque premere, ipſi litteris Regis minacibus ad præſulem, de quibus dixi, veluti capite Gorgonis terreri, direptionem diœceſeos, cædes, incendia & reliqua proſcriptorum mala ſibi ponere ob oculos, & paveſcere. Die quinto Groninganos aggreſſi monent diligenter, ne nimiùm fidant juri fœderum cum agro, neu judicium petant: ſic
„ enim jureconſultos cenſere, *Fœdera jus non facere*: nec fas dicunt armis tueri,
„ ſocioſque ob id auxilia poſcere, quod judicio committere non auſis, aut legi-
„ bus defendere non queas. Quod ſi futurum eſt, ajunt, ut nos futurum remur, ut judicio armiſve victi decedere agro cogamini, annon ſatiùs fuerit, ſponte vos veſtrâ hoc facere, factóque gratiam mereri? ac ſimul unâ re tot mala alia, quot lis & bellum trahent, redimere? Nam ſi feceritis hoc, quod nos ſuademus, promittere penè vobis audemus, civitatem veſtram diœceſi, civitati publica privataque cætera, etiam ea, quæ in agro hoc ipſo tenet, relictum iri: Sin minùs,

vero;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

veremur & ea quoque in diſcrimen ventura; ac ſi bellum erit, aut nos quieti M. D. V. videre cogemur opprimi vos vi, atque à diœceſi avelli, aut auxilia ferentes totam diœceſin noſtram ferro flammâq; peſſundari, veſtræq; pertinaciæ pœnas dare: Quod committere, cùm avertere poſſitis, bonorum ſociorum non fuerit. Sed ſurdis fabulam. Nam ſic ſibi perſuaſerant Groningani, tàm æqua eſſe ſua, tàm iniqua hoſtium, ut ſi ab omnibus ſe deſeri mortalibus contingeret, Deum tamen ſibi non defore. Poſtridiè, coactis rursùm, orator Regis ad Groninganos, Si præſidium, inquit, militum D C voletis in urbem recipere cum præfecto, cauſamque judicio Maximiliani Regis, ac Principum Electorum, & cæterorum Germaniæ ordinum ſubjicere, pollicebimur vobis belli finem. Hæc conditionum ultima, in quam & Rex deſcendet, & Saxoniæ Princeps. Vos dùm tempus eſt, & res integra, conſulite ſaluti veſtræ, ne ſerò improvidiæ pertinaciæ pœniteat. At perſtantibus in ſententiâ illis, cauſaſque exponentibus, incenſi irâ regii ſimul & Saxones diſcedere eos confeſtim, atque intra biduum in tuto ſe ſiſtere juſſerunt. Ad quæ Guilhelmus Fridericus, non hanc eſſe fidem publicam à Rege & Saxone, & Vltrajectino ſibi datam: nec enim poſſibile, tam brevi ſpatio, hoc anni tempore Hattumo Groningam venire: ſi animus ſit, fidem non ſervare, eodem jure ac ratione Hattumi detineri ſe poſſe. At vobis, ait unus è regiis, qui proſcripti eſtis, quæ fides debetur? an neſcitis, vos veſtraque omnia arbitrii eſſe Regis, ab ejuſque gratiâ pendere? attamen addetur vobis & dies tertius, nequid queri poſſitis, idque ex gratiâ, non ex debito. Ità anxiis animis à regiis & Saxonicis Groningani dimiſſi: ſed intercedente epiſcopo, ac promiſſorum monente confirmati, caduceatórque contra viæ pericula comitari eos juſſus. Itineri paratos vocavit ad ſe epiſcopus, corámque ſuis monuit denuò de dimittendo agro, ſine quo omnis perierit ſpes conſervandæ urbis: juſſit, ut ſenatum civeſque ſi poſſent, in hanc ſententiam adducerent domum reverſi, agerentque & inſtarent ſeriò, curarentque, ut ſibi de voluntate horum reſponderetur intra dies decem. Sic demùm iter ingreſſi, cùm ad famoſi nominis ſaxa in Drentiæ medio veniſſent, equitum Saxonicorum aſſultu perterriti, ſed abſque injuriâ, Borcam uſque ab iiſdem deducti, pauloque pòſt à ſuis excepti x v Calend. Novembr. incolumes rediêre in urbem. Ibi expoſitis omnibus in conventu actis, & quid ab epiſcopo ac ordinibus Vltrajectinis in mandatis accepiſſent, cùm bis, ter, quater concilia coiſſent, cunctáque expenſa eſſent diligenter, demùm decretum ſcriptum magno omnium conſenſu in hanc ſententiam: *Ius in agrum fœderatum non eſſe deſerendum, ejus tuendi causâ, ſi ſit neceſſe, aſperrima quæque perferenda.* Tum litteræ ad epiſcopum datæ hujuſmodi. *Illuſtri Principi* FDIDERICO MARCHIONI BADENSI *Epiſcopo Vltrajectino.* RETVLERE *nobis, quæ à te, ac ordinibus diœceſeos acceperunt legati noſtri, ex conventu Hattumano diſceſſuri, Princeps illuſtriſſime, (ſimul argumentum recitant prolixè) noſq́; cum noſtris, ut par fuit, & multum & diligenter cuncta expendimus. Sed quò fecimus hoc & ſæpiùs & diligentiùs, eò deprehendimus certiùs, non poſſe nos ullo modo ſine maximo detrimento ac diminutione juris noſtri, atque etiam ſine ſummo & irreparabili damno, adeóque ſine præſenti & ineluctabili pernicie civitatis, agrum, uti Saxones poſcunt, dimittere: Quapropter neceſſum nobis eſt, divortium hoc recuſare, uſquequò aut legitimo judicio, cui etiam nunc nos offerimus, contra nos erit pronunciatum, aut rationes aliæ conſervandæ civitatis, agro dimiſſo, quas nos ignoramus, ab alijs erunt repertæ, demonſtratæq́;. Quæ quoniam ſic habent, rogamus te, illuſtriſſime Princeps, ut ſine ampliore morâ cum diœceſeos tuæ ordinibus ineas rationes, per quas in extremo hoc diſcrimine noſtro, qui pars provinciæ veſtræ ſumus, contra vim defendamur, vindicemurq́; ab interitu, juraq́; & commoda noſtra nobis ſalva maneant: neu committas, ut contra jus fidemq́;, contra ſolennia, ac ſæpè repetita, & litteris ſigilliſq́; firmata & nupera & recentia promiſſa turpiter deſeramur, ac hoſtibus prodamur cum infamiâ ac indelebili dedecore nominis veſtri. Quòd ſi in hàc re contra ſpem aliquid nobis evenerit, noſq́;*

M. D. V. *in extremo noſtro periculo deſerti, quòd natura & leges permittunt, ut nos à vi hoſtium ſervemus, fecerimus vel inviti, quod adverſum inviſumq́; tibi ac tuis futurum ſit, obſecramus, id nobis non imputetur, in criménve vertatur. Nam nos poſt tot inanes preces noſtras, & fruſtrannea monita, non niſi tuendi noſtri, corporaq́; & fortunas noſtras ab interitu ſervandi causâ faciemus, quicquid faciemus. Poſtremò oramus, ut quid expectandum nobis ſit de auxilijs, quàm primùm ſine ambagibus nobis ſignifices, ut ſciamus, quò conſilia noſtra debeamus referre.* In fine ad mutuam fidem & obſequia, ut mos eſt, ſe obligant. Signatæ XI Calend. Novembr. *Conſules Senatuſque Groning.* His ſimiles litteræ ad civitates Iſalanas, ipſumque Vltrajectum datæ. Cum iis tabellarius epiſcopi, qui hanc ob rem legatos comitatus erat, ut commeatus litterarum eſſet expeditior, domum reverſus, ſuorum animos reddidit perplexos. Pungebat enim litterarum finis. Præſul cum proximis collato conſilio, hoc ſolùm ſcripto reſpondit, ordines ſe, cùm primùm poſſit, convocaturum, deliberaturumque cum iis, atque ita de voluntate omnium reſcripturum. Idem ferè à civitatibus quoque ſignificatum, uti Sicco Beninga ſcribit. Ità civitas anxia ſine ope, ſine promiſſo relicta, diviſa ſententiis, animis fluctuans, ſermonibus variis ac diverſis repleta: multi refricare dicta dudùm ab ſe & aliis, inanem eſſe opis armatæ ſpem ab Vltrajectinis, & nîl præter amẽtium ſomnium, & in his ipſe Sicco Beninga velut vates verus celebrari: alii in præſulem atque ordines ejus loqui peracerbè, infidos, iniquos, deſertores ſociorum & ſubditorum vocitare, jurisjurandi ac promiſſi non memores: quidam cum perfidiâ eorum ſuam ſtultitiam accuſare: plurimi etiam tùm, excuſatis illis, & ſibi & aliis ſpem ſufficere, atq; animos ſuſtentare: nonnulli ſolertibus ingeniis, quod alium exitum non viderent, ſpem, quam non habebant, prudenter ſimulare, alia animis agitare, omnia fortunæ & occaſionum momenta diligenter obſervare.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XLII.

IN hoc rerum ſtatu, atque animorum fluctuatione per fœminam honeſti nominis, ſororem antiſtitis Adoardiani, quæ captivorum causâ, freta gratiâ fratris in cœnobium fuerat profecta, conciliatorem pacis ſeſe obtulit Vitus Drachsdorpius humaniſſimis verbis. Id eò faciliùs admiſſum, quòd ipſe cum ſummo imperio militari jam eſſet in exercitu, & non ſatis amico in Edſardum animo. Etenim diù jam non ſolutis ſtipendiis, cùm tandem pecunia à Duce veniſſet, Edſardus, cui ingens jamdudum modus à Duce debebatur (ſuis quippè copiis per menſes aliquot bellum ſuſtentaverat) teſtatus tamen, pro ſeſe in hacce pecuniæ anguſtiâ, quæ ſtipendiis par non erat, nihil quidem ſe petere, pro ſubditis ſuis, qui ſine ſtipendiis multo jam tempore ſub ſignis egerant, pecuniam popoſcerat: ſed verbis inſolentibus magis quàm animus magnus poſſet concoquere, fuerat rejectus. Ad hoc livor in ipſum florentem gloriâ militari, atque hinc odium occultum, deindè ſugillatio acceſſerat. Quæ vitia in homine tumido & ſævo foveri adverſus ſe, ſua verò beneficia vilia haberi, ſeſe deſpici à Principe aut animadvertebat, aut animadvertere ſe re-

ſe rebatur. Quamobrem finitis ſtipendiis, dimiſsâ belli curâ ad ſuos redierat, dolorem intus condiderat. Miſſitatis internunciis inter Vitum & civitatem, cùm de colloquio conveniſſet loco medio, venit iſtuc Vitus ipſe, & cum eo Duvenus, Grumbachiuſque; ab oppidanis, Lubbertus Rex, Iacobus Hillebrandus, ſenatores, Gelmarus Canterus reip. à ſecretis, Simon Stannarius faber, ædilis, Adamus Sutorius, Haco Faber ex opificum plebe. Ibi Saxones, rem poſcere ante omnia, ut civitas Principibus ipſorum, ceu gubernatoribus totius Friſiæ, vicemq; Imperij gerentibus, ſacramentum dicat, hos pro dominis recipiat: ſimul jurisjurandi admonebant Campoduni primùm, per legatos, deinde Groningæ ab omnibus civibus Regi Imperioq; dati; cujus fidem ſi nolint irritam facere, non licere, ajebant, in re hâc tergiverſari. At nos, reſpondent Groningani, Vltrajectinum præſulem dominum jam habemus, ei fidem dedimus, præfectum ejus in urbe agnoſcimus: an duobus pariter dominis fidem obligare noſtram poſſumus? Miramur verò de jurejurando priore quod recitatis. Nóſne in eo non ſtetimus, quoad licuit? in fide titubavimus? An non fœderis Oſtergoi causâ juramentum hoc dictum? Quod ſi etiamnunc reddiderit nobis Rex, & nos reſtituerit in integrum, non deerunt à civitate paratiſſima Imperio obſequia. At ſi mandato Regis poſſeſſione iſtâ dejecti, exutique ſumus, atque in eâ conditione contra jurisjurandi legem relinquimur, quomodo ab iis, qui nos contra fas dejecêre, de fide iſtâ appellari poſſumus? Sed hæc dicta nobis ſæpè. Id verò nunc agendum, ſi pax cordi eſt, de agro noſtro ut inter nos conveniat. Tùm Duvenus cæterorum nomine: Nos verò, ait, de agro diſputationem non admittimus, quippè qui Principum noſtrorum ſit ſine controverſiâ. At quod dicitis, Groningani, in epiſcopi vos fide eſſe, præfectumque ejus in urbe habere, videte quàm ſit frivolum. Nam ſi quid epiſcopus jure tenet apud vos, id ei auferre non eſt animus Principibus noſtris. Hoc verò poſtulant Principes, ut fidem eam ipſis juretis, quam Imperio debetis. An non ſcitis, multas & magnas Germaniæ civitates eſſe, quæ Principum poteſtatem aut patrocinium agnoſcunt, & tamen Imperio quoque fidem jurant? Quod ſi ſine vitio fit ab iis, quomodo in vobis erit vitioſum? Nec enim pugnantia ſunt inter ſe ſacramenta hujuſmodi, ſed conſentientia. Quin ergò, reſpondent Groningani, jurisjurandi hujus, quod Imperio jurari vultis, formam nobis exhibetis, ut videamus, in quæ, & quibus legibus fidem noſtram obligatam velîtis, & quos nobis indè fructus polliceamini. Nam temerè ſe innectere religioni hujuſmodi qui audent, hi aut amentes aut impii fuerint. Hoc verò cùm à Saxonibus eſſet recuſatum, ſine profectu colloquio ſoluto, in diverſa diſceſſum. Intereà, deficiente in urbe annonâ, excurſiones in omnem partem frequentes fieri, perq; pericula pecudes, frumentum, cætera hujuſmodi abripi in urbem, illîc in foro venum proponi à Senatu, & licitantibus addici, inopibus æquè ac opulentis; ſi qui in urbem ſequerentur, quibus quicquam ablatum, iis pecunia darii à locupletibus, à cæteris in futurum promitti, cùm facultas eſſet: nonnunquam & inter caſtella hoſtium frumentatores in Drentiam furtim pervadere, copiam ſiligines, quantum poterant hîc illîc vî aut pretio conficere, per Huneſum in urbem devectare, cœnobiis etiam non parcere. Quo tempore Eſſenii imprimis magno incommodo affecti. Nam cùm rumor eſſet, Saxonibus in animo eſſe, præſidium etiam illic ponere, oppidani præveniendum rati, frumentum, commeatumq; omnem, armenta, greges, & quicquid in penuariis cœnobii erat, ad hæc ſuppellectilẽ omnem. & quæ quoquo modo agi ferriq; poterãt, in prædam verterunt: valvas, fores, feneſtras confregêre, quæ alendo igni erant, in urbem abſtulêre: deniq; exciderunt quoque magnam arborum vim, ac in foſſam præcipites egerunt. Omnia hæc, interminante epiſcopo, & reſtitutionem imperante, neceſſitate belli, tuendæque civitatis excuſarunt. His excitati Saxonum rectores prohibendis & frumentationibus & itineribus in Langowaldios,

M. D. V. Fredowlodios, Hummerzios, fano Hogekerchæo huic viæ & rivo imminenti, pro rei neceſſitate communito præſidium imponunt: mox aliam manum ſub ſignis quatuor Adoardiâ miſſam è regione Werdenbraſſi, partim Suidlaræo in fano claudendis arctiùs Drentiæ itineribus collocant: quæ tamen manus haud diù iſtîc, ſeu periculo ſuo, ſive quâ aliâ re commota, ſubſtitit. Eo tempore Edſardus æmulatione Viti, uti creditur, incenſus per ſacerdotem Noortdicæum notum ſibi,& periculorum causâ in urbe tunc commorantem ſecretò Groninganis ſe oſtentat; promittit, ſi velint, ac fidant ſibi, ad æquam compoſitonem apud Saxoniæ Principes ducem ſe fore. Re probatâ, & per eundem ſacerdotem euntem redeuntemque (Emdæ Edſardus tum erat) die XIV Calend. Decembr. colloquio Dammonæ conſtituto, Groningani velut duabus ſimul naſſis piſcaturi, priuſquàm huc iretur, Vitum rursùs tentandum ſibi putarunt. Itaque hujus rei gratiâ, eâdem fœminâ emiſsâ impetrarunt ab eo, ut non procul urbis mœnibus ad Huneſum amnem coirent quini pridiè ejus diei, quo erat Dammonam eundum. In eo colloquio cùm animadvertiſſet Guilhelmus Fridericus Vitum fallendi causâ aggere inconſtanter, honeſtiſſimâ ratione actionem abrupit, ad populum ſe relaturum, & quid voluntatis ejus eſſe, ſine morâ perſcripturum pollicitus. Hoc periculo facto poſtridiè Dammonam miſſi majore ſpe, Conradus Coenderus, Hermannus Clantius, Gelmarus Canterus. His ab Hiccone Mauricio Dornumano, Vlrico item Dornumano Eſenſis fratri, Dirico Falconi ſacerdoti Larletano, qui ab Edſardo venerant, poſt multam velitationem propoſita hæc: *Si velint Groningani jus, quod in agrum habent, aut habere ſe putant, abdicare, Saxoniq; urbem aperire, fidem ei jurare nomine Imperij, poteſtatem conſtituendi fora rerum venalium per agrum permittere, cerviſiæ cujuſvis, etiam peregrinæ, uſum liberum agro eidem relinquere; confidere Comitem ſuum, cætera non fore difficilia: imprimis iſta; ne frumenti exportatio ſit, ut nomina, quæ hanc conditionem annexam habent, per agrum exigere more ſolito, denunciatione prætoriâ oppidanis liceat; prætores huic rei præfecti ſint duo, alter à Saxone, alter à civitate datus:* ſimul ſperare, quæ inter Saxonem & civitatem prætereà, item quæ inter eandem & nobilitatem vicinam controverſa ſunt, ea ſe interceſſore, rationibus æquis componi poſſe, ſtudiúmque in eo ſuum polliceri. Quæ ſic accepta ab oppidanis, referentibus legatis, ut ne reſpondere quidem libuerit. Tum appetitum rurſus colloquium cum Vito, datæque ad eum litteræ à Guilhelmo, ſed alieniùs ab eo reſponſum in ſententiam hanc. Præſidio antè omnia in urbem recepto eſſe opus, ſine eo nil dare ſe poſſe, nec in colloquium iterùm deſcendere: at præſidio Saxonico admiſſo, tùm ſe componendis reliquis civitati auxilio fore. Ita omnibus ad pacem mediis conſumptis animus tamen in urbe non abjectus, ſenatúſque XVI virûm curandis rebus bellicis inſtauratus. In hunc delecti, quatuor è ſenatu urbano Hermannus Leo, Conradus Coenderus conſules, Petrus Sickingus, Hermannus Clantius ſenatores: quatuor ex concilio populi jurato, Lambertus Friderici, Ioannes Michaëlius, Ludovicus Hornkenius, Sicco Beninga: quatuor ex opificum ſocietatibus, Ioannes Atendorius, Simon Stannarius, uterque ædilis, Bartholdus Naupegus, Eberhardus Aſchendorpius, totidem ex civium cæterorum honeſtiorum numero, Ludeco Hornkenius, Egbertus Rex, Gelmarus Canterus, Abelus Grevingius. Coibat hic quotidiè, aut quoties res poſcebat: cuncta quæ rem militarem concernebant, audiebat, curabat, decernebat: ſi quid eſſet difficilius, ſenatum reip. adîbat, ad eum ſententias rationeſque referebat, ex ejus conſilio ſtatuebat. Sic rectiùs omnia adminiſtratum iri civitas arbitrabatur. Tum rursùm excurſiones inſtitutæ, omnia ſuſtinendæ obſidioni parata. Erat iſto tempore in urbe Ioannes Fredowoldius, ejus, de quo ſæpè priùs nobis dictum in rebus Vlrici Comitis, filius, ex virgine nobili Groningæ compreſsâ natus, magnæ doctrinæ vir, ſacerdotio Bedumano præditus, ſed variâ jactatus fortunâ. Nam amplis

opibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

opibus abundans, cùm in odio eſſet epiſcopi Monaſterienſis Henrici Suartzburgici pecuniæ ejus percupidi, & crimen neſcio quod in eum commẽti, à collegâ ſuo Ioanne Almâ patritiâ familiâ in urbe nato, operâ propinquorum ſubnixo proditus inſidiatoribus fuit ab epiſcopo emiſſis, & publicâ in viâ contra jus gentium vinculis injectis Monaſterium abreptus. Quòd cùm percrebuiſſet, indignata plebs oppidana, cui erat pergratus, multique è principibus civitatis, ſenatum adegêre, ut ageret cum epiſcopo, eumq; urgeret: nec ſenatus antè deſtitit, quàm ille tandem, ſed ingenti mulctatus pecuniâ, reſtitueretur libertati. M. D. V.
A quo tempore Bedumo in urbem domicilio trãſlato, ſacris vicariæ curæ commiſſis, plebi quàm proceribus familiarior vixit, privatis rebus deditus, publica non attingens. Is cum præ ſe tuliſſet, honeſtæ ſe conficiundæ pacis rationem noſſe, à plebejis ſollicitatus, operam promiſit ſuam. Sed erat ejus animus non paucis in civitate ſuſpectus, è quibus alii factioſum ingenium à multis cognitum annis, alii odium in optimates, quidam conſuetudinem cum Saxonibus, plurimi natales, & patrem Edſardi domui addictiſsimum recenſebant. Itaque cautè hîc agendum rebantur. Poſtremò tumultuoſiùs poſcente plebe à ſenatu rerum militarium, Adoardiam eſt miſſus hâc lege, ut ſimularet, ſine mandato publico, conſilio ſuo iſtûc ſe venire. Cum hoc Drachſdorpius Grumbachiuſque cùm multa peramicè egiſſent (hominem quippe à ſtudiis partium alienũ eum habebant) tandem pepigêre cum eo ſub conditione, ſi aſſentiretur Princeps. Ea pacta ſpecioſa verbis, re dubia, reverſus domum Fredowoldius haud minus ad rei militaris quàm ad reip. ſenatum referre recuſans ob quorundam ſimultates ac diffidentiam, ipſe ſibi octo delegit viros amicos, apud quos animum mandataque expromeret. Hi fuère Hermannus Heltus, Sicco Beninga, Aloldus Tammius, Hermannus Snellius, Adamus Sutorius, Gerardus Ærarius, Eberhardus Aſchendorpius, VVigboldus Ferrarius. Quibus in cellâ apud Franciſcanos coactis, & ſtudium expoſuit ſuum, & pactorum capita recitavit: quorum hæc erat ſententia: *Groningani incolumem vitam, honorem, fortunas, jura omnia teneant: retineant res, fundos, reditus in agro Friſico vicino: maneant in uſu juris ſtapulæ, quod vocant, & nundinarum conſuetarum: nec exportatio frumenti ſit ex agro toto, nec uſus ullius cerviſiæ in tabernis per eundem totum agrum, præterquàm Groninganæ: ſocietatibus plebeiis ſua jura & inſtituta conſtent: civitas promittat domicilium pro dignitate in urbe ſe extructuram Principi: de impendiis & damnis ex bello natis judicium eadem ſubeat ordinum Imperij Germanici, aut Principum aliorum: præter hæc quid à civitate præſtari Principi debeat, amicæ quoque actioni permittatur.* In quæ ſi conſentirent oppidani, pollicebantur Vitus & Grumbachius, ſibi curæ fore, ut in eadem hæc Princeps quoque Saxoniæ deſcenderet. Octoviri collaudato hominis ſtudio, coactis in curiâ poſtridiè ſenatu utroque, & qui è ſenatu erant veteri, item concilio delectorum, ædilibus, capitibus ſocietatum omnium, & primis quibuſque civium, quorum intererat, civitatem eſſe ſalvam, facto ſilentio, de ſcripto referunt, quæ acceperant. Tum deliberare omnes, & expendere ſingula. Probant multi haud incommodum actionis initium: alii de dolo rem ſuſpectam habent; incerta, dubia, ſecum pugnantia pleraque ſugillant: quid enim poſtrema illa? quid ſi aſſentiri nolit Saxo; civitas jam aſſenſerit? quem iſta habitura modum? intereà dum ſpe ambiguâ & longâ eundo & redeundo tàm procul, ea agentur, cæteraque, uti fit, negligentur, civitatem rerum omnium penuriâ conſumptum iri. Poſtremò, ſententia hæc valuit, ut XVI-viris rerum militarium octo hi à Fredowoldio lecti addantur, qui omnes capita dubia planiora faciant, cæteraque adjiciant, quæ ad ſalutem reip. videantur neceſſaria: ea congeſta in chartam ad eoſdem cunctos in curiâ referant. Ab his confeſtim hæc capita conſcripta: *Civitas in ditione præſulis Vltrajectini, ac diœceſeos ejus membrum maneto: Princeps Saxoniæ gubernationi reip. urbanæ, & quicquid cum eâ cohæret, omninò ſe non miſceto: idem adminiſtrationem reip.*

M. D. V. *agrariæ, ut gubernator univerſæ Friſiæ, habeto : è civitate eligito homines certos, qui nomine ipſius jus dicant omnibus in cauſis, quæ Hovetmannorum juriſdictionis ſunt, more & inſtituto ſolito : cives ſociíque civitatis retinento ſine vitio omnes res, juriſditiones ſuas, quas habent, habuerúntve ante hæc tempora in univerſo agro : civitas jus ſtapulæ & nundinarum integrum quoque conſervato : vectigali novo aut portorio non onerator : in cerviſiæ quoque uſu nihil mutator : piſcationes civibus in inſulis agro objectis non impediuntor : Principi legatóve ejus, quoties volent, cum comitatu capitum* L *aut* L X *in urbem ingredi, in ea diverti, eam tranſire licitum eſto : belli ſumptus & damna data acceptáque inducuntor.* Atque his omnium ordinum ſuffragio probatis, allatiſque commeatus litteris à Drachſdorpio, Fredowoldius conſideratâ rei magnitudine, quam in ſe reciperet, hæſitare cœpit, petiit adjungi ſibi viros alios graves ac prudentes, qui actioni intereſſent, & conſilio lapſantem firmarent: ediditque, quos addi ſibi cuperet, antiſtites tres, Clarocampium, Doccumanum, Adoardium : nec antè exire urbe voluit, quàm cognoviſſet, hos in caſtra veniſſe. Variis id jactatum ſermonibus hominum: alii dolum ſuſpectare, alii in fidei trahere argumentum, plerique infirmum animum, ineptumque rebus agendis arguere, qui ſolerter cogitet concipiatque, quæ opus, eademque benè inchoët, ſed in agendo hebeſcat, deficiatque. Inter quæ litteræ tandem ab Vltrajectino expectatæ diu. Earum hoc argumentum. Factum, quod promiſerit nuper : rem deliberatam plenè : damnare omnes conſilium pertinax retinendi agri, in quem Romanorum Rex & Reſp. Germaniæ jus præferant: & grave durumque ſibi fore, ejuſce causâ bellum ſuſcipere, quod ſit contra Regem, totamque adeò Germaniam : itaque etiam nunc ſuadere ſecum omnes, ac hortari, ut agro huic nuncium remittant, & relinquant eum iis, quibus à Rege & Germaniæ ordinibus ſit aſſignatus : Quod ſi fecerint, ſe ſuoſque ordines rationem quæſituros, quæ ſit è re civitatis : Ad hæc cupere ſe, eoſque qui trans Iſalam colunt, cognoſcere, ſi arma ceperint, quo ſit animo civitas, paratáne ſit, ipſum cum copiis contra inſidias ac factionum vim idoneis intra mœnia admittere? ſine eo enim occipere hoc ſtultum, imò veſanum: poſcere rem, ut reſpondeant quam primùm. Tum coactis iterum collegiis in hanc curam civitas verſa, & ſermonibus novis impleta. At epiſtolâ recitatâ examinatâque, idem penè omnium de eâ judicium, vanam ac lubricam eſſe à capite ad calcem, nil certi ferentem. Multi pejus quoque ſentire & loqui, ac ſingula arguere. Quid enim futilius eo, quod de Imperii jure in agrum hic repetitum toties antè refutatum? quaſi Imperii jus tollat jus aliorum? Et quid illud è re civitatis agro dimiſſo? cujus generis? quo inveniendum ineundumque tempore? quid ſi hujuſmodi, ut nomen ſpeciémve habeat commodi, rem non habeat? aut habeat minimam, nulliuſque momenti? Quid ſi quæratur, ſed reperiri nequeat? quid futurum civitati? quem poſtulaturam? Nam præter ſtudium nil polliceri epiſtolam, rem certam non promittere : itaque tueri ſe promiſſi reos poſſe, etiamſi nihil fiat unquàm. Iam de copiis in urbem recipiendis quomodò non meritò ſuſpectum? quàm aptum ei, quod jactatum proximis in colloquiis à Vito & Edſardicis? pactos ſcilicet cum Saxonibus Vltrajectinos, pollicitoſque iis, ad compellendam civitatem, ut agro decedat operam ſuam : hoc an non in manibus futurum, copiis receptis in urbem? Non eſſe recta epiſcopi conſilia, & eorum, qui cum eo ſentiant. Denique omnes æſtuare animis, hærere, fremere, rei exitum non videre. Reſpondendum tamẽ putarunt placidè ac ſubmiſsè. Itaque reſcriptum hoc modo. Nec dum videre ſe, quomodò ſejunctam ab agro indemnem ſalvámve ſervare civitatem poſſint. Et tamen, quoniam inſtent tantoperè, obſequi velle conſilio & autoritati eorum, auditis rationibus, per quas incolumem manere urbem facto divortio poſſe arbitrentur. Præſulem cum auxiliis quantovis numero intromiſſuros, modò prædes litteras det, id fraudi civitati non futurum, neu in juris, libertatis, moris priſci, privilegiorum

giorum ejus ex formulâ majorum, pactorumque veterum & recentium detri- M. D. V.
mentum ceſſurum : hanc cautionem ſe poſcere non ſine causâ : nam proximis
colloquiis auditas hoſtium voces liberas & apertas, pepigiſſe jam cum Saxoni-
bus Vltrajectinos, pactoque teneri, compellere civitatem, uti agrum deſerat:
quod ne ingreſſu hujuſmodi fiat, meritò providendum ſibi. Poſtremò petere,
orare, obteſtari, ut opem ferant, & id præſtent, quod ſubditæ ſociæque civitati,
diœceſeos membro, præſtare teneantur. Ad has conticuit præſul tùm tempo-
ris; ſed domi tamen non quievit, coactus à ſuis, ut patebit pòſt. Fredo woldio ve-
rò interventu rei hujus ac nominis tam illuſtris magis ac magis ſuſpectum ne-
gotium refrixit. Sic annus ille exiit. Anni M. D. VI principio, cùm aſperrimum M. D. VI.
gelu terras aquaſque conſtringeret, excurſiones ex urbe rursùm longè latéque
fieri, commeatus, cæteraque abrepta in urbem inferri, pretiumq; abreptorum
ex æquo & bono ſolvi, tributa ab omnibus vicatim poſci, recuſantes incendiis
territari, quidam in vincula abduci. Ad hæc alacrem promptamque operam
præſtabat cohors prædatrix ex iis conflata, qui domi re perditâ ex omni agro
prædandi cupidine in urbem confluxerant, rapto vivens, cuncta, quæ adire po-
terat, infeſtans: huic à tentorio viridi nomen Germanicum impoſitum. Hac
freti oppidani, maximâ multitudine portis effuſi IV Id. Ianuarii lignandi causâ
Elethano in luco, qui vix duobus paſſuum millibus urbe abeſt, materiem cæ-
dere, ſecare minutim, per glaciem in urbem trahere, totos in eo dies quinque
occupari, cujus copiam latiſſimæ viæ glacie ſtratæ faciebant. Sexto demùm die
Saxones ex omnibus caſtris, & præſidiis coactâ manu, atque eò immiſsâ, ligna-
tores in fugam egerunt, ceciderunt paucos, plures captos in cuſtodias duxe-
runt. In his erat præfectus ipſe cohortis prædonum Nicolaus Hogebruggius,
qui ob raptus, injurias, incommoda alia Saxonibus illata, multa quoque nequi-
ter patrata, juſſu Drachſdorpii, juxta manipularem ſuum Petrum Slampam-
perum ſimilis nequitiæ hominem paulò antè laqueo itidem peremptum, Ado-
ardiæ ſublimi è rotâ ſuſpenſus vitam perdidit. Eâ re aſperati Groningani, Stro-
balio nobili Saxoni, maximæ gratiæ viro, captivo apud ſe, ab ipſo Nicolao
nuper intercepto, alterique Lucæ cognomento Magno, laqueum quoque mi-
nati, ſed ob cives ſuos in vinculis hoſtium degentes id facere auſi non ſunt.
Sed erat Vitus quanquàm aſper immitiſque & ſpiritu Martio, tamen finiendi
belli iis diebus cupidiſſimus. Nam ut ingenio pollebat, & rerum belli peritiâ
multos ſuperabat, in domandâ expugnandâve civitate obfirmatâ, maximas
prævidebat difficultates; imprimis labaſcere ærarium Principis ſui nôrat. Ad
hæc, quod maximè ſtimulabat hominem laudis avidum, abſente Edſardo, cui
alioqui malè cupiebat, finiti tanti belli gloriam, ſimul & gratiam ex eo Prin-
cipis (Principem hujus rei percupidum ſciebat) in ſe ſolum derivare, & hoc
ſe nomine longè latéque commendare deſiderabat. Itaque per Fredowol-
dium cœpta, quanquàm Fredewoldio labaſcente, ipſe non abjecit. Nam edi-
tis ab illo nuper tribus antiſtibus, & ad ſe vocatis, quartum neſcio quem (nam
in monumentis nomen non reperio) addidit: cum his egit prolixè, adhibitis
præcipuis è Rectorum numero, capita denique futuræ pacis ſcripto rursùm
comprehendit. Sed ut fæliciùs ſuccederet res, dolo præſtruendam ſibi viam,
& diſſidio, ſi poſſet, ſcindendam civitatem, ſenatumq; & primores populi, quo-
rum prudentiam metuebat, in ſuſpicionem & invidiam vocandos putavit. Ita-
que ſuſpenſo, quod in manu erat, negotio, cucullatum in urbem miſit Gualte-
rum Reſium, qui permutandorum captivorum cauſam prætenderet adventui
ſuo, reverà diſſidii ſemen in civitate ſereret. Qui cùm veniſſet, aliud apud pro-
ceres & rectores civitatis, aliud apud plebem loqui: apud illos quippè tantùm
de vinctis diſſerere, alia omnia negare, apud hanc pacis & tranſactionis ho-
neſtiſſimæ actionem offerre, Viti ſtudium atque optimam voluntatem prædi-
care, omnia proclivia ac expedita eſſe præter voluntatem principum civitatis:

M. D. VI. hos ſolos in morâ eſſe,qui pacem non petant. Hoc ſemine jacto cùm ad Vitum
rediſſet, Vitus cum collegis promovendo cœpto litteras ſtatim dat ad ædiles &
ſocietates opificum,præterito ſenatu: in iis affirmat, vera,quæ ex monacho au-
dierint: quod ſi è civium numero & ſocietatibus ſuis placeat x x, aut his etiam
pauciores in cœnobium mittere cum poteſtate,haud dubium ſibi, quin hone-
ſtiſſimam pacem haud alienam à votis ſint habituri. Sed irritus hic hami jactus
piſcatori fuit. Nam ſtudentibus ædilibus, viris catis ac bonis, litteræ ad ſena-
tum ſunt relatæ: ejus conſilio ab ædilibus & plebe extemplò reſcriptum ſic:
Senatum ſe habere caput civitatis: ſi quid vellent Saxones, ad hunc ſcribe-
rent: ſeſe hujuſmodi litteras non accepturos, nec quicquam talium rerum
acturos ſine ſenatu; nec ſenatum hîc agere aliquid ignaris aut non probantibus
ordinibus cæteris: conſtare namque civitati concordiam gratia Dei, omneſq;
ſe communem rem curare, ſimul pacem aut bellum habituros: Expectari an-
tiſtites de pace acturos (nec enim erat id occultum) qui ſi in urbem venirent,
his ſe expoſituros omnem mentem ſuam. Simul gratiæ ineundæ causâ capti-
vorum permutandorum copia facta. Drachſdorpius diſſimulato dolore occa-
ſioni novæ fuit intentus. Ante hæc, probantibus cæteris, quod res ſic poſcere
videretur, ſenatus per edictum denunciarat, ut qui belli causâ patriâ exceſſe-
rant, ante exeuntes Calend. Februarii reverterentur ad ſuos: ni facerent, decre-
tum, conjuges ac liberos eorum urbe ejicere, ipſos civitate privare, bona in æra-
rium redigere. Comprehenſi quoque illi, eidemque pœnæ ſubjecti, qui poſt edi-
ctum ſe ſubduxiſſent. Sed in hoc major vis belli, quàm edicti fuit. Nam non ſo-
lùm nemo redibat, ſed plures quoque inopiâ rerum omnium preſſi, ex egeno-
rum numero profugiebant. Nec tamen in eos, cùm tempus exiſſet, ex edicto
ſtatutum fuit. Medio tempore Vltrajectinus, haud ignaro invitoque Saxone,
Maximilianum Regem de novâ actione ſollicitârat. Ab eo mandatis inſtructus
Fridericus Egmondanus Comes Buranus, die XVI Calend. Febr. datis litteris du-
riter ſcriptis ſignificavit Groninganis, ſtatutum ſibi cæteriſque ad hoc delectis
ad III Non. Februarij Hattumi eſſe, & componendo bello, rebusq; controver-
ſis actionem inchoare; præcipere igitur, ſi bello liberari, extremaque fugere cu-
piant, ut legatos plenâ poteſtate inſtructos eò mittant, fretos fide publicâ his
litteris datâ: Sperare, ipſum quoque Georgium affuturum. Sed litteræ hæ ante
diem V Calend. Febr. Groningam non venêre. Itaque cùm tempus videretur
brevius quàm pro negotii magnitudine, & commeatui non ſatis fiderent, re-
ſcripſit ſenatus, cupidiſſimos ſe ejus rei eſſe, ſed tempus denunciatum eſſe angu-
ſtius, & publicæ fidei litteras non ſatis amplas, nec à Saxonibus firmatas: Itaque
fidere iis non audere, memores, quæ in exitu conventus prioris legatis ſuis ac-
cidiſſent: ad hæc totam hanc rem Vltrajectino præſuli domino ac patrono ſuo,
ordinibuſq; diœceſeos ejus jam antè ſe commiſiſſe: æquum eſſe, ejus volunta-
tem ac juſſum expectent: eo nunciante, & locum tempuſque idoneum ſtatuen-
te, acceptiſq; plenioribus litteris de fide publicâ, in morâ ſe haud futuros: roga-
re, ut periculis prioribus cautiores excuſatos habeat hoc tempore, & hoſtium
verbis abripi ſe ad damnandum innocentes non patiatur. His intellectis (nec
enim quicquam celari poterat) Vitus ſpe gloriæ ejuſdem vectus iterare telam
eandem, quam nuper, conſtituit. Ad eam rem color à captivis iterum ſumptus.
Erant enim horum numero, quos pretio vulgari ſe redimere oppidani non pa-
tiebantur. Eorum causâ Drachſdorpius monachum alium in urbem mittit,
hominem audacem & verſipellem, religioni fidentem. Huic clàm litteras dat
eodem argumento, ut dudùm, ſcriptas ad eoſdem; jubet occaſiones obſervare,
ſolerterque agere, factionum ignem ſubjicere. Is occipit rem, de captivis agit
palàm, ſimul hîc illîc ſe inſinuat, viam negotio ſternit. Mox litteras premit, ho-
minibuſq;, quos putabat idoneos, exhibet. Per hos ædilibus & ſodalitatum præ-
fectis, præſentibus multis, traditæ: ab ædilibus & cæteris ad ſenatum rurſum
latæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

latæ. Emiſſarius ſine morâ in curiam vocatus; ibi verbis exceptus eſt aſperrimis: M. D. VI.
improbum nimirum, nefarium, ſceleris reum eſſe, qui ſeditionis movendæ internuncius ſit: quòd ſi impoſterùm quid committat ſimiliter, litteraſque ſeditioſas in urbem ferat, peſſimo periturum letho, culeo ſcilicet inſutum, ac in profluentem merſum, cum raſo vertice abiturum ad inferos: Ac ſi quis præter ipſum auſit idem, idem quoque ei ſupplicium futurum. Addita & in Vitum minacia, acerbaque, ſi ſic pergat. Is fervor clamantium in curiâ fuit. Sed ædiles & cæteri reſcribunt modeſtius, eodem, quo priùs modo. Monachus ad Vitum reverſus, memorans omnia, quæ audierat, multa augens, falſa etiam veris miſcens (quid enim non audeat improbitas monaſtica?) haud facile dictu, quos fremitus totis caſtris commoverit. Imprimis ipſe naturâ ferox, aſper, iræ præceps, vehementiſſimè commotus, dira & dura minatus, antiſtites interceſſores jam ad iter paratos vetat ire, omnia ad perdendam civitatem conſilia concipit, verbis & factis aſperatum ſeſe declarat. Hoc iræ impetu etiam ea, quæ ex pacto ſolutis tributis tuta eſſe debebant, invadit. In his Bernardi Coenderi domum ſplendidiſſimam, quæ Helpenæ erat, ex foſsâ amœnâ latâque in ſublime eductam cum horreo ſpatioſo & egregio, nocte alterâ à Calendis Februariis per milites VVerdenbraſſios diripit, incendit, vaſtat, denique ſolo æquat, ut ſævientem in dominum domus, autoris iram videres. Biduò pòſt mediâ luce per eoſdem univerſum vicum Helpenam per campi ſpatia latè diffuſum, excepto noſocomio, & domo Entemiâ, alterâque, quæ Iacobi Lubberti erat, quas indemnes vicinitas urbis faciebat, incendio datum in cineribus relinquit. Oppidani contrà: ne propterea cadere animis viderentur, & ut paria paribus redderent, emiſsis prædatoribus ſuis, hominibus ex ipsâ miſeriâ audacibus, per tenebras noctis, eos, qui in agro tributum non contulerant, territant; Enumanos, Godolinſios, & alios in viciniâ Dammonæ, præſidii proximi fiduciâ nil ſolventes, diripiunt, quædam ædificia terroris causâ incendunt, captivos, ſed paucos, quos prehendere potuerant, & inopes abducunt, ac prædis onuſti ſine detrimento domum redeunt. Intereà, quos malorum & penuriæ in urbe tædebat, dolebátque, quod ſpes adventus antiſtitum pacificatorum, qui in ore & animis fuerat omnium, periſſet; imprimis opificum plebs, indignati emiſſo homine idoneo exemplum petierunt epiſtolæ ejus, quam ædiles ad Vitum ſcripſerant, ut cognoſcerent, an quid eſſet in eâ, quod illum tantoperè aſperaſſet, antiſtitúmque adventum impediret. Exemplo accepto, cùm vidiſſent, ſic ſcriptum eſſe, nolle ædiles, cæteróſque, ad quos data epiſtola erat, hujuſmodi de re ad ſe ſcribi, prætèrito ſenatu, ad quem id maximè pertineat, hortaríque, ut ad hunc ſcribât, ſi quid velit, dubium, malitiâne majore an imperitiâ, interpretati ſunt, ac ſi de pace agi non vellent. Ea propter irâ conciti, incitantibus flabellis, abdicandos ædiles litterarum autores conclamant; alteri quoque, quòd ſignator fuiſſet, Stannario mortem intentant: omnia injuſtiſſimè. Nam quod ab hoc ſignatum erat, id à collega Atendorio, & ſenatu rerum militarium, dilectiſque ex ipſorum ordine opificum erat probatum: nec quicquam in eo, niſi optimâ mente & ratione perſcriptum, ac quod reprehendere poſſet nemo, qui ſanæ mentis eſſet. Sed hæc ſors eorum plerunque, qui fatuo ac turbido vulgo conſulunt, „ argumentúmque hoc vetus. In quo ſi quis ſtupet & fremit, vecors penè ipſe „ eſt, qui vecordem vulgum vult ſine vecordiâ eſſe. Itaque dejectis munere ædilibus Ioannem Bramium aurifabrum, & Hermannum Campenſem, factionibus cognitos, in locum horum ſufficiunt: iis XVII. viros, ſenos ex ſodalibus ſuis, totidem ex reliquis civibus addunt, velut ephoros, & conſilii ſocios. At Vitus prohibendis excurſionibus, urbique arctiùs premendæ curas intendit. Itaque manum validam undequaque confectam in fanum Buranum primùm, quod in via Dammonenſi eſt itinere ferè medio, deinde aliam in Germer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. VI. woldium in conſpectu urbis mittit: ruſticam multitudinem cum ligoni-
bus evocat: eorum labore vallum & foſſam fano humili loco ſito circum-
ducit; præſidium illîc ipſis propè mœnibus imminens conſtituit, ne quis eo
latere aditus exituſque pateret. Simul eâdem operâ ad fanum Hogekercæum,
& cœnobium Selwerdium, ſimiliter urbi proximum, quæ leviùs hactenus mu-
nita fuerant, molitur: Maximum numerum ruſticorum per ſummam inju-
riam, nullâ mercede laboribus his exercet: ſæpè etiam contumeliis per in-
ſolentes milites afficit: præſidiis imperat, ut vias omnes, & calles circùm ur-
bem diligenter obſervent, commeatuſque prohibeant. Vrbs arctiſſimè ob-
ſeſſa, velut faucibus præcluſis, in ſummas anguſtias redacta, non itinera ſo-
lùm, ſed & ſemitæ omnes clauſæ, importatio reliqua nulla, niſi quantum ſin-
guli interdùm, ſed rariſſimo ſucceſſu furtim per denſiores tenebras noctis in-
ter ſtationes elapſi cum ſummo diſcrimine humeris ſuis poterant inferre. Quod
ad ſublevandam totius civitatis amplæ inopiam, quid potuit habere momen-
ti? Et ſi qui tentaturi fortunam hanc erant, ii exemplis aliorum, qui in ma-
nus hoſtium inciderant, abſterrebantur. Nam ſæviebat in eos Vitus: egenis
poſt verbera, & cæteras contumelias, aures amputabat, ſtigmata inurebat,
vultus turpabat; mulierculis veſtem imam cum induſio ſupra nates præſcin-
debat, atque ita remittebat in urbem. Quæ cùm videret populus, fremere,
deteſtari ſævitiam hominum, omnia potiùs ferenda, & in ferrum ruendum,
quàm ſævæ ac barbaræ gentis imperium ſubeundum. Sed fruſtrà fremas, &
» indignêris, ubi dura premit neceſſitas. Nam nec auxilii jam ſpes, nec pugnæ
copiæ ſupererat. & quæ effervеſcebat ira conſpectis contumeliis, eam dies, &
ægritudo conſumebant. Iis diebus tabellarius cum litteris à præſule Vltra-
jectino veniens nunciat, legatos Regis Hattumi jam eſſe, ut bellum dirimant,
liteſque definiant: ſed confici ſine ipſis, aut ipſorum legatis nil poſſe. Idcircò
rem poſcere, ut extemplò cum mandatis ac poteſtate ſuos quoque mittant:
Cum his de fide publicâ litteras exhibet. Nominati ſtatim, qui eant, Ludol-
fus Hornkenius, Conradus Coenderus, Petrus Sickinga conſules reip. Gelma-
rus Canterus à ſecretis, è ſenatu: Ioannes Bramius aurifaber, Hermannus Cam-
penſis ædiles, è ſodalitatibus opificum: Ioannes Blavius, Hoco Faber è reli-
quo civium ordine. Hi v Idus Februarii Groningâ profecti cùm Suollos veniſ-
ſent, quæ urbs Hattumo proxima eſt, reperêre illic Campenſium, Daventrien-
ſium, ipſorumque Suollenſium congregatos legatos. In horum conventu,
(ſtatim enim admiſſi ſunt) graviſſimas depoſuêre querelas: belli tam magni mo-
lem ſolos totum penè annum ſe ſuſtinuiſſe, & in extremam redactos eſſe an-
guſtiam: & hæc toleraſſe expectatione toties promiſſi à ſociis auxilii, auxilium
tamen hactenus veniſſe nullum: nunc fractos & exhauſtos ſe eſſe, nec poſſe
diutiùs vim hoſtis ſuſtinere: ſi ſocii ne nunc quidem excitari ſe ſinent, ut opem
ferant, neceſſe ſibi fore aliunde eam petere: quod an utile futurum ſit diœce-
ſi, ipſis eſſe cogitandum. Ad quæ illi teſtari dolorem ſuum, excuſare præteri-
ta, in futurum ampla rurſum promittere, ſocios & amicos dicere deſerturos
ſe nunquàm. Hinc Hattumum ſimul profecti. Fuêre ibi Egmondanus, quem
dixi, & Morſenſis, ex Comitum ordine uterque, legati Regis, cum aliis pru-
dentiâ & facundiâ valentibus, & præſul ipſe Vltrajectinus, cæterique diœce-
ſeos ordines, & Saxonum primores, ac in his Benthemius Comes. Tùm re-
gii ſeorſim vocatis præſule & ordinibus ipſius, præfati de mandato ab Rege
accepto, accuſant Groninganos aſperrimè, contumaces, rebelles, turbato-
res pacis publicæ, proſcriptos nuncupant: oſtendunt velle Regem, Groningani
uti ſe urbemque ſuam Saxoni tradant, ei damna ſarciant, belli impendia &
præterita & futura ſolvant, agrum totum dimittant: adduntque, quæ terren-
dis animis eſſe rebantur. Iis dimiſſis Groninganos vocant, eadem apud hos
repetunt, & verbis aſperant. Petito deliberandi ſpatio in poſterum, Groningani
præſulem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

præſulem Fridericum ejuſque ordines adeunt. Illic agitatâ re, multiſque hinc indè dictis, Canterus ad illos, Veſtrum erit, ait, de imperio in urbem noſtram, quod poſtulatum eſt, refutare; ad vos enim propriè pertinet: de agro & cæteris nos videbimus. Quod cùm placuiſſet, ventumque ad conceſſum eſſet, in quo omnes aderant partes, à regiis Saxonibúſque repetito ſermone priore, iteratiſque ab Vltrajectinis, quæ nuper dixerant de jure ac poſſeſſione ſuâ, Canterus pro Groninganis, cùm ad eos ordo dicendi veniſſet, Miramur, inquit, impendia damnaq; belli à nobis repoſci: nec enim bellum movimus nos, ſed quod juſtum rectúmque, quod natura ipſa ſuadet, quod omnes homines faciunt, contra iniquam injuſtamque vim nos defendimus. Saxoniæ Princeps belli autor urbem nullo jure dedi ſibi, agrum tot ſæculis cum urbe conjunctum dimitti poſtulavit, poſtulatum vî atque armis urſit: nos incomparabili affecit damno. Ejus igitur fuerit, ſi juri æquitatique locus, damna ſarcire, atque injurias luere. At nos magìs miramur, reſpondebat is, qui pro Saxonibus verba faciebat, haud reputare vos Groningani, in civitatibus Imperii civitatem veſtram eſſe, nec meminiſſe actorum Campoduni, & temporis illius, cùm in fidem obſequiumque Imperii huius ac Maximiliani Regis ſucceſſorumque juraſtis. Cur tum non obſtitit vobis, aut jurare vetuit fides Vltrajectina? Cur tum jus præſulis cauſati non eſtis? Nec verò dicere poteſtis, tunc nondum in fide præſulis vos fuiſſe. Hoc enim, quod Regis Reique publicæ Germaniæ dediſtis ſacramentum, Vltrajectino, qualecunque id eſt, eſt poſterius. Id verò priori potius eſſe, eique derogare, ſi qua in his pugna, juris eſt manifeſtiſſimi. Et hoc jusjurandum, quod tum Regi Imperioque dediſtis, nunc vult Rex vos dare Principi noſtro, Imperii miniſtro. At de agro quid dicitis? annon is in ditione Imperij eſt? & cur, quod ab Imperio Regeque collatum Principi noſtis, vos detinetis? cur impedimento res rectæ ac juſtæ eſtis? Et quid perduellio, ſi non hoc? Quò tenditis Groningani? quem vobis modum contumaciæ ſtatuitis? Quòd ni recipiatis vos, & ad meliora vertamini, cum Phrygibus tandem vos ſapere erit neceſſum. Eo deſinente, aſſurgens Vltrajectinus contrà diſſeruit, Iusjurandum hujusmodi, quod Imperio datum, ſibi obeſſe non poſſe: nam ſi quid certum in hâc re, id certum, Groningam præſulis ſui & Eccleſiæ Vltrajectinæ eſſe donum Cæſarum priſcorum, quod nuper luculentè, & nunc hoc ipſo in conventu litteris ac ſigillis poſitum ob oculos: nec verò licuiſſe Groninganis hoc jus, hanc fidem ſine voluntate ſuâ facere irritam; ſentire ſe etiam, fidem iſtam cum priore non pugnare: nam & præſulem ipſum, & Eccleſiam Vltrajectinam, & ordines, & cætera diœceſeos omnia in ditione fideque eſſe Imperii: & Iſalanas urbes pariter Imperii, pariter præſulis & diœceſeos cenſeri. Tùm Canterus? Quòd id ità ſit, ampliſſimi legati, & quotquot adeſtis, quodque hæc mens noſtra fuerit, cùm res eſt acta, vel hinc poteſtis cognoſcere. Cùm legati Regis miſſi ad nos jusjurandum nos poſcerent, juravimus ſanè, ſed antequàm id fecimus, adhibitis pro more tabellionibus, aſtantibus legatis, teſtati ſumus, eâ nos mente ac lege velle jurare, ne id fraudi ſit Eccleſiæ Vltrajectinæ, nec præſuli ipſius, neû deroget fœderi pactiſque cum vicinis; quinimò ſi quid acciderit fortè vî dolóve, quod turbando, impediendo, ſolvendo fœderi Oſtergoo ſit, cujus causâ cuncta hæc fierent, tùm jurisjurandi hujus, quod Campoduni datum à legatis, religione quoque ne teneremur. Ad quæ regii præcipites indignanteſque, Si ſic res geſta, in crimine legati ſunt iſtius temporis, qui præter mandata, & contra jus egerunt, nec poſſunt, quæ acta ſic ſunt, robur habere. Atqui, excipit Groninganus, ut erat ingenio linguâque promptus, ne hi quidem, qui è nobis Campoduni fuêre, alia quoque quàm hujuſcemodi à nobis mandata habuêre: quapropter, nec ſi quid ſecùs feciſſent, eo teneri poſſumus. Cum his colloquio dirempto, poſtridiè cùm coiiſſent rursùm, legati regii hac ad pacem conditiones proponunt: *Groningani in urbem recipiant milites* D C, M. D. VI.

M. D. VI. *cum præfecto viro illuſtri, à partium ſtudijs alieno, iſq́ ſequeſter ſit ad litis finem: litem cognoſcat, quæ inter Saxonem eſt & Vltrajectinum de urbe Groningâ, Camera, uti vocant, Imperialis, præſidente Rege, aſſidentibus Septemviris Electoribus & cæteris Germaniæ ordinibus ejus ſententiæ pareant omnes: intereà ſtipendium militi, cæteráque impendia Saxo atque Vltrajectinus æquâratione ſolvant.* Sed recuſare Groningani, ſe liberos dicere, Principem patronum Vltrajectinum agnoſcere, alium præter hunc ferre nolle, nec libertatem velle deſerere. Sic rursùm cum ſtomacho abruptum colloquium, frementibus Saxonibus, nec ſatis æquis regiis. Itaque ſemotis Groninganis cum Vltrajectinis actum ſeorſim, multaque in medium allata ultrò citroque ac diſputata prolixè, quædam ferventiùs quoque dicta, totum triduum extractum: tùm adhibitis denuò Groninganis, ac variè agitatâ re, demùm delecti è nobilitate & civitatibus homines prudentes & placidi, velut partium medij, hiſque poteſtas data agendi cum cæteris, tentandi omnia, partes conciliandi. Per hos demùm cuncta expertos, capita aliquot dirimendo bello ſcripta, quæ ſic valerent, ſi à partibus probarentur. Præcipua fuêre: *ut ſine milite ſequeſtro Groninga maneret: ea Saxoni & hæredibus ejus agro vicino cum omni juriſdictione atque imperio cederet ſtatim, idq́ in perpetuum: quod Saxoni Vltrajectiniſq́ controverſum erat de urbis imperio, id judicio eorundem, quos antè dixi, permitteretur: de belli impendijs, damnis, & ſimilibus diſſenſio ab ijſdem derimeretur: eorum ſententiæ promptè & ſine morâ ab omnibus pareretur. Groningani præſidij loco, iureiurado, & omnium ſuarum rerum oppignoratione in hoc ſe obligarent: Partes antè Idus Apriles declararent voluntatem ſuam.* Sed Groningenſium, qui Hattumi erant, nemini res placuit, nec ſpes fuit, placituram ſuis. Veruntamen quò minùs fieret, quod factum, impedire non potuerunt. Apud Vltrajectinos non idem animus omnibus, prout benè maléve Groninganis volebant, aut belli pericula plus minúſve formidabant. Cùm ad ſignandum deventum, præſul monitus fuit, ne quid hîc ageret ſine ordinum ſuorum conſenſu: nam nec fas hoc eſſe, nec ſi faceret, robur habiturum. Itaque dilapſis jam, qui cis Iſalam colebant, delectos Vltrajectum miſit, qui ſenatum urbis & ſacerdotum collegia tentarent. Ab his re deliberatâ reſponſum, cauſam eccleſiæ eſſe: eam fas non eſſe permitti judicio civili: & Regem partes fovere Saxonis, meritóque judicem recuſari: ſi æquus judex partium ſtudio non implicatus ex ordine ſacro deligatur; in morâ ſe non futuros. Quibus Hattumum relatis, quærente præſule, quoniam Vltrajectum clerúſque Vltrajectinus ſignare non vellent, anne cæterorum ſignis ſatisfieri ſibi Saxones paterentur, haud abnuentibus his, Campenſes rurſum ſe interpoſuêre. Atque ita ſciſſo diœceſeos conſenſu, re infectâ Hattumo rurſum diſceſſum. Induciæ tamen inter Saxones & Vltrajectinos neſciis Groninganis conſtitutæ in eaſdem Idus Apriles, cautumq́ue ne quid commeatus intereâ Vltrajectini inferrent obſeſſis, ne quam opem aliam præſtarent: ſi qui privato conſilio id eſſent conaturi, à Saxonibus deprehenſi mulctarentur induciis ſalvis: Saxones viciſſim de compoſitione nil tentarent cum obſeſſis: neutri alteros læderent: Saxoniæ Princeps ante induciarum exitum tum de totâ re tum de ſignatione quid placeret, epiſcopo nunciaret. Comes Benthemius ad Saxonem celeriter miſſus, acturus cum eo, pacis amantiſſimus. Groningenſium duo Hornkenius & Coenderus, ſpecie curandæ reip. apud ſocios, reverâ, ut cenſet Sicco Beninga, fugâ periculorum ac ſeditionum domeſticarum, cum Vltrajectinis manſêre: cæteri incolumes comitante caduceatore domum reducti. Poſtridiè, quod fuit x Calend. April. poſt peracta ſacra (erat enim dies Domino ſacer, tertius antè Paſchatos) omnes ordines in curiam vocati, ibiq́ue frequentiſſimo in conventu tota res à Cantero expoſita. Silentio in cæteris ſervato, perplexis animis omnium, cùm audiſſent de induciis, quæ dixi, (emanârat enim res ad legatos) gemere apertiùs, mox fremere, fidem ſociorum culpare, ſtatim inopiâ

conſilii

conſilii revolvi in mœrorem, alius alium intueri, nemo exitus viam explicare. M. D. VI.
Tandem Bramius ædilis, frigidámne ſuffuſurus, an quo alio conſilio, productâ recitatâque Campodunenſis jurisjurandi formulâ, velut ignotâ plebi, deplorare cœpit populi fortunam, qui cum vinculo iſtiuſmodi obſtrictus Imperio ſit, tamen bello tam gravi, tamque pernitioſo contra idipſum Imperium ſuorum culpâ ſe ſiverit involvi. Mox, velut reprimens ſe nemine ſucclamante, mutatâ oratione; Atqui non deſperandum nobis, inquit, ſed concordibus animis conſulendum in medium: & quoniam hâc non ſucceſſit, aliâ tentandem viâ. Sunt nobis à Vito litteræ, quæ, ſi voluerimus, viam nobis patefacient ad tranſactionem haud iniquam. Tùm Scafferus conſul ſenatus præſes, Agite verò, hoc agamus, ait, ſi vobis placet: quid nocebit tentaſſe? Deſignemus ex omni numero paucos ſilentio fidos, prudentiâ inſignes, patriæ amantes, qui conſilia ineant, & cum hoſte agant. Eo probato, delecti XII è ſenatu, concilio juratô, ſodalitatum collegiis, cæteriſque civibus honeſtioribus: his omnis ea cura mandata, & quod ſenatus erat proprium, id autore conſule, nemine ſe opponente, conſilio peſſimo, plebi proſtitutum: Senatus auctoritas in reip. magis magíſque peſſundata. Ità viſum tunc proceribus, re præcipitibus prolapsâ conſiliis, ne ſi quid malè cederet, culpari ſenatus poſſet. Ab his igitur delectis, ſimulato paucorum in plebe ſtudium per emiſſarium tentatur Saxonum uoluntas; ab his mittitur in urbem è ſacerdotum ordine homo idoneus ad Ioannem Fredwoldium: ei conditiones traduntur ſcripto comprehenſæ, ſed tales, ut ſine dubitatione ab omnibus ordinibus ſint rejectæ: ac ſimul ſpes ea dimiſſa. Hoc tempore pecunia papalis in uſum belli Turcici per Raimundum Cardinalem legatum Pontificium collecta, contemptis graviſſimis anathematis, quibus munita arca contra attrectantes putabatur, premente inopiâ ac neceſſitate in ſubſidia reip. atque inopum civium eſt converſa, animíque fathiſcentium paulùm recreati: milites quoque alacriores ſtipendio facti, ut ſua viciſſim ſtudia probarent, die VI Calend. April. ſero veſpere magno numero egreſſi oppido, & per Hunesum amnem devecti cum tormentis ad rem idoneis duplex conſilium inierunt. Nam & pontem inter Adoardiam Selwerdiamque Huneſo impoſitum conſtituerunt incendio perdere, & hoſtem in inſidias pertrahere. Quamobrem navigiis eo loco, ubi ſub fluminis alveo depreſſus canalis adhuc hodiè notus habetur, & tum agger in ripâ disjectus jacebat, id quod commodum conſilio erat, ſtatutis, tormentiſq; in venturos directis, ipſi Dorcwardiam magno ſilẽtio profecti (villa ea eſt ingens in viâ Adoardianâ) illîc conſident. Hinc emiſſis perpaucis, cùm, per eos pontem ac domum incendiſſent, accurrentes ſubſidio è caſtris Adoardianis manipulos aliquot villam prætergreſſos à tergo invadunt, fundunt, ad XL capiunt, cætera parant. Sed intereà manus valida Selwerdiâ erumpens, per indicium re proditâ, naves, de quibus dixi, ſubitâ vi opprimit, adventum Groningenſium poſt aggerem expectat, tormenta diſponit. Nec multò pòſt, qui captivos hoſtes ducebant, ab equitatu & peditatu majore, qui Adoardiâ in auxilium ſe effuderat, preſſi, cùm ad naves feſtinarent, ab eâdem manu ab latere & fronte petiti, inopinâ re perterriti in ſummo hîc fuêre diſcrimine, amiciſſiſque captivis & omni prædâ ipſi pars capti, quidam perempti, cæteri disjecti, contentione pedum & occurſu ſuorum ex urbe ægrè ſervati ſunt. Hoc conatuum armatorum ultimum oppidanis fuit. Intereà fames & penuria omnium rerum crebreſcere in urbe, plebs avenaceo pane parcè diſtributo ali, & is quoque jam deficere, denique aut auxilio feſtino undecunque petito, aut deditione maturâ opus eſſe. Nec ea res ignota Saxonibus. Quapropter accendi eorum diligentia, ne quid importaretur, ſtationes diurnæ nocturnæque augeri, obſeſſis omnis præſcindi ſpes, variè per omne genus ludibrii iis inſultari. In hâc difficultate extremâ & conſilii inopiâ, deſperatis cæteris mali remediis, fuêre in civitate, qui ad Edſardum

M. D. VI. reſpicerent, animúmque ejus ſecretò tentandum putarent. Eo facto Edſardus fortunâ ſe offerente illectus, aut, quod multi exiſtimant, occaſioni huic diu expectatæ intentus, benignè ſcribit obſeſſis, legatos eorum Dammonam evocat, ſtudium ſuum offert, animum diſſimulat: iſtùc veniens cum Cantero & Bramio ad eum miſſis perblandè agit, cum Saxone paciſcendum monet, ad eum flectendum ſe ducem & adjutorem pollicetur. His domùm remiſſis, veniunt eódem ad eum Vitus Drachſdorpius & Guilhelmus Grumpachius, ſeu odorati aliquid, & præventuri, ſeu quod aliàs ità facto opus putarent. Ii diſſimulato, ſi quem habebant, metu, memorant, quàm anguſta res ſit obſeſſis, ſcire certò, vix paucos dies ſuſtinere eos obſidionem poſſe, ſperare itaque, deditionem facturos: ſic enim Hattumi proximè conveniſſe, ad Paſchatos utraque pars de conditionibus quid ſentiat ac velit, ut aperiat: quod ſi præter ſpem deditio non procedat, & ab Vltrajectinis auxilia obſeſſis venire contingat, benevolentiam atque opem ipſius pro Saxoniæ Principe ſe petere, rogareque ut quo animo ſit, quidque expectandum ipſis, oſtendat. Ille, ut erat catus ac ingenii expediti, bello ſe valedixiſſe, niſi quis irritet: ad pacem ſi quid poſſit, non ſe defuturum: poſtremò cùm inſtarent illi, & omnia à Principe ſuo pollicerentur, deliberaturum ſe cum ſuis, & quàm primùm reſponſurum promiſit. Ab horum diſceſſu confeſtim die III Non. Aprilis per Hicconem Dornumanum à conſiliis intimum Dammonâ ſcribit ad Senatum, fuiſſe ſecum Saxonas, & de ipſorum rebus varia locutos: re poſcere, ut legatos clam ad locum à turbâ ſecretum mittant; forſan fortunæ eorum ſummam in eo verti; orare ut & litteras has & rem premant, ne ad Saxonas quicquam emânet. Simul commeatus litteras mittit, & locum deſignat in fano Ianſuerano, quod eſt in conſpectu proximo Dammonæ ad Fivelam amnem. Litteris in Senatu recitatis vocati in curiam, qui temporibus difficilibus vocari ſolent, & in his, cum ædilibus capita ſodalitatum plebeiarum, & honeſtiſſimi quique è cæteris civibus: ab his omnibus poſtulatum, datumque jusjurandum, nil eliminaturos ante tempus, nominaque omnium in album relata. Tum propoſita res ſtupentibus multis, multis avidè probantibus, multis inter probandumque mediis. Demum, quoniam feliciùs pauci prudentes, quàm multi è vulgo deliberant, XII viris nuper editis ſex additi, in quibus Sicco Beninga hiſtoriæ ſcriptor. His conſulendi, ſtatuendi, agendi poteſtas data ad rei finem. Erat tum in urbe diſſonus clamor, & diverſæ ſententiæ: Alii cum Saxone quærendam tranſactionem, alii ad Edſardum confugiendum (emanabat enim opinio, facturum ſi rogaretur) contendebant. Præter hos, quò ſe verterent, haud inveniebant. Nec erat differendi locus. Vrgebat quippe dura vis, neceſſitas. Fames ſcilicet plebem, plebs cæteros ſtimulabat, omnes præſentium pertæſi erant. Nam de Vltrajectinis auxiliis quod quidam jactabant, freti litteris eorum, qui iſtic manſerant, id inane eſſe, & ampliandis tantùm miſeriis, atque impediendis conſiliis melioribus. Atque hæc in foro, in compitis, in circulis variis rationibus, ut cuique mens erat, diſſerebantur. At XVIII-viri huic curæ præfecti nec ipſi unum & idem omnes ſentiebant: pauci Vltrajectinos adhuc reſpicere, cæteri in Edſardum & Saxonem ſimiliter diviſi: nec clamoribus ſtreperis, ſed rationibus preſſis res acta. Qui Saxonem poſcebant, ejus opes, Edſardi humiles &
» infirmas res prædicabant: ſapientia eſſe, in rebus hujuſmodi non animos mo-
» dò, ſed vires, nec initia ſolùm, ſed finem ſolerter conſiderare: hunc, ſi ſuſceperit rem, tuendæ parem non fore: illum non quieturum, nec ſuas tantùm, quæ permagnæ & validæ ſint, ſe propinquorum quoque, atque ipſius Imperii vires commoturum: imò Vltrajectinos mutato domino offenſos, hoſtes opportunos, in partes tracturum: ità eadem mala aut majora civitati reditura: Quòd ſi dominus habendus, cur non diligatur potiùs is cum quo regis ira deceſſerit, gratia redierit, potiſſimorum etiam Principum accreverit benevolentia,

lentia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

lentia, quàm alter, qui invidiam, odium, indignationem ſit cumulaturus? De- M. D. VI.
nique infeſtum civitati utrumque, honeſtiorem verò & molliorem parendi
conditionem ſub magnis quàm parvis eſſe dominis. Alii contrà, immitem, aſpe-
rum, implacabilem, avarum Saxonem: ſæva miniſtrorum facinora indicia eſſe
animi ipſius. Exemplo vicinos eſſe fortunâ adhuc dubiâ duriter preſſos, ſub ju-
go gementes, & duriora timentes: gentem imperioſam, inſolentem, libertatis
popularis ignaram: Edſardum ejuſdem gentis Principem liberæ conditionis
gnarum ac patientem, ei ſuetum & æquum, maximâ gratia ac amore ſuorum,
comem, benignum, facilem, ſubditis penè ut liberis utentem. Nec tàm fragi-
les vires hujus, tàm firmas illius. An verò ignotum, quantum valeat oportu- “
na vicinitas? quantùm magnas quoque opes debilitet longinquitas? quan- “
tùm differant alacria & prompta populi ſtudia, ac obſequia invita? Et quid,
dicebant, in Friſià Saxones hucuſque ſine Edſardo? Quàm verò illi diu ad
hanc hæsère urbem, ſolam, deſertam ab omnibus? & quidem adjuti ab eo?
qui ſi jungetur nobis, obſiſtetq; illis, quam illi ſpem habere poterunt? præſer-
tim bello longo jam exhauſti feſſiq;? ut non abs re exiſtimare quis poſſit, ne
conaturos quidem quicquam rursùm, ſi ſemel ſummoti fuerint. Nam de pro-
pinquis amicíſq; verba magis quàm res ſunt. Haud facilè quiſquam alienâ pro “
fortunâ ſuam in diſcrimen dat, aut opes perdit. Gratiâ ſi poſſunt, adſunt, ju- “
vantque; exercitus alere, pecunias in gurgitem belli immittere nolunt. Vt a- “
lia deſint, Vltrajectini nobis exemplum dedêre. Denique, ut oneri quoque
haud par futuros Edſardus ſit, ſi magnæ vires inſurrexerint, nos tamen ver-
ſurâ diſcrimen hoc præſens evaſerimus: ac ſi ſupini eſſe nolumus, haud diffi-
ciliter intereà aliam parendi conditionem invenerimus meliorem. His ratio-
nibus dubios hærentesſque concilij animos recordatio inſignis ſævitiæ Saxoni-
cæ paucos antè dies, fœdo & ad poſteros memorabili exemplo proditæ, incli-
navit. Intercepto quippè homine pauperculo famis causâ ex urbe egreſſo co-
mitante uxore, & vinculis conſtricto, cùm ob inopiam ſe redimere non poſſet,
tandem Viti juſſu, ſtigmatis mulieri genæ ſignatæ, viro præſciſſæ aures, & hæ
pro emblemate pileo ejus affixæ: tum haleces duæ, fruſtellúmque panis, &
ſalis modicum ad pectus ſuſpenſa: ita ornatus manibus à tergo revinctis in
ludibrium remiſſus in urbem, & conſulibus hæc munera à Vito ferre juſſus.
Qui cùm ad ſtationes primas, deinde in vicos urbis, & forum cum conjuge
veniſſet, concurrente ad ſpectaculum infinitâ multitudine, ad conſules de-
ductus, multis in barbariem crudelitatemque hoſtium dictis, irâ ac fremitu
totam replevit civitatem. Quapropter ſtatutum concilio, cum Edſardo rem
tentare: miſſique ad eum Petrus Sickinga, Gelmarus Canterus, Henricus
Terincveldius, Ioannes Bramius, VVigboldus Faber. Cum his ipſe Edſardus
adhibitis ex omni ſuorum numero Hiccone Dornumano, Vlrico Eſenſi aulæ
ſuæ Mareſchallo, Ioanne Agricola Rodolfi fratre, pridiè Palmarum eo in fano,
quod antè dixi, congreſſus. Illic per Hicconem Dornumanum expoſito omni
ſermone Saxonum, & reſponſo ſuo, percontatus de fortunâ civitatis, & annonâ
audit, æſtimare ipſummet poſſe ex tantâ belli diuturnitate, annonam arctari:
nec tamen eò prolapſam rem, ut cogat ad conditiones iniquas & exitioſas: dein
rogatus, quas rationes legeſque liberandæ civitatis proponat, per eundem re-
ſpondet Hicconem: Si aditus cum præſidio in urbem ſibi datus, urbſq; ipſa Im-
perii Romani nomine tradita fuerit, ſe commeatum ei illaturum, contraq; Sa-
xones & quoſvis, quibus hoc adverſum auxilio futurum. Ad quæ Canterus: Im-
perii nomine, clementiſſime Comes, urbem tibi tradere non audemus. Nam &
Saxo idem nomen præfert: & tu civitatem dedere illi, ac nos in pernitiem dare
citrà infamiam tuam poſſe videberis. Quod ſi ſincerè agere nobiſcum, noſq; in
fidem protectionemq; tuam recipere vis, feremus cõditiones neceſſarias magis
nobis hoc tempore, quàm decoras aut utiles, tuis verò rebus commodiſſimas &

 honori-

M.D.VI. honorificas, ultrà quas ne concupiſcere quidem quicquam æquitatem tuam
debere putamus. Imperium quippè agri inter Lavícam Amaſumque tibi cede-
mus, te dominum protectoremq́, noſtrum appellabimus, ſacramentum more
ſolenni tibi eidem, hæredibuſq́; tuis dicemus: præſidium etiam CCC militum
recipiemus intra urbem; cuncta hæc ſalvo jure, quòd Vltrajectinus in civita-
tem tenuit hactenus. Hoc verò abſurdum fatuumq́; fuerit, reddit Comes, tan-
tulis cum copiis tantam occupare urbem: nec mihi ſolùm periculoſum, ſed vo-
bis quoque ipſis. Factionibus enim laboratis, ut audio, nec unum ſentitis om-
nes: inter quos ſi cum cohorte unâ intulero me, quid niſi memet, & vos in di-
ſcrimen præſens dedero? Majore mihi præſidio opus, ut vos méque ipſum in tu-
to ſiſtam. Simul contra factiones & contra vim hoſtium externorum robur ha-
bendum. Omnia verò ſine arce in urbe inania: hoc caput rei. Hæc admitten-
da, amici, aut verbum de re non faciendum ampliùs. Mihi animus ſincerè age-
re vobiſcum; vos videte, ne ea negetis, quæ veſtræ meæque ſaluti neceſſaria.
Dein de Imperii nomine, de agri regimine, de hovetmannorum judicio, de
mercatu, cerviſiæ uſu, vectigali dicta diſceptataque multa: tandem benignè,
bonâque cum ſpe legati dimiſſi: ab his ad ſenatum cæteroſque omnia relata.
Quæ dum acta his Coenderi & Hornkenij ſtudio, Vltrajectinis curæ commo-
tæ: Nobilitas imprimis, principibus Ioanne Monfortio, & Ioanne Reneſſio,
frequens Vltrajecti collecta, conſilia cum ſacro ordine, & urbano ſenatu ca-
pta: litteræ ab omnibus ſeparatim, ſeu ut reverâ arma moverent, ſi poſceret
res, ſeu quod creditum multis, ut hac famâ obſeſſos animarent, ad præſulem
datæ ſatis acres de ferendis in tempore auxiliis, ſi pax aut induciæ non fierent.
Simul ad civitates Iſalanas bello proximas, & auxiliis opportunas ſcriptum.
Horum omnium exempla ſtatim ad obſeſſos miſſa, additáque ad eoſdem à no-
bilitate epiſtola tempori conveniens, admonens conſtantiæ, & ſtudium pro-
mittens. Omnia hæc pridiè Calend. Apriles acta, ſed non ante V Idus Gronin-
gam perlata, propter vias ab hoſte inſeſſas. His junctæ erant à Coendero &
Hoernkenio litteræ, quarum ſcopus erat idem; omnia ſcilicet ad opem para-
ri, totam ſe diœceſin commoturam. Sed & hæ cuncta illa accepta frigidiſſimè
à civitate, & penè pro inanibus habita. Nam toties promiſſa, toties fruſtrà
expectata jam fidem perdiderant: animis præſertim ob inducias offenſis, & in
Edſardum verſis. Etenim relatis, quæ poſtulaverat diſſerueratque Edſardus,
in his omnium cura conſumpta. De his deliberare, diſſerere varia, ſententiis
contendere, omnia exigere diligenter: repetere, quæ dixi priùs de Edſardo &
Saxone: legati humanitatem Edſardi commendare, prudentiam ei, aliaque
Principe digna complura tribuere. De Imperii nomine dilutum facilè, decli-
nandæ invidiæ & calumniæ, ac ſuſtentandæ cauſæ non inutile, imò neceſſa-
rium, de Hovetmannis durum, de Dammonâ durius, ſed duriſſimum de arce
arciſque præſidio. Quæ ſi tolli corrigíque poſſint, de cæteris in hac fortunâ
non querendum. In hoc omnis ponenda opera, omnes intendendi nervi: de-
nique ſine eo non paciſcendum. At Edſardus Dammonâ Emdam reverſus
quærendo conſilio ſuorum, cùm vidiſſet probare omnes, & ſtudia prompta
offerre, ut erant ejus plus ſatis amantes, ſignificat ſenatui, in cœnobio Mun-
rano, quod Amaſo vicinum eſt, affuturum ſe poſtridiè, auditurúmque, ſi ve-
lint, legatos ipſorum, cæteráque cum iis acturum. Dies is nominatus erat al-
ter ante ſolenne feſtum reſurrectionis Chriſti, IV Idus Aprilis. Iuſſi ire iidem
qui proximè. his leges datæ experiundo conficiundóque negotio, ab XVIII-vi-
ris ſcriptæ primùm, mox ſenatus populíque cenſurâ probatæ, civitati tolera-
biles: ſed additum mandatum, paciſcerentur his, ſi poſſent; ſi non poſſent,
uterentur prudentiâ ſuâ, patriæque conſulerent. Atque hi profecti quidem:
verùm irritum iter tempeſtas fecit, Edſardum prohibens flumen trajicere
Africi venti vi. Miſſæ modò litteræ per hominem audacem vitæ prodigum,
rejectâ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

rejectaque res in XV Calend. Maij conſenſu mutuo, legatique pridiè feſti Re-
ſurrectionis ſub primas tenebras in urbem reverſi. Triduo pòſt novæ litteræ M. D. VI
venere à Coendero & collegâ, nunciantes Everwinum Benthemium rediſſe à
Saxone, litteraſque tuliſſe ad Morſenſem & Egmondanum adhuc in diœceſi
morantes, de voluntate ipſius: dici, Saxonem in conditiones Hattumanas de-
ſcendere, Invenio etiam, quanquàm non memoret hoc Sicco Beninga, alioqui
diligens ſcriptor, circiter id tempus chartas in urbem allatas complexas condi-
tiones novas, quibus cum Saxone pax poſſet confici, & de totâ causâ trans-
igi. Sic altera ad tranſigendum patefacta via. Placuit tamen progredi priùs
in eo, quod cum Edſardo inchoatum, expeririq́ue extrema, ſequi verò, quod
utilius ac melius. Itaque remiſſi ad diem locumq́ue dictum iidem cum man-
datis iiſdem. Ibi per biduum totum tractato negotio cum ipſo Edſardo, omni-
buſq; tentatis de arce, de Hovetmannis judicibus, de mercatu, de præſidii modo
pro civitate, cùm vidiſſent legati actum ſe agere, tandem volentibus ipſis con-
ditiones præſcriptæ & in formam ſolennem redactæ; quæ ratæ eſſent, ſi proba-
ret civitas. Earum ſumma hæc erat. *Senatus populuſq; Groninganus Edſardum
cum militum numero octingentis non minore, mille non majore, recipito in urbem ſacri
Imperii nomine, judiciumq; ejuſdem Imperii hac de re & causâ ſuâ expectato. Senatus
idem, cæteriq; civitatis rectores eundem Edſardum eodem nomine, eâdem lege ex-
cipiunto adventantem ante portas, & fidem obſequiumq; ei juranto. Iidem ingreſſo in
urbem extemplo portam urbis unam, quam volet ipſe, tradunto, & munire eam, aut mu-
nitionem aliam intra urbem idoneo loco excitare permittunto: intereà ſalvum maneto
Vltrajectinorum jus, ſi quod in civitatem habent. Similiter Groningani Edſardo reſignan-
to imperium agri, nec impoſterùm aut in agro urbéve magiſtratus ejus curanto, ſibive
vendicanto, incolumi modò ipſis in urbe juriſdictione illâ veteri, ſic uti congruat pactis
hiſce. Iidem de detrimentis hoc bello acceptis illatiſq; judicium ſubeunto Principum ali-
quot Imperii extra partiū ſtudia ab utrâque parte lectorum, utuntorq; hac in re interceſſo-
re Edſardo ſtudium ſuum pollicito. Item, cùm nullo Principe, civitate, populo clam palam-
ve actionem de republicâ inſtituunto ullo tempore, niſi ſciente & volente eodem Edſardo,
aut hæredibus ejus: Cum Edſardo modū ineunto de cenſu certo ex agri rebus alendo præſi-
dio, & caſtelli operibus tuendis. Edſardus contrà intacta atque integra civitati relinquito
libertatē, privilegia, jura, inſtituta majorum, conſuetudines bonas, hactenus illi uſitata; nec
mercatorū, opificum, aliorum ſimiliū ſodalitates in poſſeſſione, quam habent ex reip. diplo-
matis, turbato: ex honeſtioribus civium ordinibus deligito aliquod pro arbitrio ſuo, qui no-
mine ipſius in urbe judicium exerceant pecuniæ creditæ, aut aliarum rerum cauſarúmve
ſimilium, quæ antiquitus ex fœderibus aut conſuetudine receptâ ab Hovetmannis ur-
banis judicari ſolent, more etiam & modo priſtino ac ſolito. Civitati quoque & civibus
ac ſociis integra relinquito quicquid per agrum tenent, aut paraturi ſibi impoſterùm
ſunt, poſſeſſionum, juris, juriſdictionum: Non permittito frumentum in ágro circum-
vicino natum exportari à quoquam, ſed forum ejus Groningæ ac Dammonæ eſſe cogi-
to. Groninganis importationem & exportationem rerum ſuarum per agrum navigio
currúve immunem à vectigali præſtato: In uſu cerviſiæ Groninganæ morem priſcum
conſervato: In ſtapulæ jure ad altilia, butyrum, carnes, lardum, caſeos, & quæ ſunt ejus
generis, pertinente ex conſilio civitatis, bono ejuſce ac totius reipublicæ conſtituendo, ci-
vitati, quantum æquitas ſinet, commodato. Civium fortunas aut corpora lædi, aut affi-
ci injuriâ non patitor, contráque delinquentes ſeverè punito: eorundem civium & ci-
vitatis jura & bona cum fide tuetor, offenſam priorem omnem obliviſcitor, prorſuſq; ex
animo deleto.* Cum his in urbem reverſi legati, de totâ re actâ ad ſenatum, conci-
lium delectorum, collegium XVIII-virûm, ædiles, ſocietatum plebeiarum præ-
fectos, honeſtiſſimos quoſque reliquorum civium in curiam vocatos, retulere.
Tū formula lecta examiniq; data; deniq; omnia majore quàm credi potuerat,
conſenſu probata, ut Saxonicis multò meliora: ſimul nomina probantium in
album memoriæ causâ relata. Eo facto, eodē die poſt meridiem omnis civium

M.D.VI. multitudo, ne quid deeſſet, in fanum Walburgis, quod theatri formâ hujuſmodi rebus commodum eſt, coacta: Atque illic audientibus cunctis ipſa rurſum formula clarâ voce recitata, omniumque ſuffragijs ſine controverſiâ re-,, cepta. Vrbegat enim neciſſitas, pertinaciæ domitrix. Mox Comes his de omnibus edoctus, uti convenerat, ſignandis tabulis legatos in urbem mittit. Iis coràm, tabulæ à tabellionibus confectæ, in curiâ relectæ in coronâ eorundem omnium, qui antè adfuerant, iterumque ab omnibus probatæ, ac tum utrâque à parte ſignatæ exemplis duobus, quorum alterum in archivis reip. oppidanæ conditum, alterum legatis datum. Factum VIII Calend. Maij. Edſardus quantâ potuit celeritate per omnes ditiones ſuas delectus habere, validiſſimum quemque omnium ordinum ſcribere, ſplendidiſſimum ex his exercitum pedeſtrem equeſtremq; millium quinque voluntariorum conficere, huic firmam ſed non magnam manum peregrinorum ſtipendio militantium addere, magnam vim commeatus celeriter ſummo ſtudio cogere, navibuſque imponere; Amaſum cum omnibus trajicere. Cum Dammonam veniſſet pridiè Calend. Maji, poſtridiè ipſis Calendis primâ ſtatim luce, attonitis ſtupentibuſque Saxonicis, viâ Groninganâ agmen extendit viris armiſque inſigne, in quo pedes ad genua ferè à ſummo vertice, pauci ad lumbos, eques ad calcaneum uſque coruſco ferro cooperti, contis, haſtis, bipennibus, gladiis, ſclopetis egregiè inſtructi, omnes animis corporibuſque validi. Ipſe, primis cohortibus prægreſſis, cum equitatu illuſtri, fulgentiſſimâ nobilium turmâ ſtipatus, incedens: cæteri longo ordine, ut viæ ſpatium dabat ſub ſignis quique ſuis compoſito gradu militari ſequentes. Hoc modo inter canentia ſigna cùm ad pontem altum eſſet ventum (is in conſpectu urbis, non mille paſſus à portâ diſtans) gradus inhibitus, agmenque totum ſtare juſſum. Interim Groningana juventus frequens, & ipſa armis decora, & miles Polanâ portâ ſub ſignis egreſſi, honoris causâ, ut adventantes exciperent, inſidiaſque ſubmoverent, in occurſum tendere, omnis ætas & ſexus in vallum, turres, proxima tecta, aliaque loca ſpectandi gratiâ concurrere, mox Conſules, Senatus, XXIII-viri jurati, ædiles, aliique delecti decoro ac gravi agmine eâdem portâ viâque procedere. His ante reliquum agmen paululùm egreſſis, uti in paciſcendo convenerat, obvium ſe tulit Edſardus in equo ſublimis, corpore toto fulgentibus tectus armis, & cum eo ſeptem è nobilitate Ciſamaſanâ eodem tegmine conſpicui. Ibi præeunte verbis Vlrico Eſenſi juſiurandum ei, fratrique ab omnibus datum. Eo ritu peracto mox ipſe, Nõ eſt, quòd turbet vos, ait, quòd tot millia huc adduxerim: Saxonum arma ſpectare me, & contra ea paratum eſſe oportuit, ut cum commeatu penetrarem ad vos: ſoli tot, quot in pactis ſunt, urbem intrabunt. Et nunc ipſe ego in urbem hoc habitu invehar fretus vobis: ſi vos falletis, actum de me, ſed Deus ultor erit. Mihi fixum, fidem non fallere, caputq; meum, ſi poſcat res, in diſcrimen pro vobis dare. Tum illi velut voce unâ: Et nos fidem tuebimur integrè, ac res corporaque noſtra pro te impendere parati ſumus. Agite igitur, Edſardus ait, Chriſto auſpice, quem teſte inter vos & me voco. Simul revertens ſe, ad ſuoſque revectus Ottonẽ Papium, Stichuſæ præfectũ tum cohorte centenariâ præire, & Polanã portam inſidere jubet. Hinc longum agmẽ lectiſſimorum virorũ ad mille ſub vexillis quinq;, ſtipatũ campeſtribus tormentis, ſubſecutum, urbemq; ingreſſum. Poſt nobilitas & ditiſſimus quiſq;, ac genere valens in equis cataphracti viſendâ ſpecie, & in his princeps Edſardus ſatellitio circumfuſus cuſtodũ corporis, bipennibus, haſtis, gladiis, frameis armato, cultu numeroq; inſigni. Qui cùm portæ propinquaſſet, illic equum ſiſtens, conſpiente totâ multitudine, è manibus conſulum manu ſuâ claves portarum accepit. Eâ ceremoniâ velut in poſſeſſionem miſſus, portam Polanam ſubiens, inter fulgentia ſigna armaque ſuorum ab ipsâ portâ vicum illlum forumq; undique præcingentium, aſſonãtibus omnibus omni à parte fanorũ nolis, tubis tibiiſq; è turribus curiâq; canen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

canentibus, omni ætate ſexuque lætiſſimis vocibus acclamante, tonitruante M. D. VI.
univerſo urbis vallo, in forum profectus eſt. Indè ad caput plateæ Gelekingiæ flectens ad Coningiorum ædes ex equo deſcendit hoſpitio ſuo paratas à ſenatu. Quas cùm eſſet ingreſſus, cæteri quoque in hoſpitia deducti. Simul commeatus in urbem fervente omnium ſtudio invectus, ac venum propoſitus. Auditæ voces vulgi, EDSARDE SERVATOR, VITE VASTATOR; EDSARDO VITA ET GLORIA, VITO PESTIS ET INFAMIA. Mox excubiæ circùm Comitem, totâque urbe collocatæ. Nox quieti data. Poſtero Edſardus illuſtri pompâ progreſſus, cùm ſacra in cellâ Martinianâ audiſſet, in ædem VValburgis concedit. Illic omnis civitas adeſſe juſſa, ſubrectis pro more digitis, eodem carmine, quo antè ſenatus, & cæteri, promptis concordibuſque ſtudiis, fidem & obſequium jurat. Tum rursùm tormenta tonare, aliáque lætitiæ ſigna edi, dicteria in Saxones, laudes in Edſardum jaci. Denique à mœrore ad gaudium reſuſcitata civitas videbatur. Prima cura Edſardo de cuſtodiâ urbis: vigilias diurnas nocturnaſque ordinare, militi cæteriſque præſidiariis cives miſcere, ſtudia conjungere. Dein luſtratis omnibus locum ſtruendæ arci capit in angulo urbis ortum hybernum ſpectante, ubi validiſſima turris è vallo prominens ex foſsâ Huneſoque aſſurgit. Ejus loci ſitus hujuſmodi, ut eum qui munitum teneret, duo urbis latera haberet in poteſtate, inter portas Orientalem & Steentillæam medius. Eo loco purgato, ſubmotis quæ oberant ædificiis, arcem metatur formâ quadrangulâ: foſſámque deſcribit supernè pedes LXXX, in fundo L patentem; intra hanc vallum ingens, unde aſſurgebat, pedes C, in ſummo cum loricâ L latum; cujus latera duo foràs ſpectantia partes mœnium urbis interſciſſæ conſtituebant. In angulo porrò in urbem verſo turrem lateritiam deſignat craſſam muro pedes XXIIII ſurgentem ex foſsâ, propugnaculum validum, velut ſcutum urbi objectum, tuendis lateribus duobus, è regione reſpondentem alteri, quam dixi, in angulo extimo, in Burgundum olim ſtructæ, ad reliqua latera tegenda ſitæ. Portamque deſtinat inter turrim hanc, & vallum urbis auſtrinum latere medio occaſum tuente, turreſque ad eam firmandam binas minoris operis. Opus hoc & magnum & difficile ob ſoli naturam, (contumax enim foſſori eo loco, & ingenti dente ferreo cædendum ſarcula ligoneſque contemnens) ſummo tamen ſtudio, dum gratia recens, dum metus ab hoſte, dum jurisjurandi vis in animis calens, feſtinat, ruſticorum vicinorum numerum ingentem imperio adactum in opere aſſiduò habet, nec labori nec impendiis parcit. Simul domicilia arcis molitur, properat, opinione citiùs in altum tollit. Hovetmannos quoque duos judicandis controverſiis deſignat eodem tempore ex nobilitate urbana viros inſignes, Ludolfum Hornkenium Conſularem, & Bernardum Coenderum Helpenſem.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XLIII.

M. D. VI. His rebus Saxones urbi aſſidentes velut in ſtuporem abripi, atque attoniti hærere, ſe in præſidiis ſuis continere, contra vim & inſidias ſibi proſpicere: interim ad Edſardum mittere, animumq́ue & conſilia ejus explorare: ille benignè, ſed perplexè per nuncios & litteras reſpondens primùm, mox urbe quoque pluries egreſſus colloquio ſe dare cum ipſis rectoribus. In his de rebus tam inopinis rogatus dixiſſe fertur, ob controverſiam inter Vltrajectinos & Saxones ſe nomine Romani Imperii civitatem occupaſſe, bonóque pacis in poteſtate habiturum adusque controverſiæ ejus finem: paratum ſe & Maximiliano Regi, & cæteris Germaniæ Principibus, adeóque ipſi Saxoni facti ſui reddere rationem. Et quanquàm fremerent animis Saxones, tamen diſſimulato dolore relaturos ſe ad Principem ſuum, nec quicquam intereà moturos ſpondent: ſimul ex ſponſione vi abſtinent, commercia cum omnibus libera civitati relinquunt, commeatum non impediunt, militem in præſidiis acri tenent diſciplinâ. Metuunt ſcilicet, ſi aſperum virum armis paratum, toti genti gratum, tantis nunc auctum viribus non ſolùm iſtâ in regione, ſed in omni Friſiâ actum fore de Saxonibus: Nam vim ejus validam, ſtudia ſubditorum incredibilia: ſuum Principem exhauſtum, imperium ejus inviſum eſſe, nec Tranſlavicanos libenter parere: itaque mulcendum leonem generoſum, & blandè habendum, ne in vim proſiliat. Quæ cùm ad Principem ſcripſiſſent, & quid ſui conſilii eſſet, expoſuiſſent, ille nequicquàm tumultuans primùm, irâque turbidus, tantam ſpem, tot impendia laborisq́ue tam turpiter periiſſe, & in ipſo ſe portu naufragium feciſſe, id ab amiciſſimo ſibi accidiſſe ſtomachans, & vindictâ fervens: mox à ſuis audiens, fruſtrà iraſci & ultionem parare, cui vires deſunt, pecuniâ exhauſtas ditiones, vix eſſe, quo militi præterita ſolvantur, Friſiæ res inſtabiles, Edſardi maximas oportunitates; ſapientiæ eſſe, neceſſitatem ſequi, non in eam inſurgere, conſilio præſcripto locum dat: ſignificat iis, qui in Friſiâ erant, placere quod ſuaſerint; venturos à ſe cum mandatis brevi, qui expediant cætera. Hi litteris acceptis, rati Vltrajectinos haud minùs quàm ſeſe offenſos, & tranſactioni in re perditâ oportunos, incertum juſſu Principis, an ſponte ſuâ, Vltrajectum profecti ſuffundere frigidam in Edſardum & Groninganos, blandiri pro principe ſuo, tentare omnia, quæ iſtûc facere arbitrarentur: minùs tamen quàm vellent promovêre. Vltrajectini quippe plùs ſe jure valere quàm Saxonem, noverant: aut ſi juri locus non ſit, armis ab Edſardo recuperare ſe civitatem poſſe, Saxoni ſi ſemel ceſſiſſent, nil ſpei ſibi reliquum fore exiſtimabant. Intereà è Miſniâ aderant cum mandatis & ingenti pecuniæ vi ſummo labore confectâ Henricus Stolbergius Comes, & Henricus Slenitius aulæ ſummus Mareſcallus: profectique Adoardiam cum Edſardo agunt, laudant ultrò conſilium ejus, ſi animus verbis conſentiat, de principis benevolentiâ optima quæque magnificis verbis repromittunt, denique omnibus eum modis captant: Poſtremò, quod reſpiratio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. VI.

ſpiratione res Saxonicæ feſſæ haberent opus, conditionibus haud malis in poſſeſſione urbis, & agri gubernatione relinquunt. Conditionum ſumma fuit, *ut urbem teneret in eventum litis: Intereà & agrum pro Principe regeret, ſtipendiúmque ex cenſibus ejus caperet, atque in hâc agri rectione maneret, quoad aut aliter ei cum Principe conveniſſet, aut pecunia ingens, quam ei Princeps debebat eſſet ſoluta.* Sed de legibus regendi agri nihil dum definitum. Res omnis per internuncios perquàm ſecretò acta, nec Groninganis prodita. Tùm ſtatim ſolutis ſtipendiis maxima militum pars dimiſſa. E quibus alii haud procul urbe, alii, imprimis qui Selwerdiæ in præſidio fuerant, ſervatis ordinibus uno penè agmine urbem mediam tranſeuntes ad caſtellum VVerdenbraſiium, qui locus omnibus dictus, ſeſe conferebant: quanquam diverſum VVorperius prodat. Indè porrò, quò cuique libitum, ivêre. Præſidia, quantis opus in Friſiâ Tranſlavicanâ, item in caſtris VVerdenbraſsiis, & quæ in Huneſi ripâ ad cataractam Adoardiam, inque arce Beneconiâ in Fredowoldiis relictâ: cætera caſtella circùm Groningam Hogekerchæ, Bedumi, Germerwoldæ, Slochteræ disjecta omnia. Tormenta trans Lavicam reducta. Ita belli facie amotâ, mirum quantâ ſuavitate mentes omnium pax publicata perfuderit. Iam ſumma rerum omnium inopia in urbe brevi momento in ſummam copiam verſa, ager cultui redditus, armenta, gregeſque repetiti: Edſardus in ore omnium. Eum ſuſpicere, mirari, belli paciſque arbitrum venerari: quem paulò antè civitas leonem in armis ſenſerat, & extimuerat, ad cujus nomen penè trepidaverat, eum nunc æquum, mitem, facilem, benignum, quovis placidiorem agno ſeſe omnibus omninò, ſummis imiſque præbentem videre; in eo attoniti hærere. Poſtremò immodicum initii gaudium in omen haud æquè fælicis exitus ſapientibus verſum. Inter hæc pridiè Non. Iulii omnium ordinum qui trans Lavicam colunt, conventus coiit Leoardiæ. Eo in cõventu per Slenitium nomine Georgii Principis Rectoribus regionis munus abrogatum. Henricus Stolbergius pro Principe gubernator declaratus: huic parere omnes juſsi. Mox de Biltano agro, deindè & cæteris aut deſertis olim, aut alluvione enatis, quos agger nondum cinxerat, propoſitum, ſi quis juris aliquid in hos omnes habere ſe putaret, ut id ederet, probaretque. Decretum Principi, pecuniâ ſatisfacere cunctis, agroſque ſine cultu jacentes abſque injuriâ cujuſquam ad cultum traducere. Sed pretio malignè ſtatuto, nihil ampliùs eâ de re tùm actum. A paucis diebus cùm Tauberus novis cum mandatis à Georgio veniſſet, Henricus Stolbergius, Henricus Slenitius, Vitus Drachſdorpius, ipſe Tauberus ex condicto Adoardiam redeunt peramplo & magnifico comitatu inſtructi equitum peditumque, peracturi, in quæ nuper cum Edſardo convenerant. Eunt que ad hos, uti conſtitutum Hicco Dornumanus, Diricus Redanus, Guilhelmus Vbbius Cancellarius, Larleti honeſto loco natus, ab Edſardo miſſi. Simul adſunt Langowoldii, Fredowoldii, Hummerzii, Medachii numero frequentiſſimo, viritim evocati. Ad hos in coronâ, aſſiſtentibus collegis Tauberus, repetitis à primordio belli cauſis, commendatâ Regis, Principiſque ſui ſingulari in ipſos, totamque ipſorum gentem benevolentiâ, adhæc ſtudio, modeſtiâ, impenſis ejuſdem Principis prolixè expoſitis: Nunc verò, ait; eouſq; tandem producta res, at armis imposterùm opus non pntemus. Quapropter hoc jam curat Princeps pro vobis ſollicitus, quos belli injurias pertuliſſe & ſcit, & ſæpè indoluit, ut exoptatâ, fælicíq; pace, & ſingulari indulgentiâ recreemini: imò memor præclari ſtudii veſtri, cùm antè cæteros in fidem vos ejus contuliſtis, viciſſim daturus eſt operam, ut tot vobis bona ex benevolentiâ ipſius proveniant, quot hactenus ex bello & belli autoribus Groninganis mala tuliſtis. Sed qui animo jam nunc vobis adeſt, corpore ob negotia nondum poteſt adeſſe. Id verò ne vobis obſit, duos ſibi legavit viros illuſtres, Stolbergium, qui inter Lavicam & Flevum præſit, Edſardum, qui inter Lavicam Amaſumque: iiſque poteſtatis terminos dedit: nec dubitat, cum fide

M. D. VI. officium facturos. Vult igitur, ut intra hos, quos dixi, terminos ſedem habentes Edſardum proprincipem agnoſcatis, eique fidem & obſequium, manenti in fide & juſta imperanti præſtetis. Quòd ſi cui præter ſpem atque expectationem injuria ab eo fiet, Princeps auxilio ſe fore querenti profitetur. Tùm cum collegis procedens Dornumanus: Quod felix & fauſtum ſit, nomine Comitis noſtri, ait, ſacramento ejus (in nomen quippè hujus dudum jurarant) vos ſolvimus, ſi ita placet, & in jus fidemq; Saxonis, gubernatoris totius Friſiæ, tranſire permittimus. Aſſenſi, qui aderant, omnes, Edſardusq; legatus Saxonis declaratus. Indè Winſumum profecti, quò jam Marnenſes, Vbbegai, cæteriq; Huneſgonij, edicto vocati, convenerant, eadem ab oratore Saxonico primùm, mox ab Edſardicis in coronâ repetita. At ubi poſcere cœpit orator, uti Huneſgonij in nomen jurarent Saxonis, omnes ſimul recuſare, liberè conclamare, ſemel Edſardo fidem ſe juraſſe: in eâ permanſuros eſſe: paratos omnia ſua, atque ipſum ſanguinem pro eodem profundere: quòd ſi ſciat ille, mutuique promiſſi memor ſit, non volet quoque nos, ajebant, deſerere: aliud verò ſacramentum ut ineamus præter hoc, nec fas credimus, nec poſtulari à nobis debere putamus. Eâ inopinà re turbati Saxones, diſputare contrà, voluntatem Cæſaris, aſſenſum Edſardi, ſociorum exemplum jactare, non eam fidē, ſed perfidiam eſſe: pericula quoque & nova bella, & invidiam ponere ob oculos: ſed efficere nihil. Tanta illis pro Edſardo conſtãtia, tantus ejus amor inerat. At Saxones veriti conſenſum morâ vires ſumpturum, manaturumq; longiùs, velut conſilij ſocietatem præventuri, Dammonã properant, ubi Fivelingijs & cæteris in Dullartum conventus diem dixerant. Ibi acriùs etiam ſacramento reclamatum, propeq; ad tumultum popularem perventum. Itaque amplius quoque perplexi Saxones, quanquam Edſardo ſuccenſerent, à quo ſubornatam fabulam rebantur, tamen id profiteri non audebant, vereq; quod ajunt lupũ auribus ſe tenere ſentiebãt. Queſti modeſtè apud legatos, moxq; in Tranſlavicanos cito itinere, velut periculi metu, reverſi, ſcribere ad ipſum benignè excuſare magìs, quæ acciderant, quam arguere, rogare uti conſulat in medium, & temeritate plebis pacem è mœnibus elabi non patiatur: id prudentiam, caritatem patriæ, Principis benevolentiã ab ipſo poſtulare. Edſardus pari benignitate reſpondens, ſeſe purgans, ſimul populum obliquè ſobrieq; excuſans, deniq; omnia de ſe æqua ac juſta promittens, miſſitatis legatis ac litteris ultrò citroq;, tandē ipſe velut optimâ conſcientiã fretus, apud Emdanos conſcensâ nave, ne quid ex inſidijs ſibi in itinere pedeſtri accideret, Harlingã ſeſe detulit. Hic cum Stolbergio & Slenitio cõgreſſus, locutuſq; prolixè, ac multa cauſatus, ægrè demum, & invito ſimilis in has conditiones regendæ provinciæ conſenſit. *Vt legatũ ſe Saxonis ferat in regendâ regione, quæ Amaſo, & Lavicâ clauditur: in omnibus, quæ aget, ſtatuet, decernet, vicariam poteſtatem profiteatur: Principis iura in iudicijs, beneficijs eccleſiaſticis, cæteris rebus diligenter tueatur: dicaſterium ſuperius conſtituat examinandis judicum inferiorum ſententijs, alijſq; gravioribus cauſis cognoſcendis in hoc duos deligat viros litteratos, totidem ex nobilitate, ijſq; quintum addat legatũ ſuum, qui omnes ter quotannis apud Winſumanos coeant, & forũ agant. Iudices inferiores, qui ſunt, eruntq;, curet Principis ejuſdē nomine jus dicere populũ in pace obſequioq; continêre, novi nihil niſi ex principis conſenſu aut mandato attentet: beneficia, privilegia, cætera hujuſmodi non confirmet, non publicet, niſi edita ſignataq; in aula Principis. Pendente inter Principem & Groninganos lite liceat agrarijs impunè commercia habere cum omnibus ijs, qui principi aut Edſardo parent, nec fas ſit, Groninganos ſe interponere. Edſardus nullum munus publicum cuiquam Groningano in agro tribuat, nec ſoli res emere ſinat ante litis finē: caſtella quæ jam princeps in agro tenet, retineat qualia ſunt; alijs pro libitu præſidia det, ſed præſidia imperio Edſardi parere jubeat: de reditibus quæ Princeps cum populo conſtituet, Edſardus fideliter promoveat, reditus per quæſtorem collectos in ſtipendia præſidiorum, omniáque alia impendi, de reliquis principi rationes reddi curet: denique quotquod jurati nondum ſunt, det operam quoquo modo, in*

nomen

nomen Saxonis ante exitum Septembris uti jurent. Sed additum ab Edſardo, ſcriptóque inſertum, ſi quid in his officii non poſſet ſine armis ac vî, Principem certiorem ſe facturum, ac de periculo moniturum: ejus judicii futurum, an novo bello turbari provinciam tempore hoc dubio & difficili expediat. Nôrat quippè animos & ingenia hominum, & difficultatem magnam prævidebat prædicebátque: ſtudium tamen ſuum pollicebatur. Adiicit VVorperius, ſic convenisse, ut valerent hæc, ſi Princeps Georgius aſſentiretur. Ideò non tabulæ ſolennes confectæ, ſed ſyngraphæ tantum ſcriptæ, iiſque ſigna anulis Edſardi & Slenitii minori formâ impreſſa Nonis Auguſti Harlingæ. Slenitius referendi causâ confeſtim in Miſniam abiit. At Edſardus Dammonam reverſus, ubi Saxonis nomen præferre, rem populo proponere cœpit, adverſos & offenſos omnium animos ſenſit; audiit etiam, ſi miniſter eſſe alterius, quàm ſui juris malit, id ipſi licêre, ſed Friſios alienis peregriniſque imperiis obnoxio parére haud velle: nec neſcire ipſum, quo fœdere, quibus conditionibus cum civitate ager omnis ſit junctus: ab eo diſcedere ſine ſcelere ſe non poſſe, invitâ civitate: nec conſenſum modò hominum, ſed & ipſam naturam agrum cum urbe ſic ſociaſſe, ut ſine commercio mutuo & amicitiâ florere non poſſint: quod jure cum ſociis pacti ſint, hoc ſine injuriâ à nullo hominũ, nec ab ipſo rege reſcindi licere: antiquitus autẽ comparatũ ſic eſſe, ne pars altera ſine alterâ principẽ cooptet: itaq; aliũ ab ipſo, qui Groningã teneat, quandiu eam habiturus ſit, principẽ recipere fas ſibi non eſſe, maximè eum principẽ, qui Groningæ ſit inimicus: poſtremò ſi ſacramentũ popoſcerit, neminẽ reſponſurũ. Ita omiſſa res ab Edſardo, Saxoneſq; de eo certiores facti. A Georgio quoque aſſenſus ſuſpenſus pecuniæ causâ. Fine anni, nummus ab Edſardo Groningæ cuſus, cujus inſcriptio erat, EDSARDVS COMES, CONSERVATOR GRONING. Id etiam inviſum Saxonibus, numique uſus in Tranſlavicanis vetitus. Ità disjungi rurſus animi, ac diſtrahi paulatim, nondum tamen in inimicitiam apertam prorumpere. Hyems illa ſine motu ac armis in Friſiâ ac totâ viciniâ exacta. At Georgius provinciæ avidus indies magìs & magìs agreſcens, factus à ſuis certior, ad Regem Maximilianum querelas defert, quid Edſardus de urbe præ ſe ferat, quid de agro excuſet, exponit, judicium flagitat, atque impetrat ſtatim: idque eò proclivius, quod ipſe Edſardus occupatâ Groningâ purgandi ſui causâ Harconem Suderhuſium jureconſultũ ad Regem miſerat, & bono pacis ſe interceſſiſſe, remq; judicio ipſius atque ordinum reſervaſſe oſtenderat. Itaque Rex litteras mittit Haganoæ IV Non. Martij anno M.D.VII. ſcriptas, Groninganoſque citat ad dicendam cauſam apud ſe & Principes: diem præfigit LXIII poſt exhibitas litteras, in urbe Conſtantiæ ad Acronium lacum, ubi futura erant Imperij comitia. Eò miſſi à civitate cum mandatis & poteſtate Henricus Elderwoldius, & Gelmarus Canterus reip. à ſecretis, III Non. Maij domo profecti. Eôdemque legati ab Edſardo ante alios prudentiâ & doctrinâ valentes, Hicco Dornumanus, & Harco Suderhuſius jureconſulti, veluti comitia pro ipſo, ut mos, obituri, reverà ut conſilia cum Elderwoldio & Cantero jungerent. Erant eo tempore comitia Conſtantiæ ſatis frequentia, in quibus Maximilianus Rex, Moguntinus, Trevir, Saxo Electores ipſi præſentes, & cum his Principum, Præſulũ Comitũ, Antiſtitum magnus numerus: cæteri per legatos ſuos. Aderat hîc & ipſe Georgius Saxoniæ Princeps, jureconſultis magnis & multis comitatus, atq; in his Henrico Haringio Friſio, cujus mẽtio nobis facta priùs, homine, ut res docuit, vario & venali, rerũ Friſicarũ præ cæteris perito. Prid. Non. Iunij, qui dies temporis in citatione expreſſi erat terminus, Princeps nondum adeſſe ratus Groninganos, in conſeſſu ordinum omnium, præſente ipſo Rege, per oratorẽ ſuum de totâ causâ cũ inſectatione contumaciæ Groninganæ, libellũ conſeſſui offert, & cognitionẽ ſententiamq; petit. In libello exponit, Albertum parentem ſuum totius Friſiæ atque ita urbis etiam Groninganæ Friſiâ comprehenſæ rectorem Friburgi deſignatum à Rege &

M.D.VII electoribus VI pacandæ regionis gratiâ, mandataque hac de re ad univerſos Friſiæ ordines, & ad hanc ipſam civitatem Groningam data: Hac mandata ſecutum parentem ſuum, & à morte ejus ſeſe in jus demortui ſuccedentem, provinciâ ſuſceptâ magnam ejus partem fæliciter, quanquam impendio ac labore ingenti confeciſſe, & in fidem redegiſſe, de cæteris optimam ſpem habuiſſe. Verùm in medio hoc rerum curſu Groninganos, ſpretâ autoritate Imperii, & mandatis ejus ſepiùs iteratis, auſos objicere ſeſe: Quinimò proximum Friſiæ agrum vi armatâ in ſocietatem pertraxiſſe; dein longiùs etiam progreſſos, omnibus contumacibus fuiſſe auxilio, & animos viréſque ſuffeciſſe, nobilitatis cæterorúmque obſequentium domos diruiſſe, cæde, incendiis, raptu graſſatos bellum contra ſe parentemque ſuum geſſiſſe: ac quamvis has ob cauſas rebellionis poſtulati, convicti, damnati, proſcriptique ſint, tamen ac ſi horum nihil fuiſſet, pari modo progreſſos damna impendiaque quingentis millibus aureorum Rhenenſium non minora ſibi parentique ſuo irrogaſſe. Nunc etiam citatos peremptoriè in iſtum diem & locum ab ipſo Rege pari contumaciâ non comparere. Quamobrem petit eoſdem hos contumaciæ ſimul, & in reſtitutionem ſumptuum ac damnorum omnium condemnari: de eo verò, quod viciſſim poſtulent, perpetuum iis ſilentium imponi: At quoniam in propoſito perſiſtant pertinaciter, proſcriptionem contemnant, imperium ludibrio habeant, præcipi eis autoritate ſummâ omnium ordinum, ut datum ab Imperio gubernatorem ſine morâ, ac tergiverſatione recipiant, ac cætera, quæ juri congrua hoc in caſu, irrogari, denique auxilia ſibi coërcendis, & in ordinem redigendis iis decerni, præſtarique, deque his omnibus ſententiam his ipſis in comitiis ferri. Exhibito libello, citatiſque præconis voce, ſi qui adeſſent pro Groninganis, cum horum legati repentè præter opinionem ſtitiſſent ſeſe, & ad dicendam cauſam obtuliſſent, Saxo primâ dejectus ſpe ad proximam ſe recipit. At Principes cum aliis rebus publicis, tùm maximè conſtituendo Cameræ judicio (id enim eo tempore rurſus conciderat) occupati, judices delegant viros ampliſſimos, qui cauſam cognoſcant. Apud hos Saxo, uti ab agenda cauſa Groninganos prohiberet, ad diem VII Idus Iunii per Henricum Haringæum ita cœpit. Quod legati Groningenſium mandatum adferant, id vitioſum eſſe, & mandati locum tenere non poſſe. Nam jubere reconventione, ut ajunt, experiri, re legibus vetitâ. Et qualecunque ſit, quia à proſcriptis profectum, nullius eſſe momenti. Quæ ſi rationes valere non putentur, poſcere ſe tamen, ut ſatiſdent ſtatim legati de judicato ſolvendo, aut ſi id nolint, nequeantve, ne audiantur ampliùs, ſed pro contumacibus ipſi, civitaſque eorum habeantur. Ad quæ Canterus, cùm Edſardicis clàm deliberatâ re, Sint vobis hæc indicia, judices, (ait) quo animo, quâ fiduciâ contra nos agant adverſarii. Tergiverſantium quippè latibula iſta eſſe, diffidentium cauſæ ſuæ, & cognitionem lucemque fugientium. Nam nec verum, proſcriptam ritè civitatem noſtram, nec veroſimile, fruſtrà aut hoc conſtitutum judicium, aut nos huc eſſe evocatos. Satiſdare verò ad eum modum nec poſſumus, nec jure tenemur. Quis enim iſtâ regione tam procul domo, in quingenties mille Rhenenſium ſpondere velit pro ignotis? Aut quod jus cogat ad impoſſibilia? Parati verò ſumus jurejurando cautionem dare, quam ſufficere leges ajunt etiam his, qui mandato nobis pares non ſunt, ubi ſatiſdari non poteſt. Nec minùs vanum de accuſatione retortâ: permittunt quippè leges, ut vel ante vel poſt conteſtatam litem in actorem reus crimen retorqueat, ſi velit. Quemadmodum ne hoc quidem rectum, ſi quid uno in capite fortè vitium habeat, id totum propterea vitioſum fieri. Prodit ſcilicet ſeſe, inquit, omni à parte hoſtis conſcientia, & res clamat, non tàm juri recto, ad crimen contra nos demonſtrandum, quàm potentiæ & gratiæ ſuæ ad opprimendos indictâ causâ innocentes eum confidere. Cujus cupidini ſi morem gerere vos, ampliſſimique Imperii ordines

volue-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

volueritis, ſanè ſupervacanea nobis omnis cura, & opera : ſatiuſq; fuerit ferendis omnibus nos noſmet comparare, quàm impendiis, moleſtiis, libertate ipsâ noſtrâ, dum cauſam dicimus, miſeriam reddere majorem. Sin alia vobis, atque illis mens, de quo dubitare non debemus, plúſque apud vos æquitas, & jus, quàm opes & gratia potentis inimici in judicando valet, non ſolùm dicendi pro nobis copiam, ſed ſententiam quoque ſecundùm nos nobis pollicemur. Moti æquis rationibus judices dicendæ cauſæ pro libitu Groninganis poteſtatem fecere, libellumq; accuſationis capita complexum legendum tradidêre. Tùm ij conſilio uſi eorum, quos antè dixi, cum agendi tempus adeſſet, in hanc ſententiam locuti ſunt. Accuſamur gravium criminum à Principe inimico, ampliſſimi judices, & pœnas poſcimur. Sed accuſaſſe ſi ſatis ſit, quis erit innocens? Itaque audite, quæſumus, nos pauca pro capitibus, & fortunis noſtris reſpondentes. Reos nos agit Princeps: nos verò, nec hoc ei licere, nec nos teneri, ut reſpondeamus, arbitramur. Leges quippe vetant, ſpoliatorem ſpoliatum arceſſere in judicio, niſi ſpolio antè reſtituto. Heſitatne aliquis? Manifeſta legum verba; notus mos omnibus uſitatus ſubſelliis. Iam verò extra controverſiam eſt, fœdus nobis fuiſſe cum Oſtergois per annos complures, & fœdus poteſtatem fructuſque nobis attuliſſe, hæc quietâ poſſeſſione nos tenuiſſe. Quid, quòd fœdus idem quanquàm firmum per ſe, tamen à Maximiliano quoque Rege confirmatum? quódque confirmatio iſta ope ſtudioq; Alberti Saxonis confecta, qui parens Georgii fuit? & quòd eidem huic haud parvum operæ à civitate ſolutum pretium, Rhenani circiter mille? At leges non ſinunt, eum, qui alteri commodum procuravit, aut ſtudio confecit ſuo, pòſt ſibi id ipſum aſſerere, aut quoquo modo tenenti facere irritum. Quâ igitur ratione licuerit Alberto hanc eandem Oſtergoam invadere, & ſuæ ſubigere poteſtati? Quâ item ratione, quóve jure licuerit, atque adhuc liceat tenere filio ejus Georgio? cùm ignotum non ſit, non ſolùm ſpoliantem, eúmve, qui alterum poſſeſſione dejicit, ſed & hæredem ac ſucceſſorem ejus ſecundùm leges ſpolii cauſam dicere oportere: ex iiſdem legibus vim vi repellere licere. At longiùs etiam iſta progreſſa injuria eſt. Eodem ſcilicet modo tentata, turbataq; eſt Ciſlavicana regio antiquiſſimo fœdere nobiſcum juncta. Fœdus verò illud non modò honeſtum ratumq; ex ſeſe, ſed optimi quoque principis, Imperatoris Friderici ſanctione probatum: ex quo non ſolùm honos poteſtatis, ſed fructus quoque uberes ac dites civitati provenêre. Quæ ſi ne quidem negare audet adverſarius, quid cauſæ queat eſſe, cur non ita pronunciandum vobis ſit, judices, nos, ut accuſationibus ejus reſpondeamus, jure non cogi, priuſquàm redditis omnibus in integrũ ſimus reſtituti? Nec enim æquum in rep. legibus firmatâ, ſpoliantẽ ſpoliis gaudere, atq; inſuper infælicibus inſultare ſpoliatis. Quòd ſi damna dedit, dum bellũ in nos hoſtis gerit, cui præter ſe id imputabit, qui bello nos injuſto invaſit? Sic enim leges tradunt, qui vim patitur, & in poſſeſſione turbatur, ei fas eſſe, vî quoque & armis ſeſe tueri. Poſtremò quantum Princeps inimicus in opibus & ſanguine ſuo, tantum nos in æquitate, juſtitiâque veſtrâ, & ſanctiſſimo tribunali, oppreſſorum aſylò, repoſitum præſidium habemus. Contrà Saxo per ſuos expendi poſcit à ſe in libello expoſita: iis quippè probatis corruere per ſeſe eorum exceptionem. Quo enim modo ſpolii crimen committi poſſe in proſcriptos, legum, privilegiorum, diplomatum, juris denique omnis, ac pacis præſidio per ipſas leges exutos? fortunis corporibuſq; in prædam, ac vim omnium expoſitis? poſtremò eâ conditione viventes, ut injuriam iis fieri non poſſe jureconſulti dicant? Nec illud obſcurum eſſe, quicquid factũ in hos, id & jure, & ſciente, volenteq; ſummo principe Rege eſſe factum. Itaque plùs quàm inania videri à reis allata, ad eludendum judicium reperta: nonnulla & contumelioſa in memoriã parentis optimè de universâ Germaniæ rep. meriti, cumulandis modò injuriis pluribus, non levando crimini comparata: quæ ſanè inulta tranſmittere non eſſe pietatis filii, qui honorem patris tueri

M.D.VII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. VII. velit, debeatque. Tum rurſus Groningani: ſeſe, quo tempore bello petiti ſint ac vim paſſi, antéve id tempus, proſcriptos fuiſſe, id vehementer, omnibuſque modis negari: ejuſdemq; vanitatis eſſe, quicquam ab ſe aut civitate ſuâ commiſſum proſcriptione plectendum, aut proſcriptionis ſententiam à Rege proceribuſq; Imperii iſto promulgatam modo, quo jactet actor, quóve jura flagitent; ac dici id ab hoſte poſſe, probari non poſſe: nec verum, aut mandatum Alberto à Rege eſſe, aut jure mandari potuiſſe ut iſthâc ratione rem ageret, id eſt, vî armatâ poſſeſſione nos deturbaret, ſed hoc verum, jus abfuiſſe, per vim facta omnia: nec id fateri, quicquam contumeliæ gratiâ dictum ſcriptúmve à ſe in Albertum, quod cauſæ ratio non poſtularit: hoc verò poſcere, ut quæ dicta ſcriptáque ſint, ea aut vera ſe fateri, aut pro falſis habere actor oſtendat: ſeſe probandis omnibus eſſe paratos. Hic muſſante Saxone de Oſtergoâ, cauſæ principio, Groningani acceptâ rurſum dicendi poteſtate, exhibitis tabulis ac ſyngraphis demonſtrant cum Oſtergois ritè bonoque publico fœdus ſe feriiſſe, idemque coluiſſe ac ſervaſſe probè; Regem quoque & ſenatum regium non temerè, ſed auditâ parte adversâ, & causâ benè cognitâ id firmaſſe, autore & Principe conſilii Alberto: hujuſque rei gratia legatos Regis in Friſiam miſſos, ab his ſanctionem publicatam, his jusjurandum datum, partéſque omnes religione eâ, quæ maxima humanos contractus continet, obligatas, pecuniæ vim magnam Saxoni, majorem Cæſari ob fœdus, ſolutam. Inter hæc cognitionis præſes vir gravis, & minimè præceps, Saxonis aſtu, cui minùs placebat, uti Sicco Beninga prodit, avocatus, aliuſque ei ſurrogatus. Apud hunc Oſtergoâ miſsâ, ex Weſtergoâ Saxo cauſæ præſidia advocat. An hanc quoque fœderatam habuerint Groningani? an reliquerint intactam? an non eàdem temeritate & cupidine invaſerint, turbarint, concuſſerint? pacem publicam violarint? quo jure? certè non alio, quàm quod ambitio & avaritia hominibus improbis ſolet ſuggerere. Et quid proſcriptione dignum, ſi non hoc? At Canterus, ſpecioſa ratio, ait, ſi vera res: turbare enim quietem aliorum boni non debent: rectéque in eos, qui id committunt, pœnæ ſunt ſtatutæ. Sed tam innoxij extráque culpam heîc ſumus nos, quàm nocentes adverſarii. Niſi fortè ſontes ſunt, qui, quod ipſa natura monet, quod leges concedunt, quod omnibus in more mortalibus eſt, vim vî repellunt. VVeſtergoi quippè animis inquietis, odio, invidiâ, factione incitati, ſocios noſtros armis invaſêre, ut à fœdere eos cogerent diſcedere. Quid illi non machinati in nos? quas non artes, quam non tentarunt vim? quâ non nos fœduſque noſtrum affecerunt contumeliâ? Itaque naturâ duce ad arma nos quoque devenimus, ut nos ſocioſque noſtros ab injuriis protegeremus. Quæ res ſi progreſſa longiùs, ut belli ingenium habet, non nobis, qui quieſcere maluimus, ſed iis, qui nos arma ſumere coëgerunt, imputetur. His verborum pugnis alternatum diu, ſingulaque ad Regem cæteroſque Imperii ordines congregatos à cognitoribus relata. Ab his tentata quoque partium compoſitio amica: ſed nihil profectum. In totâ actione, plus æqui, ubi gratiæ opumque minùs, à cognitoribus iiſdem repertum. Saxo demùm ſtomacho plenus Conſtantiâ diſceſſit, relictis, qui cauſam curarent. Nec multò pòſt, labente Iulio menſe, Principes ordineſque Imperii confectis Reip. negotiis, iſtinc in diverſa quoque ſunt dilapſi. Tum petentibus Groninganis, quoniam peragi eo loco & tempore cauſa non poterat, nomine Regis interpoſitum decretum in hanc ſententiam: Partes citatas feciſſe quod debuerint, ſed cauſam ob Principum ordinumque cæterorum diſceſſum è comitiis peragi nunc non poſſe: Hanc, & ſimiles ob res Regem pro officio ſuo citatione peremptâ, acta in hoc judicio apud ſe procereſq; Imperii tollere, & facere irrita, perinde ac ſi acta non ſint, totamq; cauſam in eum ſtatum reſtituere, in quo erat antè citatas partes, & judicium conſtitutum: Et ſi quid agendum denuò partibus petentibus, officio ſe non defuturum, cunctaque inculpatè

porro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

porrò acturum. Factum hoc IV Calend. Auguſti: poſtridiéq; Groningani Con- M. D.VII.
ſtantiâ profecti, poſt Idus rediére domum, & cum his Dornumanus & Suder-
huſius ad Edſardum ſunt reverſi. Quæ dum peregrè fiunt, Groningæ Edſardus
probante civitate numariam rem inter arma prolapſam reſtituit, æſtimatio-
nemq; fluxam ad certum modum reduxit. Decretum ejus à rectoribus civita-
tis, Senatu, conſilio jurato, ædilibus die VIII Calend. Iunii, altero à Penteco-
ſtes, publicatum. Ab iiſdem eo tempore edictum, ut æs alienum ante id con-
tractum tempus eo numûm genere, quo contractum, ſolvatur: numulis mino-
ribus dimidiis ſtuferis, placcis, & id genus aliis ſolutio hujuſmodi ne fiat, niſi hoc
ſit in contractu expreſſum. Dubii interpretatio in æſtimatione hâc Edſardo re-
ſervata. Poſt quæ nondum ſolutis Conſtantiæ comitiis mors Vconem Edſardi
fratrem die VI Idus Iulii Auricæ ſuſtulit, virum mitis ac recti ingenii, nuptias eo
tempore parantem cum virgine familiæ Egmondanæ. Fortuna in rebus homi- "
num frequens, quæ cum ſplendent maximè ac lætæ ſunt, repentè verſæ in lu- "
ctum deſinunt. Corpus Nordæ conditum juxta parentem fratremque in cœ- "
nobio virginum, nuptiiſque parata funeri impenſa. Vixerat annos XLII, rarâ
concordiâ cum fratre, ſingulari & eximâ caritate omnium patriæ ordinum, &
amore in eos mutuo, atque ideò veris lachrymis horum elatus, patronus reo-
rum & infælicium apud fratrem, ac egentium aſylum. Mors ſubita veneni for-
tuiti ſuſpicionem dolentibus dedit. Simul aliud ad tribunal Groningani & Ed-
ſardus vocati. Vltrajectini, ut eſt antè à me demonſtratum, ſuſpecto repudia-
toque arbitro Rege, ad tribunal Eccleſiaſticum provocaverant: dein iidem re-
bus longiùs progreſſis Romanum Pontificem Iulium II appellaverant; quere-
laſque ad eum graves de injuriâ Eccleſiæ detulerant. Iulius ambitionis infinitæ
Pontifex cauſam cognoſcendam decidendamque ſummâ cum poteſtate tra-
diderat antiſtiti collegii monaſtici in Brabantiâ, duobuſque juris canonici pe-
ritis apud Lovanienſes. Ab his igitur cùm citati eſſent eo tempore, quos dixi,
miſſi ab iis in Brabantiam homines obſcuri; illîc actione inchoatâ, à decreto,
quod judices interponebant, provocatio ad ipſum Pontificem facta. Nec diu
poſt Harco Suderhuſius Conſtantiâ reverſus Romam ad dicendam cauſam ab-
legatus: dein eo revocato (quòd ingenio & operâ ejus carere diu Edſardus
non poterat) Henricus Elderwoldius idem, qui Conſtantiæ fuerat, eódem
miſſus: cauſa lentè acta. Eodem anno à Stolbergio conſtitutiones Saxonicæ,
totuſque civilis ordo apud Tranſlavicanos repetita denúò. Prætereà illic me-
moriâ dignum geſtum nihil: toti Friſiæ & is annus & proximi aliquot, præter
tumultus breves in Ciſamaſanis, ſine armorum ſtrepitu acti. Notatum à Gri-
merſhemio invenio, anni M. D. VII autumum ad ſeneſcentem Octobrem
tam clementis cæli fuiſſe, ut arborum omne genus in florem ſe rurſum indue-
ret, viteſque gemmas ſuas protruderent, campi virorem veris imitarentur,
aviculæ nidos inſtruerent, pullos excluderent, perinde ac ſi anni tempora eſ-
ſent commutata. Sed ſerenitatem eam continuæ & fœdæ tempeſtates terrâ
marique noxiæ excepêre. Inter hæc, mortuo in Hiſpaniâ Philippo Rege Ma-
ximiliani filio, (is obierat anno ſuperiore M. D. VI die VII Calend. Octobr.
Burgis ſubitaneâ morte, non ſine maximâ veneni ſuſpicione, eique Conſtan-
tiæ in comitiis magnâ pompâ parentatum erat) Maximiliano curis aliis gra-
viſſimis diſtracto, ſpeculatus occaſionem Carolus Geldrus, à Rege Galliarum
clam incitatus, menſe Septembri Brabantiam incurſavit, oppida ejus mino-
ra invaſit, cepit, diripuit, incendiis vaſtavit. Hoc belli Geldrici novum prin-
cipium. Hujus causâ, & alterius ex Galliâ imminentis metu, Maximilianus
in Belgicum vocatus à proceribus regionis ſtatim anni M. D. VIII principio,
eódem venit, cæteriſque contra ſeditiones domeſticas & arma externi con-
ſtitutis, Margaretam filiam viduam gubernatricem regioni dedit: ei ſena-
tum ex proceribus provinciarum adjunxit. Carolum nepotem educandum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.D.VIII. Arſcotano principi, & Adriano Vltrajectino tradidit, ipſe ad res Imperii in
Germaniam reverſus, comitia Moguntiæ indixit ad Calendas Majas. Sed cùm
iſtûc ipſe advenire in tempore non poſſet, Coloniæ Belgicarum rerum gratiâ
detentus, eadem Wormaciam tranſtulit in diem VIII Calend. Iulii. Quò
cùm adverſo Rheno aſcenderet, & jam in Simmerios perveniſſet, ſubitò in
Brabantiam revocatus, omiſſo propoſito, eòdem ſe retulit. Ibi cùm eſſet,
commeantibus legatis, ſimulatis aliis conventus actioniſque cauſis, per filiam
Margaretam Cameraci cum inimiciſſimo Rege Gallorum Ludovico XII, Iu-
lio II Pontifice, Ferdinando Rege Hiſpaniæ fœdus percuſſit in Venetos, qui-
bus erat ob arma nuper in Carnis & Hiſtris mota infenſiſſimus. Simul pacem
inter Geldrum & nepotem ſuum Carolum confecit. Eodem hoc anno cæte-
ris per Friſiam quietis, haud certum quam ob cauſam, à Bremenſibus Friſii qui-
dam è ditione Folefi Inhuſani capite ſunt plexi. Ejus rei ulciſcendæ gratiâ Fo-
lefus, qui injuriam iis factam rebatur, Bremenſium navibus infeſtus cùm fuiſ-
ſet, ii conjunctis ſibi Hamburgenſium aliquot navibus, expoſitiſque in littus
claſſiariis, Inhuſanos & Cnipenſes omnes diripuerunt. Arcem Cnipenſem, quia
ſine tormentis majoribus venerant, tentatam obſeſſamque aliquandiu tamen
capere non potuêre. Mox concurrentibus vicinorum auxiliis in naves ſe retu-
lêre. Res deinde tranſacta. Paulò pòſt Vlricus Dornumanus, privato conſi-
lio, collectis tacitè manipulis, quàm maximo ſilentio VVitmundam cum his
profectus, ut arcem fratris iſtius loci occuparet, ſed re fratri proditâ, nullo ope-
ræpretio facto in tutum regreſſus fuit. Compoſitio per amicos communes &
vicinos, annitente quoque Rege Daniæ, tentata potiùs quàm confecta. Arma
tamen inhibita. Simul Edſardus mercatum ſolennem VVenneranis ad IX Ca-
lend. Septembr. & Leranis ad XVII Calend. Novembr. dedit. Inter quæ mul-
ta quoque inter Edſardum & Saxonem agitata componendæ controverſiæ
causâ. Erat quippè & urbis & agri habendi percupidus Princeps, nec minùs cu-
pidus erat Comes utriuſque retinendi: ferebantque ſibi mutuò conditiones va-
rias, miſſitabanturq; legati & litteræ. Et hoc ipſo anno Scuttorpæ hujus rei gra-
tiâ colloquium initum apud Comitem Benthemium Everwinum utriuſq; par-
tis amicum. Mox cùm ibi res parùm ſucceſſiſſet, majori numero conventus in-
ſtitutus Monaſterii. Illîc coram Comitibus VVeſtfaliæ interceſſoribus Benthe-
mio, Schowemborgio, Retbergico, Tekenborgio, Lippienſi, præſentibus om-
nium partium legatis, negotium tractatum fuſiùs: cauſa etiam à Groninganis,
qui aderant, prolixè reddita, cur & arma induerint primùm, deinde à Saxonis
imperio abhorruerint, denique Edſardo ſe permiſerint. Poſtremò infectâ re &
hinc diſceſſum. Tunc Norda fortuito igne correpta, penè tota conflagravit;
detrimentum incomparabile omnibus civibus irrogatum. Ioannes Kitzingen-
ſis Suevus ex Daniâ & Sileſiâ ducto milite, ut ait Grimerſhemius, Friſiamque
Orientalem, agrumque Groninganum tranſgreſſus, bellum quærens in Dren-
M.D.IX. tiâ conſedit aliquandiu, & plebi ruſticæ magno malo fuit. Anno M. D. IX vix-
dum inito Henricus Stolbergius, Friſiæ Tranſlavicanæ proprinceps, è Miſniâ
in provinciam ſuam rediturus Coloniæ vitâ diſceſſit, haud parvo ſui deſiderio
provincialibus relicto. Intereà belli Veneti gerendi curæ intento Maximilia-
no, & in proximis Italiæ locis agente, Edſardus longiùs ſenſim niti in Friſiâ,
imperium in urbe firmare, altiùs gradatim conſcendere, eum in finem co-
mitate ac benevolentiâ rarâ omnibus ſe civibus inſinuare, mirifico ac fœlice
ad hanc rem ingenio, maximéque ſolers occaſionum obſervator. Erat verò
urbs in ſummâ rei pecuniariæ inopiâ, exhauſta bello, & fœnore oppreſſa.
Et cenſus publicus privatuſque pactis & legibus nuperis de commercio arcta-
tus. Ac qui pecuniâ civitatem juverant, ii aut uſuras aut ſortem poſcebant. Id
negotiationes civium reddebat impeditas. Simul queſtus aliquid de jure di-
cundo & rebus judicatis in civitate diſpergi & crebreſcere, dolentibus ſemper,
qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

qui in judiciis ſuccumbunt. Ea, ut fit, ad comitem delata, ejus conſilia auxilia- M. D. IX.
querogata à dolentibus: ipſe in occaſionem id vertens, de remediis propone-
re, curam communis boni, & ſtudium reip. cupidini & conſiliis ſuis ſolerter
prætexere: deindè per plebis rectores, quos devinctos ſibi habebat, (erat enim
plebicola inſignis) porrò agere, viamq; ſternere, demùm horum opera coactis
conciliis iſtùc pervadere, quò deſtinabat. Inveni in vetuſto codice, ſitu penè
exeſo, res geſtas in urbe agroq; permultas complexo, ſic ſcriptum, ſcitum du-
plex eo tempore promulgatũ circiter medium Februarium, de judicatu, deq;
tributo & vectigali. Quorum prius his ferè verbis: *Ferente Comite, probante ſenatu,
cõcilio jurato, ædilibus, capitibus ſocietatum, cæteris civibus bono publico ità decretũ;* I, *Vt
ab extremis ſententijs ſenatus, provocatio ad Comitem ſit, ſi litis pretiũ majus ſit aureis
Rhenanis* X, *hâc lege, ut provocatio ſtatim fiat vivâ voce corã conſule ſententias pronun-
ciante, & intra diem* X *porrò per litteras præfecti arcis in urbe firmetur.* II, *Quoniam
omnibus trimeſtribus expediri cauſas à ſenatu in more eſt, ne quid ex dilatione detrimẽti
litigantibus accidat, ut ſimiliter poſt tertiam ſeptimanam illorum temporũ recognitio hæc
ſentẽtiarum fiat in urbe Groningâ.* III, *Provocatione factâ, ut ſenatus à causâ abſtineat,
& ſimul defendendæ ſententiæ ſuæ obnoxius non ſit.* IV, *Vt provocans in re cognitione
rurſum ſuccumbens ob temeritatem litigandi Rhen.* V *pœnam pendat.* V, *Vt idem cauſam
ſtatim tempore præfixo non perſequens causâ ſine dubio cadat.* VI, *Vt recognitio ſecun-
dùm leges & ſtatuta fiat Groningenſia.* Alterius ſententia hæc: *Omnes ſacris non ini-* «
tiati natu majores annis XI *totâ in urbe, & urbis pomœrio ſtuferum unum ſemel ærario
pendunto. Omnes item ejuſdem ordinis omnium rerum ſuarum, quas in urbe urbíſve po-
mœrio habent, æquo pretio æſtimatarum, ducenteſimam, aut cenſuum annuorum duodeci-
mam ante Paſchatos reipublicæ conferunto. Prætereà in modios ſingulos tritici aut ſecalis
molendinis illatos ſtuferi ſemiſſis ſolvitor. Item in telam Britannicam ſtuferi ſex, Del-
phenſem, Leidenſen, Amſterodamenſem, ſtuferi tres, rudiorem cinericeam Flandrici duo,
puram Crumſterdi duo, in ſerici villoſi, Damaſceni, ſimilíſve ulnam ſtuferus unus pendun-
tor. Cætera ſimiliter, quæ importantur mercimonia, item equi, boves, vaccæ, cerviſia, bu-
tyrum, caſei, quæ exportantur, exiguo vectigali onerata.* Dubiorũ interpretatio etiam
hic Comiti relicta. Pecuniæ publicæ per homines oppidanos ſenatus & civita-
tis miniſtros curatæ. Comitis poteſtas hoc modo ſuprà quàm debebat aucta,
ſenatus authoritas & vis nõ parùm diminuta. Cœpitq; in morem abire, ut quæ
ſenatus & civitas ſciſcebant majoris momenti, iis Comitis nõ præſcriberetur,
Comeſque ità ſciſcere aſſentiente ſenatu & cæteris diceretur. Tanta tum gra-
tia illius apud ordines civitatis fuit, ut hi ſtudio ejuſce, ſui juris, cujus ſolẽt vin-
dices & cuſtodes eſſe acerrimi, rationem nõ habuiſſe videantur. Sed cùm mo-
dum res excederet, quanquàm is comitate ac ſingulari arte gratiæ locum tue-
retur, tamen invidiam apud primos, & eos, qui plus cæteris ſapiebant, reperit.
Ea ſuo tempore fructũ ſibi ſolitum tulit. Et jam fervere cœperat in Italiâ bel-
lum ex fœdere Cameracenſi in Venetos ſuſceptum conſpiratione potentiſſi-
morum in Europâ Principum: initium ejus erat à Gallo factum, & per eum in-
gens parta victoria, cæſo fugatoque validiſſimo Venetorum exercitu in Cre-
monenſi agro ad Abduam flumen, in quo x millia equitum, ſupra xxx millia
peditum lectiſſimorum, atque optimè armis inſtructorum, explicatis aciebus
aperto in campo pugnaverãt, capto Bartholomæo Liviano celeberrimo belli
duce, Nicolao Vrſino Petiliano ſupremo reip. imperatore cum reliquiis in tu-
tum elapſo. A quâ clade longè maximâ cõſternatis Venetis, Cremona, Crema,
poſt etiam Bergomum & Brixia cum compluribus oppidis minoribus ad vi-
ctorem Gallum defecére. Verona, Vicetia, Patavium, Feltria, Belunum Ma-
ximiliano dedita. Ateſte, Monſilice, aliáque ab Alfonſo Ferrariæ principe oc-
cupata. Ravenna, Ariminum, Faventia, Cervia, Flaminiæ oppida Iulio Ponti-
fici, Brunduſium, Hydrûs, Monopolis, Tranium, Sipontum in Apuliâ Ferdi-
nando Hiſpano ſine armis reſtituta. Pòſt reſumptis animis Patavium primùm

M. D. IX. per inſidias XVI Calend. Auguſti, mox Monſilice, Ateſte, Belunum, magnus
minorum oppidorum numerus, à Venetis recuperata: Patavium præſidio &
operibus diligentiſſimè munitum, idemq́ue à Maximiliano, maximo cum ex-
ercitu LXX armatorum millium per autumnum fruſtrà obſeſſum. Tum Vice-
tia quoque ad Venetos reverſa: deniq; variâ fortunâ poſtremis ejus anni men-
ſibus, & toto triennio proximo in Italiâ bellatum. In Friſiâ traditum à Davi-
de Chytræo tumultus etiam aliquid eodem illo anno inter Bremenſes & Ed-
ſardum in ripâ Viſurgis ob extructionem arcis enatum, homineſque aliquot
hinc indè captos & in cuſtodias abductos: Nec id finem habuiſſe antè Trans-
jadanos à Brunſvigio, quinto poſt anno ſubactos. Quod quia à nemine no-
ſtratium annotatum reperio, qui res Edſardi diligenter alioqui perſecuti ſunt,
ego quoque in medio relinquo. Hoc verò à Grimerſhemio traditum memo-
riæ, rogatum à Tekenborgio Comite Edſardum Monaſterium profectum
eſſe declinante æſtate: ubi cõventus indictus liberandi causâ Nicolai Teken-
burgii, qui à fratre Ottone in vinculis tenebatur. A quo conventu cùm redit
Edſardus, audit de fortunâ patriæ afflictiſſimâ. Nam ad diem VI Calend.
Octobrium intumeſcens tempeſtate Oceanus immane quantùm omnibus
ſuperatis aggeribus toto hoc littorum tractu terras oppreſſit, pecus omne in
pratis, hominum infinitum numerum neci dedit, ædificia convulſit, univer-
ſam Friſiæ regionem miſerum in modum vaſtatam reliquit: denique altitudo
fluctuum & calamitatum magnitudo proximorum ſæculorum memoriam
egreſſa eſt. Periit tum Siurtus Alva, bello civili dux contra Saxones, cum par-
te familiæ, dum pecori ſervando ab aquis intentus eſt, ipſe ab iis oppreſſus.
Rara ſunt, quæ in eâ calamitate in viciniâ Dullarti ſinus accidêre, ob ſoli illius
naturam; Domus quædam minores cum hominibus, ovibus, porcis, magno
vectæ ſpatio, ſidente fluctu cum vectoribus ſervatæ ſunt; Agri pars, in quâ ma-
joris pecoris X aut XII paſcebant, unà cum pecore ab reliquo agro præfecturæ
veteris, ut fluctuum avulſa natavit: deindè flabris cori impulſa, atque in Dul-
lartum acta, totâ latitudine ſinus ejus profundi & ſpatioſi ſuperatâ, in agro de-
mum Reiderio conſedit, pecuſq́ue ſervavit, denique cauſam litis inter ſoli op-
preſſi advectique dominos dedit. Ad hæc quercus aliquot prægrandes, atque
arbores aliæ cum ſolo ſuo ſedibus motæ, & vaſtæ navis inſtar ſuper undis mo-
dico ſpatio vectæ, cùm aliis arboribus aut editiori terræ illiſæ adhæſiſſent, in-
columi vitâ ac virore mansêre per annos complures: unaq́ue quercus anno
M. D. XXX adhuc fronde veſtita miraculi vice ſpectatoribus fuit. Ea clades
quoniam in diem, quem dixi, incidit, Friſiis Tranſlavicanis eſt in religionem
verſa. Iſto quippe die Guilhelmum Hollandum quondam cum maximo &
florentiſſimo exercitu iis locis cecîderant, diemq́, victoriæ Mariæ virgini pie-
tatis ergò ſacraverant in perpetuum. Sed Saxones Friſiâ potiti, memoriam vi-
ctoriæ pro libertate exoſi, feſtum abrogarunt. Itaque pœnam violatæ religio-
nis divinitùs immiſſam interpretantes Oceani vim ſacerdotes, reſtitutionem
ſacri à Saxonibus religione exorarũt. A clade hac circiter Idus Novembr. Sle-
vitius in Friſiam reverſus Everwinum Benthemium, quem ſecum ducebat,
nomine principis ſui Stolbergio gubernandæ provinciæ ſubmiſit. Ita annus
M. D. X. quoque ille exiit. Annus ſequens M. D. X. penè nihil memorabile in Friſiâ
habuit, quod ſit in annales relatum. Leoardiæ modò in comitiis latum le-
go præſide Benthemio, *ut ſacerdotes impendio ſuo domos, quas habitant, ſartas te-
ctas ſervent.* Deinde tantam ubertatem ejus anni fuiſſe invenio, & ex ea ſe-
cutam annonæ utilitatem, uti duæ butyri optimi tonnæ florenis ſeptenis,
id eſt, ſtuferis Brabantinis centenis quadragenis, duæ libræ ejuſdem bu-
tyri crumſterdo uno, id eſt, denariolis albis quatuor vulgò venierint: cæ-
tera pari modo: res fidem penè ſuperans, præſertim poſt prioris anni eam,
quam dixi, calamitatem. Ea vilitas occaſioni fuit, uti Groninga levandæ
ærarii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ærarii inopiæ,cui cenſus erat anno proximo inſtitutus,quoniam is non ſuffice- M. D. X.
ret,eundem hunc cenſum,eodem ſuadēte Edſardo,adauxerit. Quo tempore
multâ viciſſitudine rerum in Italiâ bellum geſtum,oppida haud pauca à Vene-
tis recepta,inprimis vario marte cum Ferrariæ Duce in Flaminiâ,& cum Ma-
ximiliano in Carnis,Hiſtris,Foro-Iulio,certatum: Iulius Pontifex, deſertis ſo-
ciis,Venetis reconciliatus,ac fœdere junctus. Hanc ob cauſam maximè om-
nium Gallus vehementi irâ commotus, turbatâ Maximiliani cum Venetis re-
conciliatione,quæ tum autore Ferdinando Hiſpano, & Iulio Pontifice urge-
batur, ingentem procellam anno proximo M.D.XI in caput fœdi fragi Pontifi- M. D. XI.
cis parat. Conflato ingēti exercitu duce Ioanne Iacobo Trivultio Bononiam
occupat: inter turbines belli varios juvante Maximiliano Piſanum concilium
cōflat,quo eum Pontificatu dejiciat. Simul ab reliquis hîc illic res armis geſtæ:
Venetis bis magnis cum copiis tentata Verona, Maximiliano Tridēti firman-
dis ſuis ſedente,& ad ferenda auxilia parato:à Iulio Mutina & Mirandula oc-
cupatæ, Ferraria ſummis viribus appetita; Poſt hæc pacis inter Venetos &
Maximilianum actio,ſtudio Iulii,irrito rurſum evētu,tentata. Tandem Octo-
bri menſe inter Venetos,Pontificem,Ferdinandum Hiſpanum,Henricum VII
Anglum fœdere in Gallum acto,induciæ X menſium,urgente Pontifice,inter-
nuncio Mathæo Gurcenſi inter hos ipſos initæ anno ſequente,poſtridiè Non.
Aprilis, quintoque die pòſt toto illo ſæculo maximè memorabilis pugna ad
Ravennam commiſſa. Inter hæc in Ruſtriâ Friſiæ regione ad Iadam amnem
poſt eluviem anni M. D. I X. ægrè reparatis aggeribus anno proximo,iiſdemque
novâ Oceani tempeſtate ac vî ad diem XIV Calend. Septembr. rurſum disje-
ctis,cùm ſecutum eſſet à medio Octobri aſperrimum gelu, duraſſetq; in VIII
diem anni hujus M.D.XI, deindè ſenſim remiſſum,mox ad diem XVII Calend.
Febr.in ſæviſſimam ventorum tempeſtatem deſiit. Eâ tempeſtate,ferveſcente
rursùs magnâ vî Oceano & vicinis fluminibus,quicquid per Ruſtriã & Trans-
jadanos aggerum aut reliquum aut reparatum erat, id eſt penitùs extritum,
undarum fluctus in omnem Friſiam cũ pernicie magnâ pecudum, hominum,
ædium diffuſi: In Ruſtriâ complures vici ab eâ clade paulatim deſerti, & Iadâ
oppreſſi. Secutaq; hanc calamitatē intempeſtiva mors Edonis Ieverani, illius
viciniæ Rectoris,qui pridiè Paſchatos,qui tùm erat X I Calend. Maji,deceſſit,
relictis ex Heilvige Oldenburgicâ filio uno,& filiabus tribus. Sic Rectore,velut
operũ exactore amoto,cæteris inter ſe nòn concordibus minore diligētiâ flu-
ctuum violētiæ obviam itum,Iadæq; evagandi licentia major facta. Tutor ab
Edone liberis nuncupatus Ioannes Oldenburgicus avunculus:rectoreſq; pro-
vinciæ ab eodem deſignati,qui pupillorum res & remp.adminiſtrarēt,Ricle-
fus & Menno Rofhuſii, Ommo Medochius, Riclefus Viſchuſius, Geroldus
Diuræus:iique novo in eam rem ſacramento à moriente adacti. Funus Ieveræ
factũ die II Calēd. Maji præſente Oldenburgico. Primus arci præfectus datus
Mēno Rofhuſius. Paulò pòſt Eſena,ut notat Grimerſhemius,ſuo igne exuſta.
At Georgius Saxo,ut iſtûc revertar, apud Cæſarem querelas de Edſardo de-
ferre,Edſardus per Hicconē Dornumanum Oenipontem miſſum ſe tueri. Cę-
ſar Auguſtæ,ubi comitia coëgerat,ſuo & omnium ordinũ nomine,cognitores
illis dare Philippum Hohenſteinium archiepiſcopum Colonienſem, Guilhel-
mum Ducem Iuliacenſem, Ludovicum Sonshemiũ Teutonici ordinis apud
Confluentinos præfectũ; diem utriq; & Groninganis ad dicendam apud hos
cauſam Noveſii ſtatuit IV Non. Auguſti. Iſtûc ab Edſardo miſſi Hicco Dornu-
manus,& Guilhelmus Vbbius Cancellarius, à Groninganis Guilhelmus Fri-
dericus ſacerdos,Petrus Sickinga, Ludolfus Coenderus Conſules, Gelmarus
Canterus ſenator. Pro Saxone adfuit Everwinus Benthemius apud Tranſla-
vicanos proprinceps, Grumbachius, Tautenborgius, & ipſe Saxonis Cancel-
larius. Is apud cognitores verba facere orſus, Edſardum accuſans, repetitâ à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. XI. principio cauſâ, hunc ſolum ait principis ſui rempublicam gerentis fortunam
nefarie morari, hunc unum præter alia indigna, militiæ ducem pro principe,
Groningam pro ſe cepiſſe, victoriã ejus in manu ſitam per ſummũ ſcelus intervertiſſe:
dein colore conflato cũ principe tranſegiſſe, & agrum Groninganum
gubernandum ab eo cõditionibus certis accepiſſe, pactumq́; ipſum anulo ſuo
ſignaſſe, ſed omniũ, quæ in pactis ſint, ſervaſſe nihil; non rectorẽ pro principe,
ſed dominum agri ſe geſſiſſe: deniq; conditiones componendas controverſiæ
æquiſſimas à principe ſæpè oblata, ſpreviſſe, non cautionẽ ſolvendæ pecuniæ
recipere, non pignus reſtituere velle: ſic adactũ principem ſuum legum auxiliũ
implorare: poſcere ut pacto parere ſuo, Dammonâ agroq; decedere, id eſt, pignus
dimittere, cautioni dare locũ, rationes reddere accepti impenſiq́; jubeatur:
an æquum poſcat, cognitorũ judicium fore. Ad ea Guilhelmus Vbbius &
cæteri modeſtè; haud verũ eſſe de militari imperio, multò enim antè Comitẽ
ſe eo abdicaſſe, ac bellum reliquiſſe, quàm Groningam occuparit, nec quicquã
contra jus, majeſtatémve Reip. Germaniæ ac ſummi Regis heic ab eo cõmiſſum,
non ipſum Saxoniæ principem læſum, ſed tollendo bello controverſiæque
legibus finiendæ totum id factum, quod factum. Si juri Saxones fidant,
æquũ eſſe, ut jus ſibi dici, & ſententiã ferri poſcant: ſententiæ Comitem pariturum.
Hæc ſtrictim: dein prolixiùs de pactis, velut propriis quæſtioni huic, expoſitâ
re geſtâ, demonſtratoq́;, nec pacta pura fuiſſe, nec in tempore probata à
Saxone; imprimis, quod rei caput, populum ſacramento rogatum reſpondere
noluiſſe, & cauſas attuliſſe hujuſmodi, ut ſine injuria cogi non poſſe videretur:
nec id utile ei tẽpori: intereà & de pecuniâ quæſtionẽ magnam ſubortam, nec
hactenus culpâ Saxonum, non Comitis expeditam: hinc judicium hoc conſtitutum.
Contra quæ cũ rursùm Saxones, contraq́; hos Edſardici, conflictus aliquoties
repetitus, certamenq́; in dies multos extractũ: in hoc Groningenſium
quoq; factum culpatum defenſumq́;, jus populi in agro, fœduſque cum urbe
diſputãdo diſcuſſum, pars maxima dictorũ Conſtãtiæ iterata. Peroratâ cauſâ,
& cõpoſitione nequicquàm à cognitoribus tentatâ, cùm Vltrajectini quoque,
qui iſtûc venerãt, audiri vellẽt, multaq́; de Edſardo & Groninganis cœpiſſent
queri, ob actionem apud Pontificẽ inſtitutam, ab his ſunt rejecti, conventuſq́;
die VI Iduum Auguſti ſolutus: Acta omnia à cognitoribus ad Cæſarem proceresq́;
Imperii miſſa: Ab Edſardo, pertinaciâ Saxonum perſpectâ, qui compoſitionem
abnuebant, Hervordiæ urbe Weſtfalicâ, fœdus cũ proceribus ejus regionis,
& ad Hercinium ſaltum, in evẽtum rei, percuſſum. Paulo etiam poſt, ab
eodem, mandante Cæſare, ut quidã produnt, quòd querelæ eſſent ad eum delatæ,
Hero Eſenſis prædationũ inſtitutarum reus, Eſenæ obſeſſus & in arctum
redactus, poſtremò reſtitutionẽ damnorum promittere, pacem & fidem in futurum
jurare compulſus fuit. Ejuſdem anni fine Groningani, ut Edſardo ſatisfacerẽt,
cum Dammonenſibus de vectigalibus pacti ſunt, modus in his certus,
M. D. XII. qui ſolveretur ab utriſq́;, eſt definitus. Anno M. D. XII Maximilianus Cæſar cùm
comitia Imperii haberet Treveris, præſentibus multorum Regum & Principum
legatis, per celeres nuncios certior fit, in Italiâ pugnatum ad Ravennam
ſolenni die, reſurrectione Domini omnibus Chriſtianis ſacro. Quâ pugnâ nulla
magis atrox ac memorabilis, ut dixi ante, toto ſæculo per totam commiſſa
Europam. Summis enim viribus maximi & florentiſſimi exercitus hinc Pontificis
Iulii, & Ferdinandi Hiſpaniæ regis, inde Ludovici XII regis Galliæ ac ſociorum,
veteranis legionibus conſerti, inter ſe paratiſſimis ad confligendum
animis aperto campo concurrerunt, & plus horis ſex obſtinatâ virtute atque
incredibili audaciâ ambiguo marte ſunt colluctati. Interempti in prœlio ad
XVIII millia peditum equitumq́ue pari fere utraque à parte numero. Sed Foſſejus
Nemorenſis Gallorum dux, juvenis ſumma virtute, victor locum tenuit,
Pontificiæ Hiſpanicæq́ue copiæ in fugam effuſæ: capti multi illuſtres viri, in
quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

quibus Ioannes Medices Cardinalis, Iulii legatus, pòſt ejuſdem ſucceſſor Leo M.D.XII. x dictus. Ravenna à victoribus occupata. Gallorum fortuna aliis ſuper aliis rebus ſecundis, velut in faſtigio locata, paulò pòſt invidiæ omnium obnoxia, alienato quoque Cæſare ac Ferrarienſi, & commotis Helvetiis in præceps ruſus acta. Ravenna, Bononia, Brixia, Bergomum, Cremona, Mediolanum, denique univerſa Inſubria iis brevi momento adempta. Cæſari dolor in gaudium verſus. Oderat quippè Gallum, & inviſum incrementum ejus habebat, ſed ob fœdus ab armis adhuc ſe continebat. Quæ foris dum fiunt, in Friſiâ in cœnobium Buriſmonachæum loco medio ad colloquium ab Edſardo vocatus Chriſtoferus Ieveranus Edonis filius, tum XIV annos natus, cum iis, quos ſolet à conſiliis & rebus agendis habere. Atque ibi non diù poſt reſurrectionis Chriſti feſtum conventio inter eos facta: in quâ pax, amicitia, auxilia in hoſtes mutua promiſſa. Chriſtoferus deinde eodem anno ad Ducem Luneburgicum formandorum causâ morum, ut eſt gentis Germanicæ mos, profectus, aulæque ejus aſſcriptus. Illo abſente, rectores Amenſe fanum in Ruſtriâ, quod XVIII ante annos vallo foſſaque contra incurſus hoſtiles munitum fuerat, munitionibus iiſdem exuerunt, tormentaque indè in arcem tranſtulêre Rofhuſiam. A quo tempore, ut ait rerum Ieveranarum annotator, Ruſtria à rectoribus neglecta nequicquàm opem poſcentibus Ruſtris, qui tunc VIII adhuc vicis haud vilibus frequentabantur, ſenſim fluctibus ceſſit. Quæ ſi copiam auxilii habuiſſet à vicinis, tueri ſe haud difficulter potuiſſet. Nunc ex fanis VIII cum vicis, quæ tum habebant, vix tria ſuperſunt: reliqua incuriâ rectorum, ſi fides homini, haud multò pòſt quàm Chriſtoferus domo fuit profectus, periêre. Ea tempeſtate Brunſvicenſis Henricus animo nunquàm quieto, alieni ſemper appetens, violentus, atrox, in armis voluptatem habens, cum agnato Luneburgio cauſam nactus in Hojienſes Comites clientes ſuos, Iodoco natos, exercitum parabat, mox in provinciam horum impetum faciebat, arces invadebat. Quæ audiens Edſardus, ſibi quoque ab eo metuens (peſſimo quippè in Edſardum animo Brunſvigius erat ob Transjadanos, & minas ſæpè jactaverat, nunc etiam à filio Bremenſi præſule, & Ioanne Oldenburgio Edſardi inimicis incitabatur) copias ilicò & ipſe pro modo virium conficere, promptiſſimos ſuorum domo excîre cum armis, ad fines patriæ firmiſſima præſidia contra Oldenburgicos, quâ veniendum Brunſvigio, collocare, caſtra operibus ultra Friburgum in loco, cui Sleio nomen, impediendo equitum itineri, munire. Sic enim exiſtimabat, ſi res minùs fæliciter in Hojienſes iſtis fortè ſuccederet, aut ubi confecta ibi eſſet, in ſe procellam eam venturam. Aſt cùm audiit, iſtos occupatis illic omnibus, Comitibus fratribus in exilium pulſis, domum reverſos copias à ſignis dimiſiſſe (quippe qui contra arrectum & paratum nil temerè tentandum ſibi arbitrabantur) ſuos quoque ipſe dejectâ munitione domum remiſit: militum tamen aliquid in ſtipendiis retinuit. Et jam magis & magis diffidentia Saxonas invadere & timor, ne quid in res Trãſlavicanas pararet Edſardus. Norant quippè quàm fragile imperium ſuum, “ quod vi & metu contineretur, quàm multi in provinciâ Edſardo amici, occa- “ ſionem modò expectantes; qui ſi quid ab eo copiarum veniret, maximas turbas dare, & in diſcrimen adducere omnem fortunam principis ſui poſſent: Hinc porrò, ut mos mortalium, vana ſibi ſomnia fingere, quæ fieri poterant, ex conſcientiâ & metu futura imaginari: hinc ſuſurri primùm occulti inter paucos, deindè rumuſculi latiùs ſpargi, Edſardum nova conſilia agitare, & eſſe in Tranſlavicanis, qui animos ei faciant: denique aut credebant ipſi hæc, aut credere videri, & quamplurimis perſuaſa eſſe aliis volebant. Inter hæc, circiter Calendas Iulias homo leviſſimæ famæ Kempo Coper, commeare hûc illûc ſolitus, Saxonibus indicatus, Collumi comprehenſus, & Leoardiam pertractus, cùm eculeo impoſitus eſſet, quâ erat vanitate, quoſdam è nobilitate

M. D. XII. arcanorum conſcios dicitur nominaſſe. Mos erat eo ſæculo ſuperſtitionis pleno apud Leoardios die Dominico, qui VI Nonarum Iulii ſequitur, virorum fœminarumq; feſtivam pompam per omnes oppidi vicos & compita duci in honorem Mariæ virginis, ſolo linteamine candido ſeſe velantium, credebaturq; magnis apud Deum meritis hanç ceremoniam eſſe. Quapropter omnis generis homines frequentes undique ad hoc feſtum ſolent confluere, atque urbem complere. In his cùm adeſſet Gerbrandus Moccama cum fratre Tiardo inter primos nobilitatis Oſtergoæ, per præfectum rerũ capitalium in vincula ductus fuit, attonitâ totâ multitudine. Tiardus re cognitâ occultè eâdem ex domo ad Franciſcanos elapſus, ut loci religione ſe tueretur, cùm intercedentibus magno numero viris nobilibus fruſtra ſe ad defenſionem obtuliſſet, ſi fide publicâ præſente nobilitate id facere ſibi liceret, mox ibidem, quamquàm ſummâ diligentiâ quæſitus, biduum abdito loco delituit. Indè inter feſtum agentes etiam ipſe velamine niveo opertus, ac fœminam mentitus totâ urbe luſtratâ commodè in Dominicanum clauſtrum declinans ſe condidit. Illic demùm habitu ſumpto monaſtico, cùm omnes prandio vacarent, eſſentque in arce Saxones, ad portam ſe conferens, lintre Clarocampum vectus, atq; ibi Dominicanam cum ejus familiæ veſte permutans, monachorum ope lintrem rursùm ingreſſus in oram Marnẽſis agri delatus fuit: inde ſine morâ, quò tutior iret, per tenebras noctis Groningam contendit. Quo elapſo, miſſis ſpeculatoribus Gemma Iuuſma ex eâdem nobilitate Oſtergoâ ab arâ fani Ferwerdii abreptus, & Leoardiam in eundem carcerem tractus. Sparſum in vulgus, rebellionis patratæ manifeſtos: conſilia clàm inita cum Edſardo: ei imperium tradere, Saxones totâ ejicere Friſiâ voluiſſe.

RERUM FRISICARUM HISTORIAE

Liber XLIV.

PAUCOS poſt dies morte conjugis Eliſabethæ domus Edſardi turbata, parentis liberorum ſuperſtitum ſex, Vlrici, Ennonis, Ioannis, & puellarum totidem. Maritus verò incredibili luctu perculſus: quippè tantâ caritate cum defunctâ devinctus, ut cum funere ejus, quamquàm ætate integer, totoſque annos XVI eidem ſuperſtes, tamen affectum conjugii ſimul ſepulturæ intulerit. Funere apud Nordanos facto, & inter clariſſimas familiæ imagines locato, cùm videret Edſardus, quò tenderent Saxones, (pervulgatum quippè, quid Leoardiæ actum, qui rumor in eum ſparſus) & humanos caſus admonitu rerum præſentium haberet ob oculos, de patriâ magis ſuâ quàm de ſe ſollicitus, adhibitis in conſilium paucis amicorum fideliſſimis, tanquàm vitâ ceſſurus, de rebus ſuis patriæque diſponit, tabulaſque teſtamenti, ut mos, conficit. Tum nobilitatis totius, & quos rebus hujuſmodi adhibere ex omni ordinum numero ſolet, concilium cogit Auricæ. In eo, mœrore adhuc plenus exponit: Vxorem ſuperſtites ſibi ſex liberos reliquiſſe impuberes omnes: incertum, quid de ſe futurum, decretúmve divi-
„ nitùs: eſſe humana omnibus caſibus omni horâ obnoxia, cunctiſque locis &
„ temporum momentis mortem veſtigia viventium premere: Et jam quoque peſtis

peſtis luem (ea tum fortè regionem populabatur) ſerpere, ac Saxonas bellum
ſine dubio iniquum non tàm ſibi, quàm communi patriæ moliri, in quo mille M. D.XII.
pericula ſubeunda vitæ ſuæ. Moveri ſe caritate patriæ, & hoc in votis habere,
ut eam & liberam & maximè fælicem præſtet poſteris: Noſſe verò res ejus, co-
gitantémque diligenter hoc certum habere, imperium ejus ſine pernicie di-
vidi non poſſe: ſalutem fortunamque in unitate ſitam. Has omnes ob cauſas
ultimæ voluntatis ſuæ teſtes tabulas ſcripſiſſe: In his ità juſſiſſe, ſi contingat
plures ſe in vità liberos relinquere, ut ex iis, quem ordines probaturi maximè
ſint, unus, ac ſolus in imperium ſibi ſuccedat: hic cæteris, fortunam induſtriâ
& virtute quæſituris, pecuniâ ex æquo & bono ſatisfaciat. Quæ ſi probent
præſentes, ſignaturum ſe tabulas ſtatim. Probato ab omnibus conſilio, ſigna-
tiſque litteris, ſingulis quoque ſtudia ſua profeſſis, ipſe eveſtigiò filios vocari
jubet, hos paucis in coronà omnium docet de conſilio & voluntate ſuâ, mo-
netque ut pareant, atque in hæc datis dextris ac ſubſcriptionibus, ut ait Gri-
merſhemius, obligat. Sic gratiis actis, reique publ. cura commendatâ cun-
ctos dimittit. Interim vincti Leoardiæ, quæſtionibus aſperrimis admoti, ad
confeſſiones veras falſaſque, uti vulgò tùm creditum, dolorum vî adacti: In-
ter Gerbrandum ſcilicet & Vdonem Coldēburgium arcis Groninganæ præ-
fectum Kemponem vinctum, inter Gemmam & ipſum Edſardum alterum
quendam è ſacro ordine commeaſſe: conſilia inita de Saxonibus Friſiâ pellen-
dis: promiſiſſe vinctos, ſi Vdo cum copiis aliquot millium veniret trans Lavi-
cam, ſingulos ſuis locis commoturos populum, & in partes tranſituros: Edſar-
do decretum, tribus locis regionem ſimul invadere, ex Geldria, ex agro Gro-
ningano, à mari ac littore, aditus omnes venturis auxiliis præcludere, Frane-
keram vî expugnare, Leoardiam fame ad deditionem compellere: hæc om-
nia vinctos inter ſe, & cum Tiardo Gerbrandi fratre communicaſſe. Verùm
diſſona pleraque inter ſe, & ſecum pugnantia. Quæ cùm generatim, & obſcu-
ris atque incertis ſermonibus ferrentur (nec enim cuiquam gentis Friſicæ adi-
tus ad vinctos patebat) incredibilia omnibus videri: deindè cùm ſuſurri cre-
breſcerent, conflandæ causâ invidiæ dolo conficti, jactare Edſardum, ità cum
nobilitate Tranſlavicanâ & antiſtibus ſibi convenire, ut, ſi velit, per hos exter-
minare Saxones, & regionem occupare ſibi ſit expeditum, turbati iidem, ut
eſt à Vorperio ſcriptis proditum, purgandi ſui causâ Benthemium urgere, ut
ad Edſardum ſcribat, & de ſuſurris inquirat. Facit ille, ſed ſimul univerſam no-
bilitatem provinciæ iſtius, omneſque collegiorum ſacrorum antiſtites, ad hos,
binos territorium ſacerdotes delectos, ac totidem plebis ruſticæ cum plenis
mandatis Calendis Auguſti adeſſe ſibi jubet. Eos præſentes monet haud du-
biis indiciis conſtare ſibi, conſilia ab Edſardo cudi exturbandorum è Friſiâ
Saxonum, atque ità ferri, quamprimùm cum exercitu eum adfuturum, ut
imparatos opprimat: rem poſcere, ut præſidia ipſi parata habeant: ea verò
ſine ſtipendio confici atque ali non poſſe: petere itaque, ut tributum in eum
uſum more ſuo decernant. Statimque ab his teſtandæ causâ fidei, alacriùs
quàm unquàm, terni ſtuferi in aureos, cenſus annui in hanc rem decreti: co-
piæque militares ſubitò confectæ, tribuſque locis, quâ periculum maximè à
ſeditione aut incurſu hoſtili, diſpoſitæ. Hâc ratione callido commento firma-
ta Saxonum imperantium authoritas, metuſque tumultuum popularium ſub-
latus. Tum fidentiùs expediri, quæ ad vinctos pertinebant, quos exempli
causâ ad terrendos omnes ſtatutum erat publicè ſupplicio afficere. Citati rur-
ſus ordines omnes ad cognoſcendas confeſſiones: iis præconis voce publicè
recitatis, ſcripturâq; ſingulorum monſtratâ, murmur tamen ingens ſecutum
diffidentium ſcripturæ: Scribi ſcilicet poſſe hujuſcemodi multa, plura etiam
recitari, nec ſtatim pro veris habenda, quæ quis dolorum vi ſuperatus in
eculeo ſit confeſſus, aut quæ repetundi eculei terrore inſtantibus tortoribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.D.XII. etiam pòſt revocare non audeat. Tùm, ne quid incommodi hujus rei cauſâ exiſteret, viſum delectis è nobilitate captivos adeundi copiam facere: deſignati ad eam rem Heſſelus Martena, Petrus Camminga, Edo Iongema, Tiardus Burmania. Ad hos ſeparatim ſinguli è carceribus tetris in atrium educti, præſentibus è Saxonum numero totidem, in quibus Grumbachius, & immitis ingenii vir Tautenburgius, de confeſſione interrogati feruntur trepide reſpondiſſe, & confeſſos ea eſſe ſe, & in iiſdem perſiſtere. Quod cùm à delectis eſſet expoſitum cæteris, ſtuperentque & dolerent omnes, Quid verò vos, ait Benthemius, de his confeſſis convictiſque ſtatuendum cenſetis, ut juſtitiæ fiat ſatis? Atqui noſtrum non eſt, reſpondent cæteri, id judicare: vos videritis, quibus has partes Princeps demandavit. Precamur tamen, ſi quis precibus locus, clementiæ potiùs quàm ſeveritatis rationem habeatis: Tum rurſum pro Saxonibus Benthemius; Gratiam facere nobis non licet, qui legibus agere tenemur: eam ſi petitis, ab ipſo Principe petenda. Denique invidiæ metu à Rectoribus ad Principem tota res remiſſa. Simul deprecandi ſpe Worpius Donjia Gemmæ ſocer in Miſniam profectus. Sunt, qui prodant confeſſiones reorum vacillaſſe, & anxios cognitores tenuiſſe. Alii etiam, coram delectis, quos oſtédi, ab iiſdem planè revocatas, & in dolores eculei rejectas: in quibus provinciæ ejus annales publici, cuſtodes actorum hujuſmodi. Denique variis judiciis & ſermonibus ea res jactata. Per eoſdem hos dies, menſe Iunio, Iulio, Auguſtoq; Imperii Germanici comitia Treveris Coloniam Agrippinam tranſlata, longis deliberationibus extracta ne tum quidem finem habebant. Aderant præter Cæſarem ipſum, præterque Pontificis & Regum multorum legatos, Electores Moguntinus, Treverenſis, Colonienſis, Palatinus, dein Principum permagnus numerus, cæterorumque abſentium & civitatum liberarum legati plurimi. Actum de ſarciendâ tuendâque Eccleſiæ unitate contra conſilia Galli, de pace & quiete in Imperio, auxiliis mutuis contra vim armaq; externa, ope in contumaces & proſcriptos; ad hæc de circulorum x ordine & uſu, ſummo judicio, conferendi tributi modo, & ſimilibus: deque his ad diem VI Calend. Septembr. ſapienter ſanè & cum bono publico, ſi decreviſſe ſufficiat, decretum. Hinc Principum ordinumque pars maxima Coloniâ profecti. In his comitiis Caſpar Pflugius Georgii Saxonis legatus cauſam Principis ſui apud Maximilianum egit diligenter, atque hoc effecit, ut uterque Georgius & Edſardus intra diem XIIII ab acceptis litteris ipſi coràm Cæſare comparere ſint juſſi. At Edſardus morbo & morte uxoris (in id enim temporis citatio incidit) & ſuorum quoque conſilio ac precibus impeditus (terrebant enim ex Tranſlavicanis nunciata) ipſe Coloniam non ivit: ſed legatos, quos habuit ampliſſimos, Hicconem eundem Dornumanum, Guilhelmum Vbbium, Harconem Suderhuſium, Theodoricum Falconem, viros juriſperitiſſimos, miſit. Hi cauſis expoſitis, ob quas Comes nunc ipſe non adeſſet, cùm dilationem quoque petere cœpiſſent, acerbiùs à Georgio, qui præſens jam erat, & emanſitationem Edſardi fugam judicii vocabat, ſunt excepti. Tum petitione rejectâ, ſenatuque cauſæ dicendæ dato, ipſo præſidente Cæſare, Georgius per Pflugium non nova hæc ſolùm, & nupera, ſed vetera etiam, & ſilentio dudum ſepulta velut ab inferis reſuſcitata proferre, *clientelam ſcilicet ex Ciſamaſanâ, ſpretâ Cæſaris authoritate, project à fide priore, nullo jure, nullâ ratione recuſatam: dein vicariam poteſtatem datam ab ſe, ab illo certis legibus acceptam contra fidem pactáque conventa in proprietatem verſam, leges eas omnes violatas, appellationes impeditas, cenſus annuos non ſolutos, rationes eorum non redditas, agri ordines ſacramento in nomen ſuum non adactos, cautionem ſolvendæ pecuniæ pro provinciæ ceſſione non admiſſam, ceſſionem ipſam negatam, denique pactorum nihil ſervatum: intereà actiones amicas ſæpe fruſtrà tentatas, æquorum bonorumq; arbitrium delatum, omnia facta à ſe, quæ ſuperando vel iniquiſſimo Comitis animo eſſe videbantur: poſtremò imploratam ab ſe legum opem, Cæſaremq;*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Cæſarémque interpellatum : ab eo cognitores Colonienſem, Iuliacenſem, Confluentinum
datos;qui quid egerint in cauſâ, quid cognoverint,quid cenſeant, ex relatione ſcriptiſque M. D. XII.
eorum perſpicere promptum. Ad quæ Edſardici dicere juſſi, parciùs quàm cauſæ
ratio,liberiùs quàm judicis perſona requirebat. *Dolere tam iniquo tempore,funeſtâ*
domo,pro domino ſuo cauſam tam gravem ac arduam ſe dicere oportere: animadvertere,
quâ fiduciâ agat Georgius, quantum in opibus ac gratiâ ponat : ſed ſperare tamen , poten-
tiâ adverſarij inferioris jus apud æquiſſimum Cæſarem deterius non futurum. Etenim
vanum de clientelâ, deſertumq; dudùm, nuper adeò in hanc ſcenam reductum. Comitém-
ne clientelam iniiſſe ? ſtatumque ſuum nullâ cogente re diminuiſſe ? At ei (ajunt) nec
mens ea unquam, nec jus. Solet enim dicere, quoties mentio ejus facta, ſtultum eſſe,quod “
per te habeas , id alterius habere beneficio malle , & cui ſocio ac amico eſſe liceat , amici “
ſociíque clientem ſe facere , aut qui ſummæ majeſtatis cliens ſit , in clientelam clientis “
concedere. Et ſi voluiſſet maximè, nullo tamen jure abſque voluntate ſuorum potuiſ- “
ſet. An enim non populus noſter ante Comitem liber ? an non in Imperij Imperatoriſq;
tutelâ ? Nónne Vlricus Edſardi parens, cùm patriæ rector eſſet, à parente tuo , invictiſſi-
me Cæſar , eâ lege in Comitum ordinem eſt allectus, ut ſine clientelâ aliâ ſolius Cæſaris,
ac ſummæ majeſtatis eſſet cliens ? Nec licuit ſecus, cùm jura gentis noſtræ, ac leges ſacræ
peregrini ſanguinis principem imponi nobis non ſinerent. Et quid poſt id tempus ab
Vlrico,quid à conjuge eius Thedâ,quid ab Ennone filio, quid ab ipſo Edſardo commiſſum,
quod ſtatus diminutione plectendum videretur? quidve à populo delictum,cui pœna nobi-
liſſimi, optimi , vetuſtiſſimi juris ademptio infligeretur ? cauſáne ulla data , ut trans La-
vicam? turbæne domi motæ? monitúſne,& denunciatio facta? ne ſuſpicio quidem. Quod
igitur populi libertas , quod jus , quod voluntas non tulit , cui ſe tota provincia decretis
Regum,meritis majorum nixa oppoſuit, hoc ſibi, malo non minùs ſuo quàm illius ſubeun-
dum Edſardus non putavit. Nec verò voluntatis eſſe tuæ exiſtimavit,maxime Cæſar,cui
nomen inclytum juſtitia ac virtus dedit,immerito ſibi,inauditoq; conditionem iſtã, velut
capitis diminutionem irrogare,aut populum nullius reum criminis,ſanctiſſimo vetuſtiſſi-
moq; jure indictâ cauſâ exuere. Quibus rationibus permotus Albertus,prudens ſenex, fi-
deq; & ope Edſardi habens opus, quæ filijs præcepta reliquerit moriturus, ipſi norunt. Et
quid à morte ejus Georgius? qualem ſe tulit ? ſi conſequi rem à volente poſſet , pergratam
habiturus,ſin minùs,ab invito velut jus haud poſtulaturus videretur.Ecquando enim po-
poſcit ſeriò,uti mos? querelas ad majeſtatem tuam, Cæſar,detulit? opem juris rogavit? an
non tanti temporis ſilentium deſertæ cauſæ argumentum? decimus ſcilicet tertius jam an-
nus agitur, à quo pater ejus Emdæ deceſſit, & jam primùm intermortuã iniquamq; quæ-
ſtionem ſibi movendam cenſet? colligit nempe, quæ poteſt, quæq; invidiæ conflandæ retur
eſſe,ut plura inferre crimina videri queat.De vicariâ poteſtate & pactis obijcit,in eoq; eſt
prolixus. Vtinam verò Harlingã non iſſet Edſardus, nec pactis his,velut laqueis ſe impli-
cuiſſe: longiùs nunc,qui crimine vacat,à criminis quoq; ſpecie ac ſuſpicione abeſſet. Sed cu-
juſmodi tandem pacta iſta? nec probata à Georgio in tempore,nec impleta; nec ab Edſardo
inita purè. Sic enim recepit, facturũ ſeſe,quantũ ſine vi ac armis poſſet. At liberi homines,
ijdemq; criminis inſontes abijcere libertatem ſuam,& in peregrini nomen jurare noluêre,
& cur nollent,rationes reddidêre. Vim verò inſontibus facere nec æquitatis,nec prudentiæ
viſum,dubijs etiã tum & lubricis rebus. Sic labente fundamento res ſtare non potuit. Si-
mul ingens de pecuniâ mota quæſtio.Nam donativã Georgius,ſtipendio debitam Edſardus
tricies milliũ cenſebant: Et hic non hanc modò illum, ſed longè quoq; ampliorem poſcebat.
Cum verò pars altera pactis nõ ſtat, alteram quoque ab obligatione leges abſolvunt. Hinc “
ſecuta iſta,quæ Saxones queruntur. Actionibus æquis & amicis nunquam defuiſſe Comi-
tem,nec defuturum: cautioni meritò locũ non dediſſe.Nam pignore decedere,(ſi pignus eſſe
potuit,quod Georgij non fuit,) & pacta novare,id eſt,fidem certam incertã ſibi facere,nec
integrũ fuiſſe,& antiquioribus quoq; pactis adverſũ. Quæ ſi liberiùs pro re dicta videãtur,
petere ſe ajũt,à clemẽtiſſimo Cæſare ignoſci ſibi,& cauſæ neceſſitati imputari:nec enim fidẽ,
nec principẽ ſuum optimũ,& majeſtatis Imperatoriæ obſervantiſſimum,lugentem jam,&
de ſtatu ſuo periclitantẽ deſerere ſibi licuiſſe,& confiſos æquitati Cæſaris ipſius,& Senatus

M. D.XII. *Cæſarei hâc eſſe libertate evectos, Obteſtari, ne quid in abſentẽ, dolentémq; ſtatuatur præpropere: omniaq; de æquitate ejus, ſi æquitati locus apud adverſarios ſit, omnibus polliceri.* Miratus Cæſar libertatem, indignatuſq;, cùm ſecundò tertióque dicentes audiſſet, quanquàm ferendæ pro Saxone ſententiæ propè certus, ejuſq; cauſam ſuam eſſe cauſam ratus, tamen litem ampliavit. Nam & ipſe curis erat in varia diſtractus eo tempore, & res imprimis gravis ac plena invidiæ, talis denique quam Comitis ceſſione, quàm judicio ſuo mallet confici. Itaque monet abituros, ut compoſitioni operam dẽt, dùm res integra: quæ ni ſuccedat, ad poſtrid. Non. Ianuarii jubet eos adeſſe Wormaciæ: illic ſe pronũciaturum. Vrbis Groningæ causâ ſilentio heic prætermiſsâ. Vixdùm domum redierat Saxo, cùm ad eum litteræ veniũt de causâ eorum, qui Leoardiæ in vinculis erant. Anxius ob hanc, nec ſeſe explicans, invidiam, tumultuſque metuens, cauſam tamen in Edſardum quærens, ad Cæſarem Coloniæ adhuc hærentem rem refert, Edſardum aſperè traductum novi criminis reum facit, Worpium ſine reſponſo dimittit, hoc ſolùm ſignificari curat, Benthemium Leoardiæ reſponſurum. Poſt multa, adoleſcente menſe Novembri Leoardiam ſententia eſt allata, quâ capitis damnati rei: iique in æditum producti, circumſtante coronâ armatâ ſub oculis omnium gladio carnificis percuſſi. Corpora cum capitibus apud Franciſcanos à propinquis tumulata. Poſtridiè Kempo in locum eundem tractus, præcisâ cervice in partes ſectus, & quatuor urbis locis oſtentui ſuffixus. Vdo Coldenburgius ante ſupplicii diem citatus, ut ſe coràm vinctis purgaret, fidere Saxonibus non auſus, duos cum mandatis miſerat, qui ſe reis offerrent: ſed his adeundi eos poteſtas non facta. Supplicium ſanè ſummæ invidiæ, & odio Saxonibus fuit. Nobilitas ante omnes offenſa. Plurimis domi foriſque viſum, cupidiùs, quàm par eſſet, ſanguinem fuſum, & materiam infamiæ in Edſardum quæſitam. Denique ſine controverſiâ majori malo quàm bono factum id authoribus fuiſſe, eventus docuit. Sicco Beninga in annalibus ſuis oſtendit, Tiardum & Vdonem tam ſanctè tantâque conſtantiâ teſtatos ſæpè innocentiam ſuam, & vanitatem confeſſionum ſparſarum arguiſſe, cùm extra periculum eſſent: ut ſanctiùs conſtantiuſque haud potuerint. Vdonis legatos ad defenſionem ſe offerentes ne auditos quidem, ſed contumelioſis tantùm verbis obturbatos: Tiardi opes omnes, quas habebat amplas, fiſco aſſcriptas. Id quoque idem addit autor, nec Benthemium cum Rectoribus, nec Georgium Principem ob invidiam ſibi fidere auſos in periculoſiſſimâ re: quam ob cauſam à Cæſare miſſos rerum capitalium præfectos, ſummi Principis nomine ſententiam promulgaſſe. Cujus rei nec Worperius meminit, nec quiſquam alius. Ex chartis reip. hujus cognoſco, Benthemium mox poſt quæſtiones habitas & publicatas à Groninganis popoſciſſe, uti Tiardum fugà primùm ſuâ, dein vinctorum confeſſione detectum haberent in vinculis: Et cùm non obtinuiſſet, quod popoſcerat, ad Principem ſuum, & Maximilianum Regem de eo retuliſſe: Cæſarem à Principe rogatum graviſſimè mandaſſe Groninganis, ut homines hujuſmodi ſceleris reos Groningam velut in aſylum cõfugientes Rectoribus Saxonicis traderent: Groninganos ad cognitionem legitimam ſe offerenti Tiardo pepercisſe nihilominùs, & tribunal ſuum, ſi quid in eum vellent, Rectoribus iiſdem detuliſſe, facturoſq; promiſiſſe, quod juſtos judices deceat: Pòſt ſumpto jam Leoardiæ ſupplicio de vinctis, Rectores negotium urſiſſe, Tiardum capitis arceſſiviſſe, aut arceſſere voluiſſe Groningæ: verùm cùm prædes de talione poſceret reus, nec priùs reſpondere vellet, moras judicio interveniſſe, Saxones ceu cauſæ diffidẽtes ſegniùs paulatim egiſſe: poſtremò, dum pendet res, ad arma eſſe deventum. Ianco Douvonius è primâ regionis Tranſlavicanæ nobilitate, qui & in rep. tùm multum verſatus fuit, & res ſui temporis non paucas litteris mãdavit, vir magni nominis, Gerbrandum & Gemmã inſontes morti datos eſſe cõtendit, ac martyres eos vocat. Facinus

tam

tam atrox cōfert potiſſimum in Heſſelum Martenium,& factionem ejus. Iſtos M. D.XII.
ait improbo agitatos ſtudio augendæ Saxonum potentiæ in Friſiâ,ut gratiam
& opes per interitum libertatis patriæ ſibi cumularēt,infeſtiſſimos fuiſſe om-
nibus qui huic ſuo ſtudio in morâ eſſent: Ita Martenium omni ope nixum fuiſ-
ſe,ut virum optimum Franciſcum Mennemium collegam ſuum,patriæ & ju-
ſtitiæ amantiſſimum,quoquo modo tolleret è medio:ſed Mennemium morte
fatali paulò antè id tempus crudelia cōſilia ejus effugiſſe:nec tamen etiam ſic
Martenii & ſociorum in eum odium finiri potuiſſe: quinimò mordendo mor-
tuum,calumniādo,proditionis accuſando iſtuc rē eos perduxiſſe,ut de extra-
hendo è ſepulchro humati corpore,& de damnandâ ejus memoriâ, rebuſq; in
fiſcū redigendis Georgius Princeps cogitarit: futurumq; id fuiſſe,niſi & teſti-
monia innocētiæ defuncti,& preces multorū interveniſſent: Tum odium eo-
rum in Gemmam, Gerbrādum, Tiardū ac paucos alios incitatum fuiſſe, quos
arbitrabātur obices conſiliorum ſuorum eſſe:Iſtos enim quaſi duces fuiſſe po-
ſcendarum rationū pecuniæ in uſum aggerum collectæ,& cenſuum ſimilium:
deinde in morâ ante alios eſſe,quo minùs perrumpere pactorum leges,& præ-
ſcriptos fines tranſire,cenſus,vectigalia,tributa augere Princeps poſſit: odiſſe
autē iſtos hæc quaſi vincula Principi injecta: idcircò bellandi cauſas cōtra Ed-
ſardum quæſiſſe,ut poſcendis tributis,augendiſq; vectigalibus viam ſternerēt,
& Edſardū imparatum,ſudem in oculis ſuis,armis opprimerēt:in hunc adeò fi-
nem totā hanc fabulam de conſpiratione cum eo cōpoſuiſſe,& duos iſtos cæ-
di cum Tiardo,velut hoſtias deſtinaſſe,ut ſanguine iſtorum & infamiā confla-
rent Edſardo,& odio ſuo parentarent,& metū omnibus incuterent,ne ſe quiſ-
quam imposterùm poſtulatis æquis aut iniquis auderet objicere: Et hoc fuiſſe,
quod Martenius ultrò haud ſemel gloriatus ſit,cōſiliis ſuis ſoliū Saxonis in Fri-
ſia ſe ſtabiliviſſe,firmumque & verum imperiū ei tradidiſſe. Quæ ego fidei ſcri-
bentis relinquo. Hoc eodem tempore in Drentiâ motus aliquis fuit à Rodolfo
Munſtero Runēſi. Is Groninganis parū æquus erat propter affines Hemſtræos
civitatis inimicos,cæſo nuper in viâ Runenſi cive Groningano Hemſtræorum
hoſte,dein initâ præfecturâ Coverdicâ,& avarè adminiſtratâ,mox arce inſigni
apud Meppelenſes exuviis Drētiæ extructâ,& præter leges regionis vallo,aliiſ-
que operibus munitâ,juſſus ab Iſalanis civitatibus munitiones diruere,contē-
ptâ earum autoritate,eademq; arce confeſtim per jubentes vallo foſsâque nu-
datâ,iram contra autores concepit:attamen à vî adhuc magnas ob cauſas ab-
ſtinuit: deindè paratis, quæ volebat, ut fidei ſponſorū,quos dederat præfectu-
ram iniens,& honori ſuo cōſuleret,præfecturâ ſe abdicavit,arcē Coverdicam
Vltrajectinis,à quibus acceperat,reſtituit, injuriæ tamen actionē contra civi-
tates inimicas ſibi reſervavit. Ipſe cum militibus L tympano fiſtulâq; ſtrepens,
explicatoq; vexillo velut triumphans,impetratâ per Edſardū ab Senatu copiâ,
Groningam eſt ingreſſus. Illîc paucos moratus dies,ſpeculatus abſentiam ſuc-
ceſſoris ſui Adolfi Rechtrii, quem præſul Vltrajectinus Vullēhoam evocarat,
militibus ſuis denis,duodenis,octonis concubiâ nocte quàm maximo ſilentio
præmiſſis,cæteris paulò pòſt nocturno quoque itinere quàm celerrimè ſecum
raptis,omnibuſq; per diē abditis,eâ nocte,quæ diem XI Novembr. antecedit,
arcem Coverdicam repentè invaſit,ſepta trabalia bina in foſsâ imoq; vallo,ab
radicibus clam ſoluta à ſe,cùm adhuc in arce eſſet, facili labore in ruinā egit,
deniq; nullo negotio in vallum evaſit. Arce captâ,civitates Iſalanæ miſſis litte-
ris graviſſimè quæſtæ ſunt apud Senatum populumq; Groninganum: hāc vim
ex ipſorum urbe illatam, illûc relatam,diſtractamq; prædam,hoſtem à civita-
te in hanc rē tormentis,cōmeatu,pulvere pyrio adjutum,deniq; ejus ſubſidiis
fretum tantā rem cum ſummo detrimento diœceſeos aggreſſum. Sed reſpon-
ſum à Senatu,Munſterum quidē Groningâ profectum,ſed nullo conſilio,con-
ſenſúve ſuo,multò minùs auxilio à ſe:nec eſſe adhuc animi ſui,vires ejus firma-
re:de futuris polliceri nîl poſſe: deniq; has primitias eſſe fructuū opis in tēpore

M.D.XII. ſibi non latæ. Hinc Vltrajectinis cum exercitu ad recuperãdam arcem advo-
lantibus, obſidione inſtitutâ, Rodolfus, firmatis ſuorum animis auxilii, & re-
ditus ſui ſpe, per tenebras duobus comitibus aſſumtis, per avia ex arce dila-
pſus, atque Emdam profectus, cùm fruſtrà opem Edſardum rogaſſet, per indi-
cem obſeſſis id enunciat. Nec mora, hi ſupplicia metuentes, ſi ſe dederẽt; con-
ſilio inter ſe inito, obſervatâ caligine, & imbre nocturno, aſſumptâ Munſteri
conjuge Hemſtræâ, quam maritus diſcedens in arce reliquerat, omnes ſimul
deſertâ arce per aquoſa, & impedita eniſi Emelchemum veniunt: indè porrò
in tuta quàm celerrimè ſe recipiunt. Vltrajectini rei hujus ignari poſt biduum
demùm dedente fœminâ, quæ erat iſtîc à fugientibus relicta, arce ſunt potiti.
Factum id VII Idus Decembris. Adolfo Rechtræo prætura Drentiæ reſtituta,
ſed arcis cura alteri homini militari ab Ordinibus commiſſa. Per hæc annus
M.D.XIII. exiit. Sed inquies animi Munſterus menſe Februario anni ſequentis M.D.XIII
collectis, quas hîc illîc ob metum collocatas habuerat Edſardus, militum co-
piis, Drentiam ingreſſus populabundus Dalam uſque pervênit, tributoque
penè ſupra vires exacto cum prædâ captiviſque Groningam profectus, ſed in-
gredi urbem prohibitus trans Amaſum abiit. Aſperatâ per hæc, quæ dixi, inter
Saxonem, & Edſardum lite, atque incenſis utrinque animis judicio Worma-
cienſi ſummis negotiis Cæſaris per Italiam, Burgundiam Belgium impedito,
flagitante Saxone dies Auguſtæ ambobus dictus ſub Martii finem. Eò miſſi ab
Edſardo iidem, retextis criminibus novis, & calumniæ convictis, ſummis cau-
ſæ capitibus clientelæ & vicariæ poteſtatis, repetito ſæpiùs conflictu, contra
Saxonem egregiè liberéque rursùm defenſis, in cauſam etiam Groningæ oc-
cupatæ, à Saxone motam ingreſſi, præſente Maximiliano exponunt, *ſolutum*
ſacramento, & ſtipendio Saxonico, relicto militari imperio, & in Drachſdorpium trans-
lato, cum Groninganis Edſardum egiſſe, & fruſtrà conatum eos ad Saxones traducere:
deinde periculi majoris metu, juſtiſſimâ pro rep. communi ſollicitudine, totiuſq; viciniæ, &
ipſius quoq; Saxonis, imprimis publicæ pacis bono, eos in fidem ſuam recepiſſe, nec id ad-
verſum Imperij majeſtatem, ſed nomine ejuſce feciſſe; ob Saxonis & Vltrajectini litem
velut ſequeſtrum ſemet interpoſuiſſe; arbitrio ſummæ poteſtatis rem integram reſervaſ-
ſe, atque hoc pactorum cum civitate primum ſummumq; caput ſtatuiſſe: Quod ſi doleat
Princeps Georgius, æquum eſſe, ut immanitati ducũ ſuorum & barbariæ per ſummam con-
tumeliam illudentium atque inſultantium fortunæ miſerorum atque inopum id imputet,
non Edſardo, qui maluiſſet in ejus poteſtatem urbem ſalvo honore ac fide ſuâ pervenire:
Studium Edſardi in domũ Saxonicam illuſtre & omnibus notum, qui niſi feciſſet fide ope-
râq; ſuâ, cùm Franekeræ Henricus eſſet obſeſſus, Georgium jam, ubi pedem figeret, totâ in
Friſiâ forsàn non habiturum: Id Albertum patrem, id Henricum fratrem gratis animis ac
verbis ſæpè agnoviſſe: nec aliter Tranſlavicanos etiam nunc indignabundos ſentire: Eam
ob cauſam Albertum filiis Edſardum commendaſſe fato proximum: Henricum parentem
ſuum alterũ eundem vocitaſſe, iſtos verò autores ſervitutis ſuæ cũ ſtomacho increpare: Et
hanc nunc ei gratiam reddi? quorum fortunam ſervavit, ab his famam fortunaſq; everti
ipſius? Sed ſurdis, ut ajunt, fabulam. Decreverat quippè Cæſar, certus reſcripta
tueri ſua, ac nepotis fortunam non negligere; libertati quoq; linguæ tacitè ſuc-
cenſens, quâ ſe punctum ſentiebat. Sententiam tamen ne tum quidem tulit,
quanquàm poſceret Saxo. Ad diem verò VII Iduum Aprilis ſcripto ſic denuò
reſpõdit Edſardicis. *Acta Noveſij jugulum petere honoris Edſardi, nec poſſe de his ſine*
infamiâ ejus ac probro ſententiam ferri: id autem moleſtum ſibi ac grave: monere igitur,
ut ipſe rationem ſui habeat, nec ſolùm, quæ poſtulata Noveſij, ſed etiam de urbe Groningâ
cum Georgio tranſigat quàm primùm, & litem finiat: ſi non, ſe pronunciaturum, & ad
alia quoque iturum duriora, nec Comiti tolerabilia. Reverſis legatis, turbatus tam
iniquo præjudicio Comes, vix ſeſe ferens, in omnes animum partes verſans,
» queri domi foriſque, & acerbè loqui, gratiam potentis inimici juſtitiam
» peſſundare, nec rationibus locum eſſe: Séne clientis clientem ſe facere? patriæ
jus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

jus optimum ſanctiſſimumque proſtituere? peregrinis eam ipſam obnoxiam M.D.XIII.
dare? Groningam prodere? infenſiſſimorum & immanium hominum iræ obji- “
cere? invitos Dammonenſes agrumque in verba inviſi atque exteri Principis “
adigere: inſuper immensâ pecuniâ iniquam eius cupidinẽ ſatiare? Hæccine ſe “
ferre præmia operæ, periculi, ſumptus, fidei ſuæ? ideò ſuâ pecuniâ exercitum “
paraſſe? aluiſſe? ſuos homines ſui ſtudio promptos laboribus & periculis fatigaſ- “
ſe? impendiis oneraſſe? fortunam Saxonum in Friſiâ firmaſſe primùm? dein ſtra- “
tam erexiſſe? Henricum Ducem ſervaſſe? ut eſſent qui ſe patriamque, & ſuos “
rurſum perderent? Sed vivere videntem iſta, & ſuperbis reſiſtentem Deum: “
eum ſe vindicem poſcere. Nec magis ipſe, quàm univerſus incendi populus, “
principis ſui ampliùs, quàm credi queat, amans: ultrò ſolari eum, vitam, fortu- “
nas, cuncta illi offerre: omnia ſibi dignitate eius ac patriæ libertate viliora: de-
nique deferendis ei ſtudiis ſummi, medii, imi inter ſe contendere. Inter hæc
Ericus Monaſterienſis præſul, è Principibus Saxoniæ Lawenbergiæ domus,
Ioannes Scowenburgius Ottone natus, Ioannes Ritpergius Conradi filius,
cujus ſoror in matrimonio Edſardi nuper obierat, Simon Lippienſis, Otto
Teklenborgius Comites intercedere, petẽte Edſardo æquæ actioni parato, vixq;
à Georgio jam Cæſaris ſententiâ feroce hoc obtinere: Conventui dies tandem
dictus Monaſterij. eoq; Edſardus ipſe ſtipatus nobilitate frequenti, & turmâ le-
ctiſſimorum equitum LXXX iit, inſidias timens. At pro Georgio clientes ipſius,
viri illuſtres, & qui ei à conſiliis, magno quoque numero adfuêre. Repetita ab
ovo cauſa, vehementiuſque, quàm unquàm priùs acta, ipſo ſæpè pro ſe dicen-
te Friſio, ingenio, facundiâ, animo prompto, ſummo interceſſorum ſtudio.
Maximè verò de feudo efferbuit oratio, reſcriptoque Cæſaris populi libertas
& voluntas, prima ſummaque Comitatus lex, oppoſita: non fas eſſe, invitum “
inſontemque ſtatu ſuo ac jure dejicere, cujuſquam commoda cum alterius au- “
gere incommodo. Et de Groningâ, dicebat Edſardus, quid poſcitur à me? “
ut dedititios tradam inimicis? ut fidem fallam? ut honorem ac famam pro-
ſtituam meam? Cur non hoc agit Georgius, ſi cauſæ fidit, ut judicium, qua-
le par eſt, coëat, cognitio fiat, ſententia feratur? ut conditione ſolutus tradere
urbem queam ei, ſecundùm quem lis dabitur? Hæc enim contractus no-
ſtri cum civitate ſuprema lex. Cætera in ipſo quoque poſita. Præſtet, quæ
in pactis ſunt, & in me non erit mora, dummodò non poſcat me, invitos ho-
mines liberos cogere, ut contra jus moremque majorum pereginum impe-
rium ſubeant; neũ poſtulet, pignus ut dimittam, antequàm mihi de pecuniâ ſit
ſatisfactum. Verùm cùm alia omnia peterent Saxones, conſumpto interceden-
tium ſtudio, infectâ re etiam iſthinc diſceſſum. Inclinare viſi interceſſores in
ſententiam hanc, expedire quieti, ad pacta conventa anni M.D.VI utrinque re-
dire. Sed pronunciatum nihil. Petitumque ab utriſque ne quid facerent cali-
diùs, aut quietem publicã turbarent. Saxones rogati, moderata ſuadere Duci,
& res diligentiùs expendere, Edſardus monitus, ut extrema ne perſequatur,
potiuſque ſtatuat, ob opes, vim, gratiam partis adverſæ aliquid de ſuo remitte-
re, quàm cuncta in diſcrimen dare. Denique de novo colloquio agitatum, pro-
miſſimumq;, ſi aſſentiatur Princeps Saxo. Conventumq; rurſum vergente jam
Julio Stathagæ in ditione Scowenburgiâ ſatagente Lippienſi & ipſo Scowen-
burgio, quorum diligentiâ effectum, ut ſpes aliqua affulgeret, id futurum, quó
judicium omnium Monaſterii inclinaverat. Verùm contentione partium, &
quòd ipſi Principes abeſſent, lentè res, cùm de pecuniâ ſolvendâ non conveni-
ret, progreſſa fuit: demum placuit, accepti expenſique rationes ad agrum Gro-
ningæ contiguum pertinentes, domi iniri, eique rei legatos interceſſorum præ-
ſideret, ac ſi quid eâ in re controverſiæ exiſtat, id dirimendum novo colloquio
permittere. Ita bonâ cum ſpe conventus ſolutus; miſſi in Friſiam interceſſorum
legati, pacis ſtudioſi. Vbi longa ac tædii plena res cœpta, Dammonæ & Adoar-

M.D.XIII. diæ rationes inſpectæ, teſtes auditi, de fide indicum, quos Edſardici offerebant, queis accepta impenſaq; perſcripta, longa quæſtio mota à Saxonicis, ne jusjurandū quidem autorum hominum honeſtiſſimorum ſufficiens habitū: conſultò moræ & perplexæ rationes impediendæ rei quæſitæ: deniq; hoc actū, ut ageretur nihil. Atque in his dùm ſtudiū & curas perdunt Edſardus & interceſſores, apud Cæſarē diverſum Saxo agit, Edſardū pertinaciæ & contempti monitus ac mandati accuſat graviſſimè, ſententiā perferri petit. Id tandē impetrat Coloniæ, ubi tum fortè Cæſar erat ex Belgio, belloq; Picardico deletâ Terovennâ reverſus. Damnatur Edſardus abſens, nec quicquam tunc cogitans minùs; ſignatumq; aſperrimis conceptum verbis mandatū cum decreto in hanc ſententiam. *Quoniā ex iis, quæ Noveſii acta, ac in chartas relata, ait Cæſar, & quæ deinceps diſputata, perſpicimus, Edſarde, Georgio Saxoni cognato noſtro à parentis morte iniquè & cōtra decretum interpretationemq́ noſtram, imò contra ſpontaneam conſenſionem tuam, tabulas & iuſiurandum tuum, clientelæq́ Ciſamaſanæ profeſſionē recuſaſſe: adhæc vicarium munus tibi ab eodem tributum trans Amaſum coſtodiamq́ iuris eius in poteſtatem ac rem tuam vertiſſe, provocationes ad iudicium eius ſuſtuliſſe, reditus non ſolviſſe, nec rationes expediſſe, Dammonam, præfecturam veterem, alioſq́ eius regionis obſequium Duci iurare non compuliſſe, cautiones idoneas & legitimas ſolvendæ pecuniæ, relicto pignore, admittere noluiſſe, denique tabulas pacti conventi irritas facere, omnia iuri & æquo repugnantia, nos, qui ſummi præſides iuſtitiæ & legum ſumus, à Georgio rogati, huic contumaciæ tuæ remedium adhibere decet, præſertim cùm te in pertinaci propoſito perſiſtere ex eodem Georgio intelligamus. Idcircò ſub pœnâ indignationis noſtræ graviſſimæ, & ſupremæ proſcriptionis præcipimus tibi, ut de toto Comitatu tuo, & quicquid cum eo cohæret, clientem te Georgij & hæredum eius profitearis, ac ſacramentum pro more ei dicas, fidem, obſequium, officia clientum præſtes: Et ne quid tergiverſeris, in eum finem ſacramento, ſi quo obligatus es nobis, te ſolvimus & emancipamus: prætereà iubemus, ut legati munus pro Georgio geras, quoàd ei placebit, appellari eum ſinas, poteſtatem iuráque eius minui non patiare, cenſus cum fide in ærarium Ducis inferas, rationes reddas quotannis, quæ prioribus annis non ſolviſti, ſine morâ iam ſolvas; Dammonenſes, veteris præfecturæ ordines, & cæteros, qui ſacramentum hactenus non dixêre, ut id faciant omni modo cogas: denique cuncta facias, quæ tabulis pactorum veſtrorum continentur. Poſtremò & hoc mandamus, ut prædes des, te acceptâ pecuniâ, quæ debetur tibi, ſtatim & ſine dolo malo, pignore ceſſurum. Quæ omnia niſi facta fuerint à te intra bimeſtre ab exhibitis tibi his litteris noſtris (id quod te commiſſurum non putamus) res ipſa nos coget extremâ ſeveritate in te animadvertere, uti in contumacem, & nobis Imperióque rebellem. Coloniæ Agrippinæ, anno* M. D. XII. *die* XI. *Calend. Octobr.* Signatis tabulis, ex voluntate tamen Cæſaris ſuppreſſæ ad Octobris finem. Tùm quoniam longiùs ibat Cæſar Maximilianus Galliæ & Italiæ intentus, ubi bellum ei cum Venetis recrudeſcebat, Saxonis prece fatigatus, ex itinere adverſo Rheno aſcendens in opido Ge... vero eas ad Georgium dat, & ſimul litteras adjungit ad Edſardum, quibus oſtendit, mandati tabulas hactenùs eam ob cauſam ſuppreſſas, quòd ſpes eſſet, ipſum adhuc ſpontè facturum officium, & cum Saxone litem compoſiturum, ut monita habuerant Auguſtæ ipſius legatis data: Iam certiorem ſe factum, nihil minùs quàm hoc eum agere, ideóque diutiùs æquiſſimum Saxonis poſtulatum differre non poſſe: videret jam ipſe, ne pertinacia longiore exitium ſibi accerſeret. Hæ litteræ à Georgio Saxone ad Fenthemium in Friſiam, ab hoc ad Grumbachium, & cancellarium Saxonicum, qui Adoardiæ rationibus occupabantur, miſſæ. Ab iis traditæ Edſardicis præſentibus, Hicone Dornumano, Vlrico Eſenſi, Guilhelmo Vbbio, Harconi Suderhuſio. Illi de voluntate Comitis edocti, qui Groningæ tum agebat, ab edicto hoc Cæſaris haud ritè edito ad Cæſarem eundem, & Cameræ tribunal provocarunt. Sic res, quæ in manibus erat, interrupta, ſpes transactionis ſubitò diſcuſſa, qui coierant, haud amicis animis, ipſis Decembribus Calendis in diverſa pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſa profecti; Lippienſium tamen & Scauenborgiorum diligentiâ pactum, ut vî atque armis abſtineretur per dies XLVI. Intereà legatus Hicco ad Cæſarem profectus, ſed non auditus. Nec multò pòſt proſcriptionis tabulæ in Edſardum publicatæ, & in his cauſa quoque inſerta, Groningæ occupatio. Ad Groninganos ſcriptum, ut à proſcripto abſtineant. Scribit Sicco Groninganus, anno hoc, abſente in Weſtfaliâ Edſardo, turbatum aliquid apud Ciſamaſanos per Eſenſem: ſed id adventu ejus ſtatim conſopitum: milites iſtic à Munſtero conductos: hunc manu auctâ Coverdiam celeri curſu petiiſſe, eâque fruſtrà appetitâ Vmmenſem & Suollenſem viciniam invaſiſſe, prædâque & tributo auctum Drentiam infeſtum percurſaſſe, ac rurſum afflixiſſe, & ſpoliis hoſtium onuſtum in Friſiam Orientalem profectum: militem commodè Edſardo auctoratum in veteris præfecturæ villis pro tempore diſpoſitum. Addit idem (quod miror) Groninganos de ſuburbanâ præfecturâ & Sculteſio urbano cum Vltrajectino rurſum pepigiſſe: quod nec tempori, nec cæteris rebus ſat congruum. Inter hæc marceſcente anno, de quo ſcribo, bellum ſummo ſtudio parari à Georgio, miles per Belgium & reliquam Germaniam conquiri, tormenta ænea omnis generis, & reliquæ machinæ oppugnandis mœnibus, pontes, ſcalæ, crates, pulvis nitroſus confici. Inprimis Leoardiæ, Franekeræ. Harlingæ hæc res fervere. Erat verò Georgio conſilium, ab Edſardo Groninganos quoquo modo abſtrahere, in eoque ſpem poſuerat præcipuam victoriæ. Itaque conſtituerat blandiri his, & animũ benignum oſtentare: præſidium modicum in caſtris ad urbem habere, ut metum ei relinqueret, reliquam vim omnem in Edſardum vertere, ejus omnia, quantùm poſſet, vaſtare, perdere, proterere pedibus. Sic futurum ſperabat, ut à cogitatione & ſpe auxilij ab ipſo iſtos averteret, admittendæque compoſitioni & gratiæ ſuæ præpararet. Vigebat adhuc inter Principes illius Germaniæ partis, belli ante alios avidus, ingenio ferox, animo inquies, jam ſæpè nobis memoratus Henricus Brunſvigius, iis terris imperans, quibus haud alia ferocium militum equitumque magis ferax, bellis & militaribus imperiis ab juventute ſuetus, centuriones, tribunos, cæteros ordinum ductores, turmarum præfectos, maximo numero ad nutum penè paratos habens, clientelis nobilium, & illuſtrium familiarum propinquitatibus florens. Et ei frater Ericus paribus ſtudiis, pari penè animo, ſed minùs turbido, ætate inferior. Per hos facilè in arma concitatos, hunc ſororium ſuum, illum ultrò bellum quærentem, & per ſe jam dudum Edſardo ob Transjadanos inimicum, opinione celeriùs magnas Georgius copias conficit. Concurrunt ad nomen Friſicæ militiæ, & hoſtis Edſardi, quem fœderum ac fidei ruptorẽ, ſceleratum, proſcriptum, in ore Georgiani habebant, non ſolùm vulgus, & ingens nobilium vis, ſed proceres illuſtres. Pedites quater mille, equites octingenti fuiſſe dicuntur. Iis cognitis Ioannes Oldenburgius ob Iadanos Edſardo infenſus, commodum ratus rebus ſuis ad Principes accinctos profectus rogat ut feſtinent, Oldenburgum deflectant, Transjadanos primùm invadant; ſi faciant, ſe ſocium militiæ futurum cum legione duorum millium & equitibus ducentis: operæ parvæ haud parvum pretium, ſi properent, dum tempeſtas favet rei commodiſſima. Hyems quippè erat aſperrimo longiſſimoque gelu, qualem haud ulla hominum memoria nôrat, omnia impedita indigenis, expedita hoſtibus faciens. Ii namque nec terram fodere, nec cataractarum movere valvas, non aquas in agros immittere, non in viis ſe continere pro more poterant: hi pedites equiteſque quò volebant penetrare, perſequi, cædere, prædas agere, multitudine freti, poterant. Cùm placuiſſet res, magna militum pars ex pacto Oldenburgum ſtatim miſſa, ibi in hybernis futura, quoad exiſſent induciæ. Dein cæteræ copiæ eòdem ab ipſis Principibus ductæ, ibique natalis Domini actus. Intereà parte aliâ militum copiæ, quæ bello Picardico meruerant, eoque ſeneſcente erant dimiſſæ, per Brabantiam, Geldriam, Cliviam, Weſtfaliam nova bella quærentes

M.D.XIII

M.D.XIII. tes vagæ ſparſæque ferebantur. In has oculos Edſardus conjecerat, ut ſi bellandum eſſet, earum operâ poſſet uti. Veteranæ enim erant, bello perutiles. Verùm nec ante tempus onerari ſtipendio, nec prior paraſſe bellum, quod augendis calumniis fore intelligebat, videri volebat. Itaque conſilium cepit, quod maximè callidum putavit. Erat apud eum Iodocus Comes Hoijenſis juvenis ditione patriâ dudum à Bruſvigijs Principibus pulſus, fortunæ ſolamen hic illîc quæritans, hoſpitioque ab eodem ipſo adjutus. Hunc ad manum eorum maximam Monaſterienſes atterentem miſit, qui tentaret animos, & ſi bonis conditionibus poſſet, eos autoraret, velut in uſum ſuum. Et huic addidit emiſſarios ſuos, qui optimos quoſque, quos poſſent, clàm conducerent. Hoijenſis cum præfectis primùm, deindè cum vulgo militum congreſſus magnificis oneratus promiſſis (jactabant enim minimo negotio minimoque impendio in patriam ſe eum reducturos, ablataque reſtituturos omnia) ut tempus duceret, ſimulavit, conſultis ſibi amicis eſſe opus, priuſquam paciſceretur: conſtitutoque cum iis tempore, quo reſponderet, ad præſulem vicinum Monaſterienſem Brunſvigiis non æquum, ſibi verò amiciſſimum, ab eo ad Edſardum rediit, duoſq; ex præfectis ſecum duxit. Sed ab abitu ipſius ad eoſdem hos â Georgio venêre legati ſtipendia offerentes, dilatique aliquandiu expectatione reditus Hoijenſis, cùm is in tempore non adeſſet, cum ipſis convenêre, & quidem ſtipendio in primũ menſem viliſſimo. Aureum quippè unum merere in capita debebant. Erant enim milites belli peravidi, magiſque prædas quàm ſtipendia ſpectabant, malebantq; minima quàm nulla operæ pretia facere, & quoquo modo manere ſub ſignis, quàm cohortes diſſolvere. At vix tranſegerant cum Saxonicis, cùm, en, Hoijenſis adfuit rursùm, & ſacramentum dicentibus in coronâ ſupervênit. Ita horulæ quadrãte maximæ rei momento excluſus eſt Edſardus, culpâ, ut ajunt, Hoijenſis, Principis juvenis, qui in itinere, dum milites repetit, non uti par erat, atque in mandatis acceperat, accelerârat. Et tamen eorundem militum bona pars, quos implicitos habebant, qui ab Edſardo erant emiſſi, quive adveniẽte Hoijenſi non jurarant, cupidine ſtipendii alii alia prætexentes itineribus diverſis ad Edſardum ſe contulére. Benthemius pro Saxone Friſiis præfectus ex his & aliis copiis milite veterano validis in diœceſi Vltrajectinâ coire juſſis, legionem confecit capitum quatuor millium quadringentorum, lixarum mille, quæ legio nigra vulgò dicta fuit, bello eâ ætate ante omnes celebris. Hæc ultimis anni diebus per Tuentiam & Drentiam ſecundùm Vollenhoam ac Steenvicũ in Sylveſtres Friſios, & cæteros Tranſlavicanos ducta hoc conſilio, ut mox à natali Chriſti in Ciſlavicanos mitteretur. Quæ cùm fama nunciaſſet, Groningani & Dammonenſes pariter ſolliciti, & in ſe vim verſum iri metuentes, ſummâ curâ reficere mœnia ſua, ſicubi opus erat, parare cætera, arma luſtrare, commeatum augere, Edſardum de omnibus certiorem facere. Is iiſdem diebus litteras ad Groninganos dedit, cùm eſſet Auricæ, & expoſitâ excuſatâq; fortunâ Hoijenſi ſignificat, bonum numerum è legione eâdem ad ſe veniſſe, & plurium adventus ſpem ſibi eſſe, eoſque ſe quamprimùm cum equitum turmâ Groningam miſſurum: ſe paratum fortunas & vitam pro ipſis in diſcrimen dare: in hoc ſe nunc eſſe totum, ut militem conficiat & conquirat undique: & eſſe jam in itinere Vlricum Dornumanum ab ſe ad ipſos miſſum; ex eo reliqua cognituros. Hortatur igitur, ut bono intrepidoque animo ſint, omniaque cum fide & diligentiâ curent, omnibuſque rebus proſpiciant. Quòd ſi legio ea è Tranſlavicanis Dammonam petet, aut Amaſum trajicere conabitur, mei conſilii (ait) fuerit, ut vos cum Tiardo Moccamâ, atque aliis, quibus propinquitates trans Lavicam ſunt, agatis diligenter, ut ii illîc quoque populũ ſub jugo gementem concitent. Quod ſi fiat, commotis ſimul omnibus iſtis, vobis, nobis, haud difficile erit, aſpirante Deo, hoſtem undequaque circumfuſum concidere, Friſiamque priſtinæ reſtituere libertati. Hoc igitur quanto poteſtis ſtudio curate, &

me re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

me rebus hîc conſtitutis iſtîc primo quoque tempore expectate, & animo eſte
magno. Auricæ, III Calend. Ianuar. Intereà legio, quam dixi, è Tranſlavicanis M.D.XIII
in Hummerzios, Langowoldios, Medachios ſe infuderat, caſtriſque locum
ceperat Adoardiæ. Inde verò in totam viciniam per pagos proximos ſe ſparſit,
atque omnia oræ ejus miſerrimum in modum afflixit, ut ſtipendii tenuitatẽ di-
reptione innocentiũ ruſticorum ſarciret. Eodẽ tempore Vlricus Dornumanus
Groningam venit: cumque ſecutum præſidium modicum centenûm capitum
ductore Alberto Rege: ſimul cohortes duæ cum præfectis Wilconæ Friſio, &
Cornelio Funckio Dammonam miſſæ ab Edſardo capitum quingentorum, &
cum his manus valida ruſticorũ ex Ciſamaſanis & præfecturâ vetere. In regione
Oldenborgicâ, vixdũ finitis induciis, Oldenburgo & locis vicinis motus exer-
citus, in quo Henricus ipſe Brunſvigius & filii duo Franciſcus ac Henricus ju- M.D.XIV.
nior, & frater Ericus, Henricus Luneburgius, Philippus Grubenhagius, duces
ejuſdem familiæ omnes, tum Ioannes Oldenburgius, Erneſtus Honſteinius,
Botto Stolbergius, Boſſo Regenſteinius, Ioannes Spegelbergius, Nicolaus Te-
kenborgius, è Comitum ordine, cæterorum nobilium magna turba. Turbatis
inopino hoſtiũ adventu Transjadanis & Stadlandis, cùm in ſe iri cognoſcerent
(nam Groningam caput belli peti conſtans fama erat) quanquam trepidantiùs
& confuſiùs omnia adminiſtrarent, qui mos ſubitis & inexpectatis, non tamen
concidere animis, ſed priſtinæ virtutis ac fortitudinis memores, quantùm
tempus & res dabat, cunctis diſpoſitis, fœminis & ætate imbelli periculo amo-
tis, nunciis ad Edſardum miſſis auxilia petituris, ipſi ad regionis aditus, & præ-
paratos quondam obices, ſed minimi tum uſus concurrerunt, armis animiſ-
que juxtà parati. Ibi in Brunſvicenſem, qui iſtic cum maxima parte exercitus
ſe incitaverat egregiè & fortiter præliati aliquandiù & fortunam ſuſtentan-
tes, cum ab tergo & latere quoque hoſtem venire intellexiſſent, (in tres quip-
pè partes exercitum diviſerant, & tribus ſimul locis, omnibus perviis, regio-
nem invadebant Brunſvicenſis, frater Ericus, Luneburgenſis & huic con-
junctus Oldenburgicus) ancipiti periculo circumventi, non tamen proſtrati
animis, aut fugam meditati, in omnes ſe partes verterunt, atque ita in aſſul-
tantes & incurrentes equitum peditumque catervas pugnarunt, ut ſtuporem
ac formidinem tanto majoribus numero, & tàm ferocibus & ſuperbis injece-
rint. Nam cohortatione mutuâ, incitatione eorum, qui præerant, obfirmati
conſtituerant pro libertate patriæ, conjugibus, liberis, pro fide & fortunâ Ed-
ſardi, cui ſe devoverant, pro majorum gloriâ & honore ſuo ad extremum uſque
certamen ſubire & ſanguinem profundere, denique exemplũ prodere, quanti
ſit hominibus liberis, & quàm acres in periculis ſtimulos viris fortibus ſubjiciat "
defendenda libertas. Itaq; quos ſibi duces fecerãt, audacter præire, nõ voce ma- "
gis quàm facto imperare, cum his omnes & ſinguli certare, vincere aut mori
velle, id omni vî niti, ut cruentiſſimum eius prælii eventum hoſti facerent. At-
que hoc modo cùm difficillimũ certamen ſubſtinuiſſent diu, multoſq; hoſtium
trucidaſſent: multos ſuorum amiſiſſent, penè in orbem cincti, fracti labore &
longo prælio, atque ad paucitatem redacti, vî tandem equitũ incitatorum ſtra-
ti fuſique fortunæ ceſſerunt, cùm nil eſſet omiſſum, quod viros fortes pro pa-
triâ, libertate, fide præſtare deceret. DCC cæſi, CCCC vivi in poteſtatem victo-
rum venêre. Victores ingenti quoque clade correpti, nec iterum ſic vincere cu-
pientes: quapropter nec ſexui, nec ætati imbelli, quam primus furor præhen-
derat, ab aſperatis parſum. Brunſvigius quanquã ferus & aſper naturâ, tamen
miratus virtutem virorum, & cæſorum corpora, arma, vulnera contempla-
tus indoluiſſe fertur, & redivivos optaſſe, aliquot etiam præ cæteris animoſè
præliatos captivos honoris causâ cuſtodiâ emiſiſſe, poſtremò confeſſum cũ cæ-
teris, tanti non fuiſſe regione potiri. Res geſta die XIV Calend. Februar. tertio
ab induciarum fine. Regio captiva à Brunſvigio, Erico fratre, Luneburgio,

 Oldenbur-

M.D.XIV. Oldenburgio æquis partibus diviſa: Portioque Brunſvigii Oldenburgio in feudum data. Ericus & Luneburgius de ſuis portionibus ſorte certarunt, ſors Luneburgio favit. Is per præfectum ſuum annos IX ſemiſſem adminiſtravit: tum incommodis procul poſitæ præfecturæ & ſollicitationibus Oldenburgii motus jus ſuum in ſolidum Oldenburgio vendidit. Ab eo conſenſu cæterorum, eodem, quo pugnatum, anno arx in aditu regionis magnis operibus excitata, velut jugum cervicibus impoſitum, & ſervitutis inſtrumentum: cui ex invidentiâ (verè enim dolor ex eâ animis liberis) inviſum nomen Ovelgunnæ ab inſultantibus tributum. Tum ſubiit infælices, ut Grimershemius ſcribit, recordari conſilii Edſardi contra caſus hujuſmodi, & pœnitere rejecti ab ſe. Nam ſi caſtellum pro libertate ſciviſſent admittere, cùm commodum erat, in ſervitutem idem proferre neceſſum jam non eſſe. Hic patriæ libertatis apud Transjadanos & Stadlandos finis. Circiter idem tempus, quo Brunſvigij in Butiadas exière, ex mente Georgii ab Hugone quoque Leiſnicenſi, vetere in Friſiâ duce, locorum & hominum gnaro, qui iſtûc cum imperio è Miſniâ redierat, exercitus vixdum finitis induciis, caſtris Adoardiis eductus, expectatione eventus atque itineris arrectis omnibus, utroq; oppido Groningâ & Dammonâ ad defenſionem parato. Sed utroque declinato per Sauverdios, Burios Werumanos ſervatis ordinibus præfectura vetus ab Hugone petita, & ære gravi mulctata: indè ſine morâ XIII Calend. Februarii, trajecto per glaciem ſinu Dullarto, in Reideneros agmine rapto, VVimerani, Bonæi, Bundenſes, Stapelmorini, VVenerani hoſtiliter direpti, ſacra, profana juxtà habita, nec rei nec homini parſum: nox VVeneræ quieti data. Dein ſpeculatoribus nunciantibus Edſardum communitâ arce Orthanâ cum equitatu peditatuque non magno & ſubditorum paucis (res quippè inopina) Leræ ſedere, hæsêre animi, nec illi in Edſardum, nec hic in Saxones ire auſi: & utrique ſociarum copiarum expectatione erant ſuſpenſi. Edſardus quippè Amaſanos, Broecmerios, Auricanos, Nordanos, exciverat, militemque Dammonâ & Groningâ revocabat: illi Brunſvicenſem præter opinionem apud Iadanos implicatum ex condicto operiebantur. Poſt biduum Hugo Amaſo tranſmiſſo Iderhavam in Tranſlædanis profectus eo ordine, ne quid ab imminentibus Edſardicis, qui Lædam tranſierant, inprimis ab aſſultante eminùs equitatu noceri poſſet, Bacomorinos, indè Holtanos, Raudanos tranſgreſſus, fœdéq; cuncta populatus, hinc flexo in ortum æſtivum itinere, relicto à ſiniſtris Potshuſio, Stichusâ longiùs devitatâ, per paluſtria gelu concreta ſine impedimento Deteram pervenit, atque ibi rurſum conſedit. Poſtridiè quoque omnibus illîc evaſtatis, procul jã hoſte, in Lenganos per impedita eniſus, occupato Remelſo, capite agri, in prædas exercitũ emiſit, Brunſvigios in agrum Oldenborgium ex Butiadis reverſos operiri iſtîc, & cum iis reliquam regionem invadere & pervaſtare propoſitũ habens. Sed aliter decretum Deo, cui humana parent. Nam eodem illo die, qui erat VI Calend. Februar. aër repentè in hymbres tam fœdos ac continuos, ventorum procellâ mixtos eſt ſolutus, ut in religionem res verſa ſit, creditumq; vulgò, propitiũ Deum ſævitiâ hoſtium offenſum tempeſtatem imminentem à regione avertiſſe. Aquarum quidem tanta vis brevi tempore cœlo diffuſſa, ut glacies genu tenùs paſſim tegeretur, humilia camporum natare viderentur. Ad hanc illuviem alia ab Oceano fluvioque tumente (inflarat enim corus) addita penè maior, clauſtrorum valvis humanâ induſtriâ adapertis aquiſque in agros immiſſis. Eâ ratione impedito conſilio, non venientibus Brunſvigiis, poſt aliquot dies, ſerenante cœlo Leiſnicenſis cum exercitu prædâ onuſto, declinatâ Lenganâ arce, quæ in finibus viæ militari aſſidet, per ſummas difficultates avia paluſtrium ſublimium ſecutus, in Oldenburgios contendit. Edſardus qui pugnâ eos excipere conſtituerat, eâ curâ levatus: ſubditi domum remiſſi, miles præſidiarius Groningæ & Dammonæ manere juſſus. Caſtra Adoardia ab Hugone diſcedente delectis

è vicino

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

è vicino agro contra ſubditam vim commendata. His poſt triduum M. D CX M.D.XIV. Tranſlavicanis ſubmiſſi, iiſque poſt aliquot dies cohors trecentûm militum Germanorum adjuncta: agerque rurſum in Amaſum uſque tributis afflictus. Nonis Februarii Oldenburgum Georgius Saxo cùm veniſſet, de bello conſilia inita, ab omnibus in perniciem Edſardi conſpiratum: ſocietati Hero Eſenſis & Chriſtoferus Ieveranus abſentes adſcripti, alter ſororius Oldenburgii, alter ſorore ejus natus, & hic quoque Lunæburgii domeſticus: ſed res ea adhuc ſilentio preſſa. Eodem die, quo Oldenburgum Georgius venit, Edſardus adventus ejus ignarus, ſed per exploratores monitus, hoſtes exhauſtis Oldenburgicis cõmeatum causâ in agrum Ieveranum cogitare, indeq; Auricanos & Freborgios infeſtationi ac direptioni deſtinaſſe, repentè cum ſuis, quos in armis habebat in Ieveranos contendit, ut fluminis trajectu eos prohiberet. Sed illìc certior factus, Wildeſhuſæ ingreſſu nequicquam tentato, reliquos proximis in vicis conſediſſe, Principes cum equitibus C C C C Oldenburgum rediiſſe, Georgiumque cum aliis equitibus C C expectari, Ieveranis nullâ re læſis rediit ad ſua. Paulò pòſt, cùm eſſet in arce Orthanâ, uti Grimerſhemius prodit in aulâ ejus tum degens, à Georgio fecialis venit, bellumque ei more militari indixit. Ad quem Comes; Egregie verò & ex diſciplinâ militiæ: qui bellum jam dudum geritis, nunc demum verbis id denunciatis. Sed ut cætera, ſic & hoc. Tu verò principi tuo refer, quàm juſtè ſanctéque bellum movet, tam fauſtum ei exitum me precari & Deum vindicem in caput alterius noſtri, qui jus faſque violat, poſcere Ego quidem Deo fretus & causâ, & fide meorum, confido, quanquàm deſpiciat me, & jam ante pugnas triumphet, haud facilem illi victoriam hanc fore. Ita dimiſſum dono quoque proſequitur. Cætera cum ſuis conſtituit. Mox ad Heronem Eſenſem & Chriſtopherum Ieveranum, meritò ſuſpectos ſibi mittit, eorumque animos explorat. Hi ne ſe prodant, & ante tempus exponant periculis, perplexè & ambiguè reſpondent, magiſq; incertum relinquunt, quàm erat prius: imò peſſima quæque metuere cogunt. Hero enim notus erat: & Chriſtoferus adoleſcens adhuc non ſolùm ſanguinis propinquitati cum Oldenburgico, quem avunculum habebat, ſed Luneburgici quoque voluntati, in cujus aulâ vixerat, ceſſurus putabatur. Vterque plaudebat ſibi, quòd quem timere ſolent huic ſe timori nunc eſſe animadverterent. At Georgius tentandis Groningenſium animis eodẽ tempore Simonem Reitſchachium jureconſultum Cancellarium ſuum, & Hermannum Pochium è nobilitate equeſtri præfectum Saxoborgium emiſit. Hi ad VI Idus Februarias ex vallo VVerdenbraſſio Senatui populoq; Groningano ſcribunt, habere ſe haud parvi momenti negotia cum ipſis agenda: petere, ut aut aditum ſibi concedant in urbem, aut ſuorum aliquot fide publicâ mittant, viâ mediâ inter Harenam & Werdenbraſſum ſecum collocaturos: id fore ex commodo ipſorum. Sed reſpondent Groningani unanimes; in Edſardi ſe fide eſſe: abſque eo nec poſſe ſe ſalvo honore, nec velle agere cum quoquam: ab eo ſi petant, ſe non defuturos. Hâc fruſtrati ſpe iidem tabellarium Cæſaris magnis itineribus Oeniponte venientem in urbem mittunt poſtridiè. Is porrectis, quas ad ſenatum à Reitſcachio & collegâ ferebat, litteris, extemplò ad fanum urbis primarium Martino ſacrum progreſſus, comitante & confluente ingenti hominum multitudine, ſub ipſo ſacro, quod tum fortè in fano fiebat, chartã patentẽ cum ſigno Cæſaris valvis affigit, in quà expoſitis cauſis recitatiſq; mandatis, ſignificat Cæſar, Edſardum cõtumaciæ reum proſcribi à ſe, proſcriptioniſq; exemplar hîc ſimul mitti: & quoniam in juſſu ſuo atque ordinũ Imperii, nomine tamen ſuo ordinúmq; eorundem Groningã aliquot ante annos occupârit idem ille, & adhuc occupet, ac in fide obſequioq; habeat, præcipi Senatui populóq; ſummâ gravitate, uti deſerant eum ſine morâ, & Georgiũ Saxonem, præfectúmve ejus, aut ſi id grave putent, legatum ſuum in hunc finẽ Georgio adjunctũ, ac mandatis inſtructũ à ſe (is erat Eberhardus Coningſtei-

M.D.XIV. nius ex Comitum Germanorum ordine) cum militum numero, quantum rei videbitur requirere, in urbem recipiant, munitionem quoque ab Edſardo extructam tradant, fidem & obſequium jurent, hæc denique omnia ei uti legato ſuo ac Reipublicæ Germaniæ præſtent, ac in his maneant, quoad cui debeatur urbis imperium, jure fuerit definitum: quòd ni pareant, in proſcriptorum numero ſtatim fore, daturoſque pœnas omnes proſcriptis ſolitas. Atque hæc verbis aſperata ad augendum metum. Tùm tabulæ in Edſardum proſcriptum vulgatæ. In his clientela negata Georgio, fides legati in regendo agro, omneſque contractus leges violatæ, judicato mandatóque Cæſareo de reſtitutione pignoris & agri ceſſione obſequium non præſtitum, proſcribendi cauſæ prælatæ: proſcriptus omnium prædæ ac libidini cum omnibus ſociis ac ſubditis expoſitus. Signata Oeniponte die tertio ab Idibus Ianuarii. Perſtrictis hoc fulgure plurimorum animis, ſenatus quoque parte perplexâ, quid Reitſchachio & Pochio reſpondendum ambigebatur. Scripſerant enim mirari ſe, colloquium rejectum, non alio fine quàm bono ipſorū & reipublicæ totius quæſitum: nunc monere & hortari, ut ſi excordes non ſint, & conſuli ſibi velint, ad Cæſaris ſcriptum ſcripto reſpondeant, & quid mentis ſuæ ſit, oſtendant. Itaque hærere multi, nunc hûc, nunc illûc impelli, honeſtum, utile committere inter ſe, ut fluctus incerti, incertis inter ſe pugnantibus ventis, ſic rationibus contrariis incitari: nam ſi pareant mandato, perfidiam infamiæ ſibi fore: ſequeſtris talibus urbem credere, id haud aliud eſſe, quàm Saxonibus ſe tradere, ac libertatem prodere: ſin fidem famamque tueri velint, in quanta ſe pericula daturos? in quod diſcrimen fortunam publicam privatámque miſſuros? in proſcripto Edſardo tot hoſtibus, tot telis expoſito, ac ſuomet exitio proximo quid opis? quid ſpei? Nec deerant in vulgo, qui ſalvâ fide parere ſe Cæſari poſſe arbitrarentur: nec enim inane, quod ſcriptum in contractu, de cognitione ordinum Imperii: & accedere ſummi Principis juſſum, ſolventis vinculum hoc qualecunque ac diſcedere à proſcripto mandantis: cui ſi civitas obſiſtat, in crimen neglectæ fidei non minùs, quàm ſi ab Edſardo ſe ſeparet, venturā: nec perfidiam cenſendam, cum fidem neceſſitas ſuperat: denique ſemper meliora, quæ tutiora. Sed & pauci hi,
” nec nomine aut genere conſpicui. Plurimi verò omnia, quanquam perplexi animis, & conſilii certi boniqúe inopes. At ſenatui, cæteriſque qui remp. regebant, quive genere, ingenio, rerum uſu eminebant, cùm ſe ex primâ formidine collegiſſent, & Guilhelmum Fridericum, Gelmarum Canterum, Petrum Sickingium, Ludolfum Coenderum præ aliis animo, ingenio, linguâ pollentes audiſſent, non mens ſolùm eadem, ſed conſilium quoque promptū. Erant eo tempore in conſulatu, continuato per cōplures annos honore, Hermanus Leo, Ludolfus Coenderus, Ioannes Scafferus, Petrus Sickingius: In reliquo ſenatu Gelmarus Canterus, Thezo Iarges, Egbertus Rex, Rodolfus Hugingius, Regnerus Alberda, Lubbertus Clantius, Guilhelmus Wicheringius, Hermannus Snellius, in conſularibus eminebat Conradus Coenderus, mente linguâque promptus, ætate & uſu rerum valens, idemq; Saxonibus inimiciſſimus. Hi apud delectos, dein reliquam plebem diſſerere, inania hæc fulgetra terrendis imperitorum animis eſſe, data gratiæ Saxonis à Cæſare; quibus ſi vincere, & bellū conficere poſſit, quid opus ei armis: viros fortes, & procellis ſuetos terriculamētis cedere, tergaque dare, pudendū: quod ſi Edſardo data ac jurata fides haud obſtet (obſtare autē maximè) tamē patriæ caritatē, ſanctiſſimamq; fidem aliud poſcere. Nam hoc modo militem in urbem recipere, id eſſe inimiciſſimo & ſæviſſimo hoſti portas aperire, ſeq; ac liberos & conjuges ſervituti dare, deniq; omnia perdere, propter quæ tot labores, pericula, incōmoda ſuſcepta, totq; annos tolerata ſint. Et his flabra addita ab Edſardicis, qui in arce & urbe erant. Tum Saxonibus reſponſum ex ſententiâ omnium, Cæſaris quidem obſervantes eſſe ſe: ſed mandatum ejus eſſe vitioſum: nam nec citatos auditóſve ſe, & ſententiam

ferri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ferri cauſâ non cognitâ: ac tempus ſupereſſe interponendæ appellationi: amplius reſpondere ſine Edſardo non integrum: eo conſulto, reſponſuros ſe plenius. Et de his omnibus Edſardus per litteras certior factus. Is Auricâ reſcripſit in hanc ſententiam. Accepiſſe ſe tranſmiſſa, conſilium reſponſumque ipſorum vehementer probare, fidem quoque laudare: Et ſibi quoque à Cæſare litteras allatas cùm proſcriptionis tabulis, eáſque ſe viciſſim ad ipſos mittere: tabellarium non Cæſaris, ſed Saxonis fuiſſe, notum hominibus ſuis: ideò ſine ſcripto reſponſo dimiſſum: id modò dici ei curaſſe, ad Cæſarem ipſum ſeſe miſſurum aliquem ex ſuis: conſilii reſponsiq; ſui ſummam cum his litteris ſe conjungere, & quid ipſi de eo ſentiant, cognoſcere avere. Iam verò haud dubium ſibi, quin aſtum paritèr ac iniquitatem Saxonis in his animadvertant: ut urbem arcémque tradat ſequeſtrâ lege, à ſe poſci: id verò nec animi eſſe ſui, nec in eum unquam deſcendiſſe, aut deſcenſurum eſſe, quandiu ſpiritus in corpore futurus ſit, Deo volente. Non deſerere ipſos, ſed ſanguinem vitámque pro ipſis profundere, ſi res poſcat, fortunas omnes cum ſubditis ſuis in diſcrimen dare, ſibi conſtitutum; de eo dubitandum nemini. Colloquine cum Saxonibus, & mentem eorum cognoſcere, ac ſoline hoc facere, an adhibitis ſuis velint, id ſe totum permittere arbitrio & conſilio ipſorum, dummodò extra urbem: nam in urbe non placere ob pericula factionum & tumultuum: poſtremò de omnibus petere, ut ſe certiorem faciant. Hæ litteræ ſcriptæ poſtridiè Idus Februarias. Ex his cognitâ Edſardi mente appellationis forma Groningæ ſcripta, & fanorum valvis affixa: exemplum cum litteris ſenatus colloquium offerentibus ad præfectum præſidii Werdenbraſſeii Caſparum Beijerſtofferum miſſum, at ab eo, ut non ſui negotii, non receptum. Sed epiſtola ab eodem data ad ſenatum index animi inſolentis & acerbi, in quâ fuêre hæc: Cancellarium cum collegâ fruſtrà ſuſpenſum aliquandiu expectatione reſponſi ad Principem jam rediiſſe: Principem Scuttorpæ eſſe in ditione Benthemiâ; eò mittendum ipſis, ſi quid vellent, atque indè expectandum reſponſum: Vlferdum, quem accuſent, præpoſitum Lopperſhemium de Vdone Coldenburgio queri graviſſimè: Vdonem fidem datam ei non ſervaſſe, hominem improbum, ſimilem domino ſuo: Comitem dominum perfidum & perjurum eſſe, hunc cum eò ex eâdem eſſe patinâ: Turcas Ethnicis etiam fidem ſervare, ſed Edſardum miniſtroſque ejus id non facere. Et hujuſmodi alia. Quæ lecta Groningæ non ſpreta ſolùm, ſed probro quoque ſcriptori data. At ante ea Otto Diepholdius ſpectatæ virtutis vir, & militiæ gnarus Groningam cum militum paucis venit. Huic in mandatis erat ab Edſardo datum, uti cum ſenàtu ageret de cœnobio Adoardio, dum Saxones abſunt, muro cæteriſque munitionibus exuendo. Sed Diepholdius de præſidio ejus loci edoctus conſilium ipſe poſthabuit. Alia verò ſummo ejus ſtudio, ejuſdem juſſu Edſardi, procurata. Fani ſcilicet Slochterani munitiones in Duerſwoldiis reparatæ, iiſque miles, & ruſticorum manus præſidio impoſiti. Fanum aliud Hogekercanum ad occidentem urbis, curante Vdone Coldenburgio arcis præfecto, ſatagentibus ac laborantibus oppidanis circumvallatum in multos uſus, ibique tenuiſſimi & audaciſſimi ex plebe tuendo loco collocati. In cœnobio Burano centuria militum quoque conſtituta: ſed cùm compertum eſſet, miſſis, qui locum diligentiùs inſpicerent, Vdone Coldenborgio, Bernardo Coendero, Siccone Beningâ, Hermanno Coco, circumvallationem magnorum ſumptuum ac laborum fore, & tuendo loco majore opus eſſe præſidio, poſt diem quintum in urbem eſt reducta. M.D.XIV.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XLV.

M.D.XIV. APVD Benthemios Georgius Saxo cùm eſſet, intellexiſsétque terriculamentis prioribus nihil adhuc profectum, aliud occipit conſilium jam dudùm tentatum ſuis, quod ſcindendæ concordiæ civitatis putabat eſſe. Binas Scutorpâ litteras ſcribit ſub finem Februarii, alteras ad ſenatum, ad ædiles ac ſodalitatum præfectos, & delectorum concilium alteras. In iſtis, repetito litterarum Cæſaris proximarum argumento, accepiſſe ſe ait, litteras eas ſenatum ſuppreſſiſſe, nec ad Cancellarii & Pochii epiſtolas itâ, uti par eſſet, reſpondiſſe: intereà milites alioſque in fide Edſardi homines, neglecto Cæſaris mandato recepiſſe in urbem, imò excurrentes, & hoſtilia patrantes eandem in urbem rursùm admiſiſſe. Hæc ſe exiſtimare abſque plebis voluntate fieri, ex libidine paucorum, qui commodi ſui causâ Edſardi gratiam ſectentur: & tamen infælicem plebem, ac nil promeritam in periculum proſcriptionis & calamitates trahi. Nam ſi itâ pergant, non solùm ſenatum, ſed totam quoque civitatẽ non minùs quàm ipſum Edſardum armis ſibi invadendam, quanquàm animo dolente & penè invito: civitatem enim amare ſe, eamq́ue ſervatam quàm perditam malle. Rem poſcere, ut etiam nunc reſpondeant, pareréne edicto Cæſaris, & proſcriptos urbe ejicere, pacemq́ue amplecti velint, an in proſcriptorum numerum referri. In alteris ſic ſcribit; Cæſarem paucos ante dies litteras dediſſe ad ſenatum urbis, & mandaſſe, ut Edſardum publicè proſcriptum deſerant, ab ejuſque conſortio abſtineant: At ſe intereà certiorem factum, litteras eas in ſenatu ſuppreſſas: quocirca ſcribere ſe nunc ad ſenatum, & ſcripti exemplum cum exemplo litterarum Cæſaris cum his ſimul mittere: id ſe non aliam ob cauſam facere, quàm ut ipſi, qui populi ductores ſint, rem omnem rectò intelligant, edictum Cæſaris toti populo prælegant, denique officium patriæ præſtent, peſtem & perniciem imminentem ab eâ avertant: ſe quidem conſulere ſaluti plebis innoxiæ, quàm calamitatum autorem malle eſſe. Animadverſum facilè, quò tenderet Princeps, conjunctiſq́ue conſiliis ei reſponſum ab utriſque. Senatus ſic reſpondit. Edictum Cæſaris à ſe nòn ſuppreſſum: Reitſcachio & Pochio reſponſum tantùm, quantùm res tulerit. Nunc quoniam petat ipſe, reſpondere ſe pleniùs. Mandatis Cæſaris parere, ſi juſta & æqua ſint, ſemper ſibi præcipuum ſtudium fuiſſe, & eſſe etiam nunc, ac fore perpetuò: atqui edictum hoc nuperum nec vocatis nec auditis, velut ſententiam, irrogatum: quòd cùm juſtum non ſit, arbitrari ſe, obſequium ei non deberi, ideóque appellationem ſe interpoſuiſſe; nec defugere cognitionem ac judicium bonorum & æquorum hominum, tùm Principum, tùm aliorum. Studium pacis ac tranſactionis æquæ oſtendiſſe ſeſe tot legationibus ſuis in diverſa loca miſſis, adeò ut ne ipſam quidem Lipſiam ſedem colloquii abnuerint: nec adhuc alio ſe animo eſſe: ad Edſardum quoque inducendum & inclinandum eódem operam & fidem polliceri: denique à ſeſe, quantùm in ſe ſit, cauſam cædium & vaſtationum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

num non fore: milites ſui defendendi gratiâ in urbem ſe recepiſſe contra aſ- M.D.XIV.
ſultantem vim, idque divino & humano jure eſſe licitum, adeóque ipſam ſua-
dere naturam: at Saxonum facto nullo jure defendi poſſe, qui nullo dum
bello indicto, hoſtiliter res homineſque reipublicæ afflixerint: poſtremò Deo
ſe rem permittere, & in eo ſpem habere. Cæteri in eandem quoque ſenten-
tiam reſcribunt, & ſenatum à crimine purgant. Id factum poſtrid. Calend.
Martii. Medio tempore, bello jam in Oſtringiis, Ruſtris, Harlingiis conſerto,
Ericus Monaſterienſium epiſcopus ex illuſtri domo Louvenborgià, qui diœceſi
ſuæ ab incommodis belli vicini metuebat, in eo laboraverat, ut componendæ
rei colloquium iniretur, obtinueratque ut Meppenæ conveniretur oppido ad
Amaſum partibus opportuno. Interceſſores deſignati ipſe, & frater ipſius Ioan-
nes Epiſcopus Hildeſianus. dies dictus v Nonarū Martii. Eò à Georgio miſſi Bēt-
hemius & Hontſteinius Comites, Simon Reitſcachius Cancellarius & Her-
mannus Pochius: ab Edſardo Hicco Dornumanus, Harco Suderhuſius: â Gro-
ninganis Petrus Sickingius, Ludolfus Coenderus, Gelmarus Canterus. Ad-
fuitque ipſe Ericus præſul cum delectis ſummi collegii ac nobilitatis ſuæ, &
duo conſules urbis Monaſterii: lega·i quoque à præſule altero. Hi ſummâ di-
ligentiâ rem orſi, commendato utriſque pacis ſtudio, partibuſque viciſsìm au-
ditis, multis fruſtrà tentatis, totum triduum perdiderunt. Dehinc abiturienti-
bus Edſardicis & Groninganis, quibus ſuſpicio erat, non æquos eſſe arbitros,
iidem quaſi inſtaurato ſtudio cum Saxonibus egêre vehementiùs: ab his con-
ditiones retulerunt velùt ultimas, quas ſi admitteret Edſardus, ſpem poſſe pa-
cis eſſe: Itaque Edſardicis eas commendarunt prolixè. At hi iis lectis nil puta-
runt eſſe iniquius: Iubebant enim Edſardum in clientelá ſe dare Georgio, pa-
triaſque ditiones eius beneficio tenere, Groningam quoque dimittere, Dam-
monâ & agro omni inter Amaſum & Lavicā cedere: ad hæc remittere eidem
Georgio LXII aureorum Rhenenſium millia, quæ ei Georgius debebat, & his
addere centena millia alia monetæ eiuſdem, ac ſolutionis hujuſce pignora ſine
morâ dare arces Orthanam, Stichuſanam, Freborgicam. Contra Edſardici
poſcebant Georgium CCC milia Rhenenſium ad ſarcienda damna contra jus
& fas, bello non denunciato, proximis diebus patriæ illata, nec de clientelâ, aut
ceſſione volebant audire. Quibus conciliandis cùm ſpes non eſſet, re infectâ
diſceſſum. Groningani cum Hiccone & Harcone IV Idus Mart. in urbem re-
verſi. Res in curiā expoſita, ob iniquitatem Saxonum ut odio in eos, ità ſtudio
in Edſardum augenda apud omnes fuit. Quapropter oppidani recenti indig-
natione calentes poſtridiè per ſclopetarios ſuos ac milites urbe emiſſos, & ce-
mentarios ac foſſores cœnobium vicinum perpetuum receptaculum hoſtium
magnâ vi invadunt, portam eius validi operis, & muri latus oriētale demoliun-
tur, foſſam hìc illìc terrâ complent, molam exarmant, clibanum piſtoriū con-
fringunt, ahenum ingens coquendæ cerviſiæ in urbem trahunt Hoc velut fer-
vidioris belli hiſce locis principium. Poſtero aliud acceſſit velut oleum cami-
no affuſum. Nam fecialis Saxonis equo inſidens urbi invectus fuit, caduceum
manu ferens, & in caducei capite litteras binas, quibus bellum denuncia-
batur civitati, alteras ad ſenatum, alteras ad ædiles plebis & opificum vulgus,
eâdem verborum formâ. Qui cùm in turbâ concu·ſantium per mediam ur-
bis regionem prætorio adequitaſſet, conſulique ſenatus præſidi Petro Sickin-
gio foras progreſſo, ipſe ut erat in equo caput tectus litteras caduceo hæren-
tes porrexiſſet Quid veró hoc, ait Conſul? id ne ex diſciplinâ aut more? ſiccine
miniſtrum imperii alieni agere cum conſule civitati præſidente? quod niſi tu,
ut mos habet, & te decet, ex equo te dimiſeris, manuque tuâ porrexeris mihi li-
teras, ego receptutus eas non ſum. Ita poſitâ arrogantiâ equo deſcendens ille
litteras conſuli dedit: dein ædili alteras tulit. Erant, ut dixi, utræque ejuſdem
argumenti, in quibus Princeps cōmovendis plebeis animis denuntiationi belli

deploratio-

M.D.XIV. deplorationem miſeriæ addiderat infinitæ, quæ ex bello hoc in virgines, pueros, fœminas, ſacrata capita, cives inopes & innoxios, denique in univerſam civitatem ac viciniam eſſet exundatura, oſtenderatque, hoc maximè dolere ſe, quod videret, delicta procerum ambitioſorum innocentem turbam oportere luere. Sed ſine concordiæ jacturâ recitatæ litteræ, fecialiſque auro donatus per apparitores ſtatim ad portam reductus. Mox eâ, quæ ſecuta nox eſt, Saxones Adoardiâ effuſi in ſuburbia incurſu facto ad amnis portam magnum numerum domuum incendunt, ædificium quoque longum coquendis tegulis ac lateribus ad proximum amnis flexum exurunt: in receptu perimendis armentis, ac ædificiis vaſtandis petulantiæ indulgent. A Groninganis viciſſim miſſi poſtridiè navicularii, aliique homines nauci, ut fanum Germerwoldium loco humili & uliginoſo in conſpectu urbis ſitum occupent. Simul & Suidwoldicum fanum ab aquilone urbi imminens ſubito procurſu occupatum à Saxonibus, & labore ruſticorum vallo circundatum. Hinc excurſiones nocturnæ ad mœnia uſque factæ, ac ſuburbana Botterana igne vaſtata: alia minuta hinc inde geſta. Intereà legio nigra cum Hugone ex Oldenborgicis in leveranos trajecerat poſtridiè Iduum Februarii: cujus fiducia Chriſtoferus juventâ calidus hoſtilia Edſardo denunciavit. Edſardus lectis ejus litteris, collaudatâ, ut ait Grimerſhemius, adoleſcentis ingenuitate, qui ferire nolit niſi præmonitum, ad tabellarium dein verſus, Scio, ait, qui miſit te, ſeductum facere, quod facit, nondum ſatis perſpicientem ob ætatem, quæ facto ſunt opus: tu dic ei, ubi domum redieris, me adoleſcentiæ ejus delictum, cùm datura res eſt, virgâ, quâ decebit, correpturum. Paulò pòſt audit militem ex finibus leveranis Godenſes & Cnipenſes incurſaſſe, incendióque & prædâ eſſe graſſatum: deindè majore numero in agrum Auricanum ſe intuliſſe: cœnobium Buriſmonicæum, Tiocham, Lerhavam, Riſpelam, & quicquid per eam viciniam, igni vaſtaſſe. Hunc à receptu diſperſum per ditiones Eſenſis, convocatis ad arma ſuis, cùm pararet invadere & ſimul experiri, quo in ſe animo Eſenſis eſſet (nec enim is adhuc fœdus diſſimulare deſierat) per noctem duplici agmine Witmundam contendit, ut eos qui in opido illo conſederant, ante lucem opprimeret. Sed tardante agmine altero, cùm lux orta adventum prodidiſſet, hoſtes confugii causâ ſub arcem ſe recepiſſe comperit. Vnde velitationibus prolectare eos in apertum cùm non poſſet, conatus eſt eodem in loco reſtitantes invadere. Verùm tormentis ex arce petitus recipere ſe coactus fuit. Atque hoc ritu bellum ab Herone tùm denunciatum: Domum reverſus per indicem monetur, in Freburgum ſe hoſtes parare, & ſpem in proditore habere: itaque poſcere rem, etiam atque etiam uti videat, quorum fidei arcem commiſerit. Quo indicio perculſus Ioannem Riperbuſcum arcis præfectum Auricam evocat celeriter, eum quid acceperit edocet; haud ſperare ſe ait, tantum ſcelus cadere in ipſum poſſe, ab humillimâ quippè fortunâ beneficio ſuo evectum, ut pro ſummis meritis peſſimum cogitet maleficium rependere. At ille averſari ſcelus, à ſe rejicere longiſſimè, dejerare etiam, obteſtari, ne ſuſpicioni falſæ, ne mendacibus ſuſurris contra innocentiam detur locus: ſua facta memorare fidei plena, calumniæ ſceleratæ maledicere, fortunam bonorum miſerari, lachrumas quoque addere: denique fidem fecit, ut in arcem remitteretur, ſed admonitus acerrimè. Additi tamen illi ceû ephori Arnoldus Stracholdius, vir notæ fidei, ejuſdem olim arcis cuſtos, Ioannes Fuſtius, Albertus Orthanus: hiſque aliquot militum veteranorum decuriæ ſubmiſſæ. Quibus conſtitutis Groningam ipſe celeriter advolat, ut iſtîc quoque res firmet, indeque Emdam, Emdâ Auricam pari celeritate revertitur. Iam venerat ad Georgium à Cæſare miſſus Eberhardus Conincſtenius, Comitum ordine, de quo dixi antè. Is Scutorpâ ubi tum adhuc Georgius morabatur, pridiè Idus Martii ſcribit ſenatui populoque Groningano, adeſſe ſe legatum Cæſaris & Imperii Germanici, arbi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

arbitrum controverſiæ inter Principem Saxoniæ, & Edſardum, inſtructum poteſtate peramplà: ſed audiſſe intereà, ipſos poſthabito Cæſaris mandato monitisque fidelibus cauſam cum Edſardo ſociaſſe: id ſanè omnia ipſis reddere difficiliora, & ſe dolore afficere: monere etiam nunc, ac præcipere, ut Cæſari pareant, ſéque cum præſidio in urbem recipiant: quòd ſi fecerint, poſſe adhuc cauſam ipſorum reſtitui: ſin minùs, quem exitum niſi peſſimum habituri ſint, ſe non videre: petere, ut reſpondeant per eundem internuncium: ſic enim opus conſilij capiundi causâ. Groningani dictata à Georgio ſuſpicati, per litteras petunt ab eo, ut propiùs accedat, & colloquij faciat poteſtatem: cauſam enim eſſe hujusmodi, ut litteris arctari non poſſit. Ille reſponſo accepto cùm in caſtellum Werdenbraſſeium veniſſet, de loco & tempore colloquij actum aliquandiù, diesq; Eſſenę in cœnobio ad ripam Huneſi amnis vix M. CCCC. paſſibus ab urbe diſtante tandem conſtitutus ad VIII Calend. April. literæq; commeatus liberi ultrò citroque jam miſſæ. Interim Georgius pridiè ejus diei in caſtellum idem advolans, exercitu inſtructus, quanquam diſſuaderet Conincſtenius, atque omnibus modis obſiſteret, magnâ equitum peditumq; manu intempeſtâ nocte præmiſsâ Eſſenam occupat: ipſe primâ luce ſecutus terrendi causâ per præfectos ſub ſignis eductas copias Helpenæ in conſpectu urbis ſtatuit, velut pugnæ poteſtatem faciens. Quo viſo Groningani, ne quid timere viderentur, magnum civium numerum cum centuriâ militum ex urbe quoque emittunt, aciemque latiſſimâ in viâ contra hoſtem conſtituunt. Indè procurſu paucorum velitationibus certatum aliquantiſper, ſpectantibus cæteris, cædes paucæ, vulnera plura facta, demùm acies ſine pugnâ universâ utrinque reductæ. Id dolens Conincſtenius eodem die per litteras purgat ſeſe, & Saxonis factum culpat, ſed ferendum oſtendit, quod mutari nequierit: ſimul monet, ut alium locum colloquio commodum à militari turbâ liberum deſignent: quòd ſi fecerint, ſe promittit in morâ non futurum. Sed oppidani Georgio diffiſi perplexi fuêre. Tandem inſtante Conincſtenio Hornæ, quod aliud cœnobium eſt urbi proximum ad Aham flumen, dies dictus alter Nonarum April. Iam Brunſvigius magno cum exercitu pedeſtri equeſtrique in fines Oldenburgios reverſus quanquàm alieno anni tempore proditioni fiſus ad Freburgū conſederat, eodemq; ex Eſenſibus & Ieveranis cum Heronis & Chriſtoferi auxiliis Hugo Leiſnicenſis Saxonicarū copiarum ductor acceſſerat, caſtriſq; binis ſolo firmo arx premebatur. Erant cum Brunſvigio frater Ericus, filij duo Henricus & Franciſcus Mindenſium epiſcopus, Henricus Luneburgius, Philippus Grubenhagius, Magnus Lowenburgius, & cum his complurium Principum & Comitum auxilia. Indè prædandi vaſtandiq; causâ excurſiones in proximum agrum factæ. Quòd cùm accepiſſet Edſardus eo tempore Groningâ reverſus, atque Auricæ cum ingenti ac validâ manu ſuorum in omnem eventum paratus Broecſetelam locum in vaſto ericeto viâ Freborgicâ magno milliari Auricâ diſſitum movit. Ibi caſtris locatis, cum promptiſſimis & expeditis od cœnobium Buriſmonicarum celeriter profectus, ſpe occupandi prędatores, cùm intelligeret in receptu eos eſſe, ſummâ contentione equitum ſuorum uſus, vix extremos Riſpelam jam transgreſſos præcurſores aſſecutus ad Repsholtum uſque tergis fugientium inhæſit. Illic ponte celeriter ab hoſtibus rupto, quo via connectitur, & per velites ſclopetarios certamine ad rivum cōmiſſo, receptui canere ac pedem cum ſuis referre coactus fuit. In caſtris Buriſmonicæis ſedens, atque hoſtes obſervans, certior factus, Ieveræ ſpem prædæ eſſe; (merces quippe omnis generis in uſum exercitus navigiis in portus Ieveranos, inde porrò in oppidum convectas audierat) militibus primum rem proponit. Iis tardiùs aſſentientibus & præmium ejus operæ ſtipendium menſtruū poſcentibus, ſtatim ad eos, quos ex populo ſuo in armis iſtîc habebat, idem defert. Hi alacres magno numero ſe parant, & feſtino agmine ſub ſignis Ieveram M. D. XIV

M.D.XIV contendunt, ſequentibus militum nonnullis pœnitudine ductis: oppidum incurſibus patens occupant; diripiunt, prædâ divite partâ, incendunt. Simul ab Edſardo equeſtris turma valida Cnipenam ire, & Folcſum arce evocatum ob pericula in caſtra deducere juſſa: utrique re feliciter geſtâ ſub occaſum ſolis ad Edſardum reverſi. Paulò pòſt à Riperbuſco nuncius venit, omnia rectè in arce habere, nec animos, nec vim contra hoſtes præſidio deeſſe. Et erant ca tera arcis, vallum, foſſa, tormenta, præſidii numerus & robur, cõmeatus, natura loci, hujuſmodi, ut ſi fraus & ſcelus abfuiſſent, quantumvis diu contemni hoſtium » vis potuiſſe videatur. Sed nihil tutum, quod proditori commiſſum. Hoſtes, ut colorem dolo darent, duobus è locis ſimul ingentibus tormentis in vallum ac arcem fulminârunt vehementiſſimè, parteq; valli, re non magni momenti, laceratâ, omnibus ad terrendum oſtentatis, oppugnationem ſunt comminati id ſatis ad prætextum nefarii conſilii viſum. Duo è præſidio à Riperbuſco, clam cæteris omnibus, in caſtra hoſtium emiſſi: hoſtiumque audaciſſimi intra munitiones arcis nemine opinante ducti, conſpectique: contra quos dùm præſidium concurrit, trepidat, deſperat, priuſquàm extrema vis ingrueret, arx deditur exeunte Martio. Præſidium omne cum præfectis incolume dimiſſum rectâ ad Edſardum Auricam proficiſcitur: eôdemque etiam, ſpe diluendæ infamiæ, (ſecretò enim res geſta) Riperbuſcus ipſe magnifico ornatu ſplendens oſtendandæ fiduciæ ſeſe confert. Miniſtri ſceleris duo eum ſecuti, à ſatellitibus Edſardi, ad quos ex rumore indicium rei geſtæ pervenerat, indignitate ſceleris percitis, fervidiùs quàm prudentiùs, in itinere, trucidantur. Riperbuſcus nequicquàm tueri ſe volens in coronâ militari ab Arnoldo Stracholto & cæteris convictus facinoris, in cuſtodiam datus, & quæſtioni admotus, in vinculis vitam claudit. Apud Grimershemium ſcriptum eſt, Hugonem Leiſnicenſem ex commilitio olim Edſardo notum, cùm omnium rerum copiam in arce captâ inveniſſet, ludentem ei ſignificaſſe, curaret impoſterum, ut ſinapis copiam præſidiorum præfecti haberent, ne ejus defectu deditionem cogerentur facere. Principes arce potiti, eâ præſidio & commeatu munitâ, cùm ſcirent Edſardum magnas & firmas copias paratas habere, & loca idonea inſediſſe, diffiſi copiis ſuis præſentibus, ac ſolo, & cœlo nondum rebus illîc gerendis idoneo, ideoq; nec in interiora ire auſi, maximè ſtante ſacro Paſchate, & conſumptâ jam proditionis ſpe, cæteri in Oldenburgios, Hugo in Ieveranos & Eſenſes ſe recipiunt: cohortes etiam aliquot magnis itineribus per Monaſterienſes & Drentinos ad Georgium mittunt. Is prioribus diebus muniendo cœnobio Eſſeno intentus, ubi ei rei modum dediſſet, & cæteris quæ fieri volebat conſtitutis, conficiundo tributo in Friſios Translavicanos conceſſerat. Quo vixdùm profecto, Principes militiæ ipſius, copiis repentè in Fivelingios miſſis, occupato illîc cœnobio novo, & armamentario reliquoque apparatu ad invadendam Dammonam ibidem conſtituto, cohortibus indè eductis, ut Amaſum flumen illâ parte in poteſtate haberent, caſtellum Delfſilæ ab Edſardo inſtitutum, ſed nondùm abſolutum, pulſo præſidio, occupant. Hinc Farmſumanam arcem proximam, mox Oterdumæam, demùm fanum Reidanum, omnia in orâ Amaſi uſq; ad Dullarti initia, uno velut curſu invadunt, capiuntque. Simul navis ingens bellica cum claſſe infirmâ minorum navium Amaſum ſubvecta, trajectum obſervans. Hæc biduò antè deditum Freburgum geſta. Edſardus duobus incommodis ſimul acceptis, quanquam dolore perculſus, & in diverſa diviſus, non tamen abijciens animum, aut ſe deſerens de inſtaurandâ fortunâ cogitat. Mox optimum factu ratus, inopinantes & variis locis procùl inter ſe deſiunctos, in Tranſamaſanis opprimere, ſervatis diligenter omnibus locis, unde trajectus in Groninganos eſt, ne quid enunciari ad hoſtes poſſit, ſummâ celeritate naves XL parat. His impoſitos ſtipendiarios milites DCCC, & promptiſſimum quemque Emdenſium,

& his

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

&bis mille ſelectiſſimos è plebe ruſticâ rebus militaribus inſuetos duce Ottone Diepholdio viro fortiſſimo Amaſum traijcit, per hos Reidâ primùm hoſtes exturbat, inopino adventu perculſos, dein Oterdumæam arcem, item Farmſumanam nullo negocio recuperat, caſtellum Delfſilanum fugâ deſertum capit, denique tantum terrorem fundit, ut totâ eà in ora pugnandi causa hoſtium ſtaret nemo, omnes verò, deſertis rebus omnibus; fœdiſſimam in fugam ſe conijcerant. Fugientium aliquot cæſi, ſed multò plures capti non ſolùm milites, ſed ruſtici quoque ex Translavicanis, Langowoldiis, Fredowoldiis, & vicinis, in cœnobio novo præſidio apparatui collocatis. Tormenta omnia cum reliquo apparatu intercepta. Captivi Dammonam ducti in quibus Hieronymus Maſius & Nicolaus Vlmenſis centuriones nobiles. Fuit id pridiè Non. Aprilis. Poſtero cives Groningani hujus rei famâ excitati, aſſumptis militibus ſtipendiariis portis eſſuſi, ut fugientes interciperent, Winſumum uſque excurrerunt: ſed nemine deprehenſo, Huneſo jam à fugientibus ſuperato, ne nîl agerent illîc, molam cum frumento multo, incendio perdiderunt, commeatum omnem inventum, & quicquid præterea poterant, ex quo uſus aut commodum hoſti, diripuerunt. In regreſſu quoque horreum ingens Saverdiæ, quod Eilconis Onſtæi erat, injecto igne conſumpſere. Tùm ex itinere impetu in Suidwoldios verſo, qui ſunt urbi proximi, vallum circùm fanum inſtitutum ab hoſte, ſed adhuc non perfectum invaſerunt, cæſóque præſidij præfecto cum gregariis duobus, vî ceperunt. Reliquum omne præſidium capitum ad XL cum tormentis minoris generis captum. Quibus auditis, qui Eſſenæ erant Saxones, metu perculſi, deſerto loco, in caſtra Adoardia poſtridiè ſe contulere. Intereà Edſardus ſtatim ſuos ſecutus, vallo Delfſilano perficiundo ſummum ſtudium adhibere, operi præſidióque præfectum dare Ludolfum Taggium hominem militarem, cohortes è ruſticis ſuis confectas, ne quis laborantes in opere turbaret, Farmſumi collocare, ipſe cum ſtipendiario milite Dammonam primùm, deinde rebus illîc conſtitutis Groningã pergere. Illîc caſtellum ligneum è trabium contextu, quod Saxones Eſſenæ paraverant ut Delfſilæ conſtitueretur in orâ amnis, ſolutum Delfſilam devehi, atque illîc ſuum in uſum ſtatui jubet: ſimul vallum Eſſenum,& Suidwoldicum dirui curat. In his turbis colloquium tandem coit Hornæ in cœnobio inter Eberhardum Conincſteinium & Edſardi cos eodem illo die, quo eſt in orâ Amaſi pugnatum. Conincſtenio affuère duo jurecõſulti; ab Edſardo venêre Hicco Cankenius Dornumanus,Harco Suderhuſanus,& cum his Guilhelmus Fridericus ſacerdos, Petrus Sickingius,Ludolfus Coenderus, Gelmarus Canterus, duoq́ue plebis Groninganæ ædiles Ioannes Vfkenus, Sanderus Sadelmacherus. Illîc iteratis primùm iis, quæ Meppenæ erant propoſita, & iiſdem nequicquam utrinque jactatis, primus colloquii dies perditus. Poſtridiè cùm ventum rursùs eôdem, allato jam rumore pugnæ pridianæ, Conincſtenius cum Saxonicis haud leviter primùm turbatus, mox tamen recollecto animo propoſuit, cùm alia tùm hæc: ut ipſe cum præſidio, quanto opus putaret, in urbem receptus ſequeſter eſſet nomine Reip. Germanicæ, eique præſideret ad definitam uſque in judicio Camerali litém: Groningani Edſardo valedicerent: Edſardus Dammonam Saxoni traderet, eidem gubernationem totius agri dimitteret, præfecturam veterem ad parendum, jurandumq́ue in fidem ejus induceret: ſuas ditiones Cisamaſanas beneficio ejusdem Saxonis tenere ſe, velut Friſiæ univerſæ gubernatoris, profiteretur, eoq́ue nomine fidem apud eum juraret: adderet ingentem pecuniæ vim pro damno & impedimento rei gerendæ illato: denique arces pro pignore duas aut tres daret. Atqui, ait Dornumanus, non alia hæc ſunt, ſed eadem cum prioribus: quibus ſi aſſentiri Comes noſter, & nos poſſemus, hâc ratione non fuiſſet opus. Itaque ſi præter iſta nihil affertur, non eſt

M.D.XIV cur hic moremur diutiùs? Et jam ſpes penè perierat, abiturientibus cæteris, cùm Guilhelmus Fridericus tot jam annos in ſummis reip. negotiis verſatus, prora puppiſque conſilii publici, accedens propiùs, & ſolus juxta Conincſteinium aſſidens, petitâ dicendi copiâ, pro facundiâ ſuâ, à capite ad calcem decurrens, de jure civitatis in agrum, déque totâ causâ prolixè diſſeruit. Cùm peroraſſet, perplexus legatus: Mihi verò, ait, cauſa nota non eſt: æquum, ut Principem quoque pro ſe dicentem audiam: tu ſi benè mereri de rep. vis, mecum ad eum ibis Leoardiam: quòd ſi feceris, ego non ſolùm incolumem te ſiſtam tuis, ſed ſtudium quoque meum in tota re tibi probabo luculenter. Nec mora in Guilhelmo probante civitate. Profecti, ducem conſternatum primo rumore ſucceſſuum Edſardi, invenêre ſecundum quemque Translavicanum ad arma vocantem, jubentemque Collumi præſtò eſſe ad ferenda, ſi res poſceret, auxilia. Apud quem acceptâ dicendi poteſtate, intercedente Conincſteinio, cauſam dicere exorſus Guilhelmus, ſenſimque progreſſus, ubi liberiùs pro jure patriæ fari cœpiſſet, ille jam antè fortunà hoſtis turbidus, præceps ira atque exæſtuans loquentem obturbat, conatuſque pro ſe dicere, ut ſolet accidere vehementer commotis, impeditâ hærenteque linguà penè obmutuit: Pauca tamen in Edſardum acerbiſſimè, in fidem ejus invehens, ac velut impii capitis nomen non ferens: mox in civitatem quoque Groninganam ſtomachatus eſt injurioſiùs. Tùm Guilhelmus, quaſi trepidans, ad genua ſtomachantis ſe dimittens, Præfervida hæc verba ſunt, ait, illuſtriſſime Prin-
„ ceps, & plus æquo inclementia, commoti animi indicia. Sed peſſima conſul-
„ trix ira eſt, conſilii rationiſque rectæ inimica. Quapropter precor te, ut comprimas eam paulisper, & clementer placideque dicentem audias. Pone quæſo Principis perſonam ad breviſſimum tempus, & Guilhelmum ordinis quoque ſui oblitum cum Georgio liberè ac apertè pauca loqui patere. Quod ſi grave tibi, peto dimitti, atque in tuto ſiſti. Sic vix ſedatâ bile, favente legato, ſubmotis cæteris ſolus cum Principe legatóque ſedere juſſus. Ibi oratio ejus hujuſcemodi fuit: Non ſe veniſſe, ut de capitibus Hornæis diſputet, eáve refutet: eam quæſtionem ſæpè in judicio, ſæpiùs in colloquiis eſſe excuſſam: cauſam verò veniendi fuiſſe, feriò de pace uti agat, avertendiſque cædibus, ſtupris, incendiis, direptionibus, ac malis ſimilibus, quæ bellum ſolent ſecum trahere. Benè, inquit Princeps: ſed quæro te, cùm tam multa ſuperbè rejecta à vobis ſint, quæ propoſuimus nos, ut bellum averteremus, quam tu rationem tolerabilem nobis, veſtris hominibus gratam invenire te hîc poſſe putes?
„ Haud aliam equidem, reſpondet ille, quàm quæ æquum habeat: nam æquitate demptâ, quicquid etiam vis nonnunquam cogat, nulla coire pax & concordia firma poteſt. Tùm dux, hoc verò eſt, inquit, quod nos diſtinet, quòd nihil vobis æquum, niſi iniquum & contumelioſum mihi videatur. Simul Conincſtenius interponens ſe, moderataque ſuadens cùm calefieri animos cerneret, ſermonem abrupit. Inde multa rursùm de re dicta diſputataq́;. Poſtremò urgente eodem Conincſtenio in inducias conſenſit Georgius dierum XIV urgendæ huic rei, ſi placeret Edſardo: convenitque, ut hujuſce gratiâ Georgius Adoardiam, Edſardus Groningam venirent, res per legatos Dorcwerdiæ loco medio ageretur, arbitro Conincſtenio, initium fieret die XIIII Calend. Maij, interea à bello & rebus bellicis quies eſſet. Tum capita in chartam relata, colloquii & conatus hujus materia, cum induciarum legibus. Cum his Guilhelmus Groningam reverſus ipſis Idibus, deſperanti quàm ſperanti propior: oportunéque præſenti tradit, quæ acceperat, Hicconi Dornumano. Is Amaſo trajecto Emdam Auricamque ad Edſardum feſtinat. Eo probante, & ad eundum Groningam parato, induciæ publicatæ poſtridiè Paſchatos, exituræ Calendis Maij: eædemque Brunſvigio & Leiſnicenſi denunciatæ. Poſtero actio inchoata ex condicto, præſentibus omnibus, & eôdem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

eôdem loci ter repetita nullúmq; à Conincſtenio omiſſum ſtudium: Denique ne quid deeſſet, Edſardus ipſe cum Conincſtenio abſentibus Saxonicis congreſſus Selwerdiæ, ac res ſurſùm deorsùm in eos, audientibus Groninganis, verſata denuò ſed nullo profectu. Saxo quippè non ſolùm diminuebat nihil de his, quæ Edſardum popoſcerat antè, ſed plura quoque adjiciebat quanquam de Groninganis, ut animos ſejungeret, vafrè detraheret aliquid. Sic enim nunc: *Cedat Edſardus non ſolùm Groningâ, omnique regione vicinâ, ſed toto quoque agro Reidano, nec quicquam inter Lavicam Amaſumq; retineat, ſi pacem velit. Ciſamaſana ſic habeat, ut cliens domus Saxonicæ, & ſine hærede decedens ipſe, aut liberi poſterive ipſius, hæredem domum Saxonicam in his omnibus relinquant: ad hæc culpam ſupplex agnoſcat, & veniam roget: auri debitum remittat: ducenta inſuper auri Rhenani millia ſolvat: Friburgo cum agro cohærente in perpetuum renunciet: poſtremò pignora fidei tradat arces Berumanam, Stichuſanam, Orthanam.* Hæc ab Edſardo: à Groninganis iſta: *Vrbem arcemq; aperiant ſibi, præſidiumq; ſine modo recipiant: domum Principe dignam intra annum vertentem quo velit loco in urbe extruant; eo facto poteſtatem diruendæ arcis habeant: Ius tamen ſtatutáq; vetuſta retineant, nec Vltrajectino quoq; pactione hâc quicquam decedat: pro his quid viciſſim tribuendum ſibi, id ſtatuatur, ſe jam urbem habente in poteſtate.* Sed omnia hæc uno ore recuſata ab oppidanis, ut Sicco Beninga tradit. Ab Edſardo quoque priora rejecta: Horum loco alia ab eo oblata, dura quidem, & iniqua, ſed iſtis tamen æquiora ac leviora, ut ſatisfieret Conincſtenio compoſitionis peravido, & ampla de voluntate ſuâ pollicente, utque oppidanis rogantibus gereretur mos. In his de clientelâ promiſſum aliquid, deq; Groningâ atque agro Groningano, ut his pro Saxone Imperij Germaniæ legato Comes præeſſet, denique de pecuniâ Saxoni ex æquo & bono, judice Conincſtenio, numerandâ. Sed, ut dixi, fruſtrà jactatis omnibus, denuò tamen legatus Edſardicis oppidaniſq; excitis oſtendit triſtis, dolere ſe, tot labores ac moleſtias, tàm diligens ac longum ſtudium, tàm fidas & vigiles curas ſibi perijſſe: unum ſe petere adhuc, ut quæ æqua ac tolerabilia arbitrentur, expendant diligenter, & in chartam referant, ſibiq; mittant: ſe ſtatuiſſe Leoardiam ad Georgium redire, tentatiſq; cum eo extremis, rectâ reverti ad Cæſarem, Quibus acceptis, ab Edſardo Senatúque deliberatâ re, multiſq; in omnem partem diu jactatis demùm in hanc diſceſſum ſententiam, ut non Comitis, ſed ſenatus populique Groningani nomine capita ſcribantur. Eaque ſcripta ſunt hujusmodi. *Senatum cæterosque polliceri, omni ſe ſtudio acturos, Edſardo uti perſuadeant, ut mandato Cæſaris anno* M.D.XII *die* XI *Calend. Octob. Coloniæ ſignato pareat integrè: ut gubernatoris, ſeu legati regendæ Friſiæ pro Rep. Germaniæ nomen ac honorem Georgio tribuat, hæredibusq; ejus: ut reſtitutis ac receptis omnibus hoc bello ablatis, atq; in his arce Freburgiâ, agroq; Tranſiadano & Stadlandis, cõditionibus æquis clientelam ejuſdem ut Reip. Germaniæ legati, aut Friſiæ gubernatoris, non ut principis Saxoniæ, ex patrÿs ditionibus profiteatur, eiq; fidem juret: ut agrũ Amaſo Lavicâq; clauſum exempto, aut clientelæ lege, aut pignoris modo teneat, & hujus ergò præter priora, quæ jam ante ei Georgius ex ſyngraphis debet, inſuper aliam pecuniæ ſummã ex æquo & bono Georgio pendat; vel ſi & id diſpliceat Georgio, ut agro cedat ex pacto, ſed conditionibus æquis & ipſi civitatiq; Groninganæ tolerabilibus: ut urbem Groningam itidem ex conventione tabuliſq; ſignatis tradat conditionibus ſimilibus: poſtremo ut fidem literarum pactorumq; cum Alberto ac Georgio integrè ſe ſervaturum recipiat, ſi modo reciprocè id fiat à Georgio.* Sed accidit heîc, quod ſolet mortalibus in magnis rebus urgente diſcrimine accidere. Quòd placuerat modò, paulò poſt rurſum diſplicuit propter periculũ, quod exiſtere ex eo poſſe metuebant. Itaque omiſſo hoc toto cõſilio per literas reſponſum Conincſtenio in hunc modũ: Cauſam in colloquiis abundè agitatã, horumq; haud dubiè memorẽ ipſum, ut ſcripto hujusmodi novo non videatur opus: ſi quid tamen ipſe reparandæ paci queat reperire, non ſe ei defuturos, arbitriumq; bonorum ac ſapientum non recuſatu- M.D.XIV

M.D.XIV ros. Atque hoc poſtremum actorum cum Conincſtenio fuit. Mihi verò capita hæc noviſſima, licet exhibita non ſint, nihilominùs, quoniam oſtendunt, in quibus belli paciſque cardo verſus tum ſit, libuit heic integrè recitare, ut vel hinc conſpici poſſit, quouſque demiſerit ſe Edſardus, & quanta vel iniquitas vel ſtultitia Saxonum fuerit, qui iſta recipere noluerint. Inter quæ medio menſe Aprili Cæſar Groninganos contumaciæ accuſatos, ſed inauditos indemnatoſque proſcribit. At Georgius, quos Collumi per dies aliquot in armis habuerat, induciis fretus domum dimittit ſimul cenſui ex Translavicanis conficiundo ſe dat, ejuſque causâ Leoardia in ordinum conventu ad XII diem Calend. Maij varia proponit: imprimis ab ordine monaſtico & ruſtico curruum equorumque numerum certum poſcit vehendis tormentis & apparatui, dein manum quoque armatam in præſidio locandam Adoardiæ, tantiſper dum milites ſtipendiarii, quos in agrum Edſardi mittere conſtituerat, abfuturi ſint, petit: ad hæc pecuniæ ſubſidium in bellum rogat, quadrantem redituum omnium ex prædiis ruſticis urbaniſque, quem ſolverent prædiorum domini, tantundem ferè colonos conductores. In priora duo conſenſum ſine morâ: pecuniarium ſubſidium multum diminutum. Nam VII ſtuferi, qui quadrantem continebant, ab ordinibus cæteris ad quatuor tantùm in ſingulos redituum aureos redacti, duo à ſoli dominis, totidem à conductoribus perſolvendi. Nobilitas queſta de impendiis hyemis prioris (nam Adoardiæ in præſidio fuerat ſumptu ſuo, aut, qui pro ſe eſſent, conduxerat) non ſolùm nil promiſit, ſed oblato libello per Goſſicum Iongamæum, Heſſelum Martenium, Kemponem Martenium, Petrum Cammingiam, Tiardum Burmaniam, Reniconem Camſtræum, Edonem Iongamæum principes ordinis, remiſſionem quoque vigeſimæ primæ, de quà ſuprà dictum, poſcere auſa fuit. His vero reſpondit Princeps, ſi nobilitas in hujus belli uſum milites alere vellet D. per menſes ſex, & in capita menſtruos aureos ejus regionis quaternos dare, non ſe recuſaturum, quod peterent. Sed nec hoc à nobilitate tùm admiſſum. Exeuntibus induciis Edſardus illuſum ſibi dolens, magnas copias ſubditorum ſuorum, itemque militem ſtipendiarium duce Ottone Diepholdio è patriâ evocat, ad hos ingentem quoque multitudinem è præfecturâ vetere, Duirſwoldiis, cæteriſque Fivelgoniis. Hos omnes Groningæ ſibi adeſſe jubet ad Calendas Maij. Cum iis cùm profugos ex agro ab hoſte oppreſſo, militéſque Groningenſium, & multò maximam partem civitatis Groninganæ ad hanc rem mirè alacris conjuxiſſet, ingenti complurium millium exercitu confecto, Adoardiam tendit, tormentáque ænea omnis generis, & reliquum apparatum oppugnandarum munitionum magnâ copiâ ſecum trahit, caſtra eo loco, cui aggeris Gaiconij nomen, ponit, rivo Adoardio navibus ſtrato, parteque exercitus traductâ, & tormentis aliquot loco idoneo conſtitutis, incipit murum cœnobij eminùs verberare, & cætera prolectandis ad certamen præſidiariis, aut in timorem conijciendis agere. Verùm erant illic in præſidio non minùs duobus militum veteranorum millibus, quibus animus non ſolùm in periculis fortis, ſed etiam omnium caſuum bellicorum callens. Hi totis copiis pugnæ copiam non facere, pauculos tantùm pro re & occaſione interdum emittere, perque eos velitationes minutas & ferè ſine cæde inire, cæteri ſe intra munitiones continere. Eo animadverſo Edſardici fulminare graviùs in portam & murum, nec tamen ob firmitatem operum multum proficere, ipſique viciſsim tormentis præſidii aſſiduis peti: Hinc ponte alio eidem rivo impoſito propiùs cœnobium juxta lavacrum conſilium habere transferendi caſtra ad occidentem cœnobii, atque iſtuc majore vi munitiones obſeſſoſque invadere. Sed priusquàm id effectum darent, Saxones re obſervatâ, quòd ſpeculatum iſtuc nonnulli ab Edſardo miſſi eſſent, validâ cohorte emiſsâ, locum caſtris deſtinatum, cui Langueræ nomen, incenſis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

incenſis diſſipatiſque ædificiis, vaſtum & caſtris inutilem fecêre. Itaque caſtra M.D.XIV majora loco quoque non mota. Caſtellum modò ad pontem lateritium majorem tumultuario opere excitatum, præſidiúmque ibi cum tormentis quaſſando muro & prohibendis excurſionibus poſitum. Tum omni vi duobus è locis in cœnobium fulminatum, muruſque hîc illîc deformatus, convulſuſque, nec minore vi boatúque tonitrua in Edſardicos regeſta ab imperterritis, minuſque omninò quàm credi poſſit, ſtragis hominum utrimque factum. Inter hæc Saxones eruptione factâ, primâ luce, ut caſtello minore, de quo dixi, præſidium eijcerent, ac tormenta interciperent, audaciùs ſe inferentes, tormentorum fulminibus feliciter rejecti, cladéque acceptâ trepidantes, perſequente præſidio, in cœnobium compulſi ſunt. Edſardus ipſe curâ æſtuare, in invadendo muro, quamvis lacero, fortitudine ac magnitudine præſidii, formidine tonitruum hoſtilium, latitudine atque altitudine foſſæ cœnobium ambientis tardari, regredi nullâ re effectâ turpe, & nomini ſuo haud congruum, ſine ſpe in diſcrimen dare exercitum, & cladibus obijcere, veſanum, morari diu & obſidere, bello inutile putare: hûc tamen inclinare maximè, deque dividendis caſtris, preſſandis obſeſſis, muro locis incurſui magis patentibus invadendo cogitare. Simul nuncij eum percellunt, Henricum Brunſvigium, Martem illum Germanicum, quem copias colligere audierat, jam nunc in itinere eſſe cum ingenti exercitu, Georgium Translavicanos centuriare, claſſem Saxonicam X navium viris armiſque egregiè inſtructam in Amaſum veniſſe. Quibus motus, die III Non. Maji exercitum omnem compoſito gradu Groningam reducit. Ibi non totum biduum moratus, animatâ civitate & cæteris omnibus, gratiiſque pro ſtudio & fide actis, demonſtratâ profectionis ſuæ neceſſitate, ac ſpe reditus factâ, ipſe, præmiſſis cohortibus ruſticis, quà proximum erat, in patriam, ipſis Nonis Dammonam cùm veniſſet, à ſuis de Brunſvigio certiora ac propiora edoctus, datis ad ſenatum literis Wilconem Friſium, Cornelium Funccium, Joannem Molanum cohortium præfectos, quos Groningæ reliquerat, celeriter cum cohortibus ſe ſequi jubet; Albertum Regem cum militibus itidem evocat, mandatque uti Dammonæ in præſidio ſit, eique manum ruſticam è præfecturâ veteri excîtam addit: ſenatui ſignificat, contractis omnibus copiis ſuis bonâ cum ſpe ad confligendum cum hoſte, & pro Friſiâ universâ ineundum certamen ſe tendere. Mox cum ſtipendiario milite Midwoldam in orâ Dullarti, atque indè, conſcenſis navigiis levioribus, evitatâ Saxonum claſſe, Emdam proficiſcitur. Hîc incredibili gaudio civium exceptus, armatâ celerrimè ſummo eorundem ſtudio claſſe numeroſâ, in Saxonas eam mittit, illos multitudine territos in fugam conjicit, Amaſo exturbat, quoſdam intercipit; tum cætera in tanto patriæ periculo curat, hûc illûc profectus præſidiis ordinatis, commeatu expedito, omnium hominum mentes firmat. Jam Brunſvigius & cæteri cum eo Principes complures cum maximo validiſſimóque exercitu, in quo M.D equites, incredibilis numerus peditum, omnes verſicolore veſte induti, ex agro Brunſvigio diverſiſque Germaniæ regionibus raptim collecti, in Friſiæ fines ingruebant. Cum his Oldenburgicæ copiæ, quas majores quàm pro virium modo ex hominibus ſuis confecerat Joannes Edſardo infenſiſſimus, in agro Oldenburgio ſejunxerât Freburgum cùm ventum, aſſumptis ibi majoribus tormentis, aperiendorum portuum, & parandæ commeatuum copiæ causâ in Godenſes & Cnipenſes agmen raptum: illîc Saxonica legio ſub imperio Hugonis Leiſnicenſis poſt occupatum Freburgum in eâ viciniâ morata, & Heronis Efenſis & Chriſtoferi Ieverani haud parvæ manus adeſſe juſſæ. Godenſis arx in orâ Iadæ, quia parùm munita, ex itinere à Brunſvigio capta, & diruta. Cnipenſis leviter tentata, formidine fœminarum ſtatim quoque dedita, præſidiumque exiguum, cum conjuge Folefi & comitatu muliebri, ſalvis rebus omnibus incolume ex pacto, dimiſſum. Ei arci

M.D.XIV præfectus cum milite Saxonico Henricus Groſius impoſitus. Ità convectatio
rerum omnium per portus Hocanum, Inhuſanum, Cnipenſem, Godenſem
Freburgicum ex Viſurgi & Iadâ extra diſcrimen poſita. Ibi omnes demum
copiæ junctæ exercitum tantum confecêre, ut multis ſæculis major in eâ Fri-
ſiæ regione viſus auditúſve non fuerit. Ad XX millia armatorum habuiſſe, &
in his lectiſſimum equitatum, & Principum procerúmque aliorum magnum
numerum Sicco Beninga cum primis fidus & harum rerum gnarus autor pro-
dit. Alii tradunt auxilia in eo fuiſſe, præter Brunſvigios & Saxones Hugonia-
nos, Luneburgica, Megalburgica, Pomerana, Lowenburgica, Holſatica, Gru-
benhagia, Bremenſia, Verdenſia, Mindenſia Oſnabrugenſia, Vltrajectina quo-
que, (nam Fridericus epiſcopus Groninganis & Edſardo infenſus tandem in
hos cum cæteris conſpiraverat) Oldenburgica, Stolbergia, Honſteinia, Tekeln-
borgica, Benthemia, & Comitum aliorum; & pleroſque horum non ſolùm
milites aliaque ſubſidia belli dediſſe, ſed ſuis quoque corporibus Georgio ac
Brunſvigio militaſſe. Et fama per manus ab avis tradita ait, non minùs XXIV
dynaſtas, aut ſacros præſules Edſardo tum bellum intuliſſe. Erat eo tempore
Edſardus Auricæ, & robur juventutis Ciſamaſanæ cum conductitio milite cir-
cùm ſe habebat, conſilia & motus hoſtium operiens, ſollicitus, noctes atque
dies rebus intentus, ſed animo magno erectoque; multa per Diepholdium vi-
rum induſtrium peregrino militi præfectum, plura per Vlricum Dornuma-
num bello acrem, & Victorem Friſium, & Hicconem Olderſhemium & Fo-
leſum Cnipenſem, plurima verò ipſe per ſe curans, eâque optimè curata pu-
tans, à quibus ipſe non abfuiſſet. Excitaverat verò caſtella aliquot locis ad
viarum anguſtias, paludibus cœnoſis aut aliis itinerum impedimentis arctatas,
ut eſt antè à me dictum, iisque fidorum & fortium hominum ſubditorum ſuo-
rum præſidia impoſuerat, impediendo hoſtium itineri. In his duo eâ in viâ,
quâ Auricam ex Oſtringiis & Harlingiis venitur, erant, ad Broecſetelam inter
invia & vaſta ericeta unum, non procul Merhuſio alterum, & hoc quidem
opere & naturâ loci & forti præſidio validius. Igitur cùm per exploratores
cognoviſſet, hoſtes Merhuſium, cœnobium iis in locis lautum, medio ferè mil-
liari Germanico Aurica diſſitum, iter habere, ut eos moraretur, cum exercitu
ſuo Broecſetelam, quâ via regia patebat, proficiſcitur. Dein certior factus,
Brunſvigium hâc de re monitum, declinato periculo viæ rectæ, per ambages
Ardorpam Middelſenioſque petere, eodemque contendere, ipſe compendio
uſus per Walinghuſios & Sandhorſtios rapto exercitu rurſus ei occurrit, juxta-
que caſtellum ejus loci conſidet, tum ſubitò tramiti anguſto antè caſtellum,
utrimque cœnoſâ uligine ſoli paluſtris compreſſo, quò tranſeundum hoſti ca-
ſtellum aggredi volenti, crates ligneas ingentibus è ferro dentibus occandis
agris armatas, magno numero inijcit, tramitemque equiti invium facit, caſtel-
li præſidium lectiſſimis viris auget. Quæ dum facit, ecce hoſtes advolant, &
trans tramitem loco aperto & ipſi caſtris poſitis, fulminare tormentis ingenti-
bus cartouuis, colubrinis, ſemicolubrinis in caſtellum atque Edſardicos ſub
dio tendentes incipiunt: idemque hi & caſtelli præſidium in illos faciunt, co-
nanturque ſe mutuò loco deijcere. Et cùm neutra pars cederet, aliquot dies
hoc certamen terribile ac funeſtum, raro militiæ exemplo, & veteranis quoq;
ignoto, penè ſine intermiſſione continuatum: ſimul aër omnis nitroſo fumo
velut atrâ nube obduci, & fragore ingenti tanquam terrifico tonitru miſceri,
proſpectus auditúſque pariter impediri, multi hinc inde eliſi, plures tamen ho-
ſtium, quo ipſi & numero majore & loco patentiore erant. Fremere Brunſvi-
gius, indomitæque feræ inſtar iniquo loco deprehenſæ ſævire, frendere, tu-
multuari, conſilii haud certus hûc illûc animo ferri, receſſum turpem, pro-
greſſum funeſtum cogitare. Tandem irâ doloreque percitus, vel cum ſtrage
ac pernicie ſuorum pervadere, & caſtellum adoriri ſtatuit. Itaque appellatos,
quos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

quos viliſſimos ſed æquè feroces habebat è plebe agreſti nuper conſcriptos, per aſpera & impedita in caſtellum propellit. Illi per tramitem, per uligines profundas connixi, quanquam obſtrepentibus tormentis, & in adverſos fulminantibus, ab hoſte ac principe ſuo pari penè formidine, in vallum magno numero involant: ſed à præſidio fortiter excepti, & tormentis Edſardi ſic diſpoſitis loco duplici, ut globis ſtringere duo valli latera poſſent, frequentes eliſi, poſtremò ab Edſardicorum fortiſſimis quibuſque accurrentibus, & ab latere ſe inferentibus occupati, cæſique corporibus ſuis foſſas implerunt. Periiſſe feruntur DCCC. Poſtridiè Brunſvigius haud fractus animo, ſed clade efferatus, primâ luce plures eôdem immittit, his ſubmittit alios, rurſumque alios, poſtremò vel totum exercitum, in diſcrimen adducere potiùs, quàm infectâ re recedere conſtituit: urget, curſat, clamat, amenti ſimilis, tot valla, arces, oppida, inquit, vicimus, tot exercitus fudimus, à caſtellulo vincimur? à plebeculâ paganâ contemnimur? Sed eadem præſidij virtus, eadem Edſardi vis & induſtria aſſiduo in ſubeuntes pugnantéſq; fulminans penè irritum ei etiam hunc conatum fecit. Cæcidêre plurimi, dùm accurſant, dum ingerunt ſe, dum vallum invadunt, ferè ut cadaverum multitudine foſſæ perviæ ſint factæ. Verùm cùm alij aliis aſſiduò ſuccederent, cùm alacritatem cohortium ruſticarum in invadendis oppugnantibus, legionarij Edſardici non ſequerentur, cùm pulvis quoque tormentarius exercendis tormentis in caſtris rareſceret, præſidiarij longo continuoque labore fracti, vulnerati, cædibus ad paucitatem redacti multitudine tandem ac vi oppugnantium ſunt oppreſſi, captóque caſtello, ad unum omnes ab iratis victoribus occiſi. Egericus Grimirshemius ſcribit, non ſolùm ſtipendiarios Edſardicos ſequi alacritatem ruſticorum noluiſſe, ſed diſciplinæ quoque militaris præfectum Hanſium Beccum, velut deſperantem de fortunâ, neſcio Edſardo pulverem nitroſum cum glebis & reliquo apparatu tormentario Auricam præmiſiſſe, tormentorúmque partem quoque circumegiſſe ad receptum: ita enervato ſubſidio, & impeditâ tormentariâ re caſtellum eſſe ſuperatum. Ego ut de militum ignaviâ haud abnuerim, ità de præfecti facinore tam pudendo, quia punitum non lego, credere non auſim. Edſardus tanto dolore ictus ob cladem virorum fide & virtute præſtantium, cùm parem ſe viribus jam non eſſe cerneret, incenſo Merhuſio, ne hoſtis ejus commoditate uti poſſet, compoſito gradu, ac fugæ nihil præ ſe ferente Auricam receſſit. Illîc vallidiſſimam fidiſſimorum militum cohortem CCCL capitum arcis præſidio ponit, eique turmam equitum addit, his Wilconem Friſium Hoijenſem ex nobilitate ſuâ præficit, commeatum & cætera ad tolerandam quantumvis longam obſidionem, & defendendam arcem neceſſaria curat: ſimul oppido quoque proſpicit pro tempore, centurias militum aliquot cum turbâ ruſticâ oppidanis adjungit, qui mœnia tueantur. Tùm omnes ad fidem ac fortitudinem cohortatus, cum cæteris, quos in ſtipendio habebat, equitibus peditibuſque, & legione ſuorum Emdam diſcedit. Intereà hoſtes tramite per otium ſuperato, caſtelloque altero ad Broecſetelam à præſidiariis deſerto, Harlingiorum & Oſtringiorum ſtudio diruto, Auricam agmen vertunt prædæ avidi. Quo viſo, qui in oppido erant, eo deſerto direptoque præproperâ formidine, Comitem ſunt ſecuti. Mox arcis præſidiarij in oppidum decurrentes, quicquid illic reliquum, in arcem transferunt, oppidumque totum incendio dant. Brunſvigius oppido in flammâ aut cineribus reperto, nec ullâ re ad uſum inventâ, contemplatuſque arcis ſitum & munitionem, ac difficillimam oppugnationem ejus fore videns, indignans inde decedit, totúmque agrum Auricanum populabundus pervadit vaſtatque, Mormerium viâ Spetzæâ petens. Eâ ſuperatâ Bacbandinis, Heſelanis, Holtlandinis ex itinere direptis, die XIII Calend. Iunij Filſumi ipſe in conſpectu Stichuſæ, ejus invadendæ causâ, conſidet, Oldenburgium, Eſenſem, M.D.XIV

M.D.XIV Ieveranum diverſo à latere versùs orientem Deteræ & Veldæ caſtra ponere jubet. Indè propiùs ſuccedens, vallis ſubitò jactis, tormentiſque locatis, deditione negatâ, fulminat in arcem vehementer noctes atque dies, & vallum turrimque ruinis fœdat, mox militem immittit, oppugnat leviùs, ſed nihil efficit. Demùm terrendi causâ omnes penè copias educens captivas fœminas & liberos eorum, qui in arce erant, antè aciem ad foſſam propellit, per id agmen in foſſam actum ſe ſuos inducturum minitans, niſi deditio fiat. Quis facinus metueret tam barbarum? quis non tantâ calamitate ſuorum commoveretur? Itaque præſidiarii indigenæ perculſi animis, ac munitionibus quoque tenuibus diffiſi (nam exile vallum, & foſſa haud magna tantis ſuſtinendis copiis non erant) cum cæteris locuti, ſigno dato, die VI Calend. Junij ſub veſperam arcem dedunt, rebus corporibusque ſalvis. Populatio effuſa ſecuta. Hinc agmen in Lenganos ductum: arx ejus loci inviſa Oldenburgio finibus ipſius appoſita, aditu difficilis, viâ unicâ & arctâ, vallo & foſſâ firmiſſima, obſeſſa, tormentiſque verberata, procurſu aſſultúque militum quoque tentata, ſed fortiter aliquandiu à præſidio defenſa: mox ubi major vis parata, & ſubſidium ab Edſardo, loco tam remoto, deſperatum, hoſti etiam permiſſa, ſeptimo poſt Stichuſam deditam die.Ità ora illa omnis Oldenburgiis finitima cum Auricanis hoſtium poteſtatis facta. Eodem tempore, quo hæc à Brunſvigio geſta, Georgius Princeps diverſo quoque loco ſe commovit. Ejus juſſu, qui Adoardiæ rebus præerant, copiis novis aucti, manu ruſticanâ, quam è Langowoldiis, Fredowoldiis, Hummerziis, Medachiis evocârant, cum cohorte unâ militari cuſtodiæ caſtrorum impoſitâ, cum legione ſuâ, relictâ procul à dextris Dammonâ, Delfſilam contendunt: caſtellum ejus loci magnâ vi invadunt capiuntque, ſegniùs, quàm par erat, à Ludolfo Taggio præſidii præfecto defenſum: Taggio cum multis elapſo, cæteros pro loco pugnantes trucidant, vallo disjecto, ædificiis incendio datis, proximos vicos V. diripiunt, vaſtant, exurunt. Ita prædâ graves Warfumum, indè Winſumum, mox Adoardiam revertuntur, ibique Georgium Principem inveniunt, cum comitatu illuſtri. Is edictum eo tempore publicat, ut qui intra milliare ab urbe Groninga domicilia habent, ea deſtruant ipſi, atque aliò ſedes transferant. Id conſilium initum impediendi commeatus causâ. Sed huic edicto Vdo Coldenborgius & Groningani aliud opponunt, ut idem faciant, qui extra proximum milliare quaquá verſum habitant: utrumque ſine ratione, & obſequio penè nullo. Mox à Georgio ad diem VII Calend. Junii ruſticana multitudo, cum ligonibus præſtò eſſe juſſa, ipſe pridiè cum exercitu, quem quatuor ferè millium illîc tum habebat, ducto ſecum Henrico Luneburgio principe, Philippóque Grubenhagio, invadendo caſtello Hogekerchio Adoardiâ egreſſus, rivo intermedio ponte conſtrato, traductóque exercitu cum tormentis & reliquo apparatu, editiore loco ad fani latus occidentale primis tenebris conſidet, ubi vallum repentino opere per noctem excitat, ex vallo poſtridiè ſummâ vi tormentis in caſtellum fanúmque fulminat, omnia præſidio intuta reddit. Quâ re cognitâ Groningani portis ſine ordine effuſi, ut auxilio ſuis ſint, in aperto ſe oſtendentes, nec tamen quicquam tentare ampliùs, aut propiùs accedere auſi, ſub veſperam in urbem ſe referunt. Idemque faciunt poſtridiè. Tum concidentes animis, qui in præſidio erant, deſperatâ ope, eodem adhuc die de deditione colloquium petunt. In quo Saxones frequentes vallum ſubeuntes, priuſquam de conditionibus conveniri potuiſſet, caſtellum vî occupant: Præſidiarii omnes ſine cæde in poteſtatem redacti, Adoardiam in cuſtodias miſſi: ex his, qui ejus viciniæ ruſtici erant, ſuſpendio territati, ſed talionis metu ſervati, cum oppidanis in cuſtodias Translavicanas tracti, cæteri ſtatim redempti. Caſtelli capti vallum diſturbatum, fanum ſublatis ſacris incendio datum, turris in præceps acta. Res geſta eodem die, quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

quo Stichuſa Brunſvigio dedita. Ita duplex vulnus eâdem penè horâ Edſardo M.D.XIV
illatum. Ad eum litteras hoc ipſo tempore dederat Guilhelmus Fridericus,
petiiſſe colloquium ſuum antiſtitem Adoardium; arbitrari ſe, eum de indu-
ciis rurſum acturum; cupere ſcire, quid ſibi agendum. Huic reſpondit eodem
illo infortunato dio Edſardus, copiam ſe cognoſcendi voluntatem antiſtitis
facere: qui ſi priora repititurus ſit, haud dubiè non defore illi, cui mens ſua
nota, reſponſum commodum: ſin nova allaturus prioribus æquiora, velle ut
quam celerrime ea ad ſe referantur deliberandi causâ cum ſuis: eo facto, ſine
morâ ſeſe ipſum ſenatúmque de voluntate ſuà certiorem facturum: ſimul
nunciare, Brunſvigios Stichuſam jam octavum diem obſidere, & tormentis
concutere: præſidiarios adhuc ſe defendere: eventum incertum in manu
Dei eſſe. Paulò pòſt de ſucceſſu hoſtis utriuſque acceptis nunciis, Lengam
quoque oppreſſam, Nordanum agrum ab Eſenſe poſt captam Stichuſam ad
ſuos reverſo affligi, eódem Brunſvigium iter habere, infælicem patriam qua-
quaversùm hoſtilibus injuriis patêre, claſſem inimicam in Amaſum redire, in-
genti dolore percuſſus, conſilij incertus, ſenatu procerum cæterorúmque
convocato, cum gemitu & lachrymis fortunam patriæ deplorat, innocen-
tiam ſuam, hoſtium iniquitatem, vim, ſuperbiam exponit; quid facto opus
putent, dicere rogat; ſe ad omnia offert pro patriâ ſubeunda, non pericula,
non exilia, non alia graviora recuſare, ſanguine quoque ſuo paratum mala
ejus redimere: Vix fidem invenit, quàm effuſis ſtudiis omnium ſit auditus:
ſolari eum & erigere certatim, operam & fidem deferre, creſcentem potiùs
quàm deficientem in adverſis: ſupereſſe tot munitiones, tot fortes bello ani-
mas pro fortunà ejus patriæque in mortem quoque paratas: & vivere ac re- "
gnare Deum juſtitiæ vindicem, ſuperbiæ ac injuriæ ultorem: fortunam lu- "
bricam, mutabilem, fallentem fidentes elatoſque: multos gravius preſſos "
emerſiſſe rursùm, & gaudia ex hoſte cepiſſe. Tum ille gaudio in lachrimas ef- "
fuſus: Vtinam, inquit, hoc mihi tribuat Deus, ut pro fide iſthâc & ſtudio gra-
tiam vobis referre queam: id mihi, ad fortunam fuerit ſatis. Simul animi om-
nium in curas propoſitas verſi. Erant in conſilio ex nobilium ordine Hicco
Mauricius Dornumanus, Vlricus Sibonis F. Dornumanus, Victor Friſius,
Hicco Oldershemius, Folefus Cnipenſis, Poppo Manninga, Dido Manninga-
ex cæteris Guilhelmus Vbbena Cancellarius, Harco Suderhuſius, Nicolaus
Hattenus Emdanæ arcis præſes, Habbo Harenius, Eddo Vffenus Conſules,
Vdo Meijeus, Rembertus Vbbena, ſenatores: tum prudentiſſimi quique alio-
rum ordinum. Res in conſilium miſſa ardua & inexplicabilis: quacunque ſe
cogitationes verterent, difficultates offerri maximæ, patria fathiſcens, & præ-
ſentis auxilij egens, hoſtium potentia immenſa, contra quam magis voluntas
ſibi & animus, quàm vires: eorundem hoſtium gratiâ omnium aures clauſæ
per Germaniam, Cæſar ipſe calumniis averſus iratúſque & implacabilis, pro-
ſcriptio acerba: in Groninganis quid opis, alienæ opis indigis? alia omnia &
longinqua & periculoſa: hoſtis libidini ſubjicere ſe, intolerabile, nec quic-
quam tàm durum, quod non ei anteferendum. Sola Geldri mentio animos
videbatur erigere, ſed res propiùs expenſa rurſum ſollicitos & anxios eoſdem
relinquebat. Nan incertam voluntatem ejus, & ut non ſit, vires tamen tan-
tæ potentiæ impares: nomen quoque inviſum toti Germaniæ ob factionem
Gallicam: ideo auxilium quoque ejus cumulandæ apud Germanos invidæ fo-
re. Denique ampliata deliberatio. Poſtridiè, altero à Pentecoſtes, cum vide-
rent omnes, aut à Geldro petendam opem, aut in poteſtatem hoſtium veni-
undum, principe Hiccone Mauricio Dornumano in prius omnium ferè ſen-
tentiis itum. Sic namque cenſebant, ubi vis & neceſſitas premant, illîc quam- "
libet eſſe honeſtam rationem expediundæ ſalutis: nec culpabilem eſſe occipi- "
entem aliquid, quo ſe ſervet, ſed eum potiùs culpæ ſe affinem facere, qui huc "

 illum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.D.XIV illum neceſſitatis adigit. Decretum, ut Edſardus ipſe quàm poſſet celerrimè ad Carolum Geldrum contenderet. Eo ſine morâ profecto, & Vlrico Dornumano, qui bellum intereà curaret, legato relicto, Brunſvigius ab Herone Eſenſi rogatus Spetzâ rurſum transmiſsâ per medios fines Auricanos, Auricà ipsâ ad ſiniſtram relictâ, Dornumum cum exercitu contenderat, ut arces ejus loci tres Heronis conſilia morantes in poteſtatem redigeret. Erant earum arcium duæ penè nullo præſidio armatæ, tertia manu virorum fortium, opereque lateritio ac foſsâ peramplâ egregiè munita, cui Hicco Mauricius dominus. Quam cùm tormentis ingentibus quatere hoſtis cœpiſſet vallo terreo nudam, Gerardus, qui in eâ curabat, Hicconis fratre natus, militiâ egregius, operi lateritio contra tantam vim diffidens, & majore quàm pro re exercitu ſe cinctum cernens, deditionem facit. Arx Eſenſi quater mille aureos, quos ea pro operâ promiſerat, ſolventi data: reliquæ duæ Heronis Mauricii, & Remmeri Cankenij incenſæ, ſoloque æquatæ. Illi Izo frater nothus ab Eſenſi impoſitus cum præſidio. Ita in agrum Nordanum omnia populationibus ejus ſine periculo aperta. Gerardus præter expectationem Leoardiam in vincula miſſus. Indè populari longè lateque Brunſvigius, Nordam ipſam agri totius caput pervadere, agrum oppidúmque ingenti pecuniâ mulctare; hinc ſplendorem fanorum miratus Broecmeriam percurrere & peſſumdare, unoque curſu Auricâ repetitâ illic conſidére, & quod ſupererat, excidio dare. Mox Fanam, Bancſtedam, Ripam agmine rapto, ſic incedebat quaſi Vphuſam, Emdæque proxima invaſurus; ſed Ripæ flexo itinere, Oldershemum, quod in oculis erat Amaſo accubans, cœpit contendere. Id velut futurum ratus Vlricus Edſardi legatus, qui Oldershemi ſedem habebat, adjutus Hicconis Oldershemi ſtudio, cæterorumque operâ Monachobergæ, quâ veniendum hoſti erat, idoneo loco, paulò plus mille paſſibus Oldershemo ad Boream disjuncto, ſtagnis uliginéque obſito, pontem viæ impoſitum ruperat, & vallum ad emiſſarium tumultuario opere excitabat, in eo tormenta duo ingentia ab Emdanis ſumpta in adventantes dirigebat, aquarum clauſtris, Oldershemi, Petcumi, Emdæ adapertis, favente maris æſtu, humilia aquis operiebat. Ipſe eodem loco validam promptamque equitum & peditum manum ſub ſignis habebat. Quæ cùm vel neſciret hoſtis, vel contemneret, & recto agmine pontem peteret, inopinâ tempeſtate fulminantium tormentorum è vicino exceptus, patens, & ob illuviem compreſſiùs incedens, cum ſtrage ſe recipere coactus fuit: potuiſſetque majori clade caſtigari, trepidè & ſine ordine recedens, niſi pons ruptus perſecuturis & terga cæſuris impedimento fuiſſet. Eo conatu dejectus, quod alibi tranſitus in Mormeriam & Amaſi oram exercitui non pateret, ob paludum uligines, per ſylvulam Simonis, Ilam, Sandam, Wenam, Holtdorpios, Oldorpios, Spetzâ ſummâ celeritate repetitâ, in Mormerios ſe effudit, Lerámque hactenus ab injuriâ ejus immunem inſedit, Orthanam arcem vicinam invaſurus. Erat ejus arcis capiendæ peravidus Brunſvigius ob multas cauſas, déque facili eventu propè ſecurus: quippè quam præter naturam loci tenuiùs quàm pro famâ munitam eſſe audiebat. Nam & vallum exile infirmumque, recentis terræ ac fimi aggeſtu nuper modicè auctum, & foſſa perangusta, cujus labra molaris alæ tigno propè poſſes conjungere. Sed aditus uno tantum à latere patens, ſolo humili, Amaſusque & Læda ab occaſu, meridie, ortu vallum ſtringentes, deindè tormenta magna & multa cum apparatu, arma cætera, commeatuum copia, ſpes ſubſidii & gloriæ animos præſidio dabant. Erant in præſidio lectiſſimi quique ex Leranis & ruſticâ plebe vicinâ conſcripti, animis corporibúſque ad diſcrimina belli parati, & centuria militum peregrinorum præcipuâ virtute & fide, hi ſub imperio Ioannis Suſati, illi ſub Sibone Hoikenio Friſio arcis præfecto cum poteſtate ſummâ, cui collega juri dicundo pro more regionis adjunctus VBBO EMMIUS jureconſultus, patri meo avunculus, ac

mihi

mihi nominis autor. His omnibus eadem mens, extremos caſus ſubire. Itaque nequicquìm poſtulatâ deditione, caſtris ad collem Plytonis primùm, deîn alteris in orâ Lædæ oppido Leræ contiguâ Brunſvigius locat: mox propiùs arcem aggeres jacit & caſtella minora: illinc tormentis XVIII magnis per totos IX dies in arcem penè ſine intermiſſione fulminat, vallum turreſque lacerat, ingentes ruinas facit. Inter hæc Vlricus, quique alii à conſilio erant, conflato quantum poterant exercitu, ut ſuis animos adderent, hoſti nocerent, è regione arcis in agro Reidano interluente Amaſo caſtra poſuerant, aggeremque Amaſo objectum pro vallo habebant. His è caſtris tormentis duobus, quæ ex arce pontóne tranſvexerant, ſupervacaneâ præſidiariis, tranſverſa hoſtium caſtra infeſtabant, magnumque detrimentum apertis lateribus inferebant: imprimis in munitiones, invadendo vallo proximè arcem ab hoſte erectas, pilas cum pernicie hominum & operum torquebant, nec tamen à cœpto dimoveri ſeſe ferox & calidus Brunſvigii animus ſinebat. Ipſe ubique adeſſe, urgere, feſtinare opera dies noctesque, cophinos ingentes hîc illîc ſtatuere, & terrâ opplere, aggeres ex omni materiâ ſtruere, tormentorum magiſtris præcipuè inſtare. Vbi valli ruina ingens facta, ſtatuit in diem VIII Calend. Quintil. ſummâ vi arcem invadere. Sed pridiè ejus diei vergente jam ſole ſcribit Grimershemius, ipſum Brunſvigium petito impetratoque colloquio ad foſſæ labrum progreſſum, compellato, qui ſe in vallo offerebat, quæſiſſe, quis eſſet, quo cum loquendum ſibi, tum cæteri in præſidio militéſne an ruſtici: reſpondiſſe illum, Ioannes Suſatus ſum præſidii militaris præfectus: quid verò tu, dixiſſe Principem, gurguſtio huic, aut caveæ funeſtæ vitam cõmittas tuam? nec te dedes? tum rursùm illum, apagè cum ſermone ac facinore iſto, Princeps illuſtriſſime, & perſidis aut inertibus ea occine: nobis vel in necem durare pro domino noſtro, & pro hoc vallo ſtare, fixum: quapropter ſine morâ faceſſe hinc, abcede, abcede, & quantum libet, in nos vires effunde, ſenties qui ſimus. Simul honoris causâ primùm tormenta, tum tubas ſonuiſſe: iſtum in tutum ſe recepiſſe. Hinc jam virgulta, fœnum, ſtramen, fimus, crates, materia, tigna ſummo ſtudio comportari in caſtra, dein per tenebras in munitiones ulteriores deferri: tum munia in craſtinum omnibus deſcribi, reliquum noctis corporibus curandis tribui. Poſtero, primâ luce, ſigno dato, fervere omnia, fumus quàm maximus fieri, ſub eo, materia opplendæ foſſæ in eam congeri, conijci, tyro ex agro Brunſvigio conſcriptus verſicolore veſte notus in prima pericula agi. Ipſe Princeps hûc illûc curandis rebus volans, nullius induſtriæ ſine ſe ſatis fidens, in pericula quoque ſe ingerens. Nec minùs Hoikenus & Suſatus in arce ſuos hortari, & fortia facta fortibus verbis addenda nunc dicere, omnes animis intrepidis ad prælia ſe parare. In hoc primo tumultu, cùm ij, qui in caſtris Reidanis erant, eminùs vidiſſent, ad munitiones extimas curſus fieri, in his in equis quoſdam eminere, ſuſpicati oppugnationem parari, in vallum foſſamque tormenta dirigunt. At filius tormentorum magiſtri, adoleſcens annorum XV (Iohannes Iacobus ei nomen) exorato patre colubrinam flexam librat pro arbitrio ſuo, præfatus, in criſtatos & ſublimes illos (monſtrabat globum, in quo Princeps Henricus & Nicolaus Hermelingius militiâ celebris urgendis rebus intenti) ſe pilàm miſſurum, jactuque fælici medium Principi caput aufert, cerebrumque diſpergit. Caſus memorabilis, tam illuſtris opibus & gloriâ Princeps, tantus belli terror, tot periculis defunctus, tot potitus victoriis, toties fortunæ incerta expertus, acer, ferox, turbidus, ne ipſo quidem ſenio fractus, ingloriâ ac imbelli manu periens: exemplum ludentis in rebus hominum divinæ providentiæ, docens, in foribus tùm maximè exitium eſſe, cùm creditur minimè. Locus, quo cecidit haud procul arce, poſteris notus manſit. Perempto Principe concurſari illûc, corpus palpitans erigi, cerebrum craniumque diſperſum colligi, ſolum quoque cruen-

M.D.XIV tum tolli, cum corpore ferri in caſtris: in his magna ſtatim confuſio ac trepidatio, filii Principis agnatique, ut leonum catuli matre peremptâ, dolore, irâ, fremitu elati & turbidi: curſatio ad arcem, materiæ aggeſtio, & cætera oppugnationis paratæ, hærentia. Quæ quanquam eminùs viderent Edſardici, mirarenturque, tamen, quid id eſſet, ignorabant, ſtabantque omnes expectatione eventus erecti. Intereà ex caſtris hoſtilibus Friſius elapſus, qui ſolvendæ pecuniæ causâ venerat iſtûc, remque audierat, evectus deſiderio enunciandæ rei, contemptis periculis, Oldershemum, ubi tum Vlricus erat, caſtello ad cataractam excitando intentus, pervolat, quid audierit, viderítque exponit. Læti omnes, quanquam vix credere auſi, cæteris tamen per celeres nuncios id ſignificant, navigiúmque in arcem emittunt. Id enim expeditum, & penè quotidianum. Mox rumor fide celeriùs in omnes partes perlatus; ſpe lætitiâque Friſia repleta. Simul in caſtris hoſtium triſte ſilentium, paratus funeris pro copiæ temporíſque præſentis modo, in principibus curæ conſiliáque ambigua. Tandem placuit movere caſtra, infauſtumque locum relinquere. Igitur proximâ luce inter pericula & ſtrages, fulminantibus Edſardicis, tormenta in caſtra retracta, cætera diſceſſui parata, intelſtina Principis cum planctu præficarum in fano Lerano ad aram maximam ſepulta; reliquum corpus aromatis curatum, ut in patriam reportaretur. Hinc ſublatis incenſiſque caſtris, in omnia vicina fœdanda diffuſus exercitus, ingensque ab eo vaſtitas facta, cura ejuſdem Hugoni Leiſnicenſi cum arcium captarum cuſtodiâ commiſſa. Funus Principis per diœceſim Monaſterienſem ductum, comitantibus aliquot dierum itinere propinquis: indè ſtipatum equeſtri pedeſtrique catervâ ad uxorem miſſum, & majorum monumentis illatum.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XLVI.

QVÆ dùm cis Amaſum geſta, Georgius Saxo VII Idus Junii, emiſſis Adoardiâ militum copiis ac magnâ foſſorum multitudine, Selwerdum cœnobium rursùs occupat, munitiones inſtaurat, altera illîc caſtra premẽdæ urbi locat: ſimul Huneſo amni eo loco, ubi canalis ingens alvei fundum ſubit deducẽdis humili agro aquis majorum induſtriâ ſtructus, pontem imponit, cõmeatúmque inter bina caſtra expeditum facit. Indè caſtelli molitione nequicquàm ob viciniam urbis ad pontẽ altum tentatâ, in Germerwoldiũ fanum remotius ab urbe cohortem mittit, id opere ruſtico vallo cingit, ſacerdotis domo peramplâ hujus loci dirutâ, lapidibuſq; in rivum præterfluentẽ conjectis, aggeſtâq; terrâ, etiam illîc ripas jungit: ſimiliter Huneſum ſupra urbẽ tranſverſo aggere ſternit, itineráq; cõmeatui equitum peditumq; quaquaversùm in Werdenbraſſios uſq; expedit. At Edſardus in Geldriam cùm veniſſet, cum Henrico Gentano primùm, aulæ Geldricæ magiſtro, mox & cum ipſo Principe Carolo, Sutfaniæ cõgreſſus, variis exercitus curis, hinc fortunam ſuam ſuorumq; in extremis poſitam; indè

inde Principis poſtulata penſans, anxius, incertuſque diſcrutiabatur. Geldrus quippè Cæſari demuſque Burgundicæ infenſus, pronus erat per ſe in damna eorum. M.D.XIV Itaque occaſione lætus, haud neſciens, Saxonis fortunam Burgundi fortunam eſſe, auxilia oſtentabat, ſed ut ipſe Galli regis ſtudiis imbutus erat, ità Edſardum quoque in partes trahere nitebatur. Ajebat, haud leve eſſe, nec ſuarum rerum, tot Principum virorum odia opesq; in ſe vertere ac ſuſtinere, totamq; penè iritare Germaniam: majori ope eſſe opus: eam à Gallo rege paratam, modò nominis hujus conventioniſq; non pudeat: ſtultum verò in nomine hærere, ubi neceſſitas inſtet, quæ excuſet quoque majora: An tu majeſtate moveris eorum, qui te proſcribunt? & vereris, ne quid contra eos delinquas, quibus hoſtis es, quique omnibus mortalibus in prædam exponunt fortunam tuam? Iergo, & pudore hoc ſine me ſubſidiiſq; à me monſtratis ſalvum te præſta. Sed certa Edſardo mens, peregrino regi ſe non ſubjicere, cum Geldro verò paciſci, velut Imperij principe, velle, qui ſi velit vires ſumere aliundè, id ſuâ non referre. Quo animadverſo Dux vafer plura ſecum putans quàm dicens, & quæ nunc non ſuccedant, poſt proventura, ac rem ex re ſecuturam fidens, occaſionemq́ue negligere ſtultitiæ eſſe exiſtimans, flectit conſilium, & per eundem, quem antè dixi, Gentanum ſummæ apud ſe gratiæ virum in hæc cum eo capita paciſcitur. *Edſardus Geldro mittat* XL *aureorum millia, ſemiſſem ſtatim, cætera paulò pòſt: hac pecuniâ Gelder exercitum, quanto opus, paret, Saxonasq́ Friſiâ expellat: reliquos belli ſumptus ipſe ſuſtineat Galli ope: Groningam agrúmq Groninganum, & cætera Friſiæ in Flevum Edſardus teneat beneficio Geldri; Gelder, ſi velit, clientelam Galli profiteatur.* His conſtitutis, próq; eâ, quàm in præſens habebat, pecuniæ copiâ, equitibus CCL, peditibus totidem celeriter illic conſcriptis, Edſardus jam de morte Brunſvigij edoctus, magnis itineribus in patriam feſtinat. Simul Geldrus Michaëlem Bamelbergium Pomeranum militibus ductandis regi notum in Galliam mittit, qui militem & pecuniam petat, & cætera cum rege conſtituat. Intereà famâ vulgante venire Edſardum cum exercitu Geldrico, ei in occurſum miſſos ex patriâ equites peditéſque (id ut juſſerat Edſardus ità factum) ac pro ingenio ſuo falſa veris addente, qui cis Amaſum relicti erant à Brunſvigiis deducendo funeri iter ingreſſis, curâ anxij, ne quid ſibi accideret, ad Georgium cogitantes, in agrum Reidannm & præfecturam veterem, tranſmiſſo in tempore Amaſo, tranſeunt, præmiſſiſque litteris per celerem nuncium ſignificant Principi, quot numero ipſi ſint equites peditesq́ue, quid fama vulget, cupere ſe noſſe, quid faciundum ſibi, quóve loco conſidendum: adhùc vulgus militum tumultuoſiùs ſtipendia poſcere, præfectos pecuniâ diſtitui, rem parùm abeſſe à ſeditione: opus itaque, ut pecunia expediatur quamprimùm: alioqui peſſima quæque metuenda. Sed interceptis in itinere litteris, Groningámque perlatis, incerti hærentéſque per biduum expectatione reſponſi totam viciniam diripiunt. Indè à Principe juſſi prædis graves per Slochteranos, Crapſwoldios, Laræos ad Werdenbraſios, ab his per Drentiæ confinia ad Principem ipſum Adoardiam perveniunt. Iiſdem diebus, Saxonum claſſis Amaſum rursùm ſubvecta commercia impediebat, Dammonenſesq́ue ab Emdanis disjungebat. Edſardici id non ferentes, ingenti navium numero Emdæ armato & emiſſo, non procul Delfſilâ pugnâ eam acri invadunt, ſuperant, in fugam compellunt, binis navibus captis, binis tormentorum majorum fulmine in profundum merſis; in quibus ipſa prætoria. Eâ victoriâ partâ, CCC milites in adverſum litus expoſitos Groningam mittunt. At Sicco Beninga à Grimmershemio hâc in parte diſſentiens tradit, Emdanas naves quanquàm numero plures in certamine Saxonicis prægrandibus ac firmis ceſſiſſe, expoſitiſque militibus remeaſſe domum, milites nocturno itinere, decepto præſidio Garmerwoldio, poſterâ primâ luce Groningam veniſſe. Biduo poſt à

M.D.XIV Georgio perpetuis incurſibus diurnis nocturniſque inſiſtente, ſenæ literæ ſeditionibus movendis compoſitæ in urbem rurſùm miſſæ, ternæ ad tres ſacerdotes primos, binæ ad cœnobiorum antiſtites, ſextæ ad plebem: recitatæque omnes publicè, & irriſæ, frigidam ſuffundente Vdone præfecto. Simul ab Edſardo nũcius, haud procul abeſſe eum cum auxiliis: eodemq́ue die, qui erat Non. Quintil. cùm veſperaſceret, magnis itineribus connixus per Weſterwoldios, Winſcotanos, Brocæos, Slochteranos, Scarmeranos, idẽ is cum equitatu inſigni magnoq́; urbem ingreſſus, alacris ipſe vultu, voce, geſtu, ab alacri & gratante civitate eſt exceptus. Eumq́; cohors peditum antè lucem aſſequuta. Equites erant numero DCC præclarè omnes armati: in his CCL in Geldriâ conſcripti, ductore Rudolfo Lennepio; cæteri dudum ſigna Comitis ſecuti. Poſtero, eductis ex urbe tormentis Botteranâ viâ, & ubi extima mola, in Selwerdios directis, equitúmque CCCC ac peditum totidem acie ibidem explicatâ, rèliquis copiis omnibus ordine in plateâ Ebbingiâ intra mœnia diſpoſitis paratiſq́; Comes ipſe urbe egreſſus, prolectandis Saxonibus velites extraordinarios procurrere jubet. Nec ſegnes illi, Grubenbagio curãte, frequentes exeunt, machinas ſuas in adverſos producunt: fulminatur utrimque magnâ vî, concurſuſq́; velitum factus, cæſi ſtratíque tormentis multi, demum neutrâ acie ſe inferente utrâq; vero alterius ferociam expectante, ſine majore pugnâ in diverſa diſceſſum. Huic rei geſtæ Luneburgium Ducem, & Brunſvigios interfuiſſe, ad bellum jam reverſos Grimershemius prodit. Mihi id in dubiis. Quanquàm rediſſe eós ad id tempus in Friſiam, conſtet. Notatum quoque reperio, uxorem Erici Brunſvigii, ſororem Georgii ad maritum fratrémque in caſtra tùm veniſſe, Friſiæ videndæ cupidam: quâ luſtratâ, ubi tutum, ſalutatíſque ſuis, poſt diem XIV in patriam revertiſſe. De Brunſvigii ſepulti viduâ quod additum à Worperio, fide apud me caret. Intereà bellum lentè procedere, pecuniaria res Georgio anguſta fieri, nec Miſnia tãtis ſumptibus ſufficere ampliùs, nec Friſia pendendo tributo parata eſſe. Simul de Geldro rumor gliſcere, quanquàm fidei apud Saxonas penè nullius: (nam militem in Geldriâ nullum eſſe, nullum apparatum, omnia quieta ſpeculatores nunciabant) nec tamen nihil metus dare: etenim Principem verſutum, antè facere quàm dicere, & famam prævertere ſuêtum, inquiêtum, armis promptum; qui ſi bellum occipiat, quem ſumptuum fore modum? His commotus Georgius principes præfectóſque convocat, conſilium exquirit. Omnium una ſententia eſt, non ſedendo in caſtris; ſed caſtra oppidaq́; hoſtium invadendo, & maxima quæq; quanquam præcipitia & periculoſa capeſſendo, bellum gerendum: id impendiis maturiùs finiendis, & occupando belli Geldrici periculo futurum. Antè alios Henricus junior Brunſvigius ingenio, ætate, diſciplinâ paternâ ferox, ultionis avidus, moræ impatiens. Quid cunctamur, inquit, & tempus, ſumptuſq́ue perdimus? an pecuniâ adeò abundamus, ut in annum hîc alterum hærere, & penè otioſum alere exercitũ libeat? Labores & pericula fugienti domi vita agenda. Gloriam fructúmq; ex bello quærenti ardua & difficilia ſuſcipienda, occupandoq́; pericula, pericula ſuperanda; ſic & geruntur rectè bella, & finiuntur. Si Groningam caput belli adoriri non placet, in Dammonam impetum vertamus, aut trans Amaſum belli tempeſtatem rurſus effundamus. Nec me mors patris ità terruerit, ut propterea poſt alios potiùs quàm antè alios in diſcrimina ire velim. Cùm placuiſſet Dammonam adoriri, ingẽs apparatus ſummo ſtudio factus, copiæ ex omnibus caſtris, modico præſidio cuſtodiæ relicto, Selwerdiam, ubi Georgius erat, celeriter contractæ, tormentorum grandium ingens vis, pontium, ſcalarum, cophinorum, cratium, pulveris nitroſi, harpagonum, & quæ alia oppugnandorum oppidorum inſtrumenta, magna multitudo coacta. Iis expeditis exercitus omnis equitum peditumq́ue pridiè Mariæ Magdalenæ

XI Calend.

XI Calend. Sextil. Selwerdiâ Dammonam ductus. Oppidum erat haud contemnendo vallo clauſum, vallúmque in faſtigio loricam ex ceſpitum aggeſtu ad altitudinem penè ſtaturæ humanæ ſuſtinebat, erinaceus quoque ex validâ materia pedem valli cingebat, & extra vallum foſſa profundior quàm latior: portæ in vallo tres. Præſidium in oppido DCCC militum virorum ſanè fortium & egregiè armatorum, præter ingentem manum ruſticorum viciniæ iſtius, & oppidanos ipſos non minùs quàm milites bello paratos. His omnibus pro Edſardo præerat Otto Diepholdius, & ſub eo Cornelius Funccius cohortis veteranæ præfectus, Gerardus Cloeſterus veteris præfecturæ præſes, Eberhardus Ripperdæus, Eltco Levinius, Lobius Egeranus nobilibus locis nati: omnes magnis & intrepidis animis. Hi portis vallóque proſpicere, tormenta curare, materiam, machinas omnis generis, & quicquid tuendis munitionibus uſui, comportare, in eam rem nulli ſtructuræ ædificióve parcere, denique mutuò ſe ad fortitudinem cohortari. At Georgius Saxo, Henricus Luneburgius, Ericus Brunſvigius, Henricus junior, cum fratre præſule Mindenſi, Philippus Grubenhagius, Hugo Leiſnicenſis, Benthemius, Stolbergius locatis in conſpectu oppidi caſtris primis, dein curas partiti, complanatis nocturno opere foſſis incilibus, quibus totus ager in partes paſcendis armentis ſectus, Fivelam amnem infra ſupráque oppidum pontibus ſternunt, caſtra diviſa tribus locis ponunt, è caſtris in caſtra vias expediunt: Hinc tormentorum machinis, ubi maximè commodum, ſtatutis, ſimul operâ foſſorum aggeres obliquos jacere, & quàm proximè mœnia ſubire, ſimul horribilem in modum in portas, in mœnia cætera diverſis à partibus fulminare, imprimis maximam globorum vim, quâ illapſu effluxuque amnis vallum interruptum, in oppidum torquere, eâ re ingentem ſtragem domuum facere, multos mortales occidere, portarum compages quoque disjicere, atque iſtâc viam & vim volantibus pilis in oppidum patefacere. His addunt flammantes globos, teli genus horribile, & ignes alios mortariis effuſos incendiis diros, pervicaceſque. Contrà oppidani fortibus & obfirmatis animis terrâ, fimo, omni materiâ portas oppilabant, valli ruinas ſarciebant, omnibus incommodis, quantum poterant, ſummâ alacritate occurrebant, nec hîc virorum, aut fœminarum, non militum, non civium, non cæterorum ceſſabat induſtria, ipſi præfecti cunctis locis aderant, omneſque diviſis operis, locis, temporibus ad excipiendam pro mœnibus pugnam erant parati. Sic aliquot, repetitis terroribus, fruſtraq; expectatâ deditione, exacti dies, procurſus etiam nequicquàm tentandis animis in portas facti. Poſtremò, fortibus viris ultimam admovēdam vim Saxones rati, metuque inopiæ commeatuum ſtimulati, concubiâ nocte, quæ diem II Non. Sextilium ſequitur, eadem illa multo quoque quàm priùs atrociùs & vehementiùs iterare, pilas igneſque ſine intermiſſu jacere, ut in auroram uſq; aſſiduo fremitu fragoréque tonare, ac flammis fulgere aër videretur. Tùm terebratis rursùm portis valloque disjecto, in clamores ſublati, adſtrepentibus tubis, tympanis, armorum ſonitu, agminibus tribus in tres portas invadunt, cum horribili ululatu diducti in latum, quà vallum tormentis ceſſerat, in foſſam ſe injiciunt, vallum prenſant, ſcandunt, ſeſe mutuò incitant. Præſidiarii fortiſſimè reſiſtunt aliquandiù, ſaxis, tignis, contis, haſtis, gladiis, omnibus telis utuntur, imbrem piceum ferventémque aquam cum furfure in ſubeuntes effundunt, magnamque eorum multitudinem conficiunt, bis terque à mœnibus reijciunt. Sed inſtantibus ab tergo principibus imprimis Henrico Brunſvigio horrendum clamante, vincunt tandem oppugnantes, atque in oppidum pervadunt. Hinc clamor, ejulatus, cædes, ingens denique miſeria. Fuga in ædes ſacras, aut quò quiſque poterat, vel ubi tutum fore ſe, aut latere poſſe ſperabat, facta. Sed primo furore parſum nullis, præcipuâ Brunſvigii ejuſdem ſævitiâ: cujus audita vox, Cæde, cæde miles, & patri meo inferias mitte, M.D.XIV

M.D.XIV & voci manus reſpondens, cruentum ferrum vibrans. Non ad mœnia ſolùm, & in vicis, arcis, tectis cæteris, ſed in cubilibus puerperarum, in ipſis fanis ingens cædes patrata, multi in aris aut aras prenſantes, quidam in complexu ſacrarii, quo hoſtia conſecrata claudi ſolet, plures totis chori cellis trucidati, in loco antè chorum ſublimi & prominente, cui ab Euangelio nomen, haud pauci confecti, magnus item numerus in fornicibus ſacrarum ædium, in quos trepidi fugerant, à furente victore, atque omnia ſcrutante confertim cæſi, omnia loca ſanguine & cadaveribus fœdata, cruor largus per natantia pavimenta diffuſus: cuncta miſeriæ plena, quocunque oculi auréſve ſe verterent. Fœminæ etiam in publico repertæ, & puerorum pauci furore militum perempti. Eltco Levinius ingenti machærâ pugnans haud inultus periit: Cloeſterus in fano confoſſus occubuit. Centum quinquaginta, initio victoriæ hoſtium, ſuperatis mœnibus & foſsâ in fugam ſe ejicientes evasêre. Militum capti ducenti, cum paucis civium. Inter captivos Otto Diepholdius præſidii præfectus præter morem militiæ ob fortia facta compedibus oneratus, cum Cornelio Funccio Anhaltino in Hollandiam deportatus, & Medenblici carceribus clauſus; è quibus tãdem fugâ elapſus ad ſuos rediit. Captus etiam Molanus cohortis præfectus, ſed paulò pòſt dimiſſus non optimâ famâ. Sic enim Egericus Grimershemius à Diepholdio hæc omnia edoctus, cui perfamiliaris fuit: tripartito præſidio pro mœnibus pugnante, duas partes, quibus Diepholdius & Funccius præerant, locis difficillimis contra maximam hoſtium vim fortiter egiſſe, ter à vallo hoſtes depuliſſe, multos interemiſſe; at Molanum quanquam tutiſſimo loco curantem cum ſuis, ignavius re geſtâ, nullâ adhuc neceſſitate coactum ceſſiſſe, ſic oppidum captum; hujus rei præmio eundẽ è vinculis ſtatim ab hoſte dimiſſum. Nec aliter Lemgovius ſacerdos Groninganus, qui res ejus belli expoſuit. Gerardus Bolardus, Emdanæ juventutis princeps ingenio & virtute præclarus, in captivorũ numero Carolowitio militiæ Saxonicæ præfecto viro Bohemo traditus: ab eoque liberaliter habitus. Fœminæ etiam omnes, & pueri cuſtodiis traditi, & prodẽdis theſauris vel terrâ defoſſis, vel alibi cõditis torti: dehinc nudi & omnibus rebus egentes oppido expulſi: virginũ & juvencularum cæterarum pulcherrimæ militum victorum libidini ad tempus retentæ. Prædâ peramplâ miles expletus; domus totius oppidi fiſco Principis aſſcriptæ. Cæſorum omniũ numerus initus M.C.XXXVI. Georgius Princeps re benè geſtâ honoris causâ ſemet primùm in coronâ procerũ omniſq; exercitus cingulo equeſtri induit, deindè Henricũ Brunſvigium, & proceres plures XXX, in quibus Relefus & Wigboldus Euſumani fratres, Menco Hemſtræus: A reliquis Friſiis oblatus honos, infælici patriæ invidioſus, recuſatus. Fama victoriæ, & gaudium, mœror, ſpes, metus, ut quiq; partibus innexi, latè ſparſa. Pòſt oppido purgato, redeundi poteſtas & redimendi captivos & res copia oppidanis fugâ elapſis data per edictum. Redemptaque multa tàm ab his quàm à cæſorũ liberis aut propinquis. Sed plurima antè edictũ à milite diſtracta, pleraq; in Tranſlavicanos exportata. Hinc exercitus in diverſa reductus, Georgius cum ſuis Winſumum & Adoardiam reverſus, Brunſvigii cum cohortibus validiſſimis quinque, capitum M.D per Slochteranos in præfecturam veterem, hinc in Reiderios & reliqua Edſardi profecti. Præſidiarii equites D, pedites M Dammonæ relicti. Delfſilæ vallum quoq; opere ruſtico celeriter refectũ, & iſtîc præſidiũ pro loci modo poſitũ. Quibus omnibus Carolowitius Bohemus præpoſitus. Quæ dũ Dammonæ fiunt, alibi quoq; turbatũ. Conſpirarat jam antè cũ Saxone præſul Vltrajectinus, ut eſt priùs à me notatũ: ſed id erat occultũ. Pòſt cùm in Geldriã iſſet Edſardus, atq; hinc ſuſpicio & metus invaſiſsẽt vicinos, Saxonas verò graviùs perculiſſent, pleniùs & latiùs factum idẽ, fœderiq; inter hos inito Davẽtrienſes quoq; & Suollenſes invidiâ vetere

impulſi,

impulſi, nobilitáſque Iſalana fuerant aſſcripti. Ejus fæderis caput ferebatur, ut M.D.XIV
in diſcrimine opem ſibi ferrent mutuò Saxo, & ſocij hi militibus DC: exceptæ in eo Saxonis regiones in Germania interiore. Eo cognito (nec enim occuli poterat actum inter tam multos) tributum Drentinos popoſcit Edſardus, uti hoſtes. Hoc verò graviter ferentes Vltrajectini, quorum in ditione Drentini ſunt, Groninganos per litteras injuriæ ac malæ fidei arguerunt: ſimul Drentinos poſtulato parére vetuerunt. Itaq; negato tributo, Saxonibus cum exercitu Dammonam profectis, Edſardici occaſione prehensâ die VIII Calend. VI qui Iacobo Apoſtolo eſt ſacer, effuſi urbe Rodenam diripiunt, arcem Euſumani eo in vico à domino deſertam (Saxoni is militabat) incendio vaſtant. Mox cæteri Drentini Roldam & Anloam uſque exemplo territi tributum pendunt. In cæteros in recuſando perſtantes Beilanos, Runenſes Deveranos, Duingelanos, Meppelenſes, equites peditesque ad mille emittit Edſardus, hisque curruum magnum numerum adjungit. Per hos frumenti quantũ modum poteſt, conficit, precium nomine civitatis in incertum pollicetur: id bis ter iterat quàm celerrimè, tributum ſolvere cogit: denique nunnullos armis ſe opponentes fiſos Saxonicis è Friſiâ vicinâ auxiliis, longiusq; ſepoſitos graviùs mulctat, obſidéſque in urbem trahit. Tùm Groningani, poſtridie quàm Dammona ab hoſte capta, Vltrajectinis reſpondent in hanc ſententiam. Ipſos ſibi conſcios eſſe patrati fœderis cum Saxone hoſte: id notum nunc omnibus, nec ipſis negatum: ob hanc cauſam feciſſe Edſardum, quod fecerit, ſecutúmq; belli jus, atque hoc in denunciatione expoſuiſſe: videri ergò mirum, queri ipſos, qui non ſolùm fœdus ferierint cum manifeſto & capitali, adeóque acerbiſſimo hoſte Edſardi & civitatis, ſed ex fœdere quoque auxilia ei ferant, cùm ignorare non poſſint, qui in auxiliis hoſtium ſint, ac hoſtilia faciant eos pro hoſtibus belli jure haberi. Poſt hæc Georgio Adoardiâ Leoardiam profecto quærendæ causâ pecuniæ, comitantibus equitibus ducentis, manus ea, quæ Winſumi ab illo relicta erat, militum bis millium Selwerdiam à diſceſſu Georgij nuper vallo cæteriſque munitionibus per Groninganos nudatam ſubito incurſu occupat rurſum, operaque disjecta reficere inſtituit. Id ferendum non putans Edſardus altero die poſt (is tertius erat poſt Idus Sextiles) milites omnes, & maximam civitatis partem urbe educit, ut loco eos depellat, ſed nullo ſucceſſu; fatóne iniquo, an conſilij vanitate, ego non dixerim. Sicco Beninga conſilio imputat, quod velut ſparſos pluribus viis ſuos decurrere ſiverit. Senis quippè viis iviſſe ſcribit: militares tamen copias omnes equitum peditumque & ſclopetarios oppidanos uno agmine ad altum pontem perrexiſſe prodit, cæteros quinis ſemitis disjunctos. Et agmen quidem magnum cùm eo loco, ubi crux Cateria tunc erat, conſtitiſſet, tormentorum machinis munitum, Saxones ex cœnobio confertim progreſſi in apertum, velut prælium magnis animis inituri, tormentorum pilis in cœnobium ſunt rejecti. Mox ſummâ celeritate obſeptis aditibus cunctis, & ponte lateritio rupto, omnia ab ipſis defenſione parata, ſimul tempeſtas fulminantium machinarum in hoſtium aciem regeſta: ſic eminùs certatum aliquandiù majori terrore quàm pernicie, demùm nullâ ſpe ſucceſſus, Edſardici vergente die in urbem reducti. Illi caſtris locum retinuère. Grimmershemius in ipſo gerendæ rei momento ſcribit milites Edſardi ſtipendia conclamaſſe, cæptumq; turbaſſe. In Friſia Orientali intereà interceptis quatuor Saxonum navigiis apparatu militari & commeatu onuſtis, Dornumana quoque arx dedente Izone præfecto totmentorum fulminibus territo ab Vlrico Dornumano, & Hiccone Cankenio in poteſtatem redacta: præfectus captivus Emdam abductus. Eam ob rem Brunſvigij Reidanos cum Tranſlædanis depopulati eodem Herone rogante, iſtuc magnis itineribus profecti, & ſummis viribus arcem rurſum adorti, cùm eam occupaſſent, funditus everterunt. Indè copiis aucti comitante Eſenſi in agrum Nordanũ iterũ effuſi,

M.D.XIV tentato ex itinere Berumo arce Comitis, cui tum Haijo Hiccius pro præfecto præerat, Nordam prædabundi pervenere. Nordanis ingenti rursùm pecuniâ extortâ, ſpoliis onuſti, Broecmeriis petitis vexatiſque, pridiè Bartholomæi ſuperato loco hybernis aquis ſtagnante, quem Scottum vocant, in pulcherrimum & fæliciſſimum Amaſanum agrum incurrerunt. Hîc omnibus longè latéque direptis, ad quæ adire potuêre, permagnâ prædâ ac pecuniâ confectâ, toto agro incendiis fœdato, Emdanâ urbe declinatâ, per Hintanos, Suderhuſam, Vphuſam, Borſumum, Petcumum, Oldershemum petiêre, magnamque regionis vaſtitatem poſt ſe reliquêre. Hinc Mormeriâ repetitâ, militum parte contra vim Edſardicorum per Oldenburgios, Ieveranos, Hſenſes, diſpoſitâ, cæteris ad Georgium remiſſis, omnibus divite prædâ expletis, ipſi Principes in regionem quiſque ſuam ſunt reverſi. Scribit Sicco Beninga reliquâ omni ditione Edſardi hâc percurſatione hoſtium afflictâ, ſolas res Foleſi Cnipenſis, Victoris Friſii, Focconis Manningæ, ſoluto ſtipendio, manſiſſe intactas. At Groningæ cùm innotuiſſet fortè arcem in Midwoldiis Hermanni Benneconii, quam Saxo dudum circumvallatam præſidio in Groninganos munierat, negligentiùs haberi, ſolos XV milites in præſidio, nec præfectum alium, quam ipſum arcis dominum illîc eſſe, è cîvium numero alacerrimi CX, adſcitis ſibi militibus paucis, per noctis tenebras viâ ſuperatâ, antè lucem ſummo ſilentio in arcem evadunt, Hermannum ſomno excîtum cum præſidiariis tribus capiunt, cæteris in turri lateritiâ firmi operis ſe tuentibus, in quam confugerant, ædificium reliquum direptum incendunt. Ita ovantes cum captivis eodem die, qui fuit Calend. Septembr. in urbem redeunt. Hermannus poſt aliquot dies DCCC auri Rhenani numis ſe redemit. Arx à Saxone majori præſidio in futurum firmata. Hoc tempore ſtudio præſulum duorum Monaſterienſis & Oſnabrugenſis, & Comitum Lippienſis & Suartzburgici de pace rursùm actum, biſque præſentibus legatis eorum conventus habiti, ſed inani operâ. Simul Rudolfus Caſſius Groningâ ortus, Saxonis ſtipendia merens, cum L armatis Dammonâ Slochteram profectus, ac templum illic contra incurſus munire orſus, ab Edſardicis iſtuc repentè miſſis in fornicem templi compulſus, fumóque & igni ad dedendum ſeſe & ſuos coactus. Templum opere & præſidio munitum ab Edſardo, idémque templo in orâ Dullarti quatuor turribus ſublimi apud Midwoldios factum. Id commeatuum & commerciorum gratiâ inter Emdanos & Groninganos inſtitutum. Quòd quia inviſum Saxonibus, tres cohortes Dammonâ in Slochteranam munitionem emiſſæ, eæque ter repetito impetu invectæ in eam, ter cum clade ſuâ rejectæ ſunt. Erat jamdudùm, ut oſtendi antè, Geldri animus Georgio ſuſpectus. Nam & parens Albertus bellum in eum geſſerat, & ipſe Maximiliano ac domui Burgundicæ amicior erat, quàm Geldro gratum commodumque videbatur. Et placandi ejus causâ miſſum à ſe munus egregium initio belli hujus non eâ alacritate fuerat ab illo receptum, ut inter amicos & benevolos mos habet. Quapropter cùm iſſe ad eum Edſardum, conſiliaque cum eo agitata, etiam militum aliquid ab Edſardo colligi in Geldriâ Georgius audiſſet, timere ſibi feſtinare res in Friſiâ, voluntatem Geldri per literas quærere: ab eo reſponſum ferre augendæ diffidentiæ quàm minuendæ aptiùs, de commerciis negatis, de vî & injuriis: hanc ob cauſam reſcribere, nihil profectum in illum, nihil profecturum à ſe, niſi amicum: rogare, calumniatoribus amicitiæ inimicis & invidis ne credat: paratum legatos quamprimùm mittere de omnibus ei ſatisfacturos, ſi liceat: petere in finem hunc commeatus tuti literas. Sed eſt ambiguo lubricóque reſponſo rurſus à Geldro eluſus. Medio tempore Edſardus conficiendæ pecuniæ intentus, à reditu ſuo inter aſpera & adverſa tam multa, tot ſumptibus exhauſtus & oppreſſus, difficiliùs ac tardiùs eam expediit, quàm ſperarat ipſe, quamque cum Geldro conveuerat. Nam unde depromeret

ærario

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ærario peſſundato, theſauris effuſis, patriâ attritâ, amicis, quibus ſpem fulſe- M.D.XIV
rat, tonante fortunâ perculſis? Quis enim commodet, beneficiúmve fœnoret "
infelici? Et quos non cenſus, quàm non vim, & copiam glutit bellum? cui pe- "
cunia queat congeri, quem urget & obſidet famelicus & avarus miles? Col- "
lecta tamen aureorum Rhenenſium millia XIV, ut Geldri litteræ ajunt XVIII,
ut Grimershemius prodit, eaque quam ocyſſimè in Geldriam per Folefum
Cnipenſem miſsâ, & mora, minórque quàm pro pacto ſumma per eundem
excuſata, excuſatióque à Geldro admiſſa. Mox quingenti equites à rege Angliâ paulò antè dimiſſi, à principe conducti, miles conquiſitus. Tùm Henricus Gentanus aulæ Geldricæ magiſter ſummo apud Principem loco & gratiâ, Principis juſſu animandis Groninganis in hanc ſcripſit ad eos ſententiam. Interveniente conciliantéque ſe Principem ſuum pactum cum Edſardo, pollicitúmq; ei opem, ſi pecuniam ſtipulatam ab eodem acciperet: hujus partem expeditam tardè vix Idibus his Sextilibus ad ſe perveniſſe: eâ acceptâ ſine morâ æquites ab Angliæ rege dimiſſos quingentos Principem autoraſſe, eundem mox à conventione cum Comite homines ſuos ad Gallórum regem, aliosq; Principes amicos & cognatos miſiſſe, & equitum peditúmque copiam petiſſe: quâ acceptâ (id verò fore brevi, favente Deo) tàm valida auxilia ventura Comiti, ut is & ſe & civitatem Groningam & patriam omnesque adeò ſuos aſſerere ab hoſte, atq; in tuto locare, ac paci honeſtæ & bonæ reddere poſſit. De Dammonâ captâ cum dolore cognoviſſe, idque incommodum fortunæ eſſe non leve: rogare tamen, ne propterea dejectis ſint animis, neû in fide obſequióque erga Comitem nutent, ſed perſtent conſtantes, ceu fidos bonósq; deceat: imò ſi quos ſuorum civium cæterorúmve vacillare, aut ſeditioſa agitare conſilia animadverterint, eos ut firment ac revocent in viam: Polliceri ſe certò, & per has ſpondere literas, Principem ſuum nec Comitem, nec qui in fide ejus ſunt, deſerturum; idque rem ipſam demonſtraturā brevè, modò Comes pactis non deſit. Literæ non ſenatui, nec toti populo, ſed ſodalitatum plebeiarum præfectis fuêre inſcriptæ, qui plebem regebant. Nec ambigo, quin ex voluntate & conſilio ſenatus ac Edſardi ſint ſcriptæ. Nam plebs durorum temporum pertæſa, & exhauſta, & fame ſtimulata vix in officio cōtinebatur, & miles ſtipendia flagitans in pecuniæ inopiâ ne quid occiperet, quod perdundæ reipublicæ eſſet, prudētes metuendum putabāt. Hoc ſpei & ſolamini erat, quod non minor pecuniæ difficultas apud hoſtes eſſe diceretur. Nam Georgius exinanîtis dudum Miſniæ, Thuringiæ, Saxoniæ theſauris, Leoardiæ fatigare Friſios, omnes conficiundi æris rationes conſumere, nec ſolū tributum, ſed mutuum rogare, Hollandiæ quoq; mercatores multos ſpe quæſtus exhaurire. Worperius prodit, demonſtratū ei in comitiis, tributa anni hujus non æquaſſe modò dominorū reditus, ſed ſuperaſſe etiam, nec ſacris nec profanis ullis parſum: quinimò ſacerdotes fuiſſe, qui nec tributum nec mutuū dare Duci bellum non juſtū in Friſios gerēti voluerint, eosq; multorū animos ſecum traxiſſe: his per decanos, judices, deniq; fiſcales novos ad officiū cogendis haud parū difficultatis duci extitiſſe: & tamen omnia hæc belli ſumptui non fuiſſe ſatis: itaq; de aliis rationibus agitata cōſilia. Edſardus auxilii Geldrici ſpe difficultates ſuas ſuſtentans, cives militeſq; conſolans, ſed morâ anxius, & ſimul de reliquâ pecuniâ laborans, nunc hoc nunc aliud ſecū volutans diverſis curis æſtuabat. At Geldrus nactum ſe gaudēs, quod cauſari poſſet, & aliena pecunia potitus, vafer, verſutus, fraudem, fidem ſuſque deque habens, moram ex morâ nectebat, aliorum mala ſibi bono futura ſperabat. Ad hunc ab Edſardo remiſſus demùm Jodocus Hoijenſis (is nuper cum eo è Geldriâ Groningam redierat) Brunſvigiis, & Saxonibus infenſus oſtēdit, quæ fortuna partium, prioribuſq; rursùs excuſatis auxilia urget, rogat, precatur: nihil æquè ac maturato nunc opus eſſe, poſſe vel mediocribus copiis, & pro

M.D.XIV pecuniæ miſſæ modo, ſi in promptu ſint, res magnas geri, ac hoſtium vim
frangi: ſin juſto exercitu malit agere Princeps, atque hoſtes invadere, id qui-
dem accelerandæ integræ victoriæ fore: eâ partâ, pecuniæ ſecuturam co-
piam, omniaque futura proclivia: ſed in celeritate unâ cuncta ſita. Gelder
contrà ſe purgat, Edſardum culpat, ab eo ſe deluſum, nec totam nec in tem-
pore miſſam pecuniam: ſic occaſiones rei gerendæ fugiſſe, militem parabi-
lem & commodum dilapſum, hoſtes victoriâ auctos, cuncta facta difficiliora.
Promittit tamen, ſtudiúmque oſtentat, militem cogit, ſed expectatione pau-
ciorem: hunc cum Hoijenſi in agrum Benthemium mittit. Quorum petu-
lantiâ, dùm Edſardicos ex condicto expectant, omnis illa regio ob Everwi-
num Comitem Saxoni militantem fœdè afflicta. Quo per nuncium acce-
pto, Saxo & Benthemius Vltrajectinos ex fœdere vocant, legionis nigræ
cohortes ex Friſiâ Orientali ſummâ celeritate in Benthemios jubent con-
tendere, ipſi copias ſuas præſidiis eductas Coverdiam rapiunt, viamque eâ
parte Edſardicis claudunt. His omnibus junctis in hoſtem movent. Is vi-
ribus diffiſus ſuis, ab Edſardicis ſecluſus, in Tuentiam ſe antè pugnam reci-
pit, parsque Oetmarſum & Deldam occupant, cæteri in Geldriam rediêre.
Tùm Saxo, Vltrajectinis in Tuentiâ ſedere, & Geldros obſervare juſſis, in
Edſardum ſe vertens reducto agmine Coverdiæ caſtra locat. Hoc nuncio
vehementiùs turbatus Edſardus, in ſummâ perplexitate conſilii fuit. Domi
pecuniæ inops transfugia militum crebra patiebatur, totius exercitus tu-
multum metuebat, in oppidanis animadvertebat, quæ nollet, foris auxilia
disjecta, ſuam cum iis conjunctionem impeditam intelligebat, Geldri aſtus
quanquàm perſpiceret, palàm tamen arguere, ne irritaret, verebatur, ad-
verſa omnia majora veris ferri credíque videbat. Ad hæc patriæ fortuna
ob oculos, tot mala perpeſſæ, plurium quoque metu trepidæ. Denique quid
faciat, quò conſilia vertat anxius æſtuanſque volutabat. Poſtremò tempo-
ri neceſſitatique parêre ſapientiæ eſſe reputans, ut Geldrum ſtudio incende-
ret, cupidini ejus ſubſerviendum judicavit. Itaque cum Dornumano pri-
mùm & Suderhuſio, cæteriſque quibus fidebat collocutus, poſtquàm ſatis
deliberaſſet, vocatis civitatis primoribus, in eos ſe vertens. Video, ait, quid
quærat Geldrus: ut excitemus eum, obſecundandum deſiderio æquo ini-
quóve: civitatis ſummus dominus nuncupandus, ut pro re ſuâ tuendâ red-
» datur alacrior: nobis clientis perſona ſumenda: Hominum ſapientum eſt,
» cùm nequeant, quod velint, hoc ſaltem velle, quod poſſint. Stulti cum ne-
» ceſſitate pugnantes decus pariter & fortunam perdunt. Melius pars aliqua
» dimittitur, quam tota datur in exitium. Quæ ſi placent vobis, mittamus
celeriter, qui nuncient, ne quid ex morâ mali. Aſſensere cupidiſſimè omnes
qui aderant: miſſuſque per devia Rodolfus Lennepius alæ perfectus Ed-
ſardo militans ſecretis præceptis paucorum è civitate inſtructus ſeorſim, ſi
Grimershemio fides. Eo audito Geldrus ſucceſſu lætus ſummâ contentione
ſe parat, copias cogit, ad Galliæ regem rursùm mittit, pecuniam militeſque
petens, nec Groningam ſolùm, ſed univerſam Friſiam cogitat: Guilhelmum
Oijum Marcſcallum ſuum mandatis inſtructum Groningam cum exercitu
jubet contendere, reliquaque ex præſcripto expedire. Et quoniam querelas
ab Edſardo metuebat culpante conſcientiâ, rationes concipit purgandæ rei,
eaſque in chartas relatas eidem tradit. Factum hoc Arnhemi XII Calend.
Novembr. Intereà obſeſſi aſſumptis equitibus frumentandi lignandique
gratiâ frequenter excurrere in Drentiam, quæcunque poterant, in urbem
inferre, ſimul & uſui ſuo proſpicere & hoſtium uſui ſubducere; demùm ab
hoſte exterriti, qui Coverdiâ procurrerat, nocte pluviis & caligine fœdâ,
difficili ac trepidâ fugâ inanes in urbem ſe recepêre. Tùm Edſardus ipſe cum
toto equitatu profectus eôdem, velut cum hoſte dimicaturus cùm ad Laræos
venisset,

veniſſet, turmâ ſpeculandi causâ præmiſsâ, atque ita hoſtis viribus explora- M.D.XIX.
tis, imparem ſe cognoſcens, exuſtis in receptu Onnæ, Harenæ, Helpenæ ædi-
ficiis, ne uſui eſſent hoſti, frumento pabulóque avecto, Groningam quoque
ipſe nullâ re geſtâ eſt reverſus. Quocircà hoſtis Suidlaræ, Midlaræ, Nordla-
ræ ſubſiſtens, prohibendis excurſionibus hujuſmodi, tranſverſo aggere viam
Blancoweræam incîdit. Eodem tempore manipulus iſtinc emiſſus, occu-
pato in Fredowoldiis fano Oſtwoldico, ne iſtûc commeatus obſeſſis patê-
ret, vallum cœpit circumdare. Sed oppidanis claſſe minorum navium ad-
vectis die VI Calendar. Novembr. oppugnatus in poteſtatem eorum venit.
At Georgius creſcente pecuniæ penuriâ & belli novi metu è Geldriâ ſur-
gente in omnes ſe curas vertens conſilii indigus, iterùm colloquio tentare
oppidanos ſtatuit. Erat in urbe civis opibus & gratiâ potens Saxonum mul-
tis ex commercio priorum temporum notus Iacobus Hillebrandus. Per
hunc ſe inſinuat Guilhelmo Friderico, & leges pacis ſpecie magis quàm re
inſignes offert. Ab eo ad conſulem Sickingium primùm, deinde ad ſena-
tum, & Edſardum relata res, conventuſq; in ſacello ad crucem Cateri con-
dictus: miſſi, qui periculum faciant, Guilhelmus ipſe, Petrus Sickingius, Lu-
dolfus Coenderus, Gelmarus Canterus: ſed actio parùm fælix in diem lo-
cumq; alium rejecta; locus in fano Dorcwerdio deſignatus: ibi cætera me-
diocria, præcipuum de arce certamen fuit, quàm integram Saxones, oppi-
dani deſtructam volebant: demùm multis haud malè poſitis in eo res hæſit,
quod oppidani niſi adhibitis quoq; Edſardicis concludere nil vellent, Saxo-
nes verò id ſe ferre non poſſe profiterentur, ſtomachò in Comitem pleni.
At quia avidi erant componendæ rei, hoc quoq; ab iis tandem conceſſum,
colloquióque novo dies IV Calend. Novembr. Eſſenæ decretus, ſed ab op-
pidanis non ſervatus. Nam famâ advolante haud procul abeſſe auxilia, opti-
méque civitati Geldriæ Principem velle, denunciatum Saxonibus, Guilhel-
mum Fridericum valetudine impeditum adeſſe non poſſe; ſic ne reliquis
quidem venire integrum. Id indigniſſimè latum ab illis minæq; novæ jacta-
tæ. Simul fama in urbem præcurrit, veniſſe Oium Mareſcallum in Dren-
tiam cum exercitu veterano, & jam Roldæ lociſque proximis conſediſſe,
Saxonas metu perculſos deſertis Laræis vicis, fugáque Werdenbraſſo petito
in planicie, quæ inter caſtellum & pontem eſt, ſtativa cepiſſe. Mox famam
Oius ipſe, ſed ſine milite ſecutus totius in ſe civitatis animos convertit: ſimul
ſermones curaſque hominum acuit, quòd Edſardo hoſpite recuſato, à quo
erat invitatus, ad Guilhelmum Fridericum diverteret. Hic ab hoſpite hoc
ſuo inſtructus, & de omnibus edoctus, petitâ acceptáque ſenatus copiâ, lit-
teras, quas à Principe habebat, producit, Edſardóque ac patribus exhibet.
His litteris Princeps ſignificabat, Edſardum civitatemque per Lenneppium
deditionem urbis, cæteraque cooptandis & inangurandis Principibus ſolita
ſibi obtuliſſe: ea propter Mareſcallum ſuum Guilhelmum Oium cum ex-
ercitu miſſum à ſe, mandatáque ei data recipiendæ in fidem civitatis, & cæ-
tera ex more agendi: polliceri libertatem priſtinam cum omni jure ac privi-
legiis incolumem ſe civitati relicturum, eam, ejuſq; ſocios cum fide, & ſum-
mis viribus, ut reliquos ditionum ſuarum contra vim & injurias quorumvis
defenſurum, cuncta denique hæc manu ſigilloque ſuo firmata ſanctè ſerva-
turum. Litteris recitatis, mandata reliqua, imprimis imperandi parendi-
que leges edere juſſus, exorſus de benevolētiâ Principis ſui, *Quanta jam nunc,*
ait, *magnorum & potentiū Principum odia his ipſis principiis in ſe illuſtriſſimus Geldriæ*
Dux commoverit, quanta deinceps in ſe recipere neceſſum habeat hâc re, quid vobis me-
morem? Saxonis & totius potentiſſimæ familiæ vis ſuſtinēda: tot propinqui ejus, tot ami-
ci, Cæſar ipſe, & domus Burgundica offendendi graviſſimè, pecuniæ infinita copia per-
denda, amici, oppida, arces, regiones, omnis denique fortuna in periculum danda: nec

M.D.XIV *ſanè bellum hoc virium Principis mei; ab alijs ſubſidia nervíque petendi, qui opibus & copiis valent. Quas ob cauſas poſcit Princeps, ut imperio urbis hujus, & agri totius, qui ab Amaſo in Lavicam eſt, Edſardus ſtatim decedat, omnes in urbe agróque ſacramento ſolvat, ſoluti in nomen ipſius hæredúmque & majeſtatem regis Galliæ jurent: civitas tamen αὐτονομίαν ſuam, & jura & inſtituta priſtina retineat, agrum Principi regendum relinquat: ſed Princeps agro regundo dicundóque juri Hovetmannos judices ex civibus eligat, his præſidem ex ſuis det quem volet, in reliquis omnibus quæ commoda civitati, nîl mutet. Et hæc quidem perampla illuſtriſſimi Principis benevolentiæ argumenta. Sed addit quoque aliud: arcem frenum libertatis veſtræ, patres, ſubverti, domum aliam ſine vallo & foſſâ viro principe dignam ſibi ſtrui clementia ejus patitur, ut videatis quàm non violento coactóque imperio, aut ſubditorum ſervitute delectetur, quantóque magis fidei veſtræ quàm militum præſidio fortunam committat ſuam: annuo cenſu contentus erit, quem ex urbe agróque delecti definient. Quæ ſi civitati Comitíque placent, paratæ Principi rationes ſunt hoſtem ſubmovendi, & ex omni Friſiâ pellendi: ſin minùs, redeundum mihi, unde veni, unâque exercitui meo, nec quicquam agendum ampliùs. Tibi quoque, Edſarde, dicere juſſus ſum, ſi nomen Gallicum profiteri, & in clientelam Principis mei te dare velis, tibi quoque in Saxonas omnéſque hoſtes tuos paratam fore opem non tuendis ſolùm quæ habes, ſed amiſſis quoque recuperandis.* Variè accepta oratio legati: oppidani plerique bene ſperare, nonnulli gaudio tentari; Edſardus fremere ſecum, fidemque in Principe requirere, ſed premere ſtomachum, & ſapientiæ præceptis locum dare: quid faceret enim? quâ ſpe cum Principe litigaret? pauca tamen pro ſe modeſtè: nõ eâ ſpe in Geldriam ſe iviſſe, non hâc lege cum Principe pepigiſſe, pecuniam miſiſſe, auxilia urſiſſe: omnia ſanè inopina animo ſuo. Tum rurſum Oius, ut in mandatis habebat. Atqui convenerat, ait, inter te, generoſe Comes, & illuſtriſſimum Principem meum, cùm in Geldriâ eſſes, ut millia aureorum numûm XL dares Principi, ſemiſſemque intra dies XIV à diſceſſu tuo ex oppido Sutfaniâ penderes ad parandum militem, reliqua quoque, ubi miles in agrum Benthemium veniſſet, ſine morâ præſtares: at horum quid factum ut fieri debuit? nam non tempore dicto, ſed poſt dies demum XL pecunia prima ſoluta eſt, nec ſemiſſis integer, uti in pactis erat, ſed millia tantum XIV: ita pacta nonà Principe, ſed à te non impleta. Et tamen Princeps, ne quid deeſſet à ſe, acceptà pecuniâ iſtâ non pœnitendam manum optimorum militum per conquiſitores ſummo ſtudio confecit, in eamque rem ſupra aureorum millia XXV effudit. Qui ſi ſemiſſem totum à te accepiſſet in tempore, haud difficile ei fuiſſet, uti conſtituerat, X millium exercitum parare, eumque in Friſiam mittere antè Dammonam ab hoſte captam, totâque regione hoſtem expellere. Sed deficiente promiſſo, grave putavit impendiis moleſtiiſque ſeſe onerare. Ad hæc copiæ illæ ſcriptæ cùm ex condicto in agrum Benthemium eſſent à Principe miſſæ, nec milites à te in occurſum, nec pecuniæ venêre, iterumque culpâ tuâ rei gerendæ momenta periere. Pòſt cùm Lenneppius in Geldriam veniſſet, & tuo ſenatuſque nomine urbis imperium Principi detuliſſet, rurſum Princeps militem auxit, exercitúmque quatuor millium minorem, trium majorem conflavit haud parvo impendio ſuo, ſtipendiáque ei exſolvit, ac duce me ad opem ferendam hûc miſit, majorem ſubmiſſurus, & Tranſlavicanos invaſurus, ſi tu & civitas volueritis. Ad quæ viciſſim Comes pro fide ac honore ſuo, non abnuere ſe, quæ vera, ſed pacta factáque iniquiùs hîc illîc à legato memorata: haud fidem, ſed vires ſibi defuiſſe, ſpéſque ſuas fortunam evertiſſe: ſi dicenda res, quod pecuniæ miſerit, id peſſimè ſibi periiſſe: nam quid ad cauſæ ſummam Benthemios affligi? quid ad rem in Tuentiâ Geldriáque ſederi? quòd ſi miles ille, ut nuper ipſe cum cohorte unâ & equitibus paucis, nunc legatus cum copiis his, in Friſiam perrupiſſet, in arctum redigi hoſtem, multaque confici potuiſſe, quæ

ſors

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſors belli ſolet dare. Sed præterita reprehendi poſſe, at mutari non poſſe: nunc videnda præſentia: in iis utilia ac firma, quæ æqua, iniqua ſine dubio fragilia, nec duratura: de clientela quidem audire nolle, omniaque malle, quàm iſtûc ſe dimittere: ſi in hominibus ſubſidia nulla, in Deo ſe ſpem habiturum. His dictis deliberandi copia petita ab omnibus, vocatique à ſenatu delecti, mox per ſodalitates univerſus populus conſultus. Nec dubitatum penè uſpiam, modò non abnuat Edſardus. Quid dubitent enim? & qui ſubierint jam antè duriora, ne Saxonibus ſervirent, cur non ſuſcipiant hoc tempore, in hâc fortunâ reip. æquiora? præſertim cum ſpe obtinendi quoque plura. At ſi Comes recuſet, hærere multorum animi, & inter utile honeſtúmque fluctuare, hûc illûc, ut quiſque generoſior aut abjectior, impelli; demum in id quod tutius utiliuſque ac neceſſitati aptius videbatur, Principe Guilhelmo Friderico, plures inclinari. Eodem quoque momento cum Oijo agere, déque parendi & imperandi modo certiora paciſci, de Hovetmannis contendere enixè, nec antè abſiſtere, quàm electionem eorum, arbitrii ſenatus feciſſent, & demoliendorum vallorum omnium ac munitionum in toto agro promiſſum obtinuiſſent. Tùm ad expugnandum Edſardi animum curæ converſæ. Ad quem cùm veniſſent à ſenatu populóque miſſi, in quibus Guilhelmus & conſules fuére, ipſe per Guilhelmus & conſules fuére, ipſe per Guilhelmum Vbbium Cancellarium de iniquitate ac fraude acerbè conqueſtus, non hanc ſibi mentem fuiſſe unquàm, non hæc Lenneppio à ſe data mandata dicit. Vrbéne & agro toto ſe cedere? arcem tradere? tot impendia, moleſtias, labores, pericula ſimul & ſemel ſine recompenſatione, ſine fructu omni perdere? ſua inſuper à majoribus accepta in beneficium vertere alterius? haud ſperare ſe, publicè privatímve ex civitate hunc aſtum paratum, aut à Lenneppio fraudem commiſſam; ſe ſocietatem primùm, cum in Geldriam iſſet, deïn protectionem per Lenneppium quæſiſſe, clientis quoque conditionem ex Fivelingiis, Huneſgoniis, Langowoldiis, cæteriſque cis Amaſum non recuſaſſe: reliqua ficta in fraudem ſuam, appellare nunc fidem ſibi datam, & ſanctiſſimum jusjurandum, cùm è faucibus crudelis belli, & hoſtium ſævitiâ civitatem eriperet, cùm ejus causâ Saxonis gratiam ſummam in ſummum odium commutaret, cùm ſe ac ſua omnia in diſcrimen daret: ea ſi in fide perſtet, haud diffidere, Geldrum quoque conſilium verſurum, & legibus aliis daturum locum: videre ſe, quid ſtruat, & ingenium noſſe. Quod ſi oportunitate urbis hujus, & ope noſtrâ queat uti, facilè omni regione trans Lavicam ejecturum Saxonas exhauſtos, & viribus fractos, ac ei ſe dominum impoſiturum: id laboris & ſumptus ſat magnum illi operæ pretium, præſertim turbido naturâ, & bellis gaudenti: nec in omnes rei movendæ oportunitates intentum hanc tam inſignem atque oportunam neglecturum. Ad ea Guilhelmus precatus veniam prolixè excuſare ſenatum & cives & ſe contra ſuſpiciones ſiniſtras: nihil ſibi omnibus prius fuiſſe, nihil eſſe, quàm in fide ipſius perſiſtere, ſed ob oculos ſtare neceſſitatem inſuperabilem: certum ſibi, hanc certam Geldri mentem, juſtam an injuſtam: populum quoque in eam partem inclinare fractum malis: rogare omnes, ut ipſe quoque neceſſitatem ſequatur, neù contra nitendo ſe civitatémque ſimul præcipitet: hoc fortunam domus præſentem, hoc caritatem univerſæ patriæ, hoc ſuorum omnium gemitus, hoc ipſam pietatem, denique prudentiæ famam hactenus ei propriâ ab eo poſcere. Quæ dum auſcultat Edſardus, æſtuare intùs, iras, curam, metum alternare, ſed premere omnia velut animum in manu habens. Mox tacente Guilhelmo cum ſuis locutus ſeorſim liberiuſque evectus, cùm ad oppidanos rediſſet diſſimulato dolore. Si res ſic habet, ait, uti dixiſtis, ſi populo ea mens, ſi vos & ſenatus hoc poſcitis & ſuadetis, ego quoque neceſſitati parebo, cui omnia parère coguntur humana: ſino vos civitatemq́; „ quod fælix & fauſtum mihi, reique pub. veſtræ & toti Friſiæ ſit, in fidem Gel-

M.D.XIV dricam concedere. De cæteris confido ex æquo & bono cum Geldro mihi conventurum, tantoque æquiorem me eum habiturum, quanto promptiùs in hâc re & maximâ & deſideratiſſimâ illi, & ſolâ ſcripto ejus comprehensâ, morem ei nunc gero. Merita mea in vos poſcunt, ut vos quoq; uti hoc fiat, ſtudio ac fide veſtrâ apud eundem annitamini. Ego certè præſtiti integrè, quæ vobis promiſi: nec laboribus, nec periculis, nec ſumptibus peperci, fortunam meam omnem cum fortunâ cariſſimæ patriæ pro vobis in diſcrimen dedi: denique dum defenderem vos, nihil non in rebus meis pertuli. Pro fide hâc benevolentiam ſaltem veſtram civitatiſque mihi ac meis reddi æquum puto. Gratiæ Comiti actæ prolixè, omniaq; viciſſim promiſſa. Ex templo res ſenatui & delectis relata. Tum ſine morâ vergente jam die Hicco Dornumanus, Theodoricus Falco, Vdo Coldenburgius ab Edſardo, Guilhelmus Fridericus, Hermannus Leo, Ioannes Scafferus, Petrus Sickingius, Ludolfus Coenderus, Gelmarus Canterus à civitate miſſi ad Oium, eique conſenſus expoſitus: conſtitutumque ibi, ut poſtridie primâ luce ſenatus populuſque omnis Duci Geldriæ apud Oium legatum juramentum dicerent: hujuſque rei geſtæ petentibus oppidanis, honoris tuendi causâ contra obtrectationes, litteras teſtes manu ac ſigillo ſuo ſignatas Oius dedit. Poſtero itaque, qui fuit III Non. Novembr. in ædem Walburgis edicto ſenatus populus coiit frequens, ubi Oius ante aram ſummam ſtans pauca pro re præfatus, rogavit circumfuſos, vellentne jusjurandum dare Carolo Geldriæ Duci. Et cum velle reſpondiſſent, mox præeunte verbis Oio, & jurisjurandi carmen recitante, ſequente primùm ſenatu, deîn universâ multitudine, ſublatis pro more prioribus digitis in fidem obſequiumque Geldri ſolenniter juratum; populoque viciſſim pacta promiſſaque ab Oio conceptis verbis firmata. Addit Sicco Beningæ & cum eo alius harum rerum ſcriptor Groninganus, ſed obſcuri nominis, & minùs fidus, in nomen quoque Gallicum tum ſimul juratum. Sed ego ex tabulis actiſque publicis deprehendo, vim eam in re fuiſſe, ſed invidiæ cauſa verba hujuſmodi apud vulgum conſultò declinata. Mirum, in hoc hiſtoriæ noſtræ actu quàm procul diſſentiant inter ſe, atque in contraria abeant ſcriptor ille alter, de quo modò dixi, & Egericus Beninga Grimershemius autor notus tum temporis in familiâ aulicâ Edſardi agens, & qui ſe præſentem his rebus fuiſſe, & ſpectaſſe ac audiſſe pleraque teſtatur annos natum XLIII, uterque partium ſtudio evectus, dùm hic culpat, ille tuetur oppidanos. Sicco Beninga conſilii publici particeps vir gravis, veri peramans medium tenet, conſentiens cum iis, quæ in chartis reip. rei geſtæ monumentis fidelibus reperi. Nec diſſentit ab eo hâc parte Worperius. Sed ad ſeriem revertor. Poſtridiè quàm in nomen Geldri civitas juraſſet, Edſardus de reliquis ſollicitus Harconem Suderhuſium jureconſultum in Geldriam legat coràm cum Principe acturum, ac animum ejus pertentaturum. Per hunc Groningani quoque litteras dant ad Principem eundem, nunciantes & propoſuiſſe Oium de ſacramento, & ſe aſſenſiſſe, & jusjurandum dediſſe: ſimul gratias agunt ampliſſimas de miſſis auxiliis, & rogant, ut reliqua quoque expediantur citiſſimè. Sedebat inter hæc exercitus Geldricus in caſtris Laræis: & legio nigra Saxonici nominis affluxu quotidiano eorum, qui Adoardiæ, Silwardiæ, Dammonæ caſtra habebant, quique ex plebe Transſlavicanâ iſtûc à Georgio mittebantur, ad Werdenbraſſeium caſtellum animis & robore plurimùm augebatur. Eo cognito Geldri ſibi ab impetu ejus & vi metuentes, equitum præfectos aliquot, qui cum Oio Groningæ erant, in quibus Warnerus Spegelius eminebat, cum equitatu evocant ex urbe: cum his conjuncti ſilentio noctis ſublatis caſtris in Geldriam ſe referunt, nequicquam Saxonicis, primâ luce de eo edoctis ac pugnæ avidis prægreſſos perſequentibus. Eâ re turbatâ civitate, & in metum relapsâ, ac ſermonibus & ſuſpicionibus indulgente, Guilhelmus Oius, convocatis in curiam ſenatu, collegio

jurato-

juratorum, ædilibus, ſocietatum plebeiarum præfectis, erigendis omnium M.D.XIV
animis demonſtrat, exercitus abitum nulli malo eſſe poſſe, quanquàm diſ-
ceſſerit, nec volente nec ſciente ſe: expectare ſe adventum Principis ipſius
cum multò majoribus copiis: qui ubi venerit, præſtiturum promiſſa, hoſtem-
que tota regione pulſurum. Ita animi ſedati. Quo eodem tempore in Ciſa-
maſanis Vlricus Dornumanus cum reliquâ nobilitate patriæ res procurans,
confectâ ruſticorum manu Stichuſanam arcem obſidione premebat, præſi-
dium'que in extremas jam redegerat anguſtias. Mox per ſpeculatores cer-
tior factus, Ericum Brunſvigium, Henricum Luneburgium, Ioannem Ol-
denburgium, Chriſtophorum Ieveranum, Heronem Eſenſem ſubſidia ob-
ſeſſis parare, ad eoſque nigram quoque legionem Geldros Coverdiam uſque
perſecutam per Benthemios & Monaſterienſes iter habere, ad Edſardum
per celerem nuncium ſcribit, quo loco fortuna ſit, edocet; rogat, ut patriæ
periclitanti tempore tàm neceſſario velit adeſſe: oſtendit indignari omnes,
patriæ res ab eo rebus alienis poſtponi: & vereri ſe, nî veniat ipſe, præſen-
temque populo ſe ſiſtat, ingruente hoſtili vi, in officio ſe eum continere, &
ad pugnandum inducere non poſſe. His litteris commotus Edſardus, & ſi-
mul pecunia omnibuſque neceſſariis rebus exhauſtus, exutus jam honore &
poteſtate priſtinâ, multa ſecum indignans, atque animo ægreſcens, poſtridiè
Non. Novembr. conſules civitatis & Canterum in arcem vocat: apud hos
de fortunæ iniquitate queſtus, ex literis quid acceperit, refert, oſtenditque
ſe patriæ diutiùs deeſſe non poſſe, atque Emdam cum his, quos in arce ha-
beat, militibus cogitare: ſed quòd hoſtium cohortes in proximo eſſent (nam
Eſſenam etiam diſceſſu Geldrorum manus aliqua devenerat) declinandis
eorum inſidiis, per noctis tenebras cum ſilentio egreſſurum ſe, & Slochte-
ram petiturum, Henricum Grawerum ſibi ab epiſtolis cum minore præfecto
& paucis militum relicturum in arce: ipſos monere, ut arcis curam habeant,
dentque operam, ne quid ex eâ inopini mali civitati atque ipſis eveniat.
Poſtremò ad ſtudium fidemque pro rep. eos hortatus porrectâ ſingulis dex-
trâ, ſpectante familiâ aulicâ, dubium lætos magis an ſollicitos ab ſe dimiſit.
Tùm paratis ad abitum rebus omnibùs concubiâ jam nocte cum Jodoco
Hoijenſi, Hiccone Dornumano, Vdone Coldenborgio, Theodorico Falco-
ne, & parvâ militum copiâ ſine ſtrepitu, ſine honore, velut oculis hominum
ſubducens ſeſe, ex urbe egreſſus, & per tenebras agmine rapto Slochteram
præſidio adhuc ſuo inſeſſam, indè continuato penè itineris labore in agrum
ſuum, Emdàmque contendit. Diſpar ſanè exitus ingreſſui primo, cùm octo
antè annos & menſes ſex videndi ejus causâ totâ commota civitate, occur-
rente & excipiente ante portam ſenatu inter gratulantium gaudentiumque
voces, & ſplendentes armatorum catervas conſpicuus ipſe, & omnium in ſe
ora vertens, clara luce in urbem invectus fuit. Exemplum variantis ſe for- “
tunæ, & omnes homines prudentiæ monentis, ne quid occipiant, cujus “
perficiundi vires ipſi penè in numerato non habent, neu ſpei ſe incertæ ma- “
gnis in rebus permittant; nec temerè iis confidant, quos fidem aliis fefelliſſe “
intelligunt. Nam in hanc fortunam incidit quanquã ſolers ingenio & pru-
dens Edſardus, ac juſti amans, quòd augendæ cupidine fortunæ & gloriæ
evectus, quod omnibus ferè magnis animis commune eſt, omiſſis tutioribus
majora vel cum periculo, & penè vires excedentia ſuas incertiſſimâ ſpe pla-
candi Cæſaris ac Saxonis ſuſceperit, & velut in pelagus procelloſum atque
infinitum ſeſe immiſerit: deindè quòd in arctum redactus ad Geldrum con-
fugerit ab ſe vanitatis compertum, & à Galli regis, cui quoquo modo turbas
Burgundo Cæſarique dare propoſitum, nutu pendentem. At Senatus Gro-
ningarus, Edſardo profecto, primâ ſtatim luce per cives arcem occupat,
præſidióq; firmat, res Edſardi iſtic relictas conſervat. Edſardus Emdæ intereà

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.D.XIV à ſuis ſtudio opéque confirmatus, cum iis, quos in promptu habebat, feſtino
itinere Leram accelerans, cùm in caſtra Stichuſana veniſſet ad IV Idus No-
vembris, vix dici poteſt quantâ lætitiâ ſuorum omnium animos perfuderit.
Simul iſtûc advenêre ex omni parte lectiſſimi tribuum ruſticarum ab eo ad-
eſſe juſſi: pariterque per ſpeculatorem allatum, hoſtiles copias per paluſtria
vimineis cratibus paſſim conſtrata, ex Oldenborgiis in Lenganos ad quin-
que millia numero, ſed in his paucos militiæ ſuetos, cæteros tumultuariè è
plebe ruſticâ hîc illîc coactos penetraſſe, & duobus locis non procul arce
conſediſſe. Edſardus in celeritate fortunam poſitam ratus ex omni numero
ſuorum DCCC, ut Grimershemius, aut ad Mille, ut Sicco Beninga tradunt,
promptiſſimos & militiæ maximè gnaros ſubitò deligit, ex his CCC partim
veteranos, partim alias per virtutis experimēta ſibi cognitos Roberto Kep-
pelio præfecto militari, homini Geldro aſſignat, ſtatimque in Lenganos con-
tendere, & hoſtem Martinalia agentem inopino turbine invadere jubet:
ipſe cum cæteris & Iodoco Hoijenſi veſtigia antecedentium premens ſequi-
tur. Keppelius per noctem itinere confecto hoſtilium copiarum alteras, quæ
minores erant, & diſciplinæ militaris rudes, Martino parentantes tribus an-
tè lucem horis invadit, neſciis Edſardicis, quanto numero eſſent, quos inva-
derent (celârat enim hoc magno ſtudio Edſardus, ne alacritas ſuorum terro-
re multitudinis hebetaretur) atque ideò majore animo & vi in eos ſeſe infe-
rentibus. Mox omnia tumultu & trepidatione plena hoſti; nihil ordine, nihil
viriliter aut rectâ ratione adminiſtrari, non inſtruendi ſpatium eſſe, tenebræ
noctis, clamor, vis, impetus invadentium, ipſa res inopina etiam periculo-
rum peritis formidabilis, in imperitis terrorem ciere, terror cuncta confun-
dere, impedire, denique in cœcam fugam pavidos agere: ſimul opinio per
omnium animos pervadere, magnum à Geldris adeſſe exercitum: Itaque
errore & timore eorum uſi Edſardici ſtratis primis, qui reſiſtebant, adaucto
clamore inſtare acriter perculſis, ferire, cædere, perſequi, hîc illîc, ut fors &
nox fugientes diſpalanteſque tulerant, ſtragem dare. His disjectis, victores
illuceſcente die dum recipiunt ſe, & majoribus ſuis copiis conjungere ſe
properant, ecce Brunſvigii cæteri, plures numero, & belli uſu meliores, &
his additi, qui ex fugâ ſe recollegerant, in utroſque Edſardicos ſe incitant;
ſed paucitati ſuorum diffidens Edſardus, cùm ægrè primum impetum ſuſti-
nuiſſet, amiſſis aliquot ſuorum, maturè receptui canens in tutum regredi-
tur. Priore in pugnâ Brunſvigiæ partis M.C, Edſardicæ circiter centum ce-
cidiſſe autor eſt Sicco Beninga: in poſteriore cladis quoque aliquid Edſardo
repoſitum memorat, ſed modum non exprimit. Grimershemius primo con-
greſſu Tauberi cohortem, quæ nigræ legionis erat, planè conciſam, tùm la-
tam ſtragem factam; ex Edſardicis non plures quàm ſex interemptos refert;
in altero, caſu impulſos Edſardicos pedem retuliſſe, amiſiſſe ſuorum L, ca-
ptos etiam aliquot: Brunſvigiorum in univerſum occubuiſſe bis mille. Ed-
ſardus hoſti cedens facultatem ei dedit præſidii, commeatus, pulveris nitro-
ſi, pecuniæ in arcem obſeſſam inferendæ. Lenganæ quoque arci neceſſaria
ſimul importata. Ad commeatus faciles crates & alia muniendæ viæ inter
Oldenburgios & Lenganos paluſtri regione relicta, itineraque hominibus,
equis, curribus quoque, ſi Sicconi creditur, iſtic expedita. Vicina latiſſimè
direpta, tùm Friſiâ in diverſa diſceſſum. Ab Edſardo contra eos,
qui in arcibus hoſtilibus erant, præſidia prohibendis
excurſionibus idoneis locis per hye-
mem poſita.

RERVM

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XLVII.

HARUM rerum fama allata excidium arcis Edſardicæ maturavit. M.D.XIV.
Nam cives per ſe inviſam munitionem habebant velut ſtrumam urbis: dein meritò metuebãt, abducto præſidio, auxiliis Geldricis in Geldriam reverſis, civitate penè deſertâ, ſi quid graviùs moveret Saxo, ſi mœnibus aſſiliret, ſi inſtauraret conſilia ciendæ plebis & diſturbandæ cõcordiæ, ob vallum hoc in magno diſcrimine cuncta futura: nam militem in urbe eſſe ſtipendiis carentem, & vix cõtinentem ſe, multos etiam homines perditos cives atque alios, omnium egenos, deſperatione ipsâ audaces, & plebem reliquam factionibus diviſam, non paucos Saxoni deditos, aut quemcunque belli finem quærentes: quorum aliqui occaſione oblatâ ſi arcem invaderent, ſi in poteſtatem redigerent, ſi Saxones vocarẽt, quem mali modum fore? Itaque ad Edſardum ſcripsêre, & aut præſidii novi, aut valli diruendi copiam petiêre. At Edſardo non reſpondente, rebus aliis tùm maximè intento, cùm Stichuſæ cõmeatum, pecuniam, alia illata, obſidium ſolutum, Edſardum clade turbatum fama tuliſſet, falsáque veris multa miſcuiſſet, velut œſtro percita civitas, non expectato diutiùs Comitis reſpõſo, diruendam arcem putavit. Nec mora, ipſis Idibus Novembr. amotæ machinæ & res aliæ Edſardi, vallum in foſſam dejectum, aditus omnes æquati, tanto laborantium civium ſtudio, ut quod multis menſibus ſurrexerat opus, pauciſſimis diebus diſſipatũ nuſquam videretur. Adeò vehemens ardor abolendæ rei hujuſmodi, quæ libertati gravis ac periculoſa eſt, cùm ſeſe offert occaſio, ſolet hominum liberorum mentes corripere. Acceſſit aliud quoque accelerando negotio, quod Oijus dixerat, Principem ipſum quamprimùm in urbem venturum. Nam qui ſapientiâ antè alios pollebant, ſic ſecum reputabant, ſi veniente eo arx ſtet, poſſe irritamẽto cupidini ejus eſſe: principum mentes eſſe lubricas, ad dominandum pronas, occaſione facillimè moveri iſtûc, quô ſuapte naturâ feruntur: prætextus deeſſe nunquàm: imprimis ingenium Geldri ſuſpectum: itaque dum nihil obſtat, dùm licet, dùm occaſio eſt, dùm pacta recentia, dùm nullus à milite metus, diruendum vallum, & irritamenta oculorum & cupidinis ſubmovenda. Ita maturata valli diſſipatio. Res indignè ab Edſardo accepta velut ignominiæ data ſuæ, & monitis ultimis repugnans. Dicitur etiam, Geldri conſilium ſtultitiæ aut ſocordiæ ab eo damnatum, qui paratum imperii inſtrumentum ac firmamentum tam facilè ſiverit exſcindi. Quibus diebus rurſum Helpena afflicta à Saxonibus, ipſúmque ptochodocheium direptũ, non impunè: Nam è vallo urbis tormentis petiti prædatores haud pauci aut miſerè membra lacerati, aut interempti. Poſtridiè cohortes quinque legionis nigræ, quæ jam è Friſiâ Orientali reverterat, Eſſenâ ſubito incurſu rurſus occupatâ, aditus cœnobii, & ubi neceſſe erat, opere tumultuario munire rurſum cœperunt, ut ex vicino formidinem & pericula obſeſſis augerent. Indè procurſus, velitationes, certamina minuta & inania ſecuta. In his Princeps Georgius auro argentoq; omni exhauſtus,

M.D.XIV vixque militem in obſequio tenens, ſurgente in ſe bello novo, ſollicitus, mœſtus, fortunæ ipſi iraſcēs, cor ſuum exedens, inq; omnia ſe verſans; mox, quod deſperantes facere ſolent, ad ſæpè jam antè tentatum, ſæpéque perditū conſilium recurrit: XII Calend. Decembr. ad obſeſſos literas dat ternas, ſed verbis iiſdem; quarum priores ad ſenatum erant, reliquæ ad collegium XXIV-virûm, & ſodalitates plebis. Oſtendit, perſuaſum quoq; nunc ſibi, quæ in tot colloquiis antè dicta factaq; ſint, per collocutores delectos non eſſe rectè ſenatui populoq; relata: peræqua quippè ab ſe, & Coningſtenio ſæpè propoſita: nunc ferri, Geldrum ad urbis imperium vocatum à nonnullis: hanc ſanè belli novi, & quidem pernicioſioris ſementem eſſe: id ſeſe pro inſitâ bonitate ſuâ, ac populi caritate amotū mallei petere eum in finem, colloquium ut etiā nunc inire ſecum, aut cum principibus cōſilii ſui, atq; in id delectos è ſenatu, collegio XXIV-virûm, ſodalitatibus homines bonos ac fidos legare, locumq; & tempus ei rei edere velint. Spem ſibi eſſe, ſi fecerint, explicari omnia, & omnium bono componi poſſe: ſeſe certè pacis causâ nihil non facturum. Sed literæ in urbe vulgò irriſæ deſperationis nunciæ colloquiumque ſine Geldro rejectum. Animus quoq, ex arctâ re hoſtiū obſeſſis auctus. Itaque biduò pòſt egredi auſi ex imâ plebe militeſque pauci, cùm ad pontem Ruſſchium tribus paſſuum millibus ab urbe rivo Dammonenſi impoſitum in inſidiis conſediſſent, præfectum præſidii Germerwoldii Iodocum Hacum cum militibus LX temerè eōdē acatiis ſubvectum, occupatumq;, effuſo denſo glandium plumbearum imbre cum cōmilitonibus IX occiderunt, XXXVI cum navigiis captos in urbem abſtraxêre. Idem aliis quoque locis ſed minore manu tentatum eodem die, nec diſpare fortunâ: iterumque paulò pòſt auſtrino urbis latere à præſidio Eſſeno ſtrepitus & tumultus excitatus, & erumpentium civium vi cum detrimento autorum compreſſus. Pariter à Geldro literæ venêre pergratæ civitati de milite in Tranſlavicanos è Geldriâ miſſo divertendo bello; déque optimâ Principis voluntate probantis quæ acta Groningæ, & omnia viciſſim pollicentis. De omnibus his geſtis ſcriptiſque Edſardus a ſenatu edoctus, preceſque additæ de commeatuum copiâ è ditionibus ejus, arciſque demolitio ob pericula non urbis ſolùm, ſed totius Friſiæ excuſata. Ad quæ ille poſt dies aliquot reſcripſit in hāc ſententiam, Grata ſibi officia literarum: cōmeatuum quoq; poteſtatem pro copiâ præſente facere: ſed de arce velle non factum, expectatumq; reſponſum ſuū: ſibi quoque urbis patriæq; ſalutem caram, & pericula inviſa, eaq; pro viribus arcuiſſe hactenus, & facturū id idem impoſterum, nec in eo cuique concedere: ſed quia factum infectum fieri nequeat, moderatè ſe id laturum, & in colloquio præſentē cum præſentibus de eo acturū amicè: per Harconem Suderhuſium è Geldriâ reverſum nunciata ſibi à Duce haud ingrata, epiſtolæ non cōmittenda, ſed paulò pòſt, uti ſperet, ſemet proditura. Atq; ita literarum cōmercia inter civitatem & Comitem eo tempore culta aſſiduè. Hæc cis Lavicam. In Tranſlavicanis intereà inopiâ extremâ preſſus Saxo, militemq; ſuum formidans, inveniēdæ pecuniæ causâ ad honeſta inhoneſtáque nomini ſuo deſcendit. Ac cæteris jam abſumptis per Mareſcallum ſuum (ipſe enim Adoardiæ manebat) comitia omnibus Leoardiæ indixit circiter Martini, venturoſque cum plenâ poteſtate adeſſe juſſit. Ibi à Mareſcallo propoſitum, petere Principem, quoniam ſic bellum cogat, ut quos ſinguli debeant, annuos cenſus æquâ ratione præſenti pecuniâ redimant: æquam rationem videri, ſi ternos denos numos in ſingulos cenſuum ſolvant: ita immunes ab onere iſto fore in perpetuum: néve recuſandi habeant cauſam, non pecuniam ſolùm, ſed aurum, argentum, etiam & album plumbum (ſtannum vulgò vocant) ſe Principis nomine in ſolutum accepturum. Nova res & mira audientibus. Itaque quæſitum, quo nam modo, ſi fiat id, quibúſve ſubſidiis provinciam ſit Princeps ex dignitate adminiſtratu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

niſtraturus? An non habet, inquit Mareſcallus, Princeps noſter latiſſimas re-
giones, oppida, arces ad Albim Salámque flumina? quorum tam dites ube- M.D.XIV.
reſque proventus ſunt, ut non iis ſolùm ipſis ſed Friſiæ quoque regendæ defen-
dendæque poſſint ſufficere. Et tamen Biltanus ager, & portoria, vectigaliaq;
varia etiam hîc ſalva manent fiſco, vel ſola gerundæ reip. hujuſce ſubſidia ido-
nea. Quapropter non eſt quod metuatis, redemptis hiſce, novis olim tributis
censùve novo vos Principem preſſurum: dabitque vobis Princeps, ne quid
dubitetis, immunitatis diplomata pro ſe poſteriſque: Veſtrum eſt, ut hâc re,
non ipſis vobis minùs quàm Principi perutili, expromptam ſincerámque fi-
dem veſtram declaretis. Sed hærere Friſij: nec deeſſe Principi velle, nec te-
merè aſſentiri, ſeque & patriam reſpicere, futura ex præſentibus & præteritis
metiri, multi etiam de tantâ pecuniâ tàm celeriter parandâ deſperare. De
quo dùm deliberant, dùm contendunt inter ſe, ecce è Geldriâ proximâ ad-
vectus miles Geeſtanos invadit. Ejus fama Leoardiam advolans, deliberatio-
nem ſimul & conventum diſturbat. Quæ res quomodo acciderit, dicendum
prolixiùs. Erat jam antè Edſardo Geldróque conſilium, cùm de Groningâ
bello liberandâ agerent, Tranſlavicanos invadere. Nam oportuna Geldro-
rum armis ea regio erat, & iſtîc incendio concitato ex ore belli extractum iri
urbem obſeſſam arbitrabantur: ſimúlq; majora etiam animis verſabant. Flo-
rebat eo tempore in nobilitate ejus regionis, virtute, ingenij ſolertiâ, adhæc
opibus & opinione prudentiæ & autoritate inter ſuos validus, jam antè a me
etiam memoratus, Ianco Dowenius Oldeboræ natus in Sylveſtrium tractu. Is
mirificus in partibus Saxonis, pericula pro iis ipſus ſæpè obiens, domi militiæq;
utiliſſimus, quandiù æquum ejus imperium erat. Pòſt ubi tributa iniqua poſ-
ci, aliaque aliis cumulari, ea vi militum exigi, duriora quoque & libertati ad-
verſa parari, preces in violentiam verti vidiſſet, offenſus dolere ſecum, mox
cum pauciſſimis dolorem communicare, remedia optare potiùs quàm ſpera-
re: demùm quoniàm ferre contumeliam & dolorem diutiùs non poterat, &
ſimul exemplum Gerbrandi & Gemmæ formidabat, aliud ſimulans, velùt
voti reus, petitâ à Georgio Principe copiâ viſendi Pontificem & urbem Ro-
mam, ſine ullâ ullius ſuſpicione domo profectus, in Hollandiam, atque indè in
Brabantiam conceſſit. Eum comitatus eſt Sicco Galamæus Dowone natus,
quem capite mulctatũ ab Hugone Leiſnicenſi ſupra retuli, ignominiâ paternæ
necis Saxonibus infenſus. Qui cùm audiſſent Geldrum copias in Saxonas co-
gere, ſublati ſpe, ſine morâ ad eum profecti, polliciti ſtudia opéſq; ſuas, ad inva-
dendos Tranſlavicanos, turbandaq; omnia Saxonũ conſilia duces ſe præbuêre.
Confectis itaque quàm celerrimè per Geldriã copiis ex Galliâ domũ paulò an-
tè reverſis, ejuſdemq; regis pecuniâ ad ſigna reductis capitũ DCC, raptimq; co-
actâ Hardervici navium copiâ, ductore Leonardo Suartzburgio, ex primâ Ger-
maniæ nobilitate militiæ ſueto, tranſmiſsâ ſinus Auſtrini parte, antè miles in a-
gro Geeſtano conſpectus eſt, quàm quiſquã venturũ ſuſpicaretur. Ab eo, terrâ
ad angulum Mardanũ vixdum potito, Slota, quæ ſine præſidio erat, ſtatim oc-
cupata: indè Illſta petita, atque ibi caſtra locata. Simul Ianconis & Sicconis
ſuggeſtu libertatis nomen conclamatum: iniquum & turpe eſſe, gentem li-
beram ſub tributo & victigali agere: veniſſe ſe miſſu Geldri, auſpiciis Gallia-
rum regis, ut Saxonem ſervitutemq; Saxonicam regione depellant, populum
reſtituant in integrum: Geldrum nec annuum cenſum, nec vectigal poſcere:
contentum pecuniâ modicâ in ſtipendia, ſi erit opus, quoad cum hoſte ſit de-
bellatum: nec ultra Poteſtatis aut Protectoris nomen tendere: reliquum eſſe,
ne ſibi deſint, qui liberi quàm ſervi eſſe malint. Atque hæc duo illi ad omnes
ſcribebant amicos tanquam certa, plurimiſq; perſuaſis fortunæ Geldri viam
ſternebant: ipſi Geldri quocunq; accedebant, eadẽ illa in ore habebant. Quæ
cùm cognoviſſent, qui Snecæ erant è nobilitate Friſicâ, Relefus Euſumanus,

M.D.XIV Sicco Liaucamæus, Leo Doniæus, periculo proximi celeriter Saxonicis Leoardiam enunciant, cùm alia uſui futura, tùm tormenta ſua ab Saxonibus quondam abducta poſcunt, maturato opus eſſe oſtendunt. Saxones pro fabulâ primùm rem ducunt: pòſt cùm pulvere nitroſo & globis hacas aliquot (tormenti id genus eſt manuario majus) per Iohannem Grombachium expediunt, ſed poſt feſtum, quod ajunt. Geldri quippè ad diem VIII Calend. Decembr. Iſtâ Snecam rapto agmine, jactarant priora illa, benevolentiamque oppidanis, ſi ſe reciperent, hoſtilia omnia, ſi ſecùs conſulerent, denunciarunt: oppidani tormentis deſtituti, autore Euſumano, oppidum iis antè Grumbachij adventum aperuerant. Oppido oportuno ſine labore potiti Geldri cives profugos (profugerat quippè per averſam portam maximus numerus, dum Iiſtanâ portâ miles ſe infert) domum per edicta revocant, reverſosq; benignè habent, ubique factis ſuis dicta firmant. Euſumanus, cum Liaucamæo & Doniæo redire abnuens Leoardiam ſe confert. Tum Ziallingus Hottinga, Epo Alua, Dowo Burmania, ad Goſlicum Iongamæum Bolſverdiam profecti, agri Wonſerani ruſticos præſidij causâ in oppidum evocant, at paucos commovent. Libertatis quippè nomen animos plebis in Geldros inclinabat, tributi odium in Saxonas aſperabat. Itaque ne illi quidem, qui in oppidum venerant, re poſcente in Geldros pugnare voluerunt. Sic biduo pòſt Snecam Bolſverdia, ab hoc præſidio deſerta, diffugientibus nobilibus, & quotquot locupletiores in civibus erant, à Geldris quoque capta. Indè arces oportunæ complures per totum eum tractum contra Saxones, præſidiis occupatæ; mox omnis ora maritima Maccumum uſque, & in hâc Worcumum, Hindelopa, Stavera, ager Geeſtanus, univerſa Sylveſtrium regio, item Winbritſerana, Wonſerana, Raerdana, Hennerderana, Berdarana, Vtingerana præfecturæ, locáque complura alia in partes eaſdem tracta. Et hæc penè ſine cæde & pugnâ geſta. Tantum hinc proclamata libertas, indè augeſcens ſervitus & exactio iniqua valuit. Atque hoc modo quicquid inter Lavicam & Flevum jacet, brevi momento in Saxonas & Geldros eſt diviſum: omnis quoque nobilitas ſtudiis in has factiones ſciſſa. Sciſſionem acerbiſſimum bellum, & toti regioni calamitoſum eſt ſecutum. His rebus auditis, Saxoniæ Dux Georgius Groningæ adhûc aſſidens, & muniendæ Eſſenæ intentus, ac ſimul militem novum ſcribi à Geldro intelligens, conſternatus animo omni jam ſpe abjectâ, Deo hominibúſque pariter ſuccenſens, Eſſenâ legionem evocat, inque Tranſlavicanos promiſſis oneratam mittit, opus cœptum deſerit: ipſe cum filio Leoardiâ repentè accerſito, lectiſſimisque equitibus CCC, ad diem III Nonarum Decemb. Wordenbraſſo egreſſus, itinere Coverdiano in Monaſterienſes, hinc in intimam Germaniam inglorius ac mœrens, ignominiâ & damno ſimul ægreſcens, vix hominum vultus ſuſtinens, ſe proripuit. Eggericus Grimershemius autor eſt, cùm Monaſterium veniſſet, primis tenebris perſonatos aliquot homines equis vectos cum ſingulis lucernis ardentibus de baculo ſuſpenſis ad diverſorium ejus apparuiſſe velut exprobantes tam indignum è Friſiâ diſceſſum, & repentè ſine dicto factóque alio diſceſſiſſe, ac in diverſa delapſos extinctis lychnis reperiri nuſquam potuiſſe. Id putat ab Edſardici nominis amantibus concinnatum illi eſſe. Nec eſt ab eo tempore Georgius in Friſiam unquam reverſus. At legionarii per Smalenæos Bergenſéſque Leoardiam, Franekeram, Harlingam profecti, nec uſquam intra vallum admiſſi, deinde Ludingkerchios ac Lidlumanos aliaque viciniæ ejuſdem depaſti, in cœnobio demùm vetere contra Bolſverdios conſedêre. Aderant illis Andreas Phlugius, Otto Scenkius è Saxonum proceribus, Goſlicus Iongama, Heſſelus Martena, Ziallingus Bottinga, Geroldus Herema, Epo Alva, Sibrandus Roorda, Dowo Burmania, atque alij è nobilitate Friſicâ, Geldricis inimici: quibus omnibus ſtudium erat hortando, precando,

promit-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

promittendo legionem impellere, ut Bolſverdiam invaderet. Sed quod ea, M.D.XIV
pro more hominum hujuſmodi, ſtipendia antè periculum flagitaret, & nihil
acciperet, periculum quoque ſine ſtipendio adire noluit. Quatriduumque ibi
morata, non geſtâ, non tentata re ullâ, ipſis Idibus Decembr. populabunda
Monachobium mediâ viâ Leoardiana ſitum abiit, atque illic incendia cæte-
raque hoſtilia minitans, cùm pecuniæ copia non eſſet, promiſſis & chirogra-
phis de ſolutione intra trimiſtre ſatisfacere ſibi Rectores coëgit. Tùm major
ejus pars, quâ proximè potuit, Friſiâ exceſſit: quatuor cohortes lectiſſimæ
præſidij causâ illic relictæ: quarum duæ Leoardiæ, tertia Franequeræ, quar-
ta Doccumi collocatæ. Intereà & Geldriæ Princeps à Groninganis de litte-
ris Saxonis & civitatis anguſtiâ factus certior copias novas in ditionibus ſuis
cogere, majori paratu bellum inſtruere, ipſe rebus adeſſe, conſcriptas co-
hortes aliquot in Friſiam navigiis tranſmittere, omnibus modis partes ſuas
firmare, quæ maturandæ deſperationi ac ruinæ Saxonum fuêre. Simul
Nonis Decembris Hardervico ad Senatum Groninganum ſcribit, probare
vehementer ſe, reſponſum illud Saxoni paulò antè datum: hortari, ut eâ-
dem fide prudentiâque pergant: ſe in impellendâ fortunâ hoſtis totum
nunc eſſe, cohortibúſque novis exercitum in Friſiâ auxiſſe, paratum quo-
que fortunas & vitam ipſam pro causâ hâc in diſcrimen dare, ſi res exigat.
Per hæc non ſolùm erigi ad novas ſpes Groningani, ſed animos quoque tol-
lere, & ferociùs agitare, ſignáque lætitiæ terrendis hoſtibus edere: con-
trà, hoſtes animis concidere, eruptiones metuere, viribus ſuis diductis diſ-
ſidere. Igitur, qui Selwerdiæ erant in præſidio, uti inter eos convenerat,
V, Idus Decembr. domus aliquot incendunt, flammámque excitant. Quo
ſigno conſpecto, ſine morâ, qui fanum Germerwoldium inſidebant, con-
vaſatis rebus ſuis, eo contendunt, ibique diem unum morati, ſimul cum Sel-
werdiis in caſtra Adoardia diſcedunt, ac pars illic pars proximis in vicis Nor-
thormæ & Suidhormæ conſident. Oppidani deſerta loca ſtatim occupant,
& reditum præcludunt, deque his omnibus Edſardum per litteras docent. Is
ne fortunæ deſit, dùm in timore ſunt hoſtes, bis mille quingentos ſubdito-
rum ſuorum, & cum his manum aliquam militum ipſis Idibus Amaſum tra-
jicit: ipſe biduò pòſt cum tormentis & apparatu reliquo ſequitur, caſtrá-
que Farmſumi ponit Delffilam & Dammonam tentaturus. Sed cùm Sa-
xonas pro vallis pugnare, extremáque perferre paratos intellexiſſet, mal-
létque ſine ſanguine ſuorum vincere, ac locis potiri, & anni quoque tem-
pus obſidionibus eſſet incommodiſſimum, quanquàm ſollicitum & de for-
tunâ dubium Carolowiitzium ex litteris ejus in itinere interceptis ad Ca-
ſparum Zieglerum ſcriptis cognoviſſet, tamen aliquot poſt dies domum re-
petiit: At exercitus qui Adoardiæ & proximis locis erat, haud æquus Geor-
gio, quòd non ſolutis ſtipendiis abiſſet, fremere, hoſtilia minitari vicinis,
facta quædam verbis addere. Videbaturque plura facturus, niſi ſolertis in-
genij homo Menno Hemkius Saxonibus carus, & Langowaldiis prætor
ab iiſdem datus, interceſſiſſet. Per eum ſic convenit, ut exercitus pacatus,
quò vellet, diſcederet, ipſe cum delectis ruſticorum Adoardiam pro Duce
tueretur, Duciq; reſtitueret. Tùm miles Adoardiâ egreſſus occidentem ver-
sùs, cis ultraque Lavicam per vicos diffuſus vagatúsq; abſumptâ omni annonâ
in Drentiam tandem, indè pòſt aliquot dies in Tuentiam & Tranſiſalanos,
denique in diverſa abiit. Groningani ſtatim, ut militem exiſſe cognorunt,
quod fuit XII Calend. Ianuarij, expeditione indictâ, poſtridiè ejus diei cum
iis, quos in urbe habebant, militibus, Adoardiam ſub ſignis profecti dedi
ſibi cœnobium poſtularunt. Eo à Mennone primùm negato, tormentis
etiam nonnullis (bacas enim aliquot illic Saxones reliquerant) in ipſos emiſ-
ſis, mox tamen concurſu paucorum è Langowaldiis, qui ibi in præſidio

 erant,

M.D.XIV erant, portis vi patefactis, ſine pugnâ ſunt intromiſſi, præſidium omne cum
præfecto, odio Saxonicæ amicitiæ, in captivitatem ductum, ac gravi auri
pondere mulctatum. Ira quoque in inviſum cœnobium, ſedem hoſtium,
arcemque belli effuſa, murus turréſque ejus civitatem versùs, & quæ aliæ
munitiones, dirutæ. Ità, qui exierant, ovantes in urbem reverſi. Tranſlavi-
canis in Saxonas Geldróſque diviſis, per mutua damna atque injurias par-
tes inter ſe certarunt, præcipuè in Weſtergoâ: prædas agere, capere invi-
cem, cætera diripere, incendia dare, denique nullo belli malo abſtinere. Ità
multi ex fælicibus repentè miſerrimi ac pauperrimi facti. In horum nume-
ro Petrus (Pierium Friſii dicebant) cognomento Longus ex corpore proce-
ro & vaſto, quo ſupra hominum vulgus totâ cervice eminebat, Kemſverta-
nus è ruſticâ plebe, ſed opibus prælautis, direpto exuſtóque Kemſverto vico
Franequeræ proximo, & omni fortunâ everſâ in deſperationem, ex eâ in fu-
rorem actus, adſcitis ſibi aliis idem paſſis, in Saxonas, & horum ſocios Friſios
arma cepit, omnibusque, quibus potuit, modis eos afflixit. Sic nomen ex ter-
rore ſibi paravit. Erat quippè ut corpore ità viribus vaſtis, & hominum mo-
do majoribus: animo ad hæc magno, intrepido, vehementi, audaci, nec par-
tium ſolùm ſuarum defenſor acris, ſed adverſarum quoque perſecutor acer-
bus, iræque immodicus, &, cùm incaluiſſet, penè ſævus. Pòſt cohorte inſti-
tutâ ſexcentûm capitum, hominum ſimiliter audacium ac inopum, velut
exercitus dux, adſcito poteſtatis ſocio aut legato Wiardo ſorore ſuâ nato,
Bolſverdiano, virium & ſtudii ejus æmulo, paratâ liburnicarum claſſe è litto-
ribus Weſtergois mare & vada proxima & fluminum oſtia inimicis infeſta
fecit, inſulas & adverſam Hollandiæ oram ſæpè deprædatus, ingentem ſui
terrorem omnibus hoſtibus incuſſit. De quo ſæpè ſcribendum nobis in ſe-
quentibus. Atque hic annus ille Friſiæ regionibus inter Viſurgim & Lavi-
M.D.XV. cam belli malis ad ſeros quoque poſteros infamis. Anno ſequente M D. XV,
qui cladibus crebris Tranſlavicanæ, iſtûc jam vergente Marte, infauſtus
fuit, ſtatim poſt Epiphaniæ Saxones Farmſumo irati, quòd cenſum non pen-
deret, & hoſti in ſe oportunum eſſet, Dammonâ excurſu facto, & fanum ejus
pulcherrimum, & totum vicum direptione & incendio perdidêre: aliis quo-
que in eâ orâ fuêre moleſti. Quapropter omnis ager in illos odio incenſus,
ſed virium ad pugnas & vim expers. Atqui in oppido cum Saxonibus erant
honeſtiſſimi ordinis ex agro homines complures: in quibus Wigboldus Eu-
ſumanus, Eilco Onſtenius, Joannes Rengerus, Aſigo Hammæus, Menco
Hemſtræus, Focco Euonius, Eltetus Lellenius. Hi Saxonum quidem rebus
fidi, & Groninganis, atque ob hos Edſardo infenſi, tamen labi fortunam par-
tium, nec ab ſe fulciri reſtituíve poſſe cernentes, ad patriam & res ſuas reſpi-
„ cere, militum tentare animos, pericula ponere ob oculos: amentiæ eſſe, re
„ & ſpe partium perditâ, niti diutiùs, ac fortunæ reſiſtere: denique agendi po-
teſtatem petiere, ampliſſima quæque, de eventu polliciti. Poteſtate acceptâ,
& re Groninganis nunciatâ, altero ab Idibus Ianuarii die delecti ex ſenatu,
atque ipſe Oijus cum Euſumano & Rengero in colloquium venere Nortdi-
cæ in conſpectu urbis. Illîc convenit, ut miles cum impedimentis & rebus
ſuis omnibus liber Dammonâ exiret. Sed miles ubi intellexit, renuit, resque
infecta manſit. Eodem tempore Ianco Oldeboranus Groningam profe-
ctus, in partibus fervens, expoſitâ ſpe ſuâ, Oijo ſenatuique perſuadet, ut Tiar-
dum Moccamam in urbe hærētem cum militum cohorte Collumum quàm
citiſſimè mittat. Is miſſus cum c c c ad audendum promptis: profectúſque
cum eo Ianco concitandis auxiliis. Mox Tiardus Octopagicis viritim exci-
tis, itémque Oſterbrocæis, in Dongeranos contendit, eóſque etiam ſui ſtu-
dioſos armat, libertatis ſpe Geldros ad cœlum tollit, Saxonas autores ſer-
vitutis inſectatur. Simul Ianco aliâ parte armatis è ruſticâ plebe c c c c,
diſtinendis

diſtinendis Saxonibus & Leoardiis conſedit Bergerhuſii. Metuebat quippè M.D.XIV
ab his qui præcipuo robore in totâ provinciâ erant, impeditum iri conſilia
Tiardi in Doccumanos inita. Sed triplo majore numero in eum erumpenti-
bus Leoardiis, priuſquàm munire ſe aggere ac foſsâ poſſet, quos Sigiſmun-
dus Sichavius & Conradus Godofrundus, cohortium præfecti, viri fortes du-
cebant, locum relinquere coactus fuit. E ſuis etiam LIV, qui in receptu in
arcem Vniæam confugerant, in poteſtatem hoſtium redactos, amiſit. Tiar-
dus numero militum quoque è Sylveſtribus auctus, cum Thomâ Ketelero, &
Henrico Lochumano propiùs Doccumum cùm ſe inferret, præſidiarii in op-
pido tantâ multitudine venientium in ſe turbati, ſibíque & oppido tenuiſſi-
mè munito diffiſi, nec tormentis & commeatu ſatis inſtructi, ipſi quoque in-
ter ſe & cum oppidanis haud concordes, ſine pugnâ oppidum Tiardo &
Geldris dediderunt. E præſidiariis CL è Geldriâ aut vicinis Belgii regioni-
bus oriundi cum Tiardo & Geldris mansêre: cæteri Miſnenſes aut Saxones
cum cohortis præfecto Fincone Boſio Leoardiam iverunt. Factum hoc die
V Calend. Februar. apud Worperium lego. Groninganus ſcriptor ἀνώνυμος,
& Grimershemius ad pauculos dies tres aut quatuor tempus anticipant.
Doccumo potitus Tiardus, ſigno libertatis nomine & auſpiciis Geldriæ Du-
cis ſublato, ad repetenda majorum ſuorum jura, & excutiendum domina-
tum totam viciniam vocavit. Plebs maximo numero blanditiis capta, ſpon-
te ſuâ, pauciores terrore & vi adacti, ejurato Saxonum nomine, novóque ſa-
cramento inito partibus additi: Carolus Geldrus protector libertatis Friſicæ
declaratus. Quæ dùm his locis fiunt, Saxones Dammonâ excurrẽtes, neſcio
quâ ſpe novâ elati, civibus Groninganis, ruſticis, peregrinis, pericula & dam-
na creant, naviculis piraticis ex orâ Dullarti omnes eo ſinu navigantes infe-
ſtant; aliquot cives cum pecuniâ & rebus intercipiunt. Simul de colloquio
Nortdicano rumuſculus ſiniſter Emdæ, & cis Amaſum ſparſus. Ob has res
Edſardus ipſe ad Senatum Groninganum valdè benignè ſcribit, fidem &
ſtudium ſuum in hoſtem defert. At Hicco Dornumanus Guilhelmo Frideri-
co per literas ſignificat, ſauciatum animum ejus primo rumore colloquii
fuiſſe, ægriùs ferentem inſcio ſe actiones cum communi hoſte inſtitui. Se-
natus amiciſſimè Edſardo ad utrumque reſpondet IV Calend. Februar. &
expoſito excuſatóque colloquio, de fide ſuâ optima quæque viciſſim ex-
pectare multò quoque prolixiùs. Simul de itinere Tiardi & conatu ac ſpe
eum certiorem reddit, & ſignificat, nunciatum ſibi, legionem nigram per
Michaëlem Bombergium in fidem regis Galliæ adactam, ad Daventriam
Iſalam flumen tranſiſſe, & in Geldriam eſſe profectam. Eo nuncio, quan-
quam haud vero, in ſpem majorem erecti utrique (vim enim veteranæ le-
gionis horrebant, gaudebantque procul eam abduci, id quod fama ferebat,
aut amici regis ſacramento imbui) in reliquias hoſtiũ ſe parabant. Et iſthoc
quidem tempore Groningani, qui generalibus ſolùm promiſſis, & oſtenta-
tione benevolentiæ freti, Geldro ſe ſubjecerant, oportunitate illecti condi-
tionibus ſcriptis certiùs ſpecialiùsque obligandum ſibi Principem, reique
publicæ ſuæ, dum occaſio in manibus, conſulendum putarunt. Nam & abe-
rat Edſardus, & hoſtis conſternatus cum deſperatione videbatur luctari, &
ipſi Oijo penè ex voto utebantur. Itaque egère cum hoc ſedulò, eoque eum
induxère, ut conditionibus conceptis ſubſcriberet velut Principis legatus,
ſed hâc lege, ut eæ ratæ eſſent, ſi Princeps quoque iis aſſentiretur. Condi-
tiones hæ fuêre. *Princeps Gelder jus, quod in civitate Vltrajectinus habet, ei relin-
quet: civitatem uti reliqua ditionum ſuarum tuebitur: civitas viciſſim in fide ejus per-
ſtabit conſtans, ac ſine vitio, quoàd vi majore non domita id facere poterit: idem Prin-
ceps non civitati ſolùm univerſæ, ſed ſingulis quoque civibus ejus libertatem, privilegia,
jura, inſtituta, leges, mores, cenſus, vectigalia, & quicquid rerum hujuſmodi, ſarta tecta*

M. D. XV *ſervabit omnia: extruet in urbe in uſum ſuum domum, munitionum expertem, cum volet, arcem munitam ei non imponet. Cædet ei civitas poteſtatem ac jus regundi agrum vicinum inter Lavicam & Amaſum; itemq́ jus illud, quod eadem civitas habet in Oſtergoam & Weſtergoam, inq́ Veterem præfecturam, ſed legibus iis, quæ hic ſubiiciuntur: N*VNQVAM* committet Princeps aut hæredes ejus, ut ager ab urbe ſeparetur, aliumve ab eâ dominum habeat: civitatem agrumq́, aut alterutrum horum, nulli Principi dominóve tradet ſine civitatis conſenſu: munitiones omnes per totum agrum hoc bello extructas deſtruet, nec alias earum loco excitabit impoſterum ſine conſilio civitatis agriq́ ordinum: jura civium, & agri ordinum, omniumque, qui poſſeſſiones in agro tenent, non minuet quoquo modo: leges, inſtituta patria, conſuetudines, ditiones, bona denique omnia intra extráque aggerem relinquet intacta. Ex conſilio & conſenſu civitatis & ordinum agri cenſum ſibi ex æquo & bono conſtitui curabit, à quo nullæ poſſeſſiones in agro toto immunes ſint, nec præter eum cenſum quicquã novi oneris impoſterum inducet: effectum dabit, ut ex agri ordinibus, qui hoſtes civitatis fuêre, hoſtibuſq́ opem tulêre, damnum reficiant iis, qui damnum dedêre, idq́ ex ipſius arbitrio Principis: agrum curabit regi ex urbe per legatum ſuum & Hovetmannos quatuor à civitate è numero honeſtiorum civium datos in annos ſingulos, juraturos in leges & inſtituta moremq́ regionis, & adminiſtraturos omnia, quæ antiquitùs ab Hovetmannis civitatis ſeu pacto expreſſo, ſeu more adminiſtrari ſolent, impendiis quoque iiſdem, extra juridicos conventus: in conventibus verò hiſce cum quaternis ex ortivâ agri parte à Principe lectis in conventu partis ejuſdem, & quaternis ex occiduâ parte in conventu partis ejusdem ab eodem nominatis in urbe judicia recturos, & cauſas cognituros ex legibus & moribus patriis in conventibus illis ſ. litas. Ius fori aut ſtapulæ in mercibus omnibus & rebus venalibus quæ in agro proveniunt, aut in eodem ſunt, nullis omninò exceptis, ſoli manebit civitati, nec cum ullo commune fiet loco alio, ex more veteri: cereviſiæ uſus in tabernis ac diverſoriis non erit alius per totum agrum vicinum quàm Groninganæ, more ſimiliter antiquitùs ſolito: Groningani non alio modo ſolvent vectigalia & portoria ac ſimilia in omnibus Principis Geldri ditionibus quàm ipſi Geldri, aut Geldriæ incolæ, modo idem hoc tribuatur Geldris Groningæ.* Atque his non manum ſolùm ſuam, ſed & ſigillum adjecit Oijus pro eâ, quam pro Principe, cujus erat legatus, gerebat poteſtate: quinimò promiſſo quoque obligavit ſeſe, daturum ſe operam ut in eaſdem conditiones has aut his ſimillimas, veteri libertati ac juri civitatis congruas, Princeps ipſe deſcendat. Signata hæc Groningæ XIII Calend. Martij, ignaro Edſardo, ac ne antè tempus offenderent animum ejus, ſilentio tecta, præcipuè ob jus imperiumq́ue in agrum, quæ Edſardus pro ſuis habebat. Inter hæc exturbandis hoſtium præſidiis reliquis cis flumen Lavicam pari ſtudio & curâ cōſilia ab omnibus comparata. Edſardus ad XII Calend. Martii Amaſo tranſmiſſo cum ſuis validam manum Farmſumi proximè caſtello Delfſilano conſtituit, ibiq́ue caſtra communit: iis Robertum Keppelium virum militarem præficit: hoc modo commercia Dammonenſibus & Delfſilanis impedita, commeatuum rationem difficilem, vias infeſtas, prædationes periculoſas reddit: navibus quoque Amaſum Saxonibus claudit; denique arctiora iis omnia facit. At Groningani caſtellum Huneſo impoſitum ad emiſſarium Adoardianum maximis operibus munitum, cui Nicolaus Vlmēſis pro Saxone præerat, invaſuri, duce Allardo Rege manum militum CL capitum Winſumum vicum vicinum mittunt. His mediam partem civium ſclopetos tractantium, itemq́ue profugorum & perditorum ex agro, hominum audacium, & ad quidlibet patrandum expeditorum, ſub imperio Lubberti Clantii & Ludovici Hornkenii ſubmittunt. Hi in vico Ferwerdio & proximis locis ad caſtellum ad Occidentem Huneſi, ubi ipſum caſtellum erat, cōſident. Quo cognito, præſidiarii viri fortes eruptione factâ, vicum Scelligehamum in aggere in ipsâ Huneſi ripâ ſitum, contra ſe hoſti peroportunum, & ædificia ad canalem ſtructa igne injecto comburunt, & inutilia caſtrorum ſedi faciunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

unt. Hinc excurſionibus certant, cædunt cæduntur que. Mox IX Calend. M.D.XV
Martij, quem diem Cinerum vocant, Langowoldij, Humerzij, Medachij
in caſtra Groningana veniunt, ſtatimque ſclopetarij oppidani juſſu Senatus
in urbem redeunt. Pro his probatæ virtutis centuria militum ab Oijo Ma-
reſchallo, & ſenatu ex urbe remittitur, eique & cæteris militibus ſummo
cum imperio præficitur Guilhelmus Frimmershemius, domo nobili natus.
Hujus ſtudio, & Wiardi Tiarſmæi, ac Henrici Gaicamæ, qui ruſticis co-
hortibus præerant, vallum ingentibus tormentis ſummâ vi concuſſum, om-
niſque terror obſeſſis admotus, multi intra vallum, aut in vallo fulminibus
illis afflati, quidam quoque interempti, vix XL in omni præſidio incolu-
mes ſine vulnere relicti. Sed tanti erant paucorum veteranorum animi,
operibus prævalidis, tormentis, apparatu omni, commeatuum copiâ, im-
primis armis ſuis & auxilij ſpe freti, ut ne tot quidem detrimentis & terrori-
bus moveri ſe paterentur. Quapropter oppidani haud ferendum pertina-
ciam rati, fervido ſtudio ingentium machinarum materiam, imprimis pi-
neos truncos excelſos, è quibus mediocrium navium malos conficere mos, &
abiegna tigna, trabes, aſſeres, magno numero in urbe conficere, per fabros
celerrimâ operâ aptare, aptatam ſolutamque in caſtra vectare: cum hâc me-
dium ſui numerum per omnes cæteros ordines, ſclopetariorum univerſam
multitudinem, erigendis ſubitò & in munitiones propellendis machinis ex
urbe eôdem emittere. In his machinis erat ſtructura ingens è pineâ materiâ
turris inſtar in ſublime erecta, rotis ſubnixa, quibus moveri, & ſub ipſas mu-
nititiones agi poterat: in cujus vertice milites aliquot collocati ſclopetorum
ingentium & hacarum grandine præſidiarios omni parte valli proturbarent,
& tormentorum uſum iis adimerent. Pontes deindè tres ſternendæ foſſæ, &
ſcalæ plurimæ. Circulos ad hæc è lentâ fraxino pararant prægtandes, quales
ſunt, quibus doliorum ingentium, quas cupas dicunt, materia compingitur
& continetur: hos abiegnis tignis gracilibus ſed prælongis, quos Norwegia
infinitâ copiâ mittit, leviter inter ſe quinos ſenóſve intervallo modico diſti-
nebant, alios ſuper alios: tùm denſo tignorum ſimilium erectorum ordine in-
teriùs incingebant, atque ità cylindri figuram concavi & perluſtris conficie-
bant: hunc concavum cylindrum mox fœno fimóque explebant: deinde
in latus ſternebant, molémque eam tuti contra tormenta hoſtilia magno
niſu provolvebant uſque in foſſæ oram. Poſt moles has (plures enim in-
ſtituerant ſimul) foſſiones urgebant, aggeres jaciebant pro libitu. Quæ
cùm conſpicerent obſeſſi, & jam proximè munitiones ſuas opera hoſtium
ſubire, ſe numero paucos eſſe, nec omnibus locis adeſſe, non ſibi mutuò in
labore ſuccurrere, alióſve aliis ſuccedere poſſe, concidentes animis, & cædem
promiſcuam, ſi diſcrimen extremum expectarent, metuentes, mutato conſi-
lio, colloquium petiêre. In eo convenit, ut caſtellum dederent, ipſi ſalvis cor-
poribus & rebus, quas efferre ſecum poſſent, quò vellent, diſcederent, modò
ne ad hoſtem: huic intra trimeſtre, aut cuivis alteri, contra Geldros & Gro-
ninganos ac eorum ſocios bellum habenti aut habituro non militarent. Fa-
ctum id die XVI Calend. Aprilis, Gertrudis memoriæ ſacro. In caſtello dedito
tormenta cum omni paratu, commeatus & quicquid neceſſarium in menſes
ſex in uſus virorum CL, reperta. Quibus exportatis, & in urbem miſſis, vallum
ſtatim disjectum, foſſæ completæ, pons Huneſo impoſitus ſolutus, materia-
ejus, & ædificiorum caſtelli, Scellegehamæis incendia paſſis, & vicinis cæteris
data. Groningæ præda diſtracta, diviſaque: præſidiarij quoque in urbem
profecti, poſt tridui moram, Friſiâ omni exceſsére. Hic caſtelli finis, exciſi ab
his, à quibus frenandis nomen ferebat; manifeſtâ vanitate mortalium, quo- "
rum deſtinata plerumque irrita fiunt, ſæpè etiam in contraria vertunt. Sub- "
motis hâc parte hoſtilibus præſidiis, in Dammonam & Delfſilam, quas leviùs

M. D. XV totum jam menſem Edſardici è caſtris Farmſumanis premebat, omnia parata. Ob hanc rem in Wirdumum vicum cum cohorte militum CL Rotgerus Becbergius è civium numero, homo militiæ deditus, à civitate miſſus. Is loco potitus Fivelingios ſtatim, alioſque hujus regionis ad arma vocat, commeatu Saxonas prohibet, temerè paulò longiùs elatos L opprimit, partem cædit, partem capit. Simul Edſardus per ſe alacris & ardens, tùm Suartzburgij quoque litteris atque ampliſſimis promiſſis ſtimulatus ex caſtris Farmſumanis Emdam ſubitò ſe referens excito promptiſſimo & validiſſimo quoque ſuorum, juſtóque ex his exercitu conflato, Amaſum rurſum trajicit, & in eadem caſtra revertitur. In hunc emiſſi Dammonâ manipuli aliquot audaciſſimorum in præſidio, velitandi causâ, cùm propiùs ſubjiſſent, ab occurrentibus in fugam acti, in proximum caſtellum Delfſilanum recipere ſe ſunt conati: multi, dum feſtinant, dum impelluntur à perſequentibus, in emiſſarium præcipites lati, ſuffocatíque quidam in portâ ipsâ ferro trajecti periêre. Mox, dum terror recens, caſtellum ipſum ſummâ vî oppugnatum, & paulò pòſt deditum. Præſidiarij incolumes cum rebus ſuis abire permiſſi. Caſtello præfectus ab Edſardo impoſitus Ioannes Falco. Indè conjunctæ copiæ, caſtraque hîc illîc contra Dammonam poſita: obſeſſi intra vallum concluſi. Erant hi præter ipſos oppidanos, bonumque ruſticorum numerum, & quos antè è nobilitate agrariâ nominavi, ſexcenti milites armis animiſque præſtantes: quorum dux Carolovitius Bohemus, fortis æquè ac prudens, & Principi fidus. Cui priùs nihil fuit, quàm tam oportunum munitúmque oppidum reſurrecturo his locis bello conſervare. Itaque maturè ordinem rebus arctis dare, commeatum in familias & capita partiri, deindè & in dies dimenſum aſſignare, omnes ſubſidij ſpe ad fortitudinem hortari. Sed ubi deficere frumentum, auxilij ſpem minui, oppidanos vix in officio haberi, militem quoque arctæ rei tædere, & ſervandæ prædæ ampliſſimæ magis, quàm fidei memorem eſſe videt, prudentis naucleri modo, obſecundandum tempori cenſet: operam dat, ut quàm minimum eorum, quæ ſe ſuoſque premebant, ad hoſtes emânet, portas & vallum prohibendis transfugiis cuſtodit, fiduciam in ſummâ conſilij inopiâ ſimulat. At obſidentes horum ignari terrêre obſeſſos, oppugnationem & cædem promiſcuam pertinacibus minitari, dedentibus æqua omnia ac lenia offerre, ad colloquium vocare, ſed temni primùm ab obſeſſis; poſt colloquij copiâ datâ, abſente tùm fortè Edſardo, Carolowiitzius per delectos eadem illa præ ſe ferens ampliſſima quæque poſcere, in utrumque paratos animos oſtentare. Interim de colloquio hoc edoctus Edſardus Emdâ monitorias dat ad ſenatum, ſollicitus de fide ejus, & rebus ſuis: ait, notum ipſis, quantos ſumptus habendæ tuendæque Dammonæ fecerit, quot fidiſſimorum hominum ſuorum, quantum tormentorum, apparatus, rerum aliarum maximi pretij in eâ perdiderit, quàm magnis impēdiis per tot dierum hebdomadas Farmſumi præſidium habuerit: haud æquum eſſe, ſeparatim ſine ſe aut ſuis agi cum hoſte: nec cauſæ fortunæque communi expedire ob famam & opiniones hominum: nam diſcordiæ argumentum habituro audientes: id verò augendis hoſtium animis, & partibus firmandis futurum. Atque has litteras mox ſequitur ipſe, & Farmſumi cum ſenatus delectis & Geldri legato poſtridiè Cal. Apr. ex condicto in colloquium venit: ibique de dicendis Carolowiitzio conditionibus, & quomodo Dammona habenda, conſenſus initus. Tùm cum obſeſſis redintegrata actio, eâdem ſimulatione Carolowiitzij, demumque Nonis Aprilis, triduò ſcilicet antè ſolenne reſurrectionis Chriſti feſtum honeſtiſſimis conditionibus, promiſſa admiſſaq; deditio eſt. Conditionum præcipuæ fuere, *Vt miles aurum, argentum, veſtem, ſupellectilē, cunctaq; è prædis parta, ſecum efferret, tormenta Principis ſui & præter hæc minoris generis* XX, *quas ſerpentinas dicunt, & hacas* XL, *itidē educeret, omnia hæc, quocūq;*

& qua-

& quacunque liberet, exportaret, atque in tutò ſiſteret intra dies XII*: intra hoc dierum* XII *ſpatium militarem rem contra Geldros, Edſardum, Groninganos non attingeret: indigenis è nobilitate & plebe liceret item cum omnibus rebus quas in oppido habebant, ſine noxâ exire, ſuaq́ per agrum quietè poſſidere, eâ lege, ne quid contra Geldrum faciant, oppidanis quoque fortunæ manerent incolumes:* Inter obſidentes verò convenerat, *ut quæ in oppido relinquenda erant tormenta Edſardi, Edſardus reciperet, quæ Groningenſium, ÿ quoq́ haberent, Edſardus & Groningani ſimul Dammonam oppidum obtinerent, & vallo diruendo inter ſe compararent.* Miles tormentis impedimentiſq́, omnibus, & quicquid pretioſæ prædæ habebat, in naves impoſitis, eodem illo die cum Carolovitio oppido egreſſus, ſub occaſum ſolis Huneſum flumen tranſiit, paucis ſupra Groningam paſſibus. atque hinc ad Werdenbraſſæos, indè porrò in Drentiam ſe recepit, nec in hanc Friſiæ partem unquàm rediit. In hujus locum Edſardici & Groningenſes, utríque eo quo convenerat, numero, diverſis viis, illi Farmſumo ab oriente, hi ex cœnobio novo ab Septentrione in oppidum ingreſſi. Sed Edſardici tempore gratiaq; hominum priores omnium in oppido animos vertêre in ſeſe, loca oportuna occuparunt, claves portarum fecêre poteſtatis ſuæ. Verum turbidior, quam diſciplinæ ratio fert, ingreſſus utrorumq; tumultui locum dedit. Nam oppidani aliquot injuriis diſcedentiũ recentibus furtis, ſpoliis, verberibus, probris iritati, concitato motu portâ erumpunt, curſuq; connixi ultimos abeuntium, in quibus lixæ, & turba muliebris impedimentis appoſita, invadunt, morantur, pulſant: mox plures ſecuti, ut ſuccurrant ſuis, & cum his Edſardicorum ac Groningenſium, & maximè vicinorum ruſticorum magna manus totum illud agmen ultimum circumveniunt, & ut fit, conſertâ ſemel vî, dum ſua repetunt, & injurias ulciſci volunt, obvia promiſcuè rapiunt, injuriasq́ue ipſi inferunt, pudorem honoremq́ue muliebrem, dum pecuniam quærunt, juxtâ habent: denique cæteris direptis in tormenta & equos Carolovitij manus injiciunt, ſecúmque Dammonam retrahunt. Hâc de re querelis Carolovitij ad Oium Groninganosq; perlatis, ſenatus eaſdem ad Edſardum refert, eumq́ue monet, ut nominis ſui ſociorumq; rationem habeat. Ille haud levitèr commotus Dammonâ reſpondet Senatui, dolere ſe, immerito honorem ſuum lædi: factum id, quicquid hujus factum, nec ſciente nec volente ſe, cæpiſſeque excurri utriſque è caſtris in abeuntes, maximeq́; ex cœnobio novo ac vicis proximis, antè ſuum in oppidum Dammonam introitum, & his in hoſtem vadentibus ſuorum nonnullos ſe addidiſſe: nemini quidem magîs quàm ſibi adverſum & inviſum contra pacta fidemq́ue aliquid fieri, verùm depræhendere ſeſe, hoſtes in diſceſſu pactorum immemores, & captivos quoſdam abduxiſſe ſecum, & in tormentis aliiſque rebus fidem non ſervaſſe: nihilominùs tamen inquiſiturum ſe in omnia diligenter, equos, tormenta, cætera cuncta conquiſiturum, & ſi Carolovitium militesq́ue ejus inſontes eſſe invenerit, facturum quod æquum videbitur, & honori ſuo congruum, idem quoque ſenatum facturum putare. His in calce litterarum adjicit, audire ſe eo ipſo momento, equorum plurimos Winſumum & in loca vicina abactos occuli hîc illîc. Sed inquiſitione inſtitutâ quid ſecutum, non produnt ſcriptores, niſi quod Sicco oſtendat; tormenta non reſtituta. Vnde conjicio Saxonas in culpâ deprehenſos, nec reliqua iis reddita. Saxonibus profectis, totoque agro ab hoſte liberato, Groningani de vallo oppidi recuperati agere cum Edſardo, inſtare, pacta conventa urgêre: at Dammonenſes gratiâ, prece, rationibus niti, ſuam fidem, labores, damna pro eo ſuſcepta memorare, Groninganos inſectari, imprimis, ipſius quantum interſit, ponere ob oculos. Quid multis? facilè hic iſtùc inclinavit, quò ſponte animus ferebatur. Verùm nec negare prorſum, nec morem gerere, ſed ſpe metúque animos dubios habere. Simul Guilhelmus Oius ſemper ſiniſtro in Edſardum animo, honoris ejus avidus obtrectator, ſub-

M. D. XV

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. XV dolus, inimicus, litteris apud Principem ſuum eum traducit, nec ſolùm diripuiſſe per ſuos res hoſtium ait contra pactorum leges, ſed vulneribus & cædibus quoque fidem fœdaſſe, oppidi dediti mœnia per vim ſuperaſſe, oppidum perfidè in poteſtatem redegiſſe: denique haud videri dicit in diſturbationem mœnium ejus eum conſenſurum. Mox facta addit verbis ſimilia: tributa ab Edſardo promiſſa per Drentiam exigit ipſe, animum ejus mordet: ille qui Emdam jam redierat, eo cognito, ſenatui ſcribit, deque injuriâ queritur graviter: eam ſibi & immerito & præter ſpem ab Oyo ait accidere, ac rogat meliora, ut moneant eum, pecuniamque ex tributo confectam ſuis civibus, quibus ab ſe deſtinata ſit, (debebat enim iis) in ſolutum dari curent. Et ſerpebat ſenſim ſimultas, malúmque minitabatur, cùm ſuperveniens ab hoſte rumor eam ad tempus compreſſit. Sollicitos tùm habebat & ſuſpenſos quàm plurimos mortales legio nigra, robore pariter & ſævitiâ famoſa, pridem Friſiæ finibus egreſſa, indè per Vltrajectinos, Hollandos, Brabantos diu vaga, haud invito, ut pòſt res docuit, Carolo Burgundiæ, & Belgicæ Principe. Quæ quibuſcunque hoſtis veniebat, hos terrore etiam antè vim percellebat. Nec ſolùm illi qui in Friſiâ & Hollandiâ id nomen tulerant, ſed alij quoque, qui ſine ſacramento erant, huic ſe hinc indè magnis agminibus aggregantes, aut qui domi re & famâ perditâ ad licentiæ caſtra quotidie confluebant, hoc titulo cenſebantur. Operam hi ſuam venditare iis, quibus bello erat opus, ſuperbéque admodùm ſtipendia liceri, ambiri potiùs quàm ambire, nec cæterorum modò Principum, ſed Regum quoque animos in ſe vertere. Et fama vulgarat, per Michaëlem Bambergium à rege Galliæ Franciſco (ſucceſſerat is Ludovico XII Calendis Ianuariis anni hujuſce extincto, juvenis magni animi & bella ſpirantis) conductos in Galliam Italiamque iter habère; idque credi quàm maximè Geldriæ princeps cupiebat, ut ſuis in Friſiâ metum demeret. Sed langueſcente hâc famâ, & jam in diverſum inclinante, commovente ſe & horsùm vertente legione, (quippè Rhenum repetere ferebatur) Suartzburgius, Erclenius, ipſe quoque Oyus de fortunâ Geldricâ ſolliciti demulcere Edſardum, offenſæ mederi, gratiam ſarcire ſatagebant. E re præſente viſum, Oyum ſe negotiis ſubducere, ſenatum alióſque Geldrici nominis componendæ ſimultati cum Comite colloquia habere. Colloquio Damnonæ cōdicto ad Comitem litteræ à Suartzburgio & Erclenio venêre è Tranſlavicanis, nunciantes alterutrum ex his Emdam cogitare de concordiâ, maximiſque rebus toti Friſiæ communibus acturum cum ipſo. Statimque ſecutus Erclenius, ſecretò cum eo multa locutus, cunctaque de Principe pollicitus, in ſpem eum maximam erexit: is opem, ſtudium, fidem in hoſtem communem promiſit. Mox aliis quoque adhibitis, & in his Groninganis, offenſionibus ſanatis, controverſiis ſuſpenſis, conſenſu omnium Dammona ad tempus Edſardo in belli caſus relicta, quanquam aliud monere & hortari Geldriæ princeps, ſed longiùs abſens, atque ideo cæcutiens videretur. Facta hæc circiter XIII & XII Cal. Maij. Iam militum manus ingens, quæ à legione nigrâ ſejunxerat ſe, & idem ſibi nomen, ut terribilior eſſet, indiderat, Saxonis nomen profeſſa, ad Embricam trajecto Rheno, Sutphanienſes, Geldri regionem, ingreſſa, iiſque afflictis in Vltrajectinos profecta lento ac diffuſo agmine in extima Drentiæ pertigerat, Friſiam petens. Indè in proximos Stellenwerfios delata, cædente Leonardo Suartzburgio, qui cum cohorte militari & maximâ manu ruſticâ objicere ſe erat conatus, detrectantibus pugnam ruſticis, univerſam Sylveſtrium regionem ſine prælio percurrit; Vpſteranis imprimis & Smalingerlandis memoria cædis prioris gravi damno fuit; demum Indicæ die VI Calend. Maij conſedit. Hujus rei terrore inopino perculſi Geldri (nam in legione quinque militum millia erant, & in his equites CCCC, quos Tegnaglius vir nobilis ductabat) caſtra quæ Ludinkercæ, Zummi, Ludlumi

in Weſter-

in Weſtergoâ habebant, & Doccumum oppidum in Oſtergoâ deſeruêre. M.D.XV
Tùm ab his, qui Franekeræ in præſidio erant Saxonibus, duce Wolfo Engenſi, unaque civium alacerrimis, deſerta loca, atque omnis ea ora miſerrimum in modum afflicta: Ludenkerca cum pulcherrimo monachorum clauſtro ac fano funditùs everſa, materia lateritia omnis Harlingam à Friderico Gronbachio ejus loci præfecto ſtruendæ denſi operis turri convectata. Simul qui Doccumum relictum invaſerant legionarij, indè effuſi ad diem IIII Calend. Maij longamæam arcem apud Raerdanos, primum Geldrorum confugium, dedêre incendio, vicina quoque omnia longè & latè vaſta fecerunt. Deindè abſente Suartzburgio (is è Stellenwerfiis Groningam ſe receperat, ut & oppidanos erigeret, & Edſardum in re anguſtâ, atque omnium terrore ad feſtinandam opem exſtimularet) cùm Henricus Grovius Erclenius Snecæ metuens, iſtuc ad ſe cohortem militum Bolſverdiâ vocaſſet, à reliquis quoque cohortibus duabus id oppidum eſt deſertum, & Sneca petita. Quæ ſic geſtæ eſſe patrij annales tradunt, ut comparatâ cum legione re,ad proterendam regionem fieri jam tum prudentioribus viderentur. Quippè cùm cives etiam à præſidio deſerti, ſævitiâ adventantium trepidi diffugiſſent, Geldros ajunt, qui erant Snecæ,ſignum ejus rei excitato igne legionariis dediſſe, eoſque ſine morâ caſtris ſublatis pridie Calend. Maij quàm celerrimè Bolſverdiam petiviſſe. Bolſverdiâ hoc modo ſine prælio à Saxonibus receptâ, ad vaſtandam regionem & peſſundandam utrimque, omnis eſt vis effuſa, nec rei nec homini parſum. Intereà Edſardus prece, promiſſoque à Geldris ac Groninganis, odio metuque Saxonum ab ſeſe excitatus, vocatis ad arma ſuis, commemorato periculo communi, ſi invaleſcerent iterùm hoſtes, & vicinos opprimerent, omnibus ſecundis (erat quippè incredibili apud omnes gratiâ) delectum habet, promptiſſimum quemque, & armis membriſque valentiſſimum ex Amaſanis, Broecmeriis, Nordanis, Reidanis in cohortes ſcribit, his milites ære conductos DCCC, ut ait Grimershemius, DC, ut alij, adjicit. Cum hoc exercitu capitum quatuor millium CCCC cùm Amaſum VI Calend. Maij trajeciſſet, collegiſsétque, quos illic quoque armare ſe juſſerat, Winſumum venit pridiè Calend. Maij. Hinc Collumum rectà profectus, diffugentibus qui Doccumi ex legione erant, id oppidum ſine difficultate recepit. Hunc ære merentes milites centum, ac ſclopetarij oppidani omnes, & cum his media civitas reliqua, quæ ad Aham amnem eſt, ductoribus Conrado Coendero, Lubberto Clantio, Petro Vlgero ex urbe Groningâ ſecuti: & pariter ingens multitudo è viciniâ eôdem confluxit, Saxonibus adverſa. De Suartzburgio dubito, an ſtatim quoque ierit iſtûc, & cum Edſardo ſe junxerit. Solus Vorperius affirmat. Sed literæ ab hoc ad Edſardum, & ab Edſardo ad hunc paucos poſt dies ſcriptæ,videntur diverſum arguere? niſi fortè mox conſtitutis cum Edſardo rebus, Doccumo Groningam reliquis cum Oijo & ſenatu curandis idem redierit. Ibi tùm omnium mentes manuſque ad muniendum Doccumum converſæ, opuſque ſummo ſtudio, inſtante & urgente Edſardo, toto penè Maio properatum, agger egregius, foſſa lata profundaque oppido circumdata: ea arx belli in Tranſlavicanos, propugnaculum pro Ciſlavicanis paratum. Simul excurſiones frequentes in hoſticum factæ, prædæ Leoardiam tenus ſæpè, nonnunquàm longiùs quoque abactæ. Inter hæc Princeps Geldriæ de omnibus quæ in Friſiâ gerebantur, frequentibus nunciis ac literis edoctus, & ſuos conſiliis ac mandatis inſtruit, & ſenatum Groninganum ob ſtudium, vigilantiam, fidem collaudat, ad reliqua pari virtute & fide peragenda ſtimulat, à ſe omnia, quæ à bono Principe poſtulari & expectari poſſint, promittit effusè, & penè ſupra modum: ad auxilia rogata reſpondet, aliquid jam ſub manibus eſſe ſibi magni momenti in commodum rei communis, de quo paulò pòſt ſit ipſos certiores facturus: & quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. XV. niam acceperat, per Edſardum licuiſſe vallum Dammonæ demoliri, ſed ha-
ctenus id fieri non potuiſſe, propterea quòd, quorum operâ in id opus, in ar-
mis & caſtris contra hoſtes agere cogantur, (ſic enim ſenatus ad eum ſcripſe-
rat) monet denuò, ut priùs, operam dent, ut fiat hoc quamprimùm, pericu-
lique momenta tollant è medio. Eodem tempore, calente tùm maxime in-
ter Carolum Auſtriacum Hiſpaniæ principem & Saxonem Georgium actio-
ne de provinciâ Friſiâ, Belgarum ſtudio ac ope in Hollandiæ portibus navium
XXVI claſſis inſtructa, quæ tormenta, tormentorúmque apparatum, enſes,
haſtas, bipennes, arma omnis generis, pannum, pecuniam denique ani-
mando exercitui veheret in Friſiam, & prædonum licentiam per maria va-
daque volitantium comprimeret. Eum, Hieronymo Sneſio duce, Enchu-
ano littore ſolutam & jam altum tenentem, in omnes occaſiones intentus
Petrus Longus prædonum præfectus, eductis repentè hinc illinc, & in unum
collectis liburnicis ſuis agillimis & audacium virorum robore completis, pa-
tenti pelago aggreſſus fuit. Pugna commiſſa varia & diu anceps, ſæpè di-
rempta & rurſus acrior renata, inde vî & mole navium, hinc arte, celeri-
tate, audaciâ fortunam firmante, totus penè dies ambiguo certamine extra-
ctus, tandem victoria Petro & Friſiis parta, XVIII naves cum omni onere,
& claſſiariis CCCC captæ, nec parvus numerus in prælio cæſus, aut in mare
merſus, Sneſius cum reliquis fugâ elapſus. Captiva claſſis à victoribus in por-
tum Worcumanum ſubvecta, atque ibi præda dives diſtributa: tormenta ma-
jora minoraque in claſſem victricem diviſa: in his colubrinæ mediæ XXV, mi-
noris generis ingens copia fuiſſe feruntur. Paulò pòſt alio etiam loco grandis
hoſtium navis ex holcadum genere frumentum commeatumque alium ve-
hens, à Daniæ rege ſubſidio miſſa, (erat quippè annona in Friſiâ perangusta
Saxonibus) ab Edſardicis eſt oppreſſa, & in poteſtatem redacta. His rebus
efferati legionarij imprimis quòd ſtipendia ſibi periſſe in prælio audirent, in
amica inimicaque pariter ſævire, rapere, incendere, vaſtare omnem Bolſver-
diæ viciniam, deindè ipſam Bolſverdiam, vix fanis ſalvis, in cinerem vertere;
in hoc furore ſuos quoque præfectos in vincula dare, è ſui medio alios ſuffice-
re: tùm è vaſtis locis Leoardiam abire. Indè rurſum cùm in Weſtergoam ſe
effudiſſent inſtructi machinis & apparatu, famaque ferret Worcumum pe-
ti, id oppidum à Geldricis & oppidanis injecto igne eſt deſertum, atque ab
ipſis ſine vi captum. Ex hâc ſede eruptionibus factis, Hindelopa, Collu-
mum, reliqua finitima ejus ora direpta & exuſta. Eo facto, reliquiis Wor-
cumi igne quoque abſumptis, ne quid uſui ſupereſſet, in alia loca vaſtandi
cauſa itum, caſtraque demum Berlecomi poſita. Hæc proximis antè Pente-
coſten diebus geſta. Intereà & Petrus prædonum Geldricorum dux hûc il-
lûc cum claſſe volans, aliquot rurſum hoſtium naues cum prædâ intercepit, &
Edſardus, emiſſo caſtris milite ſuo, occupatis cæſiſque colonibus & lixis, ac
militum aliquot manipulis ad Meppelam Drentiæ, impedimentis legionis pe-
nè omnibus eſt potitus. Simul viribus fidens idem, (erat enim ingens ejus
exercitus, & ad pugnam paratus) ad Erclenium ſcribit ſummæ rerum Tran-
ſlavicanarum prafectum à Geldro, ſi permittat ipſe, & vires jungere, aut
aliâ ſe parte movere, & hoſtem invadere velit, pugnandi ſibi animum eſſe:
ſperare aut promptam victoriam, ſi pugnæ copiam faciat hoſtis, aut cele-
rem ac facilem belli finem, ſi pugnare recuſet. Sed Erclenio vetante, indi-
gnante & fremente Edſardo, cùm exercitus quietus marceſceret, vallo jam
confecto ſub ferias Pentecoſtes Groningani miſſione flagitatâ domum ſunt
reducti, ampliſſima quæque de ſe ſuiſq; in omnes caſus polliciti. Erant qui mi-
rarentur & culparent Erclenium permulti in utrâq; Friſiæ regione, quòd pu-
gnam vetaret, cùm & pugnare avêret, & viribus valêret Edſardus, exercituſ-
que eſſet alacris, tempus, loca, cætera omnia faverent, victoriæ denique
magna

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

magna ſpes affulgeret, victoria ſalutem libertatémque patriæ tractura videretur. Alii conſilii inopiam, alii metum, quidam invidiam in Edſardum ex gloriâ ſecuturâ id interpretabantur. Ipſe periculi magnitudinem, & præliorum fortunam ambiguam conſilio prætendebat. Sed aliud ſuberat ſecretum, & vulgo abſconditum. Edſardus enim cùm de imperio urbis Geldro cederet, imperium in agrum eâ ceſſione non comprehenderat, atque hanc ſuam mentem fuiſſe, atque eſſe omnibus dictis & factis præ ſe ferebat. Ideò tributum in belli neceſſitates ipſe indicebat, ipſe exigebat, alios id facere non ſinebat, agrariis ut exhauſtis & reipub. militantibus modeſtè patrocinabatur, judicia per eos, quos ipſe præfecerat, regere pergebat, aut, uti ſolet, ità progredi conabatur. Id verò adverſum Geldris, adverſum Groninganis, & legibus iis, quas ipſi inierant inter ſe, inſcio illo, contrarium. Itaque creſcere illum & fortunam ſibi firmare victoriâ nolebant: nec tamen eò minùs amicos & benevolos ſe illi ferebant, offenſionem ac animi moleſtiam diſſimulabant; hoc tùm conſilio ſuo, tùm monitu ac præcepto Principis ſui, ad quem de eo ipſo retulerant, faciebant. Sic enim is ad Oijum & Suartzbúrgium eo tempore, VIII nimirum Calend. Junii, cùm eſſet Sutphaniæ; Edſardum agere iniquiùs, agríque imperium in ſe trahere, atque ità civitatem lædere, ex ipſorummet ſe literis intelligere: ſed quoniam fortuna nunc dubia ſit, periculoſáque illius offenſio, monere, ne eum irritent, ſed tempori ſerviant: qui licèt nunc in poſſeſſione relinquatur locorum aut rerum aliquot, hoc tamen jus in tempus ſequens ei non paraturum: pacta conventa cum eodem ſibi inita, de quibus quærerent, nec opere firmata ab eo, nec literis ſigilliſque ſignata: quamobrem ne opus quidem eſſe ea ad ipſos mitti: unum modò opus, ut illo commodè pro rerum fortunâ utantur: brevì res Geldricas eum ſtatum habituras volente Deo, ut in aſſerendo agro, & tuendo civitatis jure nulla ſibi futura ſit difficultas: intereà jubere ſe, operam dent, hæc ita uti habeant, & agant, ne quid indè ſiniſtræ ſuſpicionis oriri Comiti poſſit. Et pridiè ejus diei cùm paulò antè eidem Principi ſenatus nunciaſſet; famam ferre, legionum nigram in Belgio hærentem Gallorum regi nomina non dediſſe, eandémque commovere ſe, nec certum eſſe quò ſit itura; Saxonem quoque & Brunſvigios maximos belli apparatus facere, ideoque meritò ſollicitos eſſe ſe, & auxilia expectare, reſponderat ipſe in hanc ſententiam: Non debere eos rumoribus moveri: regem Galliæ conducendæ legionis causâ hominem ſuum in Belgium miſiſſe, eumque cum eâ agere: Michaëlem Bambergium militiæ regiæ præfectum Arnhemi degentem certiorem factum, legionarios inter aſſentiendum & negandum ambiguos deliberandi tempus ſumpſiſſe: eundem pridiè ejus diei milites ſupra DCCC, conjuncturos ſe cum legione, regi autoraſſe, & ſpem habere plures eâdem ex legione ſtipendiis regis ſe adjuncturum: ad hæc ex Brabantiâ per homines fidos ſibi nunciari, à Saxone ac Brunſvigio nihil adhuc occipi paratíve, à quo ſibi ipſiſve ſit metuendum: quâ de re brevì ſcripturum ſe latiùs: intereà ſi fortè accidat, recuſare legionem militiam Gallicam, ſe tamen proviſurum diligenter, nuſquàm ſuis defuturum: Rarius quidem nonnunquam ſcribere ſe, ſed nullum ſibi momentum à curâ, diligentiâ, labore pro ſalute ſuorum vacuum effluere: in ſpe ſe maximâ eſſe propinqui & fælicis armorum finis: cui ſpei omnia ſua, ipſamque adeo vitam impendere ſe paratum ac promptum: eandémque fidem viciſſim ab ipſis expectare. Scriptæ, ut oſtendi, IX Calend. Iunij eodem in oppido.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XLVIII.

M. D. XV INTER hæc cùm alia accidère haud digna annalium memoriâ, tùm cōfecta demùm res inter Saxones Burgundóſque, nec multò pòſt induciis inopinis belli vis ſuſpenſa. Quod quomodo factum, quia magni momenti in rebus Friſicis eſt, exponam hoc loco paulò prolixiùs. Georgius Saxo bello novo è Geldriâ perculſus, projectâ ſimul omni ſpe, Carolo Auſtriaco Philippi filio, Burgundicarum opum hæredi, Friſiam tradere, ſeque tot impendiis pariter & moleſtiis liberare, ac quod retinere ſe non poſſe videbat, id quàm minimo cum dedecore & damno dimittere conſtituit. Atq; hûc non iſta ſolùm, quæ dixi, ſed uxor quoque, & patriæ proceres, ac populus omnis murmurans, & tributa recuſans impellebat. Cæſar etiam querelis ejus ſurdeſcens, non verbis ſed re eum eôdem vocabat. Itaq; cum ſuis conſtituto hoc conſilio, exploratáque Caroli Principis, & qui rebus ejus per Belgium præerant, voluntate Rodolfum Scenkium Tautoburgium, Sifridum Sichavium, Simonem Riſchacum Cancellarium ſuum, Henricum Sleinitium mandatis & poteſtate inſtructos delêgat, ut in Belgium profecti cum Carolo ipſo, aut delectis ab eo, hoc agant tranſigantque. Hi cum Joanne Sauvagio Burgundiæ Cancellario, Antonio Lalainio, Adriano Florentio, Nicaſio Haccaneio hanc ad rem à Principe ſenatuque delectis ſæpiùs congreſſi, Middelburgi tandem XIV Calend. Junii de omnibus conditionibus conveniunt. In conventionis tabulis, quæ Georgii nomine ſcriptæ ibi ſunt, mox in ingreſſu, Georgius velut de honore ſuo, & rei colore ſollicitus (quod
„ inſitum mortalibus alieno probro ſuum nomen tueri,) dùm cauſas conſilii exponit, non vitia ſua ſuorumq́ue ulla recenſet, ambitionem, ſævitiam, avaritiam, majus jure & pactis quæſitum imperium, pacta ſæpè læſa, aſperè inique exactos cenſus, contumelias ſingulis & univerſis illatas, imprimis Edſardo ſuprà fas intentatum dominatum. At horum loco ſine cauſa atrociſſimorum criminum, levitatis, perfidiæ, rebellionis, indomitæ contumaciæ gentem noſtram univerſam accuſat, effrenem, ſeditioſam, legitimis imperiis parêre neſciam. Huic porrò opus oſtendit imperio Principis magni, opibus armiſque validi, qui vi ac metu coerceat eam, inque obſequio & officio contineat: talem verò unũ ſe noſſe hoc tempore Carolum Auſtriacum, juvenem quidem adhuc, ſed tot imperiis ampliſſimis Hiſpanico, Burgundico, Belgico jam nunc fultum, & Friſiæ quoque vicinum, magnâ inſuper neceſſitudine ſibi devinctum: accedere & juris rationem: nam parentem ejus Philippum Alberto parenti ſuo hanc olim provinciam ceſſiſſe eâ lege pactoq́ue, ut datis CCCL aureorum millibus Saxonicæ domui, & ſolutis prætereà impendiis, jus repetendi provinciam eandem, non ſolùm ipſe, ſed hæres quoque ipſius haberet. Has ob cauſas, ait, Friſiam ſeſe ei nunc tradere, imò omne jus ſuum, quocunque partum titulo aut modo, liberali dono in eum conferre, atque hoc adeò, non modò pro ſeſe & liberis ſuis, ſed etiam pro Henrico fratre, omniq́ue tergiverſationum contrariarum prætextui per tabulas haſce

renunciare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

renunciare ſine dolo malo. Reliquæ contractus hujus conditiones fuêre M. D. XV
ejuſmodi. *Curabit uterque Georgius & Carolus, ut negotium hoc à Cæſare & ſenatu Imperii probetur: Saxo etiam operam det, ut liberi fraterq́ id ipſum ritè firment; aut ſi perſuaderi frater nolit, ipſe indemnem Carolum præſtet: idem Carolo omnia cætera quæ in Friſiâ habet relinquat, præter tormenta cum inſtrumento. Ea in annum modo unum uſui ipſius pro tutelâ provinciæ permittat: poſt annum autem, quò lubebit, avehat. Hujus donationis causâ viciſſim accipiat à Carolo* C *millia aureorum Rhenenſium, ubi oppida, arces, caſtella, & quicquid denique munitum in Friſiâ tenet, in ejus poteſtatem tradiderit;* L *quidem millia in auro argentóve ſignato, & alia* XX *millia in telâ lineâ æſtimatione juſtâ, ſtatim ac ſine morâ: reliqua* XXX *millia tribus penſionibus æquis intra menſem à tabulis his ſcriptis octavum decimum: Et hanc pecuniam telamq́ ſolvendis militum ſtipendiis impendat, quoàd ſoluta erunt omnia, ne quid hinc difficultatis Carolo relinquatur. Item tabulas omnes, omniáque diplomata à Cæſare, à Philippo rege, ab ipſo populo, denique à quovis alio accepta, ad jus Friſiæ tum univerſæ, tum cujuſlibet ejus partis quoquo modo pertinentia, antè exitum bimeſtris proximi eidem Carolo, aut hominibus ejus mandatum habentibus, tradat. Carolus contrà Florentio Egmondano ex agro Biltano aureos annuos* CCCC, *quos ei Georgius ex pacto dudum debet, pendat, quamdiù vivet Egmondanus: cæteris etiam, quibus partes ejuſce agri Biltani meritorum causâ Georgio donatæ ſunt, & in his Heſſelo Martenio, eaſdem illas Carolus relinquat: Benthemium Comitem fidum Saxoni, non deſerat aut prodat inimicis, nec fœdus, nec inducias cum Geldro, Edſardo, civitate Groningâ unquam paciſcatur, niſi hoc quoque adſcripto.* Atque hæc tum ſtatim Middelburgi ab omnibus ſignata legatis. Sed à Georgio ipſo in V Idus Octobr. ſignatio dilata: Eaque à Maximiliano libente cupidóque die XIIII pòſt Oeniponte probata: Simul Friſia provincia domanda pro arbitrio, atque in ſervitium agenda Carolo nepoti ab eodem tradita. Erat peracerbum ac durum Georgio, hoc modo nobiliſſimâ ac fæliciſſimâ provinciâ decedere, tot curas, labores, diſcrimina, infinitam ferè pecuniæ vim in hæc bella effuſam unà cum provinciâ perdere. Itaque animus ejus angi vehementer, nec damno ſolùm, ſed dedecore quoque & invidentiâ cruciari; in actione ipsâ incertâ & vanâ ſpe moras nectere. Sed urgebat neceſſitas. Nam miles, venalis illa manus, oppida, arces, cæteráque, quæ Georgii in Tranſlavicanâ erant, in poteſtate habebat; idemque ſtipendia ingentia ſine morâ poſcebat, quæ ſi Saxo non daret, cuivis ſolventi locorum ſe poteſtatem facturum jactabat, &, quod peſſimum erat, à Galliæ rege etiam tum ſollicitari ferebatur: cui ſi ſe addiceret, non ſolum ſine pactione, ſinéque honore amiſſurum ſe omnia, ſed Geldrum quoque hoſtem ſuum ipſis potiturum Saxo videbat. Quocircà, quod minimi dedecoris & jacturæ videbatur fore, cum Carolo paciſcendum quoquo modo, potentiſſimæque domus gratiam velut beneficio mercandam ſibi judicabat. At enim concluſa jam re ab utriſque delectis, placuit ei, priusquàm aſſentiretur ipſe, paciſcine cum Groninganis poſſet, id quod ex pacto licebat, adhuc ſemel experiri, atque hoc tanquam ultimum facere periculum. Ergo quæſitâ colloquii copiâ, dataque in cœnobio Eſſenio ad III Calend. Iun. probante Edſardo. Illîc Everwinus Comes Benthemius, Andreas Phlugius, Hermannus Pochius pro Saxone; Guilhelmus Fridericus, Ludolfus Coenderus, Gelmarus Canterus pro civitate; Hicco Dornumanus, Harco Suderhuſius pro Edſardo congreſſi: conditiones verò à Saxonicis jam mitioribus hæ delatæ. Civitas Geldro Edſardoqué valedicat, Georgio Principi regundæ Friſiæ legato ſacramentum dicat, libertatem reliquam, fori rerum venalium, & quicquid hujuſmodi ex more priſtino & antè hæc arma ſolito, jus integrum retineat: Edſardus quoque clientelam Georgii & hæredum ipſius, ut Friſiæ Rectorum, profiteatur: Freborgum, Lengam, Stichuſam ab eodem ſine

M. D. XV pecuniâ recipiat: Georgius pro impendiis belli ex arbitrio aliorum Princi-
pum ſtudiis partium non imbutorum Geldro ſatisfaciat. Et quid his petetis
amplius, dicebat Pflugius, aut vos Groningani, aut ipſe Edſardus? Quæ ſi
non abnueritis, pacem ſtatim habebitis, & tot malorum finem: ſin aliud
cenſueritis, ex bello in bellum agemini, armiſque conſumemini, quæ pone-
re noluiſtis. Nobis quidem prompta jam ratio eſt, quâ hoſtem vobis de-
„ mus, cui nec vos, nec Gelder pares eſſe poſſitis. Sapientes certa incertis
„ præferunt, & rationi potiùs quàm cupidini parent, veſani in ſtimulos calces
„ agunt, ac majora viribus conantur. Hoc vetera, hoc & recentia docent, qui
„ pacem temnunt, hos armis perire. Vnum opto & precor vobis, ut cogitetis
benè, arbitrii nunc veſtri patriæ fortunam eſſe, eam ſalvam perditámve fu-
turam, ſi vos rectè maléve conſulueritis. Ad quæ Guilhelmus Fridericus:
Sera jam iſta, quæ ſi in tempore ferre ac admittere ſciſſet Princeps, multis
civitatem, multis ipſum malis carere potuiſſe: cùm aliud ei placuerit, non
eſſe, quod quæ ſecuta indè ſunt, cuiquam præter ſeſe imputet, quod've ira-
„ ſcatur: nunc cum ictis ſapere, id eſſe inutiliter ſapere, & pœnas ſtultitiæ da-
re: ſe Geldri in fide eſſe, in quâ ſtare, certum ſibi: ab eo petenda jam hæc, ſi
petere libeat: ſe Deum teſtem habere, per ſe non ſtetiſſe, quo minùs æqua
pactio ac pax jamdudùm coierit. Ità nihil inter eos peractum. Convênit
tamen, petente Benthemio, ut oppidani & Edſardici fide publicâ in Gel-
driam irent acturi cum Principe, Pflugius & Pochius Haſſelti ad Vidrum in
diœceſi operirentur, aut ſi vellent, inter Benthemios fines & oppidum hoc
commearent liberè tutoque, atque iſtîc de voluntate Geldri redeuntibus
legatis cognoſcerent. Sed alienus à re Geldrus, ac Friſiam non dimittere
certus, irrita fecit omnia, Saxonique dolorem fide majorem dedit. Medio
tempore ab Erclenio monitus Edſardus ſenatui nunciat, hoſtes prælium
parare, ſe cum Suartzborgio (is enim ibidem tum erat) nudatum civium
auxilio, nondum ſubmiſſis in abeuntium locum, uti convenerat, militibus
c c c, haud parem iis futurum: opus eſſe, ut ſine morâ & milites illos, & par-
tem alteram civitatis, & tormenta cum inſtrumento ac paratu reliquo mit-
tant, ſi præſidium, & totam remp. communem ſalvam velint. Tùm ſola co-
hors militum miſſa, cætera ſegniùs aut maligniùs conſilio Oyi curata, plebs
ruſtica Doccumi reip. militans domi tributo afflicta, à ſenatu, ab Edſardo
monita, & preces pro plebe interpoſitæ, cura ab eo diligens geſta, ne dùm
immineret hoſtis, diſcordia inter ipſos cladem daret. Simul de induciis fa-
ma, & ſpes pacis per Galliæ regem invaluit. Et induciæ quidem ſtudio re-
gis inter Burgundos Geldróſque initæ quadrimeſtres, inchoandæ pridiè Idus
Iunii: atque his, illinc Saxo, hinc Edſardus, & ſocii comprehenſi, ſi quidem
vellent. Conditiones dictæ, ut quæ quis haberet, in eorum poſſeſſione ma-
neret, ad induciarum finem: exules ad ſua redirent: intereà Geldriæ Dux de
controverſiis omnibus tollendis, & pace integra firmaque jungenda ageret.
Eo per indices accepto, velut ignari Groningani, re nondum publicè de-
nunciatâ, armato medio civium numero, ſubitóque ex urbe educto, ipſis Idi-
bus Werdenbraſſæum caſtellum opprimere ſunt conati. Iamque aggeres
ab his jacti, reliqua ad vim parata, cùm literæ in urbem venêre ad Oyum
Mareſcallum à Principe miſſæ, induciarum nunciæ. Et tamen biduum ad-
hûc obſidio tracta. Tum ſpe perditâ, & famâ allapsâ, militem in vicinia con-
tra ſe cogi, die XIII Calend. Quintil. confuſiùs & trepidantiùs, quàm par erat,
in urbem ſunt reverſi. At ſenatus eodem illo tempore, eodem ſuadente
Oyo, agrarios acriùs poſcere tributum, paulatim longiùs rebus agri ſeſe mi-
ſcere, partes poteſtatis ſolitæ antè hæc arma uſurpare, apud Edſardum que-
rentem culpantemque per legatos excuſare ſe, & commodiùs facta inter-
pretari, eique concordiæ amanti, diſcordiam ut peſtem præſentem ac capi-
talem

talem fugienti ſatisfacere. Sed ubi prætoriâ poteſtate Ludeconem Hornkenium & Bernardum Coenderum, quam à Comite habebant, idem ſenatus exuit, aliosque in horum locum ex formulâ Oyenſi ſuffecit, ut ſe Geldrumque in poſſeſſione collocaret, id pupugit illum graviùs: ſene in hoſtem militare? caput fortunáſque objicere periculis? ſua domi negligere, ſocios tueri? ab iiſdem ſociis circumſcribi, ſpoliari, ludibrio haberi? Ita turbidus iratusque Suartzburgium adiit cum eo expoſtulans, ſuam fidem, ſtudium, merita recenſens, alia omnia à ſe expectata dicens. Aſt ubi hunc purgare ſe, tueri Principem, optima quæque de eo polliceri audiit, ut & cognoſceret, quid verum eſſet, & jus ſuum tueretur, ad ſenatum litteras dedit hujusmodi. *Quæ mihi pacta inita olim vobiſcum ſint, cum vos in ſidem recepi, non neſcitis, amici: nec illud ignoratis, ex pactis hiſce ex honeſtiſſimo civitatis veſtræ ordine Hovetmannos à me creatos Ludeconem Hornkenium, & Bernardum Coenderum, qui cum aliis, regundis agrariis judiciis ex more præeſſent. Et hos ego exiſtimo integrè atque inculpatè munus obiiſſe. At nunc audio alios his eſſe ſuffectos in fraudem meam, poſterorumq́ meorum. Intelligo etiam, injuſſu principis Geldriæ id factum: & ſcio, culpâ meâ cauſam illi, ut juberet, non eſſe datam. Itaque perſpicere non poſſum, cujus juſſu, quáve autoritate hoc ſit factum à vobis. Etenim cum legati veſtri Doccumi proximè mecum eſſent, de attrectato agri imperio ita perſuaſum voluêre mihi, vos non malo aliquo meo, ſed bono potius, dùm abeſſem ego, feciſſe, quicquid hujus feciſſetis. Quanquam hoc ipſum neceſarium non fuit, cùm à me mandata habentes adeſſent ibidem. Iam quoniam ob oculos pax eſt per Dei gratiam & legũ jurisq́ uſus, armis hactenus pulſus, fores rurſum pultat, contraq́ vis & injuria de fore cedunt, meritò mihi, cui ſoli hoc, nec cuiquã alteri ex conventione competit, curandum diligenter, uti jus ſuum antè omnia, omnes ferant. Itaq́ ſtat ſententia, eoſdem illos in munere relinquere, iiſq́ cum aliis, quos adjuncturus ſum, mandare, ut nomine meo, moremodoq́ recepto tribunal exerceant, ac jus expediant. A vobis verò peto, ut his ipſis in obeundo munere auxilio eſſe, & meum meorumq́ jus hac in parte firmare velitis. Quod ſanè & ratio recta, & leges conventionis flagitans vos, & ego pari benevolentia occurrere vobis viciſſim paratus ſum. Reſponſum per eundem internuncium expecto. Doccumi* XI *Calend. Quintil.* Cum his ad Guilhelmũ Oyum quoque ſcripſit ferè paria, eumque fidei, fæderum, promiſſorum veterum recentiumq́ue admonuit. Simul ad Coenderum & Hornkenium epiſtolã dedit, ad repetitis pleriſq; iiſdem, quæ in litteris ad ſenatum erant, demandat, ut poteſtatem continuent auſpiciis ſuis, & armis ſilentibus per inducias jus dicant incorruptè. Ad hæc illi perplexi animis, vim ejus metuentes, ſi iritatus excandeſceret, & lupum auribus tenere ſe videntes, reſpondere ambiguè, ſed perbenignè, Nil dolo, malóve ipſius factum; rem Geldriæ Ducis, non ſui arbitrij eſſe, rogare, ut ad hunc referri eam patiatur, cunctaque ab ejus benevolentiâ & fide æqua ac juſta expectet pacatè: à ſe nihil ipſi defore. Sic placato aſſentienteq́ue eo ignis ille ſcintillans ad tempus rurſum ſopitus. Nec diu pòſt Edſardus monitu Florentij Egmondani Doccumo cum ſuis diſcedens Emdam rediit. Namque Florentius à Carolo Auſtriaco miſſus in Friſiam (is erat Hollandiæ & Selandiæ Rector) cùm Harlingam die IX Calend. Iulij veniſſet, arcemq́ue ejus loci à Luſingio & Phlugio Saxoniæ principis legatis accepiſſet, populúmque vicinum ſacramento novo initiaſſet, Leoardiam ſe porrò contulerat. Illîc arce quoque tradentibus Saxonicis, receptâ & præſidio in verba Caroli adacto, cùm adeſſet frequens omnium ordinum conventus, inprimis magna multitudo Harlingenſium, Franekerenſium, Leoardienſium, Phlugius oſtendit, quod ſit inter Carolum Auſtriacum, & Principem ſuum actum, id bono ipſorum factum potiſſimùm: eam quippè indolem eſſe Caroli, eas opes, ut nullo Principe hodiè feliciores eſſe, & ab hoſte tutiores queant: remittere igitur Principem ſuum Georgium, quo ei obligati ſint, ſacramentum, & petere ut ex formulâ obſequij prioris in fidem Caroli concedant. Ad quæ orator M.D.XV

ordinum

M. D. XV ordinum: mirari cunctos, inſciis ſe provinciam alteri addictam; nec inte-
grum ſibi, niſi pacatâ regione, & Geldris ejectis, hujuſmodi jusjurandum no-
vum inire. Deindè miſsâ in conſilium re, à pleriſque ſententiæ loco dictum,
haud æquum eſſe, iis conditionibus quenquam ſe recipere, in quas per Saxo-
nas vi & metu eſſent adacti: Si in novum ſacramentum eundum, placere non
aliis legibus id fieri, quàm quibus Albertus à Weſtergois primùm, deindè à
cæteris antè annos XVII ſit receptus. Eo animadverſo, Florentius, ut expe-
diat id, ac moleſtiam metumque deliberantibus admoveat, legionarios Ber-
lecomii ſedere jubet, & quid facto opus ſit, clàm edocet: hi ſtipendia flagita-
re, direptones minitare, petulantiùs & injurioſiùs in populum graſſari: ipſe
de ſtipendiis nihil polliceri, niſi conditionibus jurandi parendique expedi-
tis. Hâc ratione feſtinata confectaque res. Leges parendi in frequenti or-
dinum concilio ſcriptæ. *Carolus ordinum Germaniæ nomine gubernator Friſiæ eſto,
& hæredes ejus: hâc de re diploma ipſe conficito apud avum Cæſarem, & populo exhibe-
to. Friſiam juſtitiâ & armis tuetor: utitor in regendo formâ Saxonicâ: onera tamen,
quantum res feret, minuito. Nobilibus familiis pacta & contractus cum Saxone initos
omnes ſervato. Friſios extra Friſiam judicii causâ ne evocato: ſi controverſias habiturus
eſt cum populo ejuſve parte, eas binos à ſe, binos à populo lectos definire permittito.* Pla-
cuit, ipſis Calendis Iulii ſacramentum dici. Tum præeunte feciali ſolenni
veſte conſpicuo, in quâ Caroli inſignia collucebant, enſemque ferente, Flo-
rentius in majus templum urbis, Vito ſacrum, conceſſit. Hic audito pro more
ſacro antè cellam ædis, quam chorum vocant, ſtans, uti ipſe fidem à circum-
fusâ coronâ accepit, ita eidem viciſſim Principis ſui nomine fidem juravit. In
hac actione fuiſſe præſentes lego non minùs quàm LX è familiis nobilibus,
omneſque ſacramentum hoc iniiſſe, & conditionibus parendi ſuis manibus
ſubſcripſiſſe. Ex quorum numero honoris causâ Heſſelus Martenius, Kempo
Martenius, Tiardus Burmannia, Ziallingus Bottinga, equeſtri baltheo ab
Egmondano ſunt cincti. A triduo Bucho Aita ſacerdos Leoardianus, Heſſe-
lus Martenius, Goſlicus Iongama, Tiardus Burmannia, Ziallingus Bottinga,
Renico Camminga, Renico Camſtra, Geroldus Herema, rectores Friſiæ &
ſummæ curiæ judices ab eodem deſignati. Tum legioni nigræ ſtipendia ſo-
luta LX auri Rhenani millium. Ea ſtatim Galliæ regis ſtipendiis per legatum
hominem militarem autorata, atque è Friſiâ in fines Galliæ ducta. Secuti
hanc circiter mille è Geldricis Snecâ & vicinis præſidiis emiſſi, Saxonum
nomen penitùs cum imperio in Friſiâ inductum, cùm in eâ dominati eſſent
annos ferè XVII. Qui dùm res hîc geſsêre, tantùm cupiditatis & fortunæ
Auſtriacorum miniſtri fuêre, & præter ſumptus, labores, pericula retulere
nihil. At Florentius vixdùm Friſiam ingreſſus, ut iſtûc revertar, fecialem
ad Edſardum, ab hoc ad Groninganos miſerat. Edſardo denunciaſſe fer-
tur, ſi comprehendi induciis vellet, ut exercitum Doccumo confeſtim ab-
duceret, neu quid diſcedens turbaret. Atque hic ſine morâ cum omnibus
ſuis pacatus diſceſſit, appellatíſque benignè Ciſlavicanis ac domum dimiſſis,
ipſe cum Ciſamaſanis in patriam rediit. Suartzburgius comparatà cum eo
re, cum modico præſidio Doccumi manſit contra inopinos caſus, Gronin-
ganis copia facta per facilem mittendi legatos Leoardiam, & de pace agen-
di: ſed ab his ad Geldrum res rejecta. His omnibus expeditis Florentius in
Hollandiam quoque eſt reverſus. Eo tempore injuriarum memor, quas ab
Eſenſi & Ieverano acceperat dudùm, copiasque jam paratas habens Edſar-
dus, tùm ut ulciſceretur dolorem ſuum, tùm uti militem, cæteroſque, qui
cum ipſo in caſtris fuerant, prædâ recrearet, in partibus cis Amaſum valere
juſſis induciis, in Ieveranos ſubitò incurrit, Oſtringios, Wangros, & quæ
in Harlingiis attingere potuit, diripuit, incendiis hîc illîc afflixit, tributiſve
vexavit: Ruſtros quoque immiſsâ in Iadam ſinum claſſe numeroſâ eſt de-
popula-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

populatus. Inde Iadâ in anguſtiis transmiſſo, faventibus indigenis,quos ad- M.D.XV.
huc amor ejus habebat, præſidia Brunſvigiorum ſubitâ vi oppreſſit, iis cæſis
& caſtellis everſis, nemine prætereà læſo, celeriter cis Iadam ſe recepit.
Cauſa receptus tam celeris fuit,quòd Ericum Brunſvigium cum copiâ eque-
ſtri & pedeſtri adventare, & jam Oldenborgicos fines attingere audiret, cui
animus, præſidium majus & commeatus Stichuſæ contra imminentia peri-
cula inferre. Itaque ad ea loca feſtinans, ut ſuis adeſſet, vias atque aditus
inſidentibus, & omnibus rebus proſpiceret, vocatis ad arma proximis qui-
búſque præſidia auxit, vias ſcidit, aggeribus ruptis aquas viis induxit. Simul
Ericus certior factus, quid apud Tranſiadanos fieret, putans hærere adhuc
illic hoſtem, dilato, quod inſtituerat, itinere, iſtûc quàm celerrimè conten-
dit. Vbi cognovit abiiſſe Edſardum, in plebem, cujus prima & copia in in-
greſſu facta, iram effudit,omnes ſine diſcrimine ſexus ac ætatis occidit: mox,
velut furore compreſſo, inhibito gladio, diripiendam regionem militi de-
dit: totaque regio, diffugientibus hûc illûc indigenis, multis ad claſſem Ed-
ſardi, quæ in Iadâ adhuc hærebat, ſe recipientibus, abactis, raptiſque, quæ
ferri poterant, omnibus,igne in cætera injecto, graviſſimè afflicta. Mox co-
piis in Oldenborgios reductis, aſſumpto commeatu, & ſummâ celeritate
adhibitâ, de Stichusâ res tentata, ſed haudquaquàm confecta. Humilibus
quippè locis aquâ contectis, & diſcrimine viarum ac foſſarum ſublato, nec
progredi currus, nec equites ignotâ regione iter expedire, nec cæteri ſine
periculo incedere poterant, & qui incautiùs equites peditéſve ſe intulerant,
creſcentibus aquis non ſine diſcrimine ſeſe referebant. Nec quicquàm præ-
tereà eo tempore conatus Brunſvigius, milite ad ſummum certamen cum
Edſardicis conjunctis, & omni jam curâ reliquâ levatis haud ſatìs inſtructus,
ad ſuos rediit. Eodem tempore lues peſtifera per ea loca vehementer ſæ-
viens Hicconem quoque Dornumanum, clariſſimum patriæ ſuæ lumen, do-
ctrinâ pariter & virtute inclitum, prudentiâ ſummâ inſignem, Edſardo antè
omnes conjunctum & carum, Emdæ die ultimo Iulii abſumpſit, iſque ejuſ-
dem in oppidi fano ritu Chriſtiano conditus dolorem Comiti & amicis om-
nibus, gratiſſimam ſui memoriam toti patriæ in hunc uſque diem reliquit.
Liberis ipſe carens ex Imelâ VVeſterwoldicâ uxore, quæ eodem anno eum
anteceſſerat, hæredem ſcripſit filium fratris cognominem ſibi, ut in opes ità
in virtutes ſucceſſorem. Brunſvigio in ſua reverſo, Edſardus ſævitiâ peſtis ad
paucitatem redactos eſſe, qui in arce Lenganâ præſidium agitabant, reli-
quoſque animis eſſe dejectis, per homines fidos edoctus, occaſionem pre-
hendens, convocatis repentè ſuis, profectus iſtûc ſine morâ aggerem jace-
re, tormenta locare, incilibus depreſſis aquas foſſæ ſubducere, oppugna-
tioni ſe parare cœpit. Erat in equitatu Edſardico Arnoldus Oijenhuſius,
ſanguine & amicitiâ junctus cum arcis præfecto Melchiore Campio. Is ubi
vim paratam vidit, impetratâ ab Edſareo copiâ, colloquium præfecti petit,
congreſſuſque cum eo demonſtrat, quo in ſtatu res ſit, periculum vitæ po-
nit ob oculos, ſi pugnam expectet, denique deditionem honeſtiſſimâ con-
ditione perſuadet. Hoc modo arx ſine pugnâ Edſardo reddita: XXX præſi-
diarij cum præfecto & rebus ſuis, (tot ſolùm ſuperant) dimiſſi: cæteri om-
nes lue abſumpti, & præpedito exitu in valla arcis effoſſis ſcrobibus, terrâ
erant obruti. Eâ re celeriùs opinione expeditâ, recreando exercitui aliquot
tribuit dies. Simul ipſe varia ſecum volutat. Ingens æs equiti præditique,
qui Groningæ meruerant, adhuc debebat, proque eo civitatem prædem
dederat. Ipſe totum jam biennium VIII illa millia aſſignata ex agro ob
belli turbines non acceperat. Itaque ut fidem exſolveret, cogitabat agri
ordines poſcere, quod debebant. Simul reputabat, jus ſe ſuum refricatu-
rum, & in poſſeſſione ejus bello ruptâ ſemet reſtituturum: Geldrum verò

M.D.XV

ſi bellum non abſumeret tam procùl domo gerendum, (in Italiam quippè cogitabat,) tamen hunc jure ſuccenſere ſibi propterea non poſſe, aut ſecus ſi eveniret, ob iniquitatem, infamiam, ac invidiam eum inventurum, ſibi cum alterâ parte in gratiam redire haud futurum difficile: ad hæc occaſionem haud parem ſemper, eam dùm offert ſe, per inertiam negligere, pòſt cum præteriit, fruſtrà requirere, ſummæ eſſe dementiæ. Denique conventum hujus rei causâ ordinibus Winſumi indicit. Illic die IIII Iduum Sextil. per legatos proponit annorum priorum pacta, imprimis de annuo in uſum ſuum cenſu: ad hæc quæ nunc fortuna ſuâ, in quam grave æs alienum ob bellum præſens inciderit: ſemper optimam ſuam erga ipſos fuiſſe voluntatem, & ſtudium ſummum: id ſæpè oſtendiſſe re ipsâ, tum nuper adeò evidentiſſimè declaraſſe, cùm poſtpoſitis patriæ rebus non ſubditos ſolùm, ſed corpus quoque ſuum legioni iratæ, & atrociſſima quæque minitanti, trepidantibus & attonitis Geldris, haud aliâ pro re quàm pro ſalute ipſorū obiecerit: æquum eſſe, ut paribus animis, & pari fide colendis pactis ipſi quoque reſpondeant. Poſtremò, eò deduxit rem, ut cenſum cæteráq; ex pactis rurſum promiſerint qui adfuêre, & penſionum tempora etiam ſtatuerint. Mox vergente jam menſe Sextili, recollecto exercitu in Ieveranos iterùm irrumpit, & Scortenæ caſtris poſitis, omnia vicina in prædam vertit, Rofhuſiam arcem aditum claudentem per Robertum Keppelium invadit, occupat, præſidio inſidet: Wangros incendiis aliorum territos graviſſimo ære vicatim mulctat: Ruſtros tributum negantes depopulando, urendo, omni denique hoſtili vi obruit. Indè in Harlingios delatus, obviis longè latéque vaſtatis ac direptis, Thunij in conſpectu Eſenæ caſtra ponit, oppidi invadendi conſilio. Simul omnia ad ſternendos pavore oppidanos comparat, inſtruitque, velites per tenebras, noctis in portas uſque emittit, clamores, turbas, incendia ciet, armenta gregéſque abigit, tormentis quoque eminùs è caſtris fulminare incipit. Sed Hero, qui intus erat, haud facilè terrori cedens animat ſuos, paríque ſtudio ad defendendum ſe parat: imprimis ingentium tormentorum pilas in caſtra retorquet, & majus damnum hâc re infert quàm accipit. In quo certamine Tanno Oldershemius, nobiliſſimus juvenis, pilâ percuſſus occubuit. Ejus morte amplùs aſperatus Edſardus, cùm ſpem capiendi oppidi non videret, omnibus circum circà vaſtatis, totaque regione populationibus, incendiis, tributis protritâ, poſt aliquot deindè dies in fines ſuos omiſſis ſpoliis revertitur. Hanc iterùm pœnam ob ſtultitiam rectorum ſuorum, maleque cultas inducias, plebs infælix luit. Inter hæc Geldriæ Dux Carolus cum exercitu hinc indè in Friſiâ dimiſſo Gallici regis auſpiciis in Galliam ierat, & cum eodem rege, cui bellum de Mediolani poſſeſſione cum Sfortiis erat, in Italiam porrò contenderat. Hic itineri jam planè paratus & accinctus, & curis militiæ longinquæ implicitus, à Groninganis Oyoque certior factus, quâ mente eſſet Edſardus, quaſque ſcripſiſſet litteras, nihil tùm expreſſè reſponderat. Namque ut animum maximis & plurimis tum rebus occupatum habebat, ita eo maximè tempore, procul domo abeunte ſe, irritandum Edſardum non rebatur. Hoc ſolùm monuerat ſuos, ſic uti agerent, ne quid, abſente ſe, detrimenti eveniret rei Geldricæ. Eo profecto, induciarum penè nulla habita ratio, facileque cauſæ à quærentibus inventæ: imprimis mare à piratis Geldricis infeſtum habitum. Conventus quoque Geldricarum partium Snecæ ad diem III Iduum Septembr. à Suartzborgio & Erclenio coactus valde frequens. Ibi conſilia pacata armataque inita: decretum de oratoribus ad Galliæ regem mittendis, qui partium cauſam apud eum tuerentur. Sic convenerat enim, ut arbiter cauſæ hujus Franciſcus Galliæ rex eſſet. Deſignati Edſardus Grovius jureconſultus, initiatus ſacris, in magnis rebus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

rebus jam antè verſatus, Aggæus Auguſtinus, Haijo Martinius vir appri- M. D. X V
mè facundus & eruditus. De mandatis etiam dicta definitaque multa,
quæ ad Galliæ regem legati perferrent. In his caput fuit, ut legatos ſe
ferrent totius Friſiæ, & regem docerent, omnes Friſiæ hujus ordines, ſo-
lis Leoardiis, Franequeranis, Harlingiis ac nobilium paucis demptis,
Carolum Geldriæ Ducem libertatis ſuæ patronum & protectorem elegiſſe,
& adhuc in eo perſtare: tùm regem rogarent, ut electionem hanc ſen-
tentiâ ſuâ confirmet: id conveniens regi, cujus majores Friſiam eandem
hanc à jugo imperiorum aſſertam, & regno adjectam ſuo Chriſtianâ reli-
gione imbuerint, mox quoque ob merita inſignia perpetuâ libertate do-
narint. Tum ſpecialia alia, meditanda diligentiùs, & cum ſociis confe-
renda. Ad hæc de belli ratione, ſi pax non procederet, deque ſumptu
actum: decretum perſcriptum, ut denuò triens omnium cenſuum ferè,
quemadmodum Aprili menſe factum, præter ſolita, omnes conferrent.
Tantùm factionum fervor tùm valuit. Et quoniam induciarum tempus
in decurſu erat, nec quicquam â Galliæ rege armis impedito de pace ad-
huc actum, de induciis quoque ampliandis illîc jactatum: eæque haud
multò pòſt in tres menſes ampliatæ, ſed nequicquam meliùs quàm priùs
cultæ. Quo tempore de ſtipendio acriùs admonitus Edſardus, effuſo jam
in id, quicquid ſuis ex rebus & in ditione ſuâ conflare potuerat, ad Ciſla-
vicanos ſcribit: petit, maturè ut pecuniam parent in penſionis diem (is
XVI Calendis Octobris erat conſtitutus) ne tùm, cùm ſolutione opus in
morâ ſint: & quoniam biennio impedita ſit ſolutio, rem poſcere, ut reſi-
dui quoque rationem habeant: eſſe in animo ſibi, portorij & vectigalium
ordinem ipſis reſtituere; ex his facillimâ ratione hanc pecuniæ jacturam
ſarciri poſſe. Quæ cùm ſenatus urbis audiſſent, ægrè ferens, & ſimul la-
bentium induciarum causâ ſollicitus, eodem die ad ſenatum Geldriæ, ab-
ſente Principe rebus illîc præfectum, ad Suartzborgium & Erclenium in
Friſiâ curantes, & Snecæ tùm agentes mittit; utroſque, imprimis hos in-
gentium promiſſorum commonefacit. Hi velut in bivio hærentes incer-
ti atque perplexi: quippè pugnantibus promiſſis ſe obſtrinxerant, aliud ci-
vitati, Edſardo aliud polliciti. Et huic quippè nuper, cùm tempeſtas à
legione ingrueret, magnam ſui ſpem fecerant: ac ſi offenderent, haud le-
ve ab eo damnum metuebant. Tandem Ottonem quendam, hominem
notum, lubricis à ſe mandatis inſtructum Groningam præmittunt. Biduò
pòſt litteras ſubmittunt ad ſenatum, quarum hæc ſententia. Mirari ſe Co-
mitis animum tam iniqua & pugnantia pactis molientem, ideóque ad eum
quoque ſcribere exemplo hîc adjuncto: attamen petere ſe amicè ac roga-
re, ut rem diligenter expendant, &, ſi res poſtulet, ad tempus ſimulatè
cum eo agant, vulpem induentes. De Carolo Principe omnia ſe læta ac-
cipere: ſperare, rebus in Galliâ felicitèr confectis, brevi ad ſuos reditu-
rum: ei facilè futurum, Comitem à cœpto abducere. Se quoque quam-
primùm venturos iſtûc, & de his aliiſque rebus prolixiùs & maturiùs deli-
beraturos, conſiliáque inituros, & Principi & reip. maximè ſalutaria. De
induciis nihil certi ſe habere: putare tamen, rege belli negotiis impedi-
to, quo minùs quicquam rei hujus attingere potuerit, prorogatum eas
iri: & quicquid omninò futurum ſit, id ſeſe maturè ſatis ſignificaturos,
ſive præſentes ſive abſentes. Scriptæ XVI Calendis Octobris Snecæ. Ad
Edſardum litteræ fuerunt exemplo tali. *Scripſit nobis ſenatus urbis Gro-
ningæ, queritúrque cenſus & vectigal per agrum vicinum inſtituiabs te, man-
dandi vetandiq; poteſtatem ſumi; eô vehementer ſe angi, & vereri inimicitiæ hoc
diſcordiæ exitiali inter ſocios fore. Sanè pernicioſiſſimum id rebus Principis hoc
tempore, & non ſine dolore ad aures ejus venturum. De cujus ſucceſſu multa*

M. D. XV *quotidie ad nos, ut ſperare liceat, haud longè abfuturum ejus reditum. Rogamus itaque amicè, ut in id uſque tempus omnia ſuo loco placidus patienſq́ relinquas, integráque arbitrio ejus eſſe velis, cujus vos arbitrio cauſam ſubmiſiſſe utrimque meminiſtis. Nos etiam quàm primùm Groningam veniemus, & iſtinc porrò ibimus ad te, idq́ operam dabimus, quantum in nobis, ne quid inter vos in reditum uſque Principis turbetur: quod ipſum Principi ſcimus fore gratiſſimum. Quàm verò abſurdum, dum Princeps pro ſalute ac libertate totius Friſiæ labores & pericula obit, vos intereà ſimultate, lite, diſcordiâ diſſilire? quod nos tuæ prudentiæ cogitandum permittimus.* Sed litteræ hæ, an quòd Senatui diſplicerent, ut molles nimis, an quam aliam ob cauſam, Groningæ ſuppreſſæ ad Edſardum non venêre. Paulò pòſt à Geldro ſenatu reſponſum quoque allatum, ſed inane ob abſentiam gubernatoris Chriſtophori Morſenſis, hoc ſolùm promittens, ubi quæ mens illius ſit, ad quem res ſtatim per litteras relata, ſenatui conſtiterit, & reſponſum venturum plenius, & litteras, ut petierant oppidani, ad Edſardum ituras: regi Galliæ, & Principi Geldriæ omnia cadere feliciter. Hæc Sutfaniæ ſcripta XV Calend. Octobris. At Edſardus cùm pendendi cenſus adeſſet tempus, miſit in eam rem Guilhelmum Vbbium Cancellarium ſuum, velut promiſſi certus: verùm hîc illîc promiſſi fides eluſa. Nam omne vulgus per ſe tar-
,, dum pendendæ pecuniæ eſt, nullaque in re ſemper ſui ſimilius: & hîc occulti ab oppidanis quoque hortatus acceſſerant. Itaque Comes haud ferendum facinus putans, die XI Calendis Octobris denunciat iis, qui non ſolverant, ità ſe parent, ut rurſum moniti intra triduum totius biennij cenſum poſſint exſolvere: ſi non faciant, hoſtili ſe igne in eos animadverſurum. Tùm verò civitas Suartzburgium & Erclenium, qui aderant, jam monere rurſum promiſſi, hortari, auxilia poſcere, oſtendere nihil tam opus quàm occupatâ exarmatâque Dammonâ: hâc fretum hos ſpiritus gerere, has turbas dare Edſardum; rem facilem & ſine periculo: alacres cives, promptos agricolas, cætera expedita, ipſos quoque Dammonenſes præſentium pertæſos. His perſuaſi ij, quicquid militum poſſunt, arcessunt; concumant ſubitò: cum his Suartzburgius, ne quid ex morâ incommodi, concubiâ nocte, trahens ſecum tormenta, ſcalas, & cætera oppugnandarum munitionum inſtrumenta, ſi fòrs iis opus, Dammonam feſtinat, ſinéque ſtrepitu & tumultu occupat, iſtîc omnibus rebus, donec reliqui quoque adveniant, proſpicit. Dein tardiùs quàm oportebat, & minore copiâ ſubmiſſis à civitate cæteris, cunctiſque opinione magis difficilibus, agricolarum ſtudiis alienis, Dammonenſibus ipſis malignis ære & commeatu nullo, vix ſe continet indignans, ſtomachans, fidem & vanitatem ſenatus culpans, quin loco cœptoque deſerto Groningam repetat. Audiebat quippè Edſardum in armis habere ſuos, & Dammonam cogitare, & jam transmiſſis militibus aliquot præſidium Delfſilæ auxiſſe, ſe verò non ſatis munitum contra vim ejus, ſi vim pararet, videbat. Sed retinuit eum Erclenius cum ſubſidiis ſubſecutus, iratumque omni ſtudio leniit, militum & totius præſidij animos hortando, pollicendo, largiendo firmare conatus eſt. Nam ferventior Suartzburgio erat in partibus, ob affinitatem quæ ei cum Rudolfo Hugingio Conſule & familiis nobilibus in civitate intercedebat. At cùm nuncij crebreſcerent, omnia Edſardo parata & expedita, copias, tormenta, naves, atque ipſe intelligeret, agri incolas evocatos ad ad ſe tardiùs parêre, nulloq; ſtudio eſſe, acciperetq; cives quoque Groningæ moras nectere, nec exire nec conferre promptos, ſollicitus atque anxius III Non. Octobr. communes cum Suartzburgio litteras de omni re ad civitatem dat, mutuaque & plena ſubſidia, commeatum, tormenta, pulverem nitroſum, pecuniam promiſſam poſcit. Simul ſic ad Hugingium Conſulem privatim ſcribit: Suartzburgium ſtomacho plenum, ob tar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ob tarda parcaque auxilia miſſa, à ſe repertum: nec immeritò: rem quippè M. D. XV
in ſummo periculo eſſe, armato nunc Edſardo & accincto: rogare ſe, apud
ſenatum procuret, ut ſtudio & animo majore res agatur, quàm factum pri-
die, ſummaque adhibeatur contentio, ne quid ex negligentiâ dedecoris pa-
riter & detrimenti exiſtat: de pecuniâ quoque effectum det ſine morâ, de
quâ ab ipſo & Ludolfo Coendero ſpes facta: Militem etiamnunc difficilem,
nec ad vigilias promptum: ſe elargitum quod habuerit ſecum pecuniæ de
ſuo, nec poſſe ampliùs: Itaque fide & induſtriâ hic opus eſſe, & ſimul
commeatuum ſubvectatione: nam iſtîc cibi potuſque ſummam eſſe ino-
piam. His in imâ chartâ ſubjicit, obſecrare ſe rurſum, urgeat, inſtet,
impellat, ut ſapienter fortiterque res perficatur, alioqui malum ſe metue-
re: Comitem quippè & præſidium caſtelli auxiſſe, & exercitum habere in-
ſtructum, quo cum Dammonæ eſſe aut pridiè aut eodem iſto die habuerit
in animo: nunc oppido occupato quid facturus ſit, brevi ſe proditurum: qui
ſi trajecerit, certè neceſſe eſſe aliter iſtîc omnia eſſe parata: experiri ſe, ci-
ves ruſticóſque pariter longè ſecùs animis affectos, quàm ſibi collegæque
fuerit à civitate perſuaſum. Quibus litteris excitatus ſenatus gnaviùs &
fortiùs agere, ſclopetarios omnes, & magnam civitatis reliquæ partem
extrudere, commeatus & numos mittere, agrarios plures promiſſis & mi-
nis commovere. Intereà Edſardus rem tentare certus, copias incipit na-
vibus imponere. Ea fama cuncta in majus extollens, uti illi mos, ita per-
culit Groninganos cladis prioris ibidem ab eodem ipſo quondam acceptæ
memoriâ refricatâ, adhæc ſociis agrariis diffiſos, à Dammonenſibus quo-
que metuenres velut inimicis ſuis, ut abjectâ tuendi loci ſpe, erinaceo val-
lum præcingente feſtina & tumultuariâ operâ hîc illîc ſtrato, uno loco valli
ſuperclio, ipſoque vallo ſciſſo, portis deformatis properè trepideque Gronin-
gam repetierint. Mox ruſtica multitudo, quæ invita penè venerat, ſpontè di-
lapſa. Oppidum ab Edſardicis poſtridiè receptum munitionesque ſummo
ſtudio, vicinorum ope refectæ. Mox Edſardus ubi eôdem venit, cenſum, uti
antè denunciarat, agrarios cœpit poſcere: contrà Groningani vetare, minas
minis opponere, hoc effectum dare, multò plures ut invenirentur, qui non
ſolverent, quàm qui ſolverent. Simul ab iiſdem Slochteranum fanum milite
fortè vacuum occaſione arreptâ occupatum. Edſardi familia, quam Gronin-
gæ reliquam habebat, juſſa ex ædificio & ſolo arcis diſcedere, res ſemovere,
locum vacuum vigilibus relinquere: denique excubiæ in urbe, non ſecùs ac ſi
hoſtis adeſſet, diſpoſitiæ. Cuncta Edſardo enunciata cum incremento, veriſ-
que falsa admixta. Sic oleum camino affuſum. Quod ne antè tempus incen-
dium daret, colloquium expetitum condictúmque eſt Poſtæ, medio ferê in-
ter urbem & Dammonam intervallo. Illûc cùm veniſſent, pro ipſo victor Fri-
ſius, Otto Deepholdius, Guilhelmus Vbbius Cancellarius, & cum his duo è
Weſtafaliâ viri nobiles, adeſientque à ſenatu miſſi ad diem XIII Calend.
Novembr. Guilhelmus verba faciens, mirari Comitem ait, quid rei ſit, quod
principis Geldriæ legati Groningâ profecti, armamentiſque & apparatu ad
oppugnanda mœnia inſtructi, non interdiù & palam, ſed furtim per noctis
tenebras Dammonam ſint ingreſſi; idque ei contra pacta conventa factum
videri: nec minùs attonitum fuiſſe, ubi audiſſet, Slochteranum fanum à ſe
præfecto præſidioque ſuo commiſſum, tormentis & apparatu reliquo in-
ſtructum, bonoque urbis & agri vallatum, ab iiſdem Geldris & oppida-
nis occupatum præter ſpem atque expectationem: queri etiam, nec abs re
queri, mandata ſua mandatis contrariis impediri à ſenatu, cenſuque ſe
prohiberi, atque hoc tantò accipere graviùs, & juſtius culpare, quòd ſci-
ente probanteque ſenatu cenſus hic à populo ſibi ſit conſtitutus, quodque
non neſciat ſenatus idem, quâ fide, quo ſacramento ſe obligarit, quas hujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

A. D. XV rei teſtes tradiderit literas: denique uri eundem propterea, quòd miniſtros familiamq; aulicam ſuam ſenatus migrare ex arce, & locum, qui ipſius ſit, relinquere mandârit. Ad ea Groningani: Quo tempore cum Carolo witzio de deditione Dammonæ actum, de evertendis ejus mœnibus inter omnes cōveniſſe: ipſúmque adeò Comitem & tum & aliquoties poſt in demolitionem eam conſenſiſſe: licuiſſeque ſanè & Geldris & ſenatui ab eo tempore, cùm commodum, demoliri; verùm id hucuſque dilatum, non aliam ob cauſam, quàm ut haberet Comes, ſi vis hoſtium Doccumo eum cedere cogeret, quò ſe tutò poſſet recipere: nunc eâ causâ ſublatâ ſenatui legatíſque Geldricis viſum exequi, quod dudùm decretum; de fano Slochterano rumores fuiſſe, hoſtes occupandi ejus conſilia habere; id verò periculoſum urbi agróque cùm iidem legati ſenatuſque arbitrarentur, & fanum penè deſertum ac malè cuſtoditum acciperent, bono publico id occupaſſe & milite muniviſſe, in quem finem ſi Comes quoque conſervatum locum cupiat, non hoc adverſum his ipſis futurum: mirari verò ſe mandata mandatis contraria memorata & accuſata, quaſi non meminerit Comes, totam hanc rem ex conſenſione partium omnium ſuſpenſam jam antè, adventuique & arbitrio principis Geldriæ reſervatam eſſe: nec ſperare potuiſſe, contra pacta conventa miſellos agricolas à Comite tributis preſſum iri: de ſacramento ac diplomatis & quæ hûc pertinent, & ſcire ſe, & meliùs quoque ipſum noſſe Comitem, in quæ tum convenerit, cùm ipſe Groningâ diſceſſit, eſſeque omninò cauſam illam prolixam, diſputationemque nec loci nec temporis hujus: familiam Comitis migrare juſſam bono illius; nam cùm exercitum ſuum trium aut quatuor capitum millium Amaſum trajeciſſet, nec de voluntate conſilioque ejus conſtaret, neceſſe fuiſſe, & adhuc eſſe, urbis rationem haberi, & ut locis omnibus ſic eo potiſſimùm excubias conſtitui: itaque ne vel familia, vel res ejus læderentur, aut detrimento à temulentis excubitoribus afficerentur, ſenatui placuiſſe hoc modo cavêre, mandaſſéque ſeponi ac ſecludi ſupellectilem, & familiam in aliam urbis partem tantiſper concedere. Ad quæ rurſum Edſardici cùm ſeceſſiſſent ac deliberaſſent aliquandiù, non iſto ſaltem modo, ignaro & inconſulto Comite, concubiâ nocte invadi Dammonam debuiſſe, nec Slochteram non præmonito eodem occupari: nec negari poſſe, colores modò hos eſſe excuſandis rebus quæſitos ab iis, qui juſtis ac ſolidis rationibus careant: imprimis verò procul ab æquo abire, à Comite ſenatum poſcere, ut quieſcat ex pacto, cogendóque cenſu abſtineat, omnia integra adventui ac judicio Principis relinquat, ipſum intereà ſenatum armatâ ac hoſtili manu Dammonam invadere, Slochteranum fanum Comiti eripere, ſolutiones ſtipendii flagitare, ſponſores urgere, Comiti moleſtiam creare, perindè ac ſi reciproca conventio non ſit, viciſſimque paciſcentes vinciat: quaſi expeditum Comiti ſit tot impendiis exhauſto, ſolutiones præſtare, nec copiam cenſuum ſuorum, unde promenda pecunia, & in hunc uſum vertenda, habere: aut juſtum ſit, hunc ſolutionem flagitare, flagitantéſque eundem proventu ſtipendioque ſuo prohibere. Denique occurrentibus viciſſim oppidanis, & illis denuò pro Comite dicentibus, altercatio nata eſt ferventior: poſtremò in hanc ſententiam locutos Edſardicos reperio, de Dammonâ exarmandâ ad Comitem ſe relaturos: cenſui exigendo ſperare Geldros Senatumque ſeſe ampliùs non interpoſituros, & hujus ſe iniquitatis facturos reos: de Slochterano fano æquum eſſe Senatum ad Comitem perſcribere, reſtitueréne id cum tormentis & reliquis rebus ei velit, aut quâ omninò mente ac voluntate in hâc re ſit: de familiæ aulicæ demigratione, Henrico Grawero mandata ſe daturos, & quid fieri ab eo velint, demonſtraturos. Is finis colloquii Poſtani fuit. Senatus poſtridiè ad Edſardum ſcripſit in hunc modum,

Slochte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Slochteranum fanum vallo foſſáque probè munitum, ſed cuſtode vacuum, legatos Geldricos in uſum & commodum urbis atque agri occupaſſe: id cuicunque Geldriæ princeps addicturus ſit, ejus fore; illius ſe judicio ſtare paratos: petere ac obſecrare officiosè, ut ipſe quoque ea, de quibus Poſtæ diſputatum, in adventum uſque Principis integra quietáque relinquat: ſibi viciſſim officiis in eum animos promptos eſſe. Sed vix quatriduo elapſo, pro re natâ, ſponſoribus à milite, ſenatu à ſponſoribus appellatis, Comes à ſenatu moneri rursùm, imò urgeri vehementiùs, uti tollendæ ſponſioni ſtipendia ſolveret. Tùm ille Dammonæ adhuc hærens, indignum facinus cenſens, multa ſecum volutans, iraſcens, mox iram comprimens, rationíque locum dans in hanc demùm ſententiam ſenatui reſpondit VII Calend. Novembr. Scire ipſos, totum annum, poſt diſceſſum ſuum ex urbe, in armis ſe fuiſſe, copias equeſtres pedeſtreſque aluiſſe, ſumptus maximos feciſſe: Et tamen haud exiguam ſe ſummam civibus ipſorum intereà ſolviſſe: nec unquàm ſolvendi voluntatem & conſilium ſibi defuiſſe: atque eum in finem Amaſo transmiſſo Dammonæ nunc eſſe, & cenſus annuos exigere cœpiſſe: ſed ipſos edictis adverſis impedimento ſibi fuiſſe, adeóque etiam nunc eſſe præter expectationem. Sic eoſdem facilè reputare poſſe, impeditis cenſibus ſuis facultatem quoque ſolvendi haud expeditam ſibi eſſe, idque non ſuam, ſed ipſorum eſſe culpam. Intereà ne quid à ſe deſit, denuò ſe ejuſdem cœpti periculum facturum, id eſt, cenſus ſibi conſtitutos exacturum; qui ſi conatus ſucceſſerit, omnibus ſe ſatisfacturum, ſuámque & civitatis fidem liberaturum ſine vitio. Simul acriùs exigendæ pecuniæ ſeſe dedit, plúſque, quam gratum æmulis, brevì confecit. Quæ dùm in Friſiâ fiunt, ingens illud prælium, & omni ævo memorabile inter Franciſcum Galliæ regem & Helvetios ad Marignianum in agro Mediolanenſi commiſſum fuit Idibus Septembr. in quo poſt magnam mortalium ſtragem utrâque in parte, tandem in Gallos victoria inclinavit, Helvetiorum XV millibus cæſis. In hoc prælio maxima virtus legionis nigræ fuiſſe dicitur, periculis laboribuſque militaribus tot annos induratæ, ejuſque audaciâ ſummâ & pertinaci niſu fortuna Gallica jam labens reſtituta, viſque Helvetiorum fracta; ipſa tota penè gladiis conſcripta. Sed prælio Geldrus, qui ei dux à rege datus fuerar, non interfuit. Nam paulò antè quàm id pugnatum, famâ quanquam inani de bello in patriâ commoto perculſus, à rege dimiſſionem petierat. In itinere verò cùm rei geſtæ nuncium accepiſſet (Lugduni ad Rhodanum id factum) adeò indoluit, ut in morbum inciderit. Ex quo vixdùm recreatus, feſtino itinere diurno nocturnóque in Geldriam contendit. Ibi famæ vanitate deprehensâ, intellectâque à ſuis Edſardi & Groningenſium ſimultate, ſine morâ utroſque per literas corripit, & quieſcere ab armis jubet. Oppidani de reditu ejus celeriter præmoniti, extemplò, ut certiùs conſulerent ſibi, animúmque Principis occuparent, legatos in Geldriam miſère Guilhelmum Fridericum ſacerdotem, Petrum Sickingium conſulem. Erant quippè haud parùm ſolliciti: varii enim ſermones multis in ore; aliud ſcilicèt Edſardum de re cum Oyo geſtâ quàm civitatem ſentire: permiſiſſe illum, Geldro ſacramentum dici, ut ſuperiori, nec tamen eo ipſo id, quod ſibi antè dictum, remiſiſſe: iniquum, ità coli hoc, ut illius ratio non habeatur: utrumque initum rectè, utrumque colendum: ſic cum Oyo Comiti, ſic cum ipſo, Principi conveniſſe, idemque cum eo Principem ſentire: deniq; ſuſpecta Ducis & Comitis conſilia quàmplurimis eſſe. Itaque miſſi illi, qui hæc cognoſcerent, cauſamque civitatis agerent, poſtremò promiſſa per Oyum flagitarent. Quos cùm Gelder audiſſet, multaq; cum iis variis de rebus eſſet locutus, reſpondit tandẽ, quæ Oyus Mareſchallus civitati promiſiſſet primo in contractu, cùm ſacramentum ei dictum eſt, ea ſe omnia

M. D. X

M. D. XV bonâ fide ſervaturum, opéſque ac vitam adeò ſuam, ſi ſit opus, tuendæ civitati atque agro impenſurum: ipſum quoque ſe brevi venturum Groningam, cunctiſque rectè cognitis ad urbem & agrum pertinentibus certi aliquid coſtituturum, quod pro lege valêret. Guilhelmo etiam mandavit ſeorſim, uti domum reverſus Harconem Suderhuſium vocaret ad ſe, gratià Edſardi validum, legatione dudùm in Geldriâ functum, privatóque conſilio ut amicum moneret de iis, quæ facerent ad rem. Simul aculeatas literas ad Edſardum diſceſſuris dedit. At Guilhelmus Groningam reverſus cum ſocio, reliquis peractis, mandati memor, Harconem ſtatim ad colloquium invitavit, præſentíque expoſuit; vereri ſe quæ Comes nunc ageret, ea offenſionem non levem inter Principem Geldriæ & Comitem paritûra, illam verò & Comiti & toti Friſiæ ſine dubio fore exitioſam: poſſe per ſe ſtatuere Comitem, non permiſſurum Principem, cujus in fide urbs Groninga nunc ſit, agrum antiquitùs cum eâ connexum ab eâ avelli, atque ità eripi ſibi, eumdémque moleſtias, ſumptus detrimenta, ſi qua indè exiſtent, illi imputaturum: at ſi Comes abſtiterit propoſito, gratiamque Principis ſervarit, poſſe hoc & honori & emolumento maximo ei eſſe, imprimis verò fores apèrire ad promovendam fortunam ejus apud regem Galliæ, liberiſque quærenda illuſtria conjugia: hortari igitur ac rogare amiciſſimè, ut de his ſeriò agat cum Comite, eúmque ut his ita locum det, per pacem ſalutémque communis patriæ, ac familiæ ipſius fortunam obteſtetur. Quæ cùm ab Harcone ad Comitem relata eſſent Dammonæ, literæque intereà ad eundem à Principe veniſſent, indignans primùm, deîn dubitans, denique cedendum tempori, & gratiæ Principis periculum rursùs faciendum putans, omiſſo cenſu agrario, Dammonâque relictâ, ubi hactenus hæſerat, Amaſum ad ſuos tranſiit. A Tranſſlavicanis eo tempore, qui Gelericarum partium erant, legatio in Geldriam decreta. Delecti in eam viri IX, terni è ſingulis ordinibus, ſacro, nobili, ruſtico, in quibus è nobilitate Ianco Dowenius VVeſtergous, Edo Iongamæus Oſtergous, Fridericus Roorda ex Sylveſtribus. His charta data, complectens capita cauſæ coràm Rege agendæ, ut de his Principis conſilium exquirerent numero quatuor: quorum primum: Friſios præclara quæ habeant jura, ab Imperatoribus & Regibus Galliæ habere: ſecundum; eoſdem remp. à Regibus illis acceptam tranquillè rexiſſe, quoàd per Hollandiæ Comites licuerit: tertium; ſolos turbatores quietis hujuſce, & diſcordiæ ſatores fuiſſe hos ipſos Hollandiæ Comites: eóſque muneribus corruptos homines venales ad ſe traduxiſſe, ſeditiones concitaſſe, partes Friſiæ ſub imperium ſuum traxiſſe: quartum, Caroli Calvi, & Ludovici II donationes nullius eſſe momenti, quippè quarum autores Regum modo titulo non Cæſarum fuerint, nec expreſſim mentionem privilegiorum gentis fecerint in diplomatis, eáve abrogarint, imprimis verò, quòd in eas donationes Friſii non conſenſerint. Iis in conſilio Principis propoſitis, probatiſque, additum à legatis, jactari in Friſiâ, & per vulgum diſpergi ab inimicis, deſertam jam à Principe cauſam Friſicam, & curam ejus planè abjectam, paucos modò è nobilitate cum Suartzburgio & Erclenio ſuis ſumptibus bellum adhuc trahere: hoc ſermone multos à partibus averti, alios impediri, quo minùs ad eas accedant: quapropter rogare ordines, Princeps ut ipſe in Friſiam veniat quamprimùm, ſermonemque præſentià refutet. Ad ea Dux ſtatim: ire quidem ſe in Friſiam hoc tempore non poſſe, nec hoc eſſe neceſſe, cauſam verò deſerturum ſe nunquàm, quandiù fortuna & vita ſuperſint, & fides ab ipſis: fabulis hujuſmodi ab hoſte confictis moveri, id imprudentium eſſe aut levium: ſibi curæ fore, ut qui velint, videre ac ſentire poſſint, bellum ſuum eſſe, & à ſe quammaximè curari. Idem ad ordines Friſiæ Arnhemo perſcribit VI Idus Decembr. aliaſque literas ad homines ſuos Snecæ morantes mittit, hiſque præcipit,

præcipit, ne quid agant remiſsè aut ſegniter, intereà donec legati à ſe veniant, qui exponant reliqua, quæ literis mandari rectè non queant. M. D. XV Literæ hæ per legatos reduces allatæ, per omnem Friſiam magno ſtudio ſparſæ, multi per has, in partes tracti, multi animis conciliati. Simul fama jam aſtu Geldri vulgata, à legatis iiſdem magno ſtudio confirmata, Florentium Egmondanum ſine mandato regio (Carolus tum regnum Caſtiliæ inierat) in Friſiam veniſſe, Burgundico nomine conſilia ſua & paucorum è nobilitate velare, & fucum populo facere, atque has regioni turbas dare: certè nec regem, nec domum Burgundicam autores ſe profiteri, nec in ſuis negotium hoc habere; de quo ſi qui dubitent, rem comperturos, ſi Florentium ad edendas mandati literas urſerint inſtantiùs. Nec ſolùm linguis ea jactata, ſed ſcripta quoque, & hûc illûc in hoſtium oppida, locaque cætera miſſa: imprimis literæ hujuſmodi à Geldricis præfectis, qui Snecæ erant, Leoardiam ad ſenatum populumque datæ, ſpe ſeditionis commovendæ: ideóque aſpera quædam in nobilitatem, imperia, & præfecturas militares jam illîc venditantem, quondam infeſtiſſimam & inimiciſſimam civitati eîdem, adjuncta: querelæque adjectæ de induciis turpiter violatis, fæminis per eas ſpoliatis, viris nobilibus, qui capita fortunáſq; in diſcrimen pro civitate Leoardiâ dudum dederint, in carceres iſtûc abreptis, & in eorundem illorũ vinculis degentibus, qui civitatem odio pluſquàm hoſtili ſint perſecuti. Quæ fraus ne quid mali daret, à Florẽtio paulò pòſt publicis literis refutata, & aſtus detectus. Sic vergente anno per inducias, rumoribus ſubjectis & literis hinc indè certatum, & par pari relatum. Erclenius in Geldriam profectus. Legati quoque ad Galliæ regem cauſæ arbitrum jamdudum iter ingreſſi. Nec multò pòſt caſtellũ Werdenbraſſæum Groninganis ſine vi deditum. Quod quomodò factum, paulò eſt altiùs hîc repetendum. Induciis nuper conſtitutis multa hîc illîc finiendo bello tentata, ac via ad pacem quæſita, dùm Burgundus recens in partibus, nihil hoſtile adhuc factum, nondum animi injuriis læſi: ſimul Burgundus juvenis benigni, boni, æqui laudem captans, in ſeſe benevolentiâ vertere mentes omnium ſatagens. Iactatum inter hæc, ineſcandæ Groningæ præſidium Werdenbraſſæum tollendum: deque eo Guilhelmus Fridericus & Bucho Aita congreſſi jam erant. Deinde Bucho, re ad ſuos relatâ, reſponderat per literas Guilhelmo, & conditiones præſidii demendi peræquas, aliaque muniendæ ad pacem viæ media non inepta propoſuerat: atque hæc Guilhelmus non ſenatui ſolùm ſuo, ſed Suartzburgio & Erclenio etiam recitaverat, juſſuſque erat omnium nomine Buchoni reſcribere: *placere omnibus rem, modò ſtudio Buchonis ſine noxiâ morâ perficiatur: nec diſplicere de armorum quiête, poſt induciarum finitum tempus, niſi qua vis à Burgundicis prior fiat: quòd ſi aliud aliquãdò à Geldriæ principe mandatum fuerit, ſaltem hoc civitatem maturè totos dies octo antè vim ſignificaturam: eſſe omnes in civitate æquarũ conditionum ineundarum percupidos: petere, quid ipſe porrò de re ſentiat aut ſperet; imprimis, quando de caſtello putet perfici poſſe, ut ſtatim reſcribat: ſibi curæ fore, ne quid inaniter ab ſe in omni hâc re dictum promiſſúmve videatur.* Scripta hæc VI Calend. Octobr. Ad quæ triduò pòſt Bucho (placet enim adſcribere, ut vel hinc duorum ſacerdotum ſtudia, & potentia cognoſcatur) *arbitrari ſe, non fuiſſe rem cum Geldris communicandam, nec illud, ſine noxiâ morâ, literis inſerendum: caſtellum quippè nec civitati, nec cuiquam mortalium dedendum (timoris enim & neceſſitatis id fore) ſed beneficii loco, tempore ſuo, tollendum, quò firmior verbis ſuis & conditionibus in colloquio ſcriptóve propoſitis, fiat fides, utq; diſcant Groningani, Carolum Auſtriacum Hiſpaniæ principem potentiſſimum, dominum ſibi ab ipſo Cæſare ritè datum, tam æqua ac juſta velut ad votum offerentem non timere, ſed amare: itaque cùm videat à viâ rectâ ipſos deflectere, non poſſe nunc ſeſe, an & quando caſtellum diruendum ſit, quicquam certi reſpondere, ſed totum ſe negotium cum ſuis & ipſius literis ad Carolum Principem tranſmiſiſſe: futurum, quod is ſta-*

M.D.XVI *tuerit, idq́; ipſos, cùm tempus feret, cognituros: intereà præſidiariis in caſtello mandatum eſſe ſeverè, ne cui civium vim faciant, aut agendis negotiis impedimento ſint: qui ſi contrà deliquerint, æquum eſſe & è pacis bono, id rectoribus ſignificari, non ab ipſis Groninganis vindicari: firmum quippè hoc, domino quemq; ſuo ſtare & cadere: delictis delatis parata fore apud rectores ſupplicia vel ad nutum deferentium: atque eâ de re ad ſenatum quoque publicè ſcriptum.* Poſt quæ hæc in eâdem epiſtola adijcit. *Fama fert, cives veſtros finitis induciis conſtituiſſe caſtellum invadere: id falſum ſpero. Expendite rem diligenter, priuſquàm faciatis, & videte, ne generoſum leonem quieſcere volentem & æquiſſima vobis offerentem excitetis in vos: quem ſi excitaveritis, rugientis & frementis vocem forsàn ferre non poteritis. Nec ipſe Carolus juvenis, Princeps mitiſſimus, nec parentes ejus ullâ re læsêre vos, aut quenquam veſtrûm, ſed potiùs honori & adjumento vobis fuêre. Nec vobis idem Carolus intulit bellum aut indixit hactenus, nec illaturus aut indicturus fortè eſt unquàm. Qui ſi quid etiam poſtulaverit à vobis præter ſpem, quæ minùs æqua juſtaq́; videri poterunt animis veſtris, erunt rationes aliæ ſine armorum vi iſta componendi. Caſtellum Werdenbraſſæum omni jure Caroli eſt, nec cujuſquam omninò alterius, ſitum non in ditione aut ſolo civitatis, ſed in agro ac territorio Præſulis Vltrajectini, ſocii ejus & amici: deîn abducto veteri præſidio milites ab eodem illîc locati innoxii, boni, fidi, ſtipendiis ſuis contenti. Et his præceptum, ut cùm ab injuriâ omnium, tum maximè Groningenſium abſtineant & quietem cum vicinis quietis colant, commeantes non turbent, non offendant, non parvâ, non magnâ in re: caſtellum verò, cum æquis legibus vobiſcum nobis convenerit, tolletur. Quòd ſi ad gentium commune jus, ad ſacros patrum canones, ad juſſa Principum, ad civilia ſcita volueritis reſpicere, & æqua juſtaq́; ob oculos ponere, facilè videbitis, nec vobis nec cuiquam hominum hoc tempore fas eſſe, violenta contra caſtellum inire conſilia: niſi fortè cupidine cæci utique habere bellum cum benevolentiſſimo & pacis amantiſſimo Principe noſtro volueritis. Verùm enimverò, dùm res vobis integra, Cæſarem Auguſtum, catum illum Imperatorem, ſemper hoc uſurpantem, audite, bellum etiam cuivis ignavo ſumere licêre; deponere vero, niſi cum victori placeat, non licêre. Nec hæ minæ ſunt, ſed monita caritatis, eum in finem à me ſcripta, ut ſi in manus ſenatus inciderint fortè, hunc quoque inclinent magis, & tuis conſiliis reddant faciliorem, quem ſpero per ſe paci æquitatiq́; eſſe proclivem. Sed Minervam ego? Vale, & reſcribe confeſtim, Leoardiæ, ipſo Michaelis die.* Inopinatum hoc Senatui: ideoq́ue aut breviùs tùm negligentiùsq́ue reſponſum à Guilhelmo, aut ſilentium ſervatum: nec enim ſatis hoc exploratum mihi. Certè res tùm ſuſpenſa. Tunc in Geldriam legatio ſecuta. Deîn Guilhelmus idem Canterusq́ue à civitate, & Bucho à Burgundicis in Galliam ad regem ſunt miſſi. Quibus profectis, cum præſidiarius haud facilè manus contineret, atq; hinc querelæ aſſiduæ; deindè impendia eſſent gravia, ac magis oneri quàm uſui, denique gratiæ ineundæ indies cupidior fieret Carolus, reſumpta res, & Hareñæ loco medio, inchoante anno M. D. XVI, in colloquium miſſa, atque ibi tranſacta. Eo facto Comes Benthemius Everwinus in caſtellum venit medio menſe Ianuario, ſtipendiisq́ue ſolutis militem dimiſit, tormenta, & quicquid erat illîc humano uſui commodum, abduxit, denique ædificia ſoluta avexit. Tum caſtelli vallum Groninganis tradidit, ut de eo ſtatuerent pro arbitrio. Hi DCC aureos Rhenanæ monetæ proximis Calend. Maijs Comiti daturos ſe ſunt polliciti. Nec mora, foſſoribus undequaque coactis, vallum diſſipatum, & foſſæ completæ. Is finis munitionis hujus fuit, X antè annos ab Edſardo primùm erectæ. Eodem tempore præſidiariis Leoardiæ, Franequeræ, Harlingæ ſtipendia ſoluta: mox Florentius Egmundanus è Friſiâ Mechliniam Brabantiæ profectus, intra bimeſtre reverſurum ſeſe juſtis cum copiis pollicitus. Inter hæc minui annona iis, qui in arce Stichuſanâ pro Brunſvigiis erant, nec procul inopiâ abeſſe. Quocircà obſidio arctior ad Februarii initia ab Edſardo iis parata, caſtraq́ue majora Deteræ & Veldæ viâ Oldenburgicâ locata, reliqua Filſumi, Hollæ, Bergæ poſita. Præfecti caſtris dati Chriſtianus VVittendorpius, Ielt̨co Iderhavius,

Albertus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Albertus Tranſiadanus. Ità comparatum, ut ſingulis è præfecturis certus M. D. XV
numerus cum armis in caſtris eſſet ad certum tempus: deindè alii totidem ſuccederent, eæque vices durarent, quandiù duraret obſidio. Sic & publicæ & privatæ rei æquè conſultum. Re in arctum præſidiariis redactâ, ut ſolet egeſtas ad fortia agere, conſilio inter ſe inito audaciſſimi ex omni præſidio centum, ipſo Paſchatos feſto die, ipsâque ſacri ſolennis horâ, quò magis inopina res eſſet, ex arce turbinis inſtar erumpunt, & in penum caſtrorum invadunt, cæsâ fugatâque ſtatione excubitorum, rapiunt, diſtrahunt, in primos accurrentes fortiter pugnant, ſacrum turbant. Sed priuſquàm recipere ſe poſſent prædâ graves, à multitudine hoſtium concurrentium circumfuſi penè ad internecionem ſunt cæſi: aliqui capti, in quibus è nobilitate Miſnicâ vir fortis & illuſtris Taubenheimius: is Auricam in cuſtodiam ductus. Iamque eò famis devenerant obſeſſi, ut equorum, felium, canum eſum non faſtidirent: & tamen obſtinatis animis in ferendâ obſidione durabant. Demùm fide & conſtantiâ eorum moti Principes ſocii è domo Brunſvigiâ, qui hujuſce rei causâ cum Oldenburgio, Eſenſi, Ieverano paulò antè Verdæ conventum habuerant, & de auxiliis comparârant inter ſe, acceleratâ expeditione cum valido numeroſóque exercitu in Oldenburgios venêre: atque his Oldenburgius, Eſenſis, Ieveranus cum ſuis quiſque ſe junxêre. Hi Weſterſtedam primùm cùm petiſſent, aut iſtîc ſe collegiſſent, ſuſpicio fuit, per paluſtria Lengana in Friſiam irrupturos: eóque ſe cum magnis copiis, in quibus potiſſimum robur, Edſardus contulit, ut ſeſe objiceret. At illi ſubitò itinere, viâ Apenſi ſe incitantes, priuſquàm aut ſciret, aut accurrere poſſet Edſardus, in Deteranos penetrarunt, oppugnatáque caſtra, expulſo fugatoque præſidio, primo certamine cepêre. Cæſi in pugnâ aliquot, in fuga plures, plurimi aquis hauſti. Nam pontem non validâ compage, in uſum militiæ hujus impoſitum rivo, dum tranſire properant, ſeque mutuò urgent, ut in magno timore ac fugâ fit, victum pondere laxant, ſimúlque cum eo in ſubjectas aquas, tumente tum alveo, & ripas egreſſo, ruunt, atque invicem primùm hi, mox pluribus eôdem compulſis, & in rivum ſequentium vi actis, alii alios premunt, mergunt, opprimunt: poſtremò ab hoſte inſtante & feriente omni telorum genere conficiuntur. In his cohors militum exterorum fuit: cæteri indigenæ, è præfecturâ maximè Orthanâ, honeſtiſſimorum ordinum viri, patriæ amantes ac Comiti fidi, imprimiſque Lerani. Id quippè robur caſtrorum iſtorum fuerat. Clades lugubris, & omnibus toto hoc bello acceptis major non numero ſolùm, ſed hominum dignitate ac fortunâ, nec populo ac ſingulis funeſtis familiis, quàm Edſardo acerbior: qui dum iſtûc feſtinat de hoſtis itinere edoctus, & jam proxima caſtris loca ſuperat, caſtra capta, ſuos cæſos, & diſſipatos cognoſcit, atque ingenti dolore perculſus gradum premit, ac in tuta revertitur. In numero cæſorum variant ſcriptores. Grimershemius DC tantùm periiſſe, ſed optimos quoſque tradit, & in his Witendorpium cohortis & caſtrorum præfectum recenſet. Sicco Beninga numerum duplicat, & florem oræ ejus ac robur cecidiſſe ſimiliter affirmat. Autor alius Groninganus numerum hunc quoque, ſed vanitate clarâ multùm auget. Res geſta pridie Georgii, x nimirum Calend. Maij: commeatus in arcem illatus: cæteri obſidētes ſuis caſtris fugâ dilapſi. Omnis ager vicinus totos dies quatuor ad ſaturitatē ab hoſte direptus, & omni injuriâ affectus. Tùm præſidio arcis novo milite ſuppleto, & rebus omnibus ornato, Principes in ſua quiſq; reverſi. Intereà Mormeria univerſa, & proxima quæque mœrore & planctu miſceri requirentium maritos, parentes, liberos, fratres, propinquos, amicos occiſos: is dolor per cæteros Ciſamaſanos diffundi, omnes velut publico in luctu eſſe. In hâc conſternatione totius patriæ, quos Delfſilæ habebat milites Edſardus,

M.D.XVI minuendis impendiis,& firmandis patriæ rebus cis Amaſum redire,& caſtellum ſine præſidio relinquere juſſit. Eo facto Bolo Ripperda vicinus operâ ſtudioque proximæ plebis vallum omne disjecit. Et Groningani jam planè ab Edſardo ſecuri, excîtis Huneſgoniis, Fivelingiis & cæteris, Dammonam præſidio quoque vacuam munitionibus omnibus exuerunt. Nec multò poſt inaudiit Edſardus, literas inter hoſtes ſocioſque ſuos commeaſſe antè prælium, & Henricum Luneburgium, priuſquàm domo moveret, animos Groningenſium exploraſſe,eoque fidentiùs rem geſſiſſe; eundem hunc cum Geldro, cui notus & carus erat propter amicitiam cum Galliæ rege, fœdus ſub prælii tempus ſibi conciliaſſe, & ab eo, iiſque qui in fide ipſius, tutum ſecurumque ſe reddidiſſe. Itaque commotus animo, vehementiùs fortunam fidemque hominum damnavit, & ab omnibus mortalibus deſeri ſe, præterquam à ſubditis ſuis, conqueſtus fuit. In hâc fortunæ ejus acerbitate, epiſcopi duo fratres, è domo Lavenburgiâ, Monaſterienſis & Hildeſianus, de quibus dixi priùs, rursùs interpoſuêre ſeſe, & bellum cum Brunſvigiis componere conati ſunt. Eorum ſtudio conventus hujus rei causâ Bremæ condictus, & poſt eum alter VVildeshuſæ, ſed uterque irritus. Ergò Brunſvigii novâ impreſſione factâ per Freborgios, ut autor Sicco, licèt in tempore errans, Auricanum agrum omnem Vphuſam uſque ſunt depopulati, & prædâ Freborgum arcem refarſerunt. Simul conventus tertius eorundem ſtudio fratrum Aſchendorpii conflatus: in quo cùm pax confici non poſſet, induciæ tamen in annum conſtitutæ. Induciarum lex illa ſolita, *ut quæ quiſque haberet, ea ad finem harum teneret pacatè, & ſine mutuâ iniuriâ.* Intereà plurium ſtudio adjuncto ſpes erat interceſſoribus pacem quoque ſecuturam. Ità res illis locis ad tempus quieta.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber XLIX.

SED in Occiduis partibus trans Lavicam ità colebantur induciæ prorogatæ, vix eas ut à bello diſcerneres. Imprimis Petrus, quem antè dixi, cognomine Longus, vehemens Geldricarum partium aſſertor, & Burgundicarum oſor, quieſcere haud poterat. Qui cùm nuper coggonem navem ingentem in mari Auſtrino cepiſſet, XVII Hollandos, quos in eâ deprehendit, in fluctus præcipites egit. Pòſt Februario menſe per claſſiarios ſuos fœminas nobiles duas Heſſelo Martenio & Iuuoni Botingio conjugio junctas, cum Franekeranis aliquot civibus eodem mari interceptos, Snecam duxit, & cuſtodiis tradidit. Indè Erclenius in Friſiam reverſus Snecæ, Collumi, Groningæ nomine Ducis varia diſſeruit apud populum: in præcipiti inducias eſſe: ſi in Galliâ dirimi lis non poſſit, de bello cogitandum, ut ſummis viribus ſummâ contentione geratur. Id ſine pecu-
„ niâ, belli nervo, fieri non poſſe: opus itaque, ut de eâ jam nunc ineantur con-
„ ſilia. Quòd ſi libertatem ament, & tanti faciant quanti debent, pecuniæ ni-
„ mis parcos eſſe non decere, quam negligere in tempore ſummum ſæpè

lucrum afferre. Eodem tempore Tiardus Burmania, Renico Camſtra, aliique è nobilitate Friſicâ partium Burgundicarum, ſcriptis litteris hortati graviter ſunt partium Geldricarum primos Edonem Iongamæum, Tiarchonem Waltham, Haijonem Doconium, cæteros ad rem idoneos, uti, quemadmodùm Carolus Hiſpaniæ rex cum Geldriæ principe inducias habeat, quoad de Friſiâ lis inter eos componatur, ità hûc quoque ſtudium ipſi conferant, ut in Friſiâ induciis fidis & pacatis ſit locus, per quas colloquia inſtitui, cauſa cognoſci, de concordiâ & pace agi poſſit. Verùm ne quid efficerent, per Geldros, quibus bellum pace erat utilius, eſt impeditum. Itaque Petrus claſſis Geldricæ præfectus in mari excubans, acerbandis animis, navigantibus infeſtus fuit, & holcadem ingentem frumento potuque onuſtam in conſpectu Enchuſæ in poteſtatem redactam abſtraxit ſecum, & prædam cum ſuis diviſit. Intereteà ſoluta ſine fructu actio Lutetiæ: aliuſque conventus & actioni dies conſtitutus ad Michaëlis in eâdem urbe regiâ, legati domum dimiſſi. Tùm Carolus Hiſpaniæ novus rex Friſiis cum Geldro junctis denunciat, Florentium verè à ſe in Friſiam miſſum: ipſos Cæſare & Republ. Germaniæ relictis, aliiſque patrociniis aliàs quæſitis, in maxima ſe pericula præcipitaſſe, & jus libertatis perdidiſſe, & proſcriptionem meruiſſe; apud ſe tamen veniam reliquam, ſi reſipiſcant in tempore. Sin minùs, ſummâ vi ferro & flammâ ipſos ſe perſecuturum. Mox induciis elapſis Florentium claſſe & milite armat. Is Enchusâ ſolvens proximè portum Worcumanum navem grandem, expugnat, aliis quatuor ignem iniicit, claſſiarios cædit, in pelagus mergit, capit: ipſe Enchuſam repetens, Lubbertum Turcum cum militibus M. D Harlingam mittit. Hi in terram expoſiti ſine morâ Bolſverdiam ducti, eoque oppido potiti ſunt: Sed adventantibus Geldris, & Geldricarum partium Friſiis, ſtatim deſerere idem rurſus coacti. Exîn jam apertum & continuum rurſum bellum. Bolſverdia vallo diligentiùs à Suartzburgio munita. Sæpiùs minutis prælis dimicatum: animi in odia armaque aſperati. Turris Edſardica, quæ Groningæ etiam tùm ſupererat in angulo quondam arcis ſtructa, odio autoris & metu novarum partium à Geldro, qui adventurus ferebatur, ſummâ vulgi alacritate deſtructa ad ſolum uſque, irritamentaque oculorum & cupidinum in adventum Ducis ſubmota. Id factum Nonis Iunii, indigniſſimeque ab Edſardo latum. Simul Gemmæ Iuuſmæi arx in Ferwerderanis, paulò antè præſidio à Burgundis occupata, Doccumanis & Dongeranis cunctis infeſta, ab Erclenio & Suartzburgio vi tormentorum ingentium à Groninganis ſumptorum concuſſa, & in poteſtatem dedente præſidio redacta. Exîn vocatis ad arma cunctis, qui in ætate militari erant partium Geldricarum trans Lavicam, tùm Langowoldiis, Fredowoldiis, Hummerziis cis fluvium ferventiſſimo ſtudio Ianconis Douvenii, Amconis Iarlæi, Ianconis Vnæmæi, Sicconis Douvenii Leoardia totis copiis obſeſſa, caſtraque patenti in campo poſt patibuli locum poſita: deîn altera haud procul Wiſwerdico vico locata: tormenta etiam duo Groningenſium ingentia iſtûc adducta. Simul Franekera quoque, in quam magna pars nobilitatis earum partium ſe receperat, obſidione, quanquam minore vi, tentata. Sic exultantibus Geldris, Camſtræus rurſùm, & Heſſelus Martenius, ac ſocia nobilitas, velut armorum vim & metum litteris compreſſuri, Franekerâ rursùm ſcribunt ad Geldricos ſuæ gentis viros ſanguine & amicitiâ quondam ſibi junctos, hiſque pericula, clades, cuncta mala ponunt ob oculos, veniam certam promittunt reſipiſcentibus maturè. Contra Geldrici è caſtris: Si vos à partibus diſcedere, & jungi nobiſcum vultis, veniam priorum & libertatem vobis audemus polliceri: Nobis certa res, Hollandos perpetuos ac hæreditarios hoſtes eſſe gentis noſtræ, & libertatem noſtram cane pejus & angue odiſſe. Itaque vel

M.D.XVI in liminibus propriis ſuſpendi, & peſſimo letho perire, quàm iis ſubiici malumus. Nec tanti facimus jactatas vobis opes, ut Geldrorum Gallorumque ope non ſuſtinere nos eas poſſe putemus. Eo reſponſo turbati cæteri, qui Franekeræ erant, Heſſelum Martenium & Reniconem Camſtræum, ut Worperius tradit, in Brabantiam mittunt ad Carolum regem, qui auxilia quàm celerrima rogent. Carolus periculo intellecto, ſine morâ Florentium Egmondanum, & Felicem Auſtriacum ex Comitum ordine cum exercitu iſtûc jubet ire. Cum his profecti Henricus Naſſovius, Ioannes Waſſenarius, tum Lalainius, Caſtrenſis, Sevembergius, Roijenſis, & procerum aliorum multi haud pauciores XVII, & ingens nobilium virorum numerus. Adjuncti reliquis copiis ingentibus veterani bis mille, lectiſſima manus, quam rex in Hiſpaniam ſecum ducere conſtituerat. Copiæ omnes aliis quinta, aliis novena, aliis duodena millia peditum equitumque fuiſſe dicuntur, Worperius IIII millia peditum, CCC equites tantùm edit. Hi in littoribus Hollandiæ navibus impoſiti cùm Harlingam appuliſſent poſtridiè Idus Auguſti, tantus ex rumore terror Geldris injectus eſt, ut nullo dum viſo hoſte caſtra deſeruerint, trepidoque itinere Snecam, Bolſverdiam, Doccumum abierint. Mox ad ſternendos perculſos Bolſverdia à Florentio obſeſſa, ſed ſtatìm dimiſſa, tùm quòd omnibus oppido eſſet proſpectum, tùm quòd, qui Snecam ierant, excurſionibus aſſiduis obſidentes vexarent. Indè Doccumum miſſæ cohortes ſeptem, oppidumque fugiente præſidio cohortium duarum captum. Geldri ignominiâ fortunæ ejus accenſi undequaque contractis viribus recuperando oppido cùm ſe pararent, Erclenius Groningam venit, auxiliaque oppidana rogavit, unâque tantùm militum cohorte impetratâ, comitante quoque exulum manu, Collumum in caſtra reverſus, cùm adoriri Doccumum vellet, miles Snecâ & Bolſverdiâ adductus clamare cœpit, progredi ſe nolle in diſcrimen niſi ſtipendio ſoluto. Itaque indignans & ſtomachans cum cohorte Groninganâ pauciſque aliis, & quas è tribubus ruſticis cis ultraque Lavicam in armis habebat, ſed à præſidio ex oppido ultrò excurrente fortiter exceptus, cum clade redire Collumum coactus fuit. Id accidit XIIII Calend. Septembr. Quo tempore Edſardus maturum jam ratus, quod dudùm meditatus fuerat, ulciſci dolorem ſuum, reſtituendæque fortunæ viam ſibi ſternere, cum Florentio Egmondano de colloquio egit, conſtitutoque Doccumi die, ad VIII Calend. Septembr. ſubvectus portum Eeſumanum, ex quo breviſſima ad oppidum via eſt, ab ipſo Florentio obviam honoris causâ progreſſo (erat enim ob virtutem admirabilis omnibus) in oppidum eſt ductus. Dein copiâ colloquii factâ ſine arbitro cauſam expoſuit ſuam: ſe bono publico ratione juſtâ Groningam in fidem recepiſſe, Saxoni injuriam non feciſſe, judicium ſemper petiiſſe, ſed adverſarii gratiâ ac potentiâ actum in præceps, re incognita proſcriptum, bello maximo petitum atque obrutum, denique ad extrema redactum: itâ ſeſe, ut in fortunâ hujuſmodi mortalibus ſolitum, ad opem qualemcunque, magiſque neceſſariam quàm gratam ac bonam confugiſſe, ſtatimque in ipſo iniquæ ſocietatis limine offendiſſe, aliaſque ſuper aliis fraudes, injurias, contumelias pertuliſſe, proque benemeritis maleficia recepiſſe. Itaque diù jam relinquere ſocios hujuſmodi deſideraſſe, & ad fidem melioris & fælicioris principis Caroli Hiſpaniæ regis ſe conferre. Hujus nunc gratiâ ſe adeſſe, & Florentium vetere ſibi amicitiâ notum orare, ut ad eam rem viam ſibi ſternat, & ad Maximilianum Cæſarem inprimis aditum tutum aperiat, paratum ſe, ſi ſibi copia fiat, vel ſine fide publicâ, fretum conſcientiâ in conſpectum ejus ire, & coràm inimicis quoque ſuis cauſam dicere. Eo cum optimâ ſpe & pollicitatione ampliſſimâ dimiſſo, liberaliq; munere affecto, Florẽtius Leoardiam regreſſus eſt.

Tùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Tùm Felix Auſtriacus v Calend. Septembr. cum copiis in arcem Ernſuma- M D. XVI
nam Eponis Douvonii opere per ſe validam, & xxx virorum præſidio fir-
matam, impetum dedit, eam tormentis ingentibus ita concuſſit, ut, qui in eâ
erant, perculſi ſine conditione ſe dediderint. In hos ob expectatam tor-
mentorum vim, & interemptum iſtîc ſclopeti glande miniſtrum ſuum, cru-
deliùs conſuluit Felix, quàm cauſæ famæque Principis expediebat. Nam x
laqueis colla indutos, atque è feneſtris arcis præcipitatos, pendenteſque lon-
gis cruciatibus ad mortem adegit: xvii in areâ antè arcem gladio juſſit per-
cuti. Eponem ipſum & affinem ejus Eibonem Heringium precibus primùm
Heſſeli Martenii & Iuvonis Bottingii, quorum erant uxores apud hoſtem
captæ, condonavit, & Harlingam in cuſtodiam miſit; mox cùm minaces
pro his Ianconis Douvonii literæ veniſſent, talionem fæminis captivis pa-
ratum nunciantes, ſi quid in iſtos durius ſtatueretur, irâ percitus, in quam
præceps ſemper fuit, ſine ullâ morâ priuſquàm Florentius intercedere, vel
quiſquam deprecari poſſet, gladio quoque carnificis interêmit. Ità dum
ſervare Ianco amicos voluit, eos maturiùs perdidit: & quos terrore ſe ſtratu-
rum Felix putavit, aſperatos facinoris atrocitate pertinaciores propoſiti fe-
cit, & crudelis belli claſſicum cecinit. Haud diu pòſt indignum putans Flo-
rentius, Geldros Collumi hærere, & vicina omnia habere in metu, cum tur-
mâ lectiſſimorum equitum ccc armis corporibuſque conſpicuâ, validiſque
copiis peditum Doccumum reverſus, atque hinc Collumum porrò conten-
dens, ſic eos terruit, ut ſine prælio loco relicto trans Lavicam fugientes Gro-
ningam ſe receperint. Receptus hujuſmodi fuit. Præceſſit militum agmen,
indè ruſticorum multitudo ſecuta, hanc à tergo equites & ſclopetarii contra
equeſtres hoſtium incurſus clausêre. Eo ordine cùm pontem Lavicæ tranſiſ-
ſent, ipſo ponte poſt ſe ſoluto, ſimili modo Bomſteranum canalem petivêre:
Quo ſuperato, interciſoque, cùm longiùs non ſequerentur Burgundici, ſine
curâ reliquum iter ad urbem uſque confecêre. Res geſta die xvi Calend.
Octobr. Cæſi in hoc receptu pauci: nec multi capti, in quibus è nobilitate
Traſlavicanâ VVibo Sacolenius Conſul Leoardianus. Cui terroris ciendi
causâ Leoardiam tracto, ſublimi in ſuggeſtu, ſpectante civitate, cervices per
carnificem abſciſſæ. Tùm caſtellum firmis operibus Doccumi ad auſtrinum
pontis caput in ripâ amnis è regione vici alti cohibendis in officio oppidanis
inſtitutum perfectumque, eique Tiardus Burmania præfectus impoſitus. In-
terea c navium minorum cum milite in oram Flevi miſſa à Florentio, Sta-
veram ſubitò invaſit. Indè miles excurrens omnes pro libitu diripuit, & af-
flixit graviſſimè. Mox ſecundùm litus itinere facto Hindelopam, dein VVor-
cumum exturbatis Geldris, commiſſis acribus pugnis, cum pernicie homi-
num denuò idem recepit, & firmo præſidio muniit. Sic orâ omni cum portu-
bus in poteſtatem Burgundicorum redactâ, Snecanis, Bolſverdianis, Ilſtanis,
& omnibus Geldricarum partium velut indagine penè clauſis, prohibitis
maris commerciis, agris in circuitu afflictis, fortuna admodum arctata.
Simul Florentius ipſe in ea loca veniens cum exercitu trium millium, ſi
VVorperio fides, Ilſtam petiit: eâque ſine certamine Geldris relictâ in Lem-
meranos abiit, ut iſtâ quoque parte & auxilii copiam hoſtibus adimeret, &
Slotanos redigeret in arctum. Ibi dum ſedet, viii Calend. Decembr. ingens
exorta ventorum tempeſtas mare fluminaque in Friſiâ infudit tantâ vi, ut
ulnæ altitudine ſuper omnes aggeres ſe fluctus attollerent, & magnam cala-
mitatem toti regioni litorali afferrent. Aggeres disjecti, armenta, greges, ho-
mines maximo numero abſorpti, ædificia plurima aquarum vi convulſa, ab-
reptaque: Exercitus cum Florentio & Felice in ædium majorum contigna-
tiones, & fœni ingentes cumulos confugere, & totum illic triduum, donec
tēpeſtas deſæviret, & ſideret unda, anxius & fameſcens cōtinere ſeſe coactus

MDXVII fuit. Conſentiunt ſcriptores, toto ſæculo majus diluvium eam Friſiæ oram non vidiſſe. Exin dilapſis aquis, à Florentio Harlinga & Leoardia repetita, Felix cum exercitu eôdem loci contra Geldros relictus. Ab abitu Florentij copiæ militum, peditum M.D, equitum CC è nequiſſimis mortalibus conflatæ, à Geldriæ Duce in Drentiam miſſæ initio Decembris velut Groningam petituræ. Quæ cùm Andloæ, Suidlaræ, Nortlaræ hærerent, legatus Ducis, qui cum iiſdem ex Geldriâ venerat, in urbem ingreſſus de pecuniâ conferendâ cum Senatu egit. Senatu populoque oppidano recuſante, aureorum millia XII intra diem ſextum ab agro vicino præter fas exacta. Hâc ſummâ in milites effusâ, miles per Fredowoldios in Collumanos ductus: ager ille petulantiſſimè peſſundatus, & miſerrimè omni injuriarum ac contumeliæ genere protritus: fæminæ virgineſque ſine diſcrimine vi ſtupratæ: non ſeni parſum: ſacra profana juxtâ habita: denique immanitas ſcelerum omnem priorem modum egreſſa. Indè ne quæſito quidem hoſte cis Lavicam furum & prædonum manus reverſa in cœnobio Adoardio conſedit, omniaque vicina velut in hoſtico fœdavit. Demùm commeatu deficiente, cùm gelu vias aperuiſſet, in Drentiam rediit, atque ibi Roldæ & Aiſenæ natali Domini per ſummam petulantiam acto à Calendis Ianuariis Tuentiam petiit, iiſque locis Goram oppidulum non munitum, in quod vicinia res ſuas ex metu congeſſerat, pari proterviâ diripuit. Tùm hûc illûc ſignis deſertis dilapſa. His malis altera Oceani illuvies accedens poſtridiè natalis Chriſti priorem calamitatem refricuit, quâ territus iterum Felix ultimo ejus anni die, igne in omnia Lemmerana ædificia injecto, ſolo fano immuni, cum exercitu in Cuneranos conceſſit. Erat jam magna rerum penuria apud Snecanos, Slotenſes, cæteroſque, qui Geldros ſequebantur: ſed nuſquàm major quàm apud Bolſverdianos, hoſti proximos. Ea verò cùm creſceret indies, & pecunia quoque ſtipendiis deeſſet, miles, qui erat in oppido, numero DCCCC, & penuriæ tædio, & ſtipenij cupidine, ipſis Calendis Ianuariis anni M.D.XVII legatos ad Florentium miſit Leoardiam, qui deditionem offerrent. Læto occaſione Florentio, pactio ſine morâ facta, VIII aureorum Rhenenſium millibus, quot petita promiſſáque erant, triduo poſt ſolutis, Bolſverdia Florentio tradita: miles omnis, exceptis centum, ſacramento Burgundico initiatus. Cives, quibus animus Geldro addictus, quò libitum, dimiſit. Centum milites cùm Snecam iſſent, à Snecanis in urbem non recepti, ſed commeatu adjûti, cùm commodum, in Geldriam novis copiis augendis profecti. Pactio omnibus turpiſſima viſa. Oppidum ſcilicet tam commodum, tam munitum, nondum congente re, tantulâ pecuniâ à militibus venundatum, in quo ſola tormenta ex prædâ iſtûc à Petro prædonum duce congeſta pluris penè quàm pecunia iſta eſſent. Itaque mercatores, Bolſverdiani milites hi, à commilitonibus quoque probri causâ dicti: à Geldris verò ut proditores proſcripti: multi etiam hîc illîc, ut res tulit, ſuppliciis affecti. Quæ dum geruntur in Occiduis partibus, Edſardus certiora jam cognoverat de fœdere in ſe, à Geldriæ principe & civitate Groninganâ cum Henrico Luneborgio & Ioanne Oldenborgio icto, capitali domui ſuæ. Sic enim convenerat inter eos per legatos hinc indè commeantes, *ut quemadmodũ Luneborgius & Oldenborgius jam dudum hoſtes erant Edſardi, & ſubditorum eius, ita quoque Geldrus & Groningani ſine morâ ſe hoſtes eorundem profiterentur: ut omnes coniunctâ operâ & viribus bellum in eos gererent, ut in proſcriptos: ut nec hi ſine illis, nec illi ſine his pacem induciáſque cum ijs inirent: id, ſi quid locorum populorúmve paciſcendo acquireretur, aut armis & vi caperetur; ſi ad Orientem Amaſi eſſet Luneborgio & Oldenborgio; ſi ad Occidentem, Geldro & Groninganis cederet; eſſetq́; eorum in ſolidum, nec alteri alterorum ſe iuri in eo miſcerent: at ſi pararetur pecunia aut res alia mobilis tranſigendo, æquâ portione divideretur.*

Si quis

Si quis fœdere ſe jungeret cum Edſardo contra ſocios hos ipſos, is eorundem omnium hoſtis eſſet, omniúmq; armis oppugnaretur. MDXVII *Gelder & Groningani extemplò copias validas auxilio ſociis mitterent trans Amaſum, quæ menſem unum apud eos mererent: iidem claſſem armarent, eâq; Amaſi oſtium obſiderent, Amaſumq; in poteſtate haberent quamdiù res poſceret: exportationes & importationes maritimas, auxiliaq; undecunq; advecta prohiberent: commercia inter hos ſocios mutua ac libera eſſent, ſalvo vectigalium ſolitorum jure. Si qui in poteſtatem redigerentur à Luneborgio & Oldenborgio in Orientali Friſiâ, hi mercatus in urbe Groningâ, uti ſolent, frequentarent. Si deinceps præter hæc his illiſve occurrerent fœderi profutura, jus eſſet, ea ſignificare, & re conſideratâ ex cõſenſu mutuo eidem fœderi aſſcribere. Luneborgius etiam & Oldenborgius ſtuderent Ericum Brunſvigium, Heronem Eſenſem, Chriſtoforum Ieveranum in fœdus hoc traducere, ſpe penè non dubiâ ſucceſſus. Poſtremò ſi Cæſar aut nepos ejus Carolus Geldrum aut ditiones ejus bello invaderet, Geldro ad cognitionem cauſæ apud æquos ac non ſuſpectos judices ſe offerente, Luneborgius & Oldenborgius auxilia ei pro viribus ſuis ferrent.* Atque hæc in ſyngraphas quidem relata, & minoribus ſigillis ab utriſque ſignata, ut antigraphum docet, quod vidi. Sed nihil horum, quod ſciam, opere perfectum. Credo id accidiſſe, quod Gelder majoribus rebus diſtentus trans Amaſum ſuppetias mittere, Amaſumque claſſe occupare in tempore non potuerit: Luneborgius autem fruſtratus ab eo, nullo lucro ſuo irritandum ſibi Cæſarem non putarit: intereà momenta rerum verſa, fœduſque ſpongiâ confoſſum. At Edſardus per indicem cognitâ re, uti dixi, (quid enim occultum inter vicinos, præſertim nuperos ſocios?) eò magis hinc novæ gratiæ quærendæ, parandæque fidei ſtudio, indè odio Geldri & vindictæ cupidine ſtimulatus antè tempus ad Florentium redierat. Eo hortante, cùm aër ſuaderet ſerenus, & gelu placido ſtrictus, quaternis caſtris Sneca belli arx die XIII. Calend. Februarii cincta eſt: ex his maxima Taboræ in cœnobio poſita ad Occidentem hybernum, in quibus cum Florẽtio & Felice, Iodocus Hoijenſis, Simon Lippienſis, & nobilitas Tranſlavicana, hóſque animi causâ ſecutus Edſardus: altera Ilſtæ, Meridiem versùs, tertia in cœnobio novo, quarta Openhuſæ locata. Tormenta quoque omnis generis oppugnando oppido adducta, omnis in oppidum aditus exitúſque præcluſus. Oppidani exemplo cautiores facti, ſpreto peregrino milite, cum gentilibus ſuis jam longâ militià duratis, & ad omnia ardua ac audacia promptis duce Longo Petro & nobilitate patriâ curabant. Ab his aſſiduis eruptionibus caſtra hoſtium turbari, prælia iniri, quæ ad mœnium defenſionem pertinebant diligenter parari, vallum imprimis aquâ perpetim perfundi, & glacie incruſtari, clauſtrum monaſticum mœnibus proximum exuri, ne hoſti uſui eſſet. Intereà interceſſores de pace quoque agere, ampliſſima Snecanis promittere; nec abhorrere in populo plerique laborum & malorum pertæſi: Sed à Petro rerum domino, & factiosâ nobilitate reſpui omnia, & colloquia prohiberi. Demùm nono obſidionis die cùm ſe repente aër in pluvias ſolviſſet, caſtra ſtatim omnibus locis ſublata. Felix cum cohortibus quatuor, quæ Openhuſæ ſederant, in Cuneranos, undè venerat, Tengnaglius Ilſtâ Staveram & Hindelopam, cæteri Leoardiam, Franequeram, Harlingam, Bolſverdiam, Doccumum reverſi ſunt. In novo cœnobio duæ ſunt cohortes velut in excubiis relictæ. At IIII Idus Februarii cum cohortibus ſuis Cunerâ digreſſus Felix, in Geldriam proximam impreſſione factâ caſtellum in orâ ſinus Auſtrini muniendo portui à Principe inſtitutum, & ex re Altenaum vocatum (Hollandiæ enim finibus imminet, quod vox Germanica ſonat) invadit, & tentatâ certaminis fortunâ, vi cepit: præfectum VVerneram Spegelium, veterem parium hoſtem, cum præſidio in vincula dedit: turrim, caſtelli robur præcipuum, infertam pulvere nitroſo, ſubjecto igne boatu & tremore terribili disjecit. Tùm vallo quoque diſſipato, & navibus incenſis, in Brabantiam

MDXVII ipſe contendit, milites ad accipienda ſtipendia in Hollandiâ reliquit. Ii ſtipendiis acceptis, cùm ſine ſacramento eſſent, Keſſelanâ regione petitâ, haud multò pòſt Geldricæ militiæ, ſed ſine præfectis in Burgundos arma ferre nolentibus, ſunt aſſcripti. Simul vergente Februario Edſardus cum Florentio in Hollandiam navigio profectus, & Harlemi commoratus, dùm ille res ſuas in provinciâ curat (Hollandiæ quippè Rector pro Carolo rege erat) mox cum eodem in Brabantiam, ubi tùm Maximilianus Imperator, & filia Belgii gubernatrix, & Carolus nepos Hiſpaniæ rex, maximis negotiis impliciti erant, contendit. Is Bruxellæ ad Carolum regem, & amitam ejus Margaretam, ubi primùm per negotia aulæ licuit, per Florentium deductus, benigneque in Senatu ampliſſimo attentis omnibus auditus, benigniùs quoque ex ſenatu eodem dimiſſus, atque in ſpe optimâ locatus. Erat quippè ipſe, ut habitu oris, formâ corporis, animi quadam vi ſingulari ac rara, quæ ex iis eluceſcebat, ſic dicendi quoque gratiâ, in quâ prudentia conſtantiaque quædam inerant, ad promerendum hominum favorem eximius. Tùm nomen ejus virtute & factis inclytum, & omnibus notum. Eaque inſignis Florentii commendatio provehebat. Sed vel maximum hic momentum, quòd amicus inimicúſve eſſet in hoc ambiguo de Friſiâ certamine, in hoc novo Caroli imperio, in Hiſpanias quoque tam procul Belgio ituri, in nutante cum Gallo, rege fæliciſſimo & potentiſſimo, pace haud parùm intereſſe prudentes arbitrarentur. Quippè vicinus, hominum locorumque gnarus, conſiliis & armis exercitus ac promptus, Friſiis Friſius ipſe gratus, mente excelsâ & ad magna paratâ. Cui ſi Gallica pecunia vires ſufficiat, ſocio Geldro turbido, audace, militum copiâ ſemper inſtructo, non parvas eum turbas dare poſſe rebantur. At Cæſare ipſo reconciliato imprimis erat opus: & is maximis eo tempore ſuis nepotiſque rebus diſtinebatur. Nam de itinere in Hiſpanias, regnóque ineundo, de quiete & curâ Belgii, de pace cum Geldro & Gallo, de hoc ipſo Friſiæ jure controverſo agebatur. Itaque dilatus primùm Edſardus: deindè ab inimicis Brunſvigiis, & Georgio Saxone, qui eôdem venerant, ac aures animúmque Cæſaris accuſationibus obſidebant, res tardata. Demùm Mechliniæ, ubi tum aula erat, cùm offerret ſe ipſus, & reſpondendi copiam, quam ne ſceleratiſſimis quidem negari leges volunt, rogaret, gratiâque Margaretæ filiæ Cæſaris, & Caroli nepotis ejuſce juvaretur, laborarétque pro eo Florentius, aditus ei ad Cæſarem apertus, ac dicendi poteſtas facta. Tùm ille, veneratus Auguſtum in ſenatu ampliſſimo ſedentem, ſic pro ſe locutus traditur.

Cùm multa mihi acerba evenère his annis, tùm nihil acerbiùs in omni vitâ, quàm quòd, qui majeſtatem Cæſaris veneratus ſim quammaximè, ſummúſque ejus cultor fuerim ſemper, tamen inimicorum calumniis circumventus gratiâ ejus excidiſſe me ſenſerim. Atque hoc eò me graviùs preſſit, quòd non ſolùm innocenti mihi acciderit, ſed etiam eorum acciderit culpâ, de quibus optimè me meritum eſſe, & à quibus maximam gratiam mihi deberi putavi. Quod ut verum intelligas, rogo te, invictiſſime & clementiſſime Cæſar, ut pauca pro me dicentem placide attentéque audire non graveris. Ego ab eo tempore, quo Saxoniæ princeps Albertus decreto tuo ordinúmque Imperij tui legatus gubernandæ Friſiæ eſt deſignatus, tùm ut gratum facerem Majeſtati tuæ, tùm ut eum ipſum beneficio afficerem, in domandâ provinciâ adjutor ei fui fidus ac oportunus, & in periculo arma quoque pro eo tuli, plúſque illi unus profui in gerendâ re (abſit dicto invidia) quàm omnes alij, quorum auxiliis fuit uſus; atque in hoc nec labori peperci, nec impendio meo populive mei. Vellem viveret etiam nunc, ipſe hoc mihi teſtimonium perhiberet. Et res per ſe adeò nota eſt, ut ne hi quidem negare auſint inimici mei hìc præſentes, qui ſtudia fidemque meam viderunt. Illo defuncto, quâ fide Georgio adhæſerim, quos labores & pericula pro eo ſubierim, quantum momenti attulerim rebus ipſius, quid opus ut memorem? Groningam deindè occupavi nullo jam vinculo ei obſtrictus, majore

ſanè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſanè bono ejus quàm malo, maximo verò totius viciniæ commodo, Majeſtati quoque tuæ & Imperij honore jureq́ incolumi. Nam & bellum oneroſum ipſi, Reip. Germaniæ periculoſum, tot innocentibus hominibus exitiale, omnibus finitimis grave ac noxium ſine vulnere finivi, majus quoq́ quàm antè ſurrecturum, ſi, quod agitabatur, cum Vltrajectinis civitati conveniſſet, & cognitionem judiciumq́ de totâ re ordinibus Imperij reſervavi, paratus facere, quod ab ijs judicaretur. Itaque nec hanc ob cauſam quiſquam litem movit mihi, aut ſuccensêre ſe oſtendit præter Vltrajectinos, qui ſe occupandæ urbis, & Saxonis excludendi ſpe per me dejectos ſentiebant. Pacta ſecuta non ego infregi, ſed infregit ille, & facto ſuo ab eorum obſervatione me quoque liberavit. Nec me ſarciendæ concordiæ defuiſſe, aut quicquam, quod æquum eſſet, detrectaſſe tot acta ſcriptaq́ docere poſſunt, ad quæ etiam nunc, Majeſtate tuâ judice, provoco. Nec judicium tuum, invictiſſime Cæſar, aut ſummi Pontificis defugi unquam, nec poſtquàm delata ad te lis eſt, & conſtitutum à te judicium, contumaciæ me reum feci, aut quicquam commiſi, quod bonum & juſtum, & legum obſervantem committere non decuerit. Ac heîc quoque teſtes mihi ſunt chartæ in curiâ tuâ, actorum omnium monumenta certiſſima. Vnum modò obijci mihi fortaſſis poteſt, quòd mandato tuo, aut nomen tuum præferenti, te maximis & plurimis negotiis diſtento, & duobus pariter bellis graviſſimis Italico Belgicoq́ implicito, gratiâ, pretio, importunis precibus in curiâ tuâ, ignaro, utì credidi, te ab inimicis meis non ritè impetrato non paruerim, cùm parêre ſalvo honore meo, incolumi jure eorum, quorum intererat, non poſſem. Nam ſub mandati nomine reverà ſententia ferebatur contra me nondum percognitâ cauſâ, non expectato admiſſóve reſponſo meo, jubebarq́ imperium id, quod habeo in meos, homines liberos, Saxonibus ſubmittere, reliquos nolentes invitoſq́ ijſdem ſubijcere, & in eorum verba adigere, æs ingens ipſis ſolvere, qui mihi longè majus debebant, pignoribus meis contra jus decedere, denique ijs pacta, & plus quàm pacta ſervare, qui mihi eadem non ſervârant. At nec integrum mihi, alterius quàm Majeſtatis tuæ, maximè Cæſar, ſubire jus, nec fas invitis meis ac renuentibus altera inducere imperia, libertatémque patriæ novato ſtatu gravare, nec juſtum probúmque, populo libero ſuis legibus ac moribus viventi, nîl mali merito, alienos dominos imponere recuſanti. De reliquis taceo manifeſtis per ſe. Et cùm ad Imperij ordines, atque ipſum te, Cæſar, provocarem, vobiſq́ cognitionem deferrem, ijſdem curis belliſq́ occupato te, cùm judicium expectarem, bellum ſummis viribus mihi illatum priùs quàm indictum, deîn proſcriptio in me confecta, omniſq́ mihi aditus ad clementiam tuam ab inimicis obſeptus. In hac anguſtiâ ſummâ, ditionibus meis ab hoſte protritis, arcibus occupatis, patriâ infælice omnibus injuriis expoſitâ, feci equidem, quod in fortunâ hujuſmodi facere mortales ſolent, quod leges juráque concedunt, quod dictat natura, quò me ipſa adêgit neceſſitas, ad proxima ſcilicet, &, quæ ſola ſupererant, auxilia convolavi, reſtitique injuriis quantum potui. Nunc, cùm & iniquæ ſocietatis Geldricæ pœniteat me, & ſereniſſimus Hiſpaniæ rex, Burgundiæ princeps, nepos tuus, Saxonibus in imperio Friſiæ ſucceſſerit, reditum mihi ad recuperandam Majeſtatis tuæ gratiam apertam ſperavi, eóque fine, fretus conſcientiâ meâ, & juſtitiâ ac clementiâ tuâ, hûc veni, ut tuo judicio paratum me re ipsâ oſtenderem. Rogo, ut, quæ dicta à me, æquâ mente dijudices, & ſi extra crimen me eſſe intelligis, proſcriptionem tollas. Quòd ſi impetravero, curabo, ne quiſquam fide in te nepotémque tuum ſuperare me deprehendatur. Atque hoc eâ gravitate conſtantiâque diſſeruit, ut ex vultu verbiſque animi virtus, & mens recti conſcia, ac rara prudentia elucere viderentur. Mox eo dimiſſo, deliberatum in ſenatu, multáque in omnem partem dicta: demùm valuit ſententia, in gratiam recipiendum, proſcriptionem inducendam, fidem pactis obligandam, ipſo maximè huc inclinante Maximiliano Cæſare à filiâ & nepote rogato, proceribuſque Belgis ſatagentibus, quibus è re Principis ſui id eſſe videbatur. Nam is & invidos Gallos in novo imperio, & hoſtem Geldrum habebat, & in Hiſpaniam ineundo regno vocabatur; raræ indolis quidem, ſed ætatis adhuc lubricæ & immaturæ: annum enim XVII vixdum erat egreſſus. Itaque pacatis proximis quibuſque habebat opus, MD XVII

MDXVII nec quiſquam plus in aſſerenda tuendâque Friæâ, provinciâ novâ, expellendiſque indè Geldris prodeſſe ei poſſe, quàm Edſardus putabatur. Ita quanquàm frenderent inimici, omníque vi contrà irent, tamen abſolutus à Cæſare, & in fidem receptus fuit. Nam, uti in aulis regum ac principum mos habet, Saxonum & Brunſvigiorum gratiam illam ſolitam præpotentem, jurique vim facientem, utilitas Burgundicæ domus facile eliſit. Hinc varia cum eo acta per aulæ Caroli proceres ſtimulante Margaretâ, ipſe inprimis ſtipendio Caroli regis, filius Vlricus contubernio aulico ejus honeſtiſſimis conditionibus expetitus. Denique poſt aliquot dies, re ſæpius agitatâ, in has demum leges inita conſenſio. *Edſardus ſtipendium à Carolo capiat aureorum Rhenenſium quater millium quotannis ex cenſibus agri Groningani, quoàd vivet: idem legatus regundo eidem agro, in eo jus dicat dicíve curet, eum Caroli obſequio ſubjiciat ſumptu illius, atque agri ejuſce ordinum cenſus: agri, vectigalia, reditus, & quicquid hujuſmodi, colligat, de iis quotannis rationem reddat; quæ ſupererunt ſupra quatuor illa millia ſtipendij ſui, in fiſcum Caroli inferat: ſacramentum det Carolo, fidelem ſe ei futurum, & militaturum ſtipendio ac ſumptu ejus in quoſvis hoſtes: imprimis auxilia laturum Florentio Egmondano, & cæteris in Friſiâ præfectis, quotieſcunque res poſcet, & ipſe monebitur: Ei viciſſim à Florentio ac reliquis auxilia tuendo juri ac rebus ſuis, & comprimendis tumultibus ac factionibus præſtentur pro modo virium: Ejus filium primogenitum Vlricum Carolus inter contubernales ad cubiculi regij miniſteria habeat, alatq́; liberaliter, aut ſtipendium ei conſtituat aureorum Rhenenſium mille in annos ſingulos. Edſardus, hæredesq́; ejus, ditiones patrias, Orientali Friſiâ comprehenſas, beneficio Caroli, & hæredum illius Comitum Hollandiæ teneant impoſterum, modò aſſentiantur Maximilianus Cæſar Caroli avus & principes electores. De præfecturâ vetere & Duerſvoldiis in agro Groningano, quos dono ſibi dari petierat Edſardus, Carolus conſtituat, & quod æquum videbitur, faciat, ubi de utriuſq́; præfecturæ magnitudine & conditione, quantum opus, erit edoctus. Quam ſibi pecuniam cum uſuris ex agro Groningano, ac aliis Friſiæ locis deberi Edſardus ait ſecundum tabulas à Georgio Saxone ſignatas, de eâ jus integrum habeat, & ex tabulis iis jure agat, ſalvâ Carolo exceptione, aut reſponſione, ſi quid fortè in ipſius provinciæq́; fraudem hoc nomine peti contingat.* Hæc valeant, ſi Carolus ipſe probet, qui tum temporis Gandavi in Flandriâ erat, & ordines Friſiæ Orientalis, quorum intererat, ad quos relaturum ſe ſtatim, ubi domum rediſſet, Edſardus promiſit, deque eorum voluntate reſponſurum, aſſenſerint. Et Carolus quidem probavit ſtatim, cùm eſſet adhuc Gaudavi itineri ſe parans, ſignavítque ipſis Calend. Iuniis, ſubſcriptore Hannetonio regi à ſecretis. At decimo die pòſt Edſardus, cujuſmodi legati regundarum regionum dare ſolent, jusjurandum Carolo dixit apud Ioannem Sauvagium Eſchaubechium Cancellarium. Deindè reliquis expeditis, filio optimæ indolis, & corporis pulcherrimi, annum jam agente XVIII, cum comitatu perhoneſto apud Carolum relicto, domum contendit, Emdámque rediit XI Calend. Quintil. gratulantibus & ſupra quàm credi poſſet lætantibus ordinibus ejus, & omni ætate ac ſexu gaudente (triſtes enim nuncij à Bruſvigiis & Geldricis ſparſi perculerant eos) ipſo ob filium inter gaudium & ſollicitudinem medio. Nam non pericula ſolùm maris & longinquum iter, ſed Hiſpanicæ gentis fidem horrebat animo futuri verè præſago, ſicùm eventus ſecutus ſit peſſimus, ut ſuo loco demonſtrabitur. Tum verò fidiſſimis ſuorum coactis exponit, quid actum in Brabantiâ, quid ſentiant ipſi, exquirit: ab his cum gaudio excepta cætera, ſolùm clientelæ onus damnatum, rejectumque unanimi conſenſu, conſiliaque inita ejus declinandi quàm minimâ cum offensâ: ſimul ad alia curæ verſæ. Deceſſerat inter hæc è vitâ poſtridie Calend. Iun. Chriſtophorus Ieveranus cælebs ſine prole, annos natus XIX ſororesque tres hæredes reliquerat. Has verò auditâ Chriſtophori alumni ſui morte, miſſis repente Ieveram ex arce Freborgiâ legatis cum equitum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

tum manu, ſub benevolentiæ ſpecie redigere in poteſtatem, & in cœnobia detrudere princeps Luneborgius Henricus fuerat conatus. Idemq; per filios tres iſtûc properare juſſos Hero Eſenſis, inhians prædæ vacanti, & augendæ fortunæ ſemper avidiſſimus, tentaverat. Sed & hos & illum anteverterat Oldenborgius virginum cognatus ac tutor legitimus, ſtudium rei ſuæ abſcondens, curam ſobrinarum præ ſe ferens, cõfidens Ieveranam rem propediem arbitrii futuram ſui. Hoc verò urere Edſardum, nec rectum, nec è re ſuâ putantem, Oldenborgios Friſiæ ſe latiùs inſerere; ſed in hoc ſtatu quomodo prohiberi queat, non ei occurrere: itaque ſtatutum, tempori id reſervare, alia intereà, quæ in rem patriæ eſſent, curare, conſilia & motum eorum, qui in eam ac ſe conſpirarant, obſervare: ſimul cum Burgundis pacta ſilentio tegere, quoàd aliud requireret uſus. Sed antè hoc tempus finita jamdudum erat actio illa apud Galliæ regem Franciſcum de imperio & poſſeſſione Friſiæ, cujus mentio jam facta nobis eſt aliquoties. De quâ, ut intelligi tota res rectiùs queat, repetenda hoc loco ſunt quædam paulò altiùs, quædam pleniùs quoque exponenda. Poſtquàm comparaſſent inter ſe Saxones Burgundicique, uti oſtendi antè, ut Georgius Saxoniæ Dux jus illud ſuum, quod in Friſiam habere ſe rebatur, Carolo Auſtriaco cederet, Franciſcus Galliæ rex, qui mox initio regni ſui cum Carolo hoc juvene, annos tum nato XV, firmaverat pacem, adeóque amicitiam conjugii ſponſione ſanciverat, ut bellum inter hunc & Carolum Geldrum, amicum veterem, in Friſiâ dirimeret, ac pariter militum veteranorum utriuſque partis ſtipendia merentium copiam ſibi pararet, interceſſit ſtatim; miſſoq; ad utrumque legato inducias confecit quadrimeſtres, eas ipſas, de quibus antè ſcripſi, exituras IV Iduum Octobr. anni M. D. XV: in quarum leges Auſtriacus juravit Aloſti in Flandriâ præſente Geldri Cancellario: idemque paulò pòſt Arnhemi Gelder fecit. In his legibus ſic ſcriptum fuit, *ut retentis ſolis oppidorum, locorumq; aliorum munitorum præſidiis neceſſariis, cæteri milites omnes utrinque dimitterentur: uterque pacificè poſſideret, quæ tunc habebat: Galliæ regi poteſtas eſſet, diem locumq; conventus ac colloquii utrique indicendi pro arbitrio ſuo, durantibus his induciis: illîc uterque cauſam ſuam exponeret, cauſaq; vel amicè componeretur, ſi poſſet, vel judicio finiretur.* Verùm nec induciæ hæ ita, uti debebant, cultæ ſunt, nec rex expeditione in Inſubres occupatus iſto tempore vacare huic rei potuit. Induciæ tamen iiſdem legibus prorogatæ per trimeſtre: iis finitis arma ſenſim reſumpta, deniq; bellum redintegratum. Intereà Ianuario menſe extincto Hiſpaniæ rege Ferdinando, regniſque ejus ad Carolum Auſtriacum hæredem devolutis, nova conſtituendarum rerum cauſa regi Galliæ, & eidem Carolo enata; cujus gratiâ tandem inclinante æſtate Novioduni in Picardis colloquium inſtitutum: Eò miſſi à Franciſco rege Arturus Gofferius magnus Franciæ magiſter, Stephanus Poncherius Pariſiorum epiſcopus, Iacobus Oliverius ſummi ſenatus Pariſini præſes; à Carolo, Guilhelmus Croius cubiculi præfectus, Ioannes Sauvagius Burgundiæ Cancellarius, Philippus Hannetonius libellorum ſupplicum magiſter. Atque huc commodùm quoque à Galliæ rege, probante Carolo, Gelder eſt vocatus ad agendam cauſam Friſicam. Ille pro ſe Renatum fratrem ſuum nothum, Ioannem Faulcmerium Geldros, Edſardum Gravium, Gelmarum Canterum, Auguſtinum Aggæum Friſios eò legavit cum poteſtate peramplâ. Carolus Buchonem Aitam ſacerdotem Leoardium contra hos adeſſe juſſit. Ibi inter reges ipſos omnis res compoſita, & pax atque amicitia denuò firmata: in hujus vinculum majus pro Renatâ Franciſci glore, quæ priore anno addicta ei erat, reſciſsâ ſponſione illâ, Ludovica ejuſdem filia vixdum annicula Carolo eſt deſponſata cum dote inſigni. Cauſa Friſica inter Carolum regem Geldrúmque agitata etiam prolixè, & cõpoſitio in eâ per Gallos tentata: ſed quòd difficilior videretur res, & tẽpus MD. XVI

MDXVII brevius, ex utriuſque partis conſenſu decretum poſtridiè Non. Sextilium,
ut utrique ſe rebus omnibus pararent, paratique ad exitum Septembris ſe
ſiſterent iterum Pariſiis coràm iis, quos rex ad eam rem eſſet editurus; illic
vel transactione amicâ, vel ſi ea non procederet, judicio controverſia tol-
leretur, idque pactorum priorum vi, quibus cauſæ hujus arbitrium utràque
à parte regi erat ſubmiſſum. Ità dimiſſi omnes: ab his omnia ſummâ cum
curâ parata. Intereà & à rege editi in hanc rem Theobaldus Ballietus, Ca-
rolus Guilliardus ſummæ curiæ Pariſinæ, Franciſcus Deloijnus, Iacobus
Chevræus ſenatores in curiâ eâdem, & his denique additus Stephanus epi-
ſcopus ejuſdem urbis, idem ille qui antè eſt memoratus. Coràm his cùm
comparuiſſent iidem, quos modò recenſui, pro Geldriæ principe Diſman-
nus Bergæus familiâ illuſtri, ſed toro non legitimo natus, magiſter libello-
rum ſupplicum hoſpitii regii, & Bucho Aita ſacerdos Leoardienſis, pro Ca-
rolo rege, actio rurſum inchoata, libelliqúe utrimque exhibiti pro jure par-
tium. Eo facto, ſtatim in principio de formâ libelli, procuratorum regiorum
haud parva exorta contentio eſt. Nam hoc modo conceperant eum illi, *ut
Geldrum actorem, regem reum cum commodo cauſæ ſuæ facerent, ut de retinenda poſſeſ-
ſione ſolùm, non de toto jure ſe contendere hoc tempore præ ſe ferrent, ut interceſſorem
tantummodò componendæ controverſiæ, non verò arbitrum finiendæ litis regem Galliæ
habere ſe profiterentur.* Sed à delegatis contra regios pronunciatum eſt in hanc
ſententiam; *neutrum litigantium actorem aut reum cenſendum; de univerſo jure, non
ſolùm de poſſeſſione diſceptandum; Galliæ regem non interceſſorem ſolùm aut arbitrato-
rem tentandæ compoſitionis, ſed arbitrum quoque definiendæ litis habendum: itaque re-
formato in his libello eſſe opus.* Hâc ſententiâ turbatis regiis, cùm non ſatis pa-
ratos ſe ad actionem hujuſmodi putarent, dilatio ab iis rogata eſt in Calen-
das Decembres, eáque nequicquàm contrà nitentibus Geldricis impetra-
ta. Sic hi ſine morâ ad regem ſuum in Brabantiam, illi ad principem in Gel-
driam ſunt profecti, utrique conſilii causâ. Pòſt cùm Pariſios rediſſent om-
nes, in jus rationeſque utriuſque partis à cognitoribus facta inquiſitio eſt. In
hoc conflictu, vim fieri regi ſuo à Geldro demonſtrare regii conniſi fuêre.
Nam *Friſiam dicebant, quam paucorum rebellium factione ſubnixus Gelder armis in-
vaſerit, ſine controverſiâ regis eſſe ſui; Saxonas quippè & jus ejus, & poſſeſſionem regi
ceſſiſſe: iſtos verò juſtiſſimo modo & jus illud acquiſiviſſe ſibi, & in poſſeſſionem ejus ve-
niſſe: negari enim non poſſe, Hollandiæ Comitum Friſiam à multis fuiſſe ſæculis, nec ſo-
lùm jus ejus à Cæſaribus Regibúſque eos accepiſſe, ſed imperium quoque ejuſdem re ipsâ
tenuiſſe: id diplomata complura atque alia literarum monumenta abundè teſtari, & extra
controverſiam ponere: at Philippum regis ſui patrem Comitem Hollandiæ hæredem in jus
eorum ſucceſſiſſe, & hunc id ipſum in Albertum Saxonem Georgij parentem tranſtuliſſe,
Saxones jure auctos in poſſeſſione ſe collocaſſe, poſſeſſionemq́ totos* XVI *annos continuaſſe,
populum omnem in fide habuiſſe, & leges tuliſſe: hos viciſſim, cùm res poſceret, jus idem,
quod à Philippo acceperant, filio ejus Carolo regi cum poſſeſſione ceſſiſſe: At Geldriæ prin-
cipem nullo fretum jure, rebellium modò & perfidorum hominum patronum, per vim
atque injuriam ſummam, rem alienam invaſiſſe, dominoſq́ ac poſſeſſores ejus, à quibus
læſus non erat, in jure & poſſeſſione turbaſſe, nec titulum alium quàm violentam æquè
ac injuſtam occupationem in totâ re Friſicâ habere: quid æquum ſit, non eſſe in obſcuro.*
Et ſic quidem regii: qui quia hæreditario jure veteri quàm beneficio recen-
ti Cæſaris & Principum Germanicorum regem ſuum Friſiam tenere ma-
luêre, totum id quod ad Cæſarem & Principes pertinebat, ſilentio hîc ſunt
prætervecti. At Geldrici nec vanius eſſe quicquam rationibus his pro rege
productis, nec quicquam firmius planiuſque quàm jus Principis ſui conten-
debant. *Nam uti verum haud quaquam eſt,* ajebant, *Hollandiæ Comites ab initio ſui
per longam ſæculorum ſequentium ſeriem imperium Friſiæ tenuiſſe, ità veriſſimum illud,
à longiſſimâ hominum memoriâ Friſios fuiſſe liberos, & ad proximos uſque hos annos,*
cùm

cùm à Saxonibus oppreſſi ſunt, in libertate ſuâ ſtetiſſe, proq́ eâ bella multa geſſiſſe, multum ſanguinem ſæpè fudiſſe, ſæpè illuſtria trophæa cùm alios contra hoſtes, tùm contra hos ipſos Hollandiæ Comites ſtatuiſſe, præter Auguſtos Cæſares aut Germaniæ Reges non principes alios, non dominos tuliſſe. Nec ſolùm ipſi Friſii gloriantur libertate hâc ſuâ, teſteſq́ hujus inſignes Cæſarum literas celebrant, ſed omni Germaniæ & regionibus vicinis res eſt notiſſima, nec ignota adverſariis. Nec enim vulgatiùs quicquã quàm Friſios ex nobili hâc & rarâ libertate, velut proprio nomine appellari liberos? Ac inania verè ſunt, quæ è fabulis depromta de donatione Ludovici Pij, aut Caroli Calvi, aut cujuſquam alterius Francorum veterum contrà dicuntur, & teſte & fide carentia. Et quid ad rem, quod hiſtoriæ produnt, Hollandiæ Comites Friſiam ſæpè invaſiſſe, interdùm etiam ſecundante fortunâ partes ejus aliquas parêre ſibi coëgiſſe? an unum & idem eſt, jure aut vi aliquid fieri, partem aut totum teneri, in longiſſimâ & continuâ poſſeſſione, aut in momentaneâ, identidemq́ interruptâ eſſe? Itane nihil differunt, jus aliquod habeas, an jus opprimas? ex conſenſu hominibus imperes, an invitis domineris? tranquillè poſſideas, an poſſeſſionis causâ oppugneris? Nam quis adeò omnium Comitum Hollandiæ totam poſſedit Friſiam? quis ſine armis & vi quicquam omninò ejus tenuit? quis aliquid trans Flevum poteſtatis fecit ſuæ, quod non aut ipſe, aut ſucceſſor ejus rurſum amiſerit? Nam commovens ſe populi libertas alienum iniquúmq́ imperium ſummâ alacritate viciſſim excuſſit. Præterà quiſquámne negare queat, totos proximos annos centum omnia inter Flevum & Amaſum ſine principe ac domino fuiſſe, libertatemq́ illibatam tenuiſſe? quod vel unum, ut alia non ſint, ſufficere debet ut extra dubium jus libertatis in hâc gente habeatur. Ita cõvulſo fundamento totius cauſæ regiæ, cauſam ipſam corruere neceſſe eſt. Quod enim Hollandiæ Comitum non fuit, id ex hæreditate eorum Philippi quoq́ eſſe non potuit: quod ejus non fuit, hoc quomodò is ceſſerit Saxonibus? quomodò ab his filius ejus rectè jureq́ receperit? Ad hæc ne Saxones quidem unquam dum Friſiam invasêre, dum poſſedêre, ceſſionis hunc titulum prætulerunt: imò haud alium ullum, quàm decretum beneficiumq́ Cæſaris atque ordinum Germaniæ rebus & factis ſuis publicis privatiſq́ prætenderunt, eoq́ modo demõſtrarunt, ſine decreto hoc nil juris probi juſtiq́ in Friſiam ſeſe habere. Sed & titulus iſte verè inanis illis fuit. Nam & Albertus priuſquàm quicquam hujus decretum eſſet, poſſeſſionem prehenderat, & decretum ipſum haud dubiè fuit vitioſum. Pugnabat enim cum antiquiſſimâ libertate ac jure gentis, pugnabat cum decreto priore, & diplomate Campodunenſi; denique inauditis ijs, quorum intererat, erat confectum. Itaque nec ex conſenſu populi, ſed vi armatâ imperium ab Alberto occupatum, Groningani poſſeſſione juſtâ ac legitimâ in Oſtergoâ dejecti, ordinum omnium libertas oppreſſa, in Groninganos tot annos bellum geſtum. At Geldriæ Dux ab his, quos vis & injuria premebat, hominibus jure liberis in auxilium vocatus, & protector patronúſq́ libertatis electus, deniq́ Princeps gentis deſignatus eſt. Et is ùt opem tulit ſupplicibus, ità honorem imperiúmq́ juſtiſſimâ ratione delatum non recuſavit. Quod benéne ab utriſque, an malè ſit factum, arbitri regis erit judicare.

Atque his & ſimilibus, intereà dùm armis in Friſiâ dimicatum, voce ac ſtilo Pariſiis eſt certatum. At Galliæ rex perplexus dubiúſque, hinc generum, indè amicum Gallicis rebus fidiſſimum cogitans, ac utrique conſultum cupiens, ad generum tamen maximè reſpiciens, ſed rationibus ejus diffidens, ſententiam non tulit. Veruntamen ne quieti deeſſet, cùm jam Maximilianus ipſe in Belgium veniſſet, colloquio Cameraci conflato inducias cõfecit, quæ inciperent VIII Calend. Aprilis, deſinerent pridiè Non. Maij. Ac tum demùm Gelmarus Canterus, poſtquàm totos menſes VIII domo abfuiſſet, quatriduò antè Paſchatos ad ſuos rediit, & præter induciarum harum nuncium nihil, quod è re patriæ eſſet, ſecum tulit. Per inducias actũ de pace Cameraci, ut Vorperius ſcribit, intercedentibus Gallis, annitente Margaretâ Auſtriacâ Caroli regis amitâ; verùm ſtudio inani, animis ad pacẽ non proclivibus. Quò factum ut ne induciarum quidem, utì nuper ità nunc rurſùm magna ſit habita ratio in Friſiâ. Nam cùm Tengnalius pro Burgundicis præfectus cum cohorte CCC militum, in quibus XXX ex nobilitate aut honeſtiſſimo ordine viri, MD.XVII.

MDXVII Hindelopam îſſet, ut eam muniret (erat enim ſitu in littore contra Hollan-
diam peroportuno) & cùm bonam munitionum partem abſolviſſet, Petrus
ille Longus, ſæpè jam memoratus, id & induciis adverſum, & non ferendum
putans, ad impediendum opus, & Burgundicos exturbandos eo è loco ſeſe
accinxit. Itaque armatis ſuis, quos habebat pugnaciſſimos, & claſſi mino-
rum ac agilium navium Snecæ impoſitis (Sicco ait, Erclenium conſcendiſ-
ſet, quod ego in medio relinquo) Hindelopam petiit: ibique in conſpectu
hoſtium expoſitis iiſdem, cùm ſe Tengnaglius cum ſuis obvium tuliſſet ex
oppido, ut exſcendentibus impedimento eſſet, ille turbinis inſtar eum inva-
ſit, ortóque certamine aciem ejus ſtravit, cæcídit, cum fugientibus in oppi-
dum irrupit, ac locum tenuit. Ferro cæſi, aut ſclopetis confecti centum
ſeptem, in quibus è Clivenſium illuſtri domo nothus cum Bronchorſtio, ut
Worperius notat: multi præterea navibus fugam molientes aquis merſi:
LXXVII à Petro capti, & Snecam pertracti: oppidanis nulla vis facta. Hâc
fortunâ territi, qui in novo cœnobio relicti erant à Burgundicis, cùm Snecæ
obſidio ſolveretur IX Calend. Maij, loco deſerto, alii Bolſverdiam, alii Doc-
cumum ſe recepêre. Petrus locum invadens munitiones exſcîdit. Iam Ca-
rolus Geldriæ Dux per inducias bellum parans, per Ioannem Selbachium
& Ioannem Golſtenium clàm militem ſcripſerat, & exeunte Aprili coire
juſſerat nõ procul Vltrajecto nullius adhuc auſpicia tum profitentem. Fuiſſe
feruntur ad ſepties aut octies mille: variant enim ſcriptores. Hos Princeps,
velut nèſcius conſilii ductorum, induciis jam ferè finitis inautoravit ſtipen-
diis ſuis hâc lege, ut mererent menſtruos Hornanos duos militiâ trimeſtri,
ipſe eos mitteret in regionem fælicem. Tum non longè Daventriâ præſens
affatus illos, & in nomen ſuum juratos Erclenio ducẽdos dedit, & per Tven-
tiam Drentiámque in Friſiam ire juſſit. Simul legati ab eo Groningam
miſſi, auxilia à civitate ad exturbãdos Friſiâ Burgundicos petituri. Hoc enim
conſilii ejus erat iſto tempore, omnes ſuas vires in eo experiri; nec deerant,
qui putarent, Gallicâ pecuniâ in idipſum eum inſtrui, etiamſi pacem & ami-
citiam novâ quoque affinitate firmatam Galli cum Carolo rege habere vi-
» derentur. In more enim hoc mortalibus, imprimis iis qui in excelſo ſunt,
» amicitiã ſimulare, ac palàm præ ſe ferre, cùm res aliqua ſuadet, intùs odium
» gerere, & per alios facere, quod ipſis per fœdera & amicitiam facere non li-
cet. Et periculoſum credebatur Gallis, fortunam Burgundicæ domus ſine
remorâ creſcere ſub juvene raræ indolis, avi prudentiâ, opibus, autoritate,
gratiâ ſubnixo: nec periculo ſolùm animi eorum, ſed invidiâ quoque & ve-
tere odio moveri putabantur. Nec in morâ civitas fuit. Statímque machinæ
& inſtrumenta varii generis, aliaque gerendo bello & oppugnandis mœni-
bus alacriter parata: commeatuum copia conquiſita, tormenta quoque ali-
quot inſtructa. Ab exercitu in itinere digreſſi Erclenius, Ianco Douvenius,
Sicco Douvenius (nam & hi cum Iuvone Iuvonio ex nobilitate Friſicâ in eo
exercitu erant) aſſumptis cohortibus duabus Illſtæ conſedêre. Illîc reliquis
expeditis, & Snecenſium civium ſex autoritate inter ſuos valentibus, ſed
Ianconi ſuſpectis, quos evocarat Erclenius, purgandi ſui causâ in Geldriam
miſſis, die alterâ poſt Idus Majas Doccumum versùs moverunt. Eodemque
reliquus omnis exercitus contendit, exulum numero ex urbe agroque Gro-
ningano auctus. Oppidum enim id invadere cogitabant. Sed erant in oppi-
do & caſtello cohortes quatuor capitum DCCCC, egregia & bello ſueta ma-
nus, quarum tres in oppido, quarta in caſtello curabant: & cum his numerus
aliquis ruſticorum nobiliumque ex agro vicino: oppidúmque & caſtellum
non contemnendo vallo ac foſſâ cingebantur: verùm commeatuum & reli-
qui apparatus copia animis & munitionibus non reſpondebat. Nec tamen
propterea ſeſe præſidium deſerebat. Quapropter cùm hoſtes primo adven-
tu oppu-

M.DXVII

ut oppugnationem ſtarim magnâ vi & alacritate tentaſſent, cum clade non parva ſunt rejecti, amiſſis ſuorum ducentis, in foſsâ profunda latâque enectis, vulneratis quamplurimis. Tum capiendi oppidi aliæ rationes ab iiſdem initæ. Agger tranſverſus per amnem oppidum alluentem & id ipſum à caſtello dirimentem paulùm ſupra oppidum magnâ laborantium contentione actus, derivandi amnis alvei, & exciſiccandæ oppidi foſſæ causâ: interim ſtipendia, ut mos harpyarum talium præſertim in reb. difficilibus, ab exercitu flagitata: quorum copia cùm non eſſet à Geldro, totus ager à Doccumo in Amaſum prægravi tributo vexatus, & cùm ne id quidèm ſufficeret in annonæ difficultate, populationes longè lateque inſtitutæ, nefaria multa in omnem ſexum, ætatem, ordinem per ſummum ſcelus à milite patrata; nihil cuiquam, quod auferri abigíve poterat, relictum. Mox aggere traducto, operibuſque aliis abſolutis, tormentis, quæ Snecâ partìm ab Erclenio adducta, partìm recens à Groninganis miſſa erant, in aggerum ſuggeſto conſtitutis, fulminatum graviter in mœnia & obſeſſos, terrorque oppugnationis per foſſas aquis penè inanes admotus: & tamen ne ſic quidem præſidij conſtantiâ fracta etiam in ſummâ rerum omnium anguſtiâ, donec per famem licuit. Eâ demum ingruente, quæ fortiſſimos etiam quóſqu e domat, colloquio locus datus. Sed cùm poſcerent obſidentes, eos qui Bolſverdiam vendiderant, quorum non parvus numerus in præſidio erat, ad ſupplicia, diſſimulatâ neceſſitate ſuâ negatum hoc ab obſeſſis, reſponſúmque, aut vivere ſimul omnes, aut mori velle. Itaque cùm non minus illi quàm hi rei cupidi eſſent, (feſtinabant enim ad alia Geldri) pridiè Idus Iunij in has de deditione leges convenit, ut obſeſſi exirent omnes complicatis vexillis, incolumi vitâ ac rebus, bimeſtri proximo contra Geldros non militarent, tormenta in oppido & caſtello relinquerent. Eo facto præſidium Geldricum ab Erclenio introductum, bini ex ſingulis decuriis, numero omnes ad DCCC, ut eſt à Siccone proditum; quanquam ab eo diſſentiat hîc Worperius, qui dimidium tantùm numeri hujus ponit, cui aſſentiri non poſſum: his præfectus impoſitus Golſtenius: pactum præatereà, ut quidquid prædæ caperetur à cæteris intereà dum hi in præſidio ſunt, ejus pars rata horum eſſet. Tùm reliqui omnes ſub imperio Selbachij per Langowoldios ac Fredowoldios in Drentiam, indè Stellenwerfios & Cuneranos ducti. Illîc præſto jam erat Petrus Longùs prædonum dux cum gregalibus ſuis CCCC, & navibus omnis generis CL. Et cùm biduum ibi quieti datum eſſet, die VIII Calend. Quintil. qui Ioanni Baptiſtæ ſacer eſt, aſpirante cœlo, primâ luce ſublatis anchoris cum omni exercitu navibus impoſito, in Hollandiam vela ventis data, fælicique curſu multo adhuc die in litora ejus claſſe delatâ & Enchuſam exterritam prætervectâ, in Medenblicum malè munitum proræ converſæ. Ibi expoſito milite & impetu ſubito ac inopino in opidum facto, nequicquàm repugnante cohorte quæ in præſidio erat, obrutum ilicò oppidum & vi captum, præſidij maxima pars, & civium multi ferro conciſi, reliqui fugâ in arcem elapſi, enſis in ſexum & ætatem imbellem primo furore evagatus. Tùm direpta omnia ſine diſcrimine, ne ſacris quidem ullis immunibus, multa fœda patrata; egeſtis, quæ egeri & auferri poterant, oppido toti ignis injectus, fanum illuſtre, cum cœnobio exuſtum, præcipuâ acerbitate Petri, qui oppidanos præ omnibus Hollandis, ut Friſiis gentilibus quondam ſuis plus cæteris iniquos oderat. Atque is expleta irâ ſuâ cum prædâ divite claſſi impoſitâ, & prædonum manu in Friſiam rediit. At reliqui populandi per pulcherrimum feliciſſimúmque agrum Hornâ ad ſiniſtram relictâ, obviis omnibus evaſtatis & direptis, captivis multis abductis, Alcmariam omni genere rerum ex proximâ regione comportatarum refertam, quanquàm munitionibus penè nullis petiêre, primoque incurſu & labore captam, totam quanta erat, in prædam verterunt,

MD XVII Præda ea locuples & fide major fuit, & calamitas ingens inopinis civibus ac vicinis irrogata, nullâ re ad excipiendam hoſtilem vim parati. Quis enim iſtic expectaſſet hoſtem tam validum? cujus adventus antè penè viſus quàm auditus in Hollandiâ fuit, qui turbinis in morem Medenblico proſtrato, & in cineribus relicto, poſtridiè Alcmariam invaſit, obruitque. At illic in ſeptimnm diem morati per omnem excurrêre viciniam, populationes fecêre, tributa maxima exegêre ſine metu, ſine obſtaculo, obſides ſolutionum ditiſſimos quóſque captivos traxêre, denique pro libitu fecêre quicquid libebat. Intereà ſenatus & proceres Hollandiæ, licentiæ ac violentiæ huic obviam ituri, aut metam poſituri, omnem nobilitatem clientelæ jure Principi devinctam, tùm quartum quemque civium & ruſticorum univerſæ regionis cum armis Harlemum, ampliſſimam quondam Hollandiæ urbem evocat, & Florentio Egmondano præſtò eſſe, ac parêre jubent. Huic multitudini bellorum rudi milites M. D quos Caſpar Vlmenſis, Lubbertus Turcus, Guilhelmus Turcus, Petrus Oldenbokius, Petrus Lucenburgius ſub imperio Florentij ductabant, & item equitum aliiqua manus à Florentio additi: pariter è Friſiâ copiæ militares omnes, exceptis paucis Franekeræ cuſtodiæ relictis, excítæ, eaque occaſione Bolſverdia præſidio nudata à Tiarchone Waltha recuperata, & Geldricis reddita. A ſexto die ipſis Calendis Quintilibus exercitus Alcmariæ ſedens, cum prædâ omni & captivis indè movens, incenſo ex itinere Beverwico oppido, cùm Sparodamum contenderet, ad exitum Spari amnis ex lacu in conſpectu Harlemi ſitum, immiſſi in eum equites peditesque haud parvam ei perturbationem prædis onuſto, ac anguſtiâ itineris & tranſitus, (nam Sparodami ponte Sparus erat tranſmittendus) laboranti crearunt, multos ex agmine ultimo prædas & captivos dimittere coëgerunt: Eo detrimento & dedecore commoti Geldri, vicum illum totum inſignem oppiduli inſtar cum templo & cataractâ igne perdiderunt. Hinc progreſſi longiùs vallum impediendo eorum itineri loco anguſto ad aggerem ab Amſterodamenſibus objectum primo aſſultu expugnarunt, præſidiarios L X tuendo vallo impoſitos ad unum omnes trucidarunt. Indè Amſterodamum prætergreſſi, obviis omnibus malè mulctatis & igni traditis, in Vltrajectinos advenêre, caſtraque Apcoudæ in primis eorum finibus poſuêre. Ibi nocte actâ, primâ luce continuato itinere, relicto in latere Vltrajecto, & Leco, medio Rheni oſtio ad Culenborgum oppidum ſuperato, in proxima Geldriæ penetrarunt, prædáque ibidem diviſâ & depoſitâ, illînc rurſum converſo agmine in Aſperam ad Lingam amnen aut potius Rheni elicem ſitam, Hollandiæ urbeculam, Lerdamo & Heuclemo penè contiguam, & Geldriæ propinquam incitarunt ſe, quam quùm bis fuſtrâ oppugnaſſent ob mœnium robur, & civium fortitudinem, tertiùm tamen inſtaurato vehementius conatu, atque omnibus viribus explicatis, promptiſſimis civium cæſis, reliquis feſſis, aut vulneratis, nec ullo præſidio militari adjutis, ipſis verò numero & uſu militiæ ualidis, tandem non ſine maximâ ſuorum clade eâ ſunt potiti, victoriáque uſi crudeliſſimè, & plus quàm barbarâ feritate. Nam (ad velùt parentaturi commilitonibus ſuis, quos in oppugnatione amiſerant mille periiſſe Worperius aſſerit) quicquid in oppido invenêre, dum calêret ira, viros, fœminas, pueros, puellas, ſacerdotes, monachos, denique omnes triennij ætate majores, & in his infelicem turbam ſcholaſticam in templo ſe abdentem promiſcuè mactarunt: ſi qui pueri, mulierculæve furorem evaſerant, hos omnibus contumeliis affectos oppido ejecerunt: ipſi caſtra illic ſua velut arcem belli in Hollandos locarunt. Sed ſuperveniens exercitus maximus equitum peditumque Caroli regis, in quo ſummus dux erat Henricus Naſſovius, conſilio & manu inſignis, pace belloque eximius, & cum eo Florentius Egmundanus, Fælix Auſtriacus, Ioannes Waſſenarius, com-

meatu

meatu prohibitos in arctum redegit, donec tandem fame preſſi Nonis Sextilibus oppidum clàm excedere, & obliquo itinere metu hoſtium Amsfortum ditionis Vltrajectinæ, Velaniæ Geldricæ contiguum, petere neceſſum habuêre, præſidio modico in oppido relicto. Hos perſecuti Burgundici Velaniam ingreſſi diffugere in diverſa alios Harderwicum, alios Elborgam, alios Hattumum, alios alia in loca munita ſervandi ſui causâ coëgerunt: præcipuum tamen robur rectâ Arnhemum, ubi Carolus princeps erat, ſeſe recepit. Tùm trepidantibus iis, iidem tentatâ nequicquàm arce Wilpiâ per ſubitaneum incurſum, in quam pars ſe fugientium contulerat ad diripiendam & vaſtandam totam Velaniam ſe verterunt, ut vicem Geldris redderent: rapta aut exuſta omnia in latiſſimâ & pulcherrimâ regione, quæ rapi, aut igni perdi poterant, armenta cum gregibus abacta, ſuppellex & quicquid hujuſmodi prædæ aptum, ablata, ædificiorum nihil per univerſum agrum, quæ munitionibus non tegebantur, incolume relictum, ipſum etiam Hattumi ſuburbium incendio datum, mortalium multi pecuniæ causâ in vincula abducti. Has pœnas infælix vulgus Principis ſtultitiæ, & militum ſceleris, alienæ nimirùm culpæ, Burgundicis dedit. Minùs tamen petulanier fæminis & pueris & ſacro ordini illuſum curâ ducum. Militum autem nemini, qui vel primo illo incurſu, vel in hâc populatione prehendi potuit, vita condonata: occiſi promiſcuè omnes, multi infamium latronum more atrocibus & infamibus ſuppliciis affecti: id reliquæ nequitiæ eorum, tum maximè Aſperanæ ſævitiæ redditum. Tum Arnhemum à Naſſovio exercitus ductus, in eoque ipſe Dux Carolus cum robore copiarum ſuarum clauſus, caſtra maxima ad latus boreum oppidi poſita, tormenta in colle oppido imminente ab eo latere locata, pilæ fulmineæ cum boatu horribili in obſeſſos, ab iis viciſſim in obſidentes emiſſa. Sed mox de induciis advolans nuncius, quas Galliæ rex rurſum conciliarat, vim vix inchoatam abrupit; ut paulò pòſt exponetur pleniùs. MD. XVII.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber L.

IAM Maximilianus è Belgio in Germaniam reverterat, & Carolus nepos extremis ab eo monitis ac præceptis inſtructus in Hiſpaniam navigaturus, expeditis omnibus Middelburgi toto menſe Iunio idoneam tempeſtatem operiebatur, ac demùm pridiè Idus Sextiles ſolvens cum illuſtri comitatu proſperrimo curſu, octavo poſt quàm ſolverat die, quod rarum, in Aſturum portum Villaviclosam appulit, & cum eo Vlricus Edſardi filius: mox in interiorem Hiſpaniam profectus idem Carolus ineundis regnis ac rebus conſtituendis ſeſe dedit. At Groningæ Nonis Sextilibus, quo die Aſperâ Geldri exierant, ut eſt antè dictum, novæ portæ magni operis ad amnem Aham fundamento jacta, primíque in iis lapides, & ſub his, ut mos habet, aurum argentumque ab Hermanno Coquo reip. quæſtore & Rodolfo Siſſingio ædili poſita, opusq; in altum eductum: eodemq; tempore Steentillana porta Polanæ

M.DXVII vicina, & Antonianum Xenodocheium ad portam Orientalem extructa. Lateres in hæc opera omnia ex turri Edſardicâ ſumpti: tigna trabesque, & cætera materia quoque in Xenodocheium ex arce eadem tranſlata. Interim Galliæ rex de Geldro amico ſollicitus, à Carolo Hiſpaniæ rege, antequàm ſolveret, impetrârat per legatos, ut armis abſtineretur, componendæ controverſiæ & paci conſtituendæ locus & tempus diceretur. Id Arnhemum nunciatum, obſidionem eius finivit; exercitus ſine morâ è Geldriâ eductus, præſidia utrinque in Friſiâ diminuta ſumptuum causâ. Placuit actioni locus Vltrajecti, ob epiſcopum novum Philippum Burgundum, Davidis fratrem, Caroli regis avunculum magnum, nuper adeò Idibus Maij Friderico Badenſi ſponte cedenti in munere ſurrogatum, virum eruditum, & pacis perquàm ſtudioſum, cujus operâ adjuti legati Gallici, hoc, quod dixi à Carolo, apud quem ſummum autoritatis locum tenebat, effectum dederant. Eò Robertus Bonenſius & Franciſcus Rongus à Gallo legati, Henricus Naſſovius, Antonius Lalainius, Iacobus Gaveræus, Ioannes Iunius, Hannetonius pro rege Carolo, Henricus Gentanus aulæ Geldricæ magiſter, Guilhelmus Langius Cancellarius, Guilhelmus Quinonius Ioannitarum Arnhemenſium præſes pro Geldriæ principe, ad diem VII Iduum Septembr. In eo conventu tentata omnia ab interceſſoribus ad componendam litem inter partes, & pacem faciendam ſummo epiſcopi ſtudio, cui bellum non moleſtum ſolùm, ſed & calamitoſum ob viciniam. Verùm difficilior res fuit, & tempus actioni & quieti ab armis datum brevius, quàm ut iſtûc, quò ſpes fuerat, perveniri tam citò poſſet. Nec tamen deſiſtendum putavit epiſcopus, & cum eo Gallici legati, nec Naſſovius, cujus permagna erat autoritas, nec cæteri Burgundicarum partium à pace abhorrebant. Quapropter antequàm tempus exiſſet, ſummâ contentione eò deducta res, ut qui interceſſores fuerant hactenus, arbitri finiendæ litis ac ferendæ ſententiæ per compromiſſum fierent, ut Worperius & Sicco Beninga tradunt: Et ne quid præcipitantiùs tantâ in re fieret, induciæ novæ in hunc uſum conciliatæ ſunt ſemeſtres, antè quarum exitum arbitri ſententiam ferrent. Ab his tandem poſt medium Octobrem ſic pronunciatum Vorperius ait, *Geldrus Carolo regi, & hæredibus ejus Friſiam dimittet cum omni jure, litteras omnis hûc pertinentes tradet, quos ſibi obligatos habet, ſacramento liberabit, oppidis & arcibus decedet, exercitus omnes totâ regione educet, tormenta retinebit. Carolus rex ſolvet ei centum millia coronatorum,* XXV *millia ſtatim, reliqua quinquennio proximo penſionibus paribus, deq; his fidejuſſiones ſufficientes dabit. De civitate Groningâ judicabit rex Galliæ, intraq; ſemeſtre ſententiam de eâ ſeret. Deniq; oblivio erit omnium injuriarum priorum non ſolùm inter Geldros & Burgundos, ſed etiam inter Friſios.* Et ſic quidem illi. Sed Carolus Gelder, ut ſcribit idem Worperius, à factioſâ nobilitate Friſicâ partium ſuarum inſtigatus aſſentiri noluit, arbitriſque haud leviter ſuccenſuit. Itaque cùm Florentius paulò pòſt Leoardiam veniſſet cum Guilhelmo Roggendorpio, uti eum ſucceſſorem ſibi in gubernandâ Friſiâ declararet, atque in poſſeſſionem muneris mitteret, unaque cum eo litteras daret ad omnia oppida & vicos totius regionis inter Flevum & Lavicam, binoſque aut ternos ſingulis è locis ſibi adeſſe juberet ad accipienda ea, quæ ab arbitris eſſent pronunciata, atque hæc jactaret paſſim, atque in vulgum latiſſimè ſpargeret, nuncij, qui & litteras ferebant, & iſta in ore habebant, à Geldricis hîc illic malè mulctati ſunt: unuſque ex his Slotæ aquis ſuffocatus, alter Doccumi eaſdem mandere ac devorare coactus fuit, conventuſq; ille eſt impeditus. Et Roggendorpius eodẽ ferè tempore ad Groninganos cùm ſcripſiſſet, Carolum regẽ cum Geldro tranſegiſſe, omneſq; cum eo controverſias compoſuiſſe, Geldrum univerſas Friſiæ regiones, & quæ cum iis cohærẽt, regi ac heredibus ejus ceſſiſſe, recepturũ àb eo quæ Geldricæ ditionis ſunt, his bellis erepta, atque inſuper auri ſummam ingentem, litteræ à

ſenatu

ſenatu populoque pro vanis habitæ ſunt, à Florentio ſubornatæ ſeditioni mo- M D XVII
vendæ. Eæque litteræ ad Principem miſſæ in Geldriam: ab eo reſcriptum,
mendacia hæc eſſe Burgundicæ fraudis: benè facere Groninganos, quod fabu-
lis hujuſmodi fidem non habeant: ſe Friſiam non admiſſurum. Idemque ex
ejuſdem litteris Snecæ in ordinum conventu XII Calend. Decembr. ab Er-
clenio è Geldriâ reverſo recitatum, populoque opinio ea ex animis exempta:
Mox, ut Andreas Cornelius memoriæ prodidit, cùm circiter ipſas Calend.
epiſtola ad Petrum prædonum præfectum Snecam veniſſet, querens de belli
diuturnitate & patriæ miſeriis, & pericula exaggerans ob Burgundicæ domus
potentiam & ſolertiam, ipſe ſcriptum vulgavit epiſtolâ reſpondens, rythmis
rudibus ſed facetis comprehenſum. Eo Regem ſe Friſiæ, Ducem Snecæ, Co-
mitem Slotæ, Baronem Hindelopæ, præfectum ſummum Auſtrini maris, nau-
clerū mortis nominabat. Hollandos, quibus infeſtiſſimus erat, ut timidos tem-
nere ſeſe ſignificabat; ingenioſos, ſed inertes; factioſos, ſed imbelles; glorioſos,
ſed victoriæ neſcios eoſdem notabat; Geldros contrà animoſos, fortes, intrepi-
dos, victorioſos, quanquàm opibus tenues, quæſtus ignaros eſſe prædicabat:
itaque fidendum animis, ſpernendasque Hollandorum opes: patienterque in-
duciarum exitum expectandum, quæ longiores, quàm ſibi gratum, ſint initæ:
Martem ferro decreturum. Quæ dùm iſtis in partibus fiunt, Edſardus domi re-
cuperandis amiſſis, & fortunæ inſtaurandæ conſilia agitabat. Habebat aman-
tiſſimos ſui permultos in agro Freborgico, in his aliquot fabros, quorum ope-
râ hoſtes in arce frequenter utebantur, perque hos rebus hoſtium identidem
edocebatur. Itaque vergente Septembri cùm intellexiſſet, præſidiarios in ar-
ce minùs quàm de periculo cogitare eo tempore, ipſe opprimendi eos conſi-
lium concipit, rem cum pauciſſimis, quos fidiſſimos & maximè idoneos re-
batur, atque in his cum Folefo Cnipenſi & Arnoldo Stracholdio commu-
nicat: Leonardo Baccharacenſi viro militari negotium dat, uti militum co-
hortem ſcribat, naves multas cogi, adornari, ad urbem Emdanam in an-
coris ſtare jubet, rumores vulgat, in Friſiam Occiduam iſta parari, eò ſeſe
cum claſſe & milite cogitare. Id idcirco facit, ut per ſpeculatores, quos Em-
dæ hoſtes habebant, de his edoctos reddat ſecuriores; quod tantò erat pro-
cliviùs, quòd iſto tempore primis induciis finitis, ad arma rem redituram in-
ter Burgundos & Geldros vulgò jactaretur. His præparatis, omnes vias obſi-
deri curat, ne quid enunciari poſſit hoſtibus; tum eodem momento militem
quammaximè occultè Oldershemum ac Timmelam duci; alios è ſubditis om-
nium ordinum, quos parare ſe juſſerat, eôdem contendere præcipit, & ipſe
per noctem naves conſcendens, cum fidiſſimâ manu Emda in arcem Orha-
nam devehitur: denique omnes huic expeditioni deſtinatos duabus horis an-
te noctem Stracholti ſibi præſtò eſſe cum armis imperat. poſtremò reliqua
conſtituit diligenter. Stracholto Freburgum euntibus via perdifficilis eſt per
paluſtria, quæ ſtatim à Stracholto incipiunt, & modicè ſe erigunt, eâ natu-
ra, ut ob uliginum copiam & ſoli raritatem veſtigia euntium ad talos, non-
nuſquam ad cruris medium, adeoque ad genu uſque, alibi etiam ad femora
& coxas hauriant, præſertim autumnali ac hyberno tempore, & cælo humi-
do. Qui fiebat, ut indè venturum quenquam cum armatis & inſtrumen-
to militari hoſtium nemo ſuſpicari poſſet. Cum Stracholti adeſſent om-
nes, Edſardus cunctis ordinem dat, imprimis de ſcalis ferendis, quas præ-
paraverat, aliisque ejus generis inſtrumentis invadendarum munitionum
præcipit, hortatur univerſos ad ſtudium ac fidem, ſuos monet, ut patri-
am reſpiciant, non verba ſolùm ſua, ſed facta ſequantur: in aggreſſu rei
ſi quid ſibi accidere viderint, non ideò turbentur, aut ſtudium remittant,
ſed cœptum urgeant; ſe mortalem, patriam immortalem eſſe: ejus cau-
ſam, non ſuam agi. Simul ſigno dato in paluſtria agmen ducit, inclinante luce,

MD XVII laborantibuſque ubique adeſt, verbis manu, exemplo eos ſublevat, & ad Ho-
pelſianum cœnobium: ubi editiora paluſtria ferè deſinunt, per tenebras per-
venit. In eâ viâ certior fit, Heronem Eſenſem eodem illo die in arce Frebor-
gicâ fuiſſe, hilaritérque exceptum à præfectis; moréque Germanico tracta-
tum rediſſe in ſua; in præſidio rumorem valuiſſe, ipſum Edſardum in Occi-
duam Friſiam profectum. Nam præfectus fabrûm cum ſuis eodem quoque
die ibidem fuereat, ſerôque ex arce dimiſſus. Id incitamento Edſardo fuit, ut
pergeret fidentiùs, omniumque ſtudia acuit. Igitùr iſtic copiæ diviſæ in par-
tes duas, atque in diverſa ductæ, ut duobus à lateribus ſimul arx invaderetur.
Leonardus in alterâ parte curare juſſus cum milite & ruſticorum manu ali-
quâ, ab Auſtro pedem illaturus ex vico Marcano, Edſardus alteram ſibi de-
ſumpſit, à boreâ impetum daturus, ex loco cui Strotæ nomen. Convenit
ſic, ut occumbente lunâ poſt mediam noctem utrimque pariter ad rem ag-
grederentur, & trabalibus ſeptis fabrorum opera ſerrâ ſubverſis, adituque
patefacto ad arcem ipſam invadendam contenderent, & ſi pars altera antè
alteram in vallum evaderet, eâ ut buccinâ caneret, alterique ſignum acce-
lerandi, & acuendi ſtudium daret. Adjuvit cælum ipſum conſilij ratio-
nem. Nam ventus eâ nocte flavit vehementior ab occaſu. Itaque demer-
sâ lunâ & conſpectus & auditus præſidio ademptus, ſeptaque, quæ dixi,
non ſentiente hoſte ſerris ſubverſa; ita utrimque in arcem facta incurſio, tum
demûm præſidium per eos, qui in excubiis erant, ex ſtratis celeriter exci-
tum, magnáque ejus pars in vallum & portam curſu profecta pugnandi
causâ, ſed ſtudio inani. Tanta enim vis Edſardicorum fuit à Meridie veni-
entium, ut ſuperatâ foſsâ ſcaliſque admotis in valli faſtigium evaſerint, pri-
móſque propugnatores occiderint, alios conterruerint, ſimul buccinâ ca-
nentes cæterorum ſociorum ardorem accenderint: atque ita iis quoque in
vallum enixis diſcrimine ancipite præſidiarij turbati, & paucis interemptis,
reliqui vallo & ſtationibus dejecti. Wernerus Berus ſupremus pro Brunſvi-
giis in Friſiâ præſes, & Melchior Campius arci præfectus, in ſuperiorem ar-
cis partem confugientes, armis poſitis cum præſidio univerſo Edſardo ſe
permisêre. Capti omnes numero XL, cæſi XIII vel IX: ex Edſardicis duo
tantùm interempti. Tormenta inſignia, & magnæ molis in poteſtatem
redacta. Præfecti Auricam in cuſtodiam ducti. Res geſta eâ nocte, quæ V
Calendis Octobris antecedit, tota patria gaudio repleta nunciis in omnes
partes emiſſis: Simul ſpes ingens de reliquis quoque concepta. Hoſtibus
animi plurimùm dejecti. Tùm de Ieverâ ab Edſardo cogitationes verſatæ,
eam magno malo totius patriæ fuiſſe in poteſtate inimicorum, ſitu oportu-
nam, verè membrum Comitatus ſui ex tabulis Imperatoris, ſed Edonis
levitate ab eo avulſam: indigniſſimum verò, ſub tutelæ ſpecie Oldenbor-
gium eam habere, & latiùs hoc modo in Friſiam irrepere, & opes pro-
ferre: occaſionem nunc offerri divinitùs ſolidandæ ſciſſionis, idque ſine
hæredum injuriâ, ſinéque infamiæ metu. Itaque ut tutus contra vim Ol-
denborgij & Eſenſis hoſtium ſuorum ſit, intereà dum cum virginibus Ie-
veranis de re colloquitur, ſuorum magnum numerum armat, cum his in
agrum Ieveranum proficiſcitur, caſtra in vico Scortenâ & cœnobio Oſtring-
ueldio haud procul Ieverâ ponit. Iſtinc conſiliariorum ſuorum primos
Ieveram ad virgines ſorores, & eos qui iis à conſiliis erant, mittit. Per hos
ſignificat, non inimico animo, ſed amiciſſimo, & de univerſâ Friſiâ com-
muni patriâ ſollicito ſe veniſſe, acturum de pace perpetuâ, & concordiâ ſo-
lidâ inter ejuſdem gentis, eorundem morum & inſtitutorum populos, idque
non magìs ſuo quàm virginum ipſarum bono: petere, ut ſpectatiſſimi qui-
que è nobilitate & cæteris ad ſe mittantur, qui de his ſecum agant, & in
medium conſulant. Virgines vocatis ad conſilium ſuis, quibus maximè
fidebant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag,
401 B 23 [1]

fidebant, legârunt eò principes nobilitatis ejus oræ, Gerlacum Diuræum, MDXVII Ommonem Middochium, Riclefum Rothuſium, Riclefum Viſchuſium, & cum his è plebe delectos oppidanos agrarióſque. Iis Edſardus expoſuit, magno communis patriæ malo diſcordia ſtudia jam per multos annos viguiſſe, ſane ſine culpâ, at non ſine dolore ſuo: majores etiam miſerias imminentes prævidere ſe, niſi maturè, dùm licet, occurratur, arripiaturque occaſio, quam Deus ipſe nunc porrigat: id & prudentium & patriæ amantium eſſe, divinam benevolentiam ſe offerentem complecti: ſeſe Friſium eſſe, caritate patriæ ac moribus & inſtitutis imbutum, ſalutem ejus in oculis ferre, hâc curas & conſilia metiri ſua: idem de ipſis ſperare: rectore ipſis, virginibus, quarum in fide ſint, matrimonio opus eſſe: ſibi filios adoleſcentes eâdem ſtirpe ortos, iiſdem legibus & moribus innutritos, virginibus ætate porrò pares: per horum nuptias diſſidia finiri, concordiam & amicitiam ſolidari, tabulis Cæſareis ſine fraude aut injuriâ cujuſquam ſatisfieri, ſemen diſcordiæ in perpetuum tolli poſſe: & ſeſe ad hæc paratum: ipſis cogitandum, melior'ne patriæ fortuna, melior ipſorum, melior omnium futura ſit, ſub domino peregrino morum inſtitutorumque patriorum ignaro & inimico, ſubditorum ſervitiis aſſueto, libertatis hoſte, an ſub rectore Friſio, amore in patriam ac gentem ſuam, aſſuetudine juris & libertatis imbuto: ſi rationes non videant, exempla eſſe ob oculos, quantum interſit: & ut alia ſecutura non ſint ex peregrino imperio, ſaltem ſementem diſcordiæ nunquam defore: ad Oldenborgium ſi reſpiciant fortè, haud diſſimulare ſe, eum ſe vires ſumentem in Friſiâ ferre haud velle: hæc expenderent ipſi ſecum, hæc ad virgines & cæteros referrent. Illi operam polliciti, benigneque dimiſſi retulêre omnia ad virgines, atque ordinum concilium: nec ferè quiſquam repertus, quin æqua veraque eſſe, quæ proponerentur, fateretur: ſed virginum cum Oldenborgio neceſſitudo, eique ut tutori data fides aſſenſum morabantur. Eâ ſpecie uſus Menno Roſhuſius Oldenborgio obnoxius adverſabatur vehementiùs, nec audiendum Edſardum, ſua modò agentem, & ſpecioſis verbis conſilia & cupidinem tegentem, contendebat. Nec tamen impedire potuit, quò minùs iidem illi cum mandatis ad Edſardum remitterentur: Quid enim ajebant, quibus diſplicebat actio ejus, ſi abnuemus maximè, & inhærendum prioribus putabimus, urgebitque nihilominus Edſardus, reijcique non volet, benevolentiamq; in iram vertet, ut facturum remur, unde ſubſidia nobis hoc tempore contra vim ejus? quod in Oldenborgio præſidium? quæ ſpes exitus rei virginibus dominis noſtris? Itaque iterato cum Edſardo colloquio, & denuò re Ieveræ relatâ, demùm cupidiſſimis ipſis virginibus VII Calend. Novembr. conventio facta. Nam allubeſcebat conjugii hujuſmodi conditio, quâ melior ne ſperari quidem poterat, & omnes, quibus patria chara erat, quive in eâ tenebant, quæ bellum perdere ſolet, præterquàm quod æquitas ſuaderet, deſiderio concordiæ jungendæ & avertendæ diſcordiæ vehementer movebantur. Leges conventionis hæ fuère. *Edſardi filius Vlricus natu maximus Annam ſororum virginum primam uxorem ducito, aut ſi ea antè obierit, cum ſecunda Mariâ nuptias inito, aut eâ quoque præmortuâ, tertiam Dorotheam ſibi jungito. Quòd ſi, antequam contrahi nuptiæ poſſint, Vlricus diſceſſerit, Enno ſecundo genitus Edſardi filius ſuccedito, & primam quamq; ex ſororibus ſuperſtitem conjugem capito. Idemq́;, ſi is quoq; antè nuptias è vivis ablatus fuerit, tertius & minimus ejuſdem filius Ioannes facito. Demùm omnibus fortè filiis fato præreptis, (quod Deus omen avertat,) pater ipſe Edſardus cum eâ, quæ vivet è virginibus ætate præcedens, matrimonium contrahito. Quæ hoc modo nupſerit, ditionem Ieveranam in dotem habeto, eaq; reliquo Comitatui Friſiæ Orientalis accreſcito. Pacta hæc antè ſeptennij finem implentor: intereà Edſardus tutor virginum cum imperio ſupremo eſto, eiq; præfectus arcis & milites, & cæteri imperij miniſtri, uti tutori, virginibus ſororibus, uti imperij veris hæredibus, juramento ſe obliganto:*

MD XVII *Oldenborgicus uti tutor non agnoſcitor: cum his injuriæ omnes oblivione inductæ ſunto in perpetuum, ſimultas finem habeto.* His conſignatis Edſardus, ne quid deeſſet, eodem occidente jam ſidere Ieveram contendit, ut cum ipſis loqueretur virginibus: quas cùm ad hydromylum non procul à mœnibus oppidi, quemadmodùm convenerat, obvias habuiſſet ſub primas tenebras; & humaniter amplexus atque oſculatus eſſet, fidemque ore ac manu dediſſet, accepiſſetque, & cætera, quæ facienda, conſtituiſſet, ad ſuos rediit. Poſtridie prima luce reverſus eôdem, & proximè urbem in tumulo, cui à calce nomen eſt, in conſpectu totius plebis hunc in finem adeſſe juſſæ, ex equo demittens ſeſe, repetitis, & expoſitis omnibus actis, populoque obſequii ac fidei admonito, denuò præſentes puellas oſtendendæ benevolentiæ causâ brachiis circumfudit, iterumque teſtatus eſt, ſanctè integreq; ſe ſervaturum pacta conventa, & omnia facturum, quæ à tutore fideli ac protectore requiri poſſint. Eo facto Ommonem Middochium è nobilitate Ieveranâ præfectum arci dedit, rebuſque pro ſe & puellis præſidere juſſit, militem quoque & cæteros ſacramento adêgit, denique ità conſtituit omnia, ut non jus, non cenſum, non quicquam aliud minuere pupillis virginibus videretur, & ſeſe non crimine ſolùm, ſed criminis quoque ſuſpicione liberaret. Tum ſe cum exercitu in proximos fines Heronis hoſtis ſui intulit, iiſque longè lateque evaſtatis & direptis in ſua regreſſus fuit, ac hoſti dolorem reliquit. His rebus conſternatus Oldenborgius, conſternati Saxones, quibus præter Stichuſam in totâ hâc Friſiæ regione cis Iadam nihil nunc erat reliquum, ad componendum bellum fuêre faciliores. Cur enim non? Nam & invaleſcere per ſe indies Edſardum reparatâ Cæſaris gratiâ, & Burgundicâ quoque ſocietate animos & vires ſumere, ſibi verò fortunam minui, Stichuſamque magìs oneri quàm lucro eſſe ſentiebant: denique procul domo bellare ſine fulmine Cæſareo prægrave ſibi Brunſvigii & Luneborgii arbitrabantur. Quamobrem, neſcio, intercedentibus rurſum epiſcopis, quos antè dixi, an ſponte ipſorum oblatum colloquium: Congreſſi utriuſque partis legati Zetelæ in vico, in finibus Friſiæ & agri Oldenborgici ſito viâ Freborgicâ, indè Ioannes Steinbergius, Henricus Salderius, Ioannes Forſterus, hinc Victor Friſius, Hicco Dornumanus junior, Folefus Inhuſanus, Guilhelmus Vbbius Cancellarius Edſardi, pacem compoſuêre III Non. Decembr. Edſardo reſtitutio arcis Stichuſæ, cum tormentis ipſius hoc bello captis, Brunſvigiis & Oldenborgico Warneri Beri, & Michaëlis Campij, cæterorumque captivorum dimiſſio cum reſtitutione tormentorum in arce Freborgicâ captorum, & ſolutione millium aureorum, ut Grimershemius prodit, promiſſa: injuriarum omnium oblivio decreta, controverſiæque ſublatæ. Quæ cùm ad Brunſvigios, imprimis ad Henricum Luneborgium, cui Stichuſa ceſſerat, relata, atque ab his probata eſſent, arx ea VII Idus Ianuarii anni ſequentis, Edſardo reddita eſt, cæteraque ex conventione facta: Zetela quoque & Drivela vici ſanciendæ amicitiæ ergò Oldenborgio ab Edſardo reſtituti. Hic finis bello Saxonico fuit in hâc Friſiæ regione longè difficillimo ac duriſſimo, quo tot Principes Edſardum terrâ marique perſequentes in tantulum populum, nullâ ſocietate aut auxilio munitum, adeoque à Cæſare quoque proſcriptum, luentem Comitis ſui factum, ſeſe incitaverant. Itaque ſupplicationes decretæ omnibus in templis, ac Deo gratiæ actæ: feſta convivia paſſim in populo inſtituta, omnium mentes hilaritate perfuſæ. Comes ipſe omnibus recuperatis quæ bello amiſerat, ab hac Iadæ parte, & Tranſiadanâ jacturâ, pactione Ieveranâ luculenter ſartâ, tot periculis & malis defunctus haud parùm gaviſus fuit. Anno eodem Worſtenſes in diœceſi Bremenſi ab archiepiſcopo ſuo bello preſſi fuêre. Archiepiſcopus enim Chriſtophorus ex familiâ animos ferox gerens (Brunſvigius quippè erat, Henrico ſeniore natus, ferocis patris

atque

atque inquies animo filius) haud ferendum putans, populum ruſticum an- MD.XVII.
guſtos fines habentem, ſed uberis & fælicis ſoli, fretum majorum jure man-
data ſua temnere, tributa ultra modum majorum recuſare, nomine non
re in obſequio eſſe, arma in eum cepit. At illi eo cognito, quanquàm pau-
citatem ſuam noſſent, tamen quoniam de libertate agebatur, reſiſtendum
fortiter, & in pugnâ potiùs moriendum ſibi, quàm ſervitutem ſubeundam
judicârunt. Nec viri ſolùm, ſed & fœminæ in hoc pulcherrimum conſilium
conſpirârunt. Nec decrevêre fortiùs omnes quàm fecêre. Nam cùm præ-
ſulis exercitus benè validus pedeſtris equeſtriſque ingrueret, occurrerunt
magnis animis virgine (quis credat?) præeunte & vexillum ferente, tantáque
ferociâ viri pariter fœminæque pugnarunt, ut eſt in annalibus proditum, ut
multis peditum cæſis, haud parva perturbatio, atque ordinum confuſio apud
hoſtes ſit conſecuta. Quod cùm vidiſſet archiepiſcopus, equeſtres turmas in
agmen eorum immiſit. Ita ordines labantes reſtituti, pugnaque acrior rena-
ta, magna cædes facta, tandem equitum vi turbati, & multitudine ſuperati
ac feſſi VVorſtenſes, fuſi fugatique. Vexillifera virgo ingenti gladio, quem
utrâque manu Germani vibrant, ab irato & indignante milite in prælio diſ-
ſecta. Præſul victoriâ potitus ſubactæ regioni validam arcem velut jugum
impoſuit in vico VVedwordio, in ipſo regionis aditu, eique Luciferi nomen
dedit. Tradit David Chytræus, Maximilianum Cæſarem militis facinus
damnaſſe, qui magnanimam puellam vexillum ferentem occîdit, dixiſſéque
conſervandam eam fuiſſe, ut ſimilem ſui ſobolem procrearet. Bello cum
Saxonibus finito, Edſardus militem dimiſit, paucis ad præſidia expectatione
eventus induciarum Geldricarum retentis. Erant hi, qui dimittebantur, ad
bis mille, homines longè perditiſſimi, ſed in re militari audaciâ inſigni. Hos
Ottone Diepholdio ductore præcipuo in agrum Groninganum, copiâ na-
vium factâ, exeunte anno M.D.XVII, & M.D.XVIII vixdum inito miſit, M.D.
ductorique, quid fieri vellet, oſtendit. Otto per Amaſi Dullartique vici- XVIII.
na primùm, deindè per interiora circumductos, quanto potuit ſtudio ab
injuriis continuit. Intereà Sandi cùm eſſet, cum cohorte prætoriâ & præ-
fectorum cæterorum primis, ipſis Nonis Ianuarii literas dat ad omnes agri
ordines ac vicos: per has refricatâ memoriâ priorum, quæ non multos an-
tè dies iſtîc Edſardus edixerat, nomine ejuſdem pro Hiſpaniarum rege re-
gionis hujuſce rectoris, denunciat, ut quod ex cenſu annuo, accisíſque (ve-
ctigalis ea ſpecies) & quicquid omninò ejus generis debebant, intra diem
VI Emdam ferant, aut ſibi mandata habenti numerent: quòd ſi ſecùs fe-
cerint, ſibi fore neceſſe, duriùs in eos per militem animadvertere. Sed cùm
cohibere nequiſſimorum militum petulantiam & rapaces manus non poſ-
ſet, apud quos ſacramento ſolutos precarium modò imperium habebat, &
inſolentiæ pertæſus, & popelli infælicis miſertus, omiſsâ re, quàm potuit
ocyſſimè è Friſiâ educere prædones conſtituit. Itaque ſublatis indè caſtris,
per reliqua Fivelingiæ in Marnenſes, Huneſgonios, Medachios, Hummerzios,
Fredowoldios, Langowoldios, ſed lentiore, quàm vellet, agmine, in Dren-
tiam ivit. In hoc itu nihil prætermiſſum, quod à petulantiſſimo hominum
genere in inermem & imparatam plebem quoquo modo committi potuis.
Annona protervè abſumpta, perditáve, reliquum ejus ablatum avectúm-
ve: pecuniæ, veſtis, ſupellectilis, rerum ſimilium quicquid obvium, raptum:
quod rapi ferríve non poterat, confractum: miſella plebs quammaximè nu-
da relicta. Hos non multò pòſt alii quoque ſed minore numero indidem
ſecuti, provinciæ veteri injurii. In quos cùm Groninga ſclopetarios ſuos
& promptiſſimum quemque cæterorum civium emiſiſſet, datis obſidibus ſi-
ne maleficio diſcedere, & in eandem Drentiam abire compulſi ſunt. Tum
evaſtatâ direptâque regione iſtâ, ſimul omnes in Tuentiam profecti, atq; illîc

MDXVIII aliis haud paucis (bis mille quingenti fuiſſe perhibentur) ab Orientis plagâ venientibus ſunt juncti. Et jam in modum validi exercitus aucti expectabant, quemnam exitum induciæ inter Geldrum Burgundoſque eſſent habituræ, ut ſi in bellum deſinerent, alteri ſe parti merendis ſtipendiis addicerent. Mox ſemeſtribus finitis, aliæ ſunt in annum induciæ inter partes conſtitutæ Vltrajecti, vergente jam Februario, quæ in XVI diem Calend. April. anni ſequentis MDXIX exirent. Id præter votum ac ſpem iſtis, qui ex alienis miſeriis & regionum vaſtationibus ſua commoda ſectabantur. Quapropter dolentes frementeſque, digreſſo jamdudum Diepholdio, inſolentiæ ac infamiæ pertæſo, in Geldriam, Cliviam, Morſenſem agrum delati, omnibus, ad quos veniebant, graves ac injurii, interímque confluxu plurium ejuſdem generis ſupra modum aucti, cunctis finitimis regionibus & Principibus fuere formidini. Demùm à Burgundicis, & Principibus proximis, imprimis Clivenſi, Colonienſi, Vltrajectino, Morſenſi, Waldecco, periculo communi commotis, conſcripto equitum peditumque exercitu, Naſſovio duce, preſſi, cùm in Geldriam ſe recepiſſent, iſtic quoque ſequentibus fœderatis, & tergo eorum inhærentibus tentata infæliciter pugnâ, Venloâ urbe aliquandiu protecti, demùm ad arma dimittenda ſunt adacti. Ità diſſipati in diverſa abiêre. Quorum ſi quos nacti Burgundici ſunt in ditionibus ſuis, ab his maleficorum modo ex arbore aut patibulo ſuſpenſi ſunt: à Campenſibus quoque & Suollenſibus haud pauci ob ſcelera in viciniâ patrata rotis ſuffixi: multi quoque, qui deditæ Bolſverdiæ rei erant, ab ipſo Geldriæ Duce ſuppliciis enecti: juſtiſſimo ſuperni numinis judicio, quod inſignia ſcelera non ſinit ſine pœnis eſſe etiam in hâc vitâ. Interìm ægrè fortunam partium Doccumi ſuſtentabat Golſtenius, quanquàm per inducias, ob pecuniæ inopiam, nec facere poterat, quin qui in præſidio illîc erant, furtim ſe complures ſubducerent. Itaque ſcribere identidem ad Groninganos, eoſque qui pro Geldro ibì curabant, ſubſidiáque ab his petere, nec ſatis pro re impetrare. Simul Groningani pecuniam, militem, tormenta, commeatus ſæpè poſtulati, intereaque expectationi inani adventus ipſius Principis & promiſſi diplomatis ſuſpenſi ac deluſi hactenus, occaſione rerum præſentium freti, murmurare primùm, deîn concurrere, promiſſa graviùs poſcere, nec velle diutiùs differri. Tùm deſignati prudentiſſimi quique numero XVI, ex ſenatu, ex honeſtiore cæterorum civium ordine, ex opificum plebiſque ſodalitiis. Ab his formula quàm commodiſſima civitati confecta, conſcriptáque ex iis, quæ cum Oijenſi dudum convenerant: Ea probata à Senatu totáque civitate ad Principem exeunte Ianuario miſſa ſignandi causâ. Princeps unius ſolùm capitis, de Vltrajectini jure quod erat, explicatione quæſitâ, ex præſcripto firmavit omnia, ac in diploma redêgit. Hoc in diplomate ſic præfatur Princeps, repetitâ actorum priorum per Oijenſem memoriâ, *Civitatem Groningam in extremis belli periculis ab Vltrajectino deſertam, imò auxiliis quoque ejus oppugnatam confugiſſe ad ſe, precantemq; in fidem ab ſe eſſe receptam: Huic promiſiſſe ſeſe, ſi quid repetendi juris gratiâ moturus fortè præſul ſit, abſque civitatis onere ac fraude ſe cum eo transacturum.* Deîn addit, *civitatem ſe defenſurum contra quoſvis hoſtes pro viribus ſuis: illam viciſſim ſpondêre fidem, obſequium, officia omnia ſolita bonis ſubditis, & ſibi & hæredibus ſuis in perpetuum, niſi quâ vi majore ac neceſſitate improbabili aliter facere cogatur. Ad hæc integra civitati privilegia & jura vetera, inſtituta, & quæ in more poſita, ſervaturum promittit: idémque ſpeciatim ſodalitatibus plebeiis quicquid hujuſmodi à ſenatu acceptum nunc habeant, pollicetur.* Tum iſta: *arcem munitam in urbe ſe non habiturum unquàm, aut hæredes ſuos, ſed nymphæum modò principe viro dignum: hoc pro beneficio civitatem ceſſiſſe ſibi imperium in agrum omnem inter Amaſum & Lavicam, ſimulq; omne jus, quod ipſa in Oſtergoos & Weſtergoos habeat, ut & in præfecturam veterem: ſed ceſſioni huic hanc eſſe conditionem adjectam,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

jectam, ne vel ipſe princeps vel hæredes ejus ullo unquàm tempore agrum à civitate ſeparent, aut ſeparari à quoquam ſinant, aut diverſis principibus hanc illumq́ ſubjici patiantur, neû civitatem agrúmve ſine conſenſu civium in alterius poteſtatem tradant. MD.XVIII Hoc diplomate accepto, reciprocæque fidei litteris principis redditis, perindè ac ſi omnia jam ſuperata difficilia eſſent, gratulans ſibi plaudenſque oppidana multitudo conquiêvit. In Friſiæ eâ parte, quæ Lavicam inter ac Flevum patet, publicatis annuis induciis ùt non armorum motus, ità nec quies fida & certa fuit. Nam cùm præſidia eſſent utrimque, haud facilè quoque abeſſe dicta factaque injurioſa potuêre. Inprimìs Geldri æqui atque otii pariter impatientes per ſe, à Golſtenio etiam Doccumanis præfecto, homine turbulento & armorum cupido, incitabantur. Itaque hi cauſas quærere, excurrere, prædas abigere, captivos quoque è Biltanis, quibus imminebant, abducere, majora etiam minari, denique ſic agere, ut bellum quàm pacem malle ſe oſtenderent. Sed Rogendorpius continentior ac ſedatior litteras & querelas potius quàm arma opponere, finibus quantùm poterat, ſine vi proſpicere, inducias tueri. Eo tempore Erclenius è Geldriâ reverſus Martinum Roſſemum ſecum duxit, regendæque Friſiæ à Duce miſſum, Snecæ convocatis ordinibus oſtendit. Simul multa de rep. egit. In his de Biltano agro, præcipuo ærarii in Friſiâ ſubſidio, quem Burgundici tenebant, aſſerendo propoſuit: deindè de vectigalibus abrogandis diſſeruit, ut quæ avertendis negotiationibus eſſent è Friſiâ, immuni Hollandiâ vicinâ, cæteriſque hujus oræ provinciis, deque aliis conficiendæ pecuniæ, ſuſtentandiq́; belli mediis instituendis. Reſpondêre Friſii, Biltanum agrum invadere hoc tempore ob inducias non licere; de vectigalibus probare ſe, & horum loco dimidium tributi, quod Saxoni legitimum erat, conferri, quoàd pax omni Friſiæ fuerit cōſtituta. Sed adjecêre, quæ à Duce viciſſim poſcerent; quæ ſi daret ille, ſe quoque certos cenſus perpetuos ei hæredibuſque ejus velut dominis tribuere paratos fore. Eorū præcipua hæc, (nam omnia enumerare tædioſum.) *Princeps Friſiam ſummo ſtudio ac vî defendat ab hoſte, nunquàm eam deſerat: Friſios nullam ob cauſam invitos è patriâ evocet abducátve: gubernatorem unum regioni huic, & Groningæ, & agro Groningano virū inſignem & prudentem det, qui præſens remp. adminiſtret, eiq́; Cancellarium addat juris peritum: reliquos à conſiliis & judiciis exercendis ſinat his adjungi à Friſiis, binos ab Oſtergois, binos à Weſtergois, totidem à Sylveſtribus: præfectos oppidis aut arcibus ne det ipſe, aut gubernator ejus ſine Sexvirûm, aut populi conſenſu: bellum ſi gerendum rurſum ob Friſiam, gerat impendio ſuo, ſed viciſſim auxilia à Friſiis expectet pro virium modo, ſi bellum Geldriæ inferatur: imprimis jura vetera gentis, & immunitates præclaras non imminuat, nec univerſis, nec ſingulis: neminem hujuſce gentis, qui factionis Burgundicæ ſit, recipiat in gratiam, multò minùs muneri publico præficiat abſque populi aut Sexvirûm voluntate: nulli civitatum Friſicarum quarumcunque ſit partium, in detrimentum populi communis privilegia concedat, conceſſáque reſcindat.* Quæ Erclenio tradita, ſed recognita paucis locis Geldrorum aſtu, alicubi quoque aucta, cum Erclenio tandem in Geldriam miſſa ſunt. Conventu ſoluto (is cœperat die III Iduum Sextilium) & Erclenio è Friſiâ profecto, Ianco Dowenius ſemper ſimilis ſui, & cum eo Amco Iarleus, Iuvo Iuvonius, Sicco Dowenius, aliiq́ue ejuſdem conſilii ſocii legatum misêre ad Carolum hominem eruditum. Per eum cùm alia popoſcere, tùm ab ipſo principe dudū promiſſa, ut arces reliquaſq́; munitiones Doccumi ac Slotæ demoliretur, aut demoliendas ipſis traderet, ſpopōderúnq; ſe proviſuros, ne quid id aut rebus ejus aut regioni daret mali. Ad quæ cùm alieniùs reſpondiſſet princeps ab aliis perſuaſus, ipſi quoque ſtatim animos levitate fidei offenſos ab eo alienârunt. Per hæc annus ille in hâc Friſiæ regione, & cæteris uſque in Viſurgim ſine bello exiit. At trans Viſurgim Worſtenſes in arma rursùm acti. Ad hos, abſente archipræſule Chriſtophoro, qui Auguſtam ad comitia ierat,

 Theodo-

MDXVIII Theodoricus Clenkius, & Hermannus Malſborgius, ille collegii ſummi Bre-
menſis decanus, hic diœceſis Mareſcallus, & cum his alii præfecti, inſueta
& injuſta imperaverant, cenſus novos in ſingula agri jugera, decimas om-
nium bonorum. Contra quæ cùm pacta prioris anni opponeret populus, fi-
dem poſceret, preces afferret, denique pertinaciùs obſiſteret, Quid hoc? ait
decani miniſter in populo forte aſtans & illudens, adeóne turbamini minu-
tis his? graviora, quæ ſequentur, quomodo feretis? Tùm illi nondùm ſervi-
re docti, Si hoc vobis decretum, providendum nobis, ne tu dominúſq; tuus
initium ejus faciatis: ac ſimul cum dicto, ferro eum nequicquàm precantem
tranſverberant. Mox decanum ipſum accurrentem, minaſque jactantem,
cæteroſque omnes pari ferociâ trucidant: adduntquè, ſi luenda miniſtri
mors, ſatiùs eſſe unâ ſolutione pro cæde omnium defungi, quàm ſæpiùs po-
ſtulari. Facinore patrato, mittunt ad Magnum Lavenburgium, conqueſti-
que de injuriis ſævitiâque ſacerdotum Bremenſium, auxilia ab eo rogant,
& in ſe imperium deferunt, ſacramentum promittunt. Ille occaſione lætus
repetito vetere majorum ſuorum jure, ſine morâ cum milite & tormentis
iſtûc accurrens, arcem præſulis invadit, ſolóque æquat, Nienhuſias munitio-
nes in diœceſis finibus proximis evertit, populum in fidem ſuam adigit. At
populus ferox per ſe & ope novâ ferocior incurſu repentino diœceſin vici-
nam vaſtat, domos ſupra MCC igni dat, infinitam vim pecudum omnis ge-
neris abigit, ſua ſuperiori anno ablata repetere ſe jactans. Arcem verò Be-
rexæam obſidere ac occupare conatus, deſperatâ re in ſua revertitur. Intereà
Mindenſis epiſcopus, Chriſtophori Bremenſis frater, de Worſtenſium motu
certior factus, confecto repentè exercitu peditum mille, cùm ad vicina ho-
ſtium veniſſet, ibique audiſſet novam arcem fratris jam captam, cui ſubſi-
dio veniebat, verſo itinere, Bremenſium pecora abacta in prædam ſuis de-
dit, Bremenſéſque cum fratre de damno tranſigere, cui hæc navata opera
eſſet, egregius præſul, ſacrorum antiſtes juſſit. Tantam inſolentiam domûs
nobilitas ei inſeverat. At verò archiepiſcopus Auguſtâ reverſus Octobri
menſe, iræ plenus, in Magnum pariter, populúmque vindictam parabat: il-
lum impium, nefarium, jus faſque violantem, affinitatis arctiſſimæ & ſan-
ctiſſimæ (ſororius quippè erat) immemorem, hos rebelles, perjuros, ſcelera-
tos, latrones, excidio dignos dicere: utroſque diris devovêre. Erat eo tem-
pore conventus Principum vicinorum frequens Luneburgi à Cæſare reip.
causâ indictus. Ad hunc ipſe quoque profectus, de Magno acerbiſſimè mul-
ta locutus, in bellum non magis juſtum quàm neceſſarium petiit opem, uſúſ-
que ſtudio fratrum præſentium, opibus gratiáque potentium, nec minùs
quàm ipſe ille irâ ardentium, penè jam Principum animos ad belli ſævitiam,
& gentis excidium inclinaverat. Sed Henricus Megapolitanus prudentiâ &
lenitate inſignis intercedens, ad mitiora eos revocavit. Decretúmque, ut
jure non armis ageretur, reſque intra triennium definiretur per arbitros de-
lectos. Ita clades penè certa & crudelis à Worſtenſibus unius bonitate prin-
M.D.XIX. cipis eſt averſa. Anni ſequentis initio Maximilianus Cæſar Welſæ in Au-
ſtriâ defunctus vacuum imperium reliquit. Ejus morte gaviſus Carolus Gel-
driæ Dux: quippè ſentiebat, ejus autoritate & potentiâ cum nepotis opibus
conjunctâ conſiliis ſuis, quæ cum Gallorum rege coquebat, maximo hacte-
nùs fuiſſe impedimento. Nunc eo extincto, nepote adhuc juvene, & rerum
imperito, variis gravibuſque negotiis diſtracto, nondum firmatis imperiis,
ſibi verò cum Gallo amicitiâ ac ſocietate conſtante, principe potentiſſimo
& fæliciſſimo, haud difficulter ſperabat iſtûc ſe perventurum, quò conſti-
tuerat. In Galliæ autem rege eò majorem ſpem repoſuerat, quòd illum, ex
quò cognitum erat, Maximilianum jam corpore infirmum, de ſurrogando
ſibi in Germaniæ imperio nepote Carolo ſedulò ac ſeriò laborare, invidiâ
æquè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.D.XIX

æquè ac metu agitatum, affectum priorem, quo generum antè complexus fuerat, in malevolentiam ſciret, vertiſſe. Nam Gallus ut fortunæ ejus, quem generum erat habiturus, benè volebat, ità tamen ſupra res ſuas eam ſcandere, ac ſibi & Galliæ periculoſam fieri non cupiebat. Id verò futurum rebatur, ſi Carolus tot opibus ſuis ac regnis hæreditariis vires Germaniæ, ac autoritatem Imperii adjeciſſet. Deîn, ut animo erat verè magno, & maxima quæque ſpe complectente, ipſus quoque, quanquàm exterus ad Imperii majeſtatem aſpirare non dubitabat. Itaque, quod inter competitores fieri ſolet, non ſolùm invidiâ ac metu ex potentiâ majore, ſed æmulatione etiam ipsâ in Carolum commovebatur. Has ob cauſas vulgatâ Maximiliani morte (obierat is pridiè Idus Ianuarii in Auſtriâ) ſine morâ Carolus Gelder, quanquàm nuptias eo tempore pararet cum Eliſabethâ Luneburgiâ, quàm maximis itineribus in Galliam contendit ad regem conſilii ineundi causâ. Erat nuptiis ab eo dies dictus is, qui ſequitur Nonas Februarii in oppido Arnhemo, & ad has vocati illuſtrium familiarum multi, item clientium & ſubditorum præcipui: invitata quoque civitas Groninga, atque ordines agri vicini. Delectique hic, qui irēt è civitate, Guilhelmus Fridericus ſacerdos, Ludolfus Coenderus & Nicolaus Scafferus conſules, pro agrariis verò Rodolfus Lenneppius equitum præfectus. Ieruntque apparatu habitúque magnifico haud parùm ſupra fortunæ modum, Guilhelmus vehiculo, cæteri in equis toto corpore armis ſplendentibus tecti, equitibus ſtipati xxx, tum veſte inſtructi nuptiis hujuſmodi dignâ, improbantibus civium multis, ſtultitiámq; vocantibus, Geldris etiam atque Iſalanis in luxum ludentibus. Dona ab his allata ſponſis vaſa argentea inaurata affabrè facta magni ponderis quatuor, boves raræ magnitudinis benè ſaginati ſimiliter quatuor, equi generoſiſſimi totidem. Sed nuptiarum feſtum maximâ parte ſine ſponſo peractum, cùm is à Galliæ rege opinione diutiùs detentus tardiùs domum rediſſet. Sic ſeriùs quoque convivæ dimiſſi. E Tranſlavicanis an qui eodem profecti ſint, nuſquàm lego. Ab his biduò pòſt, quàm Groningani ad ſuos rediſſent, VI nimirum Calendar. Martii conventus Snecæ actus: in quo Henricus Gentalio, cùm moniti ab ordinibus eſſent de iis quæ promiſerat Erclenius nuper in Geldriam profectus, oſtenderunt nil defore petitis, ſi viciſſim facerent ordines, quæ à Principe peterentur. Ad quæ illi, Quæ verò ſunt illa, quæ Princeps à nobis petit? Tùm hi, Hoc ſcilicet petit, ut ipſum optimo jure dominum veſtrum dicatis; tributum, quod Saxoni pependiſtis, ipſi pendatis, de his litteras fidei causâ, uti mos eſt, detis. Id verò vehementiùs, quàm credi poſſit, multos perculit. Sed nullos magis, quàm Ianconem Dowenium, Sicconem Dowenium, Iuwonem Iuwonium, qui principes trahendæ rei patriæ ad Geldrum fuerant. Itaque antè alios quoque reſponderunt liberè. Mirari ſe iſta, non inopina ſolùm iniquaque, ſed cum promiſſis Principis apertè pugnantia: ſe quippè fidem Principis ſecutos fidenter ſperaſſe, à Saxonum Burgundicorumque jugo Friſiam eum aſſerturum aſſertámque immunem ac liberam præſtiturum: hoc enim præ ſe tuliſſe apertè, fidemque hujus ſcripturâ ac ſigillo firmaſſe: abſurdum verò & periniquum, Geldrum poſcere, quod Saxo extorſerit: quid enim ſimile? Iſtum armatâ vi regionem invaſiſſe, victæque & oppreſſæ leges dediſſe, & tributa impoſuiſſe: hunc ſponte populi vocatum, Principémque ſalutatum, vindicem libertatis: nunc ſi Geldro tribuendum, quod Saxo victor popoſcit, non finem ſervitutis habiturum populum, ſed Saxonicam ſervitutem ſervitute Geldricâ modò commutaturum: æquum eſſe, fidem ſervari utrinque: det Princeps, quæ partium ipſius ſint, ſcripto nupero comprehenſa, æquitatis pleniſſima, eaque diplomate confirmet: eo facto, viciſſim ſe Principi promptè plenéque ſatisfacturos, da-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.D.XIX ros, datiſque literis dominum appellaturos. Deîn procedente diſputatione cum Cancellario, acrior orta contentio eſt. Huic nempè culpa tribui, ab hoc Principem perverti, ejus conſilio hæc fieri, quæ Principi pariter & populo futura ſint pernicioſa. Denique res omnis manſit infecta diffidentiâ mutuâ. Nec diu pòſt Ianco Dowenius, Ianco Vnama, Iuvo Iuvonius cùm viderent, quò tenderet Princeps, tùm ſuos pleroſque nutare, & gratiam ſequi, ſe verò nec obſiſtere, nec ſine conſcientiâ mala aſſentiri poſſe, clàm alius poſt alium Snecâ diſceſsêre, Groningamque ſe recepêre. Illîc cauſam rogati, Cancellarium ſe fugere dixerunt, perniciem Friſiæ, nec in animo ſibi, Snecam redire quandiù ille in Friſiâ futurus, ne conſiliis ejus adeſſe cogantur. Sed ad Principem delati, Groningâ quoque excedere juſſi: poſt in diœceſim profecti urgente Principe Daventriâ, Campis, Suollis, Vltrajecto abire compulſi ſunt. Et erat eo tempore tam inſignis malitia atque avaritia præfectorum Geldricorum, qui Friſiam curabant, tantaque improbitas multorum in nobilitate, qui Geldris adulabantur, ut ſtomachum bonis moverent: quiſque ſibi conſulere, populum & remp. negligere, agros, domos, pecuniam conflare, res familiæ ſuæ cum cûrâ per fas & nefas augere. Quorum pertæſum Martinum Roſſemum gubernatorem, Vorperius ait, ultrò ſe munere ſuo abdicaſſe, & Friſiâ exceſſiſſe. Huic ſurrogatus eſt Chriſtophorus Morſenſis, patre Comite, ſed matre impare, fœminâ nobili, nec ſolenni ritu in conjugium adſcitâ natus, ideoq; à ſorore juſto matrimonio editâ hæreditate excluſus, militiæ à primis annis deditus. Is Snecam venit ad initium Aprilis, non Tranſlavicanæ ſolùm ſed Groninganæ quoque regionis, & urbis Groningæ regendæ mandatum habens, finitis jam induciis annuis, de quibus antè dictum, aliiſque in annum alterum ſtudio interceſſorum conciliatis. Induciæ hæ quoq; turbidæ fuere, maximè in mari. Quo tempore Chriſtophorus quidam Bredenbachius, olim pro Saxone vectigalibus Slotæ præfectus, tum Burgundis militans in ſinu Auſtrino Geldricis moleſtus erat, naveſq; Slotam, VVorcumum, Staveram, Hindelopam, Maccumum petentes intercipiebat, aut aliò conferre curſum cogebat. Qui cùm navem cereviſiâ onuſtam fortè cepiſſet, occaſione illectus cum claſſiariis ingurgitavit ſeſe, ebriuſqae & in ſomnum ruens, dominum navis clavo appoſitum Enchuſam juſſit proram dirigere ſub primas tenebras. At ille potu ſomnoq; obrutis omnibus tenebris noctis fretus in litus Geldricum curſum direxit, navemq; in vadum impegit, ſeque fugâ prædonibus eripuit. Prædones expergefacti primâ luce, cùm quid actum cognoviſſent, navemq; vado eripere fruſtrà niterentur, à Geldris circumfuſi & capti ſunt, ſtatimq; Slotam in carceres miſſi. Illîc cum ſocio uno Bredenbachius perjurii damnatus, (nam captus antè juramento ſe obligârat, cùm dimitteretur, in Geldros ſe non militaturum) capite præciſo rotæ impoſitus fuit. Cæteri numero XXIIII precibus aliorum ſervati. Nec quicquam aliud eo anno iſtis locis memorabile geſtum. Tantum hoc lego, circiter Idus Novembres Petrum illum cognomento Longum cum claſſe & claſſiariis ſuis in Geldriam à Principe evocatum, conſtitutóque cum eo conſilio Embricam Clivicæ ditionis oppidum ad Rhenum per inſidias adortum, ſed irritâ re, relato pede in Friſiam regreſſum. At in Orientali Friſiâ, cùm arma quiſcerent, RELIGIONIS PRIMA MVTATIO FACTA. Martinus Lutherus, theologus inſignis, profeſſione monachus Auguſtinianus, biennio antè VVitebergæ in Saxoniâ craſſiſſimos errores doctrinæ Pontificiæ, quibus orbis terræ faſcinatus velut in tenebris palpitabat, taxare liberiùs, ac diſputando docendoque in lucem protrahere cœperat, & multis mortalibus è veterno ſuſcitatis oculos ad intuendum veritatis lumen aperuerat. Eodem verò tempore aliâ Germaniæ parte in Helvetiis Vlricus Zuinglius Tigurinus eandem facem extulerat, & voce & calamo in impias ſuperſtitiones ac falſa dogmata

pugnaverat. Secutáque erat aliquot in locis publico conſenſu religionis con- M.D.XIX.
verſio, quod notius eſt, quàm ut commemoratione meâ habeat opus. Inter
primas verò regiones, quibus hoc lumen affulſit, Friſia Orientalis fuit; in quâ
princeps ipſe Edſardus, primis Lutheri ſcriptis magno ſtudio lectis & relictis,
hauſtisque indè lucis primitiis, ſuperſtitiones abjecit, eadem ſcripta Luthe-
ri vænire in bibliopoliis, lectitaríque ab omnibus, quibus animus eſſet, ſi-
ne metu ac diſcrimine ullo ſivit, imò exemplo ſuo ad hoc ipſum præcipuos
è nobilitate patriâ, atque alios doctrinâ & judicio valentes excitavit. No- “
rat enim ineſſe hoc hominum naturæ, ut quo principes ſuos delectari ſen- “
tiunt, idem quoque ipſi libentiùs ſequantur. Nec multò pòſt Auricæ pri- “
mum, ut eſt à Grimershemio notatum, ſacerdos, agnitis erroribus priſcis, pu-
blicis in concionibus taxare eos liberiùs, ac meliora populum docere auſus
fuit. Mox Oldershemi quoque ſub patrocinio Vlrici Dornumani, qui ſedem
ibi dotalem habebat, & Hicconis Oldershemij, quem ſecum Vlricus trahe-
bat, Henricus quidam, populari facundiâ egregius, idem eſt ſeeutus. Horum
concionibus plebs etiam exſuſcitata non ſolùm illis in locis, ſed paſſim totâ in
regione ad inquirendum verum mentes erexit, indigantibus nequicquàm ſa-
crificulis & monachis in gente liberâ, principe præſertim tacitè favente. Sic
in hominum animis ſenſim labaſcere ſuperſtitio, & lux aliqua veritatis oriri
cœpit. Id hujus rei maximæ in patriâ meâ initium fuit. Inter hæc Iunio
menſe convocatis Septemviris in urbe Francofurto certatim petentibus, ac
per ſuos prenſantibus Franciſco Galliæ & Carolo Hiſpaniæ regibus tandem à
multâ deliberatione ac ſententiarum conflictu, autoritate præcipuâ Fride-
rici Saxoniæ Ducis Carolus Cæſar eſt deſignatus, annum ætatis vigeſimum
tùm agens: id quod extirpandis ipſis etiam reliqiis amicitiæ inter eum atque
æmulum fuit. Gallus enim non ſolùm repulſæ dolore pungebatur, tan-
támque fortunæ acceſſionem invidebat Carolo, ſed etiam ob vetus ac per-
tinax odium inter Francicam & Burgundicam domum ab eo ſibi metue-
bat. Hinc ſenſim conſilia cocta inimicis animis ſolita inter potentes. An-
nus proximis M. D. XX ab armis quietus Friſiæ fuit. Induciæ enim inter M. D. XX
Geldros & Burgundicos rursùm prorogatæ. At Carolus ineundi Imperij
& accipiendæ coronæ gratiâ, vergente Aprili ex Hiſpaniâ in Angliam pri-
mùm, indè firmatâ cum Henrico VIII rege materteræ ſuæ marito amici-
tiâ in Selandiam navigavit. Mox Brugis Flandriæ oppido à legatis Princi-
pum & civitatum magnificè exceptus, cùm ex Flandriâ in Brabantiam ve-
niſſet, à Friſiæ legatis Burgundicarum partium adîtur, rogaturque, ut tan-
dem nunc ad Friſiam ſeriò reſpicere, & ſubmotis Geldris pacem ſtabilem
conficere ei velit. Sed nihil illîc reſpondt ob negotiorum multitudinem, Ger-
manis verò conventum indixit Aquiſgrani ad diem qui Nonas Octobres an-
tecedit, coronationis causâ. Medio tempore fluentibus induciis Chriſtopho-
rus Morſenſis in Friſiâ ſacellanum ſuum inſimulatum peſſimi conſilij de Sne-
câ Burgundicis tradendâ in vincula conjecit; vinctumque Slotam deportari
juſſit. Et poſt hunc alterum quoque Ottonem Lingium ejuſdem ſceleris
accuſatum atroce ſupplicio perêmit, ſectum in partes quatuor, parteſque
ſingulas ad totidem oppidi partes exempli & infamiæ causâ ſuſpendit. Id eò
crudelius viſum pleriſque, quòd non hunc minùs quàm priorem inſontem
fuiſſe tùm Burgundici teſtati ſint, tùm communis hominum opinio vulgarit.
Aliud tunc in Friſiâ quoque accidit cis Lavicam, nequaquàm prætereundum,
facinus monaſticam ſanctimoniam ponens ob oculos. Erat iis locis antiquæ
nobilitatis familia Gaikingiorum, quæ peramplas opes in Laegowaldiis &
Medachiis poſſidebat. Hujus familiæ Fridericus, CLX ante annos cœnobij
Adoardiani antiſtes cùm eſſet, cœnobium cum familiæ jacturâ dotavit plus
ſatis liberaliter: ſed conditiones cœnobio dixit familiæ ſuæ magis honori-

M. D. XX. ficas quàm fructuoſas. In his hoc etiam juſſit ut advenientibus Gaikingis cœnobii portæ aperirentur cum famulitio interdiu noctuque, ac menſa ex dignitate familiæ ſterneretur & inſtrueretur in conclavi primario: item quotannis cùm feſtum agitur Bernardi Claræyallenſis, cujus nomini cœnobium eſt dicatum, ut iidem ad feſtum convivium vocarentur: ut itidem quotannis pridiè Martini Turonenſis cygno, capo, vini cantharo honorarentur à monachis. Igitur anno hoc, de quo ſcribimus, monachi ex lege hujuſmodi Friderico fratrum trium maximo, qui arcem familiæ præcipuam habitabat, ad ſolennitatem Bernardi invitato, cùm reliquos duos Henricum & Ioannem Suidhormæ ſedem tenentes præteriiſſent, hi ſponte ſuâ eôdem venêre. Erat verò Henricus non ſolùm familiæ ſuæ, ſed totius nobilitatis Ciſlavicanæ decus, animi & corporis dotibus eximius, fortis æquè ac prudens, autoritate apud omnes patriæ ordines maximus, cui ſimilem toto ſæculo ſuo hac regione non fuiſſe Sicco Beninga, qui eum nôrat, teſtatur. Hic cum fratre utroque epulis remotis, ex aulâ majori in conclave abbatis cùm fortè concederet, ut cum monachorum præcipuis hilariùs pro more ageret, ac frontem exporrigeret, non eâ comitate exceptus fuit, quâ decebat. Itaque offenſus egreſſusque, domum cogitans, portam petiit, eumque fratres ponè ſunt ſecuti. Ex his Ioannes natu minimus, qui largiùs in menſâ inter temulentos & in poculis ſtrenuos monachos biberat, irriſus à plebe cucullatâ, in rixam, ex eâ in pugnam incidit. Quod cùm vidiſſent fratres antecedentes, ut fratri laboranti in turbâ ſuccurrerent, reflexo gradu, ſtrictis enſibus, in turbam iverunt. Simul Suederus Marwicus cellario præfectus, è genere nobili, homo ſævi ingenii, & cum eo Ioannes Steenwicenſis collega ipſius, qui iſtûc loci fortè præſentes erant, quique à furore graſſantem turbam revocare dedebant, claſſicum canentes ad pugnam cucullatos incitabant. Ità velut agmine facto impetus in fratres datus, & Ioanne elapſo, Henrico ingenti dolone caput eliſum, Friderico frons lapidis jactu graviter læſa: priorque ſtatim collapſus animam efflavit: alter in equum ſublatus, in arcemque ſuam ad aggerem Gaicumæum revectus biduò pòſt è vitâ deceſſit. Res à furentibus monachis velut à rabidis canibus, ut ait Beninga, geſta eſt. Hoc ſcilicet facinore præclaro ſolenni die Bernardo patrono ab iis præclarè litatum. Quod cùm fama vulgaſſet, omnium ordinum animi irâ ac fremitu in perditos cucullatos, ventri ac libidini deditos, Bacchi ſervos, in omne ſcelus promptos completi. Deteſtari omnes raſa capita luxu nimio ſemper ebria, proterva, improba, in quodlibet facinus euntia ſub nomine religionis, & cuculli velamine nihil non ſibi permittentia, diſciplinæ monaſticæ profeſſionem in nequiſſimam & diſſolutiſſimam licentiam vertentia, non homicidas ſolùm nefarios, ſed ſicarios, latrones, graſſatores eos vocitare, clauſtrum ipſum religioni quondam ſtructum latronum ſpeluncam nominare, denique ſcelere paucorum totam patriam obligatam piaculo arbitrari: poſtremò omnia hæc memoriâ Henrici, quem amaverant cuncti, facta acerbiora. Quæ ne cœnobio exitio eſſent, abbas Elbertus Reſius Guilhelmum Fridericum exoravit, ut ſe interponeret. Ille autoritate ſuâ effecit, ut expiatio facinoris, & totius cauſæ compoſitio arbitrio delectorum permitteretur: Delecti, & utraque à parte probati ſunt Everhardus Iargæus ſacerdos Groninganus in æde Martiniana jurecõſultus, Rodolfus Mepſchius ſacerdos Bedumanus & ipſe legum peritus, Conradus Coenderus, Reinerus Alberda Cõſules Groningani, & his additus ipſe Guilhelmus director rei, & diſcrepantium ſententiarum diremptor, arbiterque ſuperior. Ab his demum die IV Calend. Novembr hujuſmodi arbitrium perlatum. Suederus Marwicus cellario præfectus, Ioannes Steenwicus cereviſiæ curator, Gerardus aulæ monaſticæ magiſter, qui invidiæ cedentes ſubduxe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſubduxerant ſeſe, cœnobio Adoardiâ, ac cæteris, quæ in clientela hujus ſunt, item villis ac prædiis ejuſdem, denique locis omnibus ubi jus aliquod aut autoritatem Adoardiani habent, gratiave valent, inter Amaſum & Lavicam abſtineant in perpetuum: Iacobus molitor monachus, non quòd cædis convictus ſit, ſed ut cæſorum propinquis ſatisfiat, toto triennio cœnobio careat: duo alij, qui ex familiâ in turbâ ac pugnâ fuêre, facinoris causâ profugi totâ regione inter Amaſum & Lavicam exulent, quoàd vivent. Adoardij de jure prætorio, patrocinioque rerum ſacrarum, quod habent Suidhormæ, cedant in ſolidum Henrici hæredibus, exceptâ in ſolos monaſticos colonos juriſdictione, quæ penès prætorem monachorum manebit ſimiliterque patrocinium idem, quod Werumi tenent, hæredibus Friderici relinquant. Ad hæc iidem duobus ſacerdotibus vicariis alendis, quorum alter Werumi, alter Suidhormæ ſedem habeant, & ſacra pro ſalute cæſorum fratrum faciant perpetuò, aureos Rhenenanos juſti ponderis L X annuos è rebus ſuis conſtituant pendantque, aut à colonis capi monaſticis ſinant, domiciliſque ſacerdotum ſtruendis lateres, tegulas, calcem dent: ipſi in fano monaſtico pro animis eorundem cæſorum tùm alia faciant, tùm ſtato die, qui Bernardo ſacer, & horâ diei maximè celebri, ſub ſolenni ſacro, quod antiſtes tunc peragit, per initiatum alium, atque ad aram aliam miſſificent, ſed quotannis, non alio quàm cellæ penuariæ præfecto, inter cucullatos poſt antiſtitem primo, miſſificanti miniſtrante, ſacrumque id Gaicumæum vocitent, ejusque nomine illo die vini heminâ ſinguli, & pane mundo è cella monaſtica honorentur: quorum omnium quoties quid neglexerint, toties L aureos Rhenanos pœnam luant, qui ſarciendis ornandiſve ædificiis iiſdem, de quibus dictum, impendantur. Denique aureos ſimiles annuos quatuor fano Martiniano, & duos alteri ad amnem in urbe Groningâ in cereos & hujuſmodi alia recolendæ cæſorum memoriæ ex rebus ſuis aſſignent. His omnibus addita lex, ut patrocinij jus in miſſificos illos novos penes eorumdem peremptorum hæredes eſſet. Hæc in Friſiâ. Eâdem æſtate menſe Iulio diſſenſio cœpit in Iſalanâ regione inter Campenſes & Suollenſes minimâ ſanè ex causâ, quæ augeſcens ſenſim in bellum toti diœceſi calamitoſum erûpit. Cauſa hæc fuit. Erat quondam vectigalis jus ex omnis generis mercibus, quæ flumine Iſalà veherentur, epiſcopis Vltrajectinis beneficio Cæſarum tributum. Id ſequenti tempore Campenſes, qui ad exitum Iſalæ in ſinum Auſtrinum ſiti ſunt, pecuniâ ab epiſcopo redemerant, vectigálque non procul oppido ſuo exigere ſoliti erant à commeantibus, nemine contradicente. Poſt cùm amniculus quondam obſcurus & tenuis, cui ab aquâ nigrâ nomen inditum, Suollos alluens decurſu temporum, ut fieri ſolet, pluribus aquis è paluſtri & uliginosâ regione affluentibus incrementum cœpiſſet, juſtique jam fluminis inſtar eſſet, & ferendis navigiis idoneus, hujus commoditate uſi mercatores Weſtfali ac Saxones, poſthabita Iſalâ, ſeu quòd brevior commeatus eſſet, ſeu declinandi vectigalis gratiâ, per hunc eundem quoque devectare merces, perque oſtium ejus, quod nunc tribus clauſtris coërcetur, in ſinum Auſtrinum penetrare inſtituerunt. Id ægrè ferentes Campenſes non mercatores ſolùm cæteros, ſed Suollanos etiam culpârunt, totamque rem in fraudem juris ſui comparatam dixerunt. Contra Suollani, nullum unquam vectigalis jus niſi in Iſalà flumine Campenſes habuiſſe, nec ſe operâ aliquâ ſuâ, ſed naturam ac Deum ipſum flumen novum aperuiſſe diſſererebant. Atque hæc verborum contentione aliquandiù diſceptabantur, & nec Campenſes jacturam facere juris ſui, nec Suollani cœpto deſiſtere, divinitúſque tributum munus negligere volebant. Demùm Campenſes Suollenſium navem in Auſtrino ſinu captam vi in portum ſuum attraxére. Eo irritati Suollani res hominesque Campenſium M. D. XX.

M.D.XX. viciſſim invaſerunt, atque in cuſtodiâ in urbe ſuâ habuerunt. Hâc re turbatus epiſcopus Philippus Burgundus (principium enim belli inter ſubditos ſuos videbatur) datis ad utroſque literis interceſſit, & cognitione ſuſceptâ, ac utriſque auditis ità decrevit, ùt Campenſes Suollenſium novem reducerent Geelmudam, illîc Suollenſes eam reciperent cum mercibus: hi Campenſibus viciſſim cuncta reſtituerent: litem jure, aut apud arbitros diſceptarent, armis abſtinerent. Et huic quidem decreto parère paratos ſe Suollani oſtenderunt: ſed in morâ fuit vulgus Campenſium non acquieſcens ſenatus conſilio, ut purgandi ſui gratiâ ſenatus præ ſe tulit. Indè jam in arma apertiùs itum, fruſtrà interponente ſe & ad concordiam vocante epiſcopo. Et cùm autoritas hujus temneretur, ab ordinibus diœceſis curæ & ſtudia huc verſa: conventuſque hujus rei causâ Vltrajecti primùm ad VII Idus Octobr. deindè Haſſelti vergente Novembri actus, præſente utrobique ac præſidente eodem epiſcopo: ſed ob pertinacia partium ſtudia opera omnis inanis fuit. Intereà Carolus Cæſar Aquiſgrani die XII Calend. Novembr. ſolenni ceremoniâ à Septemviris Electoribus regno inauguratus, & coronâ Caroli Magni inſignitus, cùm comitia Imperii in Ianuarium anni ſequenti indixiſſet Wormaciæ agenda, Coloniam Agrippinam ad Rhenum conceſſit, multis magnis curis implicitus. Nam & ſeditio in Auſtriâ, ditione ejus avitâ, cuncta movebat, & Hiſpania rebellium armis turbata in bellum civile proximis menſibus exarſerat, & Franciſcus Galliæ rex occaſione invitatus Navarræ regnum invaſerat. Et licèt mox à coronatione de ſecundâ ſuorum fortunâ in Hiſpaniâ, Galliſque ingenti ſtrage ſuperatis nuncium acciperet, tamen ſollicitudine liberatus non fuit. Nec enim firma adhùc omnia per Hiſpaniam, nec finibus Navarrenis ejecti Galli erant, & in Italiâ ingens ei bellum cum iiſdem Gallis reſtabat. Coloniæ cùm eſſet, per literas Friſiis demum reſpondit, Wormaciæ comitia inſtare magnis de rebus; iis finitis Fri-
M.D.XXI. ſica ſe ſeriò curaturum: intereà patienter præſentia ferenda. At VVormaciæ cùm frequentes Imperii ordines adeſſent, reliquis conſtitutis, acta illic prolixè eſt cauſa Lutheri, Lutheruſque ipſe in coronâ Principum cæterorumque ordinum ità pro ſe dixit, ùt animi præſentiâ, magnitudine, conſtantiâ in admirationem rapuerit omnes. Et quanquàm fide publicâ dimiſſus tum ſit, urgentibus tamen legatis Pontificis & aliis, qui fortunæ ſuæ à doctrinâ ejus metuebant, paulò pòſt à Cæſare eſt proſcriptus. Eôdem legati ad Cæſarem miſſi, à Friſiis Kempo Martena & Sibrandus Roorda. Per hos tria rogata, *ut de eijciendis è Friſiâ Geldris conſilia Cæſar iniret, ut iis ejectis judiciis ordinem reſtitueret, ut privilegia in reip. fraudem in Friſia nemini tribueret.* Sed Cæſar negotiis diſtractus promiſſum diſtulit, induciiſque cum Geldro renovatis conſilia belli prorogavit. Tùm Edſardus quoque ex formulâ priore parentis ſui diploma de feudo Friſiæ Orientalis à Cæſare impetravit, ignaris quorum intererat. Ità Eſenæ, VVitmundæ, Ieveræ, agri Tranſiadani, omniumque, quæ inter Viſurgim atque Amaſum ſunt, dominus eſt appellatus. Intereà durabat tumultus inter Campenſes & Suollanos, nec vel epiſcopus, vel cæteri diœceſeos ordines, vel ipſe Cæſaris legatus hâc de causâ emiſſus Franciſcus Cobelius quicquam efficere potuerant, quanquàm omne ſtudium adhibuiſſent, quò concordia ac quies reſtitueretur. Nam licèt iſtûc res deducta rurſum eſſet menſe Martio, ut pars utraque promitteret, ſtaturos ſe judicio epiſcopi ejuſdem & diœceſis ordinum, interimque arma poſituros, atque hoc ipſum præconis voce ſuis in oppidis publicaret, tamen paulò pòſt ſunt arma reſumpta. Tanta partium pertinacia ac bellandi libido fuit. Eodem quoque tempore Guilhelmo Roggendorpio revocato Georgius Scencus Tautoborgius in regendâ Friſiâ à Cæſare ſurrogatus eſt, & ſuápte virtute, & Florentii Egmondani gratiâ commendatus. Qui

cùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

cùm provinciam iniiſſet, venit Groningam Chriſtophorus Morſenſis, & cùm eo alij à Geldro legati. His cauſa veniendi, ut agri ordines ſacramentum poſcerent. Quapropter, citatis his, in curiâ urbis proponunt: velle Principem jusjurandum ſibi dici, & hæredibus ſuis. Illi recuſare primùm, iniquum dicere, jusjurandum ſe poſci ab eo, qui, ſi vis ingruat, tueri juratos non poſſit, ad alia quævis ſe offerre: tandem iſtûc quoque deſcendere, inſtantibus Geldris, ſuadente ſenatu, ut oſtenderent, juraturos ſanè ſe in nomen Geldricum, ſed hac lege, ut ratum jusjurandum ſit, quandiu Princeps urbem habere in poteſtate, & agrum ab hoſte tueri queat: ubi nequeat, jusjurandum quoque ſit irritum. Quòd cùm placuiſſet, de parendi conditione aliquamdiù diſputatum: demumque ſic definitum, *ut imperet quidem Princeps, ſed hoc modo legeq; , ut ſuum cuique jus à majoribus acceptum conſtet ſine vitiò, ſecundùm pacta fœderaq; inter civitatem & hos ipſos ordines quondam inita.* Tùm jusjurandum datum primùm ab antiſtibus, deîn à nobilitate, demùm à plebe ruſticâ, præſente ſenatu in ipsâ curiâ. Res acta XI. Calend. Iun. Hæc omnia ſine morâ ad ducem relata, & ab eo probata: juſſuque ejuſdem in agrum profecti hûc illûc delecti è ſenatu, atque ij, qui Groningæ adeſſe non potuerant, juramento adacti. Et diploma in hanc rem ordinibus à Principe datum, ſignatum XII Calend. Quintilium, reciprocisque litteris ab his, uti poſtulatum, Principi viciſſim cautum. Penſio quoque annua Principi eidem decreta aureorum Rhenenſium VII millium: Hujus bona pars ab eo in primores civitatis autoritate & gratiâ pollentes, quos ſpeciali fide devinxerat ſibi, uti Sicco Beninga ſcribit, quotannis collata. Per eos conſilia publica, quò libuit, directa. Ii erant Guilhelmus Fridericus, Vlferdus præpoſitus Loppershemius, Ludolfus Hoernkenius, Coenradus Coenderus, Bernardus Coenderus, Ludolfus Coenderus, Rudolfus Hugingius, Nicolaus Scafferus, Lubbertus Clantius, Ioannes Hornkenius ſenior, Ioannes Hornkenius junior, Petrus Vlgerus, quorum alij CCCC, alij CCC, nonnulli, CC quidam etiam C aut L aureos annuos ejuſdem generis, ut idem ſcriptor affirmat, à Principe capiebant. Hæc anchora fortunæ Geldricæ fluctuantis in Friſiâ vel maxima ac fidiſsma iſto tempore fuit. M. D. XXI

DECADIS QVINTÆ FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

DECAS SEXTA,

Nunc primùm ex autographo Auctoris edita.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMISQ; VIRIS,
virtute, doctrinâ, dignitate præſtantiſſimis,

D. FRIDERICO COENDERS AB HELPEN,

TOPARCHÆ IN FRAEM & HVSINGE, inclytæ civitatis Groninganæ Conſuli digniſſimo:

ET

D. ABELI COENDERS AB HELPEN,

TOPARCHÆ IN FAËN & CANTES, in illuſtri collegio Generalium Ordinum Belgicorum, quod Hagæ Hollandiæ eſt, nomine civitatis Groninganæ aſſeſſori prudentiſſimo; fratribus;

Dominis ſuis plurimùm colendis.

DEcadem hanc ſextam cùm emiſſurus eſſem in lucem cum prioribus quæ jam recuditur, non dubitandum mihi putavi, Nobiliſſimi & Ampliſſimi viri, quin ea quoque, ut Quinta, nobiliſſimo nomini veſtro à me eſſet inſcribẽda. Sic enim de me privatim, ſic de Rep. in quâ nunc vivo, meremini, ut meritò me fatear totum eſſe in ære veſtro. Nam privata quod attinet, à quo tempore me noſſe cœpiſtis, ſingulari me benevolentiâ complexi ſemper eſtis, me amicum veſtrum eſſe voluiſtis, me præſentem, me abſentem honore affeciſtis, pluſque mihi tribuiſtis, quàm animi mei verecundia auſa fuit deſiderare: deniq; beneficiis me veſtris etiam penè nolentem oneraſtis. Quid dicam de ſtudio veſtro perpetuo, nec vulgari in patriam meam, ſæpe mihi & ſecundis & adverſis in rebus perſpecto; quam patriam non minus quàm fortunas meas privatas caram habeo? Quo nomine non poſſum non vobis quoque eſſe devinctus. Reſp. hæc, quæ vobis patria eſt, à cujus fortunâ mea nunc fortuna pendet, quæ domicilii ſedem cum loco & conditione honeſtiſſimâ mihi præbet, in quâ liberi mei partim nati, partim educati ſunt, quæq; illis, ſi volet DEVS, patriæ loco erit, quantum vobis debet? ad cujus clavum fuiſtis tot annos, honores ſummos geſſiſtis, & adhuc geritis, prudentiâ, fide, autoritate primi ſemper, aut inter primos, nulli certè ſecundi: abſit verbis invidia. Verum enim quod dico. Alter ob ætatem domi in ſtatione aſſiduus, ex quo civitas hæc depulsâ tyrannide Hiſpanicâ libertati reddita eſt, aut Hovetmannus in camerâ judiciali, aut Conſul in curiâ, aut Delegatus gerendæ Reip. in Collegio provinciali: quibus muneribus heic nihil eſt ſublimius: demùm etiam in conſulatu Academiæ novæ Curator, vir virtute & dignitate ſummus, pietate eximius, annis canus. Alter annis minor, Senator, Conſul, Hovetmannus, etiam Scholarcha cum laude fuiſſes, ex voluntate civitatis in ſenatu Ordinum fœderatorum, cui Hagæ in Hollandiâ ſedes eſt, biennium ſediſti. Deinde ſucceſſore illic ex lege accepto, (biennis quippè functio ea eſt) rurſum domi Conſul Remp. geſſiſti: ex Conſulatu verò Hagam rurſum à civitate miſſus es, ut in Collegio ampliſſimo Generalium Ordinum fœderatorum, verè illuſtrium & potentiâ magnorum, quod caput eſt totius Reip. communis, cujus amicitiam maximæ civitates, ſummi Principes, potentiſſimi Reges hodie ultrò ambiunt, locum teneres. In eo, quod honorum in Rep. fœderatorum faſtigium eſt, ſucceſſiſti avunculo tuo Egberto Alberdæ, viro fortunæ, corporis & animi dotibus verè eximio, mihi quoque haud vulgariter amico, qui locum illum, quem per annos ſeptem continuos & ſemeſtre habuerat, morte ſuâ fecerat vacuum, & talem ſummo illo in munere te & patriæ & toti Reip. fœderatæ præſtitiſti, ut toto undecennio, quod rariſſimi omninò exempli eſt, ſucceſſor tibi non ſit datus, atque etiam nunc eodem in munere & dignitatis gradu perſtes. Quod ſanè virtutis tuæ, imprimis prudentiæ, induſtriæ, vigilantiæ, fidei, dexteritatis argumentum eſt maximum. Toto verò illo tempore cùm aliis legationes obiiſti multas & magnas, & ex omnibus laudem retuliſti. Difficillimæ actionis de pace & induciis cum hoſte Hiſpano pars fuiſti, & induciarum pactis, in quas tandem conſenſio facta, manu tuâ ſubſcripſiſti. Intereà eo in theatro civitatum, populorum, principum, regum legationibus aſſiduis frequentato, in quo negotia verſata graviſſima & maxima, prudentiam inſigniter exercuiſti & auxiſti tuam, & infinitarum rerum non ſolùm Belgicarum, ſed etiam exterrum tum propinquarum tum longinquarum, atque etiam extremo quaſi orbe remotarum ſcientiam tibi copioſam paraſti; ut non multi hodiè ſint, qui eâ re comparari tibi poſſint. Patriæ verò commoda prudentiâ, fide, gratiâ quantum auxeris, quàm benè de eâ merueris, & norunt præſentes, & agnoſcet celebrabitq; grata poſteritas. Sed longius provectus ſum, quàm hoc tempore erat mihi conſtitutum. Itaque recipio me, & tantùm vos oro, ut conſilium hoc meum, de quo initio epiſtolæ hujus dixi, non improbare, & quod ad vos mitto, patrocinio veſtro ſpeciali commendatum habere, meque porrò, ut feciſtis hactenus, gratiâ veſtrâ fovere velitis. Valete. Groningæ Eidib. Decemb. anno æræ Chriſtianæ M. DC. XV.

A. A. V. V.
obſervantiſſimus
VBBO EMMIVS.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber LI.

TOTO hoc tempore in Tranſiſalanis quies quidem ab armis fuit, ſed controverſia ſopita non fuit. Namque epiſcopus cum iſtud effeciſſet, ut pars utraque judicio ipſius ordinumque Vltrajectinorum ſubmitteret ſeſe, velut ſuperato diſcrimine, cœpit agere remiſſiùs, atque, uti fit aliis atque aliis ſuborientibus, animumque ejus urgentibus rebus, hanc ipſam procraſtinavit. Intereà Cæſar finitis Wormaciæ comitiis in Belgium revertit, & cognitionem judiciumque controverſiæ hujus inter Campenſes & Suollanos ad ſe revocavit: nec multò pòſt epiſcopum conſilii cauſa excivit in Brabantiam. Bellum enim illi apertum ob Robertum Marcanum cum Galliæ rege, qui Marcanum tuebatur, in Belgio enatum fuerat, ejuſque gratiâ epiſcopi hominis prudentiſſimi conſilio ei erat opus. Hoc verò totum incendendis atque augendis ſuſpicionibus utrique parti fuit. Nam nec Campenſes ab initio ſatis epiſcopo fidebant, propterea quòd haud æquum ſe ipſis in primis actionibus, ut ipſi exiſtimabant, oſtenderat: & Suollani multò magis tum ipſum tum cæteros diœceſeos ordines ſuſpectabant; à Cæſaris verò judicio haud minùs pars utraque ſibi metuebant, eumque ſuæ cauſæ iniquum, alterius amicum arbitrabantur; hujus ſuſpicionis cauſas à Cobelio legato ejuſdem ſumebant, qui neutris nuper ſatisfecerat. Simul omnis diœceſis variis diverſisque ſermonibus ac judiciis hac de re indulgebat. Alii Campenſes iniquæ cupidinis damnare, alii Suollanos ex incremento fortunæ inſolentes culpare, quidam utroſque pertinaciæ reos facere. Nobilitas verò univerſa Suollanis haud æqua videbatur. Quod cum Suollanos ureret, ipſi deliberatâ re, abſente epiſcopo, ſtupentibus & attonitis omnibus, ut ſe ab injuria aſſererent, Carolo Geldriæ principi in urbem vocato ſe permiſère, eique ſacramentum dixère. Eâ verè inopinâ re vulgatâ turbati vehementer illius viciniæ proceres ac viri nobiles, ut conſilium ſopiendo tanto incendio caperent, poſtridie, quod erat v Iduum Quintilium, Ommæ oppidulo ad Vidrum amnem haud procul Suollis diſſito coïère. Verùm vix coïerant, cùm à Suollanis emiſſi milites Geldri concilium turbarunt captoſque è nobilitate nonnullos Suollos in cuſtodiam traxerunt. Hoc factum Suollenſium in eos, qui nihil hoſtile parabant, magiſque defectio ipſa à diœceſi maximæ invidiæ ac infamiæ apud omnes ordines ipſis fuit. Illi contra, ut tuerentur nomen ſuum, conſpiratum in ſe ab ordinibus cunctis, imprimis ab infeſtâ nobilitate ferebant, conceptam jam injuſtiſſimam ſententiam, conſilia opprimendi ſui inita, arma ab epiſcopo conquiri; ità contra vim & injuriam patrocinium juſtum ſe quæſiſſe: jusjurandum quidem ſe, uti cæteros, epiſcopo dediſſe, ſed ut patrono ac protectori, non verò ut oppreſſori ac hoſti, in ſalutem reip. ſuæ, non in perniciem: nunc cum ex patrono hoſtis ſit factus, & jus fortunamque civitatis peſſundare in animo habeat, quam fidei ei viciſſim deberi? Sed præter hanc alia quoque cauſa verior memoratur, quæ ad conſi-

MD.XXI. conſilium hoc Suollanos putabatur impuliſſe. Bello enim priore in Geldros geſto, cùm Fridericus Badenſis diœceſi præſideret, ſuſtinendis belli ſumptibus tributa erant imperata, atque his exactores quæſtoreſque per civitates ac præfecturas dati: ab iis finito bello rationes poſtulatæ, eæque promptiſſimè, atque integrè à Daventrienſibus, deinde & à Campenſibus atque aliis redditæ. Soli Suollani in morâ fuêre. Hoc verò cum alii tulêre indignè, tùm nobilitas longè indigniſſimè. Itaque hæc cum iis, qui à conſiliis epiſcopo Philippo erant, monebat eum identidem, inſtabat, urgebat, ut detrectantes ad faciendum officium compelleret. At Suollani, qui hoc intelligebant, aliis atque aliis rationibus repertis rem differebant eludebantque, & intereà cum Geldro hoc, quod dictum, occultè agebant. Gelder turbandæ quietis cupidus, ut Gallo gratum faceret, re ſuſceptâ, Haſletum Suollis proximum oppidum ad Vidrum fluvium, inſidiis appetiit. Sed his non ſuccedentibus ad obſidendum oppugnandumque ſe vertit, fortunâ non meliore. Erat quippè in oppido Releſus Euſumanus Geldricarum partium hoſtis infeſtiſſimus, qui Sneca diſcedens, ubi locupletes nuptias ductâ Bocconis Haringæi filiâ hærede acquiſierat, huc domicilium ſuum tranſtulerat. Ab hoc animati oppidani fortiſſimè oppugnantium impetum excepêre ac rejecêre. Nec multò pòſt Campenſes de periculo oppidi ſolliciti, armatis vicinis ac maximè Vullenhoijs, duce Rodolfo Itterſhemio equeſtris dignitatis viro, ducto in obſidentes agmine, caſtra eos relinquere, & Suollas ſe recipere coëgerũt. Id factum XI Calend. Sextil. Præſidiumque militum cum commeatu ac aliis rebus in oppidum illatum. At Geldri nil turbati hac re, aucto exercitu ſuo, & tertio quoque viro è Geldriâ excito, evocatiſque è Friſiâ claſſiariis, cum claſſe bene inſtructâ eôdem rediêre: primoque adventu Gelmudam in conſpectu Camporum & Haſleti ad Vidri ferè oſtium infra Haſletum ſitam munire aggreſſi, & bis terque ancipiti certamine ab hoſte excepti, victores tandem cœptum tenuêre. Tùm valido præſidio illic conſtituto aliud caſtellum ad pontem Haſleti haud procul oppidi mœnibus erexêre: atque eo quoque perfecto, ad cataractas nigras, quas ita nuncupant ab exitu nigrarum aquarum, itemque in cœnobio ab iiſdem aquis cognominato ſtationem militum collocarunt, atque ita quaternis caſtris oppidum cinxerunt, ut commeatuum copiâ obſeſſos excluderent. Sed nec ſic conſilio eventus reſpondit. Nam non noctu ſolùm, ſed interdiù quoque Ommenſi via, itemque Rugoveno & Staphorſto è Drentiæ finibus commeatus obſeſſis illatus, quanquam copiâ non magnâ. Eo tempore Gelder diſtrahendis hoſtium conſiliis Coverdiam quoque tentaturos, viros, tormenta, & pulverem nitroſum Groninganos popoſcit. Groningani non ſatis in id parati, pauxillum pulveris petiti, & legatum Henricum Elderwoldium reip. à ſecretis in caſtra ad eum miſêre. Cujus oratione auditâ Princeps, omiſſo tentandæ Coverdiæ conſilio, pecuniam iiſdem imperavit ter mille aureos Rhenanos, quorũ mille civitas ipſa, duo millia ager daret, imperatoque obtemperatum. Interim exercitus ab ordinibus diœceſeos ſummâ curâ confectus equitum peditumque, iſque Daventriâ, ubi coïerat, Campos ductus eſt, tentandæ fortunæ in hoſtem, obſidionique ſolvendæ. Sed præter minuta damna illata acceptaque nihil ibi geſtum. Mox aliò conſilium verſum: exercitus idem in proximam Velaviam Geldricæ ditionis regionem immiſſus prædandi causâ, regioque longè latèq; afflicta, obvia omnia direpta, pecudum hominumque ingens numerus captus. Gelder eo cognito collecto repentè exercitu valido, quantâ potuit celeritate in prædantes contendit, eoſque aſſecutus, & magno animo aggreſſus in pugnam deſcendere ſecum coëgit; nec diu præliatus impeditos prædis vicit, fudit, prædâ omni exuit. Cecidere non pauci, multò plures capti, & in his primi nominis viri Ioannes Cruſius Iſſalanæ regionis quæſtor

quæſtor, & Guilhelmus Dortrugus prætor Daventriæ; omnes Suollos in M D. XXI
cuſtodiam ducti: eorum unus honeſtâ familiâ apud Daventrienſes natus
decem & octo vulneribus adverſo corpore acceptis inſignis, cui Guilhelmo
Vordio nomen, ab omnibus iis in cuſtodiâ fæliciter curatus. Ex Geldris
quoque cæſi Hermannus Velenius & Renatus Haeſuuinus cum gregariis
aliquot. Victor in caſtra reverſus exercitus ad Haſletum, relicto in muni-
tionibus præſidio neceſſario, ne deſerere obſidionem videretur, Steenwi-
cum Vltrajectinæ ditionis oppidum petiit, eoque ex itinere fruſtra tentato,
in Drentiam perrexit, ac populabundus Aſſenam & Roldam pervenit.
Ibi caſtris poſitis, ædificiiſque aliquot terroris ciendi gratiâ incenſis, tribu-
to toti regioni imperato, præfecturas parochiaſque adeſſe ſibi ſine morâ,
deque tributo tranſigere juſſit. Drentini, qui diffugerant injuriæ metu,
& Groningam proximumque in agrum ſe receperant, legatis eò miſſis, vi-
catim tranſegêre. Tùm pecunia fœnebris undequaque in urbe conqui-
ſita ad vicies mille auri Rhenani, & in caſtra miſſa, aut obſides ditiſſimi
quique pro eâ dati. Exercitus tributo lætus, ſublatis caſtris Coverdiam con-
tendens, incendii direptioniſq; metu nullo impedimento ab arcis ejus præ-
fecto objecto, quanquàm præſidium in arce validum eſſet, omniaq; ad bel-
lum neceſſaria adeſſent, in apertum exiit. Tuentiâque ſimiliter oppreſsâ at-
que emunctâ Suollos rediit. Medio tempore tumultus civilis Daventriæ re-
pentè exortus, magnaque ſenatus pars honore privata, alii in eorum locum
ſuffecti. Idem Campis paucos poſt dies factum. Et hæc omnia in diœceſi dum
fiunt, Philippus epiſcopus domo aberat. Ad hunc de Suollenſium defectio-
ne cùm nuncius veniſſet Antwerpiæ, & de Haſleto armis appetito Gan-
davi, quò Cæſarem ſecutus erat, turbatus animo, & de rebus ſuis anxius,
capto cum Cæſare conſilio de bello Geldrico gerendo, ductoque ſecum
Guilhelmo Roggendorpio, locorum atque hominum in Friſiâ jam gnaro,
quem armis præficeret, in Hollandiam ſe retulit, & Hornæ conſedit, arma,
militem, claſſem, cætera bello neceſſaria parans. Horum copiâ aliquâ con-
fectâ, Campenſium claſſis, quæ Amſterodami ei occurreret, his ipſis onera-
ta, comitante epiſcopi claſſe, ut contra hoſtes tutior eſſet, ad IV Calend.
Octobr. Hornano à littore domum remiſſa eſt. Eâ fæliciter Campos advectâ,
ſine morâ altera repetito eodem curſu, nullo conſpecto hoſte Hornam prid.
Calend. rediit. Ibi dum ſedit epiſcopus, & moram ex mora nectit, varii de eo
ſermones in vulgo fuêre. Alii catum, nec ſine ratione morantem, in apparatu
totum eum dicere, ut quo tardior, eò gravior veniret hoſti, celeriùſque victo-
riam reportaret: alii aut ſenio ſegnem, aut ingenio ad res gerendas ineptum,
conſiliiq; exprompti inanem putare, eundemq; antè atque extra diſcrimen
prudentem & erectum, in diſcrimine fathiſcentem, denique literis quam ar-
mis meliorem ferre: poſtremò non deerant, qui antè imperium imperio pa-
rem majoremve viſum, in imperio imparem ac minorem ſemet demonſtra-
re jactarent. Nequaquam ſapientiæ eſſe, hoſti graſſandi, diripiendi, exigendi
tributi, pecuniam quàm maximam conficiendi licentiam dare, intereaque
quietum ſedere, apparando bello belli gerēdi tempus perdere, & in hyemem
ſe reijcere, id eſt, inanes ac infrugiferos ſumptus perdendæ reip. facere. Tan-
dem verò, ubi ſatis ſe inſtructum putavit, ad III diem Iduum Octob. claſſem
ingreſſus XL navium viris, armis, omni apparatu bellico, commeatu denique
benè inſtructam ac oneratam, in comitatu habens Benthemium, Sterneber-
gium, Gaſbecanum, Roggendorpium, ex portu Hornami ſolvit, commodâq;
& inoffensâ navigatione Auſtrinum ſinum emenſus primis tenebris ejuſdem
diei Campos appulit: atque ibi ſummo cum honore, ſummoq; omnium ordi-
num gaudio eſt exceptus. Mox excurſiones in vicinam Velaniam factæ, ac
prædæ abactæ: naves etiam aliquot à claſſiaris prædandi causâ emiſſis captæ.

M.D.XXI Contra Geldri circiter idem hoc tempus ex eâdem Velaniâ venientes, ut Daventrienſibus terrorem inijcerent, turrim, quæ ad caput pontis erat, quo Iſala ad urbem Daventriam ſternitur, urbſque ad orientem fluminis in ripâ ſita, cùm Velaniâ regione connectitur, ſubito impetu invasêre, valloque occupato, quo præcingebatur pons, & præſidio vi dejecto captoque turrim ipſam in poteſtatem redactam diruerunt: ſimul ignem ponti injecerunt, quo media penè ejus pars conflagravit. Eo maximo incommodo urbi illato, in ſua redicre. Vrbani dolori indulgentes è præſidio hominem proditionis nefariæ inſimulatum cùm in urbem rediſſet, quaſi cum hoſte de turri tradendâ eſſet pactus, crudeli ſupplicio affecêre. At epiſcopus collectis undequaque copiis militaribus, additâque Campenſium civium validâ manu, Haſſetanis commeatum peramplum, tormenta, pulverem nitroſum, arma, & quæ alia præſidio neceſſaria intulit, præſidioque ex abaco ſuo argenteo ſtipendia ſolvit. Ita animis erecti præſidiarii ſub noctem oppido egreſſi, ad mœnia Suollana tumultu excitato, ſuburbiis ignem injecere; is latè fuſus magnum detrimentum dedit. Geldri viciſſim ſpeculatoriam turrim, quam Davētrienſes non procul urbe ſuâ milite munitam habebant, vi ſubitâ obrutam ceperunt, præſidumq; trucidarunt. Rurſumque in Sutfanienſes vicinos ſuos à Daventrienſibus facta eruptio, Sutfanienſium aliquot intercepti, & in cuſtodiam tracti, Geldrorum ſtatio quoque loco depulſa. Hoc modo belli facinora, ſed haud magni momenti, in Iſalanâ regione alternata. Interea alia parte majoribus viribus res geſta. Chriſtophorus Morſenſis Geldricarum partium ſummus dux in Friſiâ, contractâ benè firma audaciſſimorum Friſiorum manu, intempeſtâ nocte inopinus Steenwicum advolavit, tumultuq; ad mœnia facto, molas eò loci duas incēdio dedit, præſidio oppidano inſidiarum metu commovere ſe non auſo: eo patrato, nullâ re aliâ tentatâ Snecam ſuos reduxit. Hoc velut claſſico in Friſios excitatus aut irritatus Guilhelmus Roggendorpius ſummus belli dux à partibus Vltrajectinis, aſſumpto in cōmilitium Nicolao Wilderſdorpio celebri militū præfecto, cum exercitu ſuo Steenvicum primùm, indè in Cuneranos movit: è Cuneranis, qui Vltrajectinæ ditionis ultimi eâ in orâ ſunt, in Stellenwerfios & Scoteranos agmen rapuit, Oſterſæam illis locis vicum magnū & celebrem incendit, prædas abegit, homines captivos abduxit, pecuniæ magnum modum extorſit. Hinc in Vpſteranos, Smalinganos, Octopagicos profectus, populabundus quocunq; inceſſit, in cœnobio Bergumano & Gerriconio, ac in vico aut foro Collumano tripartito conſedit, tributumq; ab omnibus exegit. Tùm in Weſtergoos converſus Bolſverdiam armis tentavit, ſed cùm clade à præſidio repulſus terrendis agricolis incendia hic illic ſuſcitavit, lociſq; idoneis caſtris locatis, quicquid erat in Weſtrogoâ Geldricarum partium munitionibus non tutum, ingenti pecuniâ redimendis incendiis atque aliis injuriis emunxit. Indè rurſum in Oſtergoam rapto agmine, cùm Leoardiæ extra mœnia cibo potuq; ſuos recreaſſet (amici enim Leoardii erant) in cœnobium Bergumanum & agrum Collumanum reverſus, Dongeranos tributum popoſcit; ſed Geldrici præſidii apud Doccumanos præfecto vetante, repulſam tum tulit. Verùm paulò pòſt, cùm ſæva hyems omnia gelu conſtricta peditibus equitibus pervia feciſſet, trajecto Doccumano amne, qui priùs impedimento fuerat, in Dongeranos infeſtus incurrit, agrum omnem fœdè diripuit, obvia cuncta in prædam vertit, demum vicis quinque incendio vaſtatis, in Fredowoldios trans Lavicam contendit, atque hos ſine maleficio alio permēſus, ſolis eduliis direptis, in Drentiam ſe recepit. Ibi exercitus numero auctus, Roggendorpio aliò profecto, Friderico Tuichelio Coverdiæ præfecto ductore, territorium Selwerdicum circùm Groningam ingreſſus, extortâ ab incolis pecuniâ, indè Duirſwoldios vicinos, ab his præfecturam veterem petiit, & utriſque eodem modo tributo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

tributo afflictis Dammonam conceſſit. Illic caſtris loco capto, cœnobiiſq; M D. XXI
vicinis ac idoneis vicis occupatis òmnes agri incolas in Lavicam uſque pen-
dendo tributo parare ſe juſſerunt. At Groningani his rebus prohibendis
impares, ubi primùm in agrum hinc agmen duci viderunt, ſine morâ miſſis
litteris ad Geldriæ principem, & Chriſtophorum Morſenſem auxilia roga-
runt. Hæc facta exeunte Decembri. Quæ ut læta Burgundicarum par-
tium Friſiis, ita hoc quoque lætiùs, quod tum demum inclinante Decem-
bri, ii quos ad Cæſarem legaverant, domum reverſi, haud aliud quàm qua-
le optatum fuerat, de Geldris Friſiâ pellendis, cæteriſque quæ dixi reſpon-
ſum tulêre. Quæ dum his locis geſta ſunt, bellum in Italiâ pariter & Bel-
gio inter Cæſarem & regem Galliæ ferbuit. Cæſar juncto cum Pontifi-
ce Romano Leone x fœdere, per duces ſuos Ferdinandum Piſcarium &
Proſperum Columnam, juvante Franciſco Gonzagâ ductore Pontificio,
Gallos Parma ac Placentia ejecit, ea oppida Pontifici reddidit, mox in In-
ſubriam converſa vi expulſis ſimiliter Gallis, Mediolanum Franciſco Sfor-
tiæ reſtituit. Nec multò pòſt Leo Pontifex obiit. In Belgio Franciſcus
rex Hannonas atque Anebates, cum magno exercitu invaſit, lociſque ali-
quot captis haud parvum detrimentum, majorem terrorem regionibus il-
lis intulit. Simul Marcanus Galli ſocius Namurci & Brabantiæ fines ex
Leodiis finitimis graviter afflixit: Borbonius quoque Heſdino in Morinis
occupato, Rentiacum à Cæſarianis antè interceptum recepit. At Cæſa-
riani Tornacum Nerviorum ad Scaldim flumen in finibus Hannoniæ Gal-
licarum partium tùm temporis ſtudioſum, longâ obſidione fatigatum in
poteſtatem redegerunt. Anno M. D. XXII, ſeneſcente Ianuario Chriſto- M D. XXII
phorus Morſenſis edicto omnes in Oſtergoâ & Weſtergoâ terruit, vetuit-
que tributum Burgundicis pendere, aut ulla cum iis & Leoardiis habere
commercia. Deinde adulto jam Februario à principe Geldriæ miſſus
Groningam venit Michael Pomeranus, vetus belli dux, cum equitibus
CC optimè inſtructis, & peditibus D. Mox eôdem cum adveniſſet etiam
Chriſtophorus Morſenſis cum militibus aliis CC, Groningani vicinis ſuis
toto agro inter Amaſum ac Lavicam habitantibus denunciarunt, ut ſi
in hoſtium haberi numero nollent, arma quoque ipſi caperent, una-
que cum cæteris Tuickelium invaderent. Simul ipſi oppidani ſclopeta-
rios ſuos univerſos, & validiſſimum ac audaciſſimum quemque è reliquis
civibus non pauciores CCC armarunt quàm ocyſſimè. Tum eductis ex
urbe omnibus vergente jam die, comitantibus omnis generis tormentis
majoribus & minoribus, viis omnibus aſperrimo gelu conſtrictis ſtratiſ-
que, Dammonam properatum: ſed tenebris ingruentibus in cœnobio
Werumano loco oportuno ad quietem nox acta. Eâ famâ perculſus Tuic-
kelius, ſigno dato, multâ adhuc nocte caſtris ſublatis Dammonâ diſceſſit,
in VVeſterwoldios feſtinans. Et quanquàm ſequerentur hoſtes, ſummâ-
que uterentur celeritate, eodemque die veſperaſcente in VVeſterwol-
dios pertingerent, quin & præcurſores in cœnobio Apelano in extremo
agri VVeſterwoldii angulo recreandi militis cauſa ſtativa habentem aſ-
ſecuti eſſent, tamen rejectis iis, iſtinc ſe etiam proripiens antequàm tota
vis hoſtium adveniret, nec uſquam moratus, amiſſis tantum, qui ab agmi-
ne diſceſſerant, cùm cæteris omnibus, cum præda & captivis Coverdiam
incolumis pervenit. Ibi retento, quantum ſatis erat, præſidio, reliquis
longiùs eundi copiam fecit. Ii Steenvicum petiere VVilderſdorpio du-
ce. Michaël & Morſenſis dimiſſis domum Groninganis, Drentiam per-
curſantes, quod reliquum illic tributi, exegêre. Interea ii qui Steenvici
erant, murmurare contra ducem ſuum, paulatimque longiùs evehi, cum

MD XXII pecuniam ex tributo & prædâ Friſicâ confectam intervertere, militem ſtipendio fraudare, furti publici reum eſſe. Et cùm non procul ſeditione ac peſſimo facinore res abeſſet, æquiorum ac moderatiorum ſtudio vix eo tandem deducta eſt, ut Wilderſdorpius velut ratiònes redditurum cum cohortium præfectis & primipilaribus ad præſulem ipſum Vltrajectinum, cujus æra merebant, Campos urbem proximam ſinerent ire. Quo cum veniſſet, ita ſe expediit, præſente præſule & ſenatu ejus, ut omnium ſententiis abſolveretur. At miles eo non contentus, ſtipendia etiam acriùs poſcere, conditiones omnes etiam æquiſſimas à præſide propoſitas reſpuere, nec moram, nec alia in ſolutum oblata admittere, pecuniam ſolam eamq́ue integram & præſentem flagitare: ea ſi negetur, jactare, ad ſolita militaribus ſeditionibus ſe ituros. Et quanquam placandis hiſce omnia moveret præſul, parum tamen potuit promovere: donec tandem exautoratis aliquot, & à ſignis dimiſſis ſolertia Roggendorpij, reliqui poſt aliquot dies & in metu habentes alios, & ipſi ſibi metuentes in varia demùm dilapſi ſunt: è quibus quidam Daniam, ubi tum bellum erat, alij Lubecam, nonnulli caſtra Geldrica petivêre. Hæc res ut ferociores Geldros, ità difficiliora omnia Vltrajectinis fecit. Imprimis Suollani principi Iacobo Wiitmanno ex ordine ſenatorio factioſiſſimi turbulentiſſimiq́ue ingenij viro, qui è cuſtodiâ Haſletanâ evaſerat, inſolentiùs agere, loqui, ſcribere, in epiſcopum proba jacere, ocio literario & umbræ quam reip. gerendos ac ſoli aptiorem, armis planè inutilem, ignavum, timidum, non juſtis natalibus ortum, indignum loco, in quem irrepſerit. Et ut ipſi feroces & arrogantes erant, ità ab aliis viciſſim, qui in partibus epiſcopi cæteros fide ac fervore anteibant, atrocibus convitiis inceſſebantur, fures, homicidæ, proditores, perjuri nominabantur. Nec verbis ſolùm certatum, ſed & factis. A Suollanis & Geldris excurſionibus factis in hoſticum prædæ amplæ abctæ, capti multi, & in cuſtodiam abducti, villæ & vici exuſti: eademq́ue iis ab Vltrajectinis repoſita, agri vaſtati, pons Sutfanienſis oppido cohærens igne corruptus: in his cùm equitum Vltrajectinorum turmæ aliquot in cohortem Geldricam vicina Vollenhoæ deprædantem incidiſſent, pugna conſerta Geldros omnes cæde abſumpsêre, paucos vivos cepêre. Sed præſul animo æger, quod provinciam ſuam affligi, homines innocentes peſſundari, ſe deſpici, hoſtem ſuum ferocem, vicinum, potentem, bello ſuetum ac acrem, propoſiti pertinaciſſimum, ad eum ſuperandum maliſq́; remedium afferendum in ſe ſuiſq́ue non ſatis virium eſſe cerneret, cùm ſex totos menſes Campis velut ſpectator infælicis fabulæ ſediſſet, hoſtemq́; portis aſſultantem ac ſuburbia urentem vidiſſet, conſilium demùm cepit eundi ad Cæſarem, ut eum ad opem ferendam præſens perpelleret. Is in Brabantiâ tum adhuc erat, inter pacem & bellum cum Geldro medius, in pacem tamen pronior, ſi Gelder ſineret, & tum comprimendis civilibus armis & regno conſtituendo in Hiſpaniam cogitas. Itaque præſul cum IV Cal. April. Campis ſolvens comitante claſſe ad cuſtodiam Auſtrini ſinus inſtructa, Hornam Hollandiæ, atque inde itinere terreſtri Bruxellam veniſſet, acceptâ dicendi copiâ, pro eâ quâ valebat ingenij & linguę facultate, ſtudio atque uſu comparatâ, in conſeſſu procerum ipſe eſt Cæſarem affatus; expoſitâque ab ovo, quod aiunt, belli causâ, & fortunâ præſente, exagitato accebiſſimis verbis Suollanorum facinore, & Geldri improbitate ac injuſtâ vi locatâ ob oculos auxilium à patrono & cognato petiit, non modò æquũ ac juſtum, ſed etiam maximè neceſſarium: quippè non ſibi ſolùm peccare Suollanos & Geldrum, ſed exemplo quoque nocere toti reip. eiq́ue peſtem hanc contagioſam infundere: nam ſi viderint omnes, tantum facinus, tam impium ac deteſtabile, utriſq́ue cedere impune, quæ erit civitas, ait, tam abjecta ac vilis, quæ non leviſſimâ quoque causâ repertâ, obſequium ſit exutura, patronúmque inventura? Denique ſic cauſam egit, ut quam optimè ſperare à Cæſare ſit juſſus. Sed Cæſar itineri robuſq́ue Hiſpanicis intentus & bello Gal-

lico

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

lico gravatus, expedire auxilia ipſe non potuit, eamque curam amitæ Margaretæ gubernatrici, & proceribus conſilij Belgici demandavit. Mox per Flandriam, Arteſiam, Picardos itinere facto, & Caleti conſcensâ claſſe, quæ iſtuc ex Hollandia Selandiáque appulerat, in adverſam Angliam trajecit: atque ibi à rege benignè acceptus habitusque, totoque cum eo menſe commoratus, principio Iulij in Hiſpaniam porrò ex Anglia navigavit. Interim præſul de fortuna belli à ſuis edoctus Margaretam & reliquos proceres, imprimis Hogeſtratanum conſilij principem, precibus fatigabat. Nam cùm vixdum domo ipſe moviſſet, Morſenſis & Pomeranus armatis Sevenwoldiis & Stellenwerfhis viris fortiſſimis, & his conjunctis cum cohortibus ſuis Stenvicum invaſerant, oppugnarantque magnâ vi. Sed inerat in oppido cohors militum haudquaquam iners trecentorum capitum, & cum his valida vicinorum manus ex agro, iisque omnibus vir fortis & rerum militarium peritus præſidebat. Itaque irrita ea oppugnatio fuit. At Michaël Pomeranus non fractus animo, adversâque fortunâ exſuſcitans ſeipſum, quarto die pòſt inſtaurato conatu, majore etiam vi quàm priùs oppidum eſt aggreſſus. Nec ſegniùs reſtitit quoque tunc præſidium: certamenque atrox eſt ortum, fortiter & pertinaciter pugnantibus utriſque. In quo dum hortatur ſuos, dum urget, exemploque præit, atque pericula prima ipſe occupat, Michaël hoſtili globo trajectus occubuit, inclytæ famæ vir ac verè Martis alumnus, non Galliæ minùs quàm Germaniæ ſuæ notus, regi Gallo longè chariſſimus. Habeo autorem, qui ſcribit, in matrimonio eum habuiſſe genitam ex fratre non legitimo Geldriæ Principis, magnoquu auri pondere Principi mutuò dato arcem Hattumanam pignoris loco ab eo tenuiſſe. Et Gerardus Geldenhaurius Noviomagus, illuſtris doctrinæ homo, qui Vltrajectino præſuli à ſecretis iſto tempore fuit, ſcriptum reliquit, Carolum v Cæſarem, cui inviſus Michaël Gallicarum partium ſtudio erat, ut hominem in odio poneret, literis vulgaſſe, religione Iudæum eum fuiſſe, veróq; nomine gentilitio Iechovium dictum; eo diſſimulato cùm ordines cœpiſſet ducere, Michaëlem Erneſtum Bamelbergium dici voluiſſe. Cùm eo cecidit alter vir bello nobilis Warnerus Spegelius, priùs quoque nobis memoratus. Periêre & alij multi in ipſo valli aſcenſu, & foſſâ. Chriſtophorus Morſenſis, deſperatâ re, receptui cecinit & exercitũ abduxit. Res hæc geſta pridie Cal. April. Geldriæ Princeps clade acceptâ ignominiæ impatiens, ut cladẽ doloremq; hoſti reponeret, majoribus viribus invaſurus Steenvicum confectis undequaq; copiis, Groninganos quoque auxilia popoſcit. Hi civium auxiliis recuſatis (nam & hæc ille petierat) tormenta ænea magnæ molis cum pulvere nitroſo & reliquo apparatu miſêre, deducentibus oppidanis ſclopetarius Roldã uſque, tormentorum curæ præpoſito Eiſone Iargeo è ſenatu, rei tormentariæ imprimis perito. Verùm Geldricus exercitus Devoram & Haveldam progreſſus cùm intellexiſſet præſidium majus cum commeatu & armis in oppidum illatum, projectâ, quam conceperat, ſpe, & pede repreſſo, ne quid inopini in aperto pateretur, Suollam ſe recepit. Tormenta Groningam remiſſa & in urbem reducta IX Calend. Maij. Circiter hoc tempus, nondum profecto è Belgis Cæſare, manus militum aliqua, connivente Cæſare, ex Hollandiâ in Vltrajectinos ſe contulêre. Palam enim mitti à Cæſare ob inita dudum pacta non fas putabatur. Hi duce Georgio Tautenborgio, numero MD, conjuncti cæteris, qui præſulis ſtipendia faciebant, Corfhuſio circumfuſi (id caſtellum erat ad pontem Haſletanum, de quo dixi, excitatum, à corbibus ſic dictum) deditionem imperant: recuſantibus ac vim expectantibus ſuſpendium ſine diſcrimine aſperis verbis minantur. Præſidiarij cum præfecto Ioanne Brunone metu perculſi trepidantiùs quam par eſt, deditionem faciunt, & Suollam ſe conferunt. Illic more militiæ accuſati, velut inertes ac immemores fidei & militari cingulo indigni, ignominiâ notati omnes, præfectus cum

MD XXII

M.D.XXII uno atque altero exempli causâ ſuſpendio affectus morte turpi vitam finiit.
Caſtello diruto, exercitus ſine morâ ad v diem Iduũ Maij Gelmudam ductus
validis operibus & firmo fortiq; præſidio munitã, præfecto præſidii Gaſparo
Marvico. Ab hoc feroci poſtulato cùm ferociùs reſponſum eſſet redditum,
obſidio inſtituta eſt, caſtraque communita, omnes aditus & exitus obſeſſis
clauſi, navis ingens quæ portum hactenus ſervarat commeatuque ab ea parte
te incluſas prohibuerat, ingentium trabium vallo ab omni parte ſepta propiùs
piùs oppidum locata caſtelli inſtar, tormentiſque ingentibus inſtructa ad
fulmina in obſeſſos jacienda. Nec dubitabatur, quin deditio brevì eſſet ſe-
cutura. Sed Gelder haud ſocors animo, ſuos exſuſcitat, Suollanos hortatur,
armatque quos poteſt, omnia properat, quod periculum in morâ eſſe videre-
tur. Igitur Suollæ coactis cunctis Gelmundam agmen raptum, inſigni &
præcipuo Suollenſium ſtudio, quorum major pars arma in prælium hoc in-
duerat: & cùm Sonnebergam vicum veniſſent, exercitus robore inter vi-
cum hunc & aggerem proximum conſiſtere juſſo, velites ac ferentarii ſclo-
petis armati in hoſtem præmiſſi circiter CCCC. Quo viſo, qui in caſtris erât,
caſtrorum præſidio cohorte non plus unâ relictâ, ſigno dato venientibus ob-
viam feruntur prælium facturi. Quibus egreſſis & in hoſtem intentis, obſeſſi
magnis animis oppido effuſi caſtra invadunt, cohortemque loco dejectam
in fugam agunt, longiùſque turbantes ſecuti, clauſtrum aquarum in aggere
defoſſum à fugientibus tranſmiſſum rumpunt, reditumque in caſtra impe-
ditum faciunt. Intereà cum velitibus, quos dixi, prælium ab equitatu Vltra-
jectino, qui agmen reliquum antecedebat, commiſſum, in quo denſus glan-
dium plumbearum nimbus à velitibus intrepidè промociterque ſubeuntibus
emiſſus, equeſque conſternatus amiſſis multis, in fugam nullo ordine effu-
ſus, & in ſuos illatus fœdiſſimæ confuſioni, trepidationique exitioſiſſimæ
cauſam dedit. Nam pedes quoque turbatus inſtanti hoſti terga vertere cœ-
pit: & jam nemo pugnæ memor, omnes fugæ intenti, impellentes impedien-
teſque ſe mutuò, quà quiſque potuit, eripere ſe hoſti vitamque ſervare co-
nati ſunt. Eques in clauſtrum illud raptim incurrens, nec progredi longiùs,
nec regredi, nec in latus quoque flectere fugam potuit. Omnes ab hoſte
premente aut capti, aut aquis merſi, nonnulli etiam cæſi. Peditum multi
incilibus foſſis ſuperandis expeditiores, Haſſotum, aut in naves in amne ſtan-
tes, earumque ope amne trajecto Vellenhoam, Steenvicum, aliaque in loca
evasêre. Sed aliquis quoque eorum numerus conciſus, aut aquis hauſtus:
Nam maxima pars poteſtati hoſtis ſe permiſit. Magna res & admiratione
digna à paucis patrata. Nam robur exercitus, de quo dixi, pugnæ non ad-
fuit, reique geſtæ ſupervenit. Victores læti Gelmudâ recreatâ partim Suol-
lam rediere, longum captivorum agmen agentes, in quo equites CXXX, pe-
dites, ut Sicco Beninga ſcribit, ad M. CCCC. cum ſignis militaribus in trium-
pho oſtentatis IX: partim in Drentiam ad excoriandam plebem ruſticam
ſeſe intulêre vicinaque Groningæ, quò tutiores à periculis eſſent, & com-
meatuum copiam haberent, inſederunt. Inter captivos non pauci è nobi-
litate fuerunt, & in his Ziallingus Bottinga Friſius, equeſtri cingulo ornatus.
Tautoborgius exercitus dux vix manus hoſtium evaſit. Et hæc ferè extra
Friſiam. In Friſiâ res Geldricæ ſenſim prolapſæ culpâ rectorum. Anno
priore, cum prædabundi Burgundici agrum procurrerent, plebs ruſtica, ceu
fieri ſolet, quicquid rerum ſuarum poterat, in oppida aut caſtella intulerat.
Deîn, cùm tempeſtas ea tranſiſſet, ſingulique res ſuas repetiſſent, à Geldris
repulſam tulêre. Commeatuum quoque copia libera in oppido Snecanis
iis negata. Neclicitum iiſdem erat commercia cum Leoardiis, Franequera-
nis, Harlinganis, cæteriſque Burgundicarum partium hominibus, populari-
bus ſuis habere, non vendere, non emere, non permutare. Ita namque utrà-
que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

que à parte graviſſimis verbis edictum. Hinc omnium rerum penuria plebem per agrum ſecuta. Ea indignationem furorémque animorum traxit, furorque non Geldros ſolùm, ſed in oppidanos quoque verſus, ſæpèq; mors ex oppido egreſſis his ipſis negotiorum cauſa à frementibus intentata, eoque metu intra mœnia oppidani omnes concluſi. Hoc modo plebs ipſa oppidana, cui lauta domi res non erat, ad eandem quoque cum agrariâ penuriam rerum omnium redacta eſt. De quâ ſi quis queri audebat, eum in vincula ſe datutos, & in Geldriam deportaturos Geldri minitabantur. Indè jam non occultum murmur, & animorum à Geldris alienatio, ſuffunditur frigidam egregio aſtu, qui Burgundicis tacitè in civitate favebant. Eo animadverſo, Morſenſis, qui Slotæ tum erat, periculo motus cœpit agitare conſilia de milite peregrino, quâ arte, quâ vi, in oppidum inducendo, ſtruendoque illic, & civium cervicibus imponendo caſtello. Sed cùm modum horum non reperiret, aliud iniit, ut oppidum tormentis ac re tormentariâ exureret. Itaque cùm ad Steenvicum ſecundò invadendum Geldri ſe pararent, ex compoſito à Cancellario propoſitum ſenatui eſt, petere Principem tormentorum uſum ad oppugnandos Stenvicenſes. Senatus vero, quamvis Geldricarum partium ſtudio inhæreret, tamen reſpondit, ſine XXXVI delectorum conſenſu id concedere ſibi non licere: ad hos re relatâ, nihil impetratum, ſive quòd ſuſpectum conſilium eſſet, ſeu quòd per ſe non eſſe ex uſu civitatis putaretur. Sic hac quoque ſpe lapſus Morſenſis, ut ſcribit Vorperius ſpectator fabulæ hujus, aliò ſe vertit. Iuſſit per ſuos, quos Snecæ habebat, vocè præconis publicari, ſi qui è plebe ſtipendia merere, & Altenæum Caſtellum petere cum præfecto Hermanno Hellio averent, ut Slotam venirent, binoſque aureos autoramenti loco caperent. Id verò ideo facere putabatur, ut tenui audacique plebe hoc hamo captâ, & ex oppido abductâ reliquis liberiùs poſſet imperare, ac in obſequio habere. Quamobrem hoc metuentes ditiores, conſilium ex re mutuati, confectâ repentè pecunia qualicunque Heinoni cuidem Drieſchio homini audaci & expromptì ingenij tradunt, & cum eo, quod facto opus, conſtituunt. Heino avertendis animis ab expeditione Altenæâ, præparatâ re colloquiis privatis cum fidiſſimis, itidem per præconem pulſatò tympano ſignificat, ſi qui autorari velint, & ſecum mare tentare ac hoſtem prædari, his ſe aureum in capita daturum. Sed vix præco cœperat, cùm à Cancellario & conſulibus interveniens apparitor ſilentium ei indicit. Eo ad Heinonem relato, ille convocatis conſilij ſociis cum his in curiam tendens, Cancellarium in curiâ præſentem cæteroſque turbidus minaxque interrogat, quid ita præconem proclamantem inhibuerint? an ignorent, magnam civium partem fameſcere, & vix ægram animam cum totis trahere familiis? an neſciant, aliquâ re cœpta eſſe opus, ſuſtentandæ miſerrimæ fortunæ? an conſilij ipſorum ſit, qui eſurie jam langueant, eos fame porrò perimere? Perculſis omnibus in ſenatu, trepidante Cancellario, & vix pauca pro ſe proque præſentibus promente, bonúmque publicum prætexente; atqui nimis diu jam illuſum nobis, ait idem: quem tandem technarum hujuſmodi fore finem? Simulque omnes gladios ſtringunt, velut impetum in ſenatum Cancellariumque facturi. Illi pavitantes per poſticum, per gradus per feneſtras ſe eiecere, & in ædem Cruciferorum proximam, velut aſylum, confugêre. Eodem momento commotus populus, correptis armis ad curiam frequens concurrit, claves portarum & portuum Geldris adimit, ſenatum veterem Geldris ſtudentem abrogat, novum alium ſurrogat: muneribus militaribus & civilibus præfectos, claſſiarios, & quotquot ſtipendia Geldrica capiebant, aut jusjurandum dare civitati nolebant, oppido expellit: denique portarum portuumque clauſtra & clavos, ne quis fraudi locus ſit, mutari curat. His rebus auditis Morſenſis, qui majorem hyemis partem Slotæ ſederat, poſtrid. Calend. Maij Snecam veniens MD XXII

MD XXII ſenatum utrumque veterem & novum convocat, in cauſas tumultus inquirit: poſt multa ultrò citroque dicta in diem tertium omnes adeſſe rurſum jubet. Is dies cùm veniſſet (erat verò III Non. Maij) qui erant ex ſenatu novo rem ab origine exponunt: *Geldros Geldrisq; addictos variis injuriis plebem ruſticam vexaſſe, vinctosq; & malè mulctatos extorquendæ pecuniæ gratiâ Snecam traxiſſe, atque illic in vinculis habuiſſe; ideo exacerbatam in cives eandem plebem graviter exarſiſſe, nec reliquum locum tutum per agrum civibus fuiſſe: claſſiarios quoq; prædam terrâ mariq; benè aut malè partam in oppidum hoc comportaſſe, interq; ſe diviſiſſe, civitatem totam hac re in magnâ invidiâ atque odio apud populares pariter atque exteros, apud vicinos atque longinquos poſuiſſe: iſta tolerari diutiùs non potuiſſe.* Ad hæc Morſenſem interrogant, *ſciret ne rationem centum laſtas ſecalis in uſum civium inferendi in oppidum, quarum precium cederet in ſolutum debiti, quo Princeps civitati ex ſyngraphâ anni ſuperioris erat obſtrictus?* Tum Morſenſis, *non defore ſibi rationes frumentum importandi, quantum ſatis ſit, ſi cives conatus ſuos volent juvare. At de clavibus*, ait, *quid dicitis? eaſne reſtituere mihi, ſi non omnes, at ſaltem earum partem cogitatis, ut poteſtas introitus exitusq; mihi vobiſcum ſit communis? Nos verò*, reſpondet ſenatus, *ſine aſſenſu* XXXVI *virûm hoc tibi tribuere non poſſumus: ijs conſultis perendie reſpondebimus.* Ita dilata tum res, & poſtridie in concilio delectorum XXXVI virum de ea deliberatum. Idibus Maij, qui erat perendinus cùm Michaëlem Harſtenium, virum nobilem, cum ſcribis duobus Morſenſis ad ſenatum miſiſſet reſponſum poſcens, ſenatus reſponſi loco hæc poſtulata proponit, *ut civibus tricies ter mille aureos florenos ſolvat, quos Suartzborgius & Erclenius nomine Principis civitati promiſerant ſeptem antè annos, cùm primùm milites Geldri in Friſiam venirent: quòd ſi eam ſolutionem ſtatim præſtare non queat, ut pro eâ pignus tradat arcem Slotenſem: ut laſtas ſecalis* L *inferri in oppidum curet ſolvendis nominibus anni prioris: ut eam immunitatem & ſecuritatem in itineribus faciendis, in emendo, vendendo, negotiis gerendis Snecenſibus præſtet, qua civitates Geldriæ utuntur. Quæ ſi fecerint, civitatem in obſequio manſuram; ſin minus, alia omnia metuenda.* Et hæc ſcripto ſignata Harſtenio tradunt ad Comitem referenda. Morſenſis velut in bivio hærens, & cuſtodiam metuens ſi neget, quod præſtare non poterat (unde enim tanta ei tam ſubitò pecunia?) mutatâ cum ſatellite veſte, alieno & ignoto habitu, puerulum ferens, comitante fœminâ pueruli matre poſtridie primâ luce naviculam ingreſſus ex oppido fugit, curſuque devio Bolſverdiam versùs Slotam contendit, dolentibus Snecanis fruſtraque cum celeribus ſcaphis ſummâ remigum contentione perſequentibus. Qui ſi eum retrahere potuiſſent, obſidem ſolutionis, ut metuerat ille, habituri fuiſſent. Nec diu poſt Cancellarius Hubertus ſibi quoque metuens clam Snecâ profugit, & Slotam venit. Hos reliqui è familiâ & miniſterio Morſenſis ſunt ſecuti. Dein aliquot elapſis diebus, Harſtenius Snecam reverſus literas à Morſenſi affert. His literis jubentur oppidani, Harſtenio, ut legato Morſenſis parere. Sed is aliud agens, per homines fidos, qui Geldricarum partium erant, egentiſſimos quosque ad merenda Principis ſui ſtipendia invitat, aureos quaternos menſtruos promittit, optionem proponit, utrum in Altenæum caſtellum ire, an domi manere & in fide Ducis eſſe malint. A multiſque nomina ei jam data, cùm ſenatus, indicio accepto, ſe interponit, publicoque edicto vetat, ne quid fiat hujuſmodi: ſimul mandat, ut ſi qui ſymbolum accepiſſent, id reſtituant. Ex his parebant quidam, quos patriæ amor & caritas ſuorum movebat. Alij cùm potu fortè incaluiſſent cum Harſtenio, correptis armis in curiam cum eodem feruntur, cædemque ſenatus conclamant. Senatus, qui in curiâ erat, exterritus, in ædem vicinam celeriter ſe abripit, abditque. Sed dicto citiùs ad ſonitum campanæ excita meliorum civium multitudo Harſtenium in fugam agit, & cum omnibus captum cuſtodiæ mancipat. Sociorum nemo occiſus, ſed alij poſt alios exilio mulctati. Ipſe

Harſte-

MD.XXII

Harſtenius negligentiùs cuſtoditus, ope fautorum cuſtodiâ atque oppido elapſus eſt. Erat eo tempore Leoardiæ patria extorris Sicco Liaucama Snecenſis. De hoc ſparſerant Harſteniani, vulgoq́; perſuaſerant inſidiari eum patriæ, civiumq́; cædem malaq́; alia parare. Id ægrè ferens ille, innocentiæ fidens ſenatui ſcribit, cupidum ſe eſſe tuendo nomini ſuo & depellendæ calumniæ patriæ ſe ſiſtere, ſi fide publicâ liceat. Venitq́; paulo poſt, & deterſâ calumniâ, in patriâ manſit, ſedemq́; habuit quoàd vixit. Inter hæc, quo tempore Gelmuda obſidebatur, Geldro-friſij, (ſic tum vulgò dicebantur, qui Geldricarum partium erant) cum claſſe liburnicarum XX, Texelanos, inſulam à continente avulſam habitantes incurſu ſubito obruerunt, tributoq́; X millium aureorum Philippeorum à perculſis extorto, obſidibusq́; in hunc finem acceptis, indè in Wiringios proximos, & ipſos quoque inſulanos, impetum verterunt, ibique incendiis longè lateque factis ad obſides tradendos tributumq́; promittendum incolas perpulere. Vniverſa hæc res plus invidiæ quàm emolumenti cauſæ publicæ attulit, & verè unguis in ulcere fuit. Ad diem IV Calend. Iunij Morſenſis Slotâ literas dat ad Snecenſes. Ait, mirari ſe, quid iſtic recipiantur agantque homines Geldricarum partium hoſtes: id & cum Principis mente ac juſſu cum pactis conventis toties repetitis, cum fide ac jurejurando ipſorum pugnare: petere ut ſignificent ſibi, quorſum id pertineat: His monita addit, & minas, ſi quod facinus cogitent. Poſtremò conventum denunciat indixiſſe ſe Bolſverdiæ ad diem proximum à Calendis Iunij, & poſcit, ut ad eum legatos cum idoneis mandatis ac poteſtate mittant: illic de mente ac voluntate Principis plenè accepturos. Adfuêre Bolſverdiæ ad diem dictum in æde Franciſcanâ Morſenſis ipſe, Cancellarius Hubertus, legati omnium ordinum Geldris adhærentium, & cum his quoque Snecenſes. Ibi per Cancellarium Morſenſis ad Snecenſes converſus, quamnam cauſam tumultus popularis habuiſſent, cur militem ſine Principe conduxiſſent, quid ſibi vellet, quod Heino eſſet profeſſus, aliquem ſe noſſe menſtruum ſtipendium aureos quaternos militaturis pollicentem daturumque, coram præſentibus juſſit edere. Illi motus ſontem eundem expoſuêre, quem dudum, civium ſuorum inopiam & famem, ac mala cætera antè recitata: militē ſe non alium quàm cives inopes conſcripſiſſe; horum egeſtatem extremam ſtipendio tenui levare ſe voluiſſe: Heinoni calumniam eam comparatam ſine vero, nequiſſimosque homines teſtes in eum conductos. Cùm ſurgeret diſputatio, placuit deligere binos ex ordine ſacro, ex nobilitate, ex ditioribus è plebe ruſticâ, qui cognoſcerent hæc pleniùs & definirent. Sed inveniri potuit nemo, qui judicium hoc in ſe vellet recipere. Videbant enim æqui plus penès Snecenſes, paratā offenſam ac injuriam à Morſenſi verum juſtumq; cenſentibus eſſe. Igitur Morſenſis capita quædam ipſe tranſigendæ rei propoſuit, tradiditq́; Snecanis, ut ad ſuos referrent. Ea fuêre hæc: *Oblivio eſſet & inductio omnium præteritorum, cum cautione idoneâ ſervandæ fidei à Geldris. Si quem tumultus hujuſce commiſſorumq́; affinem ob cauſam aliam contingeret argui ac prehendi, is non alibi quàm in Friſiâ coràm judicibus ſolitis & more patrio receptis ſiſteretur, eiusq́; rei ſponſor fieret ſenatus Bolſverdianus: Sicco Liaucama, ſi vellet in oppido maneret hac lege, ut jusiurandum det Duci Geldriæ quale reliqui ordines, aut ſi jusjurandum jam dederit Principi alteri, id quidem ſervet, ſed tamen juret, honorem commodumq́; Principis Geldri nec factis nec verbis ſe oppugnaturum: Gubernatori ſummo liber ingreſſus egreſſusq́; pateret Snecæ cum familiâ ac ſatellitio ſolito non excedente capita XVI. In hæc Snecenſes cautionem quoq́; præſtarent, & fideiuſſorem darent ſenatum Bolſverdianum: deniq́; civitas utraq́; ſigillo publico hæc pacta firmaret.* Atque hoc ſtatim factū à Bolſverdianis. Legatis Snecenſiū additi viri graves reliquorū ordinum, qui actioni Snecæ adeſſent, ne quid non ex fide a legatis fieret. Sed Snecæ res hæſit, recuſante populo & Geldris diffidēte. Simul aliud tum accidit, quod ſpem conſiliumque Morſenſi turbavit. Ianco Dowemius, Iuuo Iuueſmæus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M D.XXII Ianco Vnamæus, Sicco Galatnæus, injuriis Geldricis agitati, ut eſt antè narra-
tum, totâque non ſolum Friſiâ, ſed & Vltrajectinâ ditione ejecti, Monaſterij in
Weſtfaliâ tandem ſedem quietam repererant, invitis inimicis & in his ipſo Gel-
driæ Principe. Hi deſperatâ reconciliatione cum Geldris, Carolo Auſtria-
co Hiſpaniarum rege ad Imperij Germanici faſtigium promoto, illecti occa-
ſione mox ab inauguratione Coloniæ eum adiêre. Sed tum in tempus aliud
rejecti ob multitudinem negotiorum præſentium, in Belgicum eundem ſecu-
ti ſunt, nec antè abſtitêre quàm tandem negotium peregiſſent. Id factum
Brugis in Flandriâ, adulto jam menſe Majo, paulò antè quàm Cæſar in An-
gliam trajiceret. Nec ſolum ipſi in fidem recepti à Cæſare conditionibus
bonis, ſed etiam ſtudio eorundum poteſtas facta omnibus, qui adhuc cum
Geldro faciebant legibus iiſdem in fidem Cæſaris ſe conferendi, literæque
fidei hac de re cum pactorum formulâ iis datæ die XIII Calend. Iunij: au-
xilij militaris quoque ſpes facta. Profecto Cæſare, rem ſuam urgente Vl-
trajectino, aſperante animos injuriâ & vi in Wiringios & Texelanos homi-
nes Cæſarianos à Geldris illatâ, conventus Ordinum Hollandiæ Dordraci
conflatus, præſente Margaretâ Cæſaris amitâ, & Antonio Laleinio, Comi-
te Hogeſtratano, Hollandiæ præfecto. Ibi auditis pacis conditionibus, quas
Geldrus Vltrajectino ferebat, atque ob iniquitatem rejectis, ſollicitante
Iançone cum ſociis, ſtimulante Teutoborgio ignominiâ cladis Gelmuda-
næ ægro ejuſque abolendæ percupido, decretum de Staverâ occupandâ val-
loque munienda: eique negotio Teutoborgius præfectus. Ab hoc quàm ce-
lerrimè mille militum manus parata præter foſſorum maximum numerum,
omneſque Enchusâ, Medenblico, Hornâ uno tempore Staveram repentè
tranſvecti, comitantibus quos dixi viris è nobilitate Friſicâ quatuor. Tum
ſtatim occupato loco opus inchoari, foſſa, vallum, propugnacula, erinacei;
foſſores, fabri, mercenarij alij in labore, milites in ſtatione & excubiis eſſe, ip-
ſi quoque opus per vices capeſſere. Morſenſis inopinâ re turbatus, diffidens
copiis præſentibus, evocat cohortes ſocias in Drentiâ ſedentes, undique mili-
tem accerſit, numerum auget, quantum poteſt, de omnibus Principem cer-
tiorem facit. Contra Teutoborgius manum eam, quam Ordines Friſici con-
tra incurſus militum Vltrajectinorum conſcripſerant, Clarocampi hærentem
capitum D. ſibi jungit, rem cœptam ſummo ſtudio feſtinat. Qui in Drentiâ
erant, quique Groningæ, ſenatum civitatis auxilia poſcunt in Teutoborgium
dimidium numerum omnium civium, tertium quemque ex omni agro inter
Amaſum & Lavicam. Quo denegato, cohortem voluntariorum è civibus &
ruſticis, inſignem numero ac viribus, à ſenatu ex tempore ſcriptum, cui ſigni-
fer Ioannes Hillebrandus, præfecti Petrus Vlgerus, Rodolfus Mepſchius præ-
erant, adſciſcunt ſibi, & equites pediteſq; Doccumum properant. Illic morati
biduum, auctiq; numero ex Octopagicis & cœteris in eâ viciniâ, die XIII Cal.
Iulij Clarocampum primùm, mox Hortum Mariæ petunt, indè in agrum Bil-
tanum ſe effundunt, eum incendiis & populatione graviſſimè affligunt, omnia
agunt, ferunt, fœdant, tum proxima Harlingæ & Franckeræ totumque illum
tractum feliciſſimum totius Friſiæ diripiunt, atque ita præda ſaturi ac onuſti
Doccumum revertuntur. Id tum Geldricæ militiæ ſolomne, inermes & inno-
cuos affligere, & eorum miſeriis rapacium militum libidini ſatisfacere. Relicto
dein Doccumi equitatu, pedites per Smalinganos & Opſteranos Slotam con-
tendunt, exceptis qui merebant in cohorte Groninganâ, qui cùm in agrum
Smalinganũ veniſſent, clam deſerto vexillo & præfectis cum pauciſſimis aliis,
ſubduxere ſe, & domũ cum dedecore rediêre. At Morſenſis his viribus auctus,
milite ex itinere tridui quiete recreato Staveram ducit velut hoſtem aggreſſu-
rus, ſed diſcrimen metuens & tutius cum inermibus & pacatis rem gerere
putans, cùm quatriduum caſtra propè hoſtem habuiſſet, nec fugere cum

ſine

ſine pugnâ locumque deſerere videret, relictâ à ſiniſtris Staverâ Worcumum MD.XXII proficiſcitur, in litore, ut ſæpè dictum, portu egregium, & aggere munitum. Erat enim oppido turris velut ſpecula Flevi oſtio impoſita, prædonum inſtituto percommoda. Nam ſi quid navium eo tractu aut hærere aut incurſu eſſe è ſublimi viderent, in iſtas ex portu ſuo ferebantur. Itaque tum cùm iſtic Morſenſis cum exercitu ſederet, complures naves onerariæ Flevi alveum ſubire viſæ, deſiderium prædonum avarorumque militum accenderunt. Quapropter completâ claſſe liburnicarum & navigiorum aliorum, quorum copia & Worcumi & Maccumi in portu proximo erat, in onerarias evecti, eas capiunt, & in portus ſuos trahunt. Erant hæ naves pleræque Hamburgenſium, Bremenſium, Stadenſium, quibuſcum Groningani, ut & Bolſverdij, communi fœdere Anſatico jungebantur quædam etiam Holſaticæ. Quas cùm luſtraſſet Morſenſis exercitus univerſi dux, æquus nimirum judex, homines quidem liberos eſſe jubet, ſed cætera cuncta ſine diſcrimine, propterea quòd in Hollandiam veherentur, Principi ſuo, & ſibi, & prædonibus addicit. Statimque diviſa ac diſtracta omnia, nec preces, nec rationes querentium navitarum ac mercatorum auditæ, nec Groningenſium per literas legatoſque interceſſio. Vnum certumque jus prædonum ſocietati, habendi libido. In prædâ magna vis tritici & ſecalis fuit, oportuna inopiæ præſenti, qua tum maximè laborabatur. Hoc trophæo ſtatuto, poſt dies aliquot exercitus in agrũ Lemmeranum reductus eſt, atque illic claudendo itineri ex Vltrajectinis in Friſios vallum loco oportuno jactum, eique præſidium impoſitum. Tum militum pars ad Principem Carolum Suollam miſſa; eodemq; equites, qui Doccumi hæſerant, quiq; Groningæ erant quorum præfectus Selbachius, diverſis itineribus primùm, deinde in Drentiâ conjuncti, profecti. Simul Petrus Vlgerus, & Rodolfus Mepſchius & Ioannes Hillebrandus cum commilitionibus decem Groningam rediêre. Iam Tautoborgius opus abſolverat Staveræ, ut ad reliqua agenda videretur expeditior. Itaque omnes ordines adeſſe ſibi Harlingæ ad diem XI Cal. Auguſti, & mentem mandataq; Cæſaris accipere, & ſecum reip. conſulere juſſit. Quò cum veniſſent frequentes, qui earũ partium erant, refutatâ vetere calumniâ Geldrorum contra Teutoborgium repetitâ, quem ferebant, abſque mandato Cæſaris aut amitæ ejus in Friſiam rediſſe, dein reip. curâ commendatâ, quid inter Dowonium ſocioſque & Cæſarem actum, quæ ipſis poteſtas mandataque data, quod caput actionis erat, recitatum, his omnibus fides literis ſignoque Cæſaris facta. In literis perſcriptum erat, Ianconem cum ſociis à Cæſare in gratiam & fidem receptos legibus iis quæ conceptis verbis in chartam relatæ, & ſigillo ſignatæ ſint: omnibuſque in Friſiâ poteſtatem fieri iiſdem legibus in gratiam fidemque Cæſaris, ſi volent, ſeſe conferendi. Leges Publicâ voce recitatæ hujnſmodi fuere: *Omnium præteritorum oblivio ac venia eſto: ex universâ regione inter Flevum & Lavicam flumina aureorum florenorum millia* XIIII *annua Cæſari penduntor, excepto agro Biltano, & cæteris quæ Cæſaris propria ſunt; præterea ab eo ex omni provinciâ nihil exigitur petitorve: Biltanus ager ſi minoris eſſe deprehendetur, quàm quanti æſtimatus eſt,* (æſtimatus erat LX millibus aureorum eorundem annuis) *id à populo uſque ad æſtimationis modum præſtator; ſed ager tam latè cenſeatur atque aggere cingatur, quàm latè patebat, cùm primùm aggere ſeptus fuit, idq; Cæſar curato impendio ſuo: ager Lavica & Amaſo finitus millia aureorum ſimilium* VIII, *quot Edſardo dudum, nunc Geldro pendit, quotannis Cæſari ſolvito: jura omnia & immunitates eadem, quibus jam utuntur fruuntur ij qui nunc Cæſarianarum partium ſunt, omnibus in fidem Cæſaris ſe ſponte conferentibus nobilibus oppidanis, ruſticis integra conſervantor ſine dolo malo.* Sed non placuêre iſta pleriſque è nobilitate, qui aderant, ait Vorperius; non quia non bona erant, ſed quod conciliatores diſplicerent, in quos invidiâ ac odio laborabant: Quippè Ianconem totius rei

MD.XXII ducem inſtabilem animo & varium à Saxonibus ajebāt defeciſſe,& Geldros
in Friſiam induxiſſe, virorum multorum nobilium ipſius inconſtantiam
non probantium, ac in fide priori manentium cenſus intervertiſſe, res
raptaſſe, uſſiſſe, vexaſſe: nunc recèns, offenſum à Geldris, damnatâ eo-
rum causâ cum Cæſare rediſſè in gratiam: nec diſſimiles ab eo ſocios. Ita-
que his gloriam dandam tantæ rei confectæ non putabant. Sed aliud ſi-
mul addebant ſpecie honeſtius: metuere enim ſe dicebant, ne nova hæc
prioribus cum Burenſi jam ſeptimum antè annum initis conventis deroga-
rent. Opinio quoque fuit, Teutoborgium ſiniſtro affectu in Ianconem la-
borantem occultè impedimento fuiſſe. Placuit tamen pluribus, ut delecti
ex omni numero legati in Brabantiam mitterentur, qui publico nomine
hac de re cùm Margaretâ Auſtriacâ agerent: editique à nonnullis legati
ſunt, ſed quòd diſcreparent ſuffragio in edendo, legati non abière. At Ian-
co dolens rem tantam tam fæliciter cœptam, æmulatione ac invidiâ diſpe-
rire, aſſumpto ex ſociis Iuvone, conſilio ſumptuque privato in Brabantiam
rediit, urgendo cœpto. Ibi pertentatis animis, & ipsâ Margaretâ appella-
tâ, & ſtatu patriæ explicato, conſilium ſcripto expoſuit. Id fuit hujuſmodi.
Antè omnia opus ſibi eſſe mandato ampliore aut planiore, ad diffidentiam Snecenſi-
bus & Bolſverdiis adimendam, eoſq; in partes trahendos: proximum eſſe, ut Slota
armis invadatur totis viribus, eaq; in poteſtatem redacta, in Doccumum vis verta-
tur; indè ad cætera eatur: hoc ordine ſervato cuncta ſucceſſura rectè; ab eodem ſi rece-
datur, omnia alia futura; ad hæc agenda perficiendaque neminem idoneum niſi Edſar-
dum Comitem uſu belli, rerum Friſicarum peritiâ, gentis gratiâ, induſtriâ, virtute
ſummum, loco ipſo oportunum: Ad hæc operam dandam, ut milites promptiores
obſequentiores habeantur quàm hactenus; id verò in præfectis & ſtipendiorum ſolutione
eſſe ſitum: vitia quædam reip. juri patrio contraria tollenda: ſinum Auſtrinum ſub-
motis Geldris in poteſtate habendum: in cœptis conſtantiam adhibendam, apprimè neceſſa-
riam: Staveram operibus, tormentis, commeatu, faciendam munitiorem in hyemem in-
ſtantem: Gubernatori ac ſenatui non permittendam poteſtatem ſupplicium mulctamve
irrogandi viris nobilibus aut munus publicum gerentibus niſi crimine coràm ordinibus
probato: jus patronatus quod vocant, genti integrum relinquendum, ut eſt à majoribus
acceptum, nec turbandos in eo patronos & electores à gubernatore aut ab ipſo Cæſare, niſi
diſſenſione inter ſe diſtractos: Sacerdotibus ſacerdotia duo pluráve ſimul non permitten-
da, & quod quiſque unum tenet, non concedendum, ut id per alium adminiſtret, niſi
fortè juſtis ex cauſis à patrono hoc ei fuerit tributum: Demum Friſiam ultra modum in
reliquis provinciis Burgundicæ domui parentibus receptum non onerandam. Et hæc
quidem ille animo libero. Sed tot erant negotia belli paciſque, quæ tum
Margaretam ſenatumque premebant, ut tam citò quàm ferebat animus
ipſius fervens, expediri non poſſet. Intereà Morſenſis in Friſiâ de Snecâ per
inſidias occupandâ, cui erat infenſiſſimus, conſilia agitavit. Igitur ſpe perfici-
undæ rei conceptâ, paratiſque quæ iſtuc pertinere videbantur, ipſe cum om-
nibus quas occultè ſubitòq; cogere potuerat, copiis ea nocte, quæ Idus Au-
guſti proximè ſequebatur, Slotâ Snecam properat, & in occulto conſidet.
Indè ſubmittit viros tres corpore & animo validos, fœminarum agreſtium
veſte tectos, qui primo diluculo apertâ oppidi portâ exeuntibus mulctum pu-
ellis, ut mos gentis, vigilibus ſtatione digreſſis, portantes ſinguli corbes & bu-
tyrum velut vendendi gratiâ, occupent portā tantiſperq; ſe tueantur, donec
plures auxilium laturi poſſint accurrere. Sed videt hos ad portam venientes
homo oppidanus in propugnaculo fortè ſtans, quod portam boream tegit, &
ex gradu virili ſuſpicionem concipit. Igitur ad portam feſtinans ſubducere
pontem conatur. Quo viſo tres illi curſu ad portam feruntur, eorumq; veſti-
gia premunt totidem alii, ac pontem halabardis ſuis deorſum trahunt. Tum
oppidanus relicto ponticulo oſtium portæ anguſtius, quod ſolum adhuc
patebat,

patebat, properè claudit adjutus ab alio accurrente. Simul plures è Geldris MD XXII advolant & ponte occupato vim portæ facere, & tormentis minoribus ſubſidio venientes ſubmovent. Mox totus exercitus procurrens excitandis animis conclamat magnâ voce ad oppidum invadendum. Sed eodem tempore claſſico ſonante exciti cives cùm in mœnia convolaſſent, tormentaque expediiſſent, & fulminare cœpiſſent, ſpes concidit Morſenſi, impetuſque repreſſus. Exercitus Slotam reductus. Is caſus vigilantiores impoſterum Snecenſes fecit, & conſilium deſerendi Geldros maturavit.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber LII.

ERANT Geldri, qui res in Friſiâ gerebant, penuriâ ſtipendij, adeò in prædandi ſtudium effuſi eo tempore, ut quis quiſque eſſet, qui haberet, quod in ſpolium cedere poſſet, non curarent: amici inimicíve, pacati & armati diſcrimen non tenerent, inter æquum & iniquum non diſcernerent. Imprimis in mari promiſcuè in quoſvis graſſabantur: pecuniam aut res habere pro crimine deprehenſis imputabatur. Ea res invidioſam ac infamem totam eorum cauſam paſſim faciebat. Slota, Worcumum, Doccumum, caſtellum Lemmeranum, receptacula & arces prædonum vulgò nuncupabantur. Idque dolori erat iis, qui in iiſdem partibus honeſti juſtique rationem ducebant. Sed nullis hoc gravius fuit, quàm Groninganis, qui non ſolùm jure ac honore, ſed commodo quoque ſtimulo acerrimo in animis humanis, movebantur. Nam civitas negotiationi dedita, quæ magnas res in commerciis hic illic habebat, & mercando vendendoque quæſtum faciebat, inſtitutumque hoc etiam durante infælice hoc Friſiæ bello quo modo, quâ ſolertiâ tutata hactenus fuerat, facinorum horum infamiâ ceu particeps onerabatur. Creſcebatque infamia etiam indè, quòd in agro vicino deprehenſi viatóres à Geldris interdum per ipſam urbem, interdum per ſuburbia Doccumum traherentur ignaro magiſtratu. Vnde factum, ut à læſis res civium viciſſim in emporiis aut agris occuparentur, & commerciorum copia intercideret. Hinc murmur, mox apertus fremitus in urbe, Princeps, duces, præfecti, causâ ipsâ penè damnari. Sed incommodum aliud ex hoſte veniens calorem hunc reſtinxit. Tuickelius Coverdiæ præfectus uſum urbis Groningæ, importationem & exportationem, denique commercia omnia cum civibus Drentiæ interdixerat. Id indigniſſimè ferens civitas cum Carolo Geldriæ Principe, occultè, ut conſilium caperet occupandæ Coverdiæ egit, ad eam rem omnia liberaliter pollicita. In finem hunc Princeps diſſimulato conſilio manus militum cogit; aliud præ ſe fert: Tum tres cohortes ex agro Lemmerano evocatæ, præſidio tantùm neceſſario relicto. Intereà per homines ſuos Emdæ, ſinente Edſardo, Burgundici quanto poſſunt ſilentio conſcribunt; eôdemque Tinckelius cum aliquot Vltrajectini nominis accedit, excreveratque numerus ad D: atque hi omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

MDXXII ad XIII Calend. Septemb. navibus impoſiti in agrum Dongeranum tranſvecti, Hortum Mariæ, cœnobium amplum ejus tractus, petunt, ubi caſtra jam habebāt Burgundici nominis copiæ duce Teutoborgio. Paulò pòſt Slota & Lemmera profecti milites domū oportunam Dreverdiæ inter Leoardiam & Snecam loco commodo occupant ac muniunt: ſed operibus nondum perfectis à Burgundicis ſupervenientibus oppugnati obruti cæduntur omnes duobus è nobilitate exceptis, quibus ob genus & pecuniam pepercit militaris furor. Iam maturum videbatur, de quo inter Principem & Groninganos convenerat: mittitque repentè Princeps equites pediteſque, qui Coverdiam invadant: ab his oppidulum occupatum eâ nocte, quæ Calendas Septembr. ſequitur, arx obſidione cincta. Eâ re inopinâ penè attonitus præfectus Tuickelius, quanquam belli haud ignarus, qui jam in arcem redierat, emiſſis ex arce audaciſſimis quibuſque, oppidulo ignem injicit, ac vix quinque aut ſex domibus exceptis totum exurit, nullo tamen bono ſuo. Geldri quippè non aſſidendo, ſed oppugnando ac fulminando conſtituerant agere. Itaque tormenta maxima utrimque iſtuc adducta à Geldris & Groninganis: iiſque conſtitutis fulminatum ſummâ vi, parieteſque & cæteræ munitionum partes convulſæ. Tum à milite præſidiario perterrito, cùm nihil tuti in arce eſſe videretur, deditio conclamata, nequicquàm obſiſtente præfecto, & ad genua quoque militum, ut poſt retulit ipſe, provoluto. Factaque deditio pridie Idus Septembris. Salvis militum corporibus & rebus. Solus præfectus Fridericus Tuickelius ex pacto in cuſtodiâ retentus cum Elothano quodam juvene locuplete. Præfecti quoque conjux omni ornatu muliebri magni pretij exuta. Mox munitiones arcis ſummo ſtudio reparatæ, præſidiumque in eâ locatum. Tota res opinione celeriùs confecta. Tuickelius famæ ſuæ tuendæ causâ vulgavit, è præſidiariis quatuor pecuniâ emptos totum præſidium velut contagione infectum impulſiſſe ad maturandam deditionem. Sed & rumor diſparſus alius, ignotum an à malevolis honori ipſius capitalis. Hoc nos in medio relinquimus, Geldri hac arce capta vicinis locis præſidia hoſtium diſturbant, & Tuickelij fratrem, ut auctor quidam prodit, Gremsbergæ opprimunt, & cum altero in Geldriam mittunt. Ipſi Drentiam percurſant, Groningam uſque, & operæ ſtipendio accepto pedem referunt. Eodem tempore movent ſe Burgundici in Oſtergoâ, & relicto Mariæ horto, Clarocampi conſident. Indè cohors valida militum CCC emiſſa Lavicam tranſit die ſeptimo poſt captam Coverdiam, & terrore adventus ſui plebem ruſticam cum pecoribus & ſupellectile in fugam cogit. Dein progreſſa in agrum Langowoldium populabunda Fanam uſque hic illic incendia facit, omnia obvia diripit, prædas abigit, ac ſine impedimento trans Lavicam revertitur ad ſuos. At Groningani cùm primum de adventu ejus audiſſent, tribus ruſticas univerſas à Lavicâ in Amaſum ac Dullartum viritim arma capere, & ſub ſignis in hoſtem ire jubent. Eo edicto armant ſeſe, ad ſigna conveniunt, ingens exercitus celeriter conficitur: cui equites pediteſque Geldri, de quibus dixi, in Drentiâ tum adhuc hærentes, evocati à Groninganis & ſclopetarij oppidani ſe jungunt, omneſque ad Lavicam contendunt velut hoſtem cum prædâ aſſequuturi. Sed cùm is in tutum ſe jam recepiſſet, Geldri cum his qui erant ex præfecturâ veterè, & ſclopetariis oppidanis, Doccumum pergunt, reliqui Viſulotæ ad Lavicam conſident. Ex his poſt triduum Marnenſes, ac cæteri Huneſgonij, & Fivelgoniorum maxima pars duce Abelo Onſtenio ad ſua redeunt. Dammonenſes Diurſwoldij, Langowoldij, Fredowoldij, Humerzij, Medachij, & his additi ex Tranſlavicanis Collumani, Octopagici Doccumum ſe quoque conferunt. Sed nec movere ſe Geldri, quanquam tanto numero commilitonum & ſociorum aucti, contra Burgundicos

dicos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

dicos Clarocampi in conſpectu proximo caſtra habentes,nec hi contra Gel- MD.XXII
dros quicquam tentare per aliquos dies auſi, utrique mutuo metu quieti;
donec Burgundici ſublatis caſtris in Hortum Mariæ longiùs ſe recepêre.
Tum ſine morâ Groningani quoque cum ſociis ex agro domum repetivêre
exeunte Septembri. Intereà cohors alia Geldrorum e Drentiâ veniens cùm
non procul urbe in Huneſgonios tranſiſſet, velut reliquis, qui Doccumi erāt,
ſe additura, per varias injurias perinde ac ſi prædandi & graſſandi cauſa ve-
niſſet, Langowoldios longo tractu emenſa rapiens, ferens, agens in quæcun-
que incidiſſent, Cuſomariæ tandem ſubſtitit, omnia vicina depaſta eſt. Poſt
aliquot deinde dies, quæ Doccumi adhuc erat equitum peditumque manus,
& ipſa quoque cis Lavicam reverſa quô latiùs noceret, diviſit ſeſe, equitibus-
que Groningam tendentibus, pedites Viſuletæ caſtra ceperunt. Per hos to-
ta vicinia ea non ſecus ac ſi terra hoſtica eſſet, fœdè afflicta, virique omnes
coacti penates relinquere, & ſi quid ſalvum vellent pecorum aut rerum ſua-
rum Groningam versùs abigere aut vectare. Dein literis ab iiſdem in totum
agrum inde uſque in Amaſum emiſſis, tributum in jugera ab omnibus ordi-
nibus ſacris & profanis, prælato Principis nomine ac voluntate poſtulatum,
ſolvendo ſtipendio à Groninganis, uti ferebant, promiſſo: tributoque reci-
piendo quæſtor Principis nominatus Eberhardus Denſlerus Groningæ tum
temporis agens: Tum cohorte adſcitâ, quæ Cuſomariæ conſtiterat, ſublatis
ſignis, direptis omnibus quæ agere aut ferre poterant, reliquis confractis,
januis feneſtriſque ædium omnibus petulanter eliſis, propiùs urbem caſtra
promota, & Adoardiæ, Suidhormæ, Northormæ poſita, eodemque modo
his quoque locis, totoque hoc tractu res geſta, omnis nequitia patrata, de-
nique totius agri fortuna miſerrima. Acceſſit cumulus ab equitibus. Hi
Groningâ egreſſi, ut liberiùs agitarent, & quod à Principe deberi ſibi dice-
bant, à plebe per agrum exigerent, Eſſenæ in cœnobio vicino aliquandiu
morati, atque ibi alæ ſociæ, quæ paulò antè ex Geldriâ iſtuc venerat, con-
juncti, conſumptis corruptiſve ibidem cunctis in hyemem paratis, reverſi
in urbem, Selverdiam petiêre, inſederuntque vulturum ac harpyarum ſimil-
limi. Et hæc acta, ait Sicco Beninga vir optimus ac patriæ amantiſſimus, ge-
mentibus & frementibus omnibus bonis, conniventibus iis, qui ſtipendiis
inautorati Principi ſe vendiderant: qui ſi voluiſſent, ait idem, has injurias
avertere ab infæliciſſimâ patriâ, aut ſaltem mitigare, potuiſſent. Poſthæc à
Burgundicis, qui Clarocampum jam redierant, minacibus edictis per om-
nem agrum à Lavicâ in Amaſum vulgatis terror novus excitatus. Sic enim
denunciabant, uti populus omnis in nomen Cæſaris juraret, tributoque
pendendo ſe pararet; recuſantium vitam fortunaſque ferro & flammâ ſe
perſecuturos. Ac ut magìs percellerent animos, velut facta verbis additu-
ri, poſt aliquot dies, ad Lavicam acceſsêre, & cis ultraque amnem Viſuletæ,
in cœnobiis Gerriconio & vicinarum virginum conſedêre. Simul ædibus
aliquot incenſis, & populationibus inſtitutis haud paucos animis perculſos
ad promittenda tributa coëgerunt. Sed Geldris quibus pecunia in ſtipen-
dium venerat à Principe, alacritaſque creverat, in eos euntibus, omiſſo
cœpto Clarocampum redierunt: Geldri iiſdem locis ad Lavicam caſtra fixe-
runt. Id factum poſtridie Idus Octobr. Die ſequente Coverdiæ præfectus
qui Drentinus eo in loco, quem ſylvam Grollanam vocant, adeſſe ſibi juſſe-
rat, in verba Principis ſui Caroli Geldri adigere eos conatus repulſam tulit.
Interea exhauſtis jam & moleſtiarum ac laborum pertæſis Tranſiſalanis
bellum quod his, cæteriſque Vltrajectinis cum Geldro erat, ad finem verge-
bat: de quo quædā paulò altiùs repetenda. Ad Cæſarem opis rogandæ causâ
ierat epiſcopus Philippus Burgundus, uti eſt antè expoſitum. Eum benè ſpe-
rare juſſum à Cæſare in Angliam Hiſpaniamque proficiſcente, ſæpè inſtan-

M.D.XXI tem apud Margaretam & conſilii proceres, ſæpè ſpe bonâ lactatum in adultam ætatem iidem diſtulerant. Ad hunc à clade Gelmudanâ Tranſiſalanarum civitatum legati Lubbertus Hattemius Conſul Campenſis, Ioannes Bredanus, Henricus Spillæus, ille Campenſi civitati, hic Daventrienſi à ſecretis, & poſt hos Vltrajectini quoque acceſſerant, ut rei neceſſitate expoſita faciliùs ac citiùs auxilium conficerent. Sed bello Gallico, Italico, Hiſpanico diſtractæ Cæſaris vires faciebant, ut ſurdis fere auribus preces rationeſque occinerentur. Interim non res ſolùm epiſcopi furore belli, ſed nomen quoque ejuſdem obtrectatione vexabatur. Nam ut cunctatorem præpoſterum, inertem, deſidem, labores & pericula fugitantem, ſuos in diſcrimine deſerentem, aliena curantem, multi non ſolùm ex vulgo, ſed etiam ex viris ſummis eum ſugillabant. Eorumque in numero Philibertus Naturellus præpoſitus ac archidiaconus, uti vulgò vocant, majoris Eccleſiæ Vltrajectinæ literis & uſu magnarum rerum pollens, in pleno Canonicorum conſeſſu acerbis ac injurioſis verbis abſentem perſtrinxerat. Quibus rationibus fiebat, ut impatientiùs promiſſi mora à præſule ferretur. Dordraci Ordinum Hollandicorum conventu coacto, menſe Auguſto, eodemque Hagam tranſlato, Antonius Lalainius Hogeſtratanus Hollandiæ præſes ex ordinum decreto Culenborgum profectus cum Geldri legatis de pace egit, ſed quod æquum videretur, impetrare nihil potuit. Paulò pòſt induciæ belli conciliatæ ſunt ad aliquot dies, ſed eæ ita cultæ à Geldro, ut cùm nihil hoſtile expectaretur, Depenhemum epiſcopi oppidum ab eo ſit occupatum. Id demum effecit, reſurgente acerbiùs bello, ut eodem in conventu Hagano decretum ſit tribus peditum millibus, quingentis equitibus ſtipendia Cæſaris merituris Philippo epiſcopo opem ferendam. Sed ad Brabantos, quorum ordines hanc ipſam ob cauſam Antverpiæ ad v Idus Septembr. coierant, cùm res eſt relata, diſcrepantibus illic ſententiis, rurſum evanuit. Eodemque tempore Coverdia à Geldro eſt capta. Quo caſu commotis Brabantis, vergente jam Septembri, in comitiis Bergæ convocatis, decretum Haganum probatum: ſed tum ſanè nimis ſerò. Nam toties dilati deluſíve Tranſiſalani, ſegniùs etiam tum procedente re, cùm jam hyems ingrueret, velut deſperabundi, & malis fracti, non bonis in Margaretam & ſenatum Cæſaris animis, medio menſe Octobri, haud æquis conditionibus cum Geldro pacem fecêre. Sic enim convenit, ut Gelder quæ loca in diœceſi ceperat, ea retineret, Tranſiſalani à morte Philippi dominum non admitterent, niſi recipientem, pacem ſe cum Geldris culturum, epiſcopi Philippo ſucceſſuri de controverſiis omnibus cum Principe Geldriæ amicè tranſigerent, aut ſi non poſſent, arbitro æquo definitionem earum permitterent; Tranſiſalani Philippo epiſcopo Cæſaríne bellum in Geldrum proſecuturo, opem non ferrent, oppidave aut arces ſuas aperirent, ſed neutris addicti quieſcerent: iiſdem Gelder contra vim facientes auxilio eſſet: denique locis captis quos præfectos daturus eſſet Gelder, hi Daventrienſibus & Campenſibus juramentum darent, jura vetera ſe non violaturos. Hac pace vulgata fremuêre Vltrajectini, doluit epiſcopus, puduit piguitque moræ Margaretam ac proceres Belgas. Quin & Suollani Geldro ſuccenſuêre, quoniam commerciis Vltrajectinis excluſos ſe, quanquam bello quieſcente, videbant. Tùm Gelder hoc bello levatus, quot militum habuerat his locis, id in Friſiam miſit. Hi urbe Groningà excluſi, in Medachios profecti Adoardiæ ſedem ceperunt, prioribus etiam nequiores, facinoribus ſuis ſtipendia à Principe non ſoluta prætendentes. Quorum cauſa ordines agri ad diem XI Calend. Novembr. convocati cùm coiiſſent audiſſentque in ſtipendia tributum ſe poſci, indignantes reſponderunt, malle ſe arma capere ac cædere aut cædi, quàm hunc morem exemplo inducere. Ita ſpe lapſi milites & periculum timentes Drentiam repetivêre.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Sed antè hæc domum redierant è Brabantiâ Ianco & Iuuo, & his tabellarium Margareta addiderat ferentem literas ad ordines Burgundicarum partium in Friſiâ. Ob has literas conventus Leoardiæ coactus ad diem XI Calend. Octobris. Literarum hoc argumentum fuit. *Dolere Margaretam, legationem nuper decretam malo Friſiæ & rerum Cæſaris hactenus impeditam: monere nunc, ut eam expediant quamprimùm: ſperare, ſi vocentur quoque ad actionem hanc Snecenſes & Bolſverdiani, dato commeatu libero, eos etiam conſenſui non defuturos.* Id ſcilicet Ianco Margaretæ ſuggeſſerat. Vocatique fide publicâ ſunt utrique: ſed ſoli venêre Snecenſes. Ibi denuò decreta legatio, delectique qui eam obirent antiſtes Lidlumanus, Geroldus Herema, Sibrandus Roorda, Witio Camminga, Wibo Gerritius, Petrus Ioannis, & his additus ipſe Ianco Dowonius. Simul capita ſcripto comprehenſa, materia actionis cum Margaretâ ac Cæſaris ſenatu. Eorum ſententia hæc erat. *Collaturis ſe in fidem Cæſaris venia ſit præteritorum omnium: Hollandiæ Comites nomine Imperatoris & Imperij Friſiam gubernent, & hoc jus habeant hæreditarium: Friſiæ hujuſce ordines ex numero procerum Imperij Germanici eligant, quem velint, qui Poteſtatis Friſiæ nomen ferat, quiq́ cum X aut XII alijs viris idoneis, & remp. adminiſtret pro Gubernatore ac Imperio, & ſummum tribunal exerceat: Friſii in ſuis quique territoriis prætores edant: vir nobilis aut aliâ dignitate inſignis criminis reus non damnetur, niſi adhibitis patriæ ordinibus, præterquàm ſi crimen ſit manifeſtum: jus patronatus unicuique integrum relinquatur: ſacerdos non niſi unum ſacerdotium teneat, ſedemq́ habeat in ſacerdotii loco: confiſcatio bonorum reſcindatur, iiſq́ quibus bona illa tributa ſunt, rationibus aliis ſatisfiat à Cæſare: Poteſtas Friſiæ & ſummus ſenatus æquos honeſtoſq́ cenſus in uſum ac honorem Gubernatoris perpetui vicem Imperij gerentis, inq́ defenſionem patriæ decernant, ultra quos populum gravare non ſit fas: vectigalia in Friſiâ non ſint ultra modum in Hollandiâ & cæteris provinciis Belgicis Burgundicæ domui parentibus uſitatum, eaq́ quæ nuper à civitatibus diœceſeos Vltrajectinæ gravandis Friſiis inſtituta ſunt, aboleantur: nemo ſimul plus quàm unum munus publicum obeat: Friſii extra Friſiam non evocentur judicij causâ, vivantq́ & utantur jure civili Romano: nec in bellum extra fines ſuos educantur, aut in bellum hujuſmodi conferre aliquid cogantur: ab his ſemel probatis ſi recedatur rurſum, ijdem Friſii à fide & jurejurando ſuo intelligantur abſoluti.* Hæc in ſcripto. Sed præterea etiam, quæ viva voce ederent apud Margaretam, mandata legati accepere: imprimis ut exponant, rem poſcere, ut per Vltrajectinum vel principem alium idoneum Geldro bellum inferatur ad avertendam vim ejus à Friſia, in eoque perſeverantia eſſe opus; ante omnia verò ac ſine exceptione neceſſarium, Cæſarem cum Edſardo Comite fœdus ferire, quo fœdere Comes non ipſum modo ſe miniſterio Cæſaris addicat, ſed etiam provinciam & populum ſuum. Cætera minora, nec hic ſcribenda. Quin etiam Teutoborgius ex conſilio ſummi ſenatus legatos alios deſignavit eodem in conventu, qui cum his irent, Kemponem Martenium, Tiardum Burmaniam, Franciſcum Alphenſem; Martenioq́ue valetudine impedito Tiardum Elgerſmæum ſubſtituit, & his peculiaria mandata dedit. Hi omnes Harlinga in Hollandiã vecti, deq́ue omnibus cum Margareta locuti prolixè (erat enim conficiundo negotio apprimè ſtudioſa Margareta) cum ſcriptum reſponſum accepiſſent, exeunte penè Octobri Leoardiam rediere. Cum his venere legati duo Margaretæ viri ſpectabiles Caſparus Levius à conſiliis rerum Hollandicarum, Ioannes Hubertus Prætor Amſterodamenſis. Mox ordines convocati Leoardiæ ad cognoſcendum reſponſum, & audiendum, quid ferrent à Margareta legati. In reſponſo pleraque poſtulatorum probata reperere, quædam leniter flexa, pauca rejecta. Illud de Poteſtate ſic mutatum. Cæſar virum illuſtrem è Belgio ortum, non utentem ſermone Teutonico ſuperiore nominabit, qui id munus geret, omni exceptione juſtâ meliorem: conſiliarios aut ſenatores eidem addet aut Friſios,

MD XXII aut exteros pro arbitrio ſuo: vacantibus locis delecti Ordinum Friſiæ tres,
unus ex ordine ſacro, alter è nobilitate, tertius ex oppidis, cum Poteſtate &
ſenatu reliquo deſignabunt viros tres, è quibus Cæſar deliget, quem velit
muneri vacanti præeſſe. De prætoribus in territoriis ita. Ordines territo-
riorum edent viros ſimiliter tres: ex his Cæſar, vel Poteſtatis munere fun-
gens cum ſenatu unum capiet maximè idoneum. Vſus juris patronatus con-
ceditur hac lege, ut à patronis editi intra bimeſtre Cæſari offerantur, aut
Poteſtati ſenatuique, ejus collationem beneficii ab his accepturi. De Edſar-
do promiſſum, miſſurum ad eum Cæſarem, qui hoc agat, additurumque le-
gato collegam è Friſiis, qui in medium conſulat. Tum legati duo, quos dixi,
auditi. His ampla poteſtas tributa agendi cum Snecenſibus & Bolſverdia-
nis, & cæteris partium Geldricarum, inquirendique in vitia gubernationis,
de quibus querelæ delatæ. A Bolſverdianis aliiſque quicquam actum non
legi. Snecenſes ſcripto explicuère, quibus legibus in fidem Cæſaris cuperent
concedere. Et his benignè reſponſum, ac ſpes optima facta. Pariter à lega-
tis viri octo occultè nominati, rerum patriæ maximè gnari, vitia omnia gu-
bernationis in chartam congeſſere XXIII capitibus comprehenſa, uti facere
juſſi erant, eaque legatis tradidere. Multa in his contra Teutoborgium, &
ſenatum ſummum. Denique rogati in calce legati, rogata Margareta, idque
omnium nomine ordinum, id agant, uti Teutoborgio exautorato, ſenatuque
præſente abdicato, gubernator novus cum novo ſenatu ſurrogetur, iique ob-
ligentur ex formula nova. Hoc, ait Vorperius, in fraudem Teutoborgii ac
ſenatorum à Ianco Dovvonio concinnatum per amicos, quos in nobilitate
habebat non infimæ notæ. Vrebat quippe hunc, quod illi ſola moti invidia,
id quod actum à ſe cum Cæſare, impediiſſent. Accedebat alterum, quod
idem Ianco pro Teutoborgio Edſardum gubernatorem patriæ videre vehe-
menter deſiderabat, propterea quod genio ſuo ingenium ejus magis con-
gruum experiretur. Quocirca ſuadendo, hortando, urgendo iſtuc jam per-
ducta ab eo res erat, ut eundi ad Edſardum, agendique cum ipſo de bello
Geldrico in Friſia adminiſtrando à Margareta & ſenatu Cæſaris negotium
ei ſit datum. Sed obſtitêre alii in Friſia ad quos id relatum, quibus cum Ed-
ſardo non bene conveniebat. Itaque res quoque evanuit. Inter hæc Gronin-
gæ plebs belli incommodis & militum petulantia commota muſſare, queri,
concurſare frequenter, belli finem poſcere, eos inceſſere, qui cenſum an-
nuum à Geldro capiebant, quibus miſeria publica privatim quæſtui eſſe vi-
debatur: hos connivere cum principe & præfectis ejus, ac injuriis militari-
bus; horum culpa bellum duci, aut ejus facinora impune tolerari. Eo tem-
pore quidam gallos gallinaceos aliquot exſectis jugulis peremptos concu-
bia nocte ad fores prætorii in capite fori projecerant. Hoc ideò fecerant, ut
ſignificarent, ſic mactandos, qui remp. proderent. Ea re perculſi nonnulli,
qui plebis furias formidabant, aut conſcientia agitabantur, celeriter & quàm
maximè occultè principi nunciāt, quo loco res ſit, opus eſſe præſentia ipſius,
& quidem maturato eſſe opus. Nec princeps moratus Coverdiam venit.
Tum rumor ex compoſito ſparſus, evocari conſules & plebis præfectos:
euntque iſtuc Ludolfus Coenderus, Nicolaus Scafferus è conſulibus, Chri-
ſtianus Mercator, Henricus Honericus pro plebe. Qui vix Coverdiam cum
veniſſent, princeps ſine mora equum conſcendens Groningam cum his con-
tendit, longo agmine equitum peditumque comitante, ipſis Calendis No-
vembris. Poſtridiè exceptus à ſenatu ante portam obvio, in urbemque in-
vectus fanum Martini petit, atque ibi ex equo deſcendens, & fanum ſubi-
ens, à Guilhelmo Friderico ſacerdote ſalutatus apud eum divertit. Die
proximo curiam ingreſſus, acceptis pro more portarum clavibus ſenatum
conciliumque XXIIII-virûm ſacramenti religione ſibi rurſum devincit. At

Nonis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Nonis in ſano Walburgis plebs frequens in fidem & obſequium ejus ipſo MD XXII
præſente denuò quoque jurat. Idemque poſtridie antiſtites, nobilitas, plebs
ruſtica ex univerſo agro adeſſe juſſi faciunt, reliquo cultui inſigne quoque
donum adjiciunt. Simul princeps teſtandi ſtudii gratia manum inſignem
militum trans Lavicam mittit in Burgundicos, hoſtem in Horto Mariæ caſtra
habentem adoriri aut laceſſere pro re natâ jubet. Demum IV Iduum, cum
pridiè operoſis epulis in curia cultus fuiſſet, urbe profectus, noctemque Aſ-
ſenæ moratus die poſtero Grollanâ in ſylva Drentinos viritim hujus gratiâ
rurſum excitos ſacramentum popoſcit, idque obtinuit, qood præfectus pau-
lo antè pro eo obtinere haud potuerat. Inde in Geldriam reverſus, Gaſpa-
rem Marwicum ex nobilitate ſuâ ingenii turbidi ac factioſi virum Gronin-
gam miſit peramplo honore & poteſtate inſtructum, regundis agri judiciis,
gerundaque agrariâ rep. vices obiturum ſuas. Atque is ſeneſcente Decem-
bri in urbem venit. Et toto hoc tempore, quo hæc geſta ſunt, bellum inter
Cæſarem & Galliæ regem non quievit; ac Cæſar ipſe compeſcendis ſeditio-
nibus & conſtituendâ rep. in Hiſpaniâ, & apud Baleares occupatus fuit.
Obiit etiam hoc anno in arce Grethanâ Almeda Edſardi ſoror ab Enger-
manno olim amoris faſcino in fraudem acta: tumulique honos juxta majo-
rum reliquias Nordæ ei datus. Anno M. D. XXIII menſe Februario nuptiæ M. D.
Philippo Waldocco & Margarethæ Edſardi filiæ inſigni pompa Emdæ per- XXIII.
actæ. Circiter idem tempus Georgius Teutoborgius, ut ſe purgaret de iis,
quæ ipſi ſenatuique objecta fuiſſe dixi, ſecutus Kemponem Martenium,
quem hanc ob cauſam menſe Decembri præmiſerat, in Brabantiam profi-
ciſcitur. Vbi dum cauſa excutitur, Chriſtoferus Morſenſis in littore Weſter-
goæ prævalidam turrim VVorcumi foſſa & aggere cingit. Pariter ædificiis
aliquot oppidi dirutis caſtellum ibi contra vim hoſtium molitur, atque hoc
opus diurno nocturnoque labore feſtinat: caſtra ipſe in cœnobio novo lo-
cat. Hæc in Brabantiam enunciata, quod res præſentiam Gubernatoris
poſcere videretur, maturata cognitione, Teutoborgio credita ſunt pro-
fuiſſe. Abſolutus enim ipſe ab omni culpa, & ſenatus quoque innocens
pronunciatus. Accuſator præcipuus Ianco Dowenius paulò pòſt in vincula
datus Mechliniæ, atque inde in arcem Vilvordiam miſſus, in quâ octenni
cuſtodiâ toleratâ vitam tandē finiit, cum annus Chriſtianus flueret M D.XXX.
vir excellens ingenio, animo magnus, amator libertatis patriæ mirificus, in
agendo induſtrius, in ferendâ utraque fortunâ moderatus & ſapiens, indi-
gnus denique, qui talem vitæ cataſtrophon ſortiretur, cujus cauſas iritatri-
ces invidiæ debuit æmulorum. Interea in Hollandiâ exercitus ſtatim para-
tus, ei dux cum ſummo imperio datus Ioannes VVaſſenarius è primâ nobili-
tate Hollandicâ, egregiâ virtute & ſcientiâ militari; iſque cum exercitu (hic
DCCCC militum erat) comitante Teutoborgio & compluribus ex ordine
nobilium profectus hoſtem extemplo invadit, turrim oppugnatam occu-
pat, præſidium univerſum trucidat exceptis novem, quos captos laqueo de
trabe ſuſpendit, ut terrorem in caſtello inijciat. Tum in caſtellum ſe vertit,
atque ita ex turri fulminat, ut nullus penè angulus in eo tutus cuiquam eſſet.
Simul ad invadendum vallum ſe parat, denunciatque præſidio, ſi vim ulti-
mam expectent, omnes quos enſis non abſumeret, laqueum laturos. Itaque
animis concidentes præſidiarii non expectata pugna ſe caſtellumq; dedunt.
Omnia hæc quatriduo geſta fæliciſſime medio menſe Iunio. Caſtello no-
vum præſidium à VVaſſenario impoſitum. Turris, quæ pharus naviganti-
bus ſolet eſſe, deſtructa ad ſolum uſque, ne caſtello cladi eſſet. IX Calend.
Iulii Leoardiæ in ordinum conventu VVaſſenario ac Teutoborgio præſen-
tibus de pertexendo bello deliberatum. Placuit M. D. milites conſcribi ſti-
pendiis ordinum in trimeſtre, quorum beſſem ſolverent, qui agrum pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

MD.XXII prium colebant, reliquum trientem, qui conductitium, cætera omnia belli
impendia, apparatus, milites Cæſar præſtaret, quoad debellatum eſſet: agri-
colæ in ſtipendia conferentes injuria militaria prohiberentur. Eo decreto
VVaſſenarius ipſe, & cum eo Goſlicus Iongamæus, Kempo Martenius, VVij-
tio Camminga in Brabantiam profecti cum Margareta & ſenatu egere, ut
ratum id eſſet. Ibi non hoc ſolum probatum, ſed conficiendo celeriùs bel-
lo alia quoque liberaliter adjecta. Nec mora, VVaſſenarius cum iiſdem,
quanta poterat celeritate in Friſiam rediit. Interea inſtruendo bello omnia
ſumma diligentia Leoardiæ curata, inſtante & urgente Teutoborgio, con-
ſtitutumque de Doccumo primum omnium invadendo. In eum finem, ne
quid durante oppugnatione hac ab iis qui Bolſverdiæ, Slotæ, Lemmeræ in
præſidio erant, noceri vicino tractui poſſet, caſtella duo, alterum Maccumi
in littore inter duas cataractas, alterum VVoldeſende ad cœnobium ejus
loci, tumultuario opere excitata, & præſidia in iis collocata. Hiſce conſti-
tutis VVaſſenarius & Teutoborgius, reliquum exercitum trium fere mil-
lium numero Clarocampum ducunt, velut Doccumum invaſuri. Sed ut tu-
tius id facere poſſint, (norant enim difficilem fore oppidi oppugnationem
vallo & foſſa ac firmiſſimo præſidio egregiè communiti) celeriter Bergu-
mæum cœnobium, inde in ſylveſtres tendunt triduo ante Calendas Auguſti,
convocatos ejus tractus homines ſacramentum Cæſari dicere jubent, recu-
ſantes primos direptione ac incendio corripiunt, cæteros dictis parentes fa-
ciunt. Hinc in Oſteranos & Smalinganos reverſi, rurſumque in alia loca
profecti omnes in fidem Cæſaris adigunt. In his dum verſantur, Gaſper Mar-
wicus principis Geldriæ legatus ad arma vocat per omnem agrum Marnen-
ſes, Vbbogaum, Medachium, Langowoldium, Fredowoldium Hummer-
zium tertium quemque, & his cohortes aliquot Geldrici nominis adjungit,
omneſq; Marumi & Nuſij in extremis finibus contra Tranſlavicanos caſtra
figere jubet. Metuebat enim Burgundicos cis Lavicam impreſſionem fa-
cturos. Dein ipſe cum tertio quoque Dammonenſium cæterorumque ex
omni regione in Amaſum uſque, cumque ſclopetariis Groninganis, & CL
reliquorum civium, novo exemplo ſtipendia publica merentibus, quibus
Rodolfus Aquenſis & Eberhardus Mepſchius præerant, itinere per Dren-
tiam facto ob vias alias luto opplerat, eodem proficiſcitur. Quo cum veniſ-
ſet, intelligit ex ſpeculatoribus emiſſis, hoſtes in Beercopios veniſſe & per Si-
gerſwoldios finitimos in agrum Fredowoldium cogitare. Scribit itaque ad
ſenatum urbis per celerem nuncium, quid acceperit, & oſtendit, in animo
ſibi eſſe occupare locum commodum cis Sigerſwoldios, & venientibus ob-
ijcere ſeſe: rogat colubrinas duas, & hacas aliquot cum inſtrumento & pul-
vere nitroſo celerrimè ſubmitti, aliaque exercitui neceſſaria. Simul movent
ſe Burgundici viâ rectâ in Sigerſwoldios pugnandi animo. Verùm cum pa-
luſtria ejus loci aquis pluviis humentia tranſitum non darent, prima luce
Baccavenam deflectunt Drentiæ contiguam, eodemque die Rodonam ac
Roderwoldam deveniunt, ſperantes hoſtem ſe anteverſuros & iter in ur-
bem interclusuros. Id animadverſum ſollicitum Merwicum cum feciſſet,
ſine mora exercitum reducit per Fredowoldios, vixque via media inter
Midwoldam & Letterbortum agmen pervenerat, cum nunciatur VVaſſe-
narium campum tenere, cui proxima eſt officina coquendorum laterum ad
Adoardios pertinens, properareque, ut Lecam locum aquis paluſtribus ſca-
tentem ſuperet: quem ſi ſuperaſſet, videbatur ſummum in diſcrimen Mar-
wicum eſſe conjecturus. Itaque miſſi iſtuc expediti equites circiter LXXX
à Marwico, qui ad aggerem, qui eo loco erat, Waſſenarium morarentur.
Quod cum ab his fit, Merwicus cum exercitu & impedimentis per viæ diffi-
cultates enititur Adoardiam verſus, ac primis tenebris ejuſdem diei exeuntis
(is erat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

(ſis erat VIII Iduum Auguſti) incolumis nulloque accepto detrimento Groningam venit, milite & ſclopetariis Groninganis Adoardiæ relictis. Fortunatum hoc, ſed inglorium. Nam plures numero, ut Vorperius ſcribit, quanquàm diſsẽtire Sicco videatur, multò paucioribus in terra ſua ceſſere; ac tam pavidè ceſſere, ut ſi horulæ ſemiſſe maturiùs Lecam hoſtis pertigiſſet, ſine dubio cæſi disjectiq; ab eo fuiſſent. At VVaſſenarius Teutoborgiuſq; populabundi, & hic illic terroris ciendi cauſa incendiis factis progreſſi, Northornæ in Langowoldiis vico celebri & magno caſtra ponunt; milliari Germanico magno nõ longiùs ab urbe Groninga. Mox populum omnem Lavica Amaſoque clauſum timore perculſum evocant, parentemque in nomen Cæſaris jurare, & XXXII millium aureorum Rhenenſ. mulctam dare, atque obſides tradere cogunt. Conditiones jurijurando additæ, ne quid impoſterũ contra Cæſarem committat, ab armis quieſcat, in fide hac maneat, donec majore vi ab eadem recedere cogatur: quod ſi fiat, id infamiæ ei nõ ſit: mulctam intra dies XIV exſolvat. Hæc intercedente Edſardo acta. Simul Collumani quoque & Octopagici adeſſe juſſi Northornæ, & in fidem Cæſaris jurejurando à VVaſſenario adacti, deprecati ſupplices culpam priorem. Interea V Iduum Geldri Adoardiâ relictâ trajecto amne Selwerdiam occupant, inde die poſtero Eſſenam eunt, atque ibi conſident, ubiq; locorum antiquum obtinent. At Ioannes Golſtenius Doccumo præfectus ratus Burgundicos Lavicam tranſgreſſos haud citò redituros iſtinc, manum ſuorum, uti ſolet, ad infeſtandum mare emiſerat, præſidiique robur minuerat. Eo cognito VVaſſenarius præmiſſis expeditis, deín ſublatis quoq; totis caſtris IV Iduum Doccumum properat, id obſidione cingit, amnem tranſverſo aggere oppilat, exitum ingreſſumq; omnes claudit. Ad hunc Tiardus Burmania cum magno numero ruſticorum, quos in armis in Horto Mariæ ad reprimendas Geldrorum populationes abſente VVaſſenario habuerat, venit, & caſtra conduplicat. Hoſti aliquoties conato ſpes inferendi ſubſidii adempta. Simul magnus numerus majorum tormentorum eôdem advectus, non ſolùm à Burgundicis, ſed à civitatum maritimarũ hominibus Golſtenio & toti præſidio Doccumano infenſiſſimis ob piraticam ſine diſcrimine in quoſvis factitatam. Tum fulminibus continuis per dies aliquot quaſſata mœnia & convulſa, multi mortales enecti, ingens terror toti præſidio injecta. Mox ad foſſas oppidi ab obſidentibus pes illatus aqua ex foſſa exteriore ſubducta, agger tranſverſim jactus, & jam in interiorem foſſam extenſus. Interim ter quaterve conatus inſtauratus à Geldris auxilii in oppidum immittendi, bis Collumi ab equitibus & peditibus Groninga & agro proximo profectis tumultus excitatus, vice ſecũdâ incendia quoq; facta & prædæ abactæ. Poſtremò cùm oppugnatio pararetur, & præſidio ſpes periſſet auxilii à principe ſuo, colloquium de deditione petitum: factaq; deditio die VI Cal. Septembr. Golſtenius cum præſidiario milite ſalvis rebus cæteris omnibus, ſpoliis dives, dimiſſus, ſola tormenta, & quæ iſtuc pertinent cum omni commeatu, & ſupellectile, quæ in arce erat, retenta. Friſiis, quotquot in oppido erant, hæc dicta conditio, ut qui Cæſari jusjurandum dare vellent, res ſuas omnes incolumes haberent, ut cæteri Cæſari parentes; qui nollent, uterentur lege militibus dictâ. Ex nobilitate duo Gabbo Sceltuma & Dowo Donya, pervicaciores in partibus, cum Geldris excuntes octo dies ad deliberandũ ſumpſere, permittente VVaſſenario. Reliqui ſtatim victoribus acceſſere. Golſtenius cum præſidio deductus ad Lavicam, cùm Groningam veniſſet, juſſus à ſenatu eſt extra portam occurrente ex equo deſcendere, & captivi in modum medius inter apparitores duos urbem ingredi, atque in vincula ire fremens & indignans. Impedimenta quoque ejus omnia cuſtodita. Miles verò & reliqui præfecti cum univerſis rebus ſuis, quô vellent, ire permiſſi. Crimini Golſtenio datum, quòd imprudenter prædandi ſtudio, cùm periculum in proximo eſſet, præſidio Doccumum

M. D. XXIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

MD.XXIII nudaſſet, eoque facto in hunc caſum conjeciſſet: quippe haud ullam rem
aliam quàm militem ad defenſionem ei defuiſſe. At à Cæſarianis magno
ſtudio munitiones oppidi & caſtelli capti refectæ, firmumque ibi præſidium
locatum. Reliquus exercitus Viſuletam ad Lavicam ductus, atque illic caſtra
ad diem III Non. Septembrium habita. Eo die Teutoborgius curandi vul-
neris cauſa, quod ad Doccumũ in axilla acceperat, cum Waſſenario Leoar-
diam diſceſſit: exercitus obſidendæ Slotæ per Sylveſtres miſſus. Hoc tempo-
re Bolſverdia quoque ad Cæſarem tranſiit. Etenim à Waſſenarii reditu in
Friſiam, cum Maccumi & Woldeſendæ caſtella extructa, præſidiaque iis im-
poſita eſſent, Bolſverdiani, qui ſe penè obſeſſos arbitrabantur, per legatos
principi ſignificarãt, auxilio maturo ſibi eſſe opus; quod niſi in tempore mit-
teretur, neceſſum ſibi fore cum hoſte paciſci. His verò Princeps reſponde-
rat, ante exitum menſis Iulii ſine dubio ſe auxilia miſſurum. Hoc termino
jam dudum elapſo, primores civium plerique pertæſi rerum Geldricarum
ad Cæſaris partes traducere civitatem cupiebat: ſed miles erat in oppido, &
exulum Friſiorum ac naviculariorum multitudo, Geldris addictiſſimi, quo-
rum metu, quod cupiebant iidem illi ne profiteri quidem audebant. Itaque
clam cum Geſlico Iongama Bolſverdiano, ſed totos jam IX annos patria ca-
rente, ac apud Cæſarianos gratia valido egere, ut cœnobium vetus in con-
ſpectu Bolſverdiæ ad ortum poſitum occuparet: id occaſionem daturum
oppidi à Geldris abſtrahendi. Eam rem alacriter Goſlicus ſuſcepit, & ex vo-
luntate VVaſſenarii cum parvula militum, ſed magna firmaque ruſticorum
manu, juvantibus Iarichio Decama, & Iarichio Hottinga in cœnobium venit
pridie quàm Doccumum dederetur. Eodemq; die ad Senatum populumque
oppidi ſcripſit humaniſſimè conditiones offerens honeſtiſſimas, eaſdem, quæ
Doccumanis datæ ſunt: & præter has ſtipendia Geldrica merentibus à Cæ-
ſare ſtipendia promiſit. Nec diſplicuit res præcipuis ac plurimis civiũ, multis
colloquiis agitata, ſtatimq; conveniſſet, ni rurſum iidem, quos ante dixi, im-
pedimẽto fuiſſent: per quos tumultu excitato in ſummum diſcrimen capitis
optimi quique quietis cupidi ſunt adducti. Tandem verò paupercula plebs
civitatis & militum manus cupidine ſtipendii illecti melioribus ſe junxere.
Tum exulum & naviculariorum factio victa oppido exiit, & in liburnicas ſe
conijciens Slotam petiit poſtridie Non. Septembr. Simul Goſlicus cum ſuis
in oppidum venit, populumq; juratum in fidem Cæſaris recepit. Paulo pòſt
Snecæ conventus actus deque ſolvendis ſtipendiis conventio facta. Eo tem-
pore Marwicus conſilium cœperat equitum peditumque copiis emiſſis de-
populandi Tranſlavicanos. Et jam exierant porta pedites, equiteſque ſe pa-
rabant cum ædiles plebis tribunitia poteſtate cum globo civium Marwi-
cum Lubbertumque Clantium conſulem porta egreſſos ſpectandi gratia tu-
multuoſiùs circumſiſtunt, clamare occipiunt, irent quo vellent qui exierant,
reliquos exire ſe non paſſuros nec permiſſuros, urbem ſuam receptaculum
prædonum fieri, minaſq; feroces addunt, ac portas claudunt. Marwicus per-
culſus ſilentium tenuit, & cœptum omiſit. Interea ſanato Teutoborgio, &
milite à labore recreato, VVaſſenarius Slotæ intentus tertium quemque
ex omni VVeſtergoa ad arma vocabat. Iis paratis motoque milite oppi-
dum obſidet. Erat Slota multis & magnis operibus egregie munita, impri-
mis præſidio valido & audaci, & ad extrema quæque parato inſigniter in-
ſtructa, tormentiſq; & eorum inſtrumentis abundans, nec commeatu deſti-
tuta. Præſidio ac rei ſummæ præerãt Hubertus Pedeſanus Cancellarius non
minus armis quam literis pollens, Renico & Kempo Iongamæi, VViardus
Bolſverdianus piraticæ pubis princeps ac ſummus præfectus, ſucceſſor Petri
illius Longi, de quo multa ſunt ante dicta, omnes animis pariter & ma-
nu prompti. Chriſtoforus Morſenſis paulo antè oppido exceſſerat. Quam-
obrem his ſuperandis major quoque vis admota quàm Doccumo. Primo

adventu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

adventu molæ oppidi terendo frumento ſtructæ, tormentorum fulminibus everſæ atque ita farinæ copia etiam abundante frumento obſeſſis adempto. MD XXIII
Tum caſtra ſic extenſa & caſtella ab omni latere excitata & aggeribus præcincta, flumen infra ſupraque oppidum navibus clauſum, ut ne tabellario quidem aditus exituſve pateret. Hujus obſidionis die decimo miſerabilis caſus Steenvicum comprehendit. Erat adhuc in hoc oppido præſidium c militum, qui id pro præſule Vltrajectino tuebantur, fueratque idem proximis menſibus aliquoties Geldrorum inſidiis appetitum. In hanc rem operam Geldris locaverat Sculthesius Deveranus Steenvico vicinus cui nomẽ Bernardus Termatius, cum filiis juvenibus audacibus ac verſutis tribus. Sed conſiliis eorum detectis, cum non multò poſt è filiis imum prehenſum Steenvicenſes occidiſſent, pater cum filiis reliquis ſibi metuens, ac vindictam meditans Groningam commigravit. Is gnarus rerum Steenvicenſium expoſuit Geldris, inſtare oppidanis diem feſtum mercatui ſolennem quo ruſticorum cæterorumque in agro vicino degentium multitudo in oppidum ſolet venire, omniſque populus cum hoſpitibus conviviis indulgere, vino zythove ſe implere, & curis miſſis in lætitiam ſe effundere: id inſidiis quàm maximè oportunum, ut major oportunitas ne optari quidem debeat. Itaque monere, hortari, ſtimulare Marwicum, ne occaſionem rei gerendæ negligeret: denique effecit, ut iſtuc conſilia referrentur. In hunc finem milites ſex ingeniis idoneis Steenvicum miſſi, qui alia omnia ſimulantes ſtipendiis & ſacramento Vltrajectino ſe offerrent. Eo feliciter ſuccedẽte, CCCL pedites, LXXX equites quàm maximè occultè alii poſt alios Groninga, Coverdia, Gelmuda profecti, juſſu Marwici ea nocte, quæ diem illum feſtum Steenvicenſium excipiebat (is erat dies XII Calend. Octobr.) per tenebras itinere facto, in vicinia ejus oppidi loco idoneo coïre. Interea in oppido omnibus temulentia & ſomno oppreſſis, ipſis quoque vigilibus ſecuris hora tertia nocturna quatuor locis, uti convenerat, ignes à proditoribus excitati, invadendi ſignum. Quo viſo, curſus ad oppidum factus ab omnibus, foſſaque & vallum à multo pluribus magno ſilentio ſuperata, ſtertentibus oppidanis. Tum mœnibus ac foro occupatis, ignis ædificiis paſſim injectus, tympana pulſata, tubarum clangor inſonuit, conclamatum terribili voce nomen Geldricum: ſimul ab iis, qui reliqui erãt, intra mœnia penetratum. Oppidani ſomno & ſtragulis exciti, trepidi nudiq;, qua quiſque poterat, diffugere, ab omni fortuna deſerti. Ignis latè diffuſus nemine obſiſtente totum oppidum, vix ſex ſeptemve domibus ſalvis, abſumpſit. Hanc ignis vim dona meſſis in oppidum invecta, omnibus ædificiis cõdita & infarcta, haud parum adjuverant. Magna illic præda à militibus parta, & huc illuc diſtracta. Multa flammis conſumpta. Locus vacuus præſidio cuſtoditus, eoque annona, tormenta, & cætera præſidio & tuendo loco neceſſaria Groningâ miſſa, tuguria in ſolo exuſtarum ædium contra aëris injurias à præſidio opere levi erecta. Res tota multo majori infamiæ quàm cõmodo & principi & miniſtris ejus fuit. Circiter idem tempus Carolus princeps equitum peditumque manum inſigniter audacem, mentientem nomen Gallicum, è Geldriæ finibus in Hollandiam miſit. Ea populabunda ad portas uſque urbis Leidanæ pervenit, obvia omnia diripuit, prædas egit; redimendis incendiis ingentem vim Hollandis extorſit obſideſque ſolutionis accepit, multos quoque vicos villaſque igni dedit; demum prædis dives nullo accepto detrimento in Geldriam reverſa eſt. Ajunt ſupra DCC pedites non fuiſſe, cum equitibus paucis, qui tantam rem auſi tam feliciter patrarint. Inde pars eorundem fortunâ illecti, per Drentiam itinere facto Stellenwerfios & proximos Sylveſtres Friſios invaſere, iiſque afflictis, ob metum hoſtium pede in Drentiam relato, ex Fredowoldiis in Octopagicos incurrerunt, iterumque in Drentiam reverſi cum prædis capti-

MD.XXIII viſque Groningam petiere: ſed à Groninganis non admiſſi Suollam ſe rece-
pere. Iam Slotana res ad extrema redacta erat. Nam tormenta & à terra &
ex navibus ita in obſeſſos tonabant aſſiduò interdiu noctuque ut Amſtero-
dami, Daventriæ, Sutphaniæ auditum ſonum eſſe, memoriæ ſit proditum.
Pariter aggeres jacti, opera alia in eos inſtituta, incurſiones ad ipſas uſq; mu-
nitiones facta. Quæ dum adminiſtrant Waſſenarius & Teutoborgius, omni-
buſque rebus ipſi proſpiciunt, uterque tormenti jactu, uno eodemque die,
vulnus accepere. Nec tamen idcirco omiſere cœptum, aut caſtris excesſêre.
Spem quippe conceperant, ſi perſiſterent, propediem voti ſe compotes futu-
ros. Nec hæc eos ſpes fefellit. Nam non ſolùm difficultate terendi frumenti
dejectis molis premebantur obſeſſi, ſed etiam carnis, potus, pulveris nitroſi
inopia laborabant: ſpem verò auxiliorum nullam videbant. Quapropter
pertæſi malorum, & oppugnationem veriti colloquium petiere poſtrid. Ca-
lend. Novembris. Colloquio inito poſt quartum tandem diem de deditionis
conditionibus convênit. Data omnibus obſeſſis diſcedendi facultas, ac ab-
eundi quolibet, præterquam Lemmeram ac Steenvicum: Friſiis etiam copia
facta deliberandi & ſtatuendi intra menſis ſpatium, an uti conditionibus
Doccumanis & Bolſverdianis vellent, an non. Ita poſtridie Nonarum No-
vembris præſidio omni egreſſo, in quo & Iongamæi fratres, quos ante dixi, &
Syricius Donya ex nobilitate Friſica, Waſſenarius & Teutoborgius ex vul-
nere adhuc ægri cum milite in oppidum ſunt ingreſſi. Hic finis bimeſtris ob-
ſidionis fuit. Cancellarius Hubertus & Wiardus Bolſverdianus, quod contra
pacta fidemque datam Steenvicum tenderent, ex itinere retracti, & Leoar-
diam in vincula miſſi, quorum alter Wiardus poſt aliquot dies capitis dam-
natus, & in pegmate ſublimi juxta curiam gladio perculſus, mox rotæ prope
patibulum impoſitus, rararum virium homo, & ſtaturæ multum ſupra vul-
garem modum, nec minùs intrepido & ad omnia pericula magno animo,
ſed propoſiti nimis pertinace: Alter culeo deſtinatus, ſed precibus ſacri ordi-
nis (nam erat ipſe ſacris initiatus) ſupplicio exemptus Leoardiæ in vinculis
manſit, quoad VVaſſenarius vixit; ab ejus morte in Brabantiam miſſus per-
petuis carceribus mancipatus fuit, in quibus Rupelmundæ ad Scaldim flu-
men vitam tandem clauſit, dignus etiam pejore leto propter tot mala nequi-
ter ab eo tam multis annis patrata. Biduo poſt Slotam deditam, ii, qui Lem-
meræ in præſidio erant, iiſdem legibus, quibus cum Slotenſibus convenerat,
ſeſe vallumque dediderunt. Vallum ſine mora à vicinis ruſticis dirutum, &
foſſa coæquata. Hoc modo Geldri universâ Friſiâ inter Flevum ac Lavi-
cam jacente exturbati. Exercitus victor ſtatim Steenvicum ductus, atque
id à præſidiariis famâ adventantis exercitus exterritis turpi fugâ deſertum,
& à Cæſarianis occupatum. Mox exules in vacuum patriæ ſolum rever-
ſi, domunculæ pro modo fortunæ ab iis in hyemem ſtructæ. Ab his re-
bus geſtis comitia omnium ordinum habita Snecæ, decretumque de reti-
nendis ad tempus militibus M. D, Geldrorum metu, deque munere hono-
ris causâ VVaſſenario & Teutoborgio ob ſtudium & res bene geſtas tribu-
endo. Sed VVaſſenario vulnus brachij malè curatum, quod ad Slotam
acceperat, recruduit, ex quo Leoardiæ pridie Nonanum Decembrium fa-
to conceſſit, relicto ſui incredibili deſiderio inter Friſios ob virtutem & bona
merita quem ſciebant omnes non ſibi ſuæque gloriæ, ſed bono Friſiæ bel-
lum adminiſtraſſe, & opinione citiùs finiiſſe: clariſſimus Hollandorum ſui
temporis, clariſſima idem familia natus, & ejus familiæ maſculini ſexus
ultimus. Cujus corpus aromatibus condîtum in Hollandiam miſſum,
ac Hagæ Comitum inter illuſtriſſimas imagines majorum ſepulchro illa-
tum. Ab hoc tempore in his Friſiæ partibus quies ab armis fuit per
annos totos XLIIII, quanquam anno proximo incurſione Geldrorum in
Steller-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Stellerwerſios velut rapido fulgure perſtricta contremuerit. Quiete parta M. D.
populus per territoria diviſus hic illic à Teutoborgio, Gaſpare Levinio, Io- XXIII.
anne Huberto ſolenni ritu Cæſari obligatus eſt, ipſique hi viciſſim pro Cæ-
ſare juramentum populo dixere. Hæc eo anno in Friſia fere geſta. Eodem
Gelder in Tuentia, & reliqua diœceſi Vltrajectina turbas aliquoties dedit,
& Lagam arcem deditione cepit: idemque in Hollandiam rurſum incur-
rit, & urendo, prædando, ad Gorcumanos uſque penetrando magnum re-
gioni detrimentum intulit. Chriſtiernus quoque trium nuper regnorum
borealium Daniæ, Sueciæ Norwegiæ rex, offenſis ſævitia ſuorum omnium
animis, conſcientiæ furiis agitatus, ut ante ex Suecia, ſic hoc anno ex Da-
niâ profugit, ac ſæpè exilii ſede mutata tandem in Belgium rediit, atque ibi
conſedit. Exemplum inſigne inſtabilitatis rerum humanarum, ac fortu-
næ eorum qui ſævo injuſtoque imperio odium ſuorum ſibi conciliant. Ad
hæc Rhodus à Solymanno Turcarum imperatore capta, & inter Cæſarem
& Franciſcum Galliæ regem variis in locis varia fortuna bellatum; inter
Angliæ quoque regem Henricum VIII, & eundem Franciſcum armis in
Belgio certatum. Denique Romanenſis religio paſſim in Germania, præ-
ſertim in urbibus Saxoniæ concidit.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber LIII.

ANNO ineunte M.D.XXIIII ipſis Calendis Ianuarij, cum nox MD.XXIV
ante concubia eſſet inter tertiam ac quartam horam matutinam,
exemplo rariſſimo præter anni rationem terribili tonitru ac ful-
gure, cum fœdis imbribus cælum conterruit mentes hominum
in Friſia orientali, villaque inſignis in Amaſanâ regione non pro-
cul Alandiâ cœnobio afflata fulgure conflagravit tam pertinaci flamma,
ut armenta in ſtabulis ſimul perierint. Id ominis loco habitum, credi-
tumque vulgò portendiſſe armorum motus, qui paulò poſt exorientes Har-
lingiis incubuere. At Groningæ murmur rurſum in populo contra ſena-
tum, atque eos imprimis, qui penſionibus annuis autoratos ſe principi Gel-
driæ devinxerant. Hos eſſe ajebant, qui non quod reip. expediret, ſed quod
principi gratum eſſet, in deliberationibus ſequerentur, conſiliaque publica
corrumperent, bellum traherent, pacem morarentur, patriæ commoda ſuis
poſthaberent. Poſtremò ſedandis animis, ſeditioniq; exitiali declinandæ cō-
ſentiente ſenatu decretum, ut ex ſe populus viros VIII ederet, binos è ſingu-
lis regionibus urbis, eoſque ſacramento obligaret: horum munus eſſet, cum
ſenatu aſſiduo in curia verſari, remp. cum eo curare, eidemq; conſulere, con-
ſilia pernicioſa avertere. Pariter deſiderio pacis plebs malorum belli pertæſa
ferebatur. Nam ſupra miſerias alias quas bellum adferebat, etiā commerciis
impeditis quæſtus omnis occiderat: ita penuria plebē ſequebatur. Itaq; com-
merciis fores rurſum apertura, Decembri menſe proximè elapſo perpulerat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

MD.XXIV ſenatum, ut de induciis cõſilia iniret: redieratq; res ad colloquium cum Burgundicis Adoardiæ conflatum, ſed in eo opera luſa. Sed ſtudio ejuſdem plebis, neç abhorrentibus Cæſarianis colloquio rurſum dies dicta in cœnobio Gerriconio ad amnem Lavicam. Coïere illic prid. Iduũ Ianuarii ipſe Georgius Teutòborgius gubernator, Iuuo Bottinga, Tiardus Burmania equeſtri cingulo donati ambo, Kempo Martena jureconſultus, Cæſariani; Petrus Sickingius, Ludolfus Coenderus conſules, Henricus Elderwoldius jureconſultus ſenatui à ſecretis, & cum his duo ex concilio jurato, duo item ex eorum numero, qui cum ſenatu reip. conſulebant, paulô antè electi, & ædilium tribunitiæ poteſtatis alter. Magna expectatio de eventu conventus hujus: ſpes ingens concepta, ſed in fumum ſubitò verſa. Quippe hujuſmodi leges ferebant Burgundici, quas ſi reciperent Groningani, peſſum itura erant illis, pro quibus tot annos bellum toleraverant. Sic ad hoſtilia animi relati; certatum prædationibus alternis, magnâ vi magnisve copiis nihil geſtum: ſemel equites Geldri XXV Coverdiâ egreſſi Scoenloæ Drentiæ vico à Burgundicis peditibus CC oppreſſi noctu, & Steenvicum in vincula ducti, vix tribus fugâ elapſis. Reliqua ſcriptione non digna. Nec tamen inter hæc induciarum ſpem & quietis deſiderium Groningani poſuêre. Erat tum in ſenatorum numero Rodolfus Aquenſis ante quoque nobis memoratus, qui in familiâ Florentii Egmondani olim vixerat, Florentioque notus & carus erat. Huic negotium datum, ut quoniam iniquiores videbantur, qui in Friſia rebus pro Cæſare præſidebant, ad Florentium profectus induciis viam ſterneret. At ille ſuſceptâ re, cum in Brabantiam veniſſet, per Florentium magnâ tunc gratiâ atque autoritate pollentem non ſolùm viam ſtravit, ſed inducias quoque ipſas in annum confecit, modò Gelder aſſentiretur. Atqui hic videas, quàm vanum vulgus ſit, quamque leviter nunc huc nunc illuc, ut flabra cient, impellatur, imò ſibi repugnet. Nam Rodolfo domum reverſo, Marwicus quietis inimicus, leviſſimo & turbulentiſſimo quôque è fece plebis fretus in fanum Walburgis multitudinem convocat, eodem ipſe accedit, ſenatum traducit, qui tantâ de re ſine principe per Rodolfum cum hoſtibus agere ſit auſus, in eum imperitum popellum incitat, Rodolfum reum agit. Ibi veſana multitudo, quæ priùs pacem clamarat, ſenatum primoreſque quaſi pacem morantes arguerat, imò in diſcrimen vocarat, repentè verſa damnare ſenatus factum, tumultuoſiùs conclamare, vix ſibi temperare, quin peſſimum facinus conſciſceret. Denique induciæ infectæ manſere. Sed ſenatus & populi primores periculo moti, & ut calumniis irent obviam, induciaſque exorarent, Hugonem Nylium jureconſultum ad principem legant, per eum omnia ediſſerunt, principi ſe purgant, induciarum neceſſitatem exponunt: poſtremò efficiunt, ut princeps fortunæ diffidens induciarum causâ proceres conſilii ſui in Brabantiam miſerit. Tum induciæ firmatæ, publicatæque pridiè Iduum Iunii, duraturæ in annum, conditio annexa, ut durantibus iis de pace integrâ ageretur. Quæ dum his locis fiunt, in Friſia Orientali bellum exortum. Hujus cauſæ paulò altiùs repetendæ. Obierat biennio antè, menſe Iulio, Hero Omconius Eſenſis, ferox, turbidus, violentus, Edſardo inimicus perpetuus, quem animum ne ſenium quidem in eo extinxerat. Hic ex uxore Oldenborgiâ Armgarde liberos quatuor maſculini ſexus, filias item duas ſuſtulerat. Ex filiis Melchior puer perierat. Sibo, qui natu maximus erat, & Caſpar offenſi aſperitate paternâ in Sueciam profecti fuerant ad Chriſtiernum Daniæ, Norwegiæ, Sueciæ regem ſobrinum ſuum, cui tum bellum in Suecos erat exortum, cum annus à Chriſto in terris nato flueret M. D. XX, eoque in bello forti operâ regi navatâ anno proximo ceciderant. Solus itaque patri ſuperſtes Balthaſar in opes ejus ſucceſſit, ſimillimus ingenio ejusdem, juventâ ipſâ præceps, violentus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

lentus, juſti inuſtique diſcrimen non habens. Ab hoc Anna ſororum major MD XXIV Ottoni Ritpergico anno M. D. XXIII nuptui data. Simul idem vitiis frenum laxans aliorum fortunis manum injecit, multos ex nobiiltate vicinâ bonis exuit, in res eorum, qui in fide Edſardi erant, imprimis in agros Cankeniorum involavit præter fas, Vlrico patruo hæreditatem dimittere, aut pecuniâ ſatisfacere recuſavit, Ieveranas ſorores iniquiſſimâ ratione circumſcripſit: Simul in mercatores & eorũ res terrâ mariq; invaſit. Ob hæc querelæ variæ ac graves ſpargi paſſim, maximè autem ad Edſardum deferri, ab eo auxilium poſci: is Balthaſarẽ monere graviter ac ſeriò, uti par erat, ab hoc monita ejus temni & derideri, delictáque non ſolùm non corrigi, ſed etiam multiplicari. Quæ cum ferri non poſſent ampliùs, nec quicquam minæ in eum proficerẽt, Edſardus arma prehendit, tum ut læſis auxilium ferret, tum ut ſe à contemptu ludibrioque vindicaret, contumacemq; obſequium doceret. Addit Eggericus Beninga Grimerſhemius, à Cæſare aut ſenatu Cæſareo ad Edſardum mandata veniſſe de Balthaſare coërcendo. Itaque milite collecto per hyemem, populoque ad ſigna vocato in Eſenſem Comes ducit, hominibus ejus per agrum, quantum fieri poterat, parcit, oppidum Eſenam obſidet mirifico ſuorum ſtudio, qui honorem aut ignominiam ejus ſuum honorem ignominiamve ducebant. Quapropter aëris hyberni mala, pluvias, frigora, turbines ventorum, noctes longas & caliginoſas, quæ vix ferri poſſe videbantur, patienter ferebant. Quod cum vidiſſet Balthaſar, tormentorumque fulmina, & audaciam Edſardicorum horreret, nec ſpem auxilii haberet ullam, tempori cedens permiſit ſe Edſardo, certiſque legibus pacem ab eo redemit. Leges hæ fuêre. *Balthaſar Edſardo ſe jungit, ejus auſpicia ac ſigna ſequetur impoſterum terra mariq́, rebuſq́ ejuſdem aderit ubique ac ſubſidia feret: ſimul renunciat auſpiciis, fidei, fœderibus principum ſociorum, amicorum omnium in cauſis communis Friſiæ. Edſardus pollicetur, viciſſim ſe Balthaſari auxilio futurum juſta agenti poſcentiq́. Balthaſar in belli hujus ſumptus Edſardo dabit aureos Rhenanos quater mille, & ex his ter mille eveſtigio, reliquos poſt annum: eligentur utrimque quaterni viri idonei, qui de demolitione munitionum oppidi Eſenæ cognoſcent & ſtatuent, ac pariter reliqua Edſardo & Balthaſari controverſa component. Ad hæc Balthaſar patruo ſuo Vlrico ſolvet aureorum Rhenenſium millia ſex, tria quidem ſtatim, reliqua intra triennium penſionibus paribus ad paſchatos: præterea quotannis ad Michaëlis in omne tempus futurum præſtabit ei pendetve cenſum aureorum Rheneſ.* C C C, *cedetq́ ei in ſolutum agros in ditione Edſardi ſitos; & reliqua aliunde ſupplebit. De renunciatione ſucceſſionéve, ita uti jam tum convenerat, uterq́ inter ſe tranſigent, ſalvo jure Edſardi. Idem Balthaſar reſtituet virginibus Ieveranis Edonis filiabus, item nobilibus cæteris, & cujuſvis ordinis hominibus in Comitatu Friſiæ orientalis, inq́ Oſtringiâ, Ruſtriâ, Wangriâ agros & bona alia hactenus à ſe detenta, eoſq́ in poſſeſſionem eorum immittet, utiq́ ac frui liberè pro arbitrio ſinet, atque inſuper ſingulis unius anni locaria ſolvet. De dote, quam à Ieveranis poſcit, controverſiam cognitioni & judicio Edſardi permittet, finiendam intra annum. Quæ bona homines, qui in fide Balthaſaris ſunt, in ditionibus Edſardi, itemq́ in Oſtringiâ, Wangriâ, Ruſtriâ tenent, his uti frui iiſdem viciſſim licebit. Litem de locariis aliis à Balthaſare impeditis cognoſcent & component bini ac bini hinc inde delecti, idq́ intra trimeſtre: qui ſi id facere non poterunt, Edſardo & Comiti Oldenborgio judicium ejus erit, iiq́ eam definient, nec licebit ab horum ſententia recedere, aut alios judices appellare. Balthaſar nemini terrâ maríve vim faciet, aut fieri curabit, ſed jure aget; itinera & navigationes tutas relinquet. In naufragis & fluitantibus ſequetur morem Friſiæ Orientalis, contentuſq́ operæ mercede ex æquo & bono naves merceſq́ dominis reſtituet. Ius omnibus utraque à parte dicetur: captivi utrimque dimittentur ſine lytro, ſolutis impendijs: commeatus & commercia hic illic erunt libera: dubia colloquijs amicis expedientur. Hæc pacta, horumve aliquod ſi ruperit Balthaſar, eo ipſo facto committet, ne quis ſubditorum fidem &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

MD.XXIV *obſequium ei debeat, aut opem ferre teneatur*. Hæc ſignata ab utroque Edſardo ac Balthaſare die Palmarum. Ita pax illis locis reparata, exercitus Eſenâ abductus, miles peregrinus, ad tempus ab Edſardo ſub ſignis retentus, donec conſtaret, de munitionibus Eſenæ, & bonorum reſtitutione quid Balthaſar eſſet facturus. Poſt quos dies de pirata nobili ſupplicium ab Edſardo ſumptum. Is erat Cornelius Verienſis Selandus, Emdanis potiſſimum infeſtus, auſpicia principis Geldriæ facinoribus ſuis prætexens. Qui cum è gregalibus ſuis unum offendiſſet, ille & conſilia ejus, & res omnes, & ubi eſſet, Edſardo clam prodit. Hic inſtructis celeriter, & emiſſis navibus ex inſulâ Rottumanâ extractum, Emdamque in vincula vectum, cum nec mandati literas exhibere, nec aliàs expedire ſe poſſet, fruſtrà ingentem pæcuniæ vim pro redemptione ſui offerentem cum VII gregalibus capitis damnavit: capita ſublimibus tignis terroris causâ impoſita. Eodem tempore apud Geldros quoque & Tranſiſalanos armis certatum. Quippe Hollandi Geldro vicem repoſituri adulto menſe Ianuario Velaniam invaſerant, agrum longè lateque diripuerant, prædas egerant, incendia fecerant. His verò hoſtis ſuperveniens equitatu pollens, & prædis intentos invadens partim cecîderat, partim in diæceſi Vltrajectinam recipere ſe coëgerat. Eo facto, fortunam ſequens, pluribus cohortibus coactis in diæceſin ſe intulerat, oſtentandi ſui gratiâ & caſtris ad mœnia Vltrajectina locatis, ſuburbiiſque afflictis in Hollandiam ſe perrecturum, regionemque ferro & flammâ peſſundaturum, jactitaverat, ſed à triduo, ſeu quod diffideret ſibi, hoſtileſque copias coire majore numero audiret, ſive quo alio conſilio, terrore ad portas urbis excitato pedem in Geldriam retulerat. At Suollanus longo bello feſſos & exhauſtos fortunæ ſuę vehementer pœnitebat, cœperatque factio civitatem ſcindere. Nam major pars belli finem poſcere, Geldri conſilia ſuſpectare, ſenatum cum Geldro colludentem ejuſque cupidini ſervientem arguere, pauciores cum ſenatu facere, Geldri partes fovere: denique eò res rediit, ut tumultu facto tres quatuorve è Senatu in vincula ſint conjecti. Tum princeps de ſuis ſollicitus, ut iis ſuccurreret, & civitatem opprimeret, expeditam ac validam cohortem nocturno itinere Suollos mittit, & in hortis ſuburbanis clam conſidere, ac in inſidiis eſſe jubet. Ipſe ſubſequitur, & primâ luce ad urbem accedens recluſis portis infert ſe in eas, velut urbem ingreſſurus eo more ac ſatellitij modo, quo ſolet. Sed intra portam exteriorem cum veniſſet, cohors in inſidiis latens, uti convenerat, proſilit ſubitò, ac in portam ingruit. Verum oppidani concurſu facto penſiles clathros interioris portæ feſtinenter deiiciunt, principemque & cohortem urbe excludunt: ſimul è locis ſuperioribus in ſubeuntes lapides, & quicquid miſſile, jaciunt, atque aditu ſubmovent, principem ipſum penè elidunt. Mox multitudine ſubmotâ eundem cum paucis in urbem recipiunt, & cuſtodia cingunt. Ille ſollicitus de ſe, & captivo ſimilis, in excuſando colorandoque conſilio perplexus & titubans, totamque noctem ſine ſomno tranſigens poſtridiè allato nuncio Cæſarianos in agrum Bethavium incurriſſe, prædari, urere, hoſtilia omnia patrare, occaſione lætus ex urbe ſe rurſum proripit velut in hoſtem properans, mirantibus multis, ab oppidanis, in quorum caſſes inprudens inciderat, tam facilè eum dimiſſum. At ille conflato quam maximo militum numero, ruſticiſque ad arma vocatis, poſthabitâ hoſtis curâ in Suollanus paulò pòſt ſe vertit, urbemque obſidet, tormentis quatit, ſuburbia vaſtat, in ipſa uſque mænia armatos immittit, ſperans per vim ſe urbe petiturum. Verum quod benè munita urbs eſſet, civeſque magno animo, magnâ conſtantiâ reſiſterent, tormentiſque in obſidentes incurſanteſque fulminarent, deſperans de re, colloquio conflato, inglorius nec ſine ſuorum detrimento ſolutâ obſidione in Geldriam rediit. Intereà nuper domum reverſus, ex animi ægritudine in morbum cum incidiſſet, Doroſtati vitam clauſit Philippus epiſcopus

ad VI

Aprilis, corpuſque ejus more majorum Vltrajecti in æde primariâ conditum. M.D.XXIV Huic ſucceſſor datus Henricus Palatinus Philippo Electore Septemviro genitus, dudum Wormacienſis epiſcopi collega, quem adjutorem dicunt. Circiter id tempus copiæ militares ab Edſardo dimiſſæ, concurſuque plurium vehementer auctæ biduo ante Calendas Maias Friſiâ Orientali egreſſæ, Aſchendorpam petunt in diœceſi Monaſterienſi, inde in agrum Benthemium contendunt, atque ibi omnia depaſcentes hærent aliquandiu: demum equitum manu firmatæ amplius, & jam cuivis formidabiles propius Daventriam ſe conferunt. Poſtremò induciis, de quibus dixi, inter Burgundicos & Geldros initis, & milite utrimque dimiſſo, & ad eaſdem has copias frequenter confluente, tantus conflatus exercitus eſt nullius ſtipendia merens, ut jam VIII millium numerum ſuperare diceretur. De quo cum audiſſet Chriſtoforus Brunſvigius Bremenſium præſul, nondum oblitus doloris veteris à Worſtenſibus accepti, ejuſque ulciſcendi libidine flagrans occaſione arreptâ mittit è ſuis, qui exercitum adeant, & quid fieri cupiat, edoceant. Promittit Worſtenſium fortunas omnes ſine diſcrimine in prædam ſe militibus daturum, ſi iſtuc profecti rebelles contuderint, aut occidione occiderint. Illi, qui prædæ ex ſe cupidiſſimi erat, in eam rem operâ promiſsâ, ſtatim ſe accingunt, & regionem ingreſſi, profligatis, qui ſe objicere auſi fuerant, omnibuſque, quos aſſequi poterant, fœdâ cæde mactatis, non ætatis, non ſexus ullo diſcrimine ſervato, totum agrum pro libitu diripiunt, vaſtant, urunt, ſacra & profana juxta habent, denique informe ac hominibus vacuum ſolum (fugerant enim quos enſis non hauſerat) crudeli præſuli clade miſerorum lætanti tradunt: ipſi manubiis divites in Hadelerios eodem ſubmonente præſule progrediuntur, & majore quam credas auri pondere, (Sicco Beninga de XXXVI millibus aureorum Rhenenſ. affirmat) pavidos agricolas incendia & populationes redimere cogunt: nec eo contenti, huc illuc vagantes cuncta depaſcunt, nec antè abcedunt, quam quod abſumerent, deeſſet. Tum longius in ortum ituri, Ditmarſoſque & Holſatos, & urbes vicinas vexaturi, conſpiratione principum & civitatum arma parantium perterriti, verſo itinere in Monaſterienſes reverſi, iiſque afflictis in Vltrajectinos tandem ſe referunt, omnibus mortalibus hoſtes, quibus erat, quod rapere poſſent. Medio tempore Steenvicum magnis operibus munitum fuit à Burgundicis, ut haud facile expugnari poſſe videretur: idque propugnaculum Sylveſtrium Friſiorum, & reliquæ Transſlavicanæ regionis ab eâ parte paratum, oppidum ædificiis inſtauratum & habitatoribus frequentari cæptum. Tum ſignum argenteum ex puriſſimo ejus metalli genere conflandum, pondere marcarum ſeu beſſium XXII ab æditituis fani Mariani ad Aham amnem locatum, dicatum Catharinæ virgini, multis partibus deauratum. Id loco ſacro illatum poſitumque die VII Calendas Decembr. qui dies ei virgini feſtus eſt. Æditui qui locarunt tum fuere Sicco Beninga hiſtoriæ ſcriptor, Lambertus Hugingius, Timannus Sappius, Guilhelmus Canterus. Nec dum belli finis erat inter Geldriæ principem & Vltrajectinos, quanquam hi Philippo defuncto, ſub novo præſule agerent. Tentatáque eo tempore à præſule eſt arx Rechterana, copiarumque vagarum pars in hunc finem ab eodem conducta, ſed nihil effectum. A principe Gelmuda & Laga majoribus operibus munitæ. Simul Vltrajecti diſſenſione civili laboratum, magnâque contentione de finiendo bello cum Geldro actum, Suolani deſertis Geldri partibus veteribus ſociis & diœceſi rurſum conjuncti. Fama etiam vulgata, inter Vltrajectinos & Geldrum operâ principum Electorum bellum eſſe compoſitum, atque hoc VIII Calend. Decembr. publicatum: ſed fama hæc non multò poſt falſi convicta. Iam copiæ illæ, quas dixi, huc illuc vagantes in Drentiam venerant, in cohortes VIII diſtributæ, numero omnes, qui arma ferebant, circiter quinquies mille, exceptis lixis &

MD.XXIV calonibus, & tum ſummum ducem ſibi præfecerant Cleinium Harlemæum. Nec illic moratæ diu ad XII Calend. Decemb. in Fredowoldios primum, qui in agro Groningano cenſentur, deinde in Hummerzios, & Langowoldios, & Madachios commeſſantium & graſſantium in morem ivere: atque inde trajecto amne Huneſo in Marnenſes reliquoſque Huneſgonios & Fivelingios uſque in Amaſum ſe effuderunt, ac Dammonæ ſederunt aliquandiu. Mox hic quoque omnibus conſumptis per Duerſwoldios viâ Slochteranâ in præfecturam veterem progreſſæ, Weſterwoldios petivere, iſtinc in diœceſin Monaſterienſem rurſum cogitantes, ubique terrarum hoſtium quam hoſpitum ſimiliores, imò voracibus & fœdis harpyis pares. Sed præſul Monaſterienſis de conſilio hoc certior factus, arma in eas paravit, ad aditus inſidendos & claudendos. Quapropter territæ cædem, ac tuta potius quam difficilia ſequentes, exorato pacifico tranſitu, qua breviſſimum iter erat, in diœceſin Vltrajectinam, velut ſedem quandam propriam ac ſolitam, & ob diſſenſiones inteſtinas, bellique Geldrici tumultus injuriis oportunam, declinarunt, repertiſque fortè non procul Daventriâ pontone & navigiis aliis, tranſmiſſo per noctem Iſalâ flumine, per mediam Velaniam Vltrajectum contenderunt, & apud Iſelſteinios, Montfortios, Wordenſes ad initia uſque menſis Martij conſederunt, maleficiis plus ſolito ſibi temperantes, ſperantes Vltrajectinam diſcordiam in tumultus armatos, aut inducias inter Geldros & Cæſarianos in bellum erupturas. Atque hæc intra extráque Friſiam armis ac vi geſta eo anno. Nunc quæ ſine armis acta tempore eodem exponenda. Geldris Oſtergoâ, Weſtergoâ, regione Sylveſtrium ejectis, & certâ quiete partâ, ſtatim à conſtitutis induciis, actum rurſus de certis imperandi parendique legibus ſcribendis, duraturis ad poſteros. Et hanc ob rem legati è Friſiâ in Brabantiam expediti: & mox deſignati qui in Friſiam irent, Iodocus Groningius Selandus ſuæ gentis nobiliſſimus, Gerhardus Mulartus, Gerritius Aſſendelſius, Vincentius Cornelius, Iacobus Iunius. His ampliſſima poteſtas data cum Georgio Teutoborgio inquirendi in omnes partes reip. Friſicæ inter Lavicam & Flevum, & quæ æqua ac juſta erunt, reíque publicæ, & principi Cæſari commoda, ſtatuendi decernendique. Qui cum Leoardiam veniſſent, ſine morâ exorſi rem, vocatis provinciæ ordinibus, exhibitis mandati ac poteſtatis literis, auditis omnibus, luſtratâ totâ provinciâ, multis diſceptationibus ultro citroque habitis, tandem conſenſus initus, leges certæ conſcriptæ, annuus cenſus Cæſari aſſignatus, tributa, vectigalia, portoria definita, cuncta ferè ex formulâ Saxonicâ antè recitata, propterea quod Saxonis imperium Cæſar excepiſſet, & in jus ejus ſucceſſiſſet. Et hæc à Margaretâ gubernatrice, ſenatuque Belgico abſente Cæſare ſolennibus tabulis probata ac firmata menſe Decembri. Hiſq; legibus ab eo tempore hæc regio Friſiæ eſt uſa. Inter alia placuit, ut appellationibus ſuperiorum tribunalium extra fines Friſiæ vetitis, ſententiarum latarum examen recogniotive admitteretur per reviſionem, uti vocant, cui locus in Friſia eſſet præſide Teutoborgio gubernatore. Tum etiam Octobri menſe eâdem in regione promulgatum edictum nomen Cæſaris præferens, quo lites omnes durante bello exortæ ſuſpenſæ ſunt in quadriennium à promulgatione proximum. In orientali Friſiâ Edſardo parente religio è tenebris emergens, & magis magiſque ſe proferens his annis inſigniter effulſit. Sic enim Chriſto viſum, facem hic accendere, à qua vicinæ regiones, imprimis Belgica, lumen haurirent. Erant tum in munere docendi alij alibi doctrinâ ac pietate, & veri ſtudio inſignes, apud Auricanos verò Henricus Brunius, ut tradit Grimershemius, apud Leranos Lubbertus Cantius, apud Nordanos Ioannes Stephanus, apud Weneranos quoque Ioannes Sculto, quanquam hic deflexerit poſtea; ſed omnibus prælucens Georgius Aportanus apud Emdanos. Hic Suollis in ædibus fratrum, uti nuncupant, cum

minor

M.D.XXIV

minor annis eſſet, literis inbutus, dein adultior in docendis bonis artibus ibidem in ſcholâ verſatus aliquandiu, inde ab Edſardo vocatus, & inſtituendis filiis ipſius præfectus cum veritatis primum lumen hauſiſſet, exarſit ſtudio, ut quod ipſe intelligeret verum, id alios quoque doceret. Quod ut plenius uberiuſque facere poſſet, aditumque ad ſuggeſtum ſibi aperiret, ſuadentibus amicis ſacerdotium iniit. Inde cum Emdanos doctrinæ cupidos, ſed bonorum doctorum inopes videret, templis excluſus à ſacerdotibus, quibus in odio erat, permiſſu Comitis patentibus in campis prope urbem concurrente magnâ hominum multitudine conciones habuit. Mox civium ſtudio, nequicquam obnitentibus ſacerdotibus, in templum urbanum ductus & in ſuggeſto collocatus eſt, principe, ut à ſenibus accepi, Bernardo Campio publicum munus gerente (ſcriba enim prætorij præfecturæ ſuburbanæ erat) qui apparitoribus ſtipatus dabat operam, ne quid turbarum per ſacerdotes concitetur, aut immodeſtè fieret à plebe. Erant tum ſacerdotiis in urbe præditi, præter cucullatos, numero XII, atque in his Poppo Manninga è primà nobilitate, cum Comite ſanguine junctus, docturæ titulo fulgens, Iacobus Canterus Groningâ oriundus, in poëſi lauream meritus, Henricus Camponeius, & Chriſtianus Sizobuttelius, & ipſi doctrinæ nomen ferentes, bonoque loco nati in urbe, eminebant. Qui cum gratiâ autoritateque pollerent, haberentque potentiſſimos quoſque in urbe ſibi addictos, ſperabant haud difficile ſibi fore, quod ageret Aportanus, quôque animi plebis ferebantur, impedire. Sed fruſtranea ſpes eſt, quæ Dei decretò adverſatur. Aportanus magno ſilentio auditus, magnuſque aſſenſus concionem ejus ſecutus, alij in ſententia confirmati, alij in eandem tracti, denique civitas iſtuc inclinata, aſpirante divino numine. Maiores tradunt, Canterum, cum dicentem ad templi valuas auſcultaſſet, egredientem cum Bernardo Campio immodeſtius verbis eſſe aggreſſum, nec veritum dicere, dudum ſe quoque iſta non neſciſſe, ſed ne ſibi & cæteris obeſſet, neu plus aliis ſapere velle videretur, proferre ad populum noluiſſe: verum eundem increpitum viciſſim à Campio, atque acrius reprehenſum, qui ventris causâ ſummâ in re veritatem ſe diſſimulaſſe fateretur, ſtomacho plenum minitabundumque cum ſacrificulis ſymmyſtis in arcem properaſſe ad Comitem, (is tum fortè aderat, ſed infirmus corpore, aut infirmitatem ſimulans) ut eum querelis inceſſeret, ſed morbi prætextu nec ad colloquium à Comite, nec in arcem eſſe admiſſum: ſic perſpecta Comitis mente de impediundo doctrinæ curſu deſperaſſe, neque multò poſt relicto ſacerdotio Emdano Groningam rediſſe. Qua in urbe natali quod reliquum habuit vitæ conſumpſit, homo notæ impietatis, atque omnis religionis deriſor, evangelium de Chriſto, vitam alteram, corporum reſurrectionem in anilibus fabulis habens, eorum qui ſecus crederent, ſtultitiam ſcommatis inſectans, denique etiam nunc eruditarum literarum quam bonorum ac honeſtorum morum famâ apud poſteros notior. Et hoc publicarum concionum doctrinæ melioris apud Emdanos initium. Datus Aportano collega primus Hermannus Henrici ex ſacrificorum oppidanorum numero abjectâ idolomaniâ ad veritatem converſus. Reliqui ſacerdotes ſenſim altaribus & ſuggeſto amoti, quotquot eorum concedere alio noluere, retentis cenſibus ſuis unà cum civium parte, quibus papatus nondum faſtidio erat, apud Franciſcanos exercitium religionis ſolitæ ſuſtentabant. In quibus Poppo Manninga locum nomenque ſuum tenuit ad annum Chriſti MDXXX, & defuncto Vnicone Ripperda, qui Hicconi Cankenio in honore ſucceſſerat, præpoſituræ cenſus prioribus quoque adjecit. Nec aliter factum in totâ regione, ſtetitque aut concidit papatus, prout plebs aut ſacris præfecti huc aut illuc inclinarunt; quippè cum cogeret neminem, neminem loco moveret Edſardus, plebi verò libertatem in hac re atque arbitrium omne relinqueret, niſi quod

M.D.XXIV causam piam, quantum poterat, favore juvaret, atque hoc præſtaret, ne quid
immodeſtè, ne quid turbulentè uſquam ob religionem fieret. Denique ſine
imperio religionis forma verbi divini vi brevi tempore ſub ditione Edſardi cō-
verſa eſt, ſuperſtitioque vetus aut privatis parietibus hic illic, aut monacho-
rum monacharumve cœnobiis concluſa. At Groningæ bello per inducias
ſuſpenſo, quietéque ab hoſte partâ, Marwicus propoſiti tenax domeſticis
malis civitatem implicabat; diſſidia ſerere, factiones movere, peſſimum ac
ſeditioſiſſimum quemque ſibi adſciſcere, ſenatum & optimates vexare, apud
principem, apud plebem traducere, & in odio ponere. His rebus motus prin-
ceps legatos eôdem miſit, qui controverſias cognoſcerent & componerent,
malis aliis in urbe & agro mederētur, cenſus annui ſeptem millium, qui prin-
cipi debebatur, certam rationem conſtituerent, quod cum Dammonenſibus
civitati diſſidium emerſerat, finire tentarent. Sed qui fuerint hi legati, non
invenio, nec quid effecerint, quove in ſtatu rem reliquerint. Hoc ſolùm re-
perio, Camerinæ movendæ Marwicum ſedulò inſtitiſſe, & malum pejus fe-
ciſſe. Et rurſum murmur in eos, qui largitione principis irretiti conſilia pu-
blica vitiare ferebantur. Nec antè finis huic rei, quàm lex perlata eſt conſen-
» ſu omnium ordinum, ne quis remp. gerat impoſterum, qui ipſe, cujusve uxor
» aut liberi, aut quivis alius ejus nomine ab ullo principum ſtipendium pen-
» ſionemve annuam capiat, jurentque munus inituri, ab hac labe ſe familiam-
» que ſuam eſſe immunem. Tum plerique, qui in ſtipendio erant principis,
commoti ſanctione hac, ut in muneribus reip. manerent, ſtipendio renuncia-
runt: Ludolfus Coenderus, Rodolfus Hugingius, Lubbertus Corenportus,
ut ſtipendium retinerent, à rep. gerendâ abſtinere maluerunt. Ea res acerbè
traducta à Marwico, peſſimè accepta à principe, ſed diſſimulata, reſervata-
que tempori. Interea creſcente diſcordiâ civili, augeſcente quoque diſſi-
dio, quod Marwico cum ſenatu erat, qui principis jus ſenſim extendere, &
MD.XXV. ultra terminos præfixos proferre nitebatur, initio anni M.D.XXV princeps
Carolus mordaces literas ad ſenatum dat, poſcitque mitti legatos ad ſe cum
mandatis & poteſtate componendæ diſcordiæ. Nec in morâ ſenatus: mittit
iſtuc mandato inſtructum Laurētium Theologum, Iacobæorum monacho-
rum in urbe Priorem, nuper Docturæ Theologicæ infulâ ornatum aut one-
ratum Pariſiis, hominem vanum, tumidum, audacem, ſibi plaudentem, de-
nique cucullâ dignum. Sed hunc princeps indignum munere tam magno
ſine reſponſo domum remittit. Hoc tantùm dicere juſſus, cùm domum re-
diſſet, poſcere principem, ut viri rerum periti prudenteſque è ſenatu mit-
tantur cum poteſtate plenâ: cum his polliceri eum & acturum ſe & diſſen-
ſioni finem facturum. Quæ cùm monachus redux expoſuiſſet, ſenatus vo-
cato juratorum concilio, adhibitis ædilibus tribunitiæ poteſtatis, & primo-
ribus civium rem deliberandam proponunt: Periculoſum enim videba-
tur poteſtate hujuſmodi inſtruere legatos, qualem princeps requirere vi-
debatur. Et cùm ne hi quidem ſibi fiderent, ad totas ſodalitates plebeias,
omneſque civitatis ordines res eadem relata eſt. Tandem legatio decreta,
delectique qui legatione fungerentur Nicolaus Scafferus, Ioannes Horn-
kenius Conſul uterque, Eberhardus Mepſchius ſenator, Regnerus Duer-
dius, Ioannes Scatterus ex concilio jurato, Gerardus Stannarius, Nicolaus
Lubbertus, ædiles tribuniciæ poteſtatis. Sed mandata his data cum poteſtate
finitâ, præceptumque ne quid auderent amplius. Præmiſſum munus, quod
præclarum videbatur, duo inſignes & raræ præſtantiæ equi cum phaleris, ad
mulcendum principis animum. Hos iter ingreſſos ad III Calend. Februar.
comitante eodem monacho Laurentio, ambitione fatuo, ſecutus ſtatim
eſt Marwicus accuſare paratus: excepitque Arnhemi Carolus princeps
vultu auſtero, animo offenſo, munus averſans, ac ne videre quidem vo-
lens,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

lens. Quapropter ſolliciti, & de ſe pariter ac causâ anxii legati, quod prudentiæ erat, Cancellarium hominem ſummâ gratiâ apud principem auro demulcent. MD.XXV. Per hunc principem mitigant, admiſſoque dono, aditum ſibi ad eum atque ad agendam cauſam aperiunt. Tum apud principem dicere exorſo Laurentio. Quid tu, ait princeps, redire huc, ac te mihi ſiſtere es auſus? imò verba quoque facere, ac velut oſtentare te non vereris? cenſesne ignorare me fidem tuam? âliud te retuliſſe domum reverſum, ac eras à me juſſus? (ſic enim princeps acceperat) tu verò ſile, ſi ſapis, nec laceſſe ampliùs clementiam meam. Ita confuſo, ſilenteque eo, occœpit Scafferus hæſitans, ac animo, plus quàm ſolet, vacillante. Erat enim actio periniqua, & difficilis. Marwicus quippe adverſarius acer & vehemens, ac gratiâ principis fretus urgebat graviter, & ipſe princeps interdum obturbabat, ſimulque actoris & cognitoris perſonam induebat. Denique cùm in actione pateſceret, non eà poteſtate inſtructos veniſſe legatos, quâ princeps voluerat, idem ſtomachabundus abrupit actionem, juſſiſque manere Arnhemi legatis, Henricum Erclenium virum ſummum & Hermannum Cnopperium jureconſultum inſtinctu Marwici Groningam miſit, ut non cum ſenatu, non cum delectis, ſed cum toto populo agerent. Qui cùm in urbem veniſſent, exhibitis fidei & mandati literis, extemplò per ſenatum univerſam civitatem regionatim diviſam convocant. Eô duobus in fanis Martiniano & Walburgico pro more coactæ literas principis recitant, repetitoque argumento earum duo hæc viva voce proponunt, I velintne, quæ cum principe pacta inierint, quæque ei in pactis promiſerint, ſine vitio ſervare, II velintne itidem legatis, qui nunc Arnhemi ſint, poteſtatem plenam ac liberam dare agendi cum principe de controverſiis & tranſigendi, alioſve illiorum loco cum poteſtate hujuſmodi ſubmittere. Simul addunt, quæ in eam rem ad perſuadendum populum facere videbantur. Secutum populi murmur & diſſonus clamor in re difficili: Nam pactis ſtandum nemo ambigebat, ſi princeps quoque eadem ſervet, ſed legatos tam latâ poteſtate inſtruere, id lubricum, id periculoſum rebantur, in eoque principis conſilium ſuſpectum habebant. Quippe ſic ratiocinabantur, hac ratione fieri poſſe, ut interpretandis pactis jus principis amplietur, civitatis arctetur, & hæc ſenſim obligetur latiùs & firmiùs, ille pactorum vinculis paulatim ſemet exuat, poſtremò in arbitrio paucorum, quos princeps penè in poteſtate ſit habiturus, fortunam civitatis futuram. Sed quod inepta ad deliberandum ſtatuendumque tanta multitudo eſſet, conſenſu omnium delecti viri XVI prudentiſſimi ac fidiſſimi quique ex univerſo civium numero, quaterni ſcilicet è qualibet urbis regione, atque his poteſtas tributa cum ſenatu, & VIII viris nuper ſenatui additis expendendi rem, ſtatuendique, quod optimum factu arbitrarentur. Quibus omnibus in curiâ congregatis, diſputatâ re, concordibus ſuffragiis, poſtulatum de ampliandâ legatorum poteſtate rejectum: cumque hoc reſponſo Erclenius & Cnopperus ad principem remiſſi. Princeps eo cognito, graviùs offenſus excanduit in legatos, iiſque præcepit, ut & iſtinc non diſcederent, & ſimul operam darent, ut à ſuis eam poteſtatem acciperent, quam ipſe, cum primùm de legatis ſcriberet, poſtulaſſet. Simul Guilhelmum Muliconium ſibi à ſecretis Groningam rurſum miſit, eique literas dedit ad omnes civitatis ordines totamque plebem, quarum hoc erat argumentum. Notum vobis, jampridem ſcripſiſſe me ad vos, & per legatos meos ſignificaſſe, me ſcire avere, ſtatutum ne vobis ſit, promiſſa mihi ſervare literis, ſigillo, jurejurando veſtro firmata; dein poſcere etiam, ut hujus rei gratiâ legatos veſtros apud me plenâ poteſtate inſtruere, aut pro his alios

MD.XXV. eo modo inſtructos huc mittere non gravaremini. At nunc & ex literis veſtris, & ex oratione legatorum meorum intelligo, re deliberatâ decretum vobis, non aliam, quàm eam, quam nunc habeant, poteſtatem legatis, qui hic ſunt concedere, nec alios eorum loco huc mittere. Id verò meritò miror, quandoquidem pluries literis meis, quibus petii, legatos cum poteſtate plenâ ad me ut mitteretis, reſpondiſtis, vos miſſuros. Nec poſſum aliud hinc colligere, quàm non habere vos in animo, pactis conventis ſtare. Vt igitur ſemel certus fiam, quid mihi à vobis expectandum, per hunc mihi à ſecretis capita quædam mitto poſtulatorum meorum, quæ eadem legatis quoque veſtris hic exhibui, ac peto, ut per epiſtolam reſpondeatis, velitisne his ipſis ex formulâ pactorum, quæ inita inter nos ſunt, locum dare, an non, uti ex hoc reſponſo veſtro conſilium mihi capere poſſim. Quod ſi non reſponderitis, ſilentium veſtrum pro reſponſo ſum habiturus. Valete, Arnhemi, poſtridie Nonarum Martii. Poſtulata in literis memorata fuere hæc: Vt ſine ambage aperiant Groningani, agnoſcantne Carolum Geldrum Principem ac dominum ſuum, ejuſque jus ac poteſtatem ſalvam velint ex pactorum formâ: deinde, quod hinc dependeat, ut profiteantur, permittantne ei imperium in agrum, per legatum ejus, & quatuor Hovetmannos ex oppidanis à ſenatu lectos ex more & legibus patriis adminiſtrandum, ſalvo unicuique jure ac privilegio à majoribus accepto; utque in hanc rem Hovetmanni ſacramentum principi dicant: item, patianturne ſcribam à ſecretis, & accenſos vel apparitores tribunalis Hovetmannorum eidem principi jusjurandum dare, munus ſuum non alio quam principis nomine obire ex more & jure patriæ, auſpiciaque principis veſte profiteri: denique paratine ſint imperio præfecturæ veteris in ſolidum decedere, idque Principi relinquere. Cum his Guilhelmo profecto, literiſque & poſtulatis Groningæ recitatis cum minus adhuc procederet res, deque eo certior princeps fieret, amplius exacerbatus, atque iræ vehementioris manifeſtus in ſummam ſollicitudinem conjecit legatus, qui Arnhemi erant. E quorum numero ædiles duo, quos ante nominavi, timore correpti, ſeu conſciis conſilii, ſive ignaris collegis, clam per tenebras noctis oppido elapſi Daventriam primum, inde Groningam ſe contulere. Nec multò poſt, ſuadentibuſne legatis an aliorum monitu, an quod id expedire per ſe ſenatus Geldricus arbitraretur, (nec enim id conſtat) Henricus Erclenius & Hermannus Cnopperus eôdem denuò miſſi à principe: atque hi ex voluntate ſenatus à Guilhelmo Friderico & Eberhardo Iargæo utroque primario ſacerdote excepti hoſpitaliter, & quis metus animorum in civitate eſſet, & quas ob cauſas is eſſet, edocti. Dein colloquio inſtituto, ex ſenatu, concilio jurato, ſocietatibus collegiorum plebejorum, cæteriſque civibus deſignati viri IX, qui agerent cum Geldris, cauſamque civitatis tuerentur, deque omnibus ad ſenatum referrent. Atque hoc factum ſæpius. Demum cum Geldri nihil remitterent, mandataque jactarent, nec civitas de ſententia decederet, Guilhelmus Fridericus & Eberhardus Iargæus cum Geldris arbitri controverſiæ facti ſunt. Per hos IX-viri moniti, cedendum principi, nec cum eo pertinaciùs contendendum; ſic eſſe ingenium ejus, ut cedentibus ac precantibus ultrò rurſum ceſſurus ſit, nec jure ſuo uſurus; cogitandumque de periculis, ſi ſecus facerent: ad hæc ne iniqua quidem eſſe, nec pactis adverſa, quæ à principe poſcerentur. Eademque hæc à IX-viris ad ſenatum, à ſenatu ad populum relata: denique populus re ponderatâ in curiæ atrio, variiſque ſententiis dictis, tandem ſenatui reſpondit, tædere omnes belli, malleque cedere principi etiam iniqui aliquid poſcenti quàm in hanc lernam recidere; ſenatui tamen rem totam permittere, ut is ſtatuat, quod optimum arbitretur. Poſtremò ſenatus omnis

cum

cum iis qui ſenatui adjungi in cauſis difficilibus ſolent, itemque XXIIII- M. D.XXV
jurati, cum viderent quorſum res vergeret, & ipſi quoque in eam ſententiam
dolentes gementesq; deſcenderunt. Tum vocati Novem-viri delecti, juſſique
ad arbitros ire, ac referre, civitatem cedere voluntati principis, pollicerique
cuncta bonâ fide ſe ſervaturam. Atque hoc ſtatim memoriæ fideique causâ
relatum in chartam ab arbitris exemplo duplici; quorum alterum civitati re-
lictum, alterum in uſum principis à Geldris retentum. Id factum poſtrid.
Non. April. Tum Geldri domum feſtinarunt. Princeps re geſtâ ſupra mo-
dum lætus, ac ſibi plaudens ſine morâ legatos civitatis, qui Arnhemi adhuc
hærebant, ad ſuos redire permiſit. Hos Marwicus ſecutus, præter ſpem &
expectationem civitatis redditus muneri ſuo, autor fomeſque omnis hujus diſ-
ſidij, omnibus in urbe bonis exoſus, accelerato itinere, eodem cum illis die,
qui erat XVII Calend. Maij, pridie ſcilicet reſurrectionis Domini in urbem
Groningam rediit. Interea Galliæ rex in Italia bellum gerens, cum obſi-
dione diuturnâ Ticinum preſſiſſet, dein cum Cæſarianis, quorum duces
Carolus Borbonius, Ferdinandus Davalus Piſcharius, Guilhelmus Fronsber-
gius, Carolus Lanojus, Nicolaus Salmenſis erant, in pugnam deſcendiſ-
ſet, poſt acerrimum ac varium certamen à fortunâ tandem deſertus, ma-
gnâ ſuorum clade acceptâ, fortiſſimè dimicans ipſe in poteſtatem hoſtium
venit die VII Calend. Martii. Ea victoria Cæſarianorum illuſtris per cele-
res nuncios vulgata omnes Cæſari benè volentes inſigni l·titiâ implevit,
animiſque auxit: Galliam verò, & Gallis addictos in ſummum mœro-
rem conjecit. Atque hæc cauſa fuit, cur Geldriæ Princeps totus à for-
tunâ regis illius pendens, ſibique jam metuens tantoperè gaviſus ſit, cum
Groninganis fortunæ Gallicæ adhuc ignaris tam feliciter ſibi rem confe-
ctam. Scribit Grimershemius Edſardum in Balthaſarem Eſenſem arma
induiſſe violantem pacta conventa, idque bellum proſperum Edſardo cir-
citer Paſchatos rurſum, ut anno priore, finem cepiſſe: Bal.haſarem ad
eaſdem conditiones priores redactum. Idem annotat, uſque ad diem VIII
Calendas Februarii hyemem pluviis fœdam, inde ad Februarii finem gelu
aſperrimo rigentem fuiſſe, ut circiter IX Calend. Martii Amaſus inter Em-
dam, & inſulam vicinam hominibus, equis, trahis, curribus patuerit. Et addit,
ſe quoq; tunc arci Lerorthanæ præfectum ab Edſardo eſſe datum. Paulò poſt
induciæ ad finem decurrentes cupidiſſimo Geldriæ principe cum Burgundis
in annum proximum prorogatæ. Secutaque pax inter Geldros & Vltrajecti-
nos menſe Auguſto, conciliante archiepiſcopo Trevirenſi, utràque parte fa-
cillimâ, hac belli malis feſſâ & fractâ, Geldro ob fortunam regis Galliæ deje-
cto. Pacis leges ſcriptæ, ut Gelder ex locis omnibus quæ juris Vltrajectini ſo-
lent eſſe, exceptâ Groningâ, Cove.diâque, præſidia deduceret, eaque præſuli
reſtitueret, Tranſiſalanos omnes miſſos faceret: Huic præſul & Vltrajectini au-
reorum millia XXX ſolverent: captivi & transfugæ redderentur utrimque; in-
juriæ oblivione ſepelirentur; exules in fortunas ſuas reducerentur: dicteriis &
conviciis abſtineretur: legibus non vi impoſterum ageretur. Suollani ſo-
ciis rurſum juncti. Hic finis longi & calamitoſi belli. Quo levati Vltra-
jectini, epiſcopo velut recreandi animi gratiâ in Germaniam ſuperiorem
profecto, quas cœperant anno priore, maleque ſopiverant, diſſenſioni-
bus civilibus vehementius reſuſcitatis, in ſeditiones exitiales prolapſi ſunt:
ex his in bellum atrox reciderunt: bellum Burgundico demum imperio eos
ſubjecit, ut poſt memorabitur. Eâ tempeſtate à rege Daniæ profugo piratarū
manus navibus, armis, mandatis inſtructa huc illuc in mari volitavit, duce Ni-
colao Cniiphovio, vexandis Danis, Danorumq; ſociis. Hæc, ut mos ei homi-
num generi, non iis ſolum, quibus debebat, ſed omnibus civitatibus maritimis
infeſta fuit, multos mortales graviter afflixit, multos fortunis omnibus, quoſdā

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

MD. XXV. vitâ quoq; exuit. Id ægrè ferentes Hamburgenſes, nec dolore ſolùm ſuo, ſed &
vetere gloriâ ex mari prædonibus purgato ſtimulati armatâ claſſe prædones
perſecuti, atque in alveo lato profundoque, quem Amaſum Orientalem vul-
gò vocant, aſſecuti ſub litore Grethano pugnam cum iis commisêre diffici-
lem, & in multas horas extractam, Cnijphovio & gregalibus ejus non de ho-
nore & fortunis, ſed de vitâ certantibus. Tandem ipſe Hamburgenſium vi
ac multitudine ſuperatus cum gregalibus CLXIII in poteſtatem victorum
venit, Hamburgumque vectus, & in carcerem datus, poſt paucos dies,
nequicquam regiis auſpiciis, & mandato Margaretæ Belgio præſidentis ſe
tuens cum commilitonibus LX gladio carnificis capite truncatus eſt: capita
præaltis tignis in ripa Albis ſuffixa. Hic annus ſeditionum civilium, & tur-
bulentiſſimorum motuum paſſim ſanè prægnans fuit. Nam in Sueviâ, & vi-
cinis Germaniæ regionibus ruſticorum infinita multitudo, aſperata iniquiſſi-
mis oneribus, ac duriſſimâ ſervitute, nacta duces idoneos in principes,
epiſcopos, omnem denique nobilitatem arma ceperunt, ut ſervitute ſe eri-
perent. In Thuringiâ & Saxoniâ fanatici doctores Thomas Monetarius,
patria Stolbergenſis, & N. Pfeifferus religionis prætextu concitatâ demen-
tatâque imperitâ plebe ſimiles tempeſtates dedêre, totis regionibus, & ma-
ximis principibus formidabiles. Sed & iſtîc, & hîc armorum vi multitu-
do furioſa compreſſa, & largo miſerorum ſanguine incendium illud extin-
ctum. In Sueviâ potiſſimum & Alſatiâ, & Lotharingiâ & Franconiâ multa mil-
lia mortalium in acie cæſa ab iratis victoribus, in Thuringiâ & Saxoniâ tumul-
tuum autores Monetarius & Pfeifferus capti cum magno ſuorum numero,
qui facinoribus id meruerant, à carnifice capitibus mulctati. Oſnabrugæ quo-
que plebis ſeditio commota & compreſſa, & Coloniæ ad Rhenum aliquid tur-
batum, Worſati etiam ante annum patriâ ejecti, exilij & inopiæ pertæſi, paratâ
ſexcentorum militum manu, quæ bellum quærebat, in patriam nuper reverſi
res ſuas cum libertate receperunt. Sed brevis hæc fortuna iis fuit. Nam præ-
ſul Chriſtoforus indignum id putans, ſuis ad arma vocatis, vim in eos vertit. Eâ
territi non pauci, præſertim qui jam ante in gratiam cum præſule redierant,
deſertis cæteris, ad præſulem confugerunt. Cæteri ſuorum diſceſſu turbati, &
viribus diminuti animis conciderunt. Deinde conſilij inopes, & inter repeten-
dam exilij fortunam, aut imperium præſulis ferendum fluctuantes aliquandiu,
demum offerentibus ſe, qui interceſſionem pollicerentur, iſtorum operâ
cum præſule tranſigunt, imperio illius ſeſe ſubmittunt, tributum annuum pol-
licentur. Sic pacem, & patriam, & res ſuas recuperant. Inter hæc Groningam
reverſus Marwicus animo pravus, turbidus, vafer, principis ſui ſimillimus, nec
mentis ejus ignarus, novas quoque in civitate turbas meditabatur. Videbat
namque inter concordes jacêre ſeſe, atque inviſum contemni: at in diſcordiâ
eminere, & rem facere poſſe ſe exiſtimabat: & quò magis diviſi ſtudiis atque
odiis mutuis cives eſſent, eò validius fore principis in civitate imperiũ rebatur.
Itaque per homines idoneos clàm calumniari ſenatum, & reliquos poteſtati ac
pecuniæ publicæ incubantes apud mobilem plebem; eos nimirum civitatẽ ve-
ctigalibus oppreſſam tenere ſine causâ, æs reip. augere potius quàm diſſolvere,
cenſuſque ærarij in quæſtum ſuum vertere: rem liberis hominibus non feren-
dam diutius. His verò ſtimulis agitati plebis duces muſſare occultè, ſeque mu-
tuò animare, plebem ſubjectis ſiniſtris ſermonibus incendere. Et cùm jam ſa-
tis præparata res videretur, die III Eid. Auguſti ab ædilibus tribunitiæ pote-
ſtatis, Iacobo Fabro, & Rotgero Naupego, utroque ingenij factioſi & turbu-
lenti ſodalitates opificum & mercatorum cum præfectis ſuis convocatæ ſunt
apud Dominicanos ignaro ſenatu: atque his ex eo ordine, qui cereviſiæ co-
quendæ officinas habent, & in honoratiſſimis & locupletiſſimis civium cen-
ſentur, non pauci ſe junxere. Illic face ab ædilibus ſubjectâ exarſit con-
ſpiratio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſpiratio, conclamatumque ab omnibus, tollendum acciſæ vectigal omne, præterquam id, quod antiquitus vino, & Hamburgenſi cerviſiæ impoſitum erat; M. D.XXV
cæteris verò ærarij cenſibus priſcis novam formam, ac novum ordinem dandum: deinde jusjurandum mutuò datum, non ante ſe finem facturos, nec ſe mutuò deſerturos, niſi re confectâ, etiamſi cum fortunis vita ipſa in diſcrimen eſſet mittenda. Tum è medio ſui confeſtim deſignarunt viros XXIV opibus & autoritate pollentes, qui cum ædilibus duobus verba facerent apud ſenatum, & negotium urgerent omnium nomine, ærarioq; conſulerent. Hi mox prætermiſſo neglectóque ſenatu, ad quem id pertinebat, ad portas ſingulas profecti: earum cuſtodibus graviſſimis verbis cum comminatione mortis præceperunt, ne quid teſſerarum de frumento, quod ad molas deferebatur à quoquam exigerent: res planè inſolens, & in ſenatum ſupra modum contumelioſa. Poſtridiè vocati in curiam conſules, ſenatores, & qui in concilio jurato cum iis, qui prioribus annis in iiſdem illis muneribus fuerant. His omnibus ædiles & delecti XXIV eodem accedentes proponunt, civium ſodalitates magno conſenſu conſtituiſſe, non ferre diutiùs acciſæ vectigal, & civitatẽ immunem ſiſtere ad modum veterem. Senatus & cæteri re novâ ac inopinâ commoti (mos quippè ferebat, ut ſi quid eſſet ejuſmodi, quod ad remp. pertineret, ædiles primùm in curiam venirent ad ſenatum & XXIV-viros juratos, & impetratâ dicendi copiâ, re in medium propoſitâ ac diligenti examine expensâ, pariter cum his conſtituerent, & decernerent, quod è re civitatis eſſe videretur) petunt, ad multitudinem reverſi rationibus oſtendant, non expedire id civitati, ſuadeantque, ut aut miſſa res iſta fiat, aut ſaltem differatur in diem craſtinum, ut tempus habeat ſenatus majore numero coactus, & concilium XXIV-virûm cum reliquis omnibus qui in rebus hujuſmodi adhiberi conſiliis ſolent, inveniendi rationes alias, quibus conſtitui ærarium, & civitas conſervari poſſit, priuſquam conſilio præcipiti, ac toti reip. periculoſo acciſa tollatur. Sed hi, quibus nec verba nec rationes audire propoſitum erat, abnuere id, ac metum à multitudine prætendere, vitã ſuam dicere in diſcrimine futuram, ſi hoc in ſe recipiant; plebẽ enim commotã ſævientis feræ inſtar eſſe, & parcere nemini contradicenti. Nec tamen deſinit propterea ſenatus, rationes explicat, monet, precatur: verum ne ſic quidẽ quicquam efficit. Perſiſtebant enim iſti pertinaciſſimè, poſcebantq; ut ſine morâ vectigalis hujus abrogationem ſenatus ad pulſum æris Campani, uti mos civitatis habet, publicaret. Poſtremò ſenatus, cum aliud non poſſet, per conſulem Hillebrandum Roltemannum, quod ſi omninò, ait, ſic vultis, nec conſiliis rationibuſq; locum datis, agitè voſmet id quod poſcitis publicate: nos in morâ non erimus. At iſti, non eſt hoc noſtrum, inquiunt; vobis autem ſuademus, ut ipſi abſque morâ hoc faciatis: ſi non feceritis, veremur, aliquid eventurum vobis, quod non voletis. Atque hæc dum in curia aguntur, ſodalitatum plebeiarum præfecti magno numero in conclavi majore Dominicanorum congregati hærebant: ipſa autem ſodalitatum ac aliorum civium multitudo aut in foro ſe oſtendebat, aut in cauponis hic illic ſedebat, & cerviſiâ ſe perluebat. Quæ cum tardari rem in curia animadverteret, aut indicio è curiâ edito excitata eſſet, fremens ac tumultuans in eam fori partem, quæ curiæ ſubjecta eſt, curſu defertur, ac pars maxima curiam circumſiſtit, quidam in curiam ipſam conſcendunt, correptóque illic ingenti ligno fores interioris conclavis, in quo ſenatus agit, cùm reip. conſulit, perfringere parant, ut ſenatum, omneſque cum ſenatu ſentientes trucident. Furor enim quidam velut limphatos invaſerat. Simul verò ii, qui circum curiam in foro manſerant, conclamant, *occidite, occidite proditores, præcipitate eos è feneſtris:* interque hos clamores & fremitus elatis manibus ſtrictas ferri acies minitabundi oſtentant. Tum ſenatus, & qui cum eo erant, conſternati præſentiſſimæ mortis metu (audiri enim voces ſævientium ac tumultuantium in conclavi poterant) ad

M.D.XXV ad ædiles & reliquos delectos converſi, faciemus, ajunt, omnia, quæ à nobis popoſciſtis: vos modò ite, & turbam tumultuantem ſedate: erimus in poteſtate veſtrâ. Nec mora, præcedentibus illis, ex voluntate omnium Roltemannus conſul, ſenatus eo tempore præſes, cum parte ſenatus è curia deſcendit, & ad prætorium concedens, quod in capite ejuſdem fori eſt, pro more civitatis, ſigno nolâ dato, decretum, quale plebs popoſcerat è ſublimi prætorij feneſtrâ promulgat, circumfusâ & auſcultante ac ridente totâ multitudine, ſenatu, & quotquot in eadem cum eo ſententia erant, dolentibus. Hic eo die tumultuandi finis fuit. At die poſtero iidem ædiles & plebis delecti XXIV-viri velut animati ſucceſſu priore in curiam reverſi rationes quæſtorum omnium non ſolùm qui jam in quæſtura erant, ſed etiam qui prioribus annis in ea fuerant, tum eorum, qui quoquo modo pecuniam publicam tractaverant, poſtulant: velle ſe dicunt cognoſcere, quantum in ære alieno civitatis ſit, quantum in fœnore non ſoluto: ad hæc conſtitutum ſibi eſſe oſtendunt, ex omni numero, qui conſules ſenatoreſve in rep. aut nunc eſſent, aut prius fuiſſent, viros quatuor deligere, qui fidejubeant, univerſum hoc æs alienum civitati damno non fore; quique viciſſim hypothecariam actionem habeant in omnes mulctas, quas conſules, Hovetmanni, Oldermanni, quæſtores, acciſarum magiſtri interverſas fortè reip. debeant, atque inde indemnes ſe præſtent. Stupebant omnes in ſenatu hæc audientes: nec omnino quiſquam erat, qui hoc ſpondendi onus in ſe vellet recipere. Sed ita agebatur ab iſtis, ut recuſandi nullus relinqueretur locus. Dicebant enim velle prorſus hoc plebem apud Dominicanos præſtolantem; nec ab ea voluntate dimoveri poſſe: præſtare ſpontaneos incolumi gratia plebi morem gerere, quàm cogi invitos. Itaque cum ἑκὼν ἀέκων aſſenſus eſſet ſenatus, heſterno periculo adhuc trepidus, electi ſunt Petrus Sickinga prioribus annis conſulatu ſæpe functus, Sicco Beninga hiſtoriæ hujus ſcriptor, Hermannus Coccius, & Rodolfus Siſſinga ſenatores, nequicquam diu tergiverſantes: coactique iidem extemplo dato chirographo, ut ſponſores reip. ſe obligare. At his fidem viciſſim ſenatus univerſus, ædiles, delecti XXIV-viri dederunt, auxilio ſe ipſis futuros in conficiendâ pecuniâ, ne ſponſio privatis ipſorum fortunis fraudi eſſet. Tum IV-viri ſponſores vocatis conſulibus Hovetmannis, Oldermannis, quæſtoribus acciſarum magiſtris cum iis egerunt de rationibus ineundis conficiundæ pecuniæ ad æs alienum civitatis delendum. Qui omnes per aliquot dies hac curâ occupati, vix tandem tantum ex mulctis, & ſi quid his ſimile, conflare potuerunt, quantum quadrageſimæ parti totius æris debiti diſſolvendæ ſufficeret. Quapropter ſponſores ſenatum, ædiles, XXIV-viros appellarunt conſilium & auxilium promiſſum poſtulantes, ſed ſurdis fabulam ceciniſſe deſertos ab omnibus ſcriptor hujus hiſtoriæ queritur. Paulò pòſt ædiles cum XXIV-viris autore plebe ſacramento periniquo rogare quæſtores, vectigalium magiſtros & quotquot ſimili in munere tractandæ pecuniæ publicæ erant, conniſi ſunt, recuſanteſq; adhibitis minis in ſumma conſilij & rei perplexitate cõſtituerũt. Inter hos erat Ioannes Iargæus vir literis excultus, in ea familia natus, quæ conſules, ſenatores, Hovetmannos plurimos ediderat, & in civitate inter honoratiſſimas habebatur, ipſe eo tẽpore ſenator, fratribus, agnatis, propinquis, affinibus, viris inſignibus multis ſubnixus, pater Eberhardi Iargæi, primario ſacerdotio in fano Martiniano tum præditi. Hunc per aliquot annos in quæſturâ præcipuâ civitatis, & in collegio magiſtrorum acciſæ cum laude verſatum homines factioſi multis probris & verborum contumelijs affecere, peculatorẽ peſſimum nunc in carcerem dandum, nunc occidendũ vociferati ſunt; denique minis eò hominẽ redegerunt, ut ſervandi ſui causâ ex urbe profugiendum ſibi putarit. Et quanquam poſt aliquot dies à fratribus tribus in urbẽ reductus defendendi ſui causâ ad cognitionẽ legitimam offerret ſeſe; nihil tamẽ apud tumultuantes & obſtrepentes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

pentes potuit efficere: neceſſe habuit ut probris & periculis ſe eriperet, urbe rurſum excedere. Deinde in ſenatum denuò converſi ſeditionum duces popoſcerunt imperari IV-viris ſponſoribus, ut expungendis reip. nominibus cunctis pecuniam quoquo modo conficerent, & ad XI Calend. Octobris delectis ad eam rem è plebis numero exhiberent ſine vitio. Ita injuria injuriis prioribus addita. Perinjuſtum enim erat, hoc jam à ſponſoribus poſtulari, quod ne iniquâ quidem & invitis impoſitâ ſponſione fuerat comprehenſum. Hac enim conditione ſpoponderant, ne, excuſſis omnibus, de quibus ſuſpicio eſſe poterat, de publico aliquid eos tenere, ſi ſic conflata pecunia ſufficiens forte delendis nominibus non foret, ſponſio ipſis porrò fraudi eſſet. At Petrus Sickinga ſponſorum princeps videns iniquitatis nullum modum ſtatui, urbem quoque reliquit, adſcitoque ſibi Ioanne Iargæo, qui privignam ipſius uxorem habebat, rectà in Geldriam contendit, queſtum de injuriis apud principem. Qua re aſperati ſeditioſi, qui jam morem induerant, quotidie ferè in curiam itandi & placita ſua alia atque alia proponendi, in ſenatum veniunt, & diſſimulatâ in conſulem voluntate ſenatum urgent, ut Iargæo confeſtim poteſtatem & honorem ſenatorium abroget, & infamiæ causâ pro more pulvinar illius è curia mittat ad familiam. Ad quæ ſenatus, non æquum, non fas eſſe, abſentem inauditumque damnare, ac probro afficere: quod ſi jure inſtituta contra eum actio fuerit, causâ legitimè cognitâ, reo audito & convicto, ſe officio non defuturos. Illi contrà, jam projectâ & calcatâ ſenatus autoritate, & pudore poſito, inſtare ferociùs, rationes omnes poſthabere, minis ſenatum terrere, denique cum ne ſic quidem quicquam proficerent, ipſi propiùs accedentes correptum pulvinar Iargæi in pavimentum proijcere, Iargæum in perpetuum infamem & ſenatorio loco indignum pronunciare, ſenatu attonito, & ſilente, ac frontem audaciamque hominum admirante. Is enim quid faceret? impedire & coërcere ferocientes, & per ſeditionem pro libidine cuncta agentes non poterat: objicere verò ſe actionibus eorum violentis, nec ſibi, nec reip. eo tempore expedire, ac tantùm maturando exitio extremo id fore prudenter arbitrabatur. Et uti ſolertes naucleri ſolent exortâ vehemente tempeſtate, cedendum ventis & fluctibus exiſtimabat. Hac patratâ re, velut majeſtate legum & magiſtratus triumphatâ, poſt dies octo denuò ſeditionis duces magno numero in curiam reverſi ſenatum flagitant, ut eundem Iargæum peculatus damnatum furem publicum ſolenni ſententiâ pronunciet, perpetuumque ei exilium ſine ſpe reditus in urbem decernat. At rurſum ſenatus, hoc facere, legibus & jurejurando ſe prohiberi: nam in leges civitatis ſe juraſſe ad remp. gerendam vocatos: in legibus verò ſic ſcriptum eſſe, ne civium quiſquam niſi judicio legitimo dato, & causâ rectè cognitâ damnetur: imò, ait, ſi reus etiam in urbe eſſet, & ex carcere cauſam diceret, tamen oportere audiri eum, & crimen confiteri, & adhiberi teſtes arbitroſque cives, qui eandem cum illo urbis regionem habitant, ac ſic demùm fas fore ſententiam contra convictum à ſenatu ferri: hos terminos excedere ſibi non licere: quod ſi plebs omninò damnatum Iargæum velit, poſſe ipſos, qui plebi præſint, id facere. Atqui, reſpondent hi, noſtrum non eſt, cognoſcere & judicare: id ad magiſtratum pertinere. Sed nec noſtrum eſt, regerit ſenatus, contra leges quenquam damnare. Sic eo quoque tempore conſtantiâ ſenatus honori Iargæi conſultum fuit. Verùm quieſcere neſcii ædiles & XXIV-viri iis adjuncti. Petro Sickingâ ex urbe elapſo, reliquos ſponſores tres compellant, urgent, poſcunt, ut ad diem dictum remp. ære alieno expediant. Et cum modum iniquiſſimo poſtulato non ponerent, multoſque etiam è plebe ejus pudere inciperet, tandem Marwicus mali totius conflator, perinde ac ſi ipſe curâ boni publici ac juſtitiæ tangeretur, interpoſuit ſeſe MD. XXV.

M.D.XXV negotio huic, & velut concordiæ civilis ſarciendæ ſtudioſus perſonam me-
diatoris homo vafer, & concordiæ inimicus induit. At re agitatâ prodidit
ſe brevi animus nequam. Sic enim curante eo definitum, ut ſponſores tres
præſtandæ pecuniæ illius omnis delendis reip. nominibus pridie Calend.
Octobr. rei haberentur. Ita dierum octo in præſtationis termino, ſi diis
placet, hoc decreto gratia ſponſoribus eſt facta, & quod quatuor priùs irro-
gatum erat, id dempto quarto, qui plurimùm poterat, tribus fuit impoſitum.
In quo duo hæc maxima vitia inerant; prius, quòd res ſuperaret vires eo-
rum, quibus imponebatur; alterum, quòd ſi eſſet etiam viribus eorum par,
tamen per ſe eſſet longè iniquiſſima. Nam videbantur viri tres pro rep. pe-
cuniam præſtare, qui reip. ne teruncium quidem debebant. Hæc tum æqui-
tas gubernatoris Geldrici, & factioſorum civium erat. Cùm præfixum tem-
pus veniſſet, apud Dominicanos factioſa plebs, & ipſe Marwicus coitione
factâ ſponſores ſibi adeſſe juſſerunt. Quibus comparentibus mandatum, ut
ex decreto pecuniam ſine morâ exhiberent: ſi non poſſent, (nam hoc profi-
tebantur) injunctum, ut reip. creditori homini Daventrienſi, cui fœnus in-
gens quotannis ex reip. cenſibus ſolvebatur, ſe obligarent, ad æs, quod ei de-
bebatur à civitate intra biennium diſſolvendum, iſtoque onere ærarium le-
varent, debitique tabulas ſine impendio civitatis à creditore recuperarent.
Erat & hoc planè iniquum, reip. onus in viros tres nihil commeritos deriva-
re. Quamobrem recuſarunt quidem illud: ſed mox jactatis minis ab impo-
tente plebe perculſi, ut malum majus à capitibus ſuis averterent, adverſis ani-
mis poſtulato paruere. Statimque confectæ hac de re literæ, ipſorum mani-
bus ſubſignatæ. Et quò certiùs & validiùs tenerentur, poſtridiè, quanquam
ſacris dicatus is dies eſſet, ſponſores iidem in curiam vocati, ubi ſenatus, ædi-
les, XXIV-viri, & ipſe Marwicus gubernator aderant, coacti ſunt ſenatum
& Marwicum rogare, ut tabulas, quibus ſe pro rep. obligabant, ſuis quoque
ſigillis roborarent. Atque hoc modo carceres, quos ſibi deſtinatos animad-
verterant, declinarunt. Et ſic quidem res tota ab ipſo Siccone Beninga ſcri-
ptore fidiſſimo in Commentariis ipſius expoſita eſt: qui affirmat, tam inſo-
lentem ſeditionem, & intolerabilem plebis audaciam ac petulantiam cum
contemptu juris & æqui, abjectâ omni reverentiâ, quæ legibus & magiſtra-
tui debetur, ab antiquiſſimâ hominum memoriâ, Groningæ non extitiſſe: in
qua viliſſima plebis fex pro libidine ſua cuncta egerit, clamoribus omnia
miſcuerit, bonum publicum ore jactarit, animos in divitum arcas conjectos
habuerit. Fontem mali Marwico adſcribit, eumque dicit ſiniſtro animo ab
initio in ſenatum & optimates civitatis fuiſſe plebemque in hos animaſſe oc-
cultis conſiliis: deinde aſperatum ejuſdem animum in eoſdem actione nu-
perâ in Geldria, in qua liberiùs in eum locuti erant apud principem legati
civitatis, & id egerant, ut loco homo turbidus & pravus moveretur: itaque
cum imperio Groningam reverſum, volente principe, cui alia mens erat,
vicem optimatibus rependere voluiſſe, & hanc ſeditionem conflaviſſe. In-
tereà princeps à profugo conſule Sickingio, & Ioanne Largæo ſenatore de
omnibus edoctus, ut æquitatis opinionem ſibi conciliaret cum capitibus ac-
cuſationum literas dedit ad ædiles, & plebem, plebiſque delectos XXIIII-
viros, quibus eos ad dicendam cauſam apud ſe in Geldriam evocavit. Quod
ut inexpectatum ob Marwici potentem gratiam, ita in prolixitatem conſi-
lii tum cæteros omnes, tum maximè tumultuum duces conjecit. Conſcien-
tia enim eos accuſabat, ipſique haud impunè ſe laturos tantam ſeditionem
in civitate commotam, ſi in Geldriam venirent, ſibi imaginabantur. Tan-
dem optimum viſum, declinando periculo iſto per literas reſpondere prin-
cipi, & ab ea ſententia eum abducere; petere verò, ut princeps ex eorum
numero, quos à conſiliis habeat, quoſdam in urbem mittat, qui controver-
ſias

ſias inteſtinas componant. Quod ut alienius primùm à principe acceptum rejectumque, ſic iterato conatu, & cum literis homine idoneo, & principi non ingrato è factione plebis in Geldriam miſſo, impetratum. Sed quos miſſurum ſe princeps promiſit, non niſi à longo tempore Groningam venere. Hactenus Sicco, qui cum hac narratione terminat commentarios ſuos. At alius ſcriptor ἀνώνυμος factionis plebeiæ, itidem Groninganus, ſed haudquaquam Sicconi comparandus, conſarcinator potius eventuum, quàm hiſtoriographus, plebeculæ ubique blandiens in his exponendis hîc illic à Siccone diſſentit. Plebis conſilia probat, facta excûſat, ſenatum & optimates carpit, Marwicum etiam laudat à prudentiâ, integritate, concordiæ & boni publici ſtudio; qui in genua quoque procumbens furentem multitudinem precibus ſuis à cruentis conſiliis abſtraxerit, & ſenatui vitam ſervarit, denique hoc effectum dederit, ut ad componendas controverſias animi inclinarent. De quo ſcriptore rectè mihi poſſe dici videtur illud, *Quiſque ut habet mores, ita judicat, atque ita fatur.* Quæ dum Groningæ acta ſunt Friſiis inter Flevum & Lavicam habitantibus controverſia nata fuit cum Daventrienſibus & Campenſibus ob vectigalia, quibus iniquo modo gravari ſe à civitatibus Friſii querebantur. Et cùm querelis juſtis locus non daretur apud civitates, iidem conſpirarunt inter ſe, & ſanxerunt, ne quiſquam provinciæ iſtius commercia ulla exerceret cum civitatum harum hominibus, adjectâ tranſgredientibus pœnâ amiſſionis omnium mercium. Sed quem tandem exitum res ea habuerit, nuſquam ſcriptum invenio. Exiſtimo operâ gubernatoris amicè compoſitam. MD.XXV.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber LIV.

ANNO dein M.D.XXVI pridie Bacchanalium ex hac vita abiit Ioannes Comes Oldenburgicus ætate gravis, Friſiis Ciſamaſanis vicinus, & ſæpiùs hoſtis quàm amicus, cum Edſardo ſimultates exercens quamdiu vixit. Cui ſucceſſit filiorum natu maximus, patri cognominis, ingenii quieti, & placidi, adeò ut moleſtias gubernationis ægrè ferret, ac à triennio ſponte propterea gubernationem deponeret, & conferret in fratrem, uti exponetur ſuo loco. Paulò poſt circiter tempus Quadrageſimæ in Friſiam Flevo vicinam ingreſſa ingens manus militum ſine ſtipendiis agentium, ducibus Hanſchio Halberſtadienſi & Caſparo Longo: qui quanquam hoſtes ſe non profiterentur, tamen hoſtilia multa perpetrarunt, & omnibus rure habitantibus perquàm fuerunt moleſti. Ea propter Scencus gubernator de auxilio appellatus reſpondit quidem amicè, ſed armatâ manu ſuccurrere, & injurias depellere ſe tam ſubitò non poſſe; nec enim de conficiendo exercitu tanto, quanto ad eam rem ſit opus, mandatum ſe habere. Quo reſponſo offenſi Friſii, qui defenſionem paratam in caſibus hujuſmodi ex contractu ſibi deberi contendebant, confeſtim que- M D.XXVI

M. D. rendi causâ legatos miſerunt ad Margaretam Auſtriacam Rectricem ſupre-
XXVI. mam pro Carolo Cæſare Sijzonem Tiardam, & Iarichium Decamæum: Et
quia gubernationi vitia diverſa obrepſerant, quibus vim juri & libertati ſuæ
fieri ordines ejus regionis arbitrabantur, ut de his ad Rectricem referrent,
mandata iiſdem dederunt. In quibus præcipua fuere hæc; quòd ii, qui pro-
pè Staveram, Slotam, Steenwicum in agro ſedes haberent, agendis vigiliis
& operis aliis contra pacta conventa gravarentur: quòd tractus quoſdam
paluſtres, agroſque alios, qui privatorum erant, gubernator Scencus Cæſari
aſſereret: quòd nobilitas quoque tributa poſceretur contractibus & legibus
contraria: quòd pacta nobilium defunctorum viduis & liberis non ſervaren-
tur: quòd nobilitati etiam non permitteretur à vectigalibus eſſe immuni.
Margareta auditis legatis perbenignè quoque reſpondit, & liberalibus pro-
miſſis oneratos remiſit domum. Copiæ militares etiam ante legatorum re-
ditum ſine vi, obtruſâ ducibus non magnâ pecuniâ ſtudio gubernatoris è re-
gione ſubmotæ: eæque in Ciſlavicanos tranſgreſſæ non nolente Geldro: à
quo conductæ in Galliam tandem ſe contulerunt. Marwicus intereà ſtre-
nuè perrexit Groningæ, ut quam cœperat fabulam, pertexeret. *Id ſcilicet*
operam dedit, ut variis modis plebem, quam pro libitu ſuo circumagebat,
cum ſenatu & optimatibus committeret, contentioneſque eorum verteret
in commodum principis, & emolumentum ſuum. In hunc finem, quoties
occaſio fuit, ſenatum clam traduxit tanquam iniquè verſantem in jure di-
cundo, nec tam juſtitiæ ac æquitatis quàm odii ac gratiæ rationem cum ma-
gno multorum detrimento habentem. Quotquot in judicio ſuccumbebant
quanquam jure ſuccubuiſſent, tamen, ut fit, dolentes propterea, & ſibi inju-
riam factam videri volentes, querendi gratiâ ad ipſum ſe conferebant, & is
cupidiſſimis auribus illorum querelas hauriebat, ſententias latas carpebat,
querentium dolore ſe quoque affici, & cum iis dolere teſtabatur, & quicquid
ferè ſenatus in jure adminiſtrando agebat, id reprehendebat. Denique hor-
tator fuit amiculis, quibus aperire ſe liberiùs audebat, ut communicatâ cum
pluribus re, & plebe eôdem incitatâ, querelas de judiciorum iniquitate ad
principem deferrent, & opem ab eo rogarent. Quod ſi facerent, ſe operam
daturum, ut ipſis ſuccurreretur. Atque hoc modo effectum dedit homo ver-
ſutus, ut ſtultiſſima plebs, proſtituto turpiſſimè civitatis jure, per literas &
legatos principem adierit, & ab eo remedium emendandis his vitiis petie-
rit. Princeps occaſione lætus, & Marwicum laudans, edictum ſine morâ
concepit, quo commemoratis querelis nomine plebis ab ædilibus tribuni-
tiæ poteſtatis, magiſtris ſodalitatum, atque aliis à plebe poteſtatem habenti-
bus ad ſe delatis, cum precibus adjunctis, ſanxit ut ſi quis exiſtimaret in fe-
rendis ſententiis injuriam ſibi factam à ſenatu, ei liceret Marwicum guber-
natorem, & judices ex civium numero deſignandos & jurejurando obſtrin-
gendos appellare, & judicium eorum experiri: & ſi gubernator judiceſque
putarent cauſam graviorem eſſe, ſententiamque de eâ ferre haud auderent,
jus ipſis eſſet, ad principem ipſum & principis conſiliarios rem omnem re-
ferre, & eorum judicium exquirere: ad hæc ſi quos ex ſenatu principis forte
in urbe Groningâ adeſſe contingeret iis temporibus, quando hujuſmodi fo-
rum agendum, horum ut eſſet nomine principis judicio præſidere & cum
cæteris cauſas cognoſcere & definire: ſalvo tamen in his jure omni & privi-
legiis civitatis & agri principis diplomatis confirmatis. Addidit his velut la-
ciniam de litium impenſis parti victrici ex æquo & bono refundendis: in qua-
rum æſtimatione ſi quis ſe læſum arbitraretur, ei provocare ad gubernato-
rem & Hovetmannos judices, atque horum judicium iſta in re poſcere lice-
ret. Atque hoc voluit pertinere ad omnia tribunalia & omnes litigantes in
urbe & agro vicino inter Lavicam Amaſumque & Dullartum porrecto.
Signatum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Signatum edictum III Eid. Martii, anno hoc, de quo jam ſcribimus, miſſum Groningam. MD.XXVI Sed an in uſum admiſſum ſit, non poſſum dicere. Mihi certè credibile non videtur. Hoc verò invenio, legem Groningæ ritè latam eodem anno Nonis Septembr. gratam omnibus civitatis ordinibus, quâ ſancitum eſt, ne quis quem, qui æris alieni causâ damnatus legum præſidium perdiderit, occidat: aut, ſi quis contra fecerit, homicidii reus habeatur. Quæ lex etiam nunc vim ſuam tenet. Quo tempore cataractam Valderanam in ſuburbio Emdano ex voluntate Edſardi Comitis cum vitium feciſſet inſtauratam eſſe, ab Eggerico Grimerſhemio annotatum video: quæ jamdudùm neglecta aut alio tranſlata periit. Interea proficiente euangelii doctrinâ ſub ditione Edſardi, & concidente Papiſmo, mirum quàm ægreſcerent ſacerdotes & tota natio cucullatorum. A quibus excitatus Laurentius ille, de quo priùs dixi, monachus Dominicanus, Groningæ in clauſtro Iacobæorum Priorem agens homo vanitatis pariter & impudentiæ raræ jactabat apud ſuos in Friſiam Edſardo parentem ſe iturum, & hæreſes exorientes levi operâ diſſipaturum. Iemgumum enim, quod inſigne forum eſt in agro Reidano, in ripâ Amaſi ſitum, cogitabat, quò ingens raſorum frequentia quotannis medio menſe Iunio, die eo qui Vito ſacer eſt, velut ad ſolennem conventum confluere ſolet. Quò cùm veniſſet ſtipante gregalium catervâ, ſuggeſtum conſcendens pro more ſuo impudenti ore in doctrinam reformatam invectus fuit, nec quicquam penſi habuit, quid diceret, dummodò malediceret. Sed aderant ibidem aliquot eccleſiarum miniſtri, puritatem doctrinæ amantes, qui famâ de Laurentio excitati ex voluntate ſuorum iſtuc ſe contulerant, & diſſerentem eum, ac dogmata ſacra inſectantem auſcultabant. Hi vanitatem frontemque ejus mirati, (nec enim quicquam quod pondus rationum autoritatemve divinam haberet, in medium attulerat) indigneque ferentes veritatem conſpicuam impunè proſcindi, coram totâ multitudine in os ei contradixerunt; ac manifeſtæ falſitatis aſſertiones ejus convictas apud omnes, quibus ſana mens erat in pudorem dederunt, quanquam aſſertor ipſe pudere neſcius inter imperitos & ſui ſimiles triumphum caneret. Poſtridiè eodem loci è ſuggeſto dixit Remerus Monetarius Laurentii comes & ipſe monachus Iacobæus, Laurentium propemodùm vanitate atque impudentiâ ſuperans, cui ſtudium erat, ea quæ pridiè à Priore ſuo diſputata fuerant, tueri. Quem cùm patienter audiſſet petulantiſſimè ſe jactantem fumoſque fundentem Henricus eccleſiaſtes Olderſhemius vir pietate fervens & inſigniter facundus, concione jam finitâ multitudinem compellans clara voce ait; ſi quis defenſionem veritatis contra monachorum mendacia & vanos errores audire cupit, me ſequatur: prægreſſuſque è templo ſequente magno hominum numero, patenti in campo coronâ factâ è loco paulum ſupra terram edito concionem habuit valdè luculentam: ac licet pulſatis magna vi nolis, & clamoribus concitatis turbare eum raſorum natio ſummo ſtudio niteretur, conſtanti tamen animo in cœpto progreſſus peroravit. Ac plebs oratione delectata Henricum, & eccleſiaſtas alios enixè rogavit, ut docendi cauſa ſæpiùs iſtuc ventitarent. Nam ea vicinia culpâ ſuorum ſacerdotum in ſordibus papiſmi tum temporis adhuc hærebat. At Laurentius hac concione vehementer commotus, irâ plenus, ut ignominiam deleret, themata pauca conſcripſit, jactavitque Olderſhemum ſe iturum, & de his contra Henricum & quoſvis alios à ſe diſſentientes iſtic publicè diſputaturum, ſi de fide publicâ ab Vlrico Dornumano, qui Olderſhemi habitabat, ſibi caveretur. Quo ſine morâ impetrato (erat enim Vlricus ut rebus geſtis & genere clarus, ex amitâ Edſardi prognatus, ita ſtudio aperiendæ propagandæque veritatis divinæ imprimis fervidus) venit ipſe Olderſhemum cum paraſtata ſuo Reinero, trahens ſecum ex agro Reidano papiſmo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.D.XXVI adhærentes antiſtitem cœnobii Iemgumani ordinis Ioannitarum, quem
Commendatorem vocant, ſacerdoteſque primarios Iemgumanum, Hatſu-
manum, Ditſumanum, cum aliis nonnullis inferioris notæ: è quibus tamen
quoſdam tacite cum parte meliore ſenſiſſe memoriæ traditum eſt. Interea
verò eodem celeriter exciverat Vlricus ſuarum partium theologos complu-
res: inter quos erant Georgius Aportanus Emdanus, Ioannes Stephanus
Nordanus, Lubbertus Cautius Leranus, Fridericus N. Peuſumanus; Wibo
Petcumanus. Qui cùm adeſſent, atque hîs ſe junxiſſent Olderſhemii duo
Albertus, & Henricus, in templo ejus loci, præſente ipſo Vlrico, & cum eo
Heroni Hicconis filio, quorum in ditione Olderſhemum, & proximi aliquot
vici erant, populuſque audiendi cupidus templum compleſſet, initium à
precibus ad Deum fuſis factum eſt, præeunte verbis Henrico Olderſhemio.
Tùm Laurentius verba facere orſus, ut à ſe actionis periculum & onus amo-
veret, præſidis locum ſibi & Vlrico popoſcit cum poteſtate judicandi, cæte-
ros actores eſſe voluit. Sed cùm repulſam tuliſſet, ac dictum ei eſſet, ſoli
Dei verbo in hac re judicium permittendum, jam Latino ſermone loquens
poſtulavit, ut populus laicus (ſic enim dicebat) ab actione ſubmoveretur.
Et quamvis ab Aportano refutatus inſtaret denuò ſacraſque συζητήσεις profa-
nis imperitorum auribus non proſtituendas contenderet, tamen nihil im-
petravit. Demùm hoc egit ut aſtiti ſuo Reinero partes dicendi tribueren-
tur. Sed hinc quoque rejectus in arenam certaminis tandem ipſe deſcende-
re neceſſe habuit: excipiente verò preſsè, & errores craſſos aperiente Apor-
tano, licet ſtrenuè ſuppetias ei ferret Reinerus, tamen turpiter ubique con-
cidit, & vanitatem ſuam, aut potiùs veſaniam in theatrum productam cun-
ctis præſentibus deridendam propinavit. Sic colloquium ſolutum, confu-
ſique omnes, qui vel interfuerant actioni, vel de ea audiverunt, papani: cæ-
teri verò in fide confirmati, multi hactenus dubii ac hæſitantes, reformatis
adjuncti: papiſmus magis magiſque tota eâ regione fœtere cœpit. At Lau-
rentius, ne non monachum ſe demonſtraret, ubi domum revertit, in con-
cionibus ad populum deieravit, latè ſe viciſſe, adeoque os obturaſſe omni-
bus adverſariis: eos dixit Mariam θεοτόκον vilis ſcorti inſtar habere, cœnæ do-
minicæ ſacramentum minoris quàm elixum caput porci æſtimare, Chriſtum
Deum non ſtatuere. Quæ cùm cognoviſſet Vlricus Dornumanus, ad fre-
nandum os tam naviter impudens, & exultans mendacium reprimendum,
ad ſenatum populumque Groninganum, cui ipſe notiſſimus erat, literas de-
dit, atque ordine & eventu colloquii accuratè expoſito hortatus eoſdem
eſt, ut id genus hominum, tam projecti pudoris, tam mendax, improbum,
animis exitiale è civitate exturbent. Sed ſurdis fabula. Cucullatos enim
tangere ſub principe Geldro, & ſuperſtitione adhuc in urbe dominante,
nemo audebat: & quicquid tale pro tuendo religionis papanæ ſtatu à raſis
verticibus committebatur, id quanquam notorii flagitii & non ferendæ im-
probitatis eſſet, tamen iis facilè condonabatur, atque adeò zeli quoque no-
mine à popello erroribus faſcinato ornabatur. Apud eos autem, quibus
aliquid rectæ mentis erat, ob iſta ſuperſtitio cum hujuſmodi patronis ſuis vi-
leſcebat, & tantùm non etiam iis locis ubi regnum tenere videbatur, fœtere
incipiebat. Sic enim judicabatur, tantam libidinem ac licentiam mentien-
di iiſdem in animis cum pietate habitare ſimul non poſſe, & ſine dubio vi-
tioſum id eſſe, quod talibus patrociniis opus haberet. Atque hoc ipſum pri-
mam judicium multos porrò ad inquirendum in rem ipſam, & invenien-
dum verum ſtimulabat. Quâ ratione fiebat, ut Laurentiana & Reinerana
ingenia dum fulcire papiſmum talibus modis impenſiùs volebant, latiùs
eum in ruinam traxerint. Vlricus autem vir magni bonique nominis, ut ve-
ritatis notitiam cum ſincerâ pietate promoveret, acta colloquii hujus ipſe
deſcripſit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

deſcripſit, epiſtolamq; dedicatoriam ad juniores Comites Edſardi filios co- M. D. XXVI.
gnatos ſuos narrationi præmiſit; in calce vero themata quædam papanis op-
poſita, imprimis de juſtificatione noſtri, de unico mediatore ac redemptore
hominum, & capitibus ſimilibus ſubjecit, ac demùm coronidis loco inſecta-
tionem univerſi ordinis cucullatorum non vitâ minùs improbâ quàm doctri-
nâ impiâ probroſi ſuperaddidit, omniaq; Vitebergam miſſa typis excudi cu-
ravit, eodem adhuc fluente anno, quo res fuit geſta. Quâ ſanè curâ, ut aliud
adſecutus nihil ſit ob ſtili ruditatem, (armis enim quam literis major erat) po-
pularium ſuorum multos hæſitantes excitavit, ut papiſmo abjecto viam veri-
tatis ſequerentur. Hic fructus jactantiæ Laurentianæ fuit. Erat iſto tempore
in cœnobio Dominicano apud Nordanos monachus literis apprimè excul-
tus Henricus Reſius. Is in libris ſacris, & ſcriptis patrum aſſiduis, & ipſo certa-
mine, quod de religione erat, excitatus, ac Lutheri, Melanchthonis, Zuinglii,
Oecolampadii lucubrationibus editis adjutus verum etiam videre cœperat:
& jam in cõcionibus ſuperſtitiones impias, & craſſos errores in papiſmo graſ-
ſantes modeſtè taxabat, in ſodalitio tamen gregalium ſuorum, & cuculla ma-
nebat. Oden verò Germanicam de myſterio euchariſtiæ elegantem cõcepit,
& mox à colloquio Olderſhemio in vulgus edidit, ut in hac quoque doctrinæ
parte lucem aliquam mentibus affunderet. Quæ quidem ita placuit, ut uſus
ejus in eccleſiis ſtatim reciperetur. Atq; eam Oden comitatus eſt in lucem
exiens breviſſimus tractatus de eodẽ illo myſterio à Georgio Aportano con-
ſcriptus & per capita aliquot digeſtus, quo obviam itum idolomaniæ, & aliis
ſuperſtitioſis, & cum analogia fidei pugnãtibus opinionibus, quæ tum vicinis
in regionibus in ſcenam prodibant. Reſius autem jam ſatis cõfirmatus, & de
relinquendo ordine certus, ut majore cum fructu hoc faceret, capita aliquot
doctrinæ ad ſubruendum à fundo papiſmum cõparata conjecit in chartam,
& copiâ ab Edſardo Comite libentiſſimo impetratâ Emdæ, Nordæ, Auricæ,
adeoq; paſſim celebrioribus locis totius regionis templorũ valuis curavit affi-
gi. Simul verò omnib. eruditis, quibus papiſmus adhuc ſapiebat apud noſtra-
tes, denunciavit, iſta ſe publicè diſputantem tueri paratum eſſe cõtra quoſvis
diſſentientes, ac oppugnare volentes, invitavitq; ad faciendum periculũ cun-
ctos, quibus animus eſſet, aut qui pontificiam religionẽ aſſerere ſe poſſe quo-
quo modo arbitrarẽtur. Eccleſiarum quoq; paſtores orthodoxos, quibus per
munia miniſterii ſui id liceret, ut actioni intereſſe, & diſcutiẽdis errorum te-
nebris operam conferre vellent, obſecravit. Diem & locum actioni dixit Ca-
lendas Ianuarias anni proxime inituri apud Nordanos in fano cœnobii ſui. M. D. XXVII.
Qui dies cum advenisſet, in magna hominum omnis generis frequentia,
(nam ex omni regione multi omninò utriuſque religionis præſertim viri eru-
diti, ſacerdotes, monachi, eccleſiarum miniſtri iſtuc confluxerant ac plebs
Nordana magno numero eôdem concurrerat) præſentibus Ieltcone Ider-
hovio arcis Berumanæ præfecto, & Egberto Aurifabro conſule Nordano avo
meo materno, qui pro Comite dabant operam, nequid indecẽter aut turbu-
lentè fieret, ipſe Reſius cucullam indutus in ſuggeſtum aſcendit, dictiſque ad
DEUM precibus themata ſua clara voce recitavit. Eo facto, & expoſito brevi-
ter conſilio ſuo, ad diſputandum modeſtiſſimis verbis eos, qui aderãt, provo-
cavit. Deinde ſilentio ſubſecuto quieſcentibus cæteris tandem ſe cõmovit
Gerardus Synellius in cœnobio virginũ apud eoſdem Nordanos abbas, ho-
mo literarum cultu inſignis, cujus extat carminũ liber infartus poematis alio-
rum autorũ, editus anno æræ Chriſtianæ M.D.XII. & Hicconi Cankenio Dor-
numano dedicatus, omnibus ferventior in fulciendo papiſmo, & pauca de ſe
præfatus conatus fuit themata cõvellere. Sed tã appoſitè, & ſolide ei reſpon-
dit Reſius, ac ſacra autoritate traditiones ac doctrinas hominũ tantâ eviden-
tiâ confutavit, ut Synellium temerarii conatus ſui in conventu tam illuſtri
cœperit pœnitere. Et cum hic pugnã non longam conticeſceret, cæterorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. XXVII. nemo periculum certaminis ob judicia hominū,qui aderāt,auſus fuit rurſum
ſubire. Reſius omnium, qui hoſtes non erant, judicio victor eſt exiſtimatus:
papana natio confuſa. Ille verò cum peroraſſet breviter,gratias Deo egiſſet,
ſpectante omni multitudine in ſuggeſto cucullam poſuit, ac monachiſmum
cum toto papiſmo abjecit. Secuta congratulatio bonorum, qui eum ex ſug-
geſto deſcendentem exceperunt: inter quos Georgius Aportanus fuit,& Io-
annes Stephanus paſtor Nordanus,cui & Rhodio,poſcente eccleſiâ, collega
datus eſt. Hoc eventu latiùs adhuc papana religio in Friſia Orietali gauden-
te Edſardo corruit, vix jam ut reliquiæ hic illic extra monaſtica clauſtra ap-
parerent. Cætera ſub ditione Edſardi, & quæcunque ad Orientem Amaſi,
proximis menſibus quieta fuere. Ad occidentem Lavicæ ex voluntate Cæ-
ſaris numaria lex anni ejus initio publicata eſt. Mox ad III Eid. Febr. comitia
Ordinum ejus regionis habita Leoardiæ, in quibus actum præcipuè de ag-
gerum ratione contra vim fluctuum, ſubſidia petentibus illis, qui periculis
erant proximi,maximè laborabant: ſed nihil tum impetratum. Deinde in iiſ-
dem comitiis gubernatori Scenco, qui præſens aderat eædem querelæ anni
pri ris adjectis etiam aliis ſcripto comprehenſæ, traditæ fuere, & adjunctæ
preces,ut ipſe de iis ad Rectricem Margaretam referret, & operam daret.ut
non promiſſis ſolum benignis, ſed re ipſa populo ex æquo & bono ſatisfieret.
Et id quidem à Scenco factum: miſſiq; omnium ordinum legati in Brabātiam
ad Rectricem cum literis Scencei,qui ſupplices negotiū præſentes urgerent.
His poſt multam deliberationem & moram longam vergēte menſe Iulio de-
mum reſponſum. In quibuſdam capitibus ſatisfactum ordinibus: nonnulla di-
latione ſuſpenſa,donec aut plenius cognoſcerētur,aut quæ majoris momen-
ti eſſe videbantur,ad ipſum Cæſarem eſſent relata: quædam etiam rejecta. In
querelis duæ erant præcipuæ ad ſacrum ordinem pertinentes. Prior, quod
adimeretur libertas collegiis monaſticis eligendi antiſtites ſuos,atque ita vis
fieret juri & mori priſco,pactis Saxonicis,conventioni cum ipſo Cæſare ante
aliquot annos initæ & confirmatæ. Altera,quod jus cooptandi ſacerdotes,ac
ſacerdotia conferendi ordinibus nequaquam relinqueretur integrum: nam
id aut certorum hominum ſolere eſſe,qui patroni dicebātur, ac jus patrona-
tus documentis bonis probare poterant, quorum majores iſtas conditione
eccleſias dotaverāt,aut totarū parœciarum: nunc vero ſena ſacerdotia quot-
annis reſervari collationi Cæſaris,quod nunquam in more fuerit ſub Saxoni-
bus, & vetuſtæ libertati planè ſit adverſum. Et huic accedebat, quod ut in
civilibus muneribus & curationibus mandandis cōtra leges delinquebatur,
ita quoq; hîc interdum bina ternaq; ſacerdotia ſingulis cōmitterentur vitio
aulæ,qui abſentes honore & cenſibus fruerentur,munere autem ſacerdotali
præſentes in parœciis haudquaquā fungerentur,eſſentque etiam muneri ge-
rendo inidonei: quòd putabatur eſſe periniquū ac abſurdum. De his reſpon-
dit Margareta, Cæſarem ex voluntate & conſenſu Romani Papæ in omnibus
ditionibus Belgicis & habere & uſurpare poteſtatē deſignandi antiſtites om-
nium collegiorum monaſticorum, idque ob hanc cauſam, ne qui honoribus
iſtis obrepant Cæſari non grati: (hoc eſt,ut verum planis verbis dicatur, bene-
ficiis Cæſari non obligati; quòd ſanè firmamētum imperii ejus erat maximū)
quod igitur cæteris in provinciis ferretur, hoc in Friſia quoque recuſari non
oportere: in ſacerdotiis verò conferendis Cæſarem ſervaturū hoc, quod ſub
Saxonum imperio valuerit: de vitiis aliis huc pertinentibus Scenco jam man-
data eſſe data. Legati domū reverſi variè ordines relatione reſponſi affecère.
Circiter idem tempus in ſummo ſenatu ejus regionis, de quo ſæpiùs queſtus
erat populus, magna mutatio facta eſt. Miſſi ſcilicet à Margareta ex volūtate
Cæſaris in Belgio nati, Gregorius Bertholfus Aquiſgrano oriundus, ſenatus
præſes, Martinus Nardēſis, Eberhardus Nicolai filius præſidis Hollādici Caro-
lus Nitzhemius aſſeſſores. Cum his Leoardiæ tranſactū, ut quinis horis in dies
jus

jus dicerent,ac reip.vacarent,operæ diurnæ ſtuferos XII ſtipendiũ caperent:
iiſq; eadẽ conditione additi Kempo Martena Tiardus Burmãnia,Franciſcus M. D. XXVIII.
Alfenſis. Cæteri etiam ſenatores hactenus munere illo functi, Renico Camminga,
Ziallingus & Iulius Botniæ, Geroldus Herema, Ioannes Rattallerus
in eodem ſenatu relicti, ſed conditione liberiore, ut in ſenatum venirent,
quoties & quando vellent, aut cum re poſcente vocarentur. Hæc iſtic.
Groningæ autem eodem vere denuò ſe furor popularis commovit,cum minimè
id expectaretur. Nam cum fruſtra diu,quos princeps miſſurum ſe promiſerat,
è Geldria expectati conſiliarii fuiſſent, meliorum ſtudio de tollendâ
diſcordiæ civilis causâ conſilia ipſi inter ſe civitatis ordines inierant. Huic
fini ſenatus, concilium juratum ædiles tribunitiæ poteſtatis omneſque qui
conſilii publici in rebus gravioribus participes eſſe ſolent, probantibus quoque
collegiorum plebejorum magiſtris, viros delegerant XXIIII ex univerſa
civitate prudentiſſimos atque optimos quoſque patritios plebejoſque. His
permiſſum conſultare,& rationem quam æquiſſimam inire conficiendæ per
tributum pecuniæ, quâ diſpungi tandem æs alienum civitatis, atq; ita ſarciri
civilis gratia poſſet. Et jam conſenſus inter hos erat initus, ſed ad ſenatum,
cæteroſq; ordines totos referendus, ut ab eorum voluntate robur acciperet.
Atque ob hanc cauſam & ipſi in curiam ſe cõtulerant,& plebs omnis in foro
convenerat. Ad quam è curia progreſſus ædilium alter Iacobus Faber cum
id, quod actum erat,cœpiſſet exponere, à nequiſſimo atque audaciſſimo homine
Ioanne Grypio ſpurii ſanguinis, cui ſpes in ſeditione erat, gladio penè
fuit interemptus. Eo exemplo ſeditioſiſſimi quique incenſi clamoribus turbulentis
miſcere omnia,in ſenatum rectoreſque civitatis fremere,ad curiam
pedes ferre. Senatus formidine correptus è curia, quâ quiſque potuit ſe ſubducere,
& ſaluti ſuæ conſulere feſtinavit. Regnerus Alberda, Hillebrandus
Roltemannus & plerique alii in templum majus foro & curiæ proximum,
velut ad aſilum cõfugerunt. Ludolfus Coenderus occupatus ab infeſta multitudine
prope curiam,& vix concurſu ſedatiorum ſervatus è porta,quæ Helpenam
ducit, ſe proripuit. Denique ita exarſit furor,ut divinæ gratiæ ſingulari
imputatum ſit, rem ſine cæde eſſe tranſactam. Ædilis inſigni documentò
fuit, ipſos plebicolas, ſi cupidini plebis in omnibus ſatisfacere non
poſſint, periculis ab ea eſſe proximos. Sedato deinde tumultu cum ſenatus
decreto æſtimatio numorum redacta ad regulam eſſet, plebs per ſodalitates
collecta aliam pro arbitrio ſuo promulgavit ſenatu invito. Poſt hæc ædiles,
& ſodalitatum magiſtri ſenatu non conſulto per quatuor urbis regiones
plebe convocatâ alios XXIIII-viros deſignarunt factioſiſſimos quoſque,
& ferè inopia preſſos, qui cum ædilibus,& ſodalitatum magiſtris reip. conſulerent.
Tanta licentia tum dominabatur. Queritur ſcriptor ejus temporis
obſcurus, qui appendicem Sicconis hiſtoriæ rudi ſtilo attexuit,homines nullius
dignitatis aut virtutis in concilium juratum, atque inde, ut fit, in ſenatum
ea tempeſtate obrepſiſſe: ita factum eſſe, ut ſpretâ ſenatus & concilii
autoritate plebis duces egerint inſolentius, & cuncta pro libidine verſarint.
Tum demum periculo ſuo excitatus Carolus Geldriæ princeps literas aculeatas
dedit ad ædiles tribunitiæ poteſtatis, & ſodalitatum plebejorũ magiſtros,
eoſq; monuit,ut relictâ tumultuandi licentiâ ac libidine id operam ſeriò darent,
ut concordia ordinum in civitate ſarciretur. Sed vide frontes. Acceptis
literis ædiles cum ſociis ad ſenatum pergunt: ab eo poſcũt, ut principi reſcribat,
nihil turbarum aut diſcordiæ in civitate eſſe. Et cum ſenatus recuſaret,
cogere eum vel invitum admiſſi ſunt. Verùm perſtitit in ſententiâ ſenatus,
& frequens urbe exceſſit velut ſe abdicaturus. At idem territus denunciatione
proſcriptionis, in urbem paulò poſt rediit, & in gerendâ rep. perrexit.
Dehinc iidem plebis duces in Ioannem Iargæum ſe rurſum incitarunt, ac

M. D. XXVII.

repetitâ actione priore, coacto per regiones urbis populo, teſtimoniis in reū, ut mos habet, dictis, ſenatum nequicquã recuſantem aliquandiu compulère tandem, ut in abſentem inauditumq́;, tanquam coram populo peculatus cõvictum ſententiam cum injuriâ totius domus è ſublimi prætorii feneſtrâ circumſtante populi multitudine pronunciaret. Eâ re confectâ legatos deſignarunt, qui ad Carolum principem irent, & ad literas ejus præſentes reſponderẽt, Nicolaum Lubbertum ædilem, Thomam Scinckelium, Henricum Leoardium, & ſeditionis facem Ioannem Grypium. Eodem verò profecti ſunt, à principe evocati ſponſores quatuor ante à me memorati ad reddendam actorum ſuorum rationem: & hos ſecutus quoque eſt Ioannes Iargæus apud principem cauſam dicturus: & cum Marwico gubernatore Henricus quidam Sceltingius acerrimus Iargæi accuſator. Sed cum adeſſent omnes, primum vehementiſſime Iargæi cauſa fuit acta coram ſenatu principis, at non peracta, duello quoque à reo actori oblato ſed ab actore recuſato, & ipſe etiam cognitorum Geldrorum judicio ab eodem rejecto. Sponſores cum ita rem ſuam in conſeſſu expoſuiſſent, ut probare eam cognitoribus viderentur, legati plebis exceperunt, dicentes non habere ſe mandatum agendi quicquam iſto in negotio, ſed tantùm de ſeditione ac tumultu plebem excuſandi. Nec quicquam actum tum temporis in Geldria amplius. Tantùm juſſit princeps rem integram differri ad Calendas Octobres, ad quas aut ſe ipſum Groningam eſſe venturum, aut ex conſilio ſuo cum mandatis aliquos miſſurum pollicitus eſt. Cæteri domum reverſi: ex ſponſoribus tres Petrus Sickinga, Rodolfus Siſſinga, Hermannus Cocus factioſis diffiſi urbe abſtinuere. Calendis Octobr. principe armis occupato, Groningam nomine ejus venit Ioannes Winſcotus Iuriſconſultus, convocatiſque civitatis ordinibus oſtendit, principem petere, ne quid agatur contra ſponſores ante Calend. Februar. ſecuturas: interea ipſum principem velle cum creditore Daventrienſi agere, & de ſuo pro civitate ei ſatisfacere, inductoque omni debito cum uſuris ſyngraphas recuperatas civitati reſtituere. Aſſenſere reliqui omnes; ſed factioſa plebs obſtitit vehementer, conclamans, non ferre ſe poſſe dilationes longiores: velle ſe cauſam jure peragere. Nec mora diem ſponſoribus dixêre. Verùm tres illi, qui in urbe non erant, exceptione interpoſitâ à judicio ſuſpecto, quod libidini ac violentiæ partis adverſæ obnoxium eſſet, provocarunt ad tribunal principis. Nec eo minùs progreſſa plebs ſenatum adegit damnare ſponſores, & pridie Calend. Decembr. ſententiam in eos pronunciare pro more: ac Eidib. Decembr. per Sculthesium & apparitores in res eorum invadentes ſententiam latam executioni mandarunt. Tanta tum plebis tyrannis civitatem premebat. Quis verò exitus totius rei, & factionis finis fuerit, nuſquam legi. Interea Geldriæ princeps, ut erat inquietiſſimi ingenii, quanquam pacem cum Vltrajectino haberet, omnibus in diœceſi armorum ſecuris, per inſidias Haſſeltum occupavit, præſidioque inſedit, oppidanis in fidem ſuam adactis. Et eodem tempore ab ipſis Vltrajectinis tumultuantibus in exilium vocatus CC equitibus ſuis in urbem admiſſis, & paulò poſt majoribus ſubſidiis ſubmiſſis, caput totius diœceſeos in poteſtatem ſuam redegit. Tùm graviſſimo bello omnis regio rurſum turbata, ac miſerrimè afflicta: qua neceſſitate tandem adactus præſul familiæ Palatinæ ex voluntate Ordinum ſuorum in extremas jam anguſtias redactus anno hoc jam ſeneſcente imperium totius diœceſeos Carolo V Cæſari tranſcripſit. At Edſardi filii Enno & Ioannes ex voluntate parentis cum paucis ſuorum Ieveram profecti die VII Eid. Septembr. primum Rectores quinque evocatos, poſtridie iſtius diei inſtaurato juramento ſibi obligarunt: mox eandẽ ob cauſam ordines cæteros totius regionis adeſſe juſſerunt. Qui cum veniſſent, in hanc ſententiam jurarunt, virginibus, dominis ſuis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

nis ſuis, & iis, qui arcem Ieveranam in poteſtate eſſent habituri, obſequium & fidem ſine vitio ſe præſtituros, nec ab eâ fide deflexuros ullo modo. Et à M. D. XXVIII. paucis diebus amoto à præfecturâ arcis Omcone Ripperdâ, qui ſexennium poſt Georgium Mengerium præfuerat, ſurrogatus in ejus locum eſt ab iis Boijngus Olderſhemius Hiccone natus; Heronis frater germanus ex nobilitate nulli ſecundâ in Friſiâ Orientali, ſed infæliciſſimo fato domus Edſardicæ: quod ſequentia oſtendent. Virginibus verò Ieveranis nihil horum adverſum fuit, præterquam quod nuptiarum mentio adhuc ſileret. In ora Dullarti contentio rurſum orta de finibus inter antiſtitem collegii Duncbrocæi ditionis Edſardicæ, & Bellingwoldios Hammenſeſque per arbitros compoſita. In arbitris fuere ab Edſardo dati Eggericus Beninga Grimerſhemius præfectus arcis & territorii Lerorthani, annalium conditor Ieltco Brungerus judex provincialis, Ludolfus Hoijerus Præpoſitus apud Weneranos & Hatſumanus. Reliquorum nomina mihi ignota. Hic annus ad Orientem Amaſi è medio ſuſtulit Vniconem Ripperdam Haijonis filium, Docturæ honore inſignem, præpoſitum Emdanum, & apud Dammonenſes paſtorem, Lutſburgi apud ſororem Fyam morbo correptum enectumq;, & apud Nordanos in cœnobio veteri ſepulchro cõditum: ac poſt cum Hycam Peuſumanam Vnicone Ripperda natam, Haijonis Ripperdæ Fermſumani ſororem, adulto jam menſe Novembri: denique etiam Victorem Friſium Loquerdanum, ex Comitatu Hoijenſi oriundum, ſæpè nobis memoratum in his commentariis, Edſardo Comiti percarum, religionis reformatæ ſtudioſiſſimum. Anno æræ Chriſtianæ M.D.XXVIII menſe Ianuario cœpit adverſâ valetudine laborare Edſardus Comes, eâq; ſuperatus die XV Calend. Martii, qui erat tum dominicus circiter horam IV matutinam Emdæ ex hac in meliorẽ vitam deceſſit, cum vixiſſet in terris annos totos LXVI & menſem unum. Pater moriens eum reliquit annos ætatis habentem IV & menſes VIII: à morte fratris Ennonis natu majoris imperium patriæ tenuit annos circiter XXXVI, à morte matris biennio minus, omnium Friſiorum à tempore regum ſine controverſia clariſſimus, nec ulli Comitum ſæculo ſuo virtute ac gloria ſecundus. Funus ei factum Nordæ in fano cœnobii veteris, quod vallem Mariæ vocabant juxta monumenta patris, matris, fratrum, conjugis, deducente universâ nobilitate patriâ, & innumerâ multitudine omnium ordinum utriuſq; ſexus ac veris lachrymis mortem ejus deplorãte. Nam ſupra quàm credi poteſt amatus fuit & cultus ab omnibus ſuis velut communis quidã parens, idq; nomen, quod ab aliis inani ambitione affectatur, verè in eum competebat, vereque ei non ambienti à ſuis tribuebatur. Quâ caritate ſuorũ ſtetit in maximis tempeſtatibus tonantis fortunæ, & penè obrutus potentiſſimorũ hoſtium vi tamen rurſum emerſit. Ac ſæpe attoniti hoſtes ſtupuerunt, quòd viderent nõ ſolùm primores in populo, ſed ipſum quoque vulgum de fortunâ illius magis quàm de ſuâ ſollicitos eſſe. Si quando tributi aliquid à populo cogente neceſſitate petebat, non niſi dolens hoc faciebat: nec ante arma Saxonica iſtuc unquam deſcendit. Iuſtitiæ cultor eximius erat, atq; hoc operam dabat quam maximè, ut quàm celerrimè jus expediretur, ac lites finirentur, peſtem exitialem ratus, litigantes longis impendiis atteri inter ſe, & exhauriri. Tenuibus & peregrinis libenter & frequenter ipſe jus dicebat, ne gratia aut contemptus iis officeret. Magnificẽtiâ & parſimoniâ pariter valebat, iiſq; utebatur cõvenienter, uti res poſcebãt. Et familiarem ſe dare ſuis, & autoritatem tueri optime norat. Moribus concinnus, caſtitatis amans, vitâ ſobrius, ad præfectorum & miniſtrorum ſuorum vitia haudquaquam connivens: in utrâque fortunâ ſui ſemper ſimilis, nec efferens ſe in ſecundâ, nec in adverſâ dejectus, quod magni animi proprium eſt. Et quanquam ipſe prudentiâ inſignis erat, ac per ſe videbat, quid facto opus eſſet, tamen aliorum prudentium cõſilia libẽter au-

M. D. XXVIII.

diebat,& ſequebatur. Conſiliarios exteros faſtidiebat, indigenis delectabatur. His enim patriæ amorem inſitum eſſe, eoque ad rectè conſulendum incitari, illos remp. ſuſque deque habere, & ſibi tantùm fortunam cudere, ac gratiæ ſervos eſſe exiſtimabat. Eademque ei ratio in præfectis, judicibus, miniſtris valebat. Pietatem in DEUM ut virtutum ſummam colebat, eamque inter ſuos cum ſtudio promovebat: & cum veritatis lumen ei affulſiſſet, cupidè id admiſit, & in eo perſtitit conſtans ad ultimum uſque vitæ ſpiritum. In nullo conſilio infelicior, quàm in Geldro ſibi adſciſcendo, & ejus ſe fidei committendo, cui fides non erat fides, ſi perfidiâ res ſuas augere ſe poſſe cerneret. Atque hunc lapſum ſuum ſæpè poſtea deplorabat. Tractandorum armorum, & animorum militarium non minus quàm pacis artium peritus. Et hic quanquam graviſſimis jactatus caſibus & difficilibus multiſque rebus geſtis; tamen æs alienum reip. aut liberis non reliquit: quin imò ingentem auri argentique ſummam reliquit pro conditionis ac temporum illorum modo, quam moderata parſimonia ei ſuffecit. Dicitur jam jam moriturus vocatis ad ſe filiis mandaſſe, ut ſuperſtitionibus papanis, ſicubi reliquæ eſſent, ſubmotis, religionem orthodoxam non ſolùm ipſi colerent, ſed etiam in populo promoverent: ut populum optimè de ſe meritum, & dura ob ſe perpeſſum oneribus non premerent, neve jus ac libertatem ejus imminuerent: poſtremò ut cum vicinis pacem colerent, concordiam inter ſe ſervarent, uni rerum ſummam permitterent: Tum ad DEUM precibus verſum, averſatumq; pompam & ſtrepitus hujus ſæculi, cum Simeone dixiſſe, *Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace*, ac cum his verbis defeciſſe. Funere ritè confecto, priuſquàm Nordâ diſcederetur, de conſtituendis patriæ rebus, & imperio uni ex filiis Edſardi committendo nobilitas, antiſtites, reliqui populi primores conſultarunt. Tum repetita memoria fuit ejus, quod XV ante annos Edſardus cenſuerant ex voluntate procerum ſuorum de imperio patriæ non ſcindendo, ſed penes unum è liberis ſuis relinquendo, & quidē penes eum, qui judicaretur maximè imperio idoneus eſſe. Et quia à reditu ex Hiſpania defeciſſe ingenio Vlricum filiorum ejus natu primum conſtabat, unamini conſenſu, quod ſciebant probaſſe ipſum defunctū, Ennonem ei ſuffecerunt, non refragantibus cæteris fratribus. Atque is ibidem è nobilitate viros ſex ſtatim delegit, reip. gerendæ à conſiliis ſibi futuros, Vlricum Dornumanum, Hicconem Kankenium itidem Dornumanū Mauricii filium, Omconem Ripperdam Hintanum, Fo cconem Manningam Peuſumanum, Popponem Manningam ſacris initiatum Fecconis fratrem, Foleſum Cnipenſem ætate jam gravem. Tùm arcium præfectos & qui juri dicundo præerant, ac partem aliquam reip. gerebant, ſacramento adegit. Pòſt in diverſa omnes Nordâ diſceſſerunt. Enno cum fratribus in proximam arcem Berumanam ſe contulit, dies luctus illic exacturus. Quibus finitis in ſingulas præfecturas profectus à populo jusjurandum accepit, & viciſſim ipſe ſolenni ritu populo promiſit, jus univerſis & ſingulis ſe conſervaturum, defenſionem contra vim ac injurias præſtiturum, paterna veſtigia in imperio gerēdo ſecuturum. Poſt aliquot deinde ſeptimanas Ioannes fratrum, filiorum Edſardi, minimus, admodum adhuc juvenis comitante Foleſo Cnipenſi rerū militarium non imperito, conſiliorū moderatore, cum cohorte peditum benè validá, & equitibus L in caſtra Burgundicorū militandi cauſa contendit contra Geldros. Geldris quippe infenſa erat domus Edſardi, & Burgūdicos propter Cæſarem colebat. Eo anno munitiones arcis Lerorthanæ curâ Eggerici præfecti auctæ ſunt & pons, quo in arcem pervenitur, loco alio, quam ubi priùs fuerat, extructus. Agger quoque in tractu Wenerano per multos annos pro deſerto penè habitus ad compeſcēdos fluctus Amaſi ejuſdem ſtudio tandem refectus. Eodē tempore Comes Enno non ſine conſenſu eorū, quos à conſiliis

ſibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. XXVIII.

ſibi delegerat, ut ait. Eggericus Grimershemius, neſcio an prætextū religionis, quæ ſæpe ſolet cupidini hominum obtendi, conſtituit omne aurum, argentum, & quicquid erat pretioſæ veſtis aut ornamenti, è templis totius regionis tollere tam monaſticis quàm aliis, & ærario inferre. Cui rei arca fuit parata ligno & ferro valida, ac ſeris pluribus inſtructa contra conatus peculatorum: famaque per vulgus ſparſa, omnia hæc in maximos uſus & ſummè neceſſarios patriæ impenſum iri. Tum per omnem regionem Amaſanam, & Reideriam inferiorem Focco Peuſumanus, & Rodolfus arcis territoriique Emdani præfectus, per territoria Lerorthanum, Stichuſanum, Lenganum Omco Ripperda, per alias partes alii circummiſſi dolente & quiritante plebe ædes ſacras omnes auro, argento, pretioſâ telâ nudarunt. Simul literæ multæ, monumenta donorum veterum, volumina membranarum in uſum ſuperſtitioſorum ſacrorum quondam comparata hic illic ablata. Opera illa, ait Grimershemius idem, nec iis, quibus ea commiſſa erat, nec eorum miniſtris ac famulitio damnoſa fuit: Omnes tempore uſi, ceu in meſſe ſolet fieri, ignavas ſibi manus ambas eſſe non ſiverunt: vidiſſes cuncta apud eos ſericâ telâ diffluere. Aurum & argentum arcæ illatum. Quo tempore bellum magna vi geſtum in diœceſi Vltrajectinâ. Scencus Friſiæ gubernator ad eijciendos diœceſeos finibus Geldros, uti in pactis cum Cæſare convenerat, parato exercitu Coburgum caſtellum Campenſi urbi imminens vi cepit, alia quoque caſtella duo deditione redegit in poteſtatem: dehinc Haſſeltum obſedit firmo præſidio Geldrico munitum, eoque etiam poſt bimeſtre dedente ſe præſidio potitus eſt. Atque interim Geldri non inertes loca aliquot præſuli parentia armorum vi ac terrore ſua fecerunt. At Martinus Roſſomus ſummus militiæ Geldricæ dux primis Martii diebus populandi causâ cum magnis equitum peditumque copiis Vltrajecto urbe excurrens, ut Cæſarianos gravius ulciſceretur, in Hollandiam ſe intulit, & Hagam principum Hollandiæ ſummique ſenatus ſedem nullis mœnibus cinctam, ſed opibus refertam præteritis urbibus munitis inopinatò invaſit, ac impunè pro libitu diripuit. Delphenſes Hagæ proximos, Leidenſes, Harlemæos in maximam formidinem conjecit, agrum redimendi incendii gratiâ ingenti tributo mulctavit & cum omni præda celeriter ex hoſtico in tutum ſe recepit. Eo facinore audaci gravius commoti Cæſariani, confecto celeriter majore exercitu duce Florentio Egmondano Comite Burenſi, cui ſummum imperium belli ejus commiſſum, diſpoſitis contra Geldrorum ſimiles incurſus præſidiis, in hoſticum profecti, collocatâ prope Vltrajectum copiarum parte ad prohibendos commeatus, ad Hattumum Geldriæ oppidum in ripa Iſalæ fluminis caſtra poſuerunt, & juncti cum Scenckianis arcem ejus oppidi totâ Geldriâ munitiſſimam adorti, tormentis validè concuſſam oppugnatamq; non ſine admiratione multorū mortalium brevi tempore ad deditionem compulerunt. Hinc formidine correpti aliorum locorū in ea vicinia præſidiarii fugæ ſe dederunt. Elberga deditione ſpontaneâ ſibi conſuluit: Hardervicum per aliquot dies obſidione toleratâ in Cæſarianorum poteſtatem venit. Sola Tiela vim tam fortiter ſuſtinuit, ut obſidentes re infectâ diſcedere neceſſe habuerint. Interea & Vltrajectum conſilio & operâ præcipuâ Godfridi Vordii exulis per inſidias occupatum Geldris ejectis: Chriſtophorus Comes Morſenſis urbis præfectis cum aliis principis Geldri conſiliariis captus. Ex Canonicis quoque Geldricarum partium & nobilitate ac plebe bonus numerus in cuſtodiam datus: eorum quindecim factionis principes capitis ſupplicio affecti: quidam ordinis ſacri culleis inſuti, & undis ſuffocati. Tum actio de pace inſtituta Gorichemi interceſſione principum: ac pax convênit his legibus, ut Gelder ſine hærede ſuo moriens omnes ditiones ſuas Cæſari domuique Burgundicæ relinqueret: Cæſar ei viciſſim oppida omnia hoc bello in Geldria occupata Geldro reſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. tueret: præſul Vltrajectinus, ordinibus diœceſeos juramento ſibi dato ſolutis,
XXVIII imperium ſuum totum eidem Cæſari, & ſucceſſoribus ejus permitteret. Hoc
factum die XIII Calend. Novemb. hujus anni. Vltrajectini in fidem Cæſa-
ris juramento adacti apud Comitem Hogeſtratanum Hollandiæ præfectum:
horum cervicibus ne denuo movêre ſe poſſent, arx impoſita cum perpetuo
præſidio, cui à pace nomen datum. Denique cætera in urbe & tota diœceſi
conſtituta. Hoc ardente bello cum ſubſidium pecuniarium in ſtipendia bis
mille militum Margareta Auſtriaca Belgicarum provinciarum gubernatrix
Friſios Tranſlavicanos poſceret prætextu defendendæ illorum regionis, re-
pulſam tulit, quia id contra pacta conventa eſſet. In orientali Friſiâ, amoto
tum quietis & concordiæ cuſtode Edſardo principe raræ ſapientiæ, contagio-
nis aliquid peſtilentiſſimi diſſidii, quod Germanicas eccleſias eo tempore affli-
xit (nam fervebat id tunc vehementiſſimè fulgurante & tonante in adverſarios
ſuos Luthero) ſub novo imperio ſucceſſoris adhuc per ætatem incauti, qui
annum à natali XXIII agebat, & naturâ facilis ac mobilis, affricare eccle-
ſiis horum locorum Satanas conatus eſt. Vicini quippe Lutheranarum par-
tium homines præfervidi & contentioſi videntes tranquillas & concordes ec-
cleſias noſtrates, nec ignorantes doctrinam in his vigere palato ſuo non pla-
centem, ægrè id ferre, & blandè primum eas ſollicitare, dein, cum ſic nihil
proficerent, allatrare; demum cum toto doctrinæ genere acerbiſſimè tradu-
cere. Nam verbum DEI, & ſacramenta vilia, ac nullo loco haberi ab his
clamabant, ipſi verò ὑπερβολαῖς Lutheri utebantur & inſiſtebant ſupra mo-
dum, eaſque pro vehementia aut imperitia ſua faciebant ſæpe deteriores, ver-
bi & ſacramentorum vim, in uſu externo ſupra verum offerebant, pixidicu-
las ea omnis gratiæ divinæ vocitabant, denique ita loquebantur, ut opera-
tum opus papanorum reducere in ſcenam velle viderentur. Et ſupererant
his locis homines papiſmo adhuc dediti, quibus iſta non parum placebant.
Nec deerat ex his qui papiſmum reliquerant, unus aut alter autoritate in
populo valens, forſan etiam duo treſve è doctorum numero, quorum animi
accuſationibus hujuſmodi innocentium eccleſiarum abriperentur. Nam zeli
& doctrinæ nomen accuſatores habebant, & duæ res erant, quæ fidem illis
aliquam conciliare poſſe videbantur. Etenim anabaptiſmus quanquam te-
nuibus admodum initiis tum primum in hac regione ſe proferens, qui ſtra-
gem prioribus annis per Germaniam dederat, obtrectationis materiam con-
tra innocentes præbebat. Et Andræas Caroloſtadius quanquam privatus, &
vitæ ruſticæ ſe dare meditatus, odium tamen Lutheranorum omnium, & in-
vidiam nominis Monetarii tumultuumque ruſticanorum licet culpâ vacuus,
quocunque veniret, ſecum trahens, hoſpitio hujus agri uſus eſſe aliquandiu
ferebatur. Hinc quippe calumniæ arceſſebantur: hæc idonea putabantur
ad invidiam eccleſiis inſontibus, ſed in verba Lutheri non juratis conflan-
dam. Ob quæ eccleſiaſtæ permoti, qui tota regione conſenſum priſtinum
tuebantur, in quibus Emdani, Nordani, Auricani, Oldershemii, Lerani,
Iemgumani, Wenerani, Larletani, aliique in Amaſano agro erant, confeſſio-
nem fidei & doctrinæ ſuæ his de rebus conſcriptam & XXXIII capitibus bre-
vibus comprehenſam ediderunt in lucem fluente menſe Novembri iſtius an-
ni, quo Edſardus deceſſit. Voluerunt enim publico ſymbolo teſtari conſenſio-
nem & innocentiam ſuam contra obtectatores, & reprimere errores emer-
gentes, & confirmare etiam ſuos, ſi qui nutarent. Confeſſioni in frontiſpi-
cio hunc titulum præfixerunt. Summa, & confeſſio Chriſtianæ doctrinæ ec-
cleſiaſtarum in Friſia orientali, ex qua videre licet, eos nec DEI verbum,
nec ſacramenta contemnere, ut falsò iiſdem impingitur. Et pagina verſa hæc
verba præmiſerunt. Summa doctrinæ, quam nos eccleſiaſtæ in Friſia orient.
unanimiter docemus, parati quovis tempore prolixius rationem ejus reddere
ex DEI verbo. Summa verò illius hæc fuit: Chriſtum ſolum & unicum
eſſe

eſſe autorem, fontem, cauſam ſalutis noſtræ, unicum inter DEUM & ho- M.D.
mines mediatorem: ejus gratiâ & meritis tantum remitti peccata, non ope- XXVIII
ribus ullis noſtris: & in illis, non in nobis ſpem ponendam: huc uſum verbi &
ſacramentorum referendum: non fingendum uſum, non finem, non vim
aliam: eſſe ea à DEO inſtituta, & demandata, utilia nobis, & nullo modo
ſpernenda, ſed juſtificare, & ſalvos facere nos, aut Chriſto inſerere non poſſe:
ſolâ verò fide juſtificari nos, & Chriſti gratiæque ac meritorum ejus partici-
pes & ſalvos fieri: fidem autem gratuitum donum DEI, ejuſque opus & ef-
fectum in nobis eſſe: ea ubi non ſit, cætera nihil prodeſſe: Hac doctrinâ ſal-
vâ, teſtantur iidem ob diverſas interpretationes locorum quorundam in lite-
ris ſacris nolle ſe cum quoquam pugnare, aut quemquam etiam à vero aber-
rantem condemnare; aliorum itidem damnatorias contra ſe ſententias, ſi
quæ ſint, fretos innocentiâ ſuâ parum curare, expectantes verum & juſtum ju-
dicem Chriſtum. Et confeſſioni huic adjecere ſymbolum aliud multò brevius
ejuſdem ſententiæ; quod poſt recitationem decalogi & ſymboli apoſtolici in
more fuit cum alibi tum Emdæ, & Nordæ, finitâ concione pronunciari, do-
cens totam ſalutem noſtram ex ſolo DEO patre, filio & Spiritu ſancto eſſe,
nihil hujus ex nobis. Et nequid relinqueretur dubii, eodem adhuc laben-
te anno ſubmiſſa eſt explicatio ejuſdem confeſſionis prolixior & plenior.
Sed nihil tam benè ac planè dici potuit, quod non calumniandi prurigo, quâ
laborabat tum Lutheraniſmus, raperet in deterius. Itaque perinde ac ſi ſa-
cra omnia profanata eſſent, & hæreſibus gravibus & multis ſignum elatum,
conclamari ab adverſariis, & claſſicum cani in autores confeſſionis cœpit. In
his Comes Enno ob ætatem nondum ſatis idoneus ad talia dijudicanda per
plexus hærebat. Nam ut damnare probata à patre & temerarium & non
boni filii eſſe putabat, atque etiam minuendæ gratiæ ſuæ apud populum fore
verebatur, ita terriculamentis quibuſdam, quæ à Lutheranis pariter & papa-
nis ei admovebantur, in partem contrariam incitabatur. Sic enim ab iſtis
occini ſibi audiebat, profana dogmata in eccleſiis per Friſiam Orientalem
ſonare, abhorrentia & à ſacris literis, & à conſenſu eccleſiarum omnium
Germanicarum, quæ à papiſmo receſſerant, damnata ab iis, qui pietate &
doctrinâ ubique celebres eſſent, adeoque ſummis & imis pariter inviſa: at-
que ideò & ſe & totum populum ſuum paſſim apud omnes Germaniæ ordi-
nes, imprimis verò apud viros principes peſſimè audire, nec ſpem auxilii ab
iis habere poſſe, ſi qua perſecutio à Cæſare ac papanis exiſteret: ad hæc ir-
religiosè ſacra tractari, parteſque miniſterii cum ſalute hominum negligi;
poſtremò ad anabaptiſmum cuncta vergere, non ſolùm religioni, ſed impe-
riis omnibus exitialem. Hæc ſurgente anno M.D.XXIX, & fluente. Non M.D.
deerant eo tempore homines moderati, & quietis amantes in illorum nu- XXIX
mero, qui Comiti à conſiliis erant, qui ad componendas has contentiones
Ioannem Bugenhagium Pomeranum Vitebergenſis eccleſiæ paſtorem, Mar-
tini Lutheri collegam, magnâ prudentiâ & gravitate, ac pari animi modera-
tione virum, atque in conſtituendis fluctuantibus eccleſiarum rebus imprimis
verſatum Vitebergâ evocandum cenſerent. Et jam in eam ſententiam Co-
mes quoque cœperat inclinare motus maxime autoritate Vlrici Dornumani,
qui quod noſſet ingenium Bugenhagii placidum, concordiæque amans, ſe
quoque id conſilium non improbare oſtendebat. Quâ de re, uti in more
habebat, cum familiariter ad Comitem ſcriberet IV Eid. Febr. anno æræ
Chriſtianæ M.D.XXIX, affirmabat, ſpem fovere ſe propè certam, ſi contin-
geret venire in Friſiam Bugenhagium, non difficulter operâ ejus ſopitum iri
certamen hoc ſacramentarium: at ſi non veniret, conſultu ſe exiſtimare,
tentari animum ejus de colloquio privato: quod ſi non abnueret, mitti ad
ipſum Hamburgum, ubi tum fortè agebat, ex numero eccleſiaſtarum duos ad

M. D. iſtam rem maximè idoneos, qui de omnibus cum eo amicè conferrent, & ec-
XXIX. cleſiarum hujus regionis ſtatum exactè exponerēt: putare verò ſe, ante omnes
huic rei aptum eſſe Henricum Rhodium Nordanum, Reſii collegam, virum
maximè placidum,& verè profundi ingenii, ac ſacrarum literarum tum hac in
causâ, tum in aliis omnibus peritiſſimum: illi verò jungendum Reinerum
Marienhovanæ eccleſiæ doctorem & ipſum in doctrinâ Chriſtianâ probè ex-
ercitatum, ac promptum, & juventâ calentem. Nec dubito, inquit, quin
hac ratione ad concordiam facilè ſimus perventuri. Nam, ait, non procul à
conſenſione abſumus, ſi modò nos mutuò velimus intelligere. Sed nec Bu-
genhagius in Friſiam venit: nec quenquam ad eum colloquii hujuſmodi
gratiâ miſſum eſſe reperio. At non deſiſtebant veritatis & quietis inimici re-
petendis iiſdem accuſationibus animum Comitis obtundere. Quem licet
concuterent non parum, tamen adſpirante DEO, nec veritati officere, nec
curſum proſperitatis eccleſiarum morari potuerunt. Nam eodem iſto tem-
pore, ſubducente ſe antiſtite Dominicanorum apud Nordanos, quem prio-
rem vocant, propterea quod ferre proficientem lucem evangelii etiam inter
ſuos non poſſet, omnes penè iſtius cœnobii monachi à Reſio eruditi, & exem-
plo ipſius moti projecto monaſtico habitu, atque ordine deſerto, eccleſiis re-
formatis ſe adjunxerunt, plerique etiam docendi munus inierunt. Atque
hoc exemplum plures alii aliis in cœnobiis ſecuti papiſmum exuerunt. In his
Antonius fuit Benedictini ordinis abbas apud Ilenſes in agro Auricano, vir eru-
ditione præſtans, qui cucullâ poſitâ paſcendæ eccleſiæ Larletanæ præfectus eſt.
Et hæc ſecundâ admodum voluntate Comitum fratrum fiebant, qui cedenti-
bus monachis poſſeſſiones monaſticas, quæ ampliſſimæ in totâ regione erant,
ſenſim in res ſuas vertebant: cum iis, qui ſponte non cedebant, aut ordinem
deſerere non volebant, ut cederent, ex æquo & bono tranſigebant: ſi qui
provectioris ætatis erant, his ad tempus vitæ, alimenta aſſignabant. Ipſos
etiam Ioannitas ſub regulam certam & imperium ſuum cogebant. Quinimo
fratrum medius Enno cœnobium Dominicarum apud Nordenſes auctum à
ſe novis ſtructuris magno impendio inſtitutis, aulæ ſuæ ſedem cepit, neſcio
quâ loci commoditate aut deſiderio commotus. Ejuſque exemplum imi-
tatus Ioannes demolitus Ilenſium pulcherrimum fanum ex ejus materiâ ædi-
ficium non quidem amplum, ſed amœnum amœniſſimo loco, venationibus
imprimis apto excitavit, eoque ut plurimum, ut domicilio ſuo, uſus fuit.
Vlricus, quia deliriis obnoxius erat, Haſletum in aviis ac deſertis ſitum, quaſi
in ſeceſſum ſemet amandavit. Inter quæ non deſtitere à cœpto, qui eccleſias
& earum miniſtros peſſimorum dogmatum accuſabant, donec tandem Co-
mitem Ennonem iſtuc induxêre, ut is ſuffragante fratre velut inquiſiturus
propius in rem, & vitia, ſi qua deprehenderentur, correcturus, theologo-
rum copiam Bremâ petierit. Deſignati in iſtam tanquam legationem à Bre-
manis duo in Lutheraniſmo cum primis ferventes: qui in Friſiam venientes
ſummopere connisi ſunt, ut in eam, quæ Bremæ & in Saxonia vigebat, for-
mam religionis ſtatum traducerent: habitaque ſunt inter hos & eccleſiaſtas
colloquia varia, ipſique in pulpita Emdæ, & Auricæ producti, ut docerent
populum, ſed actum ubique egêre. Nam nec eccleſiaſtas doctrinæ ſuæ cer-
tos movere, nec in populo ſtabili & haudquaquam nutante quicquam profi-
cere potuere. Denique cum reliqua deſperarent, ad imperium convola-
runt, ut cogerent per magiſtratum, quos rationibus ſuperare ſe non poſſe vi-
debant. Formulas quippe cudebant, in quas eccleſiaſtas univerſos adigere
per Comites meditabantur. Verum dum in his ſunt, ſtudio illuſtriſſimi prin-
cipis Philippi Lantgravii Haſſiæ, licet conſenſio in omnibus iniri non potue-
rit, pax tamen coiit inter celeberrimos utrarumque partium theologos totius
Germaniæ, qui à papiſmo ſeceſſerant, Lutherum, Melanchthonum, Iuſtum
Ionam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Ionam, Ioannem Brentium, Andræam Oſiandrum, Ioannem Oecolampadium, Vlrichum Zuinglium, Martinum Bucerum, Caſparem Hedionem, Stephanum Agricolam Marpurgi exeunte Septembri congreſſos: datiſque mutuò dextris bellum diremptum, ac amicitia conciliata. Quo nuncio in Friſiam perlato Bremani voluntate & moderatione Comitum perſpectâ mitiores quoque facti. Itaque ne nihil egiſſe viderentur, capita quædam conſcripsére de religione & re eccleſiaſtica, è quibus edictum à Comite Ennone formatum, & manu ac ſigillo ejus ſancitum eſt Emdæ pridie Eid. Decemb. ſed ſilentio preſſum aliquandiu. Aliis enim gravibus curis eodem illo tempore Comes afficiebatur. Chriſtiernus Daniæ, Sueciæ, Norwegiæ quondam rex ob tyrannidem regnis exutus Caroli v Cæſaris ſororius multos jam annos in Belgio vitam tolerans, ſive ſocietatis & ſubſidii quærendi gratiâ, ſive ad levandum exilii tædium, his vicinis in regionibus frequens verſabatur, ſæpéque propinquos ſuos Comites Oldenburgios, interdum etiam alios viſebat. Quod dum faceret, quam plena diſſenſionum, ſimultatum, odiorum eſſent omnia in iſtâ viciniâ, intelligebat. Nam ob res Ieveranas, Tranſiadanas, Stadlandicas etſi publica jam quies ab armis eſſet, tamen inimicis inter ſe animis agitabant Oldenburgii, & hæredes Edſardi: dolebantque illi, Ieverana in poteſtate horum eſſe, quorum curam & adminiſtrationem, ſi adminiſtratore haberent opus, ob proximum ſanguinem, & ultimam Edonis voluntatem ſibi deberi exiſtimabant: & hi Tranſiadana ac Stadlandica armis ſibi adempta eſſe fremebant, atque indignabantur: nec deſiderium recuperandi ea dimittere ex animis ullo modo poterant. Atque ut parentes utrorumque has ob cauſas mutuis accuſationibus apud Cæſarem & imperii ordines, & contrariis mandatis ſeſe infeſtarant, ſic eaſdem ob cauſas filii ferventioribus quoque odiis uti calidi juvenes ſe invicem perſequebantur. Accedebat Balthaſar Eſenſis amitâ Oldenburgiorum natus, per ſe inquies animo, fortunæ ſuæ præſentis impatiens iniquiſſimis conditionibus ab Edſardo ſe circumſcriptum tum apud Oldenburgios, tum apud ipſum regem acerbiſſimè querebatur: adeóque à morte Edſardi deſpectâ filiorum ejus ætate factis ipſis jam ſatis declararat, non eſſe animi ſui in pactis manere. Quæ cum bella nova, ac novas calamitates viciniæ toti minari viderentur, rex ſuis malis jam domitus, & ſapientior factus occurrendum in tempore, & conſopitis odiis, odiorumque cauſis ſublatis animos inter ſe benevolentiâ conciliandos, ac ſolidæ perpetuæque pacis fundamenta jacienda putavit. Cui rei nuptiis nihil magis idoneum atque efficax eſſe judicabat. Itaque eidem rei ſe impendere, animos huc ab omni parte ſtudio ſuo inclinare, jam cum his, jam cum illis agere, ſuadere, conditiones proponere. Verum cum ſolum ſe parum proficere videret, quod propinquitas ſanguinis cum Oldenburgicis & Balthaſare Edſardi liberis nimium ſuſpecta eſſet, id demum effecit, ut ſibi cum Florentio Egmondano Edſardi domui, ut credebatur, amiciſſimo, Hollandiæ, Selandiæ, Vltrajectinæ diœceſeos gubernatore, agendi hac de re, & ſtatuendi poteſtas tribueretur. Tum ad Florentium profectus, qui Vltrajecti iſto tempore degebat, cum eo egit; Vterque verò auditis omnium legatis, & cunctis diligenter ponderatis, ſic tandem ſtatuerunt, ut ſopiendæ omnis controverſiæ ac ſimultatis, ſtabiliendæque firmæ amicitiæ gratiâ inter vicinos Enno Oldenburgiorum ſororem unicam Annam matrimonio ſibi ſociaret: Antonius verò fratrum quidem Oldenburgiorum minimus, ſed ceſſione reliquorum imperium patriæ tenens, ſororem Ennonis eodem nomine dictam conjugem duceret: additæque porrò hæ leges, ut Ennonis ſorori in dotem cæderet omne jus Tranſiadanum, & Stadlandicum, eique juri Enno pro ſe & ſuis renunciaret, totumque id Antonio & hæredibus ejus dimitteret: Antonius contrà & fratres ejus abdicarent omnem curam, & omne jus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. Ieveranum, ſi quod vel ex commiſsâ parenti ſuo tutelâ, vel aliunde haberent,
XXVII. aut habere ſe putarent, aut etiam impoſterum parare ſibi poſſent: totumq́ueid Ennoni viciſſim cederent: Enno autem elocandis honeſtè ſororibus Ieveranis dotem IX millium aureorum daret: Ita omnis diſſenſio inter utramque domum cum oblivione omnium injuriarum veterum & recentium eſſet ſublata, ejuſque loco amicitia ſtabilis ſancita valeret. Hæc & regis Chriſtierni, & Comitis Florentii ſcripturâ & ſigillis fidei & roboris cauſa ſunt ſignata ſeneſcente anno M. D. XXIX, & exempla utrique parti miſſa: Balthaſaris cauſa rejecta in tempus aliud: diesq́ue Graviæ cognitioni illi conſtitutus, idq́ue tum huic, tum Ennoni & fratri per literas ſignificatum. Per hæc cum iis, quæ expoſita ſupra ſunt, annus ille in Ciſamaſanis exiit: qui & in reliquis Friſiæ partibus inter Amaſum & Lavicam, & hinc in Flevum pacatus fuit. Nam Groninga levis tantùm diſſenſio principio anni cum Geldro ſuborta de jure adminiſtrandæ præfecturæ veteris (præfectum enim ei dediſſe principem novo exemplo civitas querebatur in fraudem pactorum) uno reſcripto principis, ſed inſigniter aculeato, conquievit. Et in Tranſlavicanis publicatum menſe Martio Caroli Cæſaris edictum ad officinas aurificum pertinens: conventuſq́ue Leoardiæ actus omnium regionis ordinum menſe Aprili de ſubſidiis in aggeres, quos pericula & impendia majora in partibus Weſtergoæ premebant: quæ res ſæpè agitata prioribus annis, ſed tum demum confecta, certuſq́ue ſubſidii modus in triennium proximum definitus fuit. Demum finiendæ tandem controverſiæ de vectigalibus quam Friſii ejus regionis cum Campenſibus & Daventrienſibus habuerant jam per aliquot annos, quæque odia indies aſperiora gignebat, & commercia impediebat, operâ Teutoburgii gubernatoris communis colloquium inſtitutum eſt Vullenhoæ in confinibus menſe Auguſto, in quo convênit, ut lis arbitris quatuor permitteretur, in quibus ipſe Teutoburgius eſſet, qui intra annum vertentem ſententiam ferrent. Sed ante terminum hunc, nullâ adhuc ſententiâ latâ, Daventrienſes compromiſſo renunciarunt. Inclinante hoc anno Solimannus Turcarum Imperator potentiſſimus obſeſsâ maximis copiis Viennâ Auſtriæ in ingentem formidinem totam Germaniam conjecit: ſed re infectâ diſcedens haud parvam gloriam fortiſſimo propugnatori Philippo Palatino præſidii præfecto reliquit.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber LV.

M.D.XXX. INEUNTE anno æræ Chriſtianæ M.D.XXX Comes Enno quanquam nuptiarum curis ureretur, tamē ad intermiſſum religionis negotium ſubmonentibus iis, quibus id cordi erat, reflectens animum, ad ipſas Ianuarii Eidus ex omni ditione ſuâ eccleſiaſtas adeſſe ſibi juſſit Emdæ. Quo cum veniſſent frequentes præſente ipſo Comite, & pauca præfato ad præparandos animos, recitatum iis edictum fuit, imperatumq́ue, ut quid de eo ſentirent, verbone DEI ac pietati conſentaneum eſſe arbitrarentur, an ſecus, aperirent liberè,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

liberè, ac vitia ejus, ſi qua animadvertiſſent, oſtenderent. Illi, quod res parvi momenti non eſſet, exemplar, quò conſiderare poſſent preſſius, & deliberandi breve tempus, ne quid agerent temerè, enixè petierunt. Quorum neutro impetrato cum ſeceſſiſſent aliquantiſper, delectos è ſuo numero ad ipſum Comitem ſeorſim conveniendum remiſerunt, qui & quid in univerſum in edicto requirerent, modeſtè omnium nomine exponerent, & potiſſimum calumnias à malevolis ſuggeſtas, edictoq; inſertas abſtergerent. Quos mandata peragentes cum Comes ipſe percontatus quædam eſſet de verbo divino, de baptiſmo, de ſacrâ Cœnâ, ſatis deprehendit ex reſponſo, impoſitum ſibi ab accuſatoribus eſſe. Attamen pudore confuſus, quaſi vel non ſatis fidere paucorum ſermoni auderet, vel non omnes idem cum his ſentire ſuſpicaretur, hortatu æmulorum in diē poſterum ſcripto reſpōdere ſibi omnes juſſit. In edicti hujus limine (libet enim pleniùs hæc exponere propterea, quod vera horum cognitio non parum momenti habeat ad poſterorum memoriam) oſtendit Comes, conſilium ſuum verbis optimum non aliò tendere, quàm ad ſopiendas inter ſuos exortas de religione diſſenſiones, & ſarciendam retinendamq; inter omnes concordiam. Et tamen teſtatus eſt, nolle ſe edicto hoc ſuo quicquam derogatum decreto Spirenſi nupero ex voluntate ordinum imperii publicato, aliiſque Electorum ac reliquorum principum Germaniæ ſtatutis, fidei Chriſtianæ promovendæ utilibus: imprimis verò capitibus illis Marpurgenſibus, in quæ maximi theologi paulò ante conſenſerint: quinimò velle ac jubere ea omnia rata eſſe, nec minùs iis, quàm edicto huic parêri. Deniq; graves pœnas contumacibus denunciavit. In ipſo deinde edicto hæc fuere. Ante omnia vir doctus & probus ἔφορος, quem ſuperintendentem vocant, primo quoque tempore conſtituitor (quod curæ ſibi futurum Comes pollicetur) qui ἐφόρειαν habeat in omnes eccleſiaſtas & ludimagiſtros totâ regione, detq; operam, ne quæ hæreſes, factiones, prava dogmata, aliave vitia ſimilia in eccleſiaſtis aut populo ſuboriantur. Falſæ opiniones de externo Dei verbo, de baptiſmo, de ſacrâ ſynaxi, quæ hactenus paſſim valuere, nullo modo impoſterum docentor, aut locum ullum habento: ratum verò eſto de externo verbo id, quod Marpurgi nuper eſt definitum, poſthabitis ſubtilibus interpretationibus, de eo autem plenius audiuntor ſuperintendens, & ejus adjutor. Idem verbum Dei, per quod Deus efficax eſt, eccleſiaſtæ diligenter & rectè tradunto, atque eâ prudentiâ exponunto, ne qua inde occaſio tumultus, ſeditionis, diſcordiæ poſſit exiſtere. Et quia tria potiſſimum Chriſtianis cognitu neceſſaria ſunt, primum, quid cuiq; faciendum ac non faciēdum ſit, ut externis operibus coram hominibus ac propriâ conſcientiâ ſuâ, quod poſcit Deus, irreprehenſibilem ſe præſtet; ſecundum, quid credendū & quomodo corā Deo agendum; tertium quid & quomodo precandum, de his iidem auditores ſuos fideliter & diligenter erudiunto. In hunc finem ſæpe è ſuggeſto decalogum, oſtendentem quid Deo, quid proximis debeatur, recitanto, & explicanto, ut omnes diſcant ſenſum ejus nō ſolum externum & literalem, ſed etiam internum & ſpiritualem ſecundum ipſius Chriſti enarrationem apud Matthæum capite v; intelligant quoq;, quàm ſeriò Deus obſervationem ejus integram à nobis flagitet, & tranſgreſſores quàm ſeverè ſe puniturum interminetur; denique cognoſcant infirmitatem humanæ naturæ vitiatæ, cui poſſibile non ſit vel minima quæq; in decalogo præcepta, ut Deo ſatisfiat, præſtare; atque ita conſcientiæ velut manu ducantur & compellantur ad Chriſtum, & fidem in eum. Tum articulos fidei Chriſtianæ non negligunto, complexos verum Euangelium de gratiâ & miſericordiâ Dei, ſed eos omnibus dieb. dominicis à concione populo proponunto; & quidem ita proponunto, ut legis explicationē his conjungant, ſine quâ fides ipſa haudquaquam intelligi queat; ne ſi aliter fiat, & fides ſine lege urgeatur, errores omniū errorū teterrimi & peſti-

M.D.XXX

lentiſſimi, quod fieri ſolet in animis hominum profanarum, ſubnaſcantur:
M.D.XXX. ita, inquam, de fide docento, eam veram ſine ſtudio bonorum operum eſſe
non poſſe. Ad hæc de libero arbitrio & prædeſtinatione, verâ abyſſo ſapientiæ
& potentiæ DEI, ac humanæ rationis captum ſuperante, eccleſiaſtæ iidem
prudenter & cautè diſſerunto, præſertim apud populum: rudes verò, & ſacrarum literarum non ſatis periti eccleſiaſtę materiã hanc aut modicè tantum, aut
omninò non tractanto. Demum preces ad DEUM pro dono gratię ipſius, pro
magiſtratu, pro pace & concordiâ cæteriſq; bonis, quæ hactenus omiſſæ à plurimis feruntur, (hac calumniâ nequiſſimâ animum Comitis nimis credulum
imbuerat malevolentia inimicorum) omnibus diebus dominicis è ſuggeſto recitanto. Dies Paſchatos, Pentecoſtes, nativitatis Chriſti, aſcenſionis ejus in cœlum, epiphaniæ, purificationis Mariæ, & annunciationis, Ioannis Baptiſtæ, Apoſtolorum, poſthabitis cæteris ſanctorum aliorum memoriæ dicatis, & magno
cum abuſu ac impietate cumulatis, ſacri & feriati ſunto. Et quia ſingulis dominicis diebus verbum divinum prædicatur, cui ex inſtituto DEI ſacra ſigna in
ſolamen infirmorum fidelium annexa eſſe convenit, etiam in omnibus eccleſiis, quæ communicantes habent, volentibus ac ſpontaneis ſacra Cœna adminiſtrator. Definita conventaque Marpurgi DEI verbo conſentientia, &
cunctis Chriſtianis creditu neceſſaria, tum alia tum de myſterio ſacræ hujus
Cœnæ citra diſputationes ceu certa, & controverſiam non habentia populo
traduntor: nec quiſquam à ſacrâ ſynaxi abſterretor, aut arcetor: celebrator autem ea ritu ac modo in eccleſiis ſub imperio principis Electoris Saxoniæ uſitato, (hunc Comes in edicto typis ſe vulgaturum primo quoque
tempore promittit; ſed id infectum manſit) & nequaquam alio: nec adhibetor ullo modo panis fermentatus, aut cerviſia, ut alicubi ex parte factitatum non ſine incommodo aliquo, aut periculo ſeditionis re non poſcente: contrarium facienti pœna eſto exilium. Eccleſiaſtæ ſimpliciter benigneque populum docento, uſum cœnæ ſacræ neceſſarium eſſe cunctis Chriſtianis. Et quia cæremoniarum obſervatio omnibus qui Chriſto nomen dederunt, libera eſt, hoc tamen valeto, ut eccleſiaſtes cœnam ſacram adminiſtrans
non niſi amiculo albo, aut chorali alio, quod vocant, indutus ſit, non quidem
idcirco, quaſi veſtis veſte melior ſit, ſed hanc ob cauſam, ut honeſtius & majore cum reverentia ſacrorum & divinitus inſtitutorum ſignorum exhibitio &
ſumptio ex more Saxonico peragatur. Sub actione ipsâ Latinè aut Germanicè,
ut volet eccleſiaſtes, à pueris accinitor. Omnibus in templis, ubi copia pſallentium ſcholarium eſt, tam rure quam in oppidis diebus dominicis matutinæ
ac veſperæ cantantor, & aliquid ex ſacro codice ab eccleſiaſtâ prælegitor.
Infantes abſque baptiſmo non relinquuntor, nec ſacramentum hoc ullo modo contemnitor, ejuſque neceſſitatem eccleſiaſtæ populum diligenter doceto:
baptiſmus in templis adminiſtrator. Collectæ abſq; coactione, propterea quod
fundamentum in ſacris literis habeant, linguâ patriâ, vulgo notâ recitantor:
baptiſans ſufflatu, unctione, & ſimilibus utitor ſic ut decebit. Ægrotos decumbentes non ſolum verbo divino conſolantor eccleſiaſtæ, ſed etiam confeſſos
delicta porrectâ cœnâ dominicâ confirmanto: eoſdem non ſemel, ſed identidem viſitanto, erudiunto: nec hic perſonarum diſcrimen tenento, ſive ægri ſacras cõciones frequentare ſoliti fuerint, ſive non, cũ nullo tempore inſtitutione
& conſolatione magis ſit opus, quã in periculo & articulo mortis. Confeſſionũ
uſum, quanquã liberũ, ut Marpurgi eſt definitũ, tamẽ ob utilitatẽ ſervãto, maximè abſolutionis causâ ad ſolandas pavidas cõſcientias. Iidẽ peccata hominũ
corripiunto quidẽ, ſed reos non deſignanto: corrigere .n. debẽt, non famã lædere, exemplo Chriſti, qui Iudã corripuit de proditione, non diffamavit. Graviorũ
tamẽ criminũ ſontes, participes Synaxeos ſacræ, monento primũ ex præſcripto
Chriſti, deinde ſi contumaces manſerint, excommunicanto. Statuas aut imagines in templis, & quæ ejus generis ſunt, nemo confringito, aut violato, quia
eæ, ut

æ, ut bono non ſunt, ita quoque non obſunt, ſi in templis habeantur. Franciſcanorum Emdæ in cuculla degentium duo, quoties concio in templo urbis majore habebitur ab eccleſiaſtis, ibidem adſunto: & viciſſim eccleſiaſtæ in concionibus iſtorum in fano monaſtico comparento, & concionantes audiunto: quinimò etiam Franciſcani interdum in templo eodem majore, & eccleſiaſtæ in fano monaſtico concionantor, conciliandæ & augendæ mutuæ caritatis gratiâ. Et ſic agentes Franciſcani ſide publicâ tuti ſunto. A Miſſis, uti vocant, & reliquo cultu ſuo hi iidem abſtinento, templum aperiunto, nolas non pulſanto, cum apud ipſos ab eccleſiaſtis conciones ſunt habendæ. Iejunantes, & non jejunantes, feriantes & non feriantes, ſe mutuò non inſectanto, non contemnunto, cum jejunare & feriari malum non ſit, & comedere ac operari non ſit vetitum, damnatumve. Cætera edicti prolixi magis ad leges & diſciplinam civilem, quàm ad rem eccleſiaſticam pertinent, de fæminis puerperis, de mendicis & pauperibus & eorum ſubſidiis & curatoribus, de ſcholis, de adulteriis, de homicidiis, de habitu & ornatu muliebri, de nuptiis, de exequiis. Poſtridiè, ut promiſerant, ſcripto reſponderunt eccleſiaſtę in hanc ſententiam. Agnoſcere ſe libentes, corporum ac fortunarum ſuarum ratione ſubjectos ſe Comiti eſſe ut magiſtratui legitimo, & eatenus fidem obſequiumque ei ab ſe deberi: nec ſe hîc officio ſuo uſquam defuturos: quinimò in ceremoniis, in precibus publicis, in ritu adminiſtrandi ſynaxin & baptiſmum, ſi qua talia ſunt edicto comprehenſa, quæ verbo DEI non adverſentur, non ſe Comitis imperio obluctaturos, & ſalvâ Chriſtianâ libertate, integrâque conſcientiâ ex lege caritatis, quâ Chriſtiani ſibi mutuò obligati ſunt, ad avertenda non neceſſaria offendicula omnia facturos quæ cap. XIV Marpurgenſi comprehenſa ſunt, & quæ veteri ac novo teſtamento de cœna domini & baptiſmo ſunt tradita: dummodo liceat erroneam fidem, & fiduciam falſam, quâ multi mortales laborant, corripere, & verum ſacramentorum uſum docere, & in eo retinendo laborare. De doctrinâ ſe in ſuſpicionem quidem trahi, &, ſi modò rectè intellexerint inter recitandum verba edicti, inſimulari falſarum opinionum in concionibus propoſitarum, & populi in errores abducti, præſertim de externo DEI verbo, & utroque ſacramento novi teſtamenti, ſed valdè iniquè: nec enim hactenus ullius erroris à quoquam ſe convictos eſſe ex divinis literis nec cujuſquam doctrinæ ſibi eſſe conſcios, quæ fundamentum iis in literis non habeat, quâque à Chriſto auditores ſuos abduxerint: paratoſque eſſe etiam nunc doctrinæ ſuæ omnis rationem reddere, & ex verbo DEI plenius eam explicare, ſive in amico colloquio id fieri placeat, ſive in publicâ diſputatione coram eccleſiâ, cui ex mente Apoſtoli ad Corinthios cap. XIIII debeatur judicium: Et quemadmodum die heſterno delecti nomine omnium cum ipſo Comite collocuti, & de his iiſdem partibus à Comite expreſſim rogati reſponderint, ita etiam nunc omnes omninò unanimi mente ſe reſpondere & teſtari de utroque ſacramento, numquam ſe docuiſſe, ea Chriſtianis inutilia ac non neceſſaria eſſe, & poſſe homines ſpernere eadem, uſumque eorum omittere, & tamen in Chriſtianis cenſeri, & ſalutem adipiſci, uti mendax ipſis calumnia impingat. Hæc enim totâ ſe mente averſari: imo verò fateri ſe iſto reſpectu & utilia & neceſſaria eſſe: Nam utique à Chriſto Deo ſervatore noſtro non ob nullam, ſed ſine dubio ob maximam & multiplicem utilitatem in eccleſiâ eſſe inſtituta. Deinde, enumeratis ſacramentorum præcipuis utilitatibus, de verbo vocali ſonante in eccleſiis per os miniſtrorum ajunt, id non minus, imò magis utile ac neceſſarium ſe agnoſcere velut ſingulare medium DEI ac ſpiritus ſancti, ſine quo ordinariâ ratione non placeat huic nobiſcum agere, ac in nobis operari: Verum præter iſta, ne qua vana fiducia externorum elementorum, & operum M.D.XXX

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.D.XXX. propriorum obrepat animis mortalium, monuiſſe & docuiſſe ſe fideliter, præter externum verbum requiri quoque verbum internum, præter externum baptiſmum Ioannis requiri etiam internum Chriſti baptiſmum, præter externam Synaxim cœnæ dominicæ opus quoque eſſe internâ perceptione veri corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti, adeò quidem, ut externa illa ſine his internis ex ſeſe, & vi ſuâ animabus coram DEO nihil proſint ad ſalutem, quemadmodum proh dolor, in hypocritarum, aut malè credulorum turbâ perditâ, qui non minus quam verè fideles & verbum DEI in templis audiunt & ſacramentis utuntur, cum venerit ad judicium noviſſimum dominus, fiet manifeſtum. Hoc modo docuiſſe ſe ſemper, externa ſacramenta & ceremonias, & cætera hujuſmodi non ſufficere apud DEUM ad obtinendam ſalutem, & addidiſſe diſertè hanc explicationem, DEUM nequaquam ob hæc externa juſtificare & ſervare homines reſpicientem opera iſta eorum operata, ut loquuntur, nec poſſe, nec debere, homines iis niti ac fidere, ſed hic ſolum Chriſtum, & fiduciam in eum, quæ vera fides eſt, valere, & unicum medium ſufficiens eſſe inter DEUM & nos, ob quod DEUS nos juſtos cenſeat, & ſalutis participes faciat. De corporali autem præſentiâ & ſumptione carnis & ſanguinis Chriſti in aut ſub pane & vino in ſacrâ Synaxi, contra quam ipſi ſacramentalem & ſpiritualem aſſerant, & ex S. literis defendant, hactenus cum nemine ſe valde pugnaſſe, modò caput illud ſummum doctrinæ de fide in Chriſtum intactum, & non damnatum relinqueretur, nec ipſi ob caput iſtud pro hæreticis haberentur. Et ſicut nuper doctores Marpurgi in cæteris capitibus fidei Chriſtianæ neceſſariis conſenſerint, in iſtâ verò parte conſenſum non inierint, & tamen ſtatuerint ob hanc diſſenſionem alteros ab alteris non eſſe pro hæreticis habendos, nec omnem eorum doctrinam damnandam, ſed charitate Chriſtianâ, quantum fieri poſſet, complectendos, ſic obteſtari ſe per Chriſtum ſervatorem communem, ut in his terminis ſibi quoque liceat conſiſtere, nec onerari ſe amplius, aut conſcientias ſuas cogi, verum permitti, ut fides ſua ſoli DEO patri, & unico magiſtro Chriſto, & ſpiritui S. ſit ſubjecta. Hoc reſponſo variè affectus fuit Comes, ut variis hominibus aures dabat, malis tamen quam bonis facilior: eratque gravius aliquid in orthodoxos verbi præcones decreturus, niſi præter alios duorum potiſſimum virorum auctoritas & gratia eum retinuiſſet, Vlrici Dornumani cognati ipſius, ætate gravis, & religionis ſinceræ patroni ſingularis, & Georgii Aportani eccleſiaſtæ Emdani, quem præceptorem prioribus annis ipſe habuerat, & etiam tum reverebatur. Edictum tantummodò impulſu peiorum ad invidiam & infamiam orthodoxis conflandam eodem eo anno typis fuit publicatum, lateque ſparſum. Cæteroqui, res tum temporis quievit. Has verò curas curæ nuptiales rurſum interruperunt. Enno & Antonius, quorum res potiſſimum agebatur, in omnes partes cum iis, quos à conſiliis habebant, rationum momenta ponderabant. Vterque ætate par (eodem enim anno ambo nati erant;) ſed Antonius naturâ gravior, & Chriſtophori fratris prudentiâ, principis acerrimo ingenio præditi, & literis exculti, ac jam tum in rebus gerendis exercitati (nam Viennæ in præſidio fuerat non ita nuper, cum ea à Solimanno Turcarum imperatore obſideretur, & paulo antè domum redierat) conſilium ſuum firmans, ac in Venerem minus præceps, non properandum ſibi ſtatuebat. Et erant in re, quæ animum ejus haud immeritò angerent à principibus Brunſuigiis & Luneburgiis, qui hoc titulo poſſidere eum Tranſiadana indigniſſimè erant laturi. Enno autem in muliebria pronior, & ingenio facilior, minuſque circumſpectus, ac Florentio Egmondano multum fidens conſilium præcipitabat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

capitabat. Nam rerum Ieveranarum retinendarum valdè cupidus erat: M.D.XXX & tamen à nuptiis Ieveranis, ſive quod inferior dignitas ac ſtatus virginum diſpliceret, ſive quid in moribus aut formâ culparet, aut ſiniſtræ ſuſpicionis aliquid daret, abhorrebat, (variè enim hoc acceptum fuit:) hoc autem modo, qui Vltrajecti convenerat, etiam ſine nuptiis, ſalvo honore ſuo, ac ſine offenſione & periculo, adſpirante gratiâ aulæ Burgundicæ, atque ipſius Cæſaris, autoribus tam magnis, in poſſeſſione earundem rerum manere, & poſteris eas ſuis tradere ſe poſſe arbitrabatur. Et ſimul Ieverano hoc jure firmato jacturam Tranſiadani juris, cujus nomine tantum & inani titulo nunc gauderet, rei nihil teneret, recuperatio autem incertiſſima ac difficillima futura eſſet, imò in deſperatis haberetur, præclarè ſe compenſaturum exiſtimabat. Sed toto, quod ajunt, cœlo, teſte eventu, errabat: nec ſatis profunda atque abdita conſiliorum, & ſenſuum aulæ Burgundicæ perſpiciebat; nec quorum fidei domi inniteretur, ſatis prudenter ſecum reputabat. Itaque vanis imaginationibus ſuis, & juvenum aliorumque improvidorum conſiliis paſcens ſeſe, & omninò deſideriis magis quam ſanæ rationi, ut prudentiſſimi quique ſentiebant, obſecundans, neglecto quoque eo, quod patri ſciebat placuiſſe (qui Oldenburgicam domum inimiciſſimam, & ſuis & majorum ſuorum rebus, & patriæ cariſſimæ multarum calamitatum cauſam ſemper oderat) ne quid imputari ſibi poſſet, quominus rata eſſent, quæ rex & Florentius ſtatuerant, neu fortunam ſuam, quam animo concipiebat, moraretur, Oldenburgum ipſe cum iis, quos à conſiliis habebat, & cum peramplo & ſplendido aliorum comitatu profectus fuit. Atque illic exceptus amanter ac magnificè ab Antonio & fratribus, quibus res ea ingrata non erat, cum ſorore eorum virgine venuſtâ, & moribus ingenioque planè ſingulari ſponſionem conjugii præſens iniit: ac amore inardeſcens ſtatim ibidem prid. Non. Martii nuptias confecit, iiſque peractis cum novâ nuptâ, comitante hujus fratre Chriſtophoro, lætus in patriam reverſus Auricæ magnificum epulum ſuis quoque dedit. Hinc eandem novam nuptam comite eodem fratre in civitates cæteras ac præfecturas circumduxit. Omnia hæc abſente Ioanne fratre, cum Cæſare in Italiam profecto, quo tempore coronâ à pontifice Cæſar redimitus fuit Bononiæ, acta ſunt. Tum verò modo lætitiæ poſito, dimiſſo affine Chriſtophoro, & paulò poſt fatis ſublatâ ſorore Annâ, quæ nuptiis Antonii deſtinata fuerat, Enno, ut ſe quoque in armis haud degenerem oſtenderet, bellare conſtituit. Occaſio ei ad hanc rem data à Balthaſare Eſenſi. Is enim, ut dixi, contemptis juvenum comitum annis, qui vix Edſardo vivo ſe continere potuerat, æquæ ſortis impatiens, mox à morte Edſardi non paucis in rebus à pactis receſſerat: dein cum tempore audacior factus, ut in poſſeſſione prioris licentiæ, ac poteſtatis exlegis rurſum ſe collocaret, antequam dies Graviæ dictus adeſſet, injurias varias in nobiles & ignobiles multos aſperabat, cenſus eorum intercipiebat, patruo ſuo Vlrico nihil ex pactis ſolvebat, & monitus ab Ennone nihilominus haud quicquam remittebat. Quapropter occaſione penè lætus non expectato tempore ab arbitris conſtituto, quanquam diſſuaderent plures quàm ſuaderent, impellerent autem ii, quos injuriarum dolor urebat, vocatos ad arma quam poterat & celerrimè & maximo ſilentio proximos quoſque ſuorum per noctis tenebras ad XIII Calend. Iulii Witmundam mittit, per eos arcem ejus loci prævalidam impetu inopino invadit, occupatque: præfectum arcis Theodoricum Colonienſem adhuc ebrium ex potatione veſpertinâ captum Auricam trahi jubet, attonitis omnibus vicinis. Eo ſucceſſu alacris, ſubitò, ut celeritate ipſa Balthaſarem turbaret, ex omni regione ſuâ populum frequentem ad arma vocat. Nordanos & Berumanos ferociſſimos, & Harlingiis finitimos,

D. M. XXX Balthaſariq; maximè infenſos in hoſticum ſine morâ irrumpere præcipit, ipſe cum Auricanis, qui itidem Harlingios attingunt, quâ proximum erat, eodem contendit, reliquos è locis remotioribus quàm celerrimè ſubſequi mandat, obvia malè mulctat, exercitum Eſenam, Harlingiorum caput, ducit, prima caſtra in cœnobio, cui campi Mariæ nomen eſt, non procul oppidi mœnibus collocat, Nordorpæ, qui vicus eſt exiguo quoque intervallo ab oppido disjunctus, caſtellum militare per foſſores excitat, & vallo caſtrenſi cingit, ex eo oppidum oppugnaturus. Simul minores munitiones tumultuario opere contra oppidanos erigit: opera ſedulus per præfectos urget. Balthaſar qui in arce oppidi erat, inopinis his rebus conſternatus non tamen animum abjicit, ſed & ad fortitudinem cohortatur ſuos, & detrimento affectos verbis ſolatur, ſubſidia ventura promittit, rogat ſuſtineant modò primos aſſultus, & animos ac manus hoſtibus oſtentent. Oppidani etiam ipſi feroces, & verbis his excitati erumpere audent, & impetu in vallum exiguum facto, expulſis inde militibus præſidiariis, vexillum captum in oppidum ſecum velut triumphantes referunt, idque opprobrii causâ ex turri eminentiori obſidentibus Ennonianis oſtentant: denique obſeſſi & obſidentes ſe mutuò territant. Mox caſtello Nordorpæ perfecto Comes Ieltconem Iderhowium Berumanæ arcis & agri vicini præſidem virum acrem, nec rerum militarium ignarum, ex agro Tranſlædano oriundum in eo præfectum collocat, & fortiſſimos quoſque, & manu promptiſſimos ex omni multitudine armatorum, qui ex omnibus regionis partibus jam iſtuc advenerant, illi attribuit in ordines & ſigna deſcriptos, numero ad ter mille, quos ſufficere ad premendos oppidanos arbitrabatur. Ipſe verò cum reliqua multitudine, quæ ingens erat Auricam revertitur, atque inde domum redeundi copiam facit univerſis, juſſis tamen, ut in omnes caſus & mandata ſint rurſum parati. Tum miſſis in proximas quaſque regiones exteras hominibus militaribus pecuniâ inſtructis, militem quàm celerrimè conſcribit: in eos ſumptus aurum & argentum ex templis ablatum, quod Embdæ in curiâ arcæ incluſum ſervabatur, per Omconem Ripperdæum Hinthanum obſequio ſuo promptiſſimum, qui clave amiſsâ, aut abſconditâ, malleo & forcipe arcam recludere norat, ut teſtatur Grimershemius, deprompſit, ac in nummos conflavit ad ſolvenda militibus ſtipendia. Interea Eſenſes à diſceſſu Comitis cum multò maximâ armatorum parte fidentiores facti, excurrebant ex oppido, & in oppidum ſe rurſum inferentes commeatum, & alia neceſſaria importabant, militemque ad Balthaſarem magno numero concurrentem ſecum introducebant, nequicquam prohibere conantibus iis, qui cum Ieltcone præſidium in caſtello Nordorpio agitabant. Quo cognito Comes Enno feſtinans quantum poterat, cum iis, quas conſcripſerat, copiis equeſtribus & pedeſtribus frequentibus (nam auditâ famâ belli Friſii, & theſauri ingentis in nummos conflati, certatim magnus exterorum militum numerus deſiderio ditium ſtipendiorum, & amplarum prædarum ad nomina danda confluxit, & his non parva multitudo Friſiorum ſtipendio autorata ſeſe addidit) Eſanam repetiit, ſecumque quatiendis mœnibus, & ſternendis oppidanis propugnatoribus omnis generis tormenta advexit. Tum binis caſtris novis obſeſſos premere aggreſſus, altera in vico Thunenſi orientem verſus vix mille paſſ. ab oppidi mœnibus remota, altera ad occidẽtem inter Nendorpam, cœnobiumq; Marianum oppido penè contigua poſuit. Simul ingentia tormenta duobus locis non procul mœnibus cõſtituit, atq; his fulminare in mœnia & obſeſſos repetitis ſæpè vicibus cœpit. Deinde deformatis convulſiſq; munitionibus, & oppidanis in terrorẽ datis aquis etiam ruſticorum vicinorũ operâ è foſsâ derivatis, conſtituto die primâ luce, cum nocturnæ vigiliæ ſtationibus abducerẽtur, militem ſtipendiarium, & Ieveranam juventutẽ è Wangris, Oſtringiis, Ruſtris eductum (nam & hi cum præfecto Boijngo Olderſhemio auſpiciis Ennonis

ad

ad Eſenam militabant) in munitiones oppidi velut procellam immittit, magnâ vi oppugnationem inſtituit. Ac erat ſanè tanta oppugnantium contentio, ut primi quique audaci facinore in ipſum vallum evaderent: potuiſſetque perterritis propugnatoribus oppidum capi, ſi erinaceus tumultuario opere prioribus diebus medio in periculo fulminantium tormentorum ab oppidanis conſtructus impetum invadentium non tardaſſet, & ſi præcedentium veſtigia pari alacritate & fervore ſequentes preſſiſſent. His autem impetus vim remittentibus ac agentibus ſegnius, iſti, qui ad erinaceum hærebant, & à præſidiariis ſummo niſu repellebantur, neceſſe habuêre pedem referre, non ſine ingenti periculo, cum terga hoſti obverterent. In quo receptu inter alios ſummus diſciplinæ militaris præfectus Eilardus cognomẽto Craſſus ab oppidanis captus & in oppidum tractus fuit. Interea Ennonis frater Ioannes cum Cæſare Carolo ex Italia in Germaniam reverſus, feſtinans in patriam recurrerat, & ad fratrem eodem tempore in caſtra venerat. Ex hujus conſilio poſtridie rurſum continuis tormentorum fulminibus per aliquot horas oppidi munitiones ad portam Porcinam verberatæ graviter, ipſaque porta in ruinam acta. Quinetiam ad diſtrahendas obſeſſorum curas, & augendum metum currus fæno & ſtramine onuſti diverſa oppidi parte propè mœnia acti, & eorum nonnulli ad fumum excitandum, & proſpectum adimendum incenſi, perinde ac ſi iſtic quoque oppugnatio adornaretur, & complendæ foſſæ gratiâ materia advectaretur. Pariterque per magiſtrum tormentorum ad incendium in ipſo oppido concitandum, magna vis ignis in oppidum hic illic conjecta. Cuncta, quæ ad percellendos animos quoquo modo facere poterant, uno quaſi momento comparata. Cum his jam decedente die centuriæ militum ductore præcipuo Dirico Durenſi ex agro Ieverano viro nobili, belli artium gnaro ac forti, turbinis inſtar in locum illum tormentis quaſſatum immiſſæ, & juxta has Wangri, Oſtringii, Ruſtri cum eodem præfecto ſuo Boijngo Olderſhemio. Et ſanè alacriter & viriliter ab utriſque res eſt geſta. Verùm cum animadverteret Balthaſar, non niſi uno loco oppugnationem fieri, perculſos ſuorum animos erexit, ac robur præſidii ſui eo loco oppugnantibus objecit, impetumque eorum feliciter fregit. Denique cum aliquandiu certatum viribus eſſet, iſtis in valli faſtigium eniti, atque in oppidum perrumpere, his locum tueri, & conſcendentes deijcere ſatagentibus oppugnantes cedere fortunæ, ac receptui ſe dare coacti ſunt nequicquam obſiſtente, atque indignante Durenſi ductore, qui in eo certamine alterum ex vulnere oculum amiſit. Interempti in pugna ac receptu non pauci, vulnerati multo plures. Nec perſuaderi ullo modo non cohortatione, non promiſſis potuit militibus ſtipendio conductis, ut conatum inſtaurarent. Quapropter cohortes ruſticas armis probè inſtructas in corona animarunt Comites fratres, eaſq; ut fidei, fortitudinis, gloriæ majorum memores magnis animis rem capeſcerent, gererentque, & ignaviam militum factis ſuis arguerent, cohortati ſunt; Et hæ cùm acclamatione promptitudinem ſuam declaraſſent, eductæ à præfectis, quibus parebant, lato agmine non ſegniter in eandem illam mœnium partem ſeſe incitarunt, militeſque ſtipendiarios exemplo & voce provocantes, certamen denuò cum ingenti clamore exorſæ in conſternationem haud levem propugnatores conjecere. Sed cum nec milites ſequerentur, & redintegratis animis præſidiarii cum oppidanis in defendendo loco viros ſe præſtarent, haſtis, gladiis, igne, aquâ fervente, ſaxis, ſilicibus, lignis, denique omni telorum genere ſubeuntes infeſtarent, tandem ipſæ quoque animis concidentes pedem referre cœperunt non ſine magnâ clade. Nam dum fortiter pugnant, & in vallum evadere nituntur, dum ſe recipiunt per foſſam, ingens eorum numerus interiit: multò verò plurimi in foſsâ ſe mutuò prementes ac impedientes perituri fuiſſent, ſi in

M.D.XXX

M.D.XXX eos præſidiarii audaciâ ſumptâ ſe effudiſſent. Feruntur in utrâque oppugnatione ad DCCC capita tum militum tum ruſticorum occubuiſſe: in quibus ſunt, qui Iconem Cnipenſem juvenem inſigni fortitudine ordines ducentem, Tidonis fratrem fuiſſe tradunt. Ab hoc tempore Comites miſſis oppugnationibus, propter propugnatorum conſtantiam ad obſidendi conſilia ſe verterunt. Itaque caſtellum alterum idoneo loco inter Thunumum vicum, quem antè nominavi, & Folkerſhuſium domicilium familiæ nobilis, contra arcem oppidi firmis operibus extruunt, præſidiumq; ei validum imponunt. Hoc modo aditus omnes & exitus oppido pariter & arci præcludunt: frumenti & reliquæ annonæ, rerumque neceſſariarum importationem impediunt: ab omnibus excurſionibus obſeſſos prohibent. Vnde fames tandem ſecuta in oppido adeò invaluit, ut & jumenta & homines magno numero eâ perirent. Et cum peſtis quoque ad famem, ceu accidere in obſidionibus ſolet, accederet, Balthaſar demum fruſtra expectato diu à ſororio Comite Retpergio, & aliis amicis ſubſidio, animum deſpondens ad deditionis conſilium confugit. Itaque colloquio petito, cum aliud non poſſet, gratiæ & arbitrio Comitum ſe ſemet ſuaque permiſſurum oſtendit. Atque ita pridiè Michaëlis deditionem fecit: præſidium militare ex oppido & arce emiſit: hoſtile præſidium ejus loco in eaſdem munitiones recepit: ipſe ad victores Comites oppidum etiam ingreſſos ex arce in templum deſcendit, & ad genua eorum proſtratus delictorum veniâ rogatâ gratiam ſuppliciter imploravit. Increpitus deinde acriter exprobratâ perfidiâ, & variis injuriis, cuſtodiæ militum eſt traditus. Tum oppidani exarmati, vallum oppidi hic illic dirutum, tormenta cum inſtrumentis averſa, præſidium militum validum in arce collocatum: nobilitas & tota plebs jurejurando in fidem Comitum adacta. Inter quæ ſupervenit Chriſtophorus Oldenb. interceſſurus pro amitino: cujus ſtudio, juvante ſorore, gratia ei facta, & conditiones conceptæ, quibus Eſena eidem dedititio reſtitueretur. Conditionũ ſumma hæc fuit. *Balthaſar Ennoni & Ioanni Comitibus, & eorum hæredibus ac ſucceſſoribus juratus obſequium & fidem addiceret ut ſubditus, Eſenam cum ditione cohærente ab ipſis in feudum acciperet, beneficioq; eorum, ut vaſallus teneret, atque omnia, quæ vaſalli dominis ſuis ſuperioribus præſtare ſolent, iis præſtaret; exemplo cæterorum virorum nobilium Friſiæ Orientalis mandatis eorundem pareret; eorum auſpicia in bello cum ſuis ſequeretur: impoſterum non in plurali numero de ſe, ſed tantum in ſingulari loqueretur. Homagium Comitibus, eorumq; hæredibus præſtitum à reliquâ Eſenſis agri nobilitate, & toto populo, ratum maneret, tranſmittereturq; ad poſteros: atque ea nobilitas non ſecus ac cæteri, qui ſunt inter Amaſum & Viſurgim, ex formulâ diplomatis imperatorij Comitibus dati immediatè cum poſſeſſionibus ſuis in fide Comitum eſſet. Balthaſar neſciis Comitibus matrimonium non iniret, nec tamen Comites ei ea in re, quæ omnibus jure divino debet libera eſſe, eſſent impedimento, libertatemve ejus arctarent. Si verò contingeret Balthaſarem ſine liberis maſculis legitimè ex ipſo natis decedere, arx Eſena cum omni ditione & jure recideret ad Comites, eorumq; hæredes, ut veros ejus dominos. Ius fluminum ac inſularum, hactenus à Balthaſare uſurpatum, integrum cum omni commodo atq; fructu Comitibus relinqueretur: & de rebus naufragis valeret id, quod à majoribus acceptum eouſque in more fuiſſet in toto Friſiæ Orientalis comitatu: nec quicquam earum à Balthaſare in poſterum attingeretur. Parœciæ quatuor, Weſterholtum, Ochterſhemum, Dunumum, Wirdumum, non cenſerentur deinceps in ditione Eſenſi, ſed Comitum eſſent: reliquæ IX Eſena, Stedeſdorpium, Thunium, Fulcumum, Weſterbenſa, Oldendorpium, Weſterbura, Acumum, Roggenſteda ditionis iſtius manerent: nec tamen adigerentur ad onera ſolitis majora: Et ſi quenquam in parœciis his ſupra hunc modum gravare, aut aliâ quâvis injuriâ afficere occiperet Balthaſar, ei jus eſſet Comites appellare, Comitumq; eſſet cognitio atque judicium. Balthaſar teneretur omnibus præſentibus intraneis & extraneis jus dicere atque expedire, neminem vicinis principibus aut civitatibus inimicum, ſine*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſine conſenſu Comitum receptare; nec cædis aut alîus maleficij reis è Comitum ditione profugis fidem publicam dare, aut defenſionem promittere: negotiantibus verò exteris omnibus commeatum & commercia tuta atque expedita præſtare, neq; ijs impedimento eſſe. Witmundico juri univerſo in perpetuum renunciaret pro ſe & hæredibus ſuis: Comitibus expeditionis hujus gratiâ ſolveret aureos Philippæos octodecies mille ex ſyngraphâ: munitiones omnes tam oppidi quam arcis Eſenſis, quæ dirutæ nondum eſſent, ex pacto diruerentur: tormenta majora cum tormentario pulvere globis, & reliquo apparatu traderentur: prædia, poſſeſſiones, theſauri, tabulæ, chartæ omnes cœnobij Eſenſis cum cenſibus exhiberentur ſimiliter, & permitterentur Comitibus iiſdem, iiq; de iis diſponerent ex decreto Cæſaris, & virginibus velatis concederent ſedem Panſatæ eodem in agro: excepta eſſent legitimè empta à Balthaſare, de qua emptione judicium Comitum eſſet. Ad hæc Balthaſar, quæcunque ex priore tranſactione anni M.D.XXIV *tum Comitibus tum Vlrico Dornumano patruo ſuo quoquo modo adhuc debebat, ea ſine morâ jam diſſolveret, ac præſtaret: item reliquis è nobilitate & plebe in ditione Comitum, agrorum locaria ab ſe interverſa, aliaque, quæ aliis jure debebat, refunderet, exhiberetque: & poſthâc, locationibus hujuſmodi ſe non miſceret, verum cuique liberam poteſtatem diſponendi res ſuas permitteret, reſervato tantùm præſtationum jure uſitato: Denique nemini tempore hujus belli profugo moleſtus aut gravis eſſet ullo modo. Poſtremò à contractu hoc recedens, ac fidem mutans ipſo facto exueret ſeſe omni jure Eſenſi hac tranſactione ſibi tributo, uti priore tempore quoque ſeſe obligaſſet: in fide autem manens, paratam contra quorumvis injurias defenſionem à Comitibus expectaret.* Atque hæc duplici exemplo ſcripta ſignataque à Comitibus & ipſo Balthaſare Eſenæ die XV Calend. Novembr. qui Lucæ Evangeliſtæ dicatus eſt, alterumque exemplar huic, alterum iis relictum. In has tam duras conditiones Balthaſar recidit, dum rixans cum fortunâ ſuâ, ſpretâ juris jurandi religione, contemptâ juniorum Comitum ætate pactis prioribus non ſtetit, dum jus æquum nulli tribuit, dum in omnes injuriarum licentiam ſibi permiſit, denique dum patri quam avo ſimilior eſſe maluit. Sed ad has leges ſubeundas eò ſe promptiorem tulit, quod videret deſtitutum omni ſubſidio, exutum rebus cunctis, inſuperabili neceſſitate ſe premi, putaretque cedendum ei prudenter, cui obſiſtere non poſſet; maximè verò, quod ne tum quidem, cum promitteret, cum juraret, cum ſignaret, in pactis manere cogitaret, imò ſtatueret linguâ & manu invitum ſe ſancire præſentia, mentem & voluntatem injuratam retinere. Totus igitur in ſimulationem verſus, ut fidem ſibi majorem pararet, maturiuſque cum commodo ſuo fidem fallere, & amiſſa recuperare poſſet, in omnibus talem ſe geſſit ac ſi quietis ſtudio, periculorum moleſtiarumque tædio haudquaquam præſentium ſe pœniteret. Etenim vixdum ſignatis his, & exercitu jam antè abducto dimiſſoque, venit tandem in fines Oldenburgicos Otto Comes Retpergius Balthaſaris ſororius cum cohortibus aliquot militum, ut obſeſſo, ſi poſſet, ſuppetias ferret. Sed in itinere edoctus de affinis fortunâ ſubſtitit ipſe damnans tarditatem ſuam: Milites autem dolentes ſtipendii ſpe ſe excidere, miſſis è ſui medio paucis ad Comitem Ennonem, qui tum Freburgum fortè venerat, ab eo copiam commeatus liberi legatis ſuis ad Balthaſarem ituris impetrarunt. Quibus iſtuc euntibus Comes Heronem Olderſhemium aulæ ſuæ magiſtrum adjunxit cum equitibus aliquot, qui non ſolum incolumes eos præſtaret, ſed etiam colloquio eorundem cum Balthaſare intereſſet: quique Balthaſari nomine ipſius diceret, poſſe etiam nunc Comitem pati, ut perinde ac ſi obligatus nondum eſſet, arbitrio ſuo uteretur, ſeu bellare rurſum mallet, ſeu pacta conventa ſervare. Verùm Balthaſar cum Heronem audiſſet iſtud exponentem, nihil motus, auditis quoque militum legatis fidem, ſtudium, operam ſuam ſuorumque prolixè prædicantibus & moleſtias ac impendia memorantibus reſpondit, nimis ſera hæc eſſe omnia: ſibi ſtatutum, pacta pacemque ſervare: & ſi alia maximè ſibi mens eſſet, fa- M.D.XXX

 cultatem

M. D. XXX cultatem tamen deeſſe, exuto pecuniâ, & omni fortunâ deſtituto: agere igitur ipſis & militibus gratiâs, & obſecrare, ut inopiæ ſuæ & neceſſitatis habeatur ratio: atque ita præſente Herone ab ſe eos dimiſit. Comes his ex Herone cognitis optima quæque de fide ejus ſperavit, ac ſibi de tantâ fortunæ indulgentiâ plauſit, neſcius quantum malorum ex hoc fonte in ſe & ſuos eſſet manaturum. Cæcæ nimirum mortalium mentes inprimis exultantium & vanorum juvenum, atque eorum, quos rerum uſus non exercuit, aut natura doctrinave prudentiâ non inſtruxit; geſtientes, ſi quid ſecundi evênit; ignorantes aut non expendentes fortunam lubricam eſſe, & blandientem plagas minitari: nec ſatis edoctæ, ſic hominum ingenia habere, ut haud facilè imperare ſibi poſſint, in eâ fortunâ, quâ premi ſe ſtatuunt, ut maneant diutiùs, quàm cogat dura neceſſitas. Inter has de religione contentiones de quibus antè eſt dictum, & iſtos bellorum motus, anabaptiſmus in hac Friſiæ parte paulò ſe liberius commovit. De quo oportunum videtur dicere hoc loco, & ſimul priora repetere paulò altius. Poſt diſſipata anabaptiſtarum conſilia, compreſſoſq;, qui inde extiterant, bellorum tumultus in Saxoniâ, Thuringiâ, ſuperiori Germaniâ, ex eorum reliquiis penè ſepultis, velut carbonibus obſcuris cinere tectis flammula prima rurſum ſe protulit in Melchiore Hoffmanno natione Suevo, opificio pellione, homine quidem literarum liberalium rudi, ſed ingenio ſolerti, & vafro ac audaci, linguâq; prompto. Hic velut enthuſiaſmo correptus, à Deo ſe excitatum ferens ad veritatem mundo patefaciendam non papiſmum ſolum, ſed Lutheri quoque & Zuinglii, cæterorumque orthodoxorum doctrinam, cum in aliis multis capitibus, tum potiſſimum de pædobaptiſmo vehementer reprehendebat, & eccleſias cum iis facientes damnabat: apocalypſin Ioannis pro ingenio & conceptâ opinione audacter interpretabatur, de tabernaculo Moſis, & figuris aliis veteris teſtamenti mirifica ſomnia concipiebat, & oraculorum inſtar venditabat: de Chriſti incarnatione vetuſta deliria reſuſcitabat: & audebat, ut erat confidens & admirator ſui, cogitationes ſuas velut à DEO dictatas chartis illinere, ac in lucem etiam producere. Sed cum animadverteret in patriâ & vicinis regionibus operam ſe ludere, audiretque in Belgio & finitimis locis mortales magno numero, eluceſcente paſſim per Germaniam, Daniam, Sueciam Euangelii veritate, è tenebris papatus caput attollentes, & lumen aliquod quaſi è longinquo proſpicientes, propterea quod copia doctorum & librorum ob perſecutionem nulla ipſis eſſet, hærere perplexos, & variè fluctuare, &, quod in tali caſu ſolet contingere, incertis & vagis opinionibus circumagi, iſtuc eundi, ad ſementem dogmatis ſui inter eos tanquam idoneo in agro faciendam conſilium cepit. Quod factum eſt anno Chriſtianæ æræ M. D. XXIX. Verum cum metu perſecutionum cruentarum committere ſe regionibus papiſmo obnoxiis haud diu auderet, Embdam divertit, quò etiam contagionis anabaptiſticæ nonnihil ex vicinis provinciis irrepſerat anno proximè præcedente. Nam cum per aliquot jam annos continuos religionis reformatæ exercitium liberum & Embdæ & in tota Friſia Orientali viguiſſet, nec à perſecutoribus ullum illic periculum eſſet, & commerciis vicinarum provinciarum jam tum univerſa regio pateret, accidit, ut qui domi rei divinæ causâ ſubſiſtere vererentur, quibus papiſmus fœtere cœpiſſet, huc velut ad aſylum ſe reciperent: in quorum numero etiam fanaticis opinionibus tincti, qui ignes & gladios perſecutorum formidabant, quidam fuere, & hi ſcabiem ſuam libentes aliis quoque affricuere. Et eſt hoc ingenium Sathanæ, ut in horto Domini, qui bono ac utili ſemine conſeritur, ipſe lolium aſpergere ſtudeat, ut in faciendo fructu ſementem bonam impediat. Ad hos igitur Melchior Hoffmannus veniens, & vocationem divinam, ac vim impulſumque ſpiritus mirificè jactans velut Apoſtolus aliquis cupidè

exceptus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

exceptus eſt. Cumque magiſtratus in urbe aut aliis rebus intentus, aut religionis cauſam ſuſque deque habens rem negligeret, ac fruſtrà ſine ope magiſtratus eccleſiaſtæ obſiſterent, principe eodem anabaptiſmus publico loco Embdæ inſtitutus fuit. At facinore eo vehementius commoti iidem eccleſiaſtæ, non ſolùm acrius eccleſiam monere, & ſummâ contentione publicè ac privatim contraire, ſed magiſtratum quoque exſuſcitare, obteſtari, objurgare, periculum non eccleſiæ ſolum, ſed etiam reipublicæ ex naſcente illo incendio ponere ob oculos, ſuam innocentiam, fidem, diligentiam teſtari in omnes caſus; ipſum etiam Comitem monere, & querelis inceſſere: denique effectum dare, ne quid tale committeretur deinceps, neu malum ſerperet longius. Sic obice objecto indignatus ſeductor decedere iſtinc, & alibi experiri fortunam decrevit. Commodumque ad hanc rem ei accidit ſeu fortè, ſive ex compoſito ab homine ſene nullius pretii aut nominis, qui perſonâ vatis ſumptâ graviter aſſeruit, ſpiritum ſibi dicere, oportere Melchiorem Argentinam ire, illic in carcerem condi, & poſt ſemeſtre è carcere dimiſſum jam ſine omni impedimento docere, & docendo tum per ſe, tum per ſectatores ſuos terrarum orbem obire, ac veritatem patefacere. Ille verò velut numini ubique parêre, paratus confectis jam omnibus, quorum causâ huc venerat, ſubſtituto in locum ſuum alio, cui per impoſitionem manus ex diſciplinâ anabaptiſticâ apoſtolatus munus commendavit, omnium opinione celerius, intra vertentem annum, ex quo venerat, Embdâ rurſum diſceſſit, & Argentinam contendit. Ibi docere privatim apud cives, dogmaque ſuum ſpargere exorſus, proditus per indicē magiſtratui, in carcerem ductus fuit. Quem cum ingreſſurus eſſet, narrat Vbbo Philippi ſectatorum ejus unus è præcipuis, non dubiâ ſpe firmatum reliqua quoque vaticinio fanatici ſenis cui præſens hic eventus congrueret, reſponſura ſimiliter eſſe, lætumq; Deo gratias egiſſe; ac projecto ante carceris fores pileo & calceis ſuis, correpto cultro ſoccos tibialium ad digitum pedis magnum præcidiſſe, atque erectis in cælum digitis clara voce juraſſe per Deum viventem, non ſe guſtaturum quicquam præter panem & aquam, priuſquam eâdem manu, & iiſdem extenſis digitis monſtraſſet eum præſentem, qui ſe miſiſſet, ſimulque carcerem hilari vultu & animo ſubiiſſe. Et à paucis diebus, ait, è diſciplinâ ejus Argentinæ vates extitiſſe utriuſque ſexus ſuccinentes ſeni illi priori de læto captivi exitu, & gloriâ ejus futurâ incredibili à completo ſemeſtri, eumque cuſtodiâ liberatum Argentinâ novâ Hieroſolymâ egreſſurum cum XLIV millibus doctorum, & apoſtolorum Dei, atque hos invictâ ſpiritus virtute armatos, & miraculorum dono eximio ornatos in univerſum orbem emiſſurum, & anabaptiſmum feliciſſimè propagaturum; ipſum Eliæ perſonam gerentem cum altero Poltermanno quodam Enochi partes agente, velut faces duas ac oleas in ſuperficie terræ ſtaturos, omnibus conſpicuos: à flammâ oris horum conſumptum iri omnes contradicentes, & ſimilia deliria complura, aut febrientium ſomnia, ipsâ vanitate vaniora, omnia eventu ipſo confutata, ac ſtultitiæ damnata: quæ perſequi non eſt propoſiti noſtri. Apud Embdanos autem quem ſibi ſubſtituerat Hoffmannus, (is erat Ioannes quidam textorii opificii, ex telæ genere, quod conficiebat, trypopæus appellatus, homo literaturæ omnis rudis, natione Belga) apoſtoli inſtar non ſolum doctorem ſe ferebat, ſed alios quoque mittebat, & docendi autoritate inſtruebat. Sed paulò poſt Hoffmanni abitum, obijcientibus ſe magno ſtudio eccleſiaſtis, & commovente ſe quoque magiſtratu perculſus animo, deſertâ ſtatione Amſterodamum ſe recepit, ibique docuit occultè ad breve tempus, & anabaptiſmum adminiſtravit: atque inde alia loca adiit, donec detectus tandem, & Hagam in vincula tractus ſupplicio capitis vitam finiit. Cum hoc cæteri quoque, quotquot noti erāt ejus ſectæ homines, imperio magiſtratus M.D.XXX

M. D. XXX Embdâ & reliqua regione diſcedere juſſi: urbſque & regio tota ſectariis purgata. Edictum quoque circiter id tempus à Comitibus occaſione motis promulgatum de re eccleſiaſtica, excerptum ex formula illa priore, ſed multis partibus caſtigatum. Eo ſtatutum, ne quis temerè, niſi ante per examen probatus ad miniſterium ſacrum admitteretur, in eos, qui de Dei verbo, de ſacramentis contemptim loquerentur aut docerent, & ea defenderent, quæ ſentire ſe eccleſiaſtæ Embdæ apud Comitem Ennonem negarunt, quique miniſterium ſuum profanis moribus turparunt, graves pœnæ decretæ. Eodem etiam anno, quo Eſena cum Balthaſare capta, & anabaptiſtæ è ditione Ennonis ejecti ſunt, Georgius Aportanus primus reformatæ doctrinæ præco apud Embdanos ingruente autumno placidâ morte has terras deſeruit, relicto piis omnibus ingenti ſui deſiderio. In teſtamento ſuo, quod anno præcedente primum conceperat menſe Auguſto, dein anno hoc menſe Ianuario, ac rurſum menſe Septembri auctum confirmaverat, complexus eſt confeſſionem fidei ſuæ brevem & apertam, oppoſitam iis, qui cauſam ſalutis hominum ullâ aliâ in re ponunt, quàm in ſolâ DEI miſericordiâ, gratuitâ peccatorum remiſſione per & propter unicum redemptorem & ſervatorem noſtrum Chriſtum pro nobis crucifixum: atque hanc confeſſionem ait tanquam clypeum ſe relinquere omnibus piis ad tuendum nomen & honorem ſuum contra omnes obtrectatores, quos plurimos perpeſſus ſit in hac vitæ ſtatione degens. Vir ſanctiſſimus, & bonis cariſſimus, etiam nunc in memoriâ gratâ poſterorum & Embdæ & toto in agro vicino vivens. Extat etiam nunc ſumma doctrinæ ejus manu ſcripta, quam anno M. D. XXVI conceptam adverſariis oppoſuit.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber LVI.

BALTHASAR interea per hyemem in hoc totus erat, ut ſimulato omnibus modis quietis ſtudio fidem ſibi adſtrueret, nec quenquam promptius fallebat, quàm credulum & facilem Ennonem: Verè autem mutandæ fortunæ, & ſumendæ vindictæ conſilia intus coquebat. Spem verò ei addebat, quod occultis indiciis comperiret, Ieveranas quoque ſorores virgines vehementer conditionis ſuæ pœnitere, & harum deſiderio ſubſervire præfectum Boijngum, Ennoni domino ſuo minus æquum. Nam virgines jamdudum nubiles, & per ætatem idoneæ quæ rebus ſuis pro ſexus ratione conſulere poſſent (altera enim Anna trigeſimum vitæ annum anno imo ſuperabat, altera Maria trigeſimum agebat) hactenus ſpe ſe ſuſtentaverant. Nunc Oldenburgicis nuptiis, & conventione Vltrajectinâ, de qua inaudierant, turbatæ ſpem omnem abjecerant, & tacito dolore angebantur. Sic enim ipſis inſuſurrabatur, Hoc agi nunc, ut exutæ avitis opibus & poſſeſſionibus ampliſſimis aliorum arbitrio vix tantulum dotis caperent, quantum ad honeſtum matrimonium parandum requireretur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

reretur. Quin imò per occultos indices deferebatur ad eas, non ſolum M.D. XXX
faſtidiri ipſarum nuptias à filiis Edſardi, ſed aliorum quoque animos obtre-
ctationibus ab iiſdem nuptiis averti; denique id operam dari, ut aut ad de-
generes nuptias cogerentur, aut innuptæ ætatem exigerent. Boijngus au-
tem ſive ſons ſive innocens, ſe quoque ſuſpicionibus onerari, & infamiâ ad-
ſpergi vehementer dolebat. Cum his igitur occultis conſiliis per hyemem M.D.XXXI
agitatis & ſocietate clam initâ in omnem occaſionem ſeſe Balthaſar para-
bat. Interea cognoſcebat, Ennonem à Margareta Auſtriaca Belgicarum
provinciarum præſide invitatum primo vere in Brabantiam cogitare. Id
oportunum conſiliis ſuis arbitratus ad Ennonem hominem idoneum mit-
tit, ſignificat ei, cupere ſe ad ſororium Retpergium proficiſci animi, nego-
tiique causâ: ſi liceat ſibi, unà cum ipſo iter ſe ingreſſurum, comitemque
ei futurum, quod viæ ratio ſit permiſſura. Annuente Ennone, nec quic-
quam fraudis ſuſpicante, ſine morâ ſecretò cum Ieveranis comparat, &
quid fieri opus, edocet: ſuos quoque mandatis domi inſtruit, quos ſibi ma-
xime fidos eſſe rebatur. Ipſe ad Ennonem veniens, omnia alia quàm quæ
agitabat, præ ſe ferens, imprimis animum curis vacuum, officioque & obſe-
quio promptum verbis & vultu egregiè ſimulans, Oldenburgum primum,
inde Haſelunnam Monaſterienſis ditionis oppidum exiguum ad Haſam flu-
men cum eo proficiſcitur. Iſtinc Comes in occidentem flectens, qua proxi-
mum erat, Brabantiam petit: Balthaſar peramicè ab eo dimiſſus meridiem
atque orientem verſus, quaſi Retpergam iturus obliquato itinere quam ce-
lerrimè Arnhemum ad Carolum Geldriæ ducem contendit. Illic implo-
rato ducis auxilio, & rebus cum eo conſtitutis, pecuniâ adjutus diſſimula-
to, uti convenerat, ejus nomine & voluntate, militem quam ocyſſimè per
Geldriam & loca vicina conſcribit: à quo jusjurandũ more militari poſcens,
interrogatus eſt, cum ipſe ejectum ſe per injuriam rebus & ditionibus ſuis
quereretur, haberetne ſocietatem & pacta cum principum aliquo, ad quem
recipere ſe cum exercitu, ſi quis caſus cogeret, poſſet, reſpondit, conve-
niſſe ſibi cum conſobrinis ſuis Ieveranis, quæ & ipſæ ad aſſerendas ſe in li-
bertatem conſilia inivisſent: ab his receptum commodum ac tutum non
defuturum: eſſent modo fidenti animo, & ad ditiſſimas prædas luculen-
taque ſtipendia abſque diſcrimine ſe duci paterentur. Tum alacres ju-
rarunt, ducentemque in Friſiam ſunt ſecuti. Inter hæc verò, qui domi ab
eo relicti erant, (ſic enim iter parans præceperat) cum audiſſent in Gel-
driam eum incolumem veniſſe, arcis Eſenſis munitiones inſtaurare, opuſ-
que, quantum poterant, feſtinare, armatos præſidio futuros in arcem re-
cipere, ad defenſionem contra vim ſubitam & tumultuariam ſe parare.
Quibus auditis Comes Ioannes, qui abſente fratre res patriæ curabat, ma-
num magnam plebis ruſticæ cum ductoribus celerrimè Eſenam mittit, ut
opus pro viribus impediant, & quod reliquum valli oppidani erat (nam
erat hic illic tantum interruptum) demoliantur. Inter quos arcis Frebur-
gicæ præfectus Georgius Hudanus cum temulentus ad labrum uſque foſ-
ſæ, qua arx cingitur, temerè procurriſſet, & probroſius in præſidiarios ſto-
macharetur, ab iratis tormento petitus occubuit. Id hoſtilitatis eo loco ini-
tium. Atque his rebus, ut perfidiæ infamiam quomodocunque à ſe amoli-
retur, ex conſilio Geldri, neſcio quæ contra honorem ſuum hic illic à Co-
mitibus jam recens jactata Balthaſar publicè prætexuit, viderique voluit,
intolerabilem hanc injuriam morte etiam ipſa ſibi acerbiorem ultum ſe
ire. Et hoc adeò uſus titulo Comitibus bellum denunciavit. Simul Ie-
veranæ etiam in agro Brunſvicenſi manum militum L ſtipendio autora-
ri, & ad Paſchatos in Friſia adeſſe, & per aſtum in arcem ſuam introdu-
ci curarunt non ſine Boijngo. Ita quaſi ſui juris factæ, omnes, qui in En-

M. D. XXXI.

nonis fide erant, ex arce & oppido faceſſere juſſerunt: iique cum aliud non
poſſent, imperio parentes Auricam ſe contulerunt, ſolo Boijngo excepto,
qui cum virginibus manſit. Interea Ennone vixdum Bruxellam ingreſſo,
ubi tum Margareta morabatur, Folefus Inhuſanus grandi jam natu Enno-
nem comitatus conſilii ac honoris causâ, ex itineris laboribus in morbum
incidit, ac paucos intra dies morte deceſſit tumuloque ibi conditus fuit.
Id inimicis ejus per Friſiam ſpargendæ fabulæ occaſionem dedit, Comi-
tem ob quietem publicam in Friſiâ turbatam Bruxellæ malè exceptum, gra-
viterque increpitum in diſcrimine fuiſſe, Folefum autorem præcipuum
peſſimorum conſiliorum, Ieveranis & Balthaſari infeſtum, judicio damna-
tum capite pœnas dediſſe, & infami loco inter maleficos ſepultum eſſe.
Atque hoc tam conſtanter affirmatum, ut vulgò fidem invenerit, donec rei
veritas patefacta impudens mendacium diſcuſſit. Repertum hoc ad tur-
bandos Ennonianorum animos, & à fortibus auſis abſterrendos. At fa-
mâ iſtorum motuum ac novarum rerum Bruxellam advolante, Enno vehe-
menter turbatus, ſubitò quicquid poteſt militum per Brabantiam & Hol-
landiam non impediente Margaretâ colligit, id operam dat, ut aut ante-
vertat Balthaſarem, aut eodem tempore cum eo ad patriæ fines copias con-
fectas ſiſtat: Nec excidit ſcopo ſuo. Sed cum iſtuc veniſſet, & hoſti ſe
obijcere vellet, milites pugnam cum audacibus & bello ſuetis Geldris de-
trectarunt. Ait Egericus Grimerſhemius, molles & delicatulos Braban-
tos ac Hollandos Geldrorum ferociam formidantes dictitaſſe, non præ-
liandi ſed conficiendi peculii cauſa in Friſiam ſe veniſſe. Quâ inopinâ re
unà cum fratre perculſus Enno neceſſe habuit Balthaſari cedere, liberum-
que tranſitum per mediam regionem ſuam prædabundo, quâcunque va-
debat, permittere. Quod ſanè & probro ei & ſummo dolori, velut pugio
pectori infixus fuit. Balthaſar obviis fœdè direptis, cum in Harlingios ſuos
veniſſet, Witmundam, cujus recipiendæ percupidus erat, admoto exer-
citu tentavit. Sed cum præſidiarios fortiter animatos, & ad defenſionem
promptos reperiſſet, ſciretque rebus omnibus arcem probè eſſe inſtru-
ctam, oppugnare non auſus, & obſidionem ſumptuoſam res ſuas præſen-
tes excedere arbitratus, Eſenâ præſentiâ ſuâ recreatâ, & præſidio neceſſa-
rio, rebuſque aliis prædando partis firmatâ populabundus & vaſtabun-
dus Berumo & Luizborgo præteritis, ne temporis jacturam faceret, Nor-
dam properavit, velut in amplam prædarum meſſem. Ibi caſtris poſitis
longè fœdiſſimam direptionem inſtituit, multaque nequiter fecit, & ex
redemptione incendii tum in civitate ipſa, tum per totum, qui circumja-
cet, opimum agrum, ingentem vim pecuniæ in ſtipendia militum confla-
vit impunè, & pro libitu. Iuventus enim armis idonea omnis profugerat.
Tum, ut Comitem Ennonem inſigni dolore afficeret, duo ejus loci inſi-
gnia fana monaſtica, ac tota ipſa monaſteria ſplendidè ſtructa, quorum
alterum amœnis & magnificis ædificiis adornatum Comiti ipſi domicilii ſe-
dem ſæpè præbebat, alterum ſepulchra majorum ejus habebat, & cum his
oppidi templum imprimis illuſtre, tribus ſublimibus turribus, ſpectabile
flammis dedit. Iſtinc verò diſcedens cum exercitus jam longo agmine pro-
cederet, ipſeque reſpiciens videret turrim maximam templo imminen-
tem, totoque faſtigio editiſſimo ſupra cæteras duas aſſurgentem, cujus ſpecie
& gaudere Ennonem & placere ſibi Nordanos non neſciebat, ab igne im-
munem eſſe, remiſſis ex agmine incendiariis hominibus audacibus juſſit ejus
quoque faſtigio, quod ſolum incendio obnoxium erat, ignem inferri. Incen-
diarii inter fœminarum concurſantium increpationes & minas cum fumi-
gante materiâ ad turrim delati, & in conum per anguſtas turris cochleas &
ſcalarum gradus eniſi, cum igne excitato deſcendere vellent, fumo den-
ſiſſimo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſiſſimo ſubitò involuti gradus, per quos aſcenderant, reperire non potuere, fumoque & æſtu ſuffocati miſerrimam ibi mortem oppetiere, Conus flammâ victus cum diu arſiſſet tandem ingenti ruinâ procubuit. Id multis mortalibus etiam exteris, qui rebus maritimis ſtudebant, non parvo dolori fuit. M. D. XXXI.
Nam faſtigium latè conſpicuum ſereno cœlo phari uſum mari proximo navigantibus à Flevi exitu in oſtium uſque Albis præbere ſolebat. Poſt hæc inclinante jam menſe Iulio, reverſus cum prædâ in Harlingios ſuos, prædâque Eſenæ depoſitâ, otioſo penè Ennone, Balthaſar Witmundam denuo tentavit. Sed re non ſuccedente in Auricanos deflexit, juxtaque Auricam agmine ducto in lætiſſimum agrum Amaſanum iter vertit. Poſt Wirdumum in viciniam Grimerſhemi cum veniſſet, in tranſmittendo rivo navigabili, qui longo tractu ab oriente in occidentem ad Grethanos uſque porrigitur cum armatis XV illic ad prohibendum tranſitum, in adversâ ripâ collocatis per aliquot horas conflictatus, tandem & ſubmotis illis & in fugam datis, tranſitu potitus rectà cœnobium Silomonachum totâ illa regione quondam ampliſſimum petiit: atque ibi cum exercitu velut in umbilico totius agri Amaſani conſedit, locumque eum caſtris cepit. In hoc itinere Comes Ioannes Ennonis frater Auricâ excurſione factâ lixas ejus cum impedimentis in rivo Grimerſhemio ſuperando laborantes, & humilibus viæ locis luto obſitis, in quæ aquæ per clauſtra & rivos immiſſæ erant, hærentes & lapſantes, cum expeditis equitibus & peditibus aliquot aſſecutus non parvo detrimento affecit, ſed perſequi longius præcedentes auſus non fuit. At Balthaſar è caſtris ſuis cohortes in omnes partes emittens populationibus totum agrum Amaſanum vehementiſſimè afflixit, nec quicquam extra loca munita, ad quæ multa pecora abacta, multa ſupellex, multæ veſtes convectatæ erant, intactum reliquit. Mox redimendo incendio tributum poſcens, cum ob interdictum Comitis id negari ſibi cognoſceret, in iram verſus in ædificia igne graſſari cœpit, pulcherrimumque agrum incendiis frequentiſſimis peſſimè fœdavit. Videre tum erat interdiu fumantes, noctu flammâ collucentes hic illic totâ illâ orâ inſignes vicos: nec quiſquam erat, qui tanto malo remedium ferret, quanquam Comes ipſe cum militum ſuorum parte Emdæ adeſſet, & ſpectacula hæc miſerrima è vallo urbis oculis ſuis uſurparet. Inter hæc Comes Ioannes cæſis ad Grimerſhemum Balthaſaris lixis, aſſumptâ militum cohorte, armatâque magno numero plebe ruſticâ, adunatiſque ferociſſimis Nordenſium, quos dolor injuriarum incitabat, additâ etiam manu equeſtri, quantâ potuit feſtinatione Eſenam contendit, atque agrum Harlingium cum Balthaſare facientem totum percurrit, diripit, incendiis vaſtat, Eſenſe oppidum nullo negotio occupatum totumque in prædam verſum igne injecto exurit, vix ut paucæ domus à flammâ manſerint immunes. Illic recuperatum, quicquid prædarum aut ſpoliorum Balthaſar Nordanis aliiſque ex agro ademerat, & in Harlingios abegerat, tuleratque: clades clade repoſita: detrimentum abundè ſartum, vindictæ ſatisfactum: capti etiam Eſenæ non pauci, nec pauci cæſi. Tum receptus ex hoſtico cum captivâ prædâ factus. Balthaſar de itinere Ioannis certior factus Silomonacho ſubitò diſcedit, ædificiiſque præter fanum inſigne ignem inijcit, Nordam infeſtus repetit, eam denuò diripiendam militibus permittit, ſic agit, ut reliquiarum nihil, quod prædæ eſſe quoquo modo poſſet, ſupereſſe illic velle oſtenderet: atque ita cum omnibus copiis prædâ gravibus Eſenam revertitur. Paulò poſt ſupervenit Chriſtiernus Daniæ rex exul belli hujus componendi cupidus, ut militem utriuſque partis inautoraret ſtipendiis ſuis. Spes enim ei facta erat auxiliorum ad recuperanda regna ab Hollandiæ & Selandiæ Ordinibus qui rebus maritimis plurimum valebant, & à Mariâ novâ Belgii gu-

M.D.XXXI bernatrice, quæ non ita nuper amitæ defunctæ ex voluntate Caroli Cæſa-
ris fratris ſui ſucceſſerat, & propiore affinitatis vinculo exuli conjuncta erat,
matertera ſcilicet liberorum ipſius, per maritum Ludovicum Vngariæ ac
Bohemiæ quondam regina, acris & virilis ingenii fœmina. Et hanc ſpem
Cæſar ipſe in Belgio tunc præſens favore ſuo augebat. Is igitur & Ennonem
& Balthaſarem adit; ab utroque pacis arbiter admittitur. Nam Balthaſa-
ri jam res iſtuc reciderat, ut intelligeret lupum ſe auribus tenere. Nam ex-
ercitum nec alere diutius, nec dimittere ſine ſummo omnium rerum ſua-
rum diſcrimine, imò ſine præſenti exitio ſe poſſe videbat. Fraudatus quippe
tributi incendiarii ſpe facultatum ſe non habiturum ſolvendi ſtipendii in
tantâ pecuniæ inopiâ, atque ita exercitui ſuo prædæ ſe futurum, exercitu
autem dimiſſo, & bello non compoſito Eſenam, & quicquid rerum habe-
ret, brevi momento rurſum amiſſurum, quin etiam, ni fugâ ſibi conſule-
ret, in diſcrimen capitis, aut perpetui carceris venturum proſpiciebat. Quid
mirum igitur, ſi occaſionem hanc tam inſignem & quaſi divinitus oblatam
non negligendam ſibi putaverit? Rex poteſtate acceptâ, quod maximè
æquum putabat, ita pronunciavit, ut quod quiſque eo tempore haberet, id
retineret, pacta priora Balthaſar ſervaret, uterque Enno & Balthaſar mili-
tem dimitteret, pacem inter ſe bonâ fide colerent. Quibus admiſſis rex mi-
litem ſibi devinxit, eumque partim in agro Benthemio, partim in Monaſte-
rienſi, partim in Reidano ſine cujuſquam detrimento ſe ſiſtere juſſit. Sed
bello hoc finito mox aliud renatum. Maria Ieverana, cui res patrias ſoror
altera natu major ceſſerat, & cum eâ Boijngus Olderhemius Ieveræ præfe-
ctus, graviſſimè famam & res Folefi Inhuſani, Cnipenæ domini læſerant, &
filios ejuſdem & pleroſque alios è nobilitate ejus oræ, qui cum domo Edſar-
di faciebant, injuriis haud levibus proximis menſibus affecerant. Ennonem
verò & fratrem ejus vehementiſſimè offenderant. Omnes vindictæ cupidi-
ne ardebant. Ex his Folefi filius Vbbo & Diricus Durenſis militiæ ſtudiis
jamdudum dediti conciliatis ſibi militum cohortibus tribus in Holſatiâ, cum
his mari trajiciunt in littus Ieveranum, ibique eas exponunt die VI Eid. Se-
ptembris. Ejus rei primo ſtatim rumore territus Boijngus, qui in ſe veniri
non dubitabat, ex voluntate Mariæ oppidi templum, ipſumque oppidum,
quod munitum non erat, igne immiſſo exurit, ne commodo contra ſe hoſti-
bus eſſent. At illi cohortes expoſitas rectà Ieveram ducunt, caſtelliſque ac
aggeribus contra arcem ſubito opere excitatis, & præſidiis locatis, metu in-
cendii, quod denunciabant, ad pendendum tributum totum adigunt. His
ſe Caſpar Maruvicus ab Ennone miſſus, qui Carolo Geldriæ principe offen-
ſo ob rem Groningæ non benè geſtam ad Ennonem ſe contulerat, cum
equitum peditumque manu ſe jungit, firmiuſque caſtellum aliud idoneo
loco ad premendam arcem ſtruit: tum tributum aſperius exactum non
ſolum in ſumptus belli, ſed etiam in pœnam mutatæ fidei. Et cum ſolutio
aut tardaretur aut negaretur, incendiis ſtatim ſævitum, ut queruntur Ie-
verani, direptiones factæ, prædæ abactæ, homines etiam non pauci malè
mulctati, denique hoſtium loco, qui fidei virginum inhærebant, habiti.
Arx quoque tormentis quaſſata: caſtelli opus maturatum. Interea Boijn-
gus mox ab adventu Inhuſani & Durenſis cum mandatis virginum ſoro-
rum ex arce per tenebras noctis elapſus, ſubſtituto Conrado Voſſio, qui
præſidio & arci abſente ſe præeſſet, in Brabantiam magnis itineribus con-
tendit, & Bruxellæ apud Mariam reginam, & ſenatum Cæſaris Caroli
de vi & injuriis conqueſtus, & inermium ac innocentium virginum fortu-
nam lamentatus obtinuit duo hæc, prius, ut Ennoni & fratri denunciaretur
ſeverè, ne quam vim virginibus ſororibus aut ipſi Boijngo, rebuſve eorum
inferrent, neu contumeliis verborum aut hunc aut illas læderent, ſed jure
experi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

experirentur, ſi quid controverſiæ cum iis haberent: alterum ut defenſio M. D.
contra vim inferentes in ſexennium iiſdem promitteretur. Id fuit circi- XXXII.
ter Calendas Octobris: Inſolens ſanè res, & præter juris rationem, cum
nec Comites, nec res Ieveranæ tum in fide Mariæ, aut domus Burgundi-
cæ eſſent. Sed affectui fœminæ in fœminas ea tributa, & clientelæ, quæ
ſecuta eſt, via ſtrata. Hac enim illecebrâ animi capti. Enno tamen &
frater de re edocti, ne quid offenſæ gravioris contraherent, non ſolum
Mariam & aulam Burgundicam, ſed ipſum quoque Cæſarem Mariæ fra-
trem, & domus aulæ Burgundicæ principem, tum, ut dixi, in Belgio præ-
ſentem reveriti vim quidem tormentorum, & quicquid hoſtile, inhibuere,
ſed nec à caſtelli opere urgendo deſtitere, & munitiones alias minores in
poteſtate retinuere; & cur id facerent, quam ob rem arma hæc cepiſſent,
reginæ ſignificarunt, nec cognitionem æquam defugere ſeſe oſtenderunt.
Balthaſar interea nec quietis patiens, nec tutum ſe niſi munitâ Eſenâ ex-
iſtimans, atque omninò fortunæ ſuæ præſentis pœnitens, & pactis, pro-
miſſis, juramentis jam dudum, ut pueri aſtragalis, ludere ſolitus, vix di-
miſſis copiis prioribus in Geldriam rurſum proficiſcitur ad principem ge-
nii ac ingenii ſui, novumque conſilium cum eo init. Primum ut princi-
pem propius ſibi devinciat, & obliget ad arma pro ſe ſumenda, clientem
ſe ejus futurum reparatâ fortunâ promittit: Sed totum hoc ex voluntate
principis occultum habet: deinde, quod famâ vulgandum, ad ſpeciem
permutationem cum eo inſtituit: Eſenam ipſe principi tradit, Roſandam
arcem pertenuem, ſedem dudum viri nobilis à principe recipit, atque ibi
domicilium ponit. Tum princeps ex compoſito Bernardum Hacfortum
virum militarem Eſenam mittit cum idoneâ militum manu, mandatque
ut eam occupet, arcemque & oppidum muniat. Hic iſtuc veniens exeun-
te menſe Septembri ſine morâ opus inchoat, urget naviter, plebem ruſti-
cam tributis & laboribus graviſſimè affligit, ne hyemem quidem ad quie-
tem concedit: militibus ſuis quidlibet patrare permittit. Qui ne Ennonia-
nis quidem finibus abſtinentes ſi quid commodum ſibi vident, rapiunt: &
ſenſim indulgentiâ præfecti audaciores facti templum Arrelanum perve-
tuſtum in agro Nordano Harlingiis vicinum plumbo tectum nudare tecto
aggrediuntur, cui bello priori parſum erat. Quod videntes proximi qui-
que, deinde audientes longius remoti dolore incenſi concurſu facto mili-
tes increpant, à cœpto deſiſtere jubent, pergentes nihilominus, & contu-
melioſa verba regerentes invadunt, maleque mulctant, multos occidunt: cæ-
ſorum corpora in currus cõjiciunt, quos milites ipſi vectando Eſenam plum-
bo adduxerant, atque ita eoſdem currus cum reliquis, qui ſupererant, Eſe-
nam remittunt. Id licet indigniſſimè ferret Hacfortus præfectus, tamen
quod facinus à militibus tentatum nimis infame eſſet, vindicare publicè
erubuit. Sed irritamento militibus fuit, ut ipſo non nolente ſæpius ex-
currerent, adſcitis ſibi peſſimis quibuſque è plebe Harlingia vicinis ſemper
infeſtâ & totam illam viciniam multis injuriis afficerent. Et dum hi vin-
dictæ ſtudio paria reponere Harlingiis ſatagunt, ſine bello belli facino-
ra plurima ſunt patrata, multæ clades minutæ hinc inde mutuo illatæ, odia-
que pluſquam hoſtilia exercita. His rebus prid. Calend. Novembris intu-
meſcente tempeſtatibus Oceano diluvium intervenit toti Friſiæ valde terri-
bile: quippe quod ventorum ſævitiâ, & aquarum inundantium altitudine
& hominum pernicie omnia priora ab annis amplius XXX procul ſuperavit.
Pecudum tamen ſtrage propterea quod eæ in ſtabula editiora jam maximo
numero ex camporum planicie abactæ erant, multis locis minus calamito-
ſum fuit. Comes Enno attonitus, ut Balthaſaris perfidiam manifeſtam de-
teſtabatur, ita Geldri, cujus nomen præferebatur, potentiam & vicinita-

M. D. tem formidabat, ſeque opponere ei armis non audebat: querelas autem
XXXII. fruſtra ingerebat. Accedebat & aliud, quod non minus eum cruciabat.
Maria enim Ieverana à Boijngo perſuaſa, ut tutiore loco ſuam quoque for-
tunam locaret, clam eundem illum primo vere in Brabantiam remiſit, &
ſe ſuaque omnia apud reginam & ſenatum Cæſaris per Belgium Cæſari Bra-
bantiæ Hollandiæque principi in clientelam dedit. Clientelæ verò leges
dictæ; *ut arx Ieverana, & oppidum omneſq; munitiones totâ ea regione aut extructæ
jam, aut impoſterum extruendæ quovis tempore pateant Brabantiæ & Hollandiæ princi-
pi, aut vicem ejus gerenti, militibuſq; eorum paucis multiſve, uſumq; præſtent in omnes
hoſtes excepto nemine. Sumptus tamen Ieverani non faciant niſi in præſidium ſuum
ordinarium virorum* XXIIII, *& quando jubebuntur, in equites* X *optimè armatos: ſed
præter hos moniti ac juſſi conficiant mittantq; principi, cum opus erit, equites ſimiles* L
*impendio principis, qui idem ſtipendium capiant, quod alij ejus generis principi militan-
tes: & item* D *pedites lege eâdem: Cæteroqui de jure & libertate eorum nihil decedat
exceptâ feudi aut clientelæ conditione: Mariæ ſine liberis morituræ hæredem quem vo-
let, qui in totum ejus jus ſuccedat, liceat nuncupare, & hæc nuncupatio ſit rata. Prin-
ceps clientem & res ejus protegat, atque hanc de protectione partem ſtatim promulget
per omnes provincias ſuas, & ſimul vicinis omnibus denunciet, ne quis Ieveranas ſoro-
res & res homineſq; earum injuriâ afficiat.* Signatum hac de re diploma in ſe-
natu Cæſaris medio Aprili: à Ieverana verò poſtridiè Non. Maij. Tum de-
nunciatio facta, eoque redacti Enno & Ioannes, ut ſuſpenſo, quod reliquum
erat, caſtelli opere litis diſceptationem apud reginam Mariam volentes no-
lentes compromitterent. Dein quia diffidere ſe adverſariis Ieveranæ que-
rebantur, nec ſatis tutas ſeſe à vi & inſidiis eſſe dictitabant, id quoque obti-
nuere autoritate Georgii Teutoburgii Friſiæ præſidis intercedentis cum
Gerhardo Mularto, & Friderico Melvino, ut Ieverana omnia ſequeſtro jure
Ioanni Mularto reginæ ac Cæſaris vicem gerenti traderentur. Quod factum
die XIIII Calend. Decembris anni ejuſdem. Ioannes in arcem oppidum-
que receptus Wolfio Mularto caſtelli curam commiſit. Regina cum ſena-
tu ſuo, vix dum tumultuario modo ſummatim causâ cognitâ die ſexto ante
Calendas Februarias proximè ſecutas præcipitantius, quàm par erat, ut à
plurimis creditum fuit, ſententiam pronunciavit ſecundum ſorores Ieve-
ranas: præcepitque Ennoni & fratri ejus graviter, ut impoſterum cauſam
hanc miſſam facerent, ſororibus Ieveranis moleſti non eſſent, nec ipſas nec
homines aut res ipſarum quoquo modo læderent, Boijngi nullius criminis
manifeſti nomen infamiâ nõ adſpergerent. Contra facientibus ingens pœna
conſtituta. Sententiâ Ieveræ publicatâ die IV Eid. April. ingenti gaudio ſo-
rores Ieveranæ & Boijngus & quotquot earum partium erant, Enno autem
Ennonianique incredibili dolore affecti. Caſtellum Ieveræ imminens ſtatim
dirutum: Sorores Ieveranæ amoto ſequeſtro rebus ſuis reſtitutæ: ab his
Boijngo infamiâ abſoluto præfectura rurſum commendata. Comes de ini-
quo judicio & actionis præcipitatæ vitio conquerens proteſtanſq;, aliis quoq;
curis tum temporis à Geldro & Balthaſare preſſus hãc cauſam velut ſepoſuit,
ac meliori tempori reſervavit. Hac fortus muniendâ Eſenâ occupatus à Co-
mite Ennone ſibi metuens per cujus loca ſæpius ſibi commeandum erat, ſive
Groningam ſive Geldriam peteret, (iſtinc enim cõſilio & rebus ſe inſtruere
neceſſe habebat) per prædonum manipulum Egericum Beningam Grimerſ-
hemium annalium patriorum ſcriptorem, & Tidonem Cnipenſem diverſis
locis in diœceſi Monaſterienſi intercipi, & in loca, quæ in poteſtate Geldro-
rum erant abduci curaverat. Quo facto per literas à principe ſuo petierat, ne ii
ante dimitterentur, quàm ſibi de libero commeatu cautum ab Ennone eſſet.
Id pluribus querelis Ennoni contra Geldros cauſam dedit. Quarum gratiâ
cum miſſis legatis conventus colloquiique copiam ipſe petiiſſet componendis
emergen-

emergentibus controverſiis, colloquio locus primum Arnhemi in Geldria ad diem IV Eid. Maij, dein mutatâ ab Ennone ſententiâ, quod & itineribus iſtis & ingenio Geldri diffideret (ipſe enim ire Arnhemum conſtituerat, ut corâ cum principe ageret) Farmſumi in ripâ Amaſi dictus fuit: Ibi per eos, qui iſtuc fuere miſſi, ſic convenit, ut pax inter partes eſſet, & liber tutuſque commeatus, Eggericus & Tido è cuſtodiâ in patriam reverterentur, Marwicum Hacforto & Geldris inviſum Enno à ſe dimitteret. De Eſenâ & Balthaſare an ſpeciatim quid cautum, me latet. Inter hæc Ennoni Comiti in arce Grethana filium primogenitum Edſardum VIII Calend. Iulii Anna Oldenburgia peperit. Hoc toto triennio, quod turbulentiſſimum Friſiæ Orientali ſub Ennone Comite fuit, Groninga cum agro univerſo, qui eſt inter Amaſum & Lavicam, ſub imperio Geldrico præſide Carolo Geldro principis filio ex concubinâ genito, viro mitiſſimi ingenii, & juſtitiæ ſtudioſiſſimo, patris diſſimillimo, qui anno M.D.XXIX Marwico ſucceſſerat, ſummâ quiete uſa eſt. Nec extra Lavicam verſus occidentem turbarum quicquam fuit. Tantum de jure ac rep. diſceptatum in conventibus & colloquiis feriò. Occaſio fuit à Cæſare in Belgio tum forte præſente. Nam is peractis Auguſtæ comitiis, & fratre Ferdinando Romanorum rege Coloniæ deſignato, eodemque coronâ apud Aquiſgranenſes primis diebus anni M.D.XXXI ſe præſente inſignito, indein vicinam Brabantiam cum Mariâ ſorore ſe contulerat, ut provincias has univerſas difficilibus bellis afflictas præſentiâ ſuâ recrearet, & curandis earum rebus vacaret. Hoc igitur oportunum rati Friſii Translavicani Leoardiæ more ſuo coiêre menſe Martio. Ibi querelæ veteres rurſum propoſitæ, & veteribus novæ additæ, vitia in rep. hærentia in medium producta: decretum ut per delectos legatos de his ad Cæſarem referretur. Legati viri ſpectati & doctrinâ prudentiâque præſtantes Bruxellam ſtatim profecti cum Cæſare ipſo & ſenatu ejus egerunt. Reſpondit ad ſingula Cæſar benignè quidem, ſed non ubique ad populi votum. Itaque ab eodem populo iidem legati domum reverſi, expoſito Cæſaris reſponſo, in Brabantiam redire juſſi ſunt. Sic repetita cum Cæſare actio prior Bruxellæ; paucaque tum mutata, ut populi deſiderio fierent propiora. Quod factum poſtridie Calend. Septembris. Additum verò etiam hoc petentibus legatis, ſi quæ in his ad remp. pertinentia eſſent, quæ populo non placerent, ut ex pactis anni M.D.XV bini à Cæſare, ac totidem à populo deſignarentur, qui iſta definirent: reliqua, quæ reip. non eſſent, ſi componi amicè non poſſent, judicio finirentur, nec minus ſententiis parere teneretur Cæſar, quàm quilibet è populo. His ad ordines relatis hæſitarunt plurimi, gubernator verò, & ſenatus univerſus Cæſaris æquitatem laudabant: ſuadebant impensè, ne ea rejiceretur. Accedebat, quod legati dicerent, ipſum Cæſarem ſibi Bruxella diſceſſuris per Antonium Lalainium, Comitem Hogoſtratenum, & Georgium Scencum gubernatorem Friſiæ coram affirmaſſe, non eſſe animi ſui à pactis & promiſſis prioribus ullâ in parte diſcedere, velleque, ne huic certiſſimæ ſententiæ ſuæ exequendæ hi ipſi Lalainius & Scencus uſquam deeſſent. Inter hæc & decretum de annonâ publicatum, & lex ſumptuaria lata à Cæſare, & ejuſdem juſſu caſtella, quæ Doccumanis & Slotanis impoſita fuerant, ſolo æquata, gaudentibus oppidanis. Anno ſequente M.D.XXXII menſe Aprili Ordines ejuſdem provinciæ Leoardiæ rurſum congreſſi deliberandi causâ, ne quid ſtatuerent temerè, deſignarunt prudentiâ & doctrinâ inſignes viros XVIII qui expenderent omnia hæc diligentius & in univerſum reip. conſulerent. Ex his ediderunt quatuor, qui reliquos eruditione ac ſcientiâ rerum civilium anteire putabantur, Vpconem Burmaniam, Sizonem Tiardam, Sicconem Decamæum, Hectorem Hoxwerium, quorum conſilio operâque in curandâ rep. omnes uterentur. Huic toti collegio XVIII-virûm mandata dedere cum poteſtate neceſſariâ, quorum capita præcipua

M. D. XXXII.

M. D. XXXII. fuere hæc; ut reſponſa, reſpondendaque gubernatori in negotiis reip. ſcri-
pto concipiant, exhibeantque: ut omnibus in conventibus populi præſentes
ſe ſiſtant, conſilio ſuo remp. juvent, actorum monumenta conficiant & con-
ſervent: volumen actorum priorum à Kempone Martenio decreto publico
confectum ab hæredibus poſcant, omniaque hujuſmodi ad remp. pertinentia,
ubicunq; reperiri poſſint, in poteſtatem ſuam redigant, ſcrinioq; publico clau-
ſa, loco commodo, pro arbitrio ſuo legendo, cuſtodiant: ut Quatuorviros
ex ſuo numero jam editos, poteſtate & mandatis ſcriptis nomine omnium or-
dinum inſtruant, horumque operâ in expediundis negotiis & publico jure
tuendo utantur, tribuantque iiſdem facultatem ſubſtituendi ſibi alios, quo-
ties res poſcet, ac poteſtatem quoque faciant viros VIII alios deligendi, vo-
candi ad ſe, cum iis conſilia conferendi de rep. pro arbitrio ſuo: ut notarium
à ſecretis ſibi adſciſcant ſumptu publico, & per eum jurent volumen actorum
publicorum, omneſque ejus partes in formam authenticam redigi, ut colle-
gis morte decedentibus ipſi alios in illorum locum cooptent; ut Quatuor viris
delectis ſtipendia certa conſtituant ex ærario ſolvenda velut laborum præmia,
atque adeo ipſi etiam, cum reip. dabunt operam, præmia ſimilia à rep. capi-
ant: Quod ſi qui è collegio hoc reip. causa vocati non fuerint præſtò, ut reli-
qui nihilominus progrediantur in negotiis agendis idq; ratum habeatur, quod
à præſentibus bono publico erit actum: ut pecuniæ publicæ curam ſupremam
gerant, rationes ab iis, qui eam tractarunt, tractabuntve poſcant, ſolutiones
exigant, ærarium in poteſtate habeant. Atque hæc omnia voluerunt rata eſ-
ſe, donec contraria ſanctione contingeret rurſum abrogari: ſignaruntque ro-
gatu omnium Sittio & Epo Aluwa ac Douwo Hoittiæus Leoardiæ, die VII
Calend. Maii anno M. D. XXXII. A collegio porrò Quatuorviris mandata
data iſta. In comitiis aut conventibus ordinum ſemper præſentes ſunto, vo-
luntatem & decreta ordinum gubernatori & ſenatui exponunto, horumque
mentem viciſſim ad ipſos ordines referunto: cum eodem gubernatore & ſe-
natu agunto, conſultanto, concludunto de recognitione ſententiarum ab
ipſo ſenatu latarum, quæ reviſio vulgò dicitur, uti Cæſar fieri voluerat: acta,
reſponſa, conventa, quæ uſui reip. eſſe poterunt, item rationes pecuniæ
publicæ uſui, ipſaque reip. nomina conquirunto, & vel amicè, vel ope
judicum ſuæ poteſtatis faciunto: viros VIII pro arbitrio ſuo adſciſcunto ſi-
bi, & quo loco & tempore ipſis videbitur, conſilii causâ evocanto: poteſta-
tem habento agendi jure pro repub. remque publ. & ejus cauſas defendendi
nec ſolum apud arbitros ac arbitratores, ſed etiam apud judices litem conte-
ſtandi, juramentum calumniæ præſtandi, denique faciendi, quæcunque ad
res hujuſmodi requiruntur: ſtipendium diurnum capiunto cum reip. dabunt
operam, aureum Carolinum unum ſinguli, atque inſuper annuum honora-
rium carolinos centum terni, quartus vero Tiarda, cujus erit verba omnibus
in negotiis facere, aureos totidem, ſed pretii majoris: poſtremò fidem ſuam
collegio XVIII-virûm & reip. juramento obliganto: Omnia hæc vim ha-
bento uſque dum decernetur contrarium. Signatum quoque hoc loco &
die eodem ſigillis Douwonis Burmaniæ & Eponis Liiaucamæ. Verum ab his
conſilia ſepararunt omnia regionis iſtius oppida, ſolà exceptâ Franekerâ. An-
no quippè ſuperiore menſe Auguſto Bruxellæ tentarant animum Cæſaris per
libellum ſupplicem, petentes ab eo, quæ concedi ſibi non poſſe ſine fraude
juris publici, & libertatis univerſorum haud quaquam ignorare credeban-
tur. Sic enim ſupplicaverant, etiamſi ea quæ peterent, jure ac mori rece-
pto adverſari viderentur, tamen uti ea pro plenitudine abſolutæ poteſtatis
ſuæ, quod ajunt, etiam parte adverſà, cujus intereſſet, non auditâ, Cæſar
ipſis tribueret. Erant autem iſta: ne negotiari, neve officinas opificum, tru-
tinaſque publicas habere totâ regione niſi in oppidis liceret. Ratio petitionis
petita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

potita erat ab oneribus oppidanorum, ob quæ & negotia gerentes & opifices oppida deſererent, & ruri ſedes figerent; quo modo fieret, ut fortunâ oppidorum labente munitiones eorum ſartæ tectæ ſervari non poſſent, quæ firmamenta imperii Cæſariani in Friſiâ eſſent. Sed Cæſar his reſponderat IX Calend. Septembr. rem ſe relaturum ad gubernatorem & ſenatum, ut hi exponerent eam iis quorum intereſſet, eoſdemque in iſtam ſententiam inducerent, ſi poſſent: ſi non poſſent, tum ſe audito eorum conſilio facturum, quod juſtum & æquum videretur. Atque hæc ad ordines provinciæ relata in comitiis haud parum eos offenderũt. XXVIII-viri per delectos Quatuorviros de capitibus controverſis ſtatim cœperunt agere cum gubernatore ſenatuq;, & multa compoſuere fœliciter: nonnulla componere non potuere. Quorum præcipua de ſententiarum in curia latarum recognitione, de ſacerdotiũ collatione, combinationeq; munerum, & de hoc, quod jam dictum, oppidorum poſtulato fuere. In his enim verti partem libertatis ſuæ ordines exiſtimarunt. Poſtremo excutiendo Quatuorviris prioribus adjunctus eſt Foco Languveranus ſacerdos. Qui & voce & ſcripto oppidanorum iniquitatem apud ſenatum & gubernatorem expoſuere, oſtenderuntque, id quod ab illis peteretur, admitti nullo modo poſſe. Itaque & totum hoc manſit infectum. Cætera ad diſceptationes poſtmodum redierunt. Anno proximo qui fuit M.D.XXXIII, eadem in provincia contentiones variæ de aggeribus diremptæ. Eo anno Balthaſar adhuc vindictæ cupidine æſtuans, cum in Geldriâ degeret, ſtatim poſt Paſchatos cum Meinhardo Hammenſe celebri militum præfecto, Geldricis ſtipendiis ſueto, non neſcio Geldro clam comparavit, ut is adſcitis ſibi aliis viris militaribus ordines ducere ſolitis, milites, quanto poſſet numero, cogeret, eoſque tantiſper circumduceret, donec exercitus ſpeciem habere viderentur: quo facto tum ſe ducem ipſis futurum. Meinhardus ultrò occaſiones hujuſmodi captans, curam in ſe recepit: brevi tempore ad bis mille confecit, cum his per diœceſin Monaſterienſem, & comitatum Bentheimenſem vagari aliquandiu, obvia more hominum talium depaſcere, Reiderios Ennonis imperio parentes ex voluntate Balthaſaris petere, ut Iemgumum peridoneum caſtris locum occuparet in orâ occidentali Amaſi, atque inde excurſionibus faciendis univerſum Reiderium agrum diriperet, ſub tributum cogeret, deniq; etiam, ſi fortuna faveret, ab imperio Ennonis avelleret. At Enno cum quod à Meinhardo in Geldriâ & Weſtfaliâ ageretur, per ſpeculatores cognoviſſet, ſuſpicatus quod res erat (Balthaſaris enim & ipſius Geldri ingenium non neſciebat) ut maturè occurreret venturo malo, ex omnibus præfecturis ſuis magno numero armatos evocare, & ut ſub ſignis quamprimùm præſto ſibi eſſent, jubere, eos, cum adeſſent, Amaſum trajicere in agrum Reiderium, his Reiderios ipſos addere, & cum omnibus Stapelmoram contendens Dilæ in ipſo regionis aditu ad ripam Amaſi, loco perapto, quâ tranſeundum Reideriam ex agro Monaſterienſi ingreſſuris, caſtra figere, & communire. Quo cognito Meinhardus, qui jam Redam, & Buirwalam ad extremos fines Monaſterienſium pervenerat, deſperans de ſucceſſu, diſſimulato propoſito, pedem retulit, & copias à ſignis dimiſit. Eo periculo depulſo Comes Enno ſuis quoque domum dimiſſis quod reliquum ejus æſtatis erat, conquievit. Menſe Octobri ſurgente Meinhardus idem copias numero ferè pares cum prioribus denuò confecit, idque tanto ſilentio adminiſtravit, ut nemo perſentiſceret, priuſquam copiæ ipſæ coeuntes conſpicerentur. Tum ſummâ celeritate quaſi adventus ſui nuncium anteverſurus, cum his in Reiderios contendit, biduoque toto, non minus noctu quàm interdiu continuato itinere, ipſum Reideriæ aditum occupavit, & Stapelmoræ ac Weneræ viſus ante fuit, quàm quiſquam venturum ſuſpicaretur: nec uſquam hæſit, priuſquam Iemgumum, quo cogitabat pertigiſſet.

M.D. XXXII.

M.D. XXXIII.

M. D. Ibi caſtris fixis leviſſimo opere ſe communiit. Poſt biduum calones cum
XXXIII militum cohorte unâ ſecuti, cum per ſpeculatores de eorum itinere edo-
ctus eſſet Georgius Honius, qui tum in arce Lehrarthanâ curabat pro Co-
mite, ab eodem validam manum plebis ruſticæ benè armatæ ducente conci-
ſi ſunt cum totâ cohorte. Ipſe Meinhardus terrorem latè diffundens, & pe-
tulantiſſimè agens per audaciſſimos quoſque proxima quæque fœdè diripuit,
& Coldenburgum arcem leviter munitam tentavit, ſed inani operâ. At Co-
mites fratres Enno & Ioannes indignantes tantulas copias nec ſatis benè ar-
matas tantum facinus audere, & eo loci conſidêre, unde non facilè recipere
ſe poſſent, & iras contra eas acuentes, ſine morâ rurſum ſuos viritim ad ſigna
vocant, & Oldershemi in orâ Amaſi, ubi trajici flumen commodiſſimè poteſt,
ad ſe venire jubent: cuncta celerrimè expediunt: fiduciâ benè gerendæ rei
omnem moram longam arbitrantur. Omnes ordines alacriter parêre, nobi-
litas; oppidani, ruſtici, ſtudia ſua quaſi certatim oſtentare principibus ſuis,
de victoria planè ſecuri eſſe, multi etiam dum ſe accingunt, dum ad ſigna coe-
unt, dum iter faciunt, inſolenter & protervè agere, non Dei aut precum me-
mores, in ſolis manibus & armis ſuis fortunam ponentes: ante omnes vero
Nordani: quorum ferociſſimi veſte militari ſibi placentes, quâ ex voluntate
Ennonis non hi ſolum, ſed cuncti, quorum facultates totâ regione hoc fere-
bant, utebantur, de DEO in vota vocando moniti reſponderunt haſtam
vibrantes, manum gladiorum capulis admoventes, uti ſæpè à majoribus na-
tu juvenis audivi, hoc DEO freti in hoſtem feremur, hoſtemque ſuperabi-
mus. Scelerata atque improba vox, quam paulò poſt puniit, qui contume-
liâ afficiebatur: quâque vehementer turbati & ingemiſcentes meliores, qui-
bus DEI timor inerat, peſſimè de eventu expeditionis jam tum ominaban-
tur: quorum in numero fuit avus meus maternus ætate tum gravis & conſu-
latu apud Nordanos fungens. Cum omnes Oldershemum veniſſent, ubi
Comites ipſi aderant, trajecto cum iis Amaſo tendentes in hoſtem magni ex-
ercitus inſtar Midlumi, Allinguveræ, Eppinguveræ non procul Iemgumo pri-
mum conſederunt penè inviti, ex voluntate eqrum, qui eos regebant. Nam
ipſi per ſe ad invadendos Geldros ſine ratione feſtinabant. Dein Comitum
juſſu à boreâ plagâ in Auſtrinam traducti, unde commodior futurus eſſe in
hoſtem impetus, & receptus ejuſdem ad Monaſterienſes poſſe prohiberi
præfectis videbatur, univerſi ferè, maximè verò Nordani moræ impatientes,
increpare ductores, incurſus ac pugnæ copiam poſcere, vociferari, qui pugnam
morarentur, eos victoriam ipſam & fugam ſtragemque hoſtium morari, ar-
ma ſibi ſi deſint, inermes ſe iſtum furum manipulum neci daturos, & pedi-
bus calcaturos. Interea deliberabant, qui cum Comitibus erant conſilii par-
ticipes, quonam modo & ordine in hoſtes ſine motu, ſine ſtrepitu Iemgumi
ſe continentes eſſet eundum. Et cum rei militaris peritiſſimi quique, & pa-
riter geniorum ac morum plebis inconditæ non ignari, ſuaderent, ut omnis
multitudo, dum calerent animi, latiſſimè diducta, & Iemgumo circumfuſa
ab omni parte velut imber effunderetur in hoſtes, & qua quiſque poſſit, per-
mitteretur locum invadere, ac vim terroremque inferre, alii, ne diſciplinæ
bellicæ rudes viderentur, agmine ordinato, viâ unâ procedendum cenſerent,
valuit hoc apud Comites, quod erat deterius. Nam univerſa multitudo
bipartitò diviſa, pars altera, quæ minor erat, ſed viris armiſque valida, in lon-
gum ſecundum viæ haud latæ modum extenſa compoſito gradu atque ordine
in hoſtem ducebatur, altera à tergo præcedentium ſe continere & ſubſequi
eadem viâ jubebatur, ut ſubſidio & firmamento laborantibus eſſet. Quod
Geldrorum aliquot trepidi alioqui, & de vitâ ſolliciti, è locis editioribus con-
ſpicientes, hujuſmodi caſuum non rudes ad militum vulgus converſi, lætâ vo-
ce, vicimus, ajunt, commilitones; ſi viri eſſe volumus, & facilè & ſine peri-
culo to-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

culo totam hanc multitudinem diſſipabimus. Atque ita ad pugnam ſubitò accincti primis invadentibus tantâ vi atque animorum promptitudine ſe objecêre, ut illi cum viris audacibus & fortibus negotium ſibi eſſe experirentur. Simul prementibus primorum terga proximis, & hos urgentibus aliis in ipſo Iemgumi aditu pugna exorta eſt atrox, dum hos ſuſtineri vincique ſe ab iis, quos paulo antè tam profusè contempſerant, vehementer puderet, iſti pro animâ ſe dimicare, nec in fugâ ſpem ullam in mediâ regione hoſtili habere cogitarent. Mox cæſis Friſiorum ferociſſimis quibuſque, qui in fronte dimicabant, & proximis conſternatis, ac ſine ordine pugnam ſuſtinentibus, dein pluribus cadentibus & terrore latius fuſo, à nonnullis terga hoſti data: tum ingens confuſio facta, dum ſe mutuò fugientes conſiſtenteſque impediunt atque implicant, & ab urgentibus & ferientibus Geldris magna cædes edita. Quod cum animadvertiſſent, qui in poſteriore & majore acie erant, perculſi animis, & velut divinitus in terrorem dati, omniſque ferociæ prioris obliti, in fœdiſſimam fugam abierunt, quam nec præfecti, nec Comites, qui poſt principia curabant, quanquam hortarentur, rogarent, increparent, honoris, fidei, caritatis, & ſalutis patriæ, gloriæ majorum admonerent, objicere denique ſe conarentur ſedentes in equis, inhibere potuerunt. Arma à pleriſque tanquam curſum tardantia, à quibuſdam etiam veſtimenta, quæ oneri erant, imprimis laxa fœminalia per viam, per campos abjecta; ad trajectus fluminis & naves à maximâ parte properatum: multi quovis loco, quâ proximum erat, ad flumen præcipites ferri, & arundine aut ulvâ ſe abdere, aut aquam tentare, alii in paluſtria, & invia, aut Dullartum verſus, ubi uliginoſa, atque inſulæ vadis cinctæ, curſum intendere, Comites ipſi deſperatâ fortunâ ad naves feſtinare. Interim Geldri jam ſine periculo urgere, premere, cædere terga vertentes, multos in foſſis incilibus, aut rivis hærentes, & ſe mutuò implicantes conficere, ad flumen uſque confortim perſequi, non paucos etiam pecuniæ ſpe vivos capere; Demum præfectis receptui canentibus pedem referentes captivis, hoſtilibus armis, ſpoliiſque graves in caſtra ſunt reverſi. Victi, qui evaſerant, etiam Amaſo fluvio trajecto vix ſe tutos arbitrati ſunt. Tanta eos trepidatio corripuerat. Eorum tamen, qui periere, numerus minor quàm pro modo confuſionis & terroris fuit. Nam non ſupra CCCC interiiſſe, ferro cæſi, aut aquis ſuffocati, aut aliis caſibus hauſti feruntur. In his plurimi Nordani Deo pœnas dantes; quorum præfectus Adolfus Loringius Lenganus, Ottonis Papii filius, vir vitæ integræ, & artium militarium gnarus, meliorumque conſiliorum autor, innocens eâdem clade involutus, avi mei materni in conſulatu Nordano collega. Occubuere quoque Imelo Pleuverdius, Occo Friſius Loquerdanus, Georgius Durenſis è primaria nobilitate, Chriſtophorus Auricanorum, Nicolaus Hattenus Lenganorum præfecti, Stephanus Borgenſis, Wiardus Nomonis cum filio Nomone Grothuſanus, Gerardus Bolardus Iemgumo oriundus è flore civitatis Emdanæ, inſigni virtute præſtans, à primis juventæ annis in armis verſatus, ac ſponte ſuâ hanc militiam patriæ ac gloriæ ſtudio ſecutus. Vivi in poteſtatem hoſtium venere Hero Olderſhemius Boijngi germanus, Wilco & Ajoldus Loquerdani fratres, viri genere nobiles, Bolo Stichuſanorum, Hermannus Emdanus Freburgiorum præfecti, cum magnâ aliorum è plebe multitudine. Incidit hæc clades in diem, qui Eidus Octobr. proximè anteceſſit: quâ attonita tota ea pars Friſiæ, quæ Ennoni parebat, in magno mœrore fuit. Quippe, qui è cæde, aut hoſtium manibus elapſi erant, miſerabili ac ſparſo agmine ſine ſignis, ſine armorum & veſtium ornatu hic illic, multi etiam penè nudi domum redierunt, adeo diſſimiles ſui, ut alii eſſe ab iis, qui domo exierant, viderentur. Omnes è cœlo plagam illam accidiſſe agnoſcebant. Parte aliâ victores, qui penè nudi, ac ſine Principis cujuſquam auſpiciis prædonum more iſtuc venerant, nunc exuviis

 hoſtilibus

M. D. hoſtilibus ornati inſtructique, & prædis locupletes ſine morâ Geldriæ princi-
XXXIII pis nomen volente ipſo conclamarunt. Mox Coldenborgum arx Comitis
Ioannis, cui ab Vdone Coldenborgio mortis causâ erat donata, ab iis repeti-
tum & captum: quicquid toto eo agro Boream verſur, direptione fœdatum:
commeatus omnis generis è portu Delfſilano & Farmſumano quieſcentibus
Emdanis impunè ſubvectus. Tum animis ſublati, ac jam nihil metuentes
Amaſo fluvio trajecto, Leram uſque excurrerunt, & forum illud amplum ac
dives cum diripuiſſent, repente Iemgumum ſe retulerunt. Sed à paucis die-
bus, mirum, cum nullus in eos armorum motus, nullus apparatus eſſet, tanto
pavore repentè conſternati fuere, ac ſi compertum haberent, totum in ſe
mundum armari. Itaque fœdâ & trepidâ fugâ Iemgumo effuſi quâ poterant
viâ breviſſimâ quamvis ſalebroſâ Weneram, Stapelmoram, Dilam repeten-
tes, nuſquam morâ tractâ per Monaſterienſes in Geldriam recurrerunt. Scri-
bit Egericus Grimerſhemius, tam confusè & feſtinanter fugiſſe, cum primum
Iemgumum relinquerent, ut aliquot eorum in viæ ſalebris hærentes perierint
non ſolum è militum vulgo, ſed etiam ex ipſis primoribus. Addit etiam fœmi-
nam Iemgumanam utrumq; caſum, & cladem Friſiorum, & fugam hanc Gel-
drorum prævidiſſe & prædixiſſe, & cum clades jam accidiſſet, conteſtatam de-
nuo eſſe, eventum alterum haud diu quoq; abfuturum, juſſiſſeq; cunctos ver-
borum ſuorum meminiſſe: nam qui jam triumphent, ac totam viciniam exter-
reant, haud multò poſt tam præcipiti curſu Iemgumum relicturos, ut ne ipſi
quidem, quibus id eventurum ſit, rationẽ ejus poſſint intelligere. His armis atq;
injuriis eodem illo tempore inſignẽ contumeliam aliam Balthaſar ſuperaddi-
dit. Litteras quippe patentes excudi typis curavit Arnhemi prid. Non. Octobr.
eaſque paſſim ſpargi, & in ipſam hanc Friſiæ oram inferri, inſcriptas omni ho-
minum ordini ac generi à Papa Romano & Cæſare regibuſque ad imos, con-
ceptas idiomate Geldrico. Iis literis & ſe omni culpa vacare aſſeruit confi-
denter, exorſus memorare acta à morte Edſardi, & quicquid in ſe collatum
criminis ac probri fuerat ab Ennone & fratre ejus Ioanne, id peracerbè in eoſ-
dem regeſſit: ab his injuriarum maximarum factum initium, Witmundam,
cum nulla belli ſuſpicio eſſet, cum de tollendis controverſiis & ſimultatibus à
rege Daniæ & Florentio Egmondano, die conventus & colloquii jam conſti-
tuto, ageretur, furtim ſibi ereptam: mox vim in Eſenam converſam: iis turbis
& controverſiis per Chriſtophorum Comitem Oldenburgium rurſum com-
poſitis innocentem ſe perfidiæ paſſim inſimulatum: iſtâ injuriâ intolerabili
commotum ad aſſerendum honorem ſuum arma à ſe in autores ſumpta: ac
tum quoque per Daniæ regem pace reparatâ denuò ſe ſine merito ſuo apud
Carolum Geldriæ principem ac præfectos ejus ab iiſdem per literas graviſſimè
traductum, crimenque perjurii ſibi impactum: hanc honori nominique ſuo
labem adſperſam ipsâ ſibi morte acerbiorem fuiſſe. Poſt quæ, velut laxatis
maledicentiæ habenis, & totâ bile commotâ in omnia ſe convitia effudit, nec
quicquam in hoc genere tam atrox, enorme, acerbum, probroſum reperire
potuit, quo non conſpuenda ſibi Comitum capita exiſtimarit, ut animo ſuo
ſatisfaceret. Denique ab omnibus auſus fuit poſtulare ut tales hos ipſos ha-
berent, quales à ſe eſſent deſcripti. Sed infamis charta fidem nuſquam inve-
nit, pluſque autoris nomini, quàm eorum, in quos emiſſa erat, nocuit. Mul-
tique tum temporis exiſtimarunt, qui Balthaſarem alioqui non norant, ex hac
maledicendi libidine & virulentiâ velut charactere non vano, animum
ejus haud malè ſe perſpicere. Naturale quippe eſt, quo quiſque
vitioſior eſt, eo ut ad convitia in alios jacienda ſit
promptior ac effuſior.

RERVM

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber LVII.

QVÆ ſecuta eſt hyems, tam aſpera gelu fuit, ut paludes, rivi, ſtagna, M. D. XXXIII.
flumina pedibus, equis, curribus tranſmitti poſſent. Quâ occaſio-
ne uſus Carolus Geldriæ princeps eaſdem iſtas è fugâ in Geldriam
reverſas copias novis ſupplementis auctas, ducibus Martino Roſ-
ſemo Mareſcallo ſuo, Meinardo Hammenſi eodem illo, de quo
ante dictum, Georgio Munſtero Runenſi viro apprimè nobili in Friſiam Ori-
entalem remiſit, ut Balthaſarem tandem Eſenam reducerent. Cum his Roſ-
ſemus & Hammenſis, & cæteri ductores in Weſtfalia tranſmiſſo Amaſo exeun-
te jam anno eodem Aſchendorpio digreſſi præterito Papenborgo Vollam agri
Tranſlœdani vicum primum & frequentem cum perveniſſent, die poſtero ſub
denſis nebulis totum agrum Tranſlœdanum populabundi, ædificiis etiam plu-
rimis hic illic incenſis, pervadentes ſub veſperam Leram ingreſſi, noctem
ibi egere. Dein Lerâ quoque direptâ, & flammis datâ pridie Calendarum
Ianuarii vaſtabundi & prædis intenti Oldershemum petivêre, & eo pertin-
gentes per deditionem occupatâ eâ arcis parte, quæ Vlrici Dornumani erat,
omnibuſque, quæ auferri poterant, nudatâ, dedititiiſque in vincula abductis,
ipſis porrò Calendis novi anni M. D. XXXIV Petcumum feſtinantes ejus quo- M. D. XXXIV.
que loci arcem dedi ſibi popoſcerunt. Sed repulſam paſſi, quod arx milite &
armis contra ſubitam & tumultuariam vim Cankeniorum curâ, ad quos
pertinebat, communita eſſet, dum oppugnationem ejus tentant, atque eam
ob rem ibi hærent, ad Embdanos literas mittunt, urbemque Geldriæ princi-
pi dedi poſtulant, additis verborum inſignibus contumeliis. His verò alia om-
nia pari reſpondentibus modo, videntes in oppugnandâ arce nequicquam ſe
laboraturos, tormentis majoribus deſtitutos, parcentes eo loco vicanis ob
Georgium Munſterum, Oldershemum celeriter repetunt, ex libidine Baltha-
ſaris omnia, quæ Vlrici erant, fœdè corrumpunt, confringunt, perdunt, do-
micilio ejus, quod in arce erat & cæteris ædificiis ad eum pertinentibus & Ol-
dershemi & in totâ eâ viciniâ ignem inijciunt, nec ullâ pecuniâ more militari
placari ſe patiuntur. Tantâ vi odii in patruum virum optimum ſua petentem
Balthaſar laborabat. Cæterorum rebus parſum. Hinc in Auricanos profecti
Ilæ cum pauliſper quieviſſent, ſummâ celeritate Auricam feruntur, ſperantes
eam ſe inopinatò oppreſſuros. Verum prodito ipſorum adventu, cum oppi-
danos in armis paratos eſſe intelligerent, noctu oppidum ſine ſtrepitu præter-
eunt, ſimulant Eſenam ſe contendere. Sed Meerhuſam cum veniſſent copia-
rum partem levis armaturæ ad Hacfortum Eſenam mittunt cum mandatis:
ipſi cum copiis majoribus Wallam verſus flexo itinere cum adveſperaſceret,
viâ Wallenſi in Broecmerios delati, & Broecmeriam feſtino curſu emenſi ne
noctu quidem quiete actâ Gretham petunt, eoque perveniunt, cum nondum
illuxiſſet, ipſis Nonis Ianuarii. In arcem hujus loci, unde originem Comi-
tum familia trahebat, jam dudum oculos conjecerat ſuggerente Balthaſare

M. D. XXXIV.

Hacfortus interea dum Eſenæ muniendæ vacabat, inſidiasque in eam meditatus erat, ex voluntate principis ſui. Sed iter Eſenam inter & Gretham nimis longum impedimento ei fuerat. Itaque apertâ vi agendum princeps ſtatuerat, atque hujus rei gratiâ potiſſimum exercitum hunc in Friſiam nunc miſerat. Nulla enim arcium Comitis minus munita erat, ſolâ foſsâ, ex quâ ædificium ſurgit, & pariete raræ craſſitiei & firmitudinis, ac ſitu in intimâ totius regionis orâ ad ſinum Amaſi Orientalem, ab hoſtium vi tuta: nec erat ulla, ob familiæ decus, & cenſus, quâ ægrius cariturus eſſe Comes videbatur. Id vero aptiſſimum conſiliis Geldri. Comes autem cum fratre ut de omnibus munitionibus ſuis, ita de hac quoque ob Geldrum ſollicitus arcis præfectum Albertum Bacomorinum hominem obſidionum, ac aliarum rerum belli ferè ignarum, ſed carum ſibi, ac ex humillimâ fortunâ à ſe ad honores evectum monuerat graviter, ut maturè rebus omnibus proſpiceret, & ſi diffideret ſibi, pateretur alium rerum militarium peritum, ac animo fortem ſuo loco ſubſtitui, deſignarantq; manum aliquam militum, qua cum accolis è plebe ruſticâ arci præſidio eſſent. Verum Albertus ſubſtitutum ignominiæ ſibi futurum ratus optima quæque de ſe, & fide ac fortitudine ſuâ Comiti fuerat pollicitus. Sed idem tam negligenter ſtatim ab initio egit, ut vix tum milites tum ruſticos vicanos advenientibus inopinato Geldris recipere in arcem potuerit. Et cum eſſent tum fortè in portu Grethano naves aliquot re tormentariâ, pulvere nitroſo, globis ferreis, qui emitti ex tormentis ſolent, probè inſtructæ, nihil hujus, quod facile facere potuit, imò facere debuit, in arcem intulit; ſed quicquid ejus apparatus erat, hoſtium uſui reliquit. Caſtris ab hoſte in vico Grethano ad arcem locatis, qui vicus arcem ab occidente & ſeptentrione potiſſimum amplectitur, & ſtationibus diſpoſitis, poſtridie Hacfortus Eſenâ cum copiis minoribus & tormentis duobus grandibus, quorum causâ copiæ ipſæ iſtuc fuerant miſſæ, ſuppervenit, apparatumque illum, de quo dixi, è navibus extractum ſuo adjicit. Curabant tum in caſtris ipſe Balthaſar totius belli cauſa, Martinus Roſſemus, Bernardus Hacfortus, Georgius Munſterus, quibus animus ex diuturno & peraſpero gelu creſcebat, quod omnia invia pervia faciebat. Hi omnibus diligenter inſpectis, quantum pericula à tormentis omnis generis ex arce ſinebant, (nam ſclopettis, hacis, barſis præſidiarii in omnia momenta intenti fulminabant, & in conſpectum venientes feriebant) tormenta illa duo grandia loco maximè idoneo contra arcem à parte occaſum ſpectante ſtatuunt, inque latus hoc fulminare incipiunt. Id vero ſtatim ſic exterruit præfectum Albertum, paucosq; cum eo, qui ſe prius magnificè Comitibus oſtentarant, & vel mori paratos eſſe pro fortunâ eorum jactaverant, ut de deditione jam tum cogitare viderentur. At militum vulgus & agricolæ præſidiarii imperterritis animis erant, nec quicquam ſe moveri fulminibus iſtis præ ſe ferebant. Quod præfecto tam moleſtè accidit, quam trepidatio turpis ei fuit. Itaque agricolas, quos velut exprobrantes ſibi iſta animorum magnitudine ignaviam ſuam aſpiciebat, durius habere, cibi modum, quem ipſi copioſum in arcem intulerant, tamen arctare, cereviſiâ negatâ, ad aquæ potum adigere, ut & ureret eos, & tædio ferendæ obſidionis afficeret, frangeretque. Sed actum egit. Tum ille ad conſilium aliud convolans, per denſas noctis tenebras emiſſo ad Comites homine ſuo cum literis, decurias militum plures ad tuendam arcem alioqui in ſummo futuram periculo petit, impetrat, per eaſdem tenebras noctis averſâ ab hoſtibus parte in arcem recipit. A quo tempore ſecurus ab agricolis contemptius eos habere, conſilii nihil cum iis conferre, quorum tamen longè plurimum poſt ipſos Comites intererat, militum animos ab iis avertere, ſibi adjungere: illi nihilominus officium facere. Interim hoſtes non ceſſare in cœpto, arcem crebris tormentorum ictibus quatere, eosque ictus unum in locum omnes dirigere, parietem craſſum

ingenti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ingenti hiatu cavare, rem urgere ſine intermiſſione: quippe quibus ſpes in M. D.
celeritate repoſita eſſet ob aëra mutabilem. Nam ſi gelu contingeret in pluvias XXXIV.
repentè ſolvi, re non confectâ, non ſolum facultatẽ ſibi perituram arcis capiendæ,
ſed in diſcrimine omnia ſua futura perſpiciebant. Obſeſſi contra, maximè, in-
digenæ tormenta, & tormentorũ magiſtros aſſiduò ſclopettorum & hacarum
glandibus petere, totum iſtum locum circumcirca infeſtum reddere, multos in
apertum ſe proferentes interimere, quoſdam etiam tectis opertos ferire: inter
hæc & parietem, quo tormenta contra arcem tegebantur, præcipitem barſis
ſuis majoribus in ipſa tormenta agere, eâque re impedimentũ exercendis ma-
chinis injicere, donec locus ruinâ illâ rurſum purgaretur. Quinetiã adoleſcen-
te audace, & vitæ ſuæ prodigo occultè ex arce emiſſo proximas agricolarum
ædes hoſtibus oportunas non recuſantibus ipſis, quorum ædes erant, malleolis
injectis incendio perdere. Deniq; omni ſtudio & modo obſidentibus incom-
moda inferre. At hi amoto impedimento redire ad inſtitutum, ingentibus glo-
bis eundem parietis locũ ferire, nec ante abſiſtere, quam tandem eum ſed an-
guſto ore perforaſſent. Tum præfectus jam prorſus deſpondens animum in co-
ronâ agricolarum exaggeratis periculis profeſſus eſt, de defenſione arcis ſe de-
ſperare, rẽ poſcere, ut de deditione honeſtâ cogitetur. Sperabat enim eos quo-
que perculſos in eandẽ ſententiam eſſe ituros. At illi, erigere eum, teſtari, etiam
nunc bonâ ſe ſpe eſſe, pleroſq; ſuorum multò majoribus in periculis quondam
fuiſſe, nec tamen ſpem abjeciſſe: locum apertum obturari congeſtâ materiâ, &
tutum reddi poſſe. Deniq; cum pergeret iſte, & alia atq; alia pericula jactaret,
reſponderunt, videret quid ageret, ut actorũ ſuorum reddere rationem Comi-
tibus poſſet: ſibi in animis eſſe, perſtare ad extrema, & ultimos caſus pro patriâ
& Comitibus operiri. Simul relicto eo, juvante & ſuffragante Bonnone præfe-
cti collegâ, aggerere magno ſtudio omnis generis materiam in eum locum, un-
de periculum metuebatur, foramenq; obſtruere, ac quaſi vallo firmo claudere:
ad hæc pertundere tectum, & parare ſe ad ferventes aquas effundendum in
hoſtes per ſcalas ex glacie in foramen apertum eniſuros. Inter quæ præfectus
non de cuſtodiâ arcis aut officio, ſed de honore ſuo ſollicitus, ut colorem ei quæ-
reret, quendam è ſuis Embdam rurſum miſit ad Comites (illic enim hi toto
hoc tempore degebant) qui ſuo nomine diceret, ni intra tres quatuorve dies
auxilia venirent, ſibi neceſſe futurum, arcem dedere. Sed hic in arcem vix dum
redierat cum ampliſſimâ promiſſi auxilii ſpe, cum præfectus per Hanſcium
Langoſtratum carceris cuſtodem vaniſſimi animi hominem, ſuiq; ſimillimum
Geldris deditionem obtulit; nec ante id agricolis innotuit, quam obſides fidei
Synoldum Vterſteweranum, & Reinleſum Ditzæum dimitti ex arce, & ſimul
Balthaſarem Eſenſem, Martinum Roſſemum, Bernardum Hacfortum in ar-
cem viciſſim admitti vidiſſent, attonitis omnibus, ac ſortem ſuam ſimul & pa-
triæ Comitumq; deplorantibus. Scribit Grimershemius, iſto momento Bon-
nonem, quem dixi, adiiſſe collegam præfectum, & ſumptâ fiduciâ præſentibus
aliquot hominibus fidis hoc modo eum eſſe aggreſſum: agè verò præfecte,
nunc ſi voluerimus, bellum hoc, quod injuſtiſſimum patriæ noſtræ Balthaſar
& Geldri intulerint, ex voto noſtro & Comitum dominorum noſtrorum fi-
nire poterimus: demus modò hos, quos in poteſtate nunc habemus, omnium
malorum autores, in cuſtodiam, & erunt nobis omnia expedita: obturato
hoc aditu, per quem hi ingreſſi ſunt, arcem facile tuebimur: Simul ac gelu
ſolutum fuerit, quod paucos intra dies futurum confido, obſidentes cogen-
tur hinc, etiam ſi nullum nobis à Comitibus venerit auxilium, quam ocyſſimè
ſe recipere, præſertim ductoribus ſuis deſtituti: Ad hæc autem præfectum
voce & vultu truce, quid verò tu, viſne me fidem, quam his dedi, fallere, &
omnes nos pariter peſſimè perdere? non eſt hoc animi mei, non æquitatis:
mihi certum eſt, promiſſa ſervare: atque ita offenſum abiiſſe: hæc multos,

M. D. XXXIV. qui adfuerint, poſtea eſſe teſtatos. Deditio facta die XIII Cal. Febr. ſalvâ omnium, qui in arce erant, libertate, rebuſq;: Iis dimiſſis Geldricum præſidium in arcam inductum: cæteri Geldri per vicum, & ubi commodum erat, diſpoſiti. Bonno ad tempus ob cõſilium præfecto datum, deferente præfecto, in cuſtodiâ retentus. Plurimarum rerũ, quæ ſine modo variis è locis in arcẽ congeſtæ fuerant, primo rumore adventantium Geldrorum crebreſcente, cum nemo de eâ obſidendâ ſuſpicionem poſſet concipere, maxima facta jactura, nulla re ordine in deditione tumultuariâ, ſive mavis proditione, adminiſtratâ. Albertus præfectus cũ aliquandiu cum Geldris fuiſſet, & familiarius quam par erat, cum iis egiſſet, dimiſſus tandem & ipſe Embdam velut re benè geſtâ ſe contulit, ibique vix è manibus indignantium & frementium civium atque agricolarum, qui frequentes in oppidum confluxerant, cum cõſpectus in publico eſſet, elapſus ædibus ſoceri ſui Henrici Buttelii Conſulis ſeſe ſervavit. Omnes improbum, nefarium, non ferendum proditorem, patriæ hoſtem, non uno dignum ſupplicio vociferabantur. Comites etiam ſtomacho pleni Buttelio mandarũt, ut eum in poteſtate haberet, ac judicio, re poſcente, ſiſteret. Ante hæc durante adhuc arcis Grethanæ obſidione juſſu Comitum ſummus militiæ ipſorum dux Eberhardus Ouelackerus belli artibus celebris cum validâ armatorum manu è militibus & plebe ruſticâ conflatâ pedes Dullartũ ſinum tranſmiſerat, ut oram eam, quæ Dullarto & Amaſo adjacet, & in fide Geldri erat, affligeret. Is univerſam præfecturam veterem, & proxima Fivelingiæ ſecundum oram celerrimè turbinis inſtar pervadens, omnia hoſtili populatione fœdavit, quicquid auri argentiq; ac rerum aliarum, quæ prædæ eſſe poterant, reperit, diripuit, viros multos ſubitò in curſu oppreſſos in vincula abduxit, redimendi incendi ergò gravi tributo omnes mulctavit, naves quotquot in portu Delfſilano ac Farmſumano deprehendit, exuſſit: deniq; prædis & pecuniâ exactâ dives Embdam rediit. Hoc modo, ut ferè fit, commiſſum principis ſui innocentes ſubditi luere coacti fuerunt. Groningani ac eorum ſocii per agrum miſſis ad Comites legatis, & queſti ſunt de his, quæ facta erant, & ne quid impoſterum ſimile accideret, providerunt. Vix dum dedita arx Grethana erat, cum ſubitò aër mutatus, gelu in pluvias deſinente, opinione celerius glaciem ſolvit, gratulantibus ſibi Geldris, quod antequam hoc accidit, arcis potiti eſſent. Quod ni ſic eveniſſet, fatebantur ipſi, cum probro & detrimento, nec ſine capitum diſcrimine iſtinc fugiendum ſibi fuiſſe. Quæ res ſanè Alberti Bacomorini cauſam reddidit difficiliorem. Ob quem cum judicium more militari conſtitutum eſſet, tribunalibus in areâ ad arcem Embdanam ſub cœlo aperto diſpoſitis, judicibus conſidentibus Albertus ipſe, Hanſcius Langoſtratus, apparitores Albarti, aliique quos teſtes notarant, producti accuſatique, rei quoq; verba faciente patrono, contra auditi: denique omnes omnium judicum ſuffragiis mortis damnati, ſed ſententia tantiſper preſſa, donec de ea ad Comites referretur, quibus gratiæ locus relictus. Hi, qui in arce erant, deliberatâ re ſententiã probarunt, juſſeruntque ita uti concepta erat, eam pronunciari, damnatoſq; è veſtigio præfecto Emdano in vinculis habendos tradi. Facta omnia ex Comitum mente, virgula more militari in ſignum damnationis cõfracta, rei in carcerem dati. Sed paulò poſt intercedẽte fœminâ à propinquis Alberti exoratâ cui Comites ex promiſſo obſtricti erãt, Alberto frementibus bonis omnibus gratia facta. Sic reliqui quoq;, qui minus peccaſſe videbãtur, ſupplicium evaſere. Inter cætera Alberto hoc etiã crimini datum, quod cum Geldri Grethã adventarẽt, & jam primi in vico eſſent, avum meũ paternum Dionẽ Mettium curando aquarũ clauſtro apud Grethanos præfectũ, annis jam gravẽ, propterea quod præſentiã ejus ob gratiam & authoritatẽ, quã inter ſuos habebat, ſibi gravem futurã arbitraretur, arce excedere, & clauſtro providere juſſiſſet, ne

quid

quid id detrimenti caperet. Quod cum avus meus feciſſet ad genua uſq; toto corpore armis fulgens, & jam pedem cœpiſſet referre, ab hoſtibus circumfuſus, & nequicquã fortiter defendere ſe conatus in manus eorum pervenerat, è quibus non parvo auri põdere pro modo rerum ſuarũ redimere ſe coactus fuit. Cui ſi in arce manere licuiſſet, haud leve momentum, ut tum quidem vulgò credebatur, tardandis Alberti conſiliis potuiſſet adferre. Glacie ſolutâ mox claſſis aliquot navium Embdæ armata, & emiſſa cum præfecto, quæ utrumq; oſtium Amaſi obſervaret, & hoſtibus, quocunq; modo poſſet, incommoda afferret, inprimiſq; ne quid Eſenam adveheretur, prohiberet. Per hanc multę naves huc illuc tendentes Embdam compulſæ: Groninganis, agroq; vicino commercia maritima arctata. E claſſe navis una milite, armis, tormẽtis probè inſtructa Flevum ſubiens & auſtrinum mare percurrens non procul Harderwico vectorias aliquot Geldriam petentes cum mercibus intercepit, Embdamq; pertraxit. Illic præda diviſa, Ouelackerus quoq; trajecto cum copiis Amaſo Bolonem Ripperdam Farmſumanum inimicitias cum Comitibus exercentem, & totum territorium ejus rurſum afflixit, & mox cis Amaſum in tutum ſe recepit. Inter quę agricolę præfecturę Grethanę, ut res ſuas, quas reliquas habebãt, ſervarent, conſilio Comitum uſi, fidem Geldris, quamdiu hi arcẽ in poteſtate habituri eſſent, jurarunt. Simul Comes Enno miſſis ad ſocios & amicos paternos, quos per Weſtfaliam ac vicinas regiones complures habebat, hominibus idoneis acerbè de injuriis Geldri apud eos conqueſtus effecit, ut locus & tempus conventus ad docendas injurias Hoxteræ diceretur. Eoque ſurgente vere ipſe profectus eſt cum principibus conſilii ſui, relicto domi fratre Ioanne, qui interea experiretur, an quâ ratione æqua, Groningenſium interventu, qui jam præludia inſtituerant, bellum componere poſſet. Hoxteræ verò cum per oratorem in ſociorum conſeſſu cauſam ſuam cœpiſſet agere, expertus eſt, omnium animis eam damnari ob bellũ Balthaſari illatum, animadvertitque in magnâ eos cauſarum ignoratione verſari. Dein recitatis, quæ ſecum tulerat, teſtamentis, fœderibus, pactis conventis, contractibus variis, eorumq; autographis & ſignis exhibitis, ita eorũ animos mutavit, ut & errorẽ ſuum agnoſcerẽt, & opem ſine impendio ipſius prolixè pollicerentur, tantũ commeatuum & tormentorũ copiam ab eo ſtipulati. Autoratiq; ſtatim cohortium ductores aliquot, qui militẽ ſcriberent, & Geldriam, Drentiam, agrum Groninganũ auſpiciis ſociorũ invaderent. Sed ſera hæc. Quippe ipſo nondum Friſiâ egreſſo, ut dixi, domi de pace ſermones cœperant jactari. Nam & Geldri quanquam fortunâ ſecundâ cauſas habuere, cur pacem quam bellum mallent. Vt enim à Burgundis metu liberi non erant, ita nervo rei gerendæ pecuniâ deſtituebantur. Et Groningani agraiiq; Ordines ſubſidia poſtulati aureorum millia XVI in ſingulos menſes bello contra Comites durante, tum quia ſuarũ virium ea non eſſe, tum quia cum Comitibus armorũ cauſam ſe non habere dicerẽt, alienius reſponderant: imo modis omnibus contendebant, ut bellum ſibi noxiũ cum vicinis componeretur. Quod licet indigniſſimè acciperet princeps, cui longius tendere propoſitũ erat, tamen id diſſimulabat egregiè, & quaſi ſuorũ ſtudio moveretur, ſe quoq; à pace non abhorrere ſignificabat. Eoq; modo accidit, ut cõmeantibus internunciis, & miſſitatis literis, Groningenſiũ præcipuo ſtudio, dies primũ Oterdumi, dein Farmſumi colloquio ſit cõſtitutus in orâ Amaſi. Quo cũ ſe cõferret Hacfortus, à claſſis Embdanæ pręfecto hujus rei ignaro fuit interceptus, Embdamq; devectus, ſed mox libertati redditus. Ibi pręparata res, & jacta fundamẽta: placuitq; utriq; parti, ut Logæ, qui vicus in adverſâ Amaſi ripâ Larleto vicinus erat, nunc magnâ partẽ cũ fano fluctibus merſus, majore numero & dignitate denuo cõveniretur. Cõvenêre hinc Comes ipſe Ioannes, Hicco Cankena Dormiinanus, Omco Ripperda Hintanus, Hicco Howerda Vphuſanus, Egericus Poninga Grimerſh. Guil. Vbbena Cancellarius, inde Carolus Geldrus principis filius M. D. XXXIV.

 concu-

M. D. concubinâ nobili natus proprinceps apud Groninganos, Martinus Roſſemus,
XXXIV. Bernhardus Hacfortus, N. cœnobii virginum ſacrarum apud Warſſumanos
antiſtes, N. Rutemborgius: A quibus cum multa ultrò citroq́ue dicta diſpu-
tataq́ue eſſent, & animi in pacem utrâque à parte inclinarent, tandem in has
pacis leges, conſenſus initus, certe magis neceſſarias, uti tum credebatur, Co-
mitibus, quàm honeſtas ac æquas: I *Comites res Eccleſiaſticas ſuæ ditionis confor-
manto iis, quæ valent in Saxoniâ Electorali, & regionibus ac vrbibus Germaniæ aliјs,
quas euangelicas vocant, ex formâ, quæ Auguſtæ & Spiræ à Cæſare eſt admiſſa. Id
obtineto uſque conſilium generale, cujus decretis Comites deinde parento. Quodſi intra
vertentem annum conſilium non coierit, alter Comitum ad principem Geldrum venito,
& de vitijs in hac parte emendandis cum eo rationes inito, eiuſque ſententiæ locum dato.*
II *Arcam Witmundanam Comites principi cedunto pro Grethanâ cum tormentis nu-
mero ac modo paribus, atque inſuper ſolvunto* XII *millia aureorum monetæ Embdanæ
intra quadriennium penſionibus per ſingulos annos paribus, & in hanc rem ſponſionem ido-
neam præſtanto: ſi principi placuerit, Balthaſari miniſtro & cognato ſuo (ſic enim verba
habent) ſarciendæ certioris gratiæ cauſâ arcam Witmundanam reſtituere, idem placeto
quoque Comitibus, ſed eſto hac in re principi arbitrium liberum: tabulæ pactorum eo tem-
pore, quo Eſena dedita fuit, à Balthaſare Comitibus datæ Balthaſari à Comitibus reddun-
tor in gratiam principis: literæq́; utrinq; ſcriptæ in partis alterius probrum & contume-
liam pro nullis habentor perinde ac ſi ſcriptæ non eſſent, & honos utriusq; partis ſalvus
eſto. Sic omnis controverſia inter Comites & Balthaſarem finem habeto. Comitum
ſubditi cujuſcunq; conditionis utuntor hærediis ac bonis ſuis in territorio Eſenſi & Wit-
mundano ſitis, aut ea locanto pro arbitrio ſuo, nemine turbante: Quodſi Balthaſar exi-
ſtimet, quædam juris ſui eſſe, liberum eſto iiſdem Comitum ſubditis jure contra eum ex-
periri loco competente, ubi poſſeſſiones ſitæ ſunt, cognitore ipſo principe, aut iis, quibus extra
ſtudia partium cognitio à principe committetur. Idem Balthaſar Vlricum Oldershemium
patruum ſuum in hæreditate paterna non defraudato, ſed jure eum uti permittito.* III
*Comites omnibus in bellis defenſivis offenſiviſve, quæ à principe, ejusque Ordinibus
contra quoſvis gerentur, auxilium principi pro modo virium ferunto, oppida, arces, por-
tus, flumina ſua ei aperiunto: Princeps viciſſim Comitibus auxilio eſto, & eadem præ-
ſtato, modò illi cauſas bellorum prius principi probaverint. Contra Cæſarem tamen uti
Cæſarem imperium gerentem, & ipſum imperium Comites bellare non tenentor: nec
contra fœderatos circuli Weſtfalici, & tractus Hercinii, quibus ipſi ante hac fœdere ſe
junxere neceſſaria ac juſta arma induentes. Sponſoribus pecuniæ ſolvendæ datis, & hoc
fœdere probato utrimque, ſignatoq́;, arces Grethana & Witmundana reciprocè tradun-
tor abſque morâ: Comites cum nobilitate & civitate Embdana peculiaribus literis & ſi-
gillis ſuis hoc ita confirmanto, ut princeps habere nil poſſit, quod heic juſtè requirat: Sin
quid amplius requiret princeps, operam iidem danto, ut confirmatio ab aliis aliquot prin-
cipibus Comitibuſve fiat, & fidejuſſio ſubeatur. Princeps viciſſim literas ſigillumq́; ſuum
hunc in finem dato. Pecuniæ datis literis hinc inde durante bello promiſſæ ſolvuntor: ca-
ptivi impendio ſuo ſe redimunto, aut permutatione æquâ liberantor: exceptis tamen iis,
qui ante bellum iniquè capti ſunt: ii enim ſine lytro dimittuntor. Subditi utrimque ſine
periculo, & impedimento negotiantor, & commercia exercento ſervato vectigalium
more ſolito. Induciæ* IX *dierum ex iſto die ſunto, per quas de omnibus ad ipſum
Geldriæ principem referri, ejusque voluntas certa cognoſci poſſit.* Subſcripſere inde
Carolus, Roſſemus, Hacfortus, hinc Comes Ioannes, Hicco Dormimanus, cum
Omco Hinthanus. Mox ad principem miſſi, cunctis à principe probatis, cum
Groningam feſtini rediſſent, novus conventus dies dictus fuit apud Oterdu-
mæos ad VI Calend. Aprilis. Illic mandati & aſſenſus literæ exhibitæ tradi-
tæque Ioanni Comiti præſenti: fœdusq; novâ ſubſcriptione utrimque confir-
matum. Subſcribentes à parte Geldricâ fuere iidem: ab altera parte, cum Co-
mite Omco Ripperda Hinthanus, Hicco Howerda Vphuſanus, Poppo Man-
ninga Peuſumanus, Martinus Neocamerus, Nono Meckana conſul Em-
danus.

M. D. XXXIV.

danus. Additum hoc conditionibus prioribus, ut Comites intra bimeſtre ex Comitibus quatuor, Schouvenborgio, Oldenborgio, Teclenborgio, Benthemio duos ſponſores ſervandi fœderis & ſolvendæ pecuniæ promiſſæ præſtent, qui fidem ſuam unà cum nobilitate & civitate Emdanâ interponant: utque tum ſequatur ſine morâ arcium traditio reciproca. Et hæc proximis diebus ſolenni modo publicata: milites equiteſque utrimque dimiſſi. Ita pax iis locis tandem inſtaurata. Arcium reſtitutio non ante Nonas Auguſti facta. Hoc tam fœdo fœdere patrato doluêre & gemuêre optimi quique, qui religionem & patriam amabant. Nam ſi decreto Spirenſi & Auguſtano parendum, ſi concilio, quale parabant Papa & Cæſar, ſtandum, ſi principis Geldri animo mos gerendus in religione conſtituenda, ad papiſmum erat redeundum. Nam utrumque decretum proteſtantium religionem damnabat, & Romanenſem probabat: & à concilio ſperari boni nihil poterat. Geldriæ autem princeps quanquam Deum & ſacra rideret, tamen papiſmi cultor eximius ac fervens videri volebat, ut Galliarum regi, & Romano Pontifici ſe quam maximè probaret. Quam ob cauſam & Carolum filium ſuum, quem alioqui diligebat, propterea quod non ſatis fervere in tuendo colendoque papiſmo diceretur, ipſe perdere conſtituerat. Nec admodum mirum, de religione hoc hunc in modum perſcriptum, cum plerique, qui ſcribendo præfuêre aut adfuêre, de religione peſſimè ſenſerint. Nam Comes ipſe ſecutis temporibus animum ſuum in aperto poſuit, & Cancellarius in papiſmo vehemens fuit: & hic Henrico monacho Franciſcano apud Emdanos utebatur eo tempore familiariſſimè, religioniſque causâ poſt aliquot annos relictâ patriâ, & propinquis ſolum vertit: monachus verò idem zelotes acerrimus Groningæ frequenter degens, & Geldris carus, nec ignotus ipſi Carolo duci, quid urgendum in pangendo fœdere ipſis his ſuggeſſit, de quo cæteroqui cogitatio eos non ſubiiſſet: & quod ſanè ad eorum curam minimè omnium pertinebat. Poppo quoque Manninga ſordibus iiſdem inhærebat, & Hicco Houverda ab eadem ſuperſtitione non procul diſcedebat: Omco Ripperda omnium horarum erat, ac ſacra ſuſque deque ferebat: quidam alii tepebant. Hicco Dormimanus & Egricus Boninga re preſſius conſideratâ ſubſcribendo rurſum adeſſe noluerunt. Quamobrem accidit quoque, ut cum reliqua fœderis vim ſuam tenerent, hoc caput irritum manſerit. Nam populi optima & maxima pars, & qui docendo illi præerant, animarumque curam gerebant, ab eo abhorrebant, quantumvis ut locus ei eſſet, ab ipſis Comitibus, atque iis, qui idem ſentiebant, per aliquot annos allaboraretur. Inter hæc Comes Enno à fratre per celerem nuncium de conventione edoctus, re ſociis expoſitâ, ac gratiis ob ſtudium ac fidem actis Hexterâ quam celerrimè in patriam recurrit. Mox uterque frater ut Geldro ſtudia ſua probarent, à duce Luneburgenſi Erneſto, cui Gelder ſororius erat, eccleſiaſtas duos, qui in conſtituendâ eccleſiaſticâ re ſibi adeſſent, mitti ad ſe petierunt: miſſique ſunt Martinus quidam Ondermarcus, & Matthias Gindericus. Qui cum in Friſiam veniſſent, & formam religionis, eccleſiarumq; ſtatum vix dum cognoviſſent, ceremonias autem ac ritus pleroſque diſcrepantes à Saxonicis reperiſſent, de his ſtatim magnum pulverem excitarunt, perinde ac ſi ſumma ſalutis in iis ſita putaretur. Exorciſmi uſum in baptiſmo, lineam veſtem albam in ſacris, aut miſſaticam aliam, ardentes in altaribus mediâ luce candelas ſynaxeos tempore, formam panis minuti & circularis à Romano Papa olim inſtitutam, morem ejus in ore communicantium ingerendi manu eccleſiaſtæ ſynaxim adminiſtrantis ſine fractionis uſu; conſuetudinem canendi non recitandi ad aram verba inſtitutæ ſacræ cœnæ, & precationis dominicæ, denique cætera, quibus miſſa, quæ vocatur Germanica in theatrum reducebatur, ante omnia requirebant. His addebant do-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. XXXIV. gmata de corporali carnis & ſanguinis Chriſti præſentiâ in uſu cœnæ, deque orali eorum ſumptione & manducatione, piis & impiis communi, quæ pro vehementiâ ſuâ importunè & imperioſè ingerebant, & urgebant: non probantes aut contradicentes uti hæreſeos reos non ferebant, obliti eorum, quæ Marpurgi ante quinquennium erant acta: Emdæ, Auricæ, Nordæ, Leræ, aliis in locis celebrioribus iſta proponebant armati autoritate Comitum, eccleſiaſque pacatas turbabant, ſed tamen multò minus quam aut Comites aut ipſi volebant, proficiebant: quanquam reperirentur inter eccleſiaſtas nonnulli, qui cedendum potius de veſte linea & ſimilibus rebus, ob edictum Comitum, quàm eccleſias deſerendas, aut in diſcrimen mittendas cenſerent, interim in doctrina, quam rectam intelligebant, & confeſſi erant hactenus, conſtanter perſiſtentes: nec deeſſent, qui ventris causâ, aut pietatis veræ expertes, aut doctrinæ incerti, iſtâ quoque in parte claudicarent. Emdani verò optimo conſtantiæ exemplo toti regioni præluxerunt. Luneburgici pertinaces propoſiti, non paucis eccleſiaſtis pericula crearunt apud Comites, aut in odio apud eos poſuêrunt. Hoc anno, ut & priore, reliqua pacata fuère apud Tranſamaſanos & Tranſlavicanos. Tantum anabaptiſtica ſecta apud hos ſe cœpit commovere, ſed citra arma. De quo res monet, ut dicam breviter. Sublato in Hollandia Trypopæo, quem ſibi ſubſtituerat Melchior Hoffmannus Argentinam iturus, prodiit in eâdem Hollandia Ioannes Mathias quidam opificio piſtor, civitate Harlemenſis vir vafri & audacis vaſtique animi. Is primus à Trypopæo eâ in regione poteſtatem mittendi, & dona ſpiritus conferendi ſibi ſumens, impulſu divino id ſe facere ajebat. Qui miniſterium ſuum à peſſimo facinore eſt exorſus. Nam domi deſertâ conjuge, quam habebat provectioris ætatis, puellam Virginem formæ integræ, cujusdã Harlemenſis viri cumprimis honeſti piiq; filiam aſtu ac promiſſis circumventam ſecreto ſecum abduxit Amſterodamum, ibique occuluit. Hinc enthuſiaſticos raptus, & revelationes de rebus maximis jactans, ac inter anabaptiſtas, qui illic erant, in medium procedens ſe Enochum eſſe affirmavit. Hoc perplexos habuit ſectarios, ad quos è cuſtodiâ Argentinenſi Hoffmannus ſcripſerat, ad exemplar Zorobabalis & Haggæi, qui biennio ab extruendo templo quondam abſtinuêre, ſimiliter nunc anabaptiſtis ab exercendo anabaptiſmo eſſe abſtinendum: & norant iidem, Argentinæ Poltermannum pro Enocho haberi. At iſtis hærentibus Ioannes Mathias vehementius anabaptiſmum arſit, ſimulatâ ſpiritus agitatione, ac ſibi non parentes horribili denunciatione certiſſimarum pœnarum adeò conterruit, ut miſelli præſentem ſe videre infernum exiſtimarent, atque eo metu ſubacti ceu Enochum eum venerarentur. Ex iis verò, quos ita perculerat, & annunciatione pacis ſuæ velut ab inferis revocaverat, nonnullos per impoſitionem manus apoſtolos deſignavit, atque in opus domini binos & binos Amſterodamo emiſit. Quorum Gerritius bibliopegus, & Ioannes Bucoldus ſartor patriâ Leidenſis, is qui deinde ad regnum pervenit, Monaſterium ſe contulerunt. Qui quem ludum iſtic luſerint, vulgò notius eſt, quàm ut expoſitione meâ habeat opus. Duo alii Bartholomæus bibliopegus & Theodoricus doleator Leoardiã Friſiæ pervenere. Hi principio anni M. D. XXXIV convocatis ejus loci Hoffmannicis numero paucis, annunciatâque iis pace, expoſuere miſſionem ſuam, ſuoſq; ἐνθȣσιασμȣ̀ς, & mirifica multa de Enocho Ioanne Mathia homine divino, fidemque ſuperantia, & vocationem ſuam cum apoſtolicâ, ſuum ſpiritum cum ſpiritu in pentecoſte olim effuſo æquipararunt: addidêre præterea, perſecutionum tempus jam finem habere, nec eſſe eas deinceps metuendas: imò nunc tempus illud adeſſe, quo gentem fidelium etiam in terris oporteat triumphare, atque adeò perſecutoribus tyrannis cum fænore duplo accepta rependere. Atque hæc tam aſſeveranter

ac ſeriò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. XXXIV.

ac ſeriò, & cum mirificis verborum præſtigiis pronunciabant homunculi hi, ut ſi quis vel hæſitationis indicium prodere auderet, hunc cum Core Ioanne & Iambre reſiſtere ſpiritui ſancto dicerent; contradicentes autem terribilibus damnationum ac pœnarum minis percellerent; denique hunc metum omnibus incuterent, ut ſinguli vererentur, ne temerè ac improvidè fortaſſis divinæ miſſioni ſe opponerent. Quâ ratione accidit, ut attoniti trepidique omnes ferè qui aderant, eodem iſto die retingi ſe paterentur: in quorum numero etiam Vbbo Philippi fuit, celebris in ſectâ, qui ipſe hæc memoriæ prodidit. Poſtridiè iidem apoſtoli iſtinc jam abituri, retinctis denuò in unum coactis, Vbboni huic Philippi, & Hanſio Tonſori per impoſitionem manuum docendi baptiſandiq; munus tanquam epiſcopis commendarunt. Dein poſt dies octo cum Bartholomæus & Theodoricus jam abiiſſent, venit eôdem tertius apoſtolus à Ioanne Matthia Amſterodamo miſſus Petrus Xylopriſta, qui à ſerrando ligno id nomen Germanicum habuit, eodem legationis munere ſe jactans, iiſdemque dogmatum fanaticorum veſtigiis cum prioribus inſiſtens: à quo, abſente Vbbone cum collegâ tonſore, qui docendi & tingendi causâ in agrum exierant, Theodoricus Philippi, Vbbonis frater vir Latinè & Græcè non vulgariter doctus, atque ideò magnum quoque nomen & fratre majus in ſectâ poſtea nactus, anabaptiſmo eſt initiatus. Sed Petrus cum fortè in orthodoxos, qui Calvini, Zuinglii, Oecolampadii, Melanchthonis, Lutheri libros legerant, incidiſſet, & iis ſe imparem ſenſiſſet, non magno operæ pretio facto à paucis diebus Leoardiâ Amſterodamum ſe recepit. Quo vixdum digreſſo, ſparſo rumore, anabaptiſtas in oppido cætus habere, à magiſtratu clauſis oppidi portis inquiſitio in eos inſtituta eſt, in quâ ſummum periculum Vbbo Philippi epiſcopus ex agro domum tum fortè rediens prope portam adiit. Atque ita vaticiniorum vanitas ſtatim comparuit, teſte ipſo hoc Vbbone. Hæc omnia menſe Ianuario ejuſdẽ anni M. D. XXXIV acta: rurſuſque anabaptiſmus per eum annum in Friſiâ universâ conticuit. Sed in Hollandia circiter Calend. Martii retinctorum multitudo per agrum Leidenſem collecta, ut Monaſterium novi regni ſedem iniret, nõ procul Harlemo diſſipata fuit, multique interempti. Mox in Borea Hollandiæ parte motus eorum compreſſi, plurimi ſuppliciis affecti. Enochus Ioannes Matthias majora ſequens Monaſterium ad novum regnum promovendum profectus: ubi cum ſuis, uti merebatur, malè periit. Apoſtoli verò ejus tres in Hollandiam regreſſi varios illic tumultus dederunt. Nam Ianuario menſe anni ſequentis M. D. XXXV cum fama crebreſceret, novum regnum feliciter ſurgere apud Monaſterienſes, factio horum nolens in Hollandia quoque ſibi deeſſe, conſilium iniit Leidæ occupandæ. Verum detecti conſilii autores circiter XXX conjecti in carceres, alii igne, alii ferro pœnas dederunt. At exemplo iſto non territi fanatici Amſterodami III Non. Februar. in ædibus Ioannis Siberti, quæ erant in via Salaria, ipſo abſente congregati fuere ſacrorum causâ viri VII, fœminæ V. Ex his Theodorus Sartor, quaſi ſpiritu agitatus coram cæteris in pavimentum ſe conjecit toto corpore extenſus, & cum abſque motu jacuiſſet aliquandiu, tandem velut è ſomno profundo excitatus, ſurgenſque, finitis, quas ſimulabat, ardentiſſimis ad DEUM precibus profeſſus eſt, ipſum DEUM in ſummâ majeſtate conſpicuum ſe vidiſſe, omniaque in cœlo & inferno ſibi eſſe perſpecta: jam nunc diem magni judicii adeſſe. Et his dictis ait, veritatem nudam eſſe, ponenda terrena omnia, abjectiſque veſtibus ipsâ nuditate teſtandum fidelibus, eſſe ſe in numero filiorum DEI. Nec mora, ipſo exemplo præeunte, ab omnibus veſtes poſitæ, cunctique quaſi furore correpti toto corpore nudi utriuſque ſexus projecto pudore pariter in publicum ex ædibus ſe ejecere, & per vicos urbis diſcurrentes vociferati ſunt, nova civitas filiorum DEI: agite pœnitentiam, agite

M. D. XXXIV. pœnitentiam: væ væ ſuper omnibus impiis. Quibus clamoribus turbati cives, ignari quid rerum eſſet, cum in publicum concurriſſent ad arma inſidiarum metu, conſpectos phanaticos & comprehenſos in vincula duxerunt. Vincti cauſâ cognitâ à curiâ ſuppliciis affecti. Sed hoc extra Friſiam. In Friſia Tranſlavicanâ ejuſdem ſectæ homines concurſu facto trecenti numero fœminis puerisque mixti ad III Calend. April. nocte concubiâ ſubitò advolantes cœnobium vetus, Bolſverdiæ vicinum, invadunt, occupant, ad defenſionem ſe parant, ſi qui oppugnare velint. Quinimò jactant, hoſtium tormenta directa contra ſe in ipſos hoſtes eſſe reditura: atque hoc à malo dæmone perſuaderi ſibi ſinunt. A biduo deinde antiſtitem cœnobii cum omni grege monaſtico fruſtra monitum ut partibus ſe jungat, & eandem fortunam ſubeat, incolumem dimittunt: abeuntes verò his perſequuntur verbis, velut comminantes. Ite ſanè, ite ad impios, quoniam manere non vultis, ut cum iſtis pereatis. At Scencus de his certior factus ex omni parte regionis populo ad arma vocato cœnobium obſidet; tormentis quatit, denique poſt dies aliquot muro latè proſtrato vi expugnat. Magna multitudo ſectariorum primo fervore trucidati: XXIV juxta cœnobium è patibulo ſuſpenſi, XV capite truncati: Fœminarum multæ Leoardiam in vincula ductæ cum perſiſterent in tuendâ hæreſi, aquâ ſunt ſuffocatæ. Eodem Aprili menſe idem veſanus ſpiritus in agro Groningano ludum luſit longè nequiorem. Vicus eſt in eo agro non vilis Sandæ nomine, in quo villa ruſtica ab aliis paulò remotior juxta aggerem ſecedit. In hanc villam ſub noctem magna multitudo hominum hujus ſectæ confluxerant, ut ſacra ſua peragerent. In horum numero Hermannus quidam homo nullius pretii opificio ſutor in lectum ſe conjecit nudus umbilico tenus, prophetam atque adeò Meſſiam, ac demum ipſum DEUM patrem ſe venditans, qui adeſſet jam, ut ſibi credentes cunctos ſervaret. Cubans verò clamabat tremulâ ac abſonâ voce, occidite, occidite ſacerdotes & monachos omnes, occidite & magiſtratus totius mundi, & maximè eos, qui hic præſunt: reſipiſcite, reſipiſcite; en adeſt liberatio veſtra. Atque iſta indeſinenter ingeminabat attonitis omnibus, qui aderant, ululantemque potius quam clamantem adibant: interimque velut æſtuans ſpiritu ſæpè bibendo ſitim ſedabat. Cumque vulgaret apud ſectarios fama, jam jam appropinquare horam judicii, quâ fideles ſervari, reliquos omnes puniri oporteret, concurrentibus pluribus eadem illa nocte homines circiter CCC retincti ſunt, perſuaſi omnibus pereundum eſſe, qui non retingerentur. Mox adfuit alius ejuſdem farinæ homo hortulanus, viſionem crepans, atque ad lectum jacentis patris accedens, filium ſe DEI eſſe & verum mediatorem afſerebat: dein cum patre ſermocinatus intercedebat pro humano genere, vociferans, ô pater, miſerere populi, miſerere, ignoſce, veniam da: denique cantharo cum cereviſiâ poſtulato pater filio cum propinaſſet, bibe ait, & hauri ſpiritum ſanctum. Et cum hic cantharum evacuaſſet, extollens eum extentâ in ſublime manu, ac de manu in manum transferens, ſaltanſque in turbâ circumſiſtente & venerabundâ, unà cum cubante patre identidem intonabat, perimite carnem vſtram, caro veſtra diabolus veſter eſt: ponite arma, & quicquid ornatus habetis: ecce DEUS jam pugnabit pro nobis, & in novum regnum cœlorum introducet, deſtruetque omnes impios; pecuniam, aurum, argentum, & quicquid hujuſmodi, abjicite, remoras beatitudinis veſtræ: atque hæc abjecta nebulones alii diligenter colligebant. Tum filius in ſedile aſcendens iterabat clamores priores, DEI ſe filium mediatoremque eſſe: ſimulque matrem ſuam, quæ in eo cætu aderat, interrogabat, an non crederet & profiteretur, DEI filium ſe peperiſſe, eamque negantem ita terrebat, ut credere & confiteri ſe, trepide affirmaret. Alium verò non ſuccinentem ſententiæ eidem prehenſum manu in ſalebras ſtercoris bubuli præ-

cipitem

cipitem dabat, dicebatque, Ecce jaces in abyſſo inferorum. Mox aliis atque M. D.
aliis ridicule dictis & factis, demum à valido homine indignante proſtratus XXXV.
in terram multorum pugnis inſigniter contuſus eſt iſte DEI filius, ac vix tan-
dem è manibus ferientium fugâ ſe eripuit. Pater verò paulò poſt in lecto
adhuc recubans à miniſtris magiſtratus occupatus, loroque vinctus, & Gro-
ningam pertractus in carcerem datus eſt: in quo infelicem ſpiritum tan-
quam mente motus, & in veſanis clamoribus ſuis perſiſtens exhalavit. Sic
œſtro illi iis locis finis impoſitus. Eodem anno M. D. XXXV neſcio quid pri-
vilegiorum Nordanis olim conceſſum ab Edſardo, iiſdem confirmatum lego
ab Ennone & Ioanne. Et arx Lengana contra Oldenburgios in extremis
regionis finibus ſita, contra quos extructa quondam fuit, nunc cum alta pax
& amicitia cum iiſdem eſſet, & in perpetuum manſura ſperaretur, & uſus
ejus, ac in eam qui fiebant ſumptus, ſupervacanei putarentur, ex voluntate
eorundem Comitum fratrum funditus eſt everſa. Præfectura Lengana, quæ
exigua erat, Stichuſanæ finitimæ adjecta. Sequente anno M. D. XXXVI, qui M. D.
per ſummam quietem patriæ meæ cum priore traductus fuit, die IV Eid. XXXVI.
Martii in arce Olderſhemia ex hac vita in meliorem emigravit vir perpetuâ
laude digniſſimus Vlricus Dornumanus ætate gravis, belli paciſque artibus
pariter inſignis, literarum bonarum non expers, prudentiâ, fide, juſtitiæ ſtu-
dio ſingulari, pietatis cultor, & purioris religionis amator ac promotor exi-
mius, eorumque, qui huic adhærebant, & ope opus habebant, patronus be-
neficus, patri Siboni ſimilis, fratri Heroni ejuſque filio Balthaſari diſſimilli-
mus: ideò & his inviſus: & ab iiſdem paternâ hæreditate exutus, propterea,
quod patris exemplo Edſardi & filiorum ejus fidem ſequeretur. De quo me-
morari ſæpè audivi, cum aliquando frater ejus Hero armis victus, & in are-
tum redactus ſervaturum ſe pacta & promiſſa Edſardo ad aram juraret, ad
aſtantes in aurem dixiſſe præſentem: atque ego juro vobis, fratrem meum
juramenti hujus fidem non eſſe præſtiturum. Sepulchro conditus eſt in fa-
no Olderſhemio. Prolem ex Eſſa Olderſhemiâ nullam ſuſcepit, ex ſecundâ
conjuge Hymâ Grimerſhemiâ Egerici ſcriptoris annalium ſorore filias reli-
quit duas, Margaretam Chriſtophoro Euſmoano nuptam, Vlrici, Onnonis
& N. matrem, & Eſſam ab impoſtore anabaptiſtâ opificii ſartorii ſeductam,
eique matrimonio copulatam. At Groningæ, & agro Groningano non ea-
dem quies fuit. Nam Carolus Geldriæ princeps concoquere nondum po-
terat rancorem, quem in civitatem conceperat ob negata ſibi in Ennonem
& Ioannem Comites auxilia; & poſt reconciliatam cum his gratiam, fœ-
duſque junctum omne odium in eam verterat, ſed id egregiè ad tempus diſ-
ſimulabat. Erat ejus filius Carolus ex concubinâ nobili genitus, jam aliquo-
ties mihi memoratus in quintum uſque annum exeuntem gubernandæ civi-
tati & agro præfectus, vir multò patre melior, virtuti deditus, optimis qui-
buſque, & primoribus provinciæ percarus. Quem cum cupidini ſuæ minus
promptè parentem animadverteret, & impedimento futurum conſiliis, quæ
animo volutabat, ſuſpicaretur, odiſſe cœperat. Accedebant calumniæ de-
latorum, quibus magis magiſque vulnus illud animi aſperabatur. Inter hos
monachi quidam, & ſacerdotes, quorum præcipuus erat Henricus Norda-
nus Franciſcanorum apud Emdanos antiſtes zelo maligno præ ceteris fer-
vens, de hæreſi Zuinglianâ (nam lumen aliquod veritatis hauſerat, eoſque,
qui à Papa Romano ſeceſſionem faciebant, tacito favore complectebatur)
acerbè eum traducebant, nonnulli etiam, ut crimen gravius facerent, ana-
baptiſticâ contage infectum, quod criminum maximum cenſebatur, clam
calumniabantur. Sed præcipuum erat, quod animum patris urebat, quod
minus prompti obſequentem deſideriis ſuis haud æquis deprehendebat.
Itaque amovere à gubernaculis, & in poteſtatem eum redigere conſtituerat.

M. D. XXXVI.

Quod cum per indicia intelligeret ille, atque animum patris immitem & implacabilem noſſet, abeundi iſtinc, & in tutum ſe recipiendi conſilium ſumpſit. Cum jam abitum pararet veluti ad patrem profecturus, epulum primoribus dedit. In quo cum frontem exporrigeret, dolentibus cæteris ob diſceſſum ejus, & quibuſdam hortantibus ut conſilium abeundi mutaret, & ſtudia ſua, atque omnia, quæ in ipſis eſſent, ſponte offerentibus ad reconciliandum animum patris, gratias egit omnibus & ſui animi non eſſe dixit, amicos moleſtiæ implicare, aut offenſionis periculo objicere ob ſeſe: & fidiſſimis in aures inſuſurravit, inanem eſſe ſpem placandi patris: ſe ingenium ejus optimè noſſe: quinimò, ſi pater ampliſſimus ſibi promitteret, idque literis publicis teſtaretur, iiſque ſigillum adderet formâ maximâ, etiam patellæ alicujus inſtar, tamen ſe fidem ei non adhibiturum. Nec multò poſt, mutatâ veſte ex urbe ſe ſubduxit, atque occulto itinere Dantiſcum contendit, ut quam longiſſimè à ditionibus parentis abeſſet: ibique ſedibus poſitis prope urbem, ductâque conjuge quod reliquum ætatis, exegit. Dicitur etiam tentandæ patris fidei ergo, antequam Groningâ diſcederet, miniſtrum ſuum habitu adornatum ſuo Coverdiam miſiſſe velut longius profecturum, eumque miniſtrum à Selbachio arcis præfecto mandato principis in id inſtructo juſſum eſſe apprehendi: ſed agnito à ſatellitibus Selbachij errore Selbachium puduiſſe, & juſſum diſſimulaſſe, Carolum de animo patris in ſe magis factum eſſe certum. Carolo Ludolfus Couderus à principe eſt ſurrogatus ex nobilitate oppidanâ, apud quem ſemper gratioſus fuit. Quod hunc in finem factum ab eo, ut ſuſpicionem offenſæ novorum conſiliorum à ſe procul averteret. Solet quippe aſtutus princeps aliud plerumque agere, aliud ſimulare, & tum, cum iraſceretur, benevolentiam præ ſe ferre. Fuerat verò ei jam ab aliquot annis inviſa civitatis, totiuſque provinciæ hujus libertas, velut frenum imperii & cupidinis ſuæ, aut obex. Itaque minuere eam quâ arte, quâ vi jamdudum conſtituerat. Maximè autem ob opem bello proximo in Ennonem recuſatam, ut dixi, iſtuc conſilia intenderat. Sed quia videbat occaſione opus eſſe, ne quid majoris ſibi mali accerſeret præcipitatâ re, ejus expectatione totum annum & amplius exegit. Eam tandem bellum, quod in Dania gerebatur, ipſi dedit. Chriſtianus Holſatiæ dux Friderico patri defuncto in regno Daniæ, & Norvegiæ ſuffragiis procerum ſucceſſor datus Haſniam Daniæ regum ſedem, quam Albertus Magalburgius, & Chriſtophorus Oldenb. pro Chriſtierno rege captivo tuebantur, obſidione premebat, & in ſummas rerum omnium anguſtias redigebat. Ad hanc è belli faucibus eripiendam Friderico Palatino Electore duce, cui captivi regis filia matrimonio juncta erat, favente ac vires ſufficiente ipſo Cæſare ingens armorum & claſſis apparatus in Hollandia & Selandia, ac vicinis Belgii provinciis fiebat, à quo ſolo & ſpem obſeſſi & metum obſidentes habebant. Itaque Chriſtianus ſolertiſſimi ingenii princeps, ut hanc tempeſtatem in ſe venturam diſiiceret, clam cum Carolo Geldro, quem domus Burgundicæ inimicum, & opibus regis Galliæ ſuffultum maximè omniũ ad hanc rem idoneum norat, ſocietatem iniit; cum eo pactus eſt, ut turbas quoquo modo in Belgii finibus concitaret, ac in ſe verſis Belgarum animis vim conſilii & apparatus in Daniam deſtinati frangeret. In hanc miles in agro Oldenburgico & vicinâ Weſtfaliâ à præfectis aliquot obſcuri nominis collectus cum jam exercitus aliquam ſpeciem haberet, venientem ad ſe Meinhardum Hammenſem militiâ clarum caput ſibi impoſuit. Is ſpe uberis prædæ incenſum, quâ poterat proximè in agrum Groninganum eum duxit, & Dammonæ conſedit die III Calend. Maij, auſpicia regis Daniæ profeſſus, omnibus circum circa perculſis, & quid id rei eſſet, ignaris, atque ab Hammenſis conſiliis nil tutum exiſtimantibus. Vix quatridui verò quiete illic actâ levis armaturæ manus ſilentio

noctis

M. D. XXXVI.

noctis ad urbem Groningam ab eo miſſa, tumultu ad mœnia excitato ſuburbium maximum Steentillanam & Polanam portam præcingens diripuit, direptoq; flammas inijcit, quibus & reliqua, quæ auferri aut abigi non poterāt, & naves non parvo numero conflagrarunt, & infantes quoq; aliquot in terrore illo repentino periere. Cæſi etiam viri aliquot, qui ſua defendere tentabant, & infelix plebs, cui præter domicilia, ſupellectilem, veſtes, navigia nihil erat, ad mendicitatem redacta. Quinimò flammis ſecūdo vento in ipſam urbem tranſvolantibus, ædes aliquot prope mœnia correptæ terrorem oppidanis auxere. Et cum jam dies illuxiſſet, ſuburbium alterum Ebbinganā & Botteranam portam amplexum in eodem urbis latere, igni datum, calamitaſque duplicata. Ipſe interea Meinhardus Dammonæ ſe cōmunire, proximos quoſque depaſcere, injuriis variis afficere, dein lōgius in omnes partes prædabundos ſuos emittere, & in ſummâ conſilii perplexitate cunctos habere. At civitas inopinâ re attonita, cum à Meinardo præter verborum ludibria nil referret, per celeres nuncios & literas principem de omnibus edocet, mentē ipſius exquirit, ſignificat vulgò ferri, non ſine ipſius voluntate iſta fieri: ſed ſe hactenus id credere non voluiſſe: atque hanc cauſam eſſe, cur nunc hos nuncios emiſerint, ut per eos certi aliquid ab ipſo cognoſcant. Ille contrà diſſimulare juſſum & conſcientiam ſuam, profiteriq;, ſibi cum actionibus Meinardi, & militibus iſtis nihil eſſe cōmune: monere civitatem, ut curam ipſa ſui habeat, ſibiq; conſulat. Interim clam Hacfortum, qui adhuc Eſenæ morabatur, Dammonam quoq; ſe conferre, & in muniēdo loco Meinardo adeſſe, tormentaq; tria grandiora eodem adducere jubet. Simul Meinardus, cum veniſſet ille, vergente jam menſe Majo, emiſſis ad civitatem pariter & agrarios diverſis nunciis & literis edicere omnibus, ut Dammonā veniant ligonibus inſtructi, & operam ſibi præſtent ad Dammonam muniendam; non parentibus graviter comminari, ſe ludens voce & ſcriptis ligonum regem nominare. Oppidani jam certi ex ipsâ re de voluntate Geldri, militem quoq; ſcribere, & ad propellendam vim ſeſe comparare. Quo tempore Comes Enno ſeu ſuis rebus metuens, ſive Groningenſium ſtudio, diurnis nocturniſq; itineribus in Geldriam contendit, ut interceſſione ſua, & gratiâ, quam apud principem jam habere ſe putabat, bellum naſcens dirimeret. At princeps benignè quidem audiit eum, & laudatâ voluntate ejus optimâ reſpondit non alieno, ſed verba tātum nimis credulo dedit. Erclenium autem ſupremum quæſtorem ſuum, & cum eo Præpoſitum Sutphanienſem, ac Ioannem Lindenium inſtructos mandatis Dammonam miſit: Ii iſtuc delati jactabant, ſi Groningani ordinesque agrarii ſatisfacere principi vellent, ſibi facultatem nō defore tempeſtatis ſedandæ. Quapropter ne paci æquæ deeſſent oppidani, placuit Eſſenæ in cœnobio colloquiū inſtitui. In eo Geldri, quos dixi, & una cum iis Hacfortus, oppidanis oſtenderunt, nullam rationem placandi principis ſui eſſe, niſi copiâ factâ & arcis validæ in urbe extruendæ, & Dammonæ mœnibus cingendæ. Quo per delectos ad civitatem relato, fremere omnes, perfidiam principis increpare, ſatis diu toleratos ejus mores, tempus eſſe, ut ſe fraudibus ejus explicent, priuſquā opprimantur. Nec mora vocatis in conſilium agrariorum primis, qui ſe in urbem receperant, conclamatū ab omnibus eſt, repudiato Geldro ad Cæſarē domumq; Burgundicam eſſe trāſeundum: miſſi ſtatim in Brabantiam ad Mariam reginā Bartholdus Entenius, & Hiddo Onſtervus, qui & imperiū Carolo Cæſari Brabātiæ duci ac Hollandiæ Comiti apud eam æquis cōditionibus deferrent, & auxilia in Geldrum rogarent. At illa cōditione acceptâ ſtatim, quam paratam habebat militū copiam bello Danico deſtinatā ad Georgiū Scencum Teutoburgiū, Leoardiæ tum degentē miſit, eumq; juſſit cū proximis & expeditiſſimis Groningā properare. Simul majore ſtudio quā ante, quod hæc res ad incrementū opū domus Burgundicę pertineret (ſegnius

M. D. XXXVI.

enim ferè aliena quam noſtra curamus) milites plures hic illic cõſcribi, & ex-
ercitum augeri præcepit. Nec Scẽcus moratus cum ad Lavicam fl. paulũ re-
ſediſſet, continuato mox itinere cũ paucis ad urbem progreſſus & gaudentib.
& obviam profectis civibus & militibus in urbem deductus eſt primâ noctis
vigiliâ, quæ nox VII Eid. Iunii excepit. Et cum vix luceſceret poſtridie copiæ
militum lentiore itinere ſecutæ ex volũtate ejus urbem prætereuntes Dam-
monenſi viâ tardo gradu præceſſere. Ipſe cum de conditionibus conveniſſet,
ſacris in fano Martiniano auditis, in fanum Walburgicum, quod eodem in
cœmiterio eſt, ingreſſus jurejurando in fidem Cæſaris ſenatum populumq́ue
Groninganum adegit, ac die altero, epulo publico honoratus, hilariterq́; ha-
bitus die III Eid. Iunii cum ſclopetariis oppidanis & cohorte militum à civi-
tate conſcriptâ urbe exiit, & ad exercitum ſuum, qui Witowerumi in cœno-
bio, uti erat juſſus, loco percommodo conſederat, contendit. His rebus haud
parum turbati Geldri, poſtridie ejus diei Dammonâ egreſſi populabundi Fi-
velingium agrum percurrerunt, & Huneſgoniæ quoq; bonam partem perva-
gati Bedumum vicum, inſignem illuſtri fano, fœdè direptum cum ipſo fano
incendio dederunt. Et hinc Poſtam converſo curſu, omnibus illic igni tradi-
tis, ingentiq́; fumo toto illo tractu VVittewerumum verſus excitato, ſub ejus
caligine ſecundante vento in cœnobium ipſum impetum fecerunt, ut Scen-
cum inopinatum opprimerent. Sed fortiter cum ſuis reſiſtente Scenco cum
inſigni clade rejecti amiſſis non paucis Dammonam repetiere. Inde velut ef-
ferati, & obſidionem metuentes commeatum omnẽ ex vicinis agri partibus
in ipſum oppidum Dammonenſe, quod vallo foſsâque jam circumdederant,
cõportarunt, vicos proximos Tiamſueram, Solwerdum, Tucwerdum, alioſ-
que cum templis igne perdiderunt, ne uſui hoſtibus eſſent. Contrà Scencus
auctus novo milite, qui ad eũ confluebat propius preſſurus ipſos caſtra VVir-
dumum movit, vicumq́; illum cõmodè poſitum non procul Dammonâ cir-
cumvallavit. Verum Geldris nihilominus longè lateq́; excurrentibus & præ-
dantibus, & ea, quæ Balthaſar Eſenâ ſubmittebat, excipientibus, atque in op-
pidum inferentibus, ut id impeditum iis redderet, copiarum partem cum
ſclopetariis Groninganis in reliquias vici Tiamſuerumani duxit, ibique val-
lum jacere, & caſtra habere juſſit: cum parte aliâ militum Farmſumum pro-
fectus arcem ejus loci nullo præſidio defenſam occupavit, ſimul miſſo inde
ad præfectum caſtelli Delfſilani tympaniſta dedi ſibi caſtellum popoſcit;
cum Collertus præfectus ferocius reſponderet, admoto milite & tormentis
in caſtellum directis ita conterruit eum, ut ſine pugnâ deditionem extorque-
ret, poſtridie Nonarum Iulii. Id ſpem & rem Geldris plurimum infregit,
qui per eum portum ſubſidiorum copiam expectabant: præſertim cum in
recuperando loco omne ſtudium, doli omnes, quos iſtuc verterunt, ipſis
periiſſet. Acceſſit incommodum quoque aliud. Nam Antonius Olbenb.
ſtipendio Burgundico recens autoratus petente Mariâ reginâ cohortes mi-
litum quatuor ad augendum Scenci exercitum eodẽ illo tempore per agrum
ſuum colligebat. De quo Hammenſis & Hacfortus edocti manum ſuorum
ſatis validam emiſerant per Friſiam Orientalem, quæ inermes adhuc & ſine
ordine ac ſparſim agentes, & vixdum ſemiplenas diſſiparet, concideretq́ue.
At Antonius raptim ad arma vocatis ſuis eam ipſam ita excepit, ut trepidâ
fugâ ſibi conſulere neceſſe habuerit: pereundumq́ue omnibus fuiſſet, niſi
is, qui eo tempore arci Freburgicæ pro Ennone præſidebat, perſequentium
& cedentium Oldenburgicorum vim, quod ei juxta arcem in viæ anguſtiis
erat perfacile, in Geldrorum gratiam inhibuiſſet. Iſto verò periculo libe-
rata, difficili itinere Leram reverſa, trajecto illic Amaſo, celeriterq́ue ſupe-
rioribus agri Reidani ſuperatis Dammonam repetiit non ſine ſummo diſ-
crimine à Scenco. Atque hanc ſtatim Antonius Oldenb. ſubſequutus co-
hortes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

hortes eaſdem jam benè armatas nemine impediente Scenco ipſe adduxit, M. D.
domumq́ue rediit. Paulò poſt rumor increbuit, à rege Daniæ Chriſtiano XXXVI.
exercitum bis millium militum ſubſidio venire obſeſſis. Quamobrem, ne
quid detrimenti acciperetur, à Scenco quam celerrimè Tranſlavicani Friſii
Oſtergoi, Weſtergoi, Sylveſtres, & omnes Ciſlavicani ad arma vocati, & ad
Dammonam ſe ſiſtere juſſi ſunt. Qui cum in tempore adeſſent, exceptis
Weſtergois, qui Lavicam terminum provinciæ ſuæ, quod id contra leges
eſſe dicerent, tranſire non voluere, Scencus his in cuſtodiâ caſtrorum reli-
ctis cum multò maximâ exercitus ſui parte adventantibus Holſatis obviam
ipſe contendit, iiſque in agro VVeſterwoldio nihil minus opinantibus oc-
currit VI die Eid. Auguſti, mox re inexpectatâ turbatos ſubitò, & magno
animo invadit, cædit, fugat, diſſipat: magnum quoque numerum capit, & in
his non paucos centuriones, viroſq́ue genere nobiles: in quibus & Bredo
Ranzovius Ioannis Ranzovij illuſtris equitis filius, & Georgius Munſterus
Weddanæ arcis præfectus, ſummi exercitus hujus duces fuere. Hac victoriâ
feliciter partâ, atque omni periculo diſcuſſo triumphans in caſtra revertitur,
eoſque, quos evocaverat, ob ſtudium & fidem collaudatos cum ampliſſimis
promiſſis domum remittit. Eodemq; tempore Fridericus Palatinus Elector
de fortuna ſoceri ſui captivi, & belli, quod in Dania gerebatur, ſollicitus, qui
poſtridie quam pugnatum in Weſterwoldiis fuerat, Groningam venerat, in
caſtris eum adiit, & iis, quæ volebat, cum eodem conſtitutis ſine mora in
Hollandos & Selandos ad claſſem abiit, in Daniam navigaturus, ut Hafniæ
ſuccurreret, neſcius eam jam Chriſtiano regi ſe permiſiſſe. Sed à paucis die-
bus re intellectâ triſtis Bruxellam, atque inde domum rediit. Tum verò mi-
lites Dammonæ incluſi, deficiente jam commeatu, & fame inſurgẽte, omni
ſpe reliquâ abjectâ, de deditione cœperunt cum victore agere. At victor du-
ram deditionis legem ferre, ut ſuo arbitrio permittantur omnia: illi contra
res ſuas oppidanorumq́ue ſalvas poſcere, eoq́ue non impetrato captivitatem
ſaltem & ignominiam recuſare, in cæteris cedere: Tandem increpãte Scen-
co, nec quicquam largiente amplius, iſtuc deſcendere, quò trahebat neceſſi-
tas. Convênit verò ſic, *ut militiæ duces Meinardus & Hacfortus conditionibus cer-
tis in vincula Scenco tradantur: reliqui cohortium præfecti ac milites ſolo enſe accincti,
& loricati, cætera inermes & captivorum inſtar, virgam albam gerentes ſine ſarcinis ex-
eant; reliqua, quæ habent, arma, prædas, captivos, ſyngraphas, & præter hæc tormenta
cum inſtrumento & apparatu, & ſi quæ hujus generis alia, in oppido relinquant: nec intra
menſes tres in Cæſarem militent: oppidani Dammonenſes malè ſibi conſcij (non pauci enim
cũ Geldris ſenſerant, protervinſq́; egerant, & populationibus vexaverant vicinos) eâdem
conditione cum militibus egrediantur: cæteri manere volentes excuſandi ſui & experiun-
dæ gratiæ facultatem habeant: de his, totoq́; oppido ad Mariam reginam, & ſenatum Cæ-
ſaris referatur*. Acta hæc poſtrid. Non. Septemb. Meinardus & Hacfortus vincti
à ſuis ad Scencum ducti, cæteri, ut cõvenerat, egreſſi. Dammonenſes gratiam
victoris precati, præſidium militum in oppidum immiſſum, cui Hanſius Heſ-
ſus præfectus. Regina Maria cum Cæſaris ſenatu de omnibus per literas à
Scenco edocta. Ipſe Scencus non expectato reſponſo, aut mandato ulteriore
triduo poſt Weddam exercitum duxit Geldrico præſidio inſeſſam, eamq́ue
decem diebus obſidione preſſam deditione in poteſtatem redegit. Mox ex-
ercitu eodem Coverdiam præmiſſo, quæ & ipſa à Geldris tenebatur, quibuſ-
dam etiam Kincherſtum ire juſſis, Groningam cum paucis repetiit, ubi à con-
juge Ioannâ Egmondanâ expectabatur. Ibi reginæ & ſenatus Cæſarei re-
ſponſum ad eum pervenit, ex quo Meinardus & Hacfortus, ne conſilia inter
ſe conferre poſſent, ſeparatim in Brabantiam miſſi. Cætera mandati fuêre, ut
Weddam, ſi queat, occupet (id jam factũ erat) Meppelam quoq; in poteſtatẽ
redigat: Coverdiã ſi ſubitò capere nõ poſſit, duob. caſtellis è regione excitatis

M. D. XXXVI. premat per hyemem, præſidiiq; ejus ſumptus ex Drentia conficiat: Drentiam
ſacramento obliget: Depenhemum, ſi commodum ſit, recuperet: quibus
,, confectis exercitum in Geldriam ducat, & mandata ulteriora expectet. De
,, Dammonâ decretum, quoniam munitiones eo loco oneri tantum ſint ſine
,, uſu aut commodo ullo, eoſdemque caſus periculoſos referre queant, ut hæ
,, operâ Groningẽſium & ordinum agrariorum ſolo æquentur. Ea opera Heſſo
,, demandata à Scenco, & ſine morâ confecta. Ad hæc eidem præceptum, ut
,, Dammonam ipſam totam, domos, & quicquid in eâ ædificiorũ, diruat, ever-
,, tat, exſcindat. Sed intercedentibus apud ipſum amicis, quibus id durum vi-
debatur, executio ejus præcepti dilata ad tempus: denique ſupplicantibus
Dammonenſibus hæc gratia facta ab aulâ, ut ædificiis parceretur. In tanto
tum diſcrimine Dammona fuit, propterea quod oportuna, tumultuantibus,
& quieti publicæ infeſtis, fortunæque Groninganæ inimicis eſſe crederetur.
At Scencus à paucis diebus Groningâ relictâ ad exercitum cõtendit, Cover-
diamque, ad quam cratibus jactis per paluſtria, quæ invia putabantur, viam
ſibi præter omnium opinionem ſtravit, tormẽtis verberatam, oppugnatam-
que intra bimeſtre eò quoque neceſſitatis redegit, ut Ioannes Selbachius ar-
cis præſidiiq; præfectus cum præſidiariis de defenſione pariter, & auxiliis vẽ-
turis deſperans deditionem fecerit. Præfectus cum præſidio liber & incolu-
mis in Geldriam dimiſſus, nec quicquam rerum ipſius violatum aut reten-
tum. Tormenta, & cætera, quæ principis erant, ex pacto deditionis in arce
relicta. Hâc re celerius ac felicius quam ſpes fuerat, confectâ, cum ex ſpecu-
latoribus cognoſceret, à Geldriæ principe milites colligi prope Daventriam,
iſtuc agmine levis armaturæ rapto, cœptum illud diſturbavit, milites in fugã
diſperſam dedit. Atque illic extemplo Tuentiam petẽs Depenhemum pen-
ultimo Novembr. die cepit. Simul alia manus ab eo emiſſa pridie Calend.
Decembr. Kinchorſtum ad Meppelam deditum occupavit. Nec quicquam
jam reliquum etiam per Drentiam & Tuentiam fuit, quod Cæſaris imperio
adverſaretur. Parendi leges, quibus civitas Groninga, & agri vicini ordines
Amaſo & Lavicâ clauſi in fidem Caroli Cæſaris, Brabantiæ, Hollandiæ, Se-
landiæ, Tranſlavicanæ, Friſiæ principis, & hæredum ejus conceſſerunt, & in
quas apud Scencum gubernatorem jurarunt, fuêre hæ. *Civitas omneſq; hujus*
provinciæ ordines, retinerent jura, & privilegia ſua per manus à majoribus accepta, le-
ges patrias, ſtatuta, conſuetudines: imperium præfecturæ veteris, & Selwerdicæ ſuburba-
næ eſſet ac maneret civitatis: munitiones per agrum omnes quæ jam eſſent, everterentur,
nec aliæ in futurum extruerentur, niſi id defenſionis requireret neceſſitas: domus princi-
pe digna ſed inermis & immunita Cæſari ædificaretur in urbe, ſumptibus provinciæ totius:
reditus ex agro ſolverentur Cæſari & hæredibus ejus quotannis duodecies mille aureorum
Carolinorum. Drentinis quoque ſub imperio ejuſdem Cæſaris & ſucceſſorum ejus jus
priſcum ex pacto relictum. Atque hic tam celer victoriæ curſus ut Scencum in-
ſigni gloriâ auxit, ita Geldriæ principis animum & fortunam infregit. Vnde
porrò accidit, ut hic reliquis ditionibus & rebus ſuis metuens ultrò pacem
cum Cæſare domoque Burgundicâ quæſiverit. Eaque pax confecta eſt ad
diem IV Eid. Decembr. ejuſdem anni, & poſt ſeptimum deinde diem Gro-
ningæ publicata lætiſſimis omnium animis, quos bellorum tædium ceperat.
Ex hac pacis conventione Gelder fœderi Gallico, Holſatico, cæteriſq; omnibus, ſi quæ ha-
bebat contra Cæſarem Cæſariq; parentes, renunciavit jus quoq; omne in civitatem agrum-
que Groninganum, item in Drentiam Tuentiamq; abdicavit, ac Cæſari ejuſq; ſucceſſori-
bus in Belgio reliquit. Quinetiam Cæſarem omnium opum ac ditionum ſuarum hæredem
nuncupavit, ſi contingeret ſine legitimâ prole maſculâ ſe diſcedere. Sed ſtipulatus vi-
ciſſim eſt, ut intereà, dum ipſe viveret, Cæſar titulo ducis Geldriæ & Comitis Sutfa-
niæ abſtineret: idem proceſſione omnium actionum veterum & novarum numeraret ei
ſemel XXXV-*millia aureorum, & præterea in annos ſingulos millia duo: Vltrajectini*
quoque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

quoque ipſi ſolverent millia aureorum XX. *Captivi dimitterentur utrinq; gratis : partis* M.D.
utriuſque ſocij eâdem pace comprehenderentur: denique his pactis ipſe Cæſar & ſoror ipſius XXXVI.
Maria, & Carolus Geldriæ princeps ſubſcriberent. Extemplò verò ſubſcripsêre hinc Florentius Egmondanus Geldri agnatus, illinc Chriſtophorus Morſenſis cum pluribus aliis utrâque à parte, qui pacem conſcivêre. Ita Meinardus Hammenſis & Hacfortus, cæteriq́ue captivi è vinculis dimiſſi. Sed Gelder ut adverſo animo pacem hanc iniit, ita more ſuo non diutius ſervandam ſibi putavit, quam cogeret neceſſitas. Nam ut hæredem domum Burgundicam relinqueret, quam ſupra omnes homines oderat, id in animum ſuum inducere nullo modo potuit. Francos autem ut hæredes haberet, hoc enixè deſiderabat. Eodem iſto anno, quo hæc in his partibus geſta ſunt, gravi bello inter Gallicos & Cæſarianos ad Peronam & Terovanam in finibus Picardiæ variâ fortunâ decertatum fuit: & Franciſcus Galliæ rex avunculum ſuum Sabaudiæ principem magnâ ditionum parte ejecit, & Cæſar regem ulturus ipſe Galliam ingreſſus Maſſiliam tentavit, atque ad Rhodanum uſque cum exercitu penetravit: ſed re infectâ in Italiam reverſus Octobri menſe in Hiſpaniam navigavit. Daniæ quoque rex Chriſtianus III vergente menſe Iulio Hafniâ potitus finem bello Danico impoſuit, ac Albertum Megalburgicum, Chriſtoferumq́ue Oldenb. qui Hafniam defenderant, cum ſummo ipſorum honore dimiſit. Fœdus etiam Smalcaldicum inter principes Germaniæ proteſtantes, cum ſexennium, in quod percuſſum fuerat, exiſſet, in decennium proximum menſe Decembri eſt prorogatum. Ad hæc Lubecæ reſp. prioribus magiſtratibus, qui per ſeditionem civitate aliquot ante annos ceſſerant, reddita fuit, & pax cum Danis & Suecis reparata. Interim Emdæ & in Orientali Friſiâ, ut iſtuc tandem revertar, Luneburgici, quos ſic vulgò vocabant, abutentes imperio Comitum, qui Geldro ſatisfacere cupiebant, propoſiti ſui tenaces eccleſiam turbare pergebant: & in hanc rem alios ſui ſimiles, atque etiam deteriores aliunde evocatos ſibi jungebant. In his erat Nicolaus Cragius homo turbulentus, qui prioribus annis à Mindenſibus ad docendam eccleſiam ex Hoijenſi ditione accerſitus tan. importunum factioſumq́ue ſe geſſerat, ut iidem illi, qui accerſiverant, neceſſum habuerint, urbe eum rurſum expellere. Hic in ſuggeſtum indulgens genio ſuo, tanquam ſus in hortum immiſſus, ſic rem geſſit, ut ipſos penè Luneburgicos, & Luneburgicorum patronos ejus puderet. Atque hac cruce graviſſimâ tum temporis preſſa eſt eccleſia Emdana, cæteræque totâ regione illâ, ut turpiſſimo fœderi Geldrico plenè parentaretur, quo tempore in reliquâ Germaniâ de tempeſtatibus hujuſmodi ſe dandis, tollendiſq́ue diſſenſionibus inter theologos Melanchthonis & Buceri ſtudio, annitentibus ipſis principibus ac civitatibus primariis, laboratum fuit, ipſaq́ue conſenſio etiam conſtituta. Anabaptiſtæ, capto Monaſterio, primoribuſq́; ſectæ ſupplicio affectis, in hac orâ variè cœperunt inter ſeſe diſſidere. Nam uti jamdudum, ita etiam tum Hofmannus & Hofmannici Enochi Hollandici Ioannis Matthiæ, ſectatorumq́; ejus ſpiritum actaq́; violenta vehementer improbabant, & hoc, quod jam acciderat, Monaſterienſibus ominati erant. Statuebant verò in externis novandum nihil, priuſquam apoſtoli novi cœleſti ſpiritu rurſum inſtructi, ut olim acciderat, prodire cōſpicerentur: magiſtratus verò ordinem, uſum gladii, contractuum jus, & ſimilia alia, non minus nunc in novo teſtamēto, quàm olim in veteri legitima eſſe, ac locum inter fideles habere. Quidam vero, quos ſpiritus Ioannis Matthiæ genuerat in Friſia Tranſlevicana, non ſolum ob turbulenta hujus Enochi ſui, & Ioannis Leidenſis Monaſterienſium regis cœpta cœptorumq́; exitus infelices, ſed etiam ob cōpertam jam ſæpè vanitatem oraculorum Hofmanni & Hofmannicorum, de veritate doctrinæ & ſpiritu ipſo partis utriuſq; dubitare multū, dubitationemq́; ſuam aliis aperire

 incipie-

M. D. XXXVI. incipiebant. In his ante cæteros erant Vbbo Philippi ſæpè jam antè memoratus, ejuſq; frater Theodoricus vir cumprimis literatus, uterq; epiſcopus inter ſectarios, ſacerdote Leoardiano ex concubina nati. Et iis acceſſit Menno Simonis, qui ſacerdotio apud Witmarſenſes prope Bolwerdiam recens abjecto, anabaptiſmo ſe dederat, & ab Vbbone hoc demũ anno M.D.XXXVI. inter epiſcopos relatus erat. Qui cum liberius etiam reprehendere nonnulla ſenſim ordirentur: alii autem, ut fit, tueri iſta niterentur cæco ſtudio elati, contentio inter eos enata eſt, ſectaque ſciſſa in partes duas. Eas verò uſque adeò in ſe accendit odium mutuum, ut non ſolum alteræ alteras damnarent, ſed etiam communem cibum ſumere eâdem in menſa alios cum aliis nefarium putarent: qui Monaſterienſia tuebantur ex illa flamma elapſi, aut iis addicti, Vbbonis ſectatores apoſtatas & antichriſtos, hi contra illos ſeditioſos, & furioſos latrones vocitabant. Diſſentiebant autem in duobus potiſſimum capitibus doctrinæ: de regno ſcilicet Chriſti, quale id ſit, & quænam ejus inſtaurandi ratio, deq́; polygamia, ac divortiis ob malos mores, & diverſam fidem. Et his accedebat diſcrepantiæ aliquid de rebaptiſatione. In cæteris ferè, quæ hæreſeos iſtius erant, inter ſe omnes conſentiebant. Infantium baptiſmum cenſebant veri baptiſmi abuſum eſſe: in cœna Domini præter ſymbolũ profeſſionis & caritatis mutuæ nihil ſtatuebant: Chriſtum hominem factum ex ſubſtantia matris nihil aſſumpſiſſe, nihil traxiſſe docebant: liberum arbitrium in ſpiritualibus homini cuivis integrum conſtare, & poſſe eum legi DEI ſatisfacere ſentiebant. At polygamiam cum promiſcuo divortio Vbbonitæ & Hofmannici concordes damnabant, Monaſterienſes aſſerebant. De regno Chriſti verò & iſti inter ſe diſſentiebant, inq́ue partes ſeceſſerant, & hi non unum & idem omnes ſtatuebant, aut ſaltem in agendi modo multum inter ſeſe differebant, ſtudiiſq́; diverſis diſiungebantur. Sic factiones Anabaptiſticæ, quæ communi ſectæ ejuſdem nomine cenſebantur, extitere quatuor. Ex his Vbboni adhærentes, qui deinde in nomen Mennonis abierunt, docebant nullum alium regni Chriſti ſtatum in his terris nobis fingendum expectandumve eſſe, quam qui hodie eſſet ob oculos, obnoxium ſcilicet perſecutioni: nec expectandam aliam extraordinariam apoſtolicæ autoritatis vocationem; ſed, quos populus retinctorum ad docẽdum verbum, & adminiſtranda ſacramenta vocaret, hos poteſtatem eorum legitimã habere: dogma verò de novo ſpiritu apoſtolico effundendo, deq́ue reſtituendis omnibus per vim, quod in ore & in corde haberent Hofmannici æquè ac Monaſterienſes, phanaticum & ſeditioſum eſſe: deniq; anabaptiſmum eſſe neceſſarium, utpote legitimum, & ab ipſis apoſtolis inſtitutum. At Hofmannici per Rheni tractum, Hollandiam, Brabantiam, Angliam, ac regiones alias diſperſi hæc turbantur, miniſteriũ eorum, qui hactenus per Germaniã rebaptiſaverant, eſſe opus rude & imperfectum, quale erat apoſtolorum ante ſpiritum S. acceptum in pentecoſte: id verò veniente rurſum ſpiritu illo eodem à miniſterio novo ac majore ſuperatum iri: tum per apoſtolicos viros novos novam Hieroſolymam inſtaurandam eſſe, iiſq; templum operiendum, & viam ad nuptias agni patefaciendam, de quibus apocalypſis cap. XI, XIX: prius tamen omnem Ægypti primogenitum, regnum ſcilicet papale, cum defenſoribus ejus, abolendum: Atq; hoc futurum ducibus præcipuè duobus orbis Chriſtiani regibus, quorum alterum ſignabant Chriſtianum Daniæ regem, cui ſuum in apocalypſin Ioannis commentarium Hofmannus dedicaverat, alterũ ſilentio premebant: Horum favore ac præſidio viros iſtos apoſtolicos Argentinæ præparatos ritè, & ſpiritu illo expectato indutos habituros poteſtatẽ euangeliſandi per totũ terrarum orbem: ut miniſterium rebaptiſantium ante miſſionẽ hanc ſpiritus, ita anabaptiſmum ipſum rem rudẽ & inchoatam eſſe, duraturam ad adventum uſq; perfectoris, ideoq; eum nec urgendũ eſſe, nec cõferendum niſi enixè fla-

gitantibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

gitantibus, Monaſterienſes omnes ſtatuebant conſummatum jam eſſe tempus illud, in quo affligendi fuerint ſancti: Nunc adeſſe tempus meſſis, in quo Deus ſuum populum liberaturus, & hoſtes ipſius ipſi ſubjecturus ſit, idque eodem & modo & inſtrumẽto, quo illi populum eundem antea oppreſſerint, vexarintq;: Gladium enim ab illis contra populum ſanctum DEI è vaginâ extractum in corda ipſorum converſum iri: Iam igitur arma non ſolum ſumenda ad ſanctorum defenſionem, ſed etiam ad offenſionem impiorum, ultionemque injuſtitiæ, ut terrâ ab omni impietate, injuſtitiâ, violentiâ repurgatâ, pietas, juſtitia, & ſanctitas vigeant ubique, & regnent. Sed & hi, ut oſtendi, in factiones erant diviſi duas. Nam qui ex clade Monaſterienſi ſupererant, alii ſententiam quidem eandem animis retinebant, ſed malis frequentibus & magnis correpti abdebant eam, nec facile ſinebant ad nova capienda conſilia ſe impelli: alii verò ferventiores velut furore manifeſto agitati amentium inſtar ferebantur, ferrumque & flammas in ore pariter ac manu expedita habebant. In quorum numero princeps erat Ioannes Theodorici Batenburgius parente ex nobili familia Batenburgica, ſed notho genitus, efferi & crudelis planè animi vir. Is affirmabat, ſe ad inſtaurandum Chriſti regnum Monaſterii collapſum, divinitus eſſe excitatum, atque hanc ob cauſam facile apud eos, qui in eâdem erant expectatione ſeditiosâ, in admirationem venit. Hos in factionem ſuam adſcitos, ac ſibi devinctos arctius, educebat aliquando, ut fana diriperent, & quicquid in villis aut pagis incuſtoditum invenirent, id auferrent ſecum, aut etiam perderent. Hujus factionis inſtitutum erat, in delinquentes fidei ſocios ferro vindicare, in adverſariorum, aut apoſtatarum ædes clam irrepere, vel etiam vi irrumpere, hominesque promiſcuè in cubilibus jugulare, aut ædium foribus occluſis incendio ſuffocare, aut ædibus extractos ab arboribus ſuſpendere: eaque ſæpe opere patrabant, atque ita non ſolum ruſticorum vulgo, ſed etiam magiſtratibus ac præfectis formidabiles ſe præſtabant, Batenburgici à duce ſuo vulgò dicebantur. Huic furori qui aſſentiri, ſecumque conſpirare nolebant è reliquiis Monaſterienſium, hos Batenburgius tepidos, ignavos, apoſtatas, perfidos denique nuncupabat, dicebatque una cum mundanis cæteris brevi trucidandos eſſe. Porrò omnem functionem rebaptiſandi, impertiendique abſolutionem prorſus abrogaverat, dictitans pacem & gratiam in terris ablatam fuiſſe ab eo tempore, quo Ioannes Bucoldus Monaſterienſium rex gladium, quem regius adoleſcens per menſem manu ſiniſtra portaverat, in dexterum latus transferri juſſerat: Eo enim ſignificatum fuiſſe, ſatis diu viguiſſe Euangelii gratiam, quam qui repudiaſſent hactenus, eos jam deinde ferro perituros eſſe. Hos autem, licet jam cooptari in numerum filiorum DEI non poſſent, ſi maximè ſe ſponte populo Batenburgico adjungerent aut ſubijcerent, tamen ad exemplum Gibeonitarum, ab injuriâ Iſraelitarum ac nece vindicatos, ipſis ſervituros eſſe. Quo modo dum furerent paſſim Batenburgici, ut furor furorem ferè gignit, & exemplo creſcit, exorti ſunt quoque alii in utroque ſexu, qui ſimilem autoritatem ſibi vindicabant. Quos inter aurifaber quidam fuit Ioachimus nomine, qui Veſaliæ ad Rhenum per domos oracula promebat, honeſtaſque familias ſibi devinciebat, donec magiſtratui indicatus, ac in vincula conjectus tandem capite pœnas dedit. Erant verò utraque in Friſia, item in Tranſiſelanâ regione, in Geldriâ, in Weſtfaliâ & aliis in locis doctores, Monaſterienſium ſeditioſa dogmata probantes, docenteſque, qui tamen huic latronum ſocietati ſe non conjungebant. Hæc tam fœda *σύῤῥαξις* & colliſio in confuſionem ac dedecus fanaticæ ſectæ immiſſa divinitus fuit eo tempore, magno bono mortalium: vanitatem enim totius ſchiſmatis ac novi ſpiritus omnibus videre volentibus conſpicuam fecit, ne decipi poſſent, progreſſumque ejus plurimum ſanè impediit. Quâ re permoti qui in ſectâ cordatiores erant, de tollendo ſcandalo,

M. D. XXXVI.

M. D. XXXVI. id eſt, compoſitione qualicunque diſcordium partium tentandâ ſeriò cogitarunt, tandemque ſtudio ac induſtriâ ſuâ effectum dederunt, ut communi conſenſu locus deſignatus ſit, ad quam certo tempore, ſcilicet menſe Auguſto anni 1536, quo ferbuit quoque actio concordiæ inter Lutherum & civitatum nonnullarum Germaniæ ſuperioris doctores, omnium partium anabaptiſticarum præcipui antiſtites aut doctores convenirent, placideque de rei ſumma inter ſe conferrent. Locus conventui deſignatus fuit vicus in Weſtfalia non procul oppidulo Bucholto diœceſeos Monaſterienſis. Eò venere è Friſiâ Tranſlavicanâ tres, ex Geldria & regione Trãſiſalana totidem: ex Anglia duo, ſed natione Belgæ: ex Weſtfalia etiam aliquot, numero incerto. Ex Hollandia cum pluribus aliis adfuit David Georgius Delfenſis opificio vitrarius, ingenio ante omnes vafer, ſui admirator magnus, gloriæ cupidiſſimus, nuper adeò in urbe patria epiſcopus ſectæ anabaptiſticæ ab Vbbone Philippi deſignatus. Argentinenſium nemo venit, quod ſomniis territi, qui miſſi erant, in itinere ſubſtiterint. Nec Vbbo ejuſque ſectatores ob metum inſidiarum in capita ſua voluerunt conventui intereſſe. Poſtremò Batenburgius haud abs re ſuſpicatus, ſuam ibi doctrinam damnatum iri, & ipſe quoque abeſſe maluit, miſſo tantum ſuorum aliquo, qui quid ageretur, exploraret, atque ad ſe referret. Cum conveniſſent omnes, diſceptatum inter eos acriter de polygamia, ac corporali regno Chriſti, quæ Hofmannici, ac præcipuè illi, qui ex Anglia aderant, vehementer impugnabant: ſed non minore contentione à Monaſterienſibus, in quibus erant Friſii, Geldri, Weſtfali eadem defendebantur. Quæ diſputatio eouſq; efferbuit interdum, ut periculum videretur, ne Monaſterienſes irâ ac furore provecti in Hofmannicos irruerent, cædemq; patrarent. Sic enim habet ſpiritus eorum, gladios ut corripiat facilè, ſi occaſio ſit, & armis quam argumẽtis pugnare malit. Huic contentioni acerbæ & periculoſæ David Georgius, quem dixi, ſe interpoſuit. Is enim naturâ non tam pugnax ac præceps, quam callidus, ac ſedatus, & temporibus, locis, hominibus ſervire gnarus, ſolâ gloriæ cupiditate fervens, & malo quoque ſuo à calidis ac præcipitibus abſtinere edoctus (nam linguam à carnifice Delfenſi perforatam, ob reprehenſos liberius ſacerdotes in ſolenni circumgeſtatione panis myſtici publicâ in viâ ac idolatriæ accuſatos gerebat, vixq; ſupplicium capitis gratiâ nonnullorum ſenatorum evaſerat) & jam aliquod nomen per Hollandiam habẽs apud eos quibus papatus erat inviſus, præſertim ob compoſitas vulgataſq; ab eo cantiones non paucas de rebus ſacris, is, inquam, cum lite non delectaretur, & ſectæ communis interitum ex contentione ejuſmodi metueret, quinimò occaſionem parandæ famæ, atq; autoritatis hinc ſibi exiſtere poſſe ſperaret, de componendo quoquo modo infauſto diſſidio ſedulò cogitavit, omniaque tentans, ut id effectum daret, ſummâ incubuit diligentiâ. Sed cum actionem cœptam ob morbum popularem ſerpere illic incipientẽ ad finem perducere non poſſet, eò tamen rem deduxit, ut manente ſententiarũ diverſitate, pax nihilominus inter Hofmannicos & Monaſterienſes ſanciretur: Cujus formula hæc fuit. Quandoquidem in multis, iiſque præcipuis dogmatibus anabaptiſticis idem partes ſentirent, cõtroverſia verò in duobus tantum capitibus reſideret, abſtinendum eſſe ab omni acerbiore contentione; Et DEUM interea rogandum, ut in hac quoque controverſiâ lumen accendat, & concordiæ viam oſtendat; deinde temperandum à vindicta, damnandamq; licentiam illam ulciſcendi injurias, exercendi judicia, ſumendi pœnas capitales privatim de ſontibus aut reis, diripiendi fana, & facinorũ ſimilium: Item, anabaptiſmi uſum à Batenburgicis ad tempus ſuſpenſum impartiendum iis, de quorum pietate cõſtet. Formulæ autor & ſcriptor fuit ipſe David Georgius. Quo nomine cum inclareſceret fama ejus apud omnes anabaptiſticæ ſectæ factiones, & gratia quoq; augeretur,

ipſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ipſe gloriola titillatus, ac majora captans, libellum poſtea emiſit, in quo de controverſis capitibus ita diſſeruit,ut veluti medius incedens varietati opinionum, quantum poſſet, mederetur. Sed hoc ſtudio partium odia utrinque in ſe concitavit, Batenburgius enim dictitabat, quod prætextu & illecebra concordiæ animos redderet ambiguos, atque hoc modo remiſſiores quoque efficeret ad arma ſumenda pro reſtituendo regno Chriſti: Ideoque Davidem vocavit Abſolonem, qui blanditiis animos anabaptiſtarum furtim ſibi conciliaret, ſeque divinitus miſſum impediret, tardaretque in opere illo divino fæliciter jam cœpto, ac homines ad defectionem ſollicitaret. Contra, Hofmannicis in ſuſpicionem venit, quod idem ageret ac moliretur cum Batenburgio, niſi quod inſtitutum ſuum callidè tegeret, aut certè quod nimio concordiæ ſtudio concederet nonnulla Monaſterienſibus, quæ ſine veritatis jacturâ concedi non poſſent, atque ita Batenburgenſium inſaniam juvaret potius, quam reprimeret. Denique id accidit heic Davidi quod ſolet ferè iis, qui ſe confligentibus medios interponunt,de quibus proverbio dicitur, quod utrimque vapulent, ac malum ferant. Et hinc cauſa fuit, cur quatuor factionibus iſtis, quinta paulò poſt à Davide Georgio ſit addita ex ipſius nomine Dauidiana vulgò dicta, poſtea etiam ab uſurpatione libertatis nefariæ libertina nuncupata. Verum ex quatuor prioribus Monaſterienſis & Hofmannica jam dudum evanuere aut mortuis earum ſectatoribus, aut eccleſiæ orthodoxæ adjunctis. Batenburgici etiam oppreſſi. Mennonitæ longe lateque ſparſi & in varias familias diviſi, cum tempore inclaruere. Davidiani quoque verſipelles, & in omnem ſe formam mutantes, & caligine ſe operientes, larvatis ſimiles frequenti numero ad nos uſque pervenere. Hęc libuit de ſecta anabaptiſtica prolixius hoc loco recitare à rebus noſtratibus iſtius temporis non aliena, ut ea, quæ paucis nota ſunt, vulgò non ignorentur. M. D. XXXVI.

RERUM FRISICARUM HISTORIAE

Liber LVIII.

ANNO M. D. XXXVII totâ jam Friſiâ ab armis quietâ, & pace inter Geldros domumque Burgundicam compoſitâ, quam ſuis quoque rebus commodam exiſtimabat, Comes Enno ut ſibi ac liberis in futurum etiam conſuleret, novas curas verſare, ad Ieverana atque Eſenſia reſpicere denuò, & num qua ratio eſſet propiùs ea ſibi ſuiſve jungendi, expendere diligenter: ante omnia verò, quomodo quam commodiſſimè ac honeſtiſſimè ex mente parentis fratrem à gubernatione ac patriâ ſubmoveret, ſecum diſquirere: hanc ad rem oculos in Belgium potiſſimum conjicere, reginæ Mariæ & iis, qui huic à conſiliis erant, familiarius per ſuos ſe inſinuare, calidior ubique quàm cautior. Cumque ſpes aliqua iſtinc affulſiſſet, experireturque fratrem quoque magnificis victum promiſſis à re non abhorrere, geſtiens animo, ac moræ impatiens, confeſtim M. D. XXXVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. XXXVII

antiſtites cœnobiorum (nam horum etiam tum ſupererant nonnulli, & ordinem ſuum in publicâ re curandâ retinebant) ac viros nobilitate cenſos, atque eos, qui arcibus aut juriſdictioni præerant, ut prodit Eggericus Beninga Grimershemius, ad Pentecoſten Auricam evocavit. Qui cùm adveniſſent, ſed minore numero quàm par erat ad tantam rem, expoſuit iis, ex mente patris egiſſe ſe cum Ioanne fratre, de relinquendâ ſibi integrâ gubernatione, cum univerſo jure, quod haberet in opes paternas, accipiendâque viciſſim à ſe æquâ pecunæ ſummâ; fratremque in iſtam quoque ſententiam à ſe eſſe inductum: eam verò rem ſine dubio ex uſu omnium futuram, cùm tantula regio pluribus alendis Comitibus, gubernatoribus, & eorum liberis non poſſit ſufficere: Et jam hunc in finem actum aliquid à ſe per homines ſuos cum Mariâ reginâ Belgii præſide, atque ab eâ reſponſum ſibi non alienè: quòd ſi quadragies bis mille aurei Carolini ex Friſiâ confici pro fratre queant, regionem Falcoborgiam ſanè præclaram pro eodem & hæredibus ejus in Belgio poſſe parari: quapropter petere ab ipſis, ut hac de re præſentes deliberent, reſpondeantque. At hi ob paucitatem excuſare ſe, & dicere, nec deliberare rectè tantâ de re, nec reſpondere certi aliquid poſſe, præſertim tam ſubitò: æquum conſultumque eſſe, & plures convocari, quorum interſit, & differri rem, deliberandique tempus concedi ſaltem in octiduum. Datum hoc iis à Comite inſtauratoque conventu & deliberatione, præſentibus jam multò pluribus, reſponſum in hanc ſententiam. Noſſe Comitem ipſum, quæ ſit regionis conditio, quàm magnis ſumptibus in aggeres, in aquarum clauſtra, & res ſimiles ſit obnoxia: accedere ingens æs alienum difficillimis temporibus contractum, & incommoda detrimentaque alia bellis proximis accepta, & nondum ſuperata: Et tamen paratos eſſe ordines pro amore in Comitem, morem ei gerere, auxiliumque ferre, modò conſtet, & regione iſtâ potiri fratrem Ioannem poſſe, & reſignandi juris ſui à patre venientis certam habere voluntatem. Cætera ſic explicat Grimershemius, promiſiſſe præſentes in ſingula agri jugera per totam regionem ſtuferos Brabantinos ternos, & in ſingula item majoris pecoris capita binos: ad hæc centeſimã omnium bonorum tum mobilium, tum immobilium, exceptis cœnobiis, arcibus & ædibus officiariorum: ſed addidiſſe hanc legem, ne hæc liberalitas præjudicium pareret in fraudem ordinum, aut res in exemplum moremve traheretur ullo unquam tempore nec à præſentibus, nec à poſteris; utque in hinc uſum diplomate idoneo ſibi ordinibusque caveretur: atque hæc omnia placuiſſe Comiti, & de diplomate promptè eum promiſiſſe. Atqui ego in diplomatis verbis nihil exceptum omnino in centeſimâ, quin imò omnem exceptionem diſertè excluſam eſſe, nec in jugera aut pecora tributum deſcriptum, ſed duplicem centeſimamſolum modò decretam reperio. De conditione verò promiſſioni ordinum annexâ eadem heic cum narratis Grimershemii. Id tantum additur, ordinem certum, aut leges huc pertinentes Auricæ conceptas eſſe, easque poſt in cœnobio Silomonacheio repetitas Nonis Septembribus: de quo verbum nullum Grimershemius. Leges verò has de jure cuique ſuo conſervanda, de nemine lædendo, de imperio juſtè adminiſtrando, de beneficio ordinum hoc præſente in exemplum non vertendo fuiſſe, argumentum diplomatis oſtendit. Mihi in hac diſcrepantiâ veroſimile videtur, rudia] fuiſſe, ac non ſatis caſtigata ab iis, quorum maximè intererat, Auricæ acta, eaque curis & actionibus poſterioribus Silomonachi ob diſparitatem agrorum pecorumque, [& exemptionis iniquitatem deinceps eſſe correcta. Et hæc res, quæ tunc poſtquam Auricâ diſceſſum, publicè aliquandiu quievit, finem ſecum traxit vexandæ eccleſiæ ex fœdere Geldrico, cum populi gratiâ Comes haberet opus, quanquam eo ipſo anno ſurgente Comes flagitantibus malevolis edictum ſuum formâ ſeveriore repetiviſſet, eique inſpectores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſpectores, ac velut cuſtodes addidiſſet Hicconem Howerdæum Vphuſanum in religione claudicantem, & Ioannem Hornemannum juriſconſultum hominem nauci, ludibrium aulæ. Luneburgici & Emdæ & paſſim inviſi fœtentesque ſenſim ſe ſubduxêre ſtatione relictâ, gaudentibus iis, quibus religio & pietas erant curæ. Gellius Faber patriâ Leoardianus, vir præclarus à Nordanis, ubi aliquandiu docuerat, Emdam traductus in locum Ioannis Brunonis nupertimè defuncti: cui Gellio Thomas Brunius tum temporis collega in miniſterio ſacro fuit inſigni doctrinâ & pietate conſtantiâque commendabilis. M. D. XXXVII.
Anno eo Balthaſar Eſenſis quietis jamdudum pertæſus, ac ſortis æquæ impatiens novam belli cauſam quæſivit contra Bremenſes, & Mariam Ieveranam. Erat ei conventio cum Bremenſi civitate x ante annos interceſſore Friderico Daniæ rege ad ſopiendos, qui in ortu erant, armorum motus inita. Eâ conventione offenſionum priorum oblivio, commercia libera tutaque, controverſiarum, quæ tunc erant, diſceptatio ſine vi apud judices decreta: denique ſtatutum, ſi quid offenſionis aut controverſiæ novæ inter partes exiſteret, id ut per arbitros binos ab utrâque parte legendos, allecto etiam quinto, ſi res ad dirimendas pares ſententias poſceret, amicè componeretur. Sed Balthaſar hoc tempore occaſiones quærens, in navicularios Bremenſes, & eorum res, quas vehebant, manus injecit. Et cùm pro ſuis intercederet civitas; atque ablata repoſceret, & ſi quid fortè ab eo prætenderetur, quo ſe læſum Balthaſar putaret, arbitros illi deferret, ille contemptim eam rejecit: rem tamen tandem ad colloquium devenire ſivit in urbe Ieveranâ, non quòd æqui aliquid cogitaret, ſed ut criminibus inferendis civitatem conſpueret, & animum ſuum ſatiaret. Nam colloquio inſtituto per eos, quos iſtuc miſerat, rem peſſimam turpiſſimamq; committere Bremenſes dixit, qui pacta conventa jactarent ſibiq; objicerent, quæ ipſi jam dudum rupiſſent. Et his longam criminationum telam attexuit, quibus animum ſuum prurigine malâ laborantem ſatis detexit. Ad quas cùm graviter reſpondiſſent civitatis legati, vanitatemque earum ob oculos poſuiſſent, rurſum arbitri ab iiſdem poſtulati ſunt: eoque à Balthaſare denuò rejecto, ut nihil quod ad quietem faceret à civitate omitteretur, judices ei delati ſunt alii atque alii, quos recuſare non poſſe aut debere videbatur. Nam Chriſtophorum archiepiſcopum ſuum, aut Cameram Spirenſem, aut Ioannem Fridericum Principem Saxoniæ, aut etiam Erneſtum Ducem Luneburgenſem: demum ipſum Carolum Geldrum, quorum poſtremorum duorum hujus quidem cliens Balthaſar erat, illius verò ſoror in conjugio hujus vivebat, iidem legati ei ediderunt. Sed quid ad animum ejus judices, qui & prædandi libidine flagraret, & conditionem, quam civitas annectebat, reſtituendi ante omnia ſpolii, averſaretur? Poſtremò Bernardus Hacfortus principis ſui legatus Bremenſibus ſe obtulit, effecturumque promiſit, ut ſpolia, quæ ſupererant, Balthaſar reſtitueret, & in gratiam cum iis rediret, modò ipſi & munere aliquo non vili animum ejus delinire & modeſtè comiterque cum eo agere non recuſarent. Verùm hi Bremenſes munus in eum conferre, à quo tam inſignem injuriam accepiſſent, ut iniquum nimis, ita nimis indignum, & haud quaquam ferendum putarunt. Tum Balthaſar præcipitans rem, iterum per homines ſuos, facinorum talium miniſtros, navem Bremenſium invadere, eam cum vectoribus & rebus abreptam in portum ſuum ſubducere: Bremenſes contrà, ut par pari reponerent, & ad æquas conditiones eum vel invitum compellerent, tres Eſenſium naves Hamburgo redeuntes, cereviſiâque Hamburgenſi onuſtas in ipſo Albis oſtio intercipere, & in poteſtatem redigere ſuam. Simul hi Spirenſium judicum opem in prędonem Balthaſarem implorare, mandatiſq; pugnare: ad Geldriæ quoque principem munere ſibi nuper conciliatum ſe conferre, eum orare, ut clientem ſuum autoritate nominis & juris ſui ad æqua inflecteret. Sed

Gelder Eſenſis ſimillimus non ſolùm promiſit nihil, ſed in minas quoque in
M. D. XXXVII. orantes erupit, ni Balthaſarem jûſtis rationibus placarent: nec enim ſe clienti
ſuo in periculo defuturum, & quod à ſe non poſſet, id à Galliæ rege & Lo-
tharingiæ principe ſociis ſuis ſumpturum. Nec hæ minæ contemnendæ vi-
debantur. Nam eo tempore copiæ militum coactæ, in quibus ii, quorum
operâ Gelder ſolet uti, præerant, per Weſtfaliam vagabantur, & omnes ejus
tractus populos longè lateque ſollicitos habebant. Licet enim cum Burgun-
dicâ domo pacem Gelder haberet, licet cum Ennone Comite fœdus ei eſſet,
tamen nihil ab eo tutum, quod armis invadere poſſet, omnes arbitrabantur.
Vſu quippe compererant, in pace ei pacem, in fœdere fœdus non eſſe ſolere,
ſi occaſio ſuaderet. Et quanquam hi, quos dixi, maximè copias iſtas velut in
ſe comparatas ſuſpectarent, propterea quòd Geldrum malè ſibi velle ſcirent,
& rumor crebreſceret in Weſterwoldios aut Reiderios impetum verſum iri,
nihilominus etiam vicini in metu aut ſollicitudine erant. Quam ob cauſam
& Bremenſes, quibus minitatus fuit, haud immeritò perculſi literas has ipſas
minis truces ad Saxonem, Luneburgium, cæteroſque Smalcaldici fœderis
ſocios miſerunt: & hi tam iniquâ & inopinâ re turbati confeſtim per legatos
Geldro denunciarunt, ne quid in Bremenſes violenter ageret: néve Baltha-
ſaris causâ, hominis inquieti, viciniam bello non neceſſario turbaret: ſe, ſi
interceſſionis res egeret, eſſe interceſſuros. Sed ecce dum turbidus princeps
terrori omnibus eſſe vult & Francicum nomen temerè jactat, ſibi ruinam
ſtruit. Nam proceres Geldriæ, & civitatum rectores, quos armorum & la-
borum ærumnarumque ſeriò tandem tædebat, cùm viderent nova bella
quæri, Gallos ſolos à principe coli, eos circum principem eſſe, ſe conſiliaque
ſua ſperni, reſque ipſa doceret, id agi, ut Galli mortuo principe in poſſeſſione
imperii Geldrici collocarentur odio Burgundici nominis, frenum morden-
tes in ipſum principem ſuum inſurrexêre, & poſt aliquot conflictus in ordi-
nem eum coëgere. Tum arces ejus, quas in oppidis habebat, omnes dirutæ,
oppidanis metus ex iis demptus: leges principi dictæ, ut Gallos procul habe-
ret, conſiliis ordinum ſuorum uteretur, exercitum dimitteret, bellum niſi ex
ordinum Geldriæ conſenſu non moveret, milite ſubditos non premeret; in
oppida non niſi parvo comitatu ex more vetere ingrederetur, ſucceſſorem
nullum abſq; voluntate ordinum deſignaret, & ſi quem vivus ſubſtituere vel-
let, Guilhelmum Cliviæ Ducem juvenem, cognatum ſuum, quo nemo ſan-
guine ei propior eſſet, ſubſtitueret, ac hæredem nuncuparet: ipſe quandiu
viveret, XL millibus aureorum ex reip. cenſibus ſtatum ſuum tueretur. Sic
,, qui in leges imperium tot annos uſurpaverat, ſub legum imperiũ miſſus fuit,
,, & edentulus à ſuis factus alios mordere deſiit. Acta hæc declinante anno
,, M.D.XXXVII. Iam Dammona animos rurſum erexerat, cœperatq; commer-
ciis & negotiationibus rurſum ſe dare, ac ſenſim tendere longiùs, quàm jus
ferre Groningani rebantur. Itaque Oldermannus huic juri tuendo præfectus
intercedere, delinquere pergentes ad tribunal vocare, pœnas poſcere: Dam-
monenſes vicinorũ gratiâ fulti armatique Scencum abſentem per ſupplicem
libellum appellare, ejus opem implorare, ejuſq; cognitioni rem totã deferre:
is vivâ voce benignè per internuncium reſpõdere, daturum ſe operam, ut in-
terea donec ipſe Groningam rediret, res conquieſceret. At eo ob varia nego-
tia diutiùs redditum differente, ne quid detrimenti jus civitatis ſuæ caperet,
idem Oldermannus progredi in inſtituto; Dammonenſes periclitãtes queri,
ad Hovetmannos Cameræ judices abſente Scenco convolare, ab his dilatio-
nem executionis rerum contra ſe judicatarum ſupplices petere, fluente jam
menſe Decembri, at quo ſucceſſu, fugere me fateor. Hoc tantum cõſtat, pro-
ximis annis cauſam hanc eandem agitatam variè, & ad ipſam reginã Mariam
relatam, ut pòſt recitabitur. Eodem anno menſe Novembri ſeneſcẽte ex hac
vitâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

vitâ deceſſit Hicco Howerda Vphuſanus in hiſce hiſtoriis aliquoties mihi M. D.
anteà memoratus, eumque non multò pòſt ſecutus quoque eſt Haico XXXVII
Vniconius Leranus, & cum his Diricus Durenſis militiæ clarus, Wit-
mundanis olim pro Comite Ennone, & iis Balthaſari redditis, Grethanis
præfectus, qui in oppugnandâ Eſenâ ante annos ſeptem alterum oculum ami-
ſerat, bello verò Ieverano gravi vulnere læſus fuerat, per femur ejus globo
trajecto; quo vulnere poſt tot annos recrudeſcente apud Middelſteweranos
naturæ debitum perſolvit. Corpus ejus Viſquerdiæ ſepulchro conditum. An- M. D.
no M. D. XXXVIII, cùm jam hyems declinaſſet, in Eſenam & Ieveram Co- XXXVIII
mes Enno curas rurſum intendit, & pariter, quod pro fratre cœperat apud
Mariam reginam, pertexere ſatagit. Atque hujus rei gratiâ ex ſuis hominem
idoneum cum literis ad reginam miſit, perque eum petiit, ut ad cogno-
ſcendam penitùs cauſam Ieveranam, tentandamque in eâ compoſitionem
amicam, viri inſignes cis Amaſum ab ipsâ mitterentur. Et interea dum hoc
fit, conjugem ſuam Annam Oldenburgicam virili indole & prudentiâ præ-
ſtantem, poſtridiè Eidus April. Auricâ Eſenam ablegat, ut cum Balthaſare
de ſarciendâ gratiâ & amicitiâ cum eo loquatur. Erat enim ejus rei percupi-
dus, ſperans, quod armis non potuerat, fortè per illecebras amoris & offi-
ciorum ſeſe conſecuturum. Commodiſſima verò hujus amicitiæ pararia
conjunx ei videbatur, quæ præter ingenium & gratiam muliebrem propin-
quum quoque ſanguinem iſtuc erat allatura: ſiquidem amitâ ejus Balthaſar
erat natus. Ea ut ad ipſum venit, quàm ſit ex re utriuſque partis, inimicitiæ
virus omne evomi ac in ſinceram amicitiam utriuſque animos conglutinari,
jucundè argutatur. Id verò rectius fieri quam per connubium non poſſe “
oſtendit: atque hanc rationem tritam finiendarum ſimultatum & odiorum “
eſſe in humano genere ab omni ævo affirmat: nec ullas unquam tantas of-
fenſiones fuiſſe, quæ hac medelâ non aliquandò ſint deletæ: maritum
ſuum nil magis in votis habere, quàm in gratiam ſinceram & conſtantem
cum ipſo redire, & cuncta, quæ antè acciderant haud grata, novis officiis
& beneficiis corrigere, & memoriam eorum æternâ oblivione ſepelire: Et
hunc in finem ultrò deferre ei conditionem conjugii cum ſorore cariſſimâ
Amgarde, virgine lectiſſimâ. Dein cætera addit, quæ mulcendo & illi-
ciendo ejus animo eſſe judicabat. Nec Balthaſar, ut amicè eam excepe-
rat, ita niſi benevolè & attentè hæc audire, amiceque reſpondere, velut
ab eâ mente ipſe quoque non abhorrens: Sed priuſquam aliquid agi ulte-
rius poſſet, tormenta ſua, quæ complura adhuc Comes Enno habebat,
repoſcere: deliberaturum tamen ſeſe in Eidus Iulii polliceri, atque hunc
diem colloquio novo dicere. Denique amiciſſimè cognatam dimittere.
Illa ſpe bonâ repleta ad maritum rediit, eique ſpem quoque fecit. Poſt-
ridiè Nonas Maij à reginâ Mariâ Emdam venit Georgius Teutoburgius
Scencus, & cum eo Martinus Noerdanus jureconſultus, & N. Weſter-
holtus Vullenhoæ præfectus. Qui variis de rebus cum Ennone & Ioanne
locuti, & de reginæ benevolentiâ multa teſtati, mox cognoſcendæ Ievera-
næ cauſæ ſe dederunt: cognitionique huic dies Auricæ dictus. Quò cum
à Ieverana quoque legati veniſſent, agitata res prolixè, & multa de tabulis
Friderici III, Maximiliani I, Caroli V, quibus cum reliquâ Ciſamaſanâ
Friſiâ etiam Ievera & Eſena Comitibus aſſignatæ & in fundum tributæ
ſunt, ultrò citroque diſputata inter partes per dies ferè octo. Poſtremò
id quod hactenus neſcierant Comites, aut rumuſculis jactatum non cre-
diderant, erupit, Ieveranam in clientelam domus Burgundicæ ſe ſuaque
contuliſſe. Quo prodito concidit animus Comitibus videntibus ab iis ſe judi-
cium petere, qui litem ſuam eſſe faterentur. Sic enim res habebat, ut damnari

M. D. XXXVIII.

ab his cognitoribus Ieverana non poſſet; quin jus ipſi ſuum à clientelæ con-
ditione pendens reſcinderent. Quam ob rem nihil effectum eâ parte: compo-
ſitio verò amica, quæ altera veniendi cauſa erat, & à reconciliatione ſincerâ
cum ſucceſſionis pacto pendêre videbatur, ob animos tum temporis plus ſatis
crudos & tumentes ex actione priore, vix leviter tentata, ſed reſervata tempori
commodiori, ac animis magis tranquillis. Scencus tamen priuſquã pedem re-
ferret ſeu viſendi ſtudio, ſeu ut ipſe Mariæ Ieveranę, & Boijngi animum coram
exploraret, Ieveram eſt profectus: ſed unâ ſolùm nocte illic actâ poſtridiè Au-
ricã rediit, atq; inde utroq; Comite Ennone ac Ioanne honoris & officii gra-
tiâ deducente Emdam repetiit, bonaq; ſpe benevolentiæ regiæ, & ſtudii ſui di-
verſis in rebus poſt ſe relictâ Amaſum trajecit, & ad reginam in Brabantiam
contendit. Quo tempore jam planè ad bellum ſpectare res inter Bremenſes &
Eſenſem videbatur, cum utriq; ſe armis, viris, navibus pararẽt. Sed Smalcaldici
fœderis ſocii pacis ſtudio intervenientes, utrâq; parte per legatos ſuos Wildeſ-
huſæ auditâ, cùm tollere controverſiam totam non poſſent, inducias cõſtitue-
runt trimeſtres; quarũ tempore tres utrimq; delecti arbitri univerſæ liti finem
darent. Atq; hoc pacto bellum id dilatum, non extinctũ fuit, ut ſequentia do-
cebunt. Circiter id tempus Arnhemi ex hac vitâ tandẽ abiit Carolus Geldriæ
princeps, hærede ſubſtituto & in poſſeſſionẽ miſſo Guilhelmo Clivenſi, cùm vi-
xiſſet annos plus quàm LXX, univerſam viciniã haud minus quam per L annos
bellis variis turbaſſet, ingenii inquietiſſimi, vaferrimi, ad dolos ac vim armatam
æquè parati, fidei maximè lubricæ, qui promiſſis, pactis, juramentis, uti talis, lu-
dere ſolet, ac pro commodi aut incommodi ſui ratione his uti conſuevit, Gal-
licarum partiũ defenſor pertinaciſſimus, Burgundicarũ oſor maximus. Iam in
Brabantiâ id, quod ad Comitem Ioannẽ Ennonis fratrẽ pertinebat, ſtudio eo-
rum, qui in Friſiâ paulò antè fuerant, agitatum erat; cui ut alia, ita cum Maximi-
liani Cęſaris filiâ Dorotheâ è concubinâ natâ, Caroli v. amitâ, quam Maria ho-
neſtiſſimè educaverat, illic parabantur. De his & ipſe & frater Enno certiores
facti Septembri menſe totius provinciæ ſuæ ordines convocant in cœnobium
Silomonachæum. Ibi Comes Enno, qui ſolus aderat, in coronâ proponit, poſſe
& nuptias, & fortunã familiâ dignam parari fratri ſuo, gratiâ reginæ Mariæ, &
ſimul conciliari benevolentiâ ipſum Cæſarem, atq; inde multa, quę ex re com-
munis patrię futura ſint, ſperari: ſed opus eſſe in has res pecuniâ majore, quàm
quæ anno priore promiſſa: rogare igitur, ut ſummam XLII milliũ ad C millia
velint extendere, ſolvenda intra quadriennium. Simul commẽdat totam rem;
quàm expediat, unum imperii in patria corpus manere, nec ſcindi in partes;
tum quàm fœlix conditio ſit fratri delata, nam pręter illuſtrem regionem Fal-
coburgiam, etiam in dotem promitti Durbuyum oppidum lautum cum agro
conjuncto in finibus Lucelburgiis: atq; inſuper reginam polliceri, non defore
vicariam gubernationẽ locorũ plurium in Belgio, ſi nuptiæ conficiantur: ipſo-
rum verò eſſe, & patrię, & liberis Edſardi cõſulere quàm optimè. Poſtremò de
benevolentiâ ſuâ in ordines, de gratitudine & ſuâ & fratris, de ſtudio benè ad-
miniſtrandæ reip. prolixè pollicetur. Ad hoc delecti ordinum re in conſilium
miſsâ, reſpondent, quàm grave id futurũ ſit regioni tam anguſtæ, quod amplis
etiam principatibus plus oneroſum videri poſſit: & eſſe regiunculam bellis cõ-
tinuis annorum plurium afflictam & exhauſtam; ac à tempeſtatibus & diluviis
calamitates accepiſſe, vix ut ſibi ſufficere populus infelix queat, & tamen ag-
noſcere ordines, quid patriæ, quid domui Edſardi debeant; paratosq; eſſe pro
viribus operam opemq; præſtare: at longiùs tendere nec ſe, nec Comitem de-
bere. Verum inſtante Comite, & hanc unam gratiã orante, cùm rurſum deli-
beratum eſſet, referunt tandem, facturos ſe, quod Comes roget, ſed viciſſim
poſcere duo hæc; prius, ut Ioannes, antequã quicquam pecunię hujus accipiat,
ſolenni modo reſignet omne jus ſuum in hanc totam provinciam, & hujus

rei teſtes

rei teſtes literas ritè confectas tradat: alterum, ut Comes ipſe Ennò ordinibus ritè caveat, hoc à liberis poſteriſque ejus in exemplum tractum non iri. M. D. XXXVIII. Tum & gratiæ ampliſſimè actæ à Comite, & omnia ex voluntate ordinũ prolixè promiſſa, & centeſima duplex, ut diploma indicat, decreta, & modus atq; ordo conferendi ex formulâ Auricanâ denuò confirmatus. Hæc acta notat Grimerſhemius Eidib. Septembr. Sed Nonis id factum, videtur ex diplomate colligi. Et ſine morâ literæ reſignationis (ut ait idem) expeditæ. Diploma autem præferens nomen utriuſque Comitis, & utriuſque manu & ſigillo ſignatum fuit exemplo duplice. *In eo teſtantur Comites Enno & Ioannes petentibus & precantibus ſe in tributum conſenſiſſe ordines omnes ad conficiendã pecuniam, quæ à fratre majore velut in dotẽ pendatur minori nuptias peregrè inituro cum Dorotheâ Auſtriacâ, decretumq; eſſe, ut ea pecunia conficiatur ex centeſimâ omnium bonorum ſine ulla exceptione, aut exemptione cujuſquam, idq; ex formulâ & legibus, in quas Auricæ & Silomonachi conventio facta. Addunt deinde, in legibus illis & conventione perſcriptum eſſe, ne impoſterum niſi unus Comes ſit, qui imperium in patriam habeat: ut quæ quiſque tenet, cujuſcunq; conditionis ſit in patriâ, jura & privilegia conſerventur: ut tributum hoc, quod gratuitum beneficium, nullo unquam tempore vel ab ipſis, vel ab ipſorum ſucceſſoribus & poſteris in exemplum, aut jus, aut morem vertatur, ut juſtitia rectè & ſine vitio, quemadmodum ab ipſo præceptum Deo, adminiſtretur. Atque hæc promittunt bonâ fide, & abſq; dolo malo, prorſuſq; ſine vitio conſtantiſſimè ſervatum iri à ſe ſimul & hæredibus ſuis; adduntq; obligationem exquiſitiſſimis verbis conceptam, renunciantes exceptionibus, effugiis, coloribus omnibus, quos undevis petere, aut quoquo modo comminiſci humanum ingenium poſſit.* Exemplorum alterum, uti convenerat, apud Emdanam civitatem, alterum apud reliquos ordines depoſitum. Sic tunc muniẽdæ fidei, & ſervandæ memoriæ rei actæ probè videbatur conſuli. Et tamẽ neſcio quâ ratione ſecutis temporibus exemplar utrumq; diſparuit, ac res ipſa penè fuit obliterata: donec tandem Edſardus Ennonis hujus filius de imperio patriæ diſceptans cum fratre ad diviſionem tendente, unà cum diſpoſitione Edſardi ſenioris avi ſui anno M.D.LXXIV menſe Septembri apographum ejus in ordinum conventu apud Emdanos delegatis cognitoribus Cæſaris exhibuit, qui copiam ejuſdem quibuſdã ex nobilium ordine fecêre. Eodem menſe, quo hæc Silomonachi acta, ipſo die Matthæi apoſtoli memoriæ dicato, Ennoni natus eſt tertius filius Ioannes, princeps ingenio & virtute planè eximius, perpetuâ memoriâ digniſſimus. Hoc anno in viciniâ ab Antonio & Chriſtophoro Comitibus Oldenb. arma mota ſunt ob Delmenhorſtum, quo jam tot annos nõ ſine dolore carebant: tentatoq; fruſtrà ipſo Delmenhorſto, in Monaſteriẽſes impetus ab iis verſus, occupataq; ibi oppida minora aliquot nõ benè munita, & vici vaſtati. Sed vis ea à Monaſterienſibus cõfecto ſubitò exercitu repreſſa, & clades haud paulò major iis repoſita: ager Oldenburgicus lato tractu direptus, vici nobiliores flammis dati, Apa arx inſignis capta, Oldenburgum ipſum ex propinquo territatum: Stedungiæ quoque pars afflicta. Quod bellum, ne majora mala daret, per Colonienſem archiepiſcopũ & principem Clienſem miſſis legatis Wildelhuſæ exeunte menſe Iulio eſt compoſitum. Anno M.D.XXXIX, cùm Eſenſis mare & flumina Bremenſibus M. D. XXXIX. infeſta redderet (nequicquam enim de induciis & arbitris anno priore convenerat) belli navalis inter eos factum eſt initium. Eſenſis enim prædonum manum non parvam confecerat, & minorum navium claſſem aliquam armaverat, iiſque piratam famoſum Franciſcum Bohemum præfecerat. Et hi non ſolùm Bremenſes, quos pro hoſtibus habebant, affligebant, ſed etiam aliis, qui vicino mari aut fluminibus utebantur, (ut eſt ingenium talium hominum) erant moleſti, & formidabiles. Quod ferendum non putantes Bremenſes, qui jam mandatum Spirenſium & proſcriptionis tabulas contra Balthaſarem habebant, & copiâ navium multò majore erant inſtructi, (ci-

M. D. XXXIX.

vitas enim maritimis rebus dedita navigiis omnis generis, & ſimul navitis abundabat) claſſem quoque & ipſi armant, & in Eſenſes emittunt. Quæ cùm prædonum ducem invaſiſſet, poſt validum & longum conflictum, (prædones enim ſciebant pro capite ſe pugnare, ideoque extrema experiebantur) victrix ducem ipſum Bohemum cum gregalibus, LXXXV vivos capit, & Bremam deportat. Vbi non diu poſt terroris concitandi causâ è carceribus educti LXXX numero gladiis carnificum uno die capitibus mulctati pœnas dederunt; in quibus fuit & Franciſcus Bohemus. An quid aliud eo anno inter eoſdem bello geſtum ſit, nuſquam legi. Intereà ex tributo ſemiſſis ſummæ ejus, quæ Silomonachi promiſſa erat, confectus, & Comiti Ennoni in ſolutum datus, aurei ſcilicet Carolini quinquagies mille. Eâ pecuniâ acceptâ ſtatim ipſe cum fratre Ioanne Bruxellam ad reginam Mariam profectus eſt, ut pacta matrimonii conficeret. Nam quemadmodum à naturâ, quocunque mentem inclinare cœpiſſet, eo ferebatur vehementiùs, ita in hanc expediundam rem deſiderio fuit incitatiſſimus. Quapropter & feſtinabat omni modo, & ea, quæ accelerando, & expediundo quàm ocyſſimè negotio fere ex mente ſuâ rebatur, aſſumebat, atque in his primos nobilitatis patriæ, & quicquid omninò magnificum, ſecum trahebat. Verùm cùm veniſſet iſtuc, quanquam amicè & pro dignitate exciperetur, tamen alia penè omnia experiundo cognovit, quàm ſibi perſuaſerat. Nam ſplendorem ſuum in tenebras ire tectum fulgore procerum aulæ iſtius videbat, & præclarè à ſe cogitata & concepta evaneſcere ſibi, ac vafris profundiſque conſiliis ejuſdem aulæ conſumi atque abſorberi ſentiebat. Denique ſi quid confectum vellet, ad novationem aliquam eorum, quæ jam cum fratre pepigerat, veniendum ſibi experiebatur. Ad hæc major cura ab hac multò minore animos reginæ & regii ſenatus eo tempore abſtrahebat. Gandavenſes enim conſiliis ſuis ad res novas ſpectantibus Flandriam tunc magnâ parte turbabant, & ad Gallorum regem defectionem meditabantur, omneque Belgium ſollicitum habebant. Quo modo fiebat, ut negotium hoc, cujus gratiâ ipſe cum fratre advenerat, in longum traheretur. Vnde occaſio ei, cùm hæreret illic opinione diutiùs, & ſæpè otio abundaret, ut in luxum & voluptates, ad quas naturâ proclivis erat, ſe effunderet, illectantibus & fomitem ſufficientibus iis, qui in aulâ iſtâ luxu diffluente degebant, quibus vitia ipſius quæſtui erant. In aleæ verò luſu dicitur non ſemel adeò incaluiſſe, ut viri nobiles, qui in comitatu ejus erant, intercedere furenti ſtultitiæ neceſſe habuerint. Demum paulò antè Eidus Novemb. de matrimonii conditionibus convenit. Durbyum oppidum cum agello circumjecto paucorum vicorum, in finibus Lucelburgici Principatus, in dotem Dorotheæ ſponſæ aſſignatum à reginâ, Falcoburgii & Dalæ præfectura in ulteriore ripâ Moſæ, quâ Trajectum ſuperius ad occaſum præcingitur, Ioanni ſponſo pro Cæſare curanda, tributa, gubernatio Ducatus Limburgici Falceburgo finitimi, juri Brabantiæ innexi eidem promiſſa, ſi aſſentiretur Cæſar: conventio cum fratre & populo domi facta, poſcente & inſtante eodem fratre, ſubmonentibus iis, qui è nobilitate cum eo erant, à ſponſo quoque coram ipſâ reginâ denuò probata, ac reginæ inſuper ſigillo, quo plus roboris ei ineſſet, exemplum ejus ſignatum, ut teſtatur Grimershemius. Sed adjectum tunc commodo ſponſi, ut ſummæ centum millium cenſus etiam annuus duorum millium monetæ ejuſdem, qui tranſiret ad hæredes, adderetur: eâque de re diploma ab Ennone fratri datum. Tum ſponſa ſponſo adducta, ac in manus condicta, lautoque epulo dato nuptiæ peractæ pronubâ reginâ, præſente ac nuptias cohoneſtante Friderico Palatino Electore. Sed nuptiarum gaudium minuit mors Florentii Egmondani, principis pace & bello eximii, inter eos, qui res Belgicas curabant, à plurimis annis cum primis illu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

mis illuſtris, in Edſardum & liberos ejus ſemper ſtudii ſingularis, qui Buræ ſuo in oppido res humanas reliquerat die IX Calend. Novemb. Cujus locum M. D. XXXIX Maximilianus filius excepit. Obiit quoque tum XV Cal. Decemb. Haro Godenſis è familiâ Oldershemiâ, Hironis & Boijngi frater, cui hæreditas Godenſis à matre obvenerat. Atque hæc iſtic. In diversâ Friſiæ parte, quæ inter Flevum & Lavicam jacet, ea, quæ reliqua manſerant, reip. vitia ſanata. Quorum in numero diſſenſio erat de recognoſcendis curiæ ſummæ ſententiis, ſi qui ſe læſos iis arbitrarentur. Huic rei delecti jamdudum fuerant ab ordinibus Vpco Burmania, Syzo Tiarda, Sicco Decama, Hector Hoxwerius, omnes juris peritiſſimi, qui cum gubernatore & ſenatu eam curarent. Et his è ſenatu Cæſaris per Belgium quidam erant additi. Horum operâ poſt alia atque alia propoſita tandem initus conſenſus, ac formula certa legis inſtar concepta, ſecundum quam inſtitueretur recognitio. Ea formula Hagæ in ſummo Cæſaris ſenatu, præſente reginâ Mariâ, examinata denuò, demumque probata fuit declinante menſe Auguſto. *Placuit, ut recognitionem petiturus ante omnia deponat apud eum, qui ſummæ regionis curiæ à ſecretis & chartarum cuſtodiâ eſt, aureos Carolinos L, cum periculo jacturæ eorum, ſi temerè petiiſſe deprehendetur: deinde petat non alibi, quàm ab ipsâ curiâ, quæ ſententiam tulit; atque hoc faciat, ac ad rem ipſam accedat, libellum ſupplicem exhibeat, adverſarium ad diem certum citari poſtulet ad audiendas petitionis rationes, & quæ iſtuc pertinet, intra biennium; alioqui non admittatur: contra cum intra certum tempus pro ſententia diſputans & rationes petentis refutans, audiatur quoque adverſarius, ſi velit: Vtrique binæ tantum vices agendi tribuantur, niſi aliud curiæ viſum fuerit: novi nihil præterea quæ in actis prioribus fuère, adferatur exceptis juriſperitorum conſultationibus, quas producere utrimq; licebit, tum curia expendat omnia, & recognitionem inſtituat: quæ ſi non recedat à priori ſententiâ, aut ſi ſecum diſſentiat, acta omnia ſine vitio mittantur probè obſignata ad ſummam Cæſaris curiam, quæ eſt Mechliniæ, unà cum opinionibus ſenatorum ſingulorum: Hæc curia ſine morâ percenſeat acta, & quid judicii ſui ſit, ſcripto concipiat, ſcriptumq; Hagam ad ſupremam Hollandiæ curiam ſtatim tranſmittat: Ea id ipſum velut ſententiam ultimam extemplò quoque pronunciet abſque ullâ additione, ademptione, mutatione ſuâ, in quâ acquieſcendum.* Hæc nomine Cæſaris promulgata ſignataque Hagæ die III Calend. Septemb. Adjectum eodem die, *ne cui liceat hujuſmodi recognitionem petere, niſi in causâ, quæ minoris non ſit aureis Carolinis* L: in quo à reliquis ordinibus civitates ejuſdem regionis, ſententiis diſſidebant. Poſt de conferendis ſacerdotiis & beneficiis quæ vocant, deque muneribus publicis controverſia quoque terminata. Hæc acribus ſtudiis jam multos per annos fuerat agitata graviter. Nam erant in ſcenâ homines æquis populi deſideriis obſtantes, ex eo hominum genere, qui aulis ſe mancipant, & gratiâ in iis pollent: quorum hoc ſtudium ſemper eſt, ut principum poteſtatem, quantum poſſunt, dilatent, populorum verò parentium jus in arctum cogant; quique quantum principibus accedit, hac in parte, tantum ſuis quoque commodis, ſuæve ſpei, qui circum principes ſunt, eoſve poſſident, decedere arbitrantur. Hi monere Cæſarem, ne quid ſineret ſuo juri defluere, æquitatem pariter & utilitatem rei commendare, exempla referre regionum aliarum, falſaque, ut fieri ſolet, veris addere: ac res ipſa Cæſari atque aulæ allubeſcebat. At populus, cui libertas cordi erat, jus majorum docere, tueri, ſervituti locum non dare, Cæſarem & Cæſarianos promiſſorum pactorumque monere. Quod cùm faceret conſtantiùs, & ſatisfieri ſibi vellet, non licuit aulæ tergiverſari diutiùs. Itaque die III Calend. Novemb. Bruxellæ diploma ſignatum, populoque datum eſt, quo teſtatur Cæſar poſt actionē variam conveniſſe ſibi cum populo hoc modo: *ſacerdotia beneficiaq; quæ vocant, quæ patronos ſuos habent, maneant eo jure, quo ſolent eſſe: in cæteris omnibus populo conſtet jus & libertas nominandi deſignandiq; ſacerdotes, ac conferendi beneficia*

M. D. XXXIX.

*pietati dicata, exceptis ſolummodo tribus per annos ſingulos, quæ vacare cœperint aut ipſis
Calend. Ianuarijs, aut proximè poſt eas, uno in Oſtergoâ, altero in Weſtergoâ, tertio
in Sylveſtri tractu, quorum collatio honoris cauſa Cæſari regionis principi relinqua-
tur, ſive ea opima ſint, ſive tenuia: & hi, quibus ea conferet Cæſar, non ſolùm
idonei ſint obeundo muneri ſuo, cujus causâ honos aut beneficium in ipſos confertur, ſed
etiam domicilium figant iis locis, quorum ſunt iſta ſacerdotia beneficiáve. In reli-
quis, in quibus populo jus à majoribus acceptum relinquitur, hic ordo & modus agen-
» di ſervetur: loco vacante, omnes qui ſedem domicilii in parœciâ eâdem cum jure ſuf-
» fragii habent, (quales tantum ſunt, qui domos poſſident pendendo cenſui obnoxias,
» quive aratrum exercent, reliqui non item) pulſu nolarum convocentur in templum:
» illic deliberatâ re, de paſtore, vicarióve, uti vocant, aut quovis, qui beneficio va-
» cante uſurus ſit, eligendo in ſuffragia præſentes eant: in quem major numerus præſen-
» tium conſenſerit, is ritè electus habeatur, non ſecus ac ſi omnes in eum conſenſiſſent:
» minor numerus majori cedat, ac quaſi nullus cenſeatur: abſentes ſuffragio careant:
» eorum, qui nobilitate, genere, honore aut officio eminent, ſuffragia non pluris ſint,
» quàm aliorum inferiorum: nec hîc fas ſit, alios aliorum ſollicitationibus importunis
» aut coactionibus qualibuſcunq́ urgeri, ſed ſingulis conſtet & ſervetur illibata & incor-
» rupta ſuffragii ferendi libertas ex animi ſui ſententiâ, & dictamine rectæ conſcientiæ:
» nec hac in re ſuffragii jus habeant illi, qui quamvis poſſeſſiones & prædia in eâdem
» illâ parœciâ teneant, tamen ibi domicilii ſedem fixam non habent: iſti autem ſoli ha-
» beant, qui ibidem habitant, & poſſeſſiones tenent hujuſmodi, cujuſmodi ſupra deſi-
» gnatæ ſunt: Ad hæc prætor ejus loci ex officio electionem hanc talem cum notâ tempo-
ris, quo vacare ſacerdotium beneficiumq́ cœperit, ſcripto ſigilloq́ ſtatim conſignet,
ejusq́ operæ ergò ſtuferos Brabantinos ſex, nec ampliùs capiat: hoc porrò modo à pa-
rœcis electi, quemadmodum & à patronis, qui hoc jus habent, editi, ſiſtant offerantq́
ſe gubernatori provinciæ, præſidi ſenatus, ac ſenatui præſenti intra tempus menſtruum,
petantq́ & accipiant ab illis diploma formâ eâ, quæ in uſu eſt, cum Cæſaris ſigillo: nec
liceat præſidi ſenatuiq́ id petenti denegare abſque juſtâ causâ, ob quam ſenatui indi-
gnus illo munere aut beneficio videatur; teneaturq́ ſcriba ſenatus, chartarum cuſtos,
diploma quam primùm expedire, & ſimul exemplar ejus in protocollum referre, acce-
ptâ tantùm operæ mercede uſitatâ, nec quicquam omninò ampliùs; exemplaris verò
iſtius inſpectionem & lectionem teneatur itidem concedere cuivis volenti gratis.
Quòd ſi contingat electum, aut editum judicio ſenatus ob cauſas juſtas rejci, liberum
ſit vel parœciæ, vel jus patronatus tenentibus alium deſignare pari modo, idq́ totiesre-
petere, donec deſignatus comperietur talis ut jure reprobari non poſſit. Diploma hoc
accipiens juret ſolenniter, fidelem ſe Cæſari, ut Friſiæ domino, futurum in omnibus &
ejus pericula, quantum queat, averſurum, daturumq́ operam, ut in obſequio ejuſdem
» reliqui quoque in populo perſeverent, nec ſe ſacerdotii aut beneficii hujus ergò jusjuran-
» dum dediſſe, daturumve eſſe cuiquam alteri, ſed nec cuiquam quicquam donaſſe aut
» promiſiſſe, aut agros locaſſe, aut cum quoquam omninò hujuſce conſequendi gratiâ
» pactum fuiſſe: Ad hæc fas jusq́ ſit ſenatui ſummo ſacerdotem, beneficióve ſacro
utentem, ſecùs quàm deceat viventem, munere beneficioq́ exuere, & ad reſtituen-
dum diploma compellere more jam olim uſitato, recidatq́ jus eligendi edendive alium,
qui in locum iſtius ſuccedat, ad parœcos patronoſve: denique obrepentibus fortè abuſi-
bus notoriis in totâ hac electionis aut editionis ratione, principis partes ſint causâ be-
nè cognitâ remedium adhibere, & conſtituere id, quod ex uſu commodoq́ provinciæ,
ac legibus & rectæ rationi videbitur congruum, hoc tamen modo, ne delictum hujus aut
illius aliis noxæ aut detrimento ſiet: civitatibus autem provinciæ hujus ratio ſolita in totâ
hac re illibata maneat, ſive ea ex pactis tranſactionibuſve profecta ſit, ſive ex more re-
cepto.* Et his eodem diplomate addita hæc de prætoribus, quos Grietman-
nos lingua patria indigetat. *Gubernator ſenatoreſq́ curiæ, qui aderunt, prætores de-
ſignanto, literasq́ commiſſionis iis danto: ſed hoc nomine ſupra & præter id, quod conſti-
tutum eſt, nihil exigunto, nihil capiunto. Cæſari tamen hæredibusq́ ejus, pro po-*

teſtate

teſtate liberum eſto, præturas, in quos volent ex populo, conferre per literas paten- M. D.
tes, etiam inconſulto gubernatore ac ſenatu: prætores omnes ſive à principe, ſi- XXXIX.
ve à gubernatore ſenatuq; lecti ſedem habento in territoriis ſuis, aut in oppido eo,
in quo ſedem habere, ac tribunal exercere mos majorum poſcit: nec quiſquam præ-
tor creator, niſi qui in cenſu annuo aureos Friſicos habeat XVIII, *aut* XX, *intra fines*
provinciæ, & quidem ex rebus ſoli, aut aliis reditibus perpetuis: prætorque tenetor
prædes dare populo pro pecuniâ tractandâ, ex arbitrio gubernatoris & curiæ. Atque
hoc diploma populo conſtitit aureorum millibus XL, quos permiſit in ſum-
ptus belli Groningani & Coverdiani ſe ſoluturum liberali dono intra bien-
nium. Cætera ſtatuta ejus anni quia momenti ſunt minoris, prætereo. At
Cómes Enno relicto in Belgio cum novâ nuptâ fratre, domum tandem cum
ſuis reverſus ad Eſenſem curas reflexit. Ad hunc igitur circiter Calend. M. D. XL.
Febr. anni ſequentis M. D. XL tertiò conjugem remiſit, eique tres è nobilita-
te patriâ viros præcipuos adjunxit Heronem Olderſhemium, Egericum Gri-
merſhemium, Tidonem Inhuſanum Cnijphuſii dominum. Hos enim exo-
raverat Comes, ut non ſolùm conſiliis conjugi adeſſent, ſed etiam, ſi cæteris
confectis res poſceret, obſides Eſenæ manerent, donec tormenta, quæ Bal-
thaſar repetebat, rediſſent in poteſtatem ipſius. Sic quippè exiſtimabat, &
illi ſatisfieri, & metui ſuo à malâ ejus fide conſuli pariter poſſe. Nam reſtitu-
tis tormentis re adhuc integrâ non ſolùm ipſe Comes, ſed plurimi quoque
alii verebantur, nec conjugium, nec amicitiæ conditionem eum curaturum.
Sed lubricus anguis ne hoc quidem modo capi ſe ſivit. Nam auditâ cogna-
tâ, quæ & æqua commodiſſimè proponebat, & conditionem hanc pluri-
mum commendabat, cùm aliud non poſſet, religione ſe impediri, quo minùs
aſſentiretur, reſpondit. Iuraſſe enim ſe, ne verbum quidem auditurum ſe
hoc de negotio, priuſquam tormenta recepiſſet: cæteroqui à conjugio &
amicitiâ ſe non abhorrere. Tum illa dolore plena (erat enim conficiundæ
rei cupidiſſima) locuta cum cæteris, comparato cum ipſis conſilio, ad mari-
tum redituram ſe dixit, & periculum facturam, an huc inflectere mentem
ejus poſſet; intereà obſides illos Eſenæ relicturam, donec aut ipſa revertere-
tur, aut aliquid certi renunciaret. Atque ita Eſenâ volente Balthaſare diſ-
ceſſit. Sed nequicquam apud maritum cùm laboraſſet, qui fidere Balthaſari
non audebat, decimo demùm die, quos Eſenæ reliquerat, revocavit. Bal-
thaſar autem eo cognito, dolorem præ ſe haud levem tulit, quod pertinaciâ
Comitis (ſic enim ajebat) res infecta maneret, cujus ipſe percupidus eſſet.
Hi contrà diſceſſuri ſua ſtudia prolixè polliceri, & honorificè ab illo dimiſſi,
curruque ipſius Auricam vecti, nil non tentare, agere, in eo eſſe, ut quoniam
optatiſſimam rem Balthaſar ultrò jam cupere videretur, iſtuc quoque Co-
mitis animum inclinarent. Sed obſtabat ea, de quâ dixi, diffidentia, ut ante
fidem conjugii datam, & pacta ritè ſignata, reſtituenda tormenta Comes
non arbitraretur. Remiſſus tamen Eſenam Grimerſhemius cum ſcribâ à ſe-
cretis, & mandati literis, qui experiretur, an perſuadere Balthaſari poſſet, ut
acceptâ de fide publicâ cautione idoneâ Nordæ ſe ſiſteret, & coram cum
Comite, (nam & hic eôdem venturum ſe, & ſororem quoque ſuam Arm-
gardem, de cujus nuptiis agebatur, promittebat) tum de matrimonio, tum
de controverſiis omnibus finiendis colloqueretur: id enim ultimum reſta-
re, qua medela vulneri tam latè noxio adhiberi poſſe videretur. Sed ut id fa-
ceret, Eſenſis induci nullo modo potuit. Hoc extremum conatuum illorum
fuit. Manſitque res tota infecta, ſive ſeriò in eam inclinarit Balthaſar, ſeu in-
clinare ſe ſimularit. Vtrumque ab aliis atque aliis creditum. Hoc verò con-
ſtat, maximas diffidendi cauſas utrique fuiſſe. Nam præter aſpera facta al-
terna atrociſſimis verborum contumeliis ſe mutuò publice privatimque af-
fecerant, & Balthaſar à promiſſi pactiq; fide non ſemel receſſerat. Sed à Deo "

M. D. XL. decretum erat, ut pœnas ipſi ſibi accerſerent, & in eas ruerent, qui meruerant. „ In his Balthaſar odio Bremenſium plus ſatis ardens per ſe, & ſupplicium atrox de Bohemo ac prædonibus ſumptum ignominiam & injuriam ſuam eſſe putans, etiam ab hominibus aliquot militiæ deditis, quibus mala publica quæſtui eſſe ſolent, haud ſegniter in bellum incitabatur. Quorum ſermo erat, contumeliam intolerabilem illi irrogatam: eam reponendam autoribus, aut majore etiam vindicandam: poſſe id fieri ab eo, ſi vir ſit, & ſui ſimilem ſe gerat: Bremenſium vires per ſe bello foris gerendo exiguas & infirmas eſſe: proſcriptionem, quâ ſe jactent, verba non arma adferre; rem ipſam docere, illorum causâ, ex his, quibus imparata auxilia ſint, neminem ſe commovere, aut gladium educere; nec moris hominem eſſe, ob alios labores & pericula ſuſcipere: aliam Balthaſaris ac Bremenſium conditionem eſſe: hunc enim domi ſufficere ſibi, ac fortunam ſuam tueri poſſe; peregrinis & longinquis commerciis opus non habere: illos contra negotiationibus externis, atque uſu maris carere haud quaquam poſſe: itaque terrâ marique hoſtibus eſſe obnoxios: ad eam rem commodiſſimum litus & portus aptiſſimos ipſum tenere, ac poſſe quôlibet repentè excurrere, & ſe penè ſine periculo recipere: arces benè munitas, & agrum ſepoſitum, invium, Bremenſibus inacceſſum poſſidere: denique ajebant, à principibus viris injuriæ aliquid feras: à plebe ignobili contumeliam cum injuriâ inultam perferre, non eſt animi generoſi. His ſtimulis accedebat alius à Ieveranis. Nam à multis annis non benè Balthaſari cum Mariâ ſobrinâ ſuâ, ac Boijngo, qui rebus pro eâ præerat, & pleriſque in populo ejus conveniebat: magiſque quies ab armis per aliquot annos, quàm amicitia, aut pacati animi inter eos fuerant. Quinimò, ait Grimerſhemius, ſpes à Ieveranorum nonnullis occultè facta tum erat deficiendi ad ipſum, ſi quid cœpiſſet movere. Sed nihil magis bilem ejus commovit, quàm quod commercia colere, & occultum fœdus contra ſe habere cum Bremanis ſobrinam intelligeret. Itaque ut animo tumeſcenti ſatisfaceret vindictâ, quantâ potuit celeritate militem conſcripſit, confecitque copias ad capita M D vere adulto. Nec deerant eodem tempore ſibi Bremenſes, qui fruſtra aliorum motum & auxilia cùm huc uſq; expectaſſent, ipſos ſe in bellum accinxerunt, exercitumque confecerunt. Huic rei velut ſummum militiæ ducem Theodoricum Hoijerum conſulem ſummâ virtute virum præfecerunt, eique Conradum Penningum, & Ioannem Seggerdium homines militares adjunxêre. Simul Comes Enno quoque qui omnia Balthaſaris ſuſpecta habebat, ut in iis motibus ſibi ſuiſq; tempeſtivè proſpiceret, per Ioannem Griethuſium militum manum benè validam coëgit, eamque apud Nordanos & Berumanos diſpoſitam, ad quodvis momentum in procinctu eſſe juſſit. Et hæc conſilia ejus juvit frater Ioannes, menſe Martio in patriam reverſus cum conjuge & comitatu ſplendido ac magno. At Maria Ieverana, quæ audiebat, & ex ipſa re perſpiciebat, in ſe primam Balthaſaris vim verſum iri, Ioannem Vnſtenium, genere nobilem ex agro Groningano, quem tum ſecum habebat, ad Ennonem celeriter mittit Auricam: per hunc copiam militum illorum, quos Comes coëgerat, petit, & pecuniam in ſumptus offert: &, ut faciliùs impetret, datis in hanc rem fidei literis, oſtendit paratam ſe de omni controverſiâ cum ipſo & fratre amicè tranſigere, rogatque in eum uſum colloquium primo quoque tempore condici. Quâ eſca illectus Comes volente & ſuadente fratre conſentit ſine morâ de militibus, & diem colloquio conſtituit Reepſholti loco Ieveranis finitimo & commodo. Sed difficultas erat in ipſis militibus, qui in Ieveranæ ſacramentum & ſtipendia ſe conferre recuſabant. Quapropter Comes, ut eorum voluntatem conciliet, Auricam eos evocat, atque ibi ipſe in coronam progreſſus, hortatur rogatque, ut ſi aliter perſuaderi nolint, in ſui gratiam militiam Ieveranam capeſſant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

capeſſant, hac tamen lege, ut ſi eorum operâ ipſe habeat opus, ſine morâ ad ipſum revertantur. Sic enim ſibi cum Ieveranâ conveniſſe affirmabat. Id incitamento iis fuit, ut qui antè tergiverſabantur, jam alacres autorari ſe paterentur. Ita agmen Freburgum ductum, atque inde in agrum Ieveranum porrò profectum eſt. Eodem die, quo id factum, Balthaſaris militiæ præfecti hoſtile agmen, in quo ſtipendiarij ejus milites, & plebs ruſtica ad arma vocata inerant, ad Middochium vicum Ieveranæ ditionis in Wangros duxêre, & obvia longè lateque in agro ubere depopulantes, & vaſtantes, & prædas agentes, & incendia cientes, relictâ ad latus Ieverâ ſub veſperam Scortenam vicum inſignem Oſtringiæ pervenêre, ibique noctem egêre, poſtridiè Ieveram ipſam tentaturi. Sed cùm primâ luce cognoviſſent, militem, quem dixi, per noctem eandem in oppidum atque arcem ingreſſum eſſe, de ſucceſſu deſperantes, caſtris iſtinc repentè motis, & omnibus Ieveranæ ditionis, ad quæ pertingere potuêre, direptis ac ferro flammâque perditis, trajecto inter invia Vpſloto loco anguſto ad ipſos hoſtici terminos infeſti conſedêre. Hos verò, qui Ieveranarum partium erant, ſecuti in conſpectu eorum caſtra caſtris oppoſita locarunt. At poſtridiè quàm Balthaſariani Scortenâ moverunt, in colloquium coiêre in fano Reepſholtano miſſi cum poteſtate ab Ennone ſimul ac Mariâ Ieveranâ, facilioribus jam his ob periculum ſuum, & paratiſſimum ab Ennone auxilium, Belgarum curis aliò tum intentis: iidemque haud difficulter in has leges conſensêre, ut poſthabitis condonatiſque injuriis atque odiis prioribus mutuo ſibi auxilio eſſe partes impoſterum tenerentur. Vnicum tantùm caput fuit, de quo tum tranſigi non potuit. Sed ne quid inde ſcaturiret novi mali, repetito colloquio poſt aliquot dies, quod circiter Ioannis Baptiſtæ fuiſſe Grimerſhemius notat, quem hîc paſſim ſequimur, eodem illo in loco hoc quoque fæliciter compoſitum eſt. Quæ verò aliæ leges tranſactionis hujus fuerint, dicere non poſſum: quia formulam ipſam videre mihi hactenus non licuit. Comes quidem & frater ſatis commodè conſultum rebus ſuis in tempus futurum ſpe ſucceſſionis exiſtimantes, quod in actis poſteriorum temporum ſcriptum reperi, litem Spiræ in judicio pendentem miſſam fecerunt, Boijngumque famæ reſtituerunt. Poſt quæ Maria Ieverana, ut ſe validiùs firmaret, majoreſque militum copias pararet, Boijngum ſuum Bremam miſit, & per eum arctiùs fœdus cum civitate in perniciem Balthaſaris percuſſit: cujus caput erat, ut ſummis viribus pars utraque bellum in eum gereret, nec antè abſiſteret, quàm is in ordinem eſſet redactus. Ea res oportuna Bremenſibus ob ſitum regionis Ieveranæ longo tractu Harlingiæ Balthaſarianæ conterminæ, animos eorum ardentiùs excitavit, ut omnibus viribus explicatis ſemel jam debellandum infenſiſſimum hoſtem, & id periculum ſubmovendum putarent. Itaque corrogatis, quæ poterant, auxiliis à ſociis civitatibus fœderis Anſatici, quæ tenuia fuêre, quàm celerrimè Conradum Penningum, Meinardum Hammium, Ioannem Seggerdium cum copiâ eâ militum, quam jam habebant, & apparatu bellico, ſub auſpiciis Theodorici Hoijeri conſulis, & ſenatorum aliquot, qui conſuli in conſiliis adeſſent, in agrum Ieveranum jubent ire. Hi cum Ieveranis conjuncti, qui multo tempore, eo, quo dixi, loco, caſtra contra hoſtes habuerant, & eorum motus obſervaverant, irruptiones in fines ſuos prohibuerant, in Harlingiam Balthaſari parentem irrumpunt, hoſtes in fugam agunt, & in loca munita ſe recipere compellunt. Tum agrum totum copioſiſſimum liberè percurrunt, populantur, ferro & igne vaſtant, fana ipſa nolis ingentis molis è turribus aut fanorum faſtigiis, exemplo Balthaſarianorum, qui idem in Wangriâ & Oſtringiâ nuper fecerant, detractis & confractis, & materiâ avectâ, violant. Mox exercitu diviſo Bremenſes, Eſenam, in quâ Balthaſar erat, Boijngus cum Ieveranis Witmundam, nõ procul M. D. XL.

M.D.XL. finibus eorum ſitam, obſidione cingunt, ne quid importari aut exportari poſſit. Quæ cùm in longum utroque loco traheretur, gravis morbus Comitem Ennonem invaſit, qui eum Emdæ è vivis exemit die VIII Cal. Octobr. ſub horam VII veſpertinam, in medio ætatis robore, cùm vixiſſet in terris annos XXXV & menſem unum, à morte patris gubernacula patriæ tenuiſſet annos XII, ac menſes VII. Reliquit ex conjuge genitos filios tres Edſardum, Chriſtophorum, Ioannem, filias totidem, Eliſabetham, Annam, Heilwigem, in puerili ætate omnes. Patri diſſimillimus, ingenio facili ac valdè mobili, in morum mollitiem & Venerem valdè præceps, in religione mutans, & aurem importunis hominibus temerè commodans, atque ex Geldrico fœdere eccleſiarum ſtatum tranquillum turbans, in Brabantiâ, ut gratum Burgundicæ aulæ faceret, ſacrificis papanis nimiùm familiaris: quanquam ultimo vitæ anno velut pœnitens peiorum, vocato ad ſe Ioanne Laſco Polono, viro maximo & doctiſſimo, & orthodoxiæ ſtudioſiſſimo, de reformando eccleſiarum ſtatu prioribus actionibus deformato ſeriò deliberarit, & ex illius conſilio, quoniam ipſe tum recuſabat, ἔφορον, quem ſuperintendentem vocant, ex doctiſſimis aliquem vocare, atque eccleſiis præficere conſtituerit. Alioqui ſubditis benignus & facilis, atque ipſe viciſſim iis non ingratus. Conjugio fæliciſſimus, quod liberis ejus ſaluti fuit. Nullo verò conſilio infælicior, quàm belli Eſenſis, ex quo Lerna malorum per totum quadriennium in univerſam Friſiam inter Amaſum Dullartumque & Iadam perfluxit. Corpus ejus ſepulchro conditum Emdæ in templo majore, præſente fratre Ioanne & fratriâ Dorotheâ, qui hactenus in Friſiâ manſerant, ducente totâ nobilitate, & civitate Emdanâ, & magnâ reliquorum ordinum totius regionis multitudine. Funus elatum ex arce in ædem Franciſcanam, & ex eâ in majorem, ubi ſumptuoſum & ſpectabile Mauſoleium, qualia pauca in Germaniâ reperire licet, à viduâ poſteà ei ſtructum, in quod reliquiæ quoque majorum Nordâ ſunt tranſlatæ. Interea utraque obſidio continuata, Eſenæ ſingulari arte tormentorum magiſtri è caſtris Bremenſium ignis Græcus injectus, quo major pars oppidi cum templo conflagravit. Quod quanquam præſidii militum, quod in arce & oppido erat, animos non fregerit, tamen Balthaſarem conſternatum reddidit, propterea quod præter eam calamitatem, & omnium rerum anguſtiam in oppido nullum univerſæ fortunæ ſuæ exitum videre poſſet. Nam omnia illi nũc adverſa erant. Hoſtis quippè publicus judicatus proſcriptuſque, foris omnibus ſuis ad libidinem hoſtium vaſtatis, etiam ipſam auxiliorum ſpem amiſerat: & jam iſtuc ſe recidiſſe non ignorabat, ut paulò pòſt ipſi ſibi cum munitionibus ſuis in manus hoſtium infenſorum veniendum eſſet: nec quenquam, qui vicem hanc ſuam doleret, habere ſe noverat præter ſororem Retbergicam, & filium ejus parvulum, in quibus opis nihil erat. Tum ipſa eum lancinabat conſcientia tot mortalium ſuâ culpâ perditorum, dum modum iræ & cupidini ſuæ ponere non noſſet, aut non vellet. Itaque triſtibus cogitationibus ſe afflictans, ex animi ægritudine morbum corporis contraxit, qui indignantem & frementem ſuſtulit è medio altero die poſt Eidus Octobris. Hic finis fuit viri totâ vitâ turbulenti, de quo dubites turbulentiorne fuerit, an injuſtior, & in mutandâ fide levior promptiorque: qui cùm pœnas divinæ providentiæ deberet, ipſe conſiliis ſuis eas accerſens hunc calamitoſum exitum habuit. Eo verò mortuo nihilominus præſidiarii in tuendo oppido & arce ſtipendiorum ſpe, quæ ſolvi ſibi velut deditionis præmium poſcebant, pertinacibus animis perſiſtebant. Idemque faciebant illi, qui Witmundæ erant obſeſſi. Quam dum premit, & temerè ſe periculo infert Boijngus rei gerendæ præfectus, tormento medii generis, quod hacam vocant, trajectus occubuit, multorum & ipſe malorum autor in iſtâ Friſiæ regione. Nam huic potiſſimùm Comites

acceptum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

acceptum tulerunt, quòd Ieveræ imperio exciderint: unde armorum motus, populationes, incendia, cædes ſunt ſecuta. Qui cùm in fide Comitum eſſet, & pactorum cuſtos audiret, offenſus neſcio quâ re, aut, ut fama ferebat, cum Mariâ familiariùs conſueſcens, ac ſibi imperium ſtruens, conſiliorum telam Comitibus turbavit, & ad Burgundos rem Ieveranam traduxit. Dicitur poſtremò vitæ actu pœnituiſſe priorum, & conſilia verſaſſe cum Ennone redeundi in gratiam, & reconciliationis nuper inter eum & Mariam hortatorem & autorem præcipuum fuiſſe. Id nos in incerto relinquimus. Periit pridie Eid. Novembr. poſtridie feſti Martino Turonenſi ſacrati. Hoc modo continuis penè funeribus intra dies XXVI tres præcipuos Rectores hujus oræ inter Amaſum & Iadam mors abſtulit. Quod variis ſermonibus, pro ingenio hominum, cauſam dedit. At præſidiarii Eſenæ obſeſſi, quibus Theodoricus Grollæus præerat, à morte Balthaſaris, omnium jam rerum inopes, cùm ſtipendiorum quoque ſpem illam, quam dixi, perdidiſſent, nec exitum alium è malis viderent, neceſſitati obſecuti paulò pòſt deditionem fecerunt. Eorumque exemplum etiam reliqui, qui Witmundam tuebantur, imitati victoribus ſe permiſerunt. Hoc modo Bremenſes, quorum auſpiciis res potiſſimùm geſta erat, quique proſcribendum Balthaſarem procuraverant, ſolutis Ieveranæ XII aureorum Emdenſium millibus, ut ipſis jus ſuum cederet, Eſenâ, Witmundâ, Stedeſdorpio, totâque adeò Harlingiâ, quæ Balthaſaris fuerant, potiti ſunt. In harum rerum curſu, Balthaſaris ſoror Onna (hoc enim verum ei nomen erat, quamvis vulgò Anna diceretur) Ottoni Retpergio nupta, cui filius ex eo unicus, Philippi Lantgravii Haſſiæ cliens, apud eundem Lantgravium educebatur, certior facta de fratris morte, ad principem hunc ipſum ſe contulit, fortunamque ſuam & filii impuberis apud eum prolixè & cum fletu lamentata, hoc effecit, ut princeps eorum miſertus interceſſurum ſe pro ipſis apud Bremenſes polliceretur. Ejus igitur operâ ac ſtudio inductis huc Bremenſibus dies colloquio dictus fuit, miſſusque ex Haſſiâ legatus Henningus Burtfeldius, vir magnâ virtute magnoque ex re militari nomine. Actione inſtitutâ omnia pro Bremenſibus eſſe comperiebantur: armis captam provinciam, juſtas armorum fuiſſe cauſas, Balthaſarem autoritate publicâ proſcriptum, cujus opes ſine dubio ſecundùm jus factæ eſſent occupantium. Pro Retpergiis hoc unum ſpecimen juris dabat, quod Balthaſar nondum captâ Eſenâ, & Witmundâ adhuc ſe tuente è vivis abiiſſet, & quod, quicquid ille tunc in poteſtate tenebat, ad hæredem ſororem tranſiſſet. Sed hac ſpecie multò potior validiorque fuit intercedentis gratia: quæ tantum potuit apud Bremenſes invidiæ & offenſionis metu, ſi ei locum non daret, ut in has leges admiſſa ab iis ſit tranſactio. *Vt Onna & ejus filius, Balthaſaris opes omnes à Bremenſibus reciperent, ſed earum nomine clientelam Bremenſium profiterentur, eademq; ratio ad hæredes ac poſteros tranſiret: Eſena, Witmunda, totiusq; Harlingiæ loca munita, poſcente re, paterent Bremenſibus, ſed ſine poſſidentium impendio; utrique ſibi mutuo auxilio eſſent contra turbatores, aut vim facientes; Bremenſesq; clientes fideliter tuerentur: hi viciſſim prædones maritimos, alioſq; id genus homines negotiantibus terrâ mariq; moleſtos non receptarent, ſed potiùs perſequerentur, & commercia tuta pro modo virium præſtarent: jus eâ in provinciâ rectè & juſtè adminiſtrarent: rebus naufragis, poſthabito iniquo ac barbarico jure, ſeu more veteri abſtinerent, darentq; operam ut inſulani naufragantibus auxilio eſſent, nec quicquam ab iis præter laboris ac operæ mercedem æquam exigerent: in fluitantibus aut caſu inventis rebus juri communi locum darent: frumentum, butyrum, caſeos emere per Harlingiam Bremenſibus ſine impedimento liceret. Onna & ejus filius in reficiendos belli ſumptus, & reparationem damnorum à Balthaſare per prædones civitati illatorum, Bremenſibus penderent ſtatim unciales numos argenteos vicies mille, & præter hos intra quinquennium ejuſdem generis numos quadragies mille, penſionibus in ſingulos*

M. D. XL. *gulos annos paribus: Ieveranæ belli ſociæ quoque cautum, & juris aliquid, quod Baltha-
ſar ſibi arrogarat in prædia duo vici Wibelheny adſcriptum.* Signata hæc à Lantgra-
vio, Erneſto Luneburgio, Iodoco Hoijnenſi, Ioanne Diepholdio, ipſo deni-
que Ottone Ritpergio Onnæ marito, qui actioni præſens adfuerat, tan-
quam pactorum teſtibus vindicibuſque: & poſt hos ab Onnâ & filio ejuſ-
dem, & Bremenſibus: demum à populo quoque Harlingio, & ſenatu Eſenſi,
quorum intererat. Actum ipſis Calend. Decembr. ejuſdem anni M. D. XL.
Eædem tabulæ pactorum à Carolo V Cæſare ante exeuntem hunc annum,
ut ferunt Breměſes, in Belgio ſigillo confirmatæ. Hero Werdumanus vir no-
bilis Harlingius pro impubere Ritpergio & ejus matre per ſacramentum ſo-
lenne à ſenatu Bremenſi in poſſeſſionem novi feudi immiſſus. Et hic annus
menſe Februarij è vivis exemit Georgium Scencum Teutoburgium, guber-
natorem Friſiæ inter Amaſum & Flevum: cui Maximilianus Egmondanus
Buræ Comes, Florentii filius, ex voluntate Caroli Cæſaris ſucceſſit. Decem-
bri menſe ordines ejuſce regionis coiëre Leoardiæ. Illic proponentibus de-
lectis, actum de tollendis vitiis, quæ ex normâ decretorum priorum tolli de-
bebant, & de aliis, quæ obrepſerant reip. corrigendis, deque edictis Cæſaris
non ita nuper publicatis, quæ adverſari libertati populi videbantur, repro-
M.D.XLI. bandis. Anno M. D. XLI ſurgente à viduâ conjuge Ennonis, Annâ Olden-
burgia, Eggericus Beninga Grimerſhemius, & Tido Cnijpenſis Bremam
miſſi, poſtrid. Non. Ianuarii in curiâ ſenatui expoſuêre jus, quod Comites
Friſiæ Orientalis in totam Harlingiam ipſamque Eſenam & Witmundam te-
nerent, exhibitis etiam Cæſarum trium diplomatis id arguentibus, & com-
memoratis oneribus, quæ regionis hujus nomine Comites Imperio Germa-
nico penderent. Quapropter monuere ſenatum, ne quid ageret hac in par-
te in fraudem impuberum Comitum, nec cauſam querendi de injuriâ
apud Cæſarem, & cæteros Germanici Imperii ordines daret. Quibus à ſe-
natu oppoſitum jus novum juſto bello acquiſitum, & verba verbis reddita.
Tum pridie ejus diei ipſis Nonis Hintæ obiit Omco Ripperda, vir in hac Fri-
ſiæ parte celebris, ſæpè priùs nobis memoratus, ſepultus in fano Hintano.
Eodem tempore obiit etiam Sibrandus Eddonis F. jureconſultus, judex pro-
vincialis eadem in regione, reliquitque poſteris gratam ſui memoriam. Aliud
eo anno inter Amaſum & Viſurgim nihil accidit memoriâ dignum. At inter
Groninganos & Dammonenſes de controverſiâ diſceptabatur, de quâ di-
ctum priùs. Dammonenſes tum per ſe rei hujus cupidi, tum ab aliis ſtimu-
lati, qui ſuâ quoque intereſſe exiſtimabant, quod ſemel anno M. D. XXXVII
cœperant, urgere ab eo tempore non deſtiterant: Scencum precibus fatiga-
re, hujus gratiâ intercedentibus aliis ſublevari, poſt diverſa cum Groninga-
nis ſtudio hujus fruſtrà tentata, querelas reginæ Rectrici offerre: & cùm ad-
miſſi eſſent, longiùs deſideria extendere: Denique impetrarunt ab eâ, ut co-
gnitores darentur, qui utrâque parte auditâ controverſiam, ſi poſſent, amicè
componerent: ſi non poſſent, ad ipſam reginam cuncta referrent. At ab his
operâ prolixâ & diligenti perditâ, cunctiſque ad reginam relatis, ea partibus
evocatis, litem ſine judicio tollere conata fuit. Cùm verò nequicquam ſe
laborare animadverteret, videretque & cognitione pleniore, & judicio opus
eſſe, ad Hovetmannos judices litigantes remiſit, juſſitque apud eos totam
cauſam diſceptare, ſententiamque ab his ipſis & gubernatore expectare, quæ
litem finiret. Simul decretum interpoſuit, cui pareretur interea, dum lis
pendêret. Ejus ſumma hæc fuit. *Dammonenſes juriſdictionem habeant eam, quam
habere ſolent, ſalvâ poteſtate appellandi Hovetmannos, ac ſalvo jure eorum, quorum in-
tereſt: liceat iis frumentum in agro circumvicino natum emere vendereq́; quantum ve-
lint; ſed exportare, aut exportaturo vendere non liceat: liceat item butyrum, caſeos,
lardum, & quæ his ſimilia, toto agro mercari, venundare, in tabernis inſtitoriis promer-*
calia

talia habere, minutimq́; diſtrahere; quod verò hoc modo diſtrahere non poſſunt, foro M.D.XLI.
Groningano ſiſtant: liceat cereviſiam coquere in uſum domeſticum, qualem volunt; at
venundare quæſtus causâ haud quaquam liceat, non doliis totis; non menſuris minori-
bus: Similiter liceat omnis generis opificiorum officinas habere, operaq́; officinarum
diſtrahere; vinum itidem emere, vendere, exportare, quemadmodum & omnes alias
merces exoticas; navigia quoque exercere, hisq́; ſua & aliena, de quibus foro Gronin-
gano ſatisfactum, vectare in omnes plagas impediente nemine: ad hæc altilia quævis
mactare, mactataq́; ſive integra, ſive in partes ſecta divendere; panem etiam pinſere,
& eum vel venalem habere, vel in uſum familiæ vertere: liceat præterea in nundinis
Groninganis cum cæteris nundinari: exoticam cereviſiam emptam condere in uſum
ſuum, exportare, venundare domi foriſq́;. ſed cauponum more per menſuras minores
domi promercalem non habere: quinetiam liceat equos, boves, vaccas paſcere, merca-
ri, precio alteri addicere in circumvicino agro, verùm extra agri fines non abigere ac
vendere, niſi præſtito eo, quod fori Groningani jus poſcit. Interim quietè & amicè
inter ſe degant utrique uſque dum ſententiâ latâ lis finiatur. Actum Bruxellæ
die III Nonarum Auguſti. Ita judicium apud Hovetmannos conſtitu-
tum. Sed & Dammonenſibus hoc in judicio lis in arctum contracta: peti-
ta tantùm facultas libera emendi toto agro, vendendi, commutandi, etiam
exportandi butyrum, caſeos, lardum, adipem, ſevum, & his ſimilia ab altili-
bus provenientia non habitâ ratione fori Groningani. Iudicii proceſſus
aliis ſuper aliis remoris injectis, ac litigiis infartis, in annos XXVI extractus
priuſquam finem poſſet invenire. Apud Tranſlavicanos atque in Flevum
eodem hoc anno geſtum quidquam in commentariis eorum haud reperio,
præterquam quod ineunte autumno Leoardiæ conventus ordinum ſit
actus, protractus diu: in quo denuò in vitia reipub. inquiſitum, & de reme-
diis cogitatum. Cui curæ annus quoque ſequens, & poſt eum alter tribu-
tus. Notat Grimerſhemius aquas gelu cœpiſſe ſtringi anni hujus princi-
pio die ſcilicet III Nonarum Ianuarii, idque ſine intermiſſione duraſſe
ad diem uſque II Nonarum Martii, quo die adhuc pedibus per glaciem
traijci Amaſus ad arcem Orthanam potuerit. Anno M.D.XLII vergente M.D.XLII
hyeme Comes Ioannes Ennonis frater, qui cum omni familiâ aulicâ hacte-
nus non ſine onere liberorum fratris ſui in patriâ manſerat, à Mariâ regi-
nâ evocatus, quæ præter gubernationem Principatus Limburgici recens
à fratre præfecturam Falcoburgiam & Dalenſem, & reliqui tractus ejus
viciniæ trans Moſam ei impetraverat, Bruxellam ſe contulit, ut præſens
res illorum locorum conſtitueret. Atque ille profectus, vixdum rebus
ibi conſtitutis, quàm celerrimè in patriam recurrit, ut cenſibus ſuis in Bel-
gio parceret, & impendio hæredum fratris familiam aleret, & pariter ad-
miniſtrationi rerum, quam ad ſe pertinere verbis & factis præ ſe ferebat,
illic incumberet. Quod cùm faceret, multorum animos in patriâ gravi-
ter offendebat, qui ſentiebant in pactis ipſum non manere, & impube-
ribus fratris liberis facere injuriam. Et unguis in ulcere hîc erat, quòd fe-
rebatur dixiſſe, contractu cum fratre, ut periniquo in ſe teneri ſe nolle,
nec ferre poſſe, ut iſto nomine L illa millia aureorum ſoluta ſibi impu-
tentur: quodque hanc ob cauſam, quæ reliqua ei debebantur totidem
millia, quæ parata jam dudum erant, in ſolutum ſibi numerari non vole-
bat. Itaque jam tum cogitatum fuit ab iis, qui Ennonis liberis, ipſique pa-
triæ ac eccleſiæ benè volebant, quâ ratione conſiliis ejus quàm commo-
diſſimè obviam poſſet iri. Palam enim contraire ipſo præſente ob incer-
tos vulgi animos haud quiſquam audebat. His verò percommodè accidit,
quod à reginâ Ioannes circiter Pentecoſten revocaretur in Belgium. Fa-
ma namque erat, ingens bellum à Franciſco Galliæ rege in Belgas para-

ri, ſocio Chriſtiano rege Daniæ. Voluit igitur ipſa, ut alios provinciarum
M. D. præſides, ſic hunc quoque præſentem curandis rebus adeſſe. Quapropter
XLII. abiit quidem iſtuc Ioannes penè invitus, ſed conjugem gravidam cum toto gynæceio in Friſia reliquit: quæ abſenti illi filium Maximilianum edidit, cui Falceburgio poſtea cognomen fuit. Et eo quidem tempore tribus maximis exercitibus, diverſis locis, ſimul Galliæ rex Cæſari in Hiſpaniâ tunc degenti poſt infælicem expeditionem Africanam bellum intulit. Quo bello Guilhelmus Cliviæ Dux Galli ſocius per Martinum Roſſemum, validiſſimis copiis inſtructum, conjunctis cum Longovallio viribus Brabantiam invaſit, magnumque terrorem omnibus in circuitu vicinis incuſſit. In hunc igitur cùm militandum Ioanni eſſet, metum non abs re pungere animos ſuos ferebant plerique procerum, quibus ſalus reipub. & fortuna liberorum Ennonis curæ erat, ne is militiam Ioannis patriæ ipſius imputaret, atque ab eâ innocente, quod fieri ſæpè ſolet, pœnas expoſceret. Quapropter occaſione raptâ, communicatâque cum fidis re, Auricæ coëuntes, repetitis ibi prioribus actis, quæ iſtuc faciebant, ſatis jam cauſæ eſſe judicarunt, cur ad amovendum à patriâ periculum, viduæ matri tutorio nomine pro filiis patriam recturæ ſacramentum ab ordinibus diceretur. Quod cùm placuiſſet omnibus, & à Tidone Cnijpenſi linguâ præ cæteris prompto, & ingenio acri, viduæ propoſitum eſſet, hæſit ipſa aliquandiu, nec aſſentiri auſa fuit. Sed animata ab omnibus præſentibus, & commota periculis reipub. ac filiorum, quæ ei proponebantur, ni conſilio parêret, tandem ſe in poteſtate eorum futuram oſtendit. Verùm viciſſim ſtipulata ab iiſdem eſt copiam conſiliariorum perpetuorum, qui in gerendâ repub. prudentiâ & autoritate ſuâ ipſi adſiſterent. Atque hoc ut promptè ei conceſſum, ſic aliud quoque non petenti tributum eſt, ut quos vellet ex omni numero, conſiliarios ipſa eligeret. Re deinde ſecretâ æſtimatione penſitatâ, electi ſunt illicò principes nobilitatis patriæ. Atque hi iſtic relictis rebus ac ſine omni morâ, mox reliqua nobilitas, dein antiſtites cœnobiorum pauci, poſt arcium præfecti, judiceſque, tum ſenatus populuſque Emdanus, denique omnes ſubditi alii poſt alios ſacramento ſe illi obſtrinxerunt, adſiſtentibus ubique tribus filiis, & verba pro ea faciente Tidone Cnijpenſi. Mox legati duo ad Comitem Ioannem in Brabantiam miſſi ſunt Gerardus Sinellius abbas cœnobii Vallis Mariæ apud Nordanos, & Ioannes Hornemannus jureconſultus. Qui cùm ipſum adiiſſent, ut in mandatis habebant, mentis ſuæ ſenſa commodùm exonerarunt atque intrepidè exponere cœperunt, quid actum domi, & quare actum: rogaruntque, ne ob hæc animum ſiniſtrâ & maleſuadâ opinione imbueret aut præter expectationem perperàm interpretaretur, cogitaret, quot annos quàm variis ac magnis malis jactata & afflicta eſſet infælix patria; non eſſe æquitatis, non benevolentiæ, non virtutis ipſius, poſtulare ob ſe in præceps rurſus eam agi: ad hæc petere omnes ordines, ut contractum cum fratre dudum initum, & coram reginâ Mariâ repetitum, firmum ratumq; velit eſſe, & L illa aureorum millia ex contractu adhuc reliqua in ſolutum recipere. Sed is cum ſtomacho reſpondit, legatoſque non ex animi ſententiâ confectâ re domum remiſit, quanquam uterque eſſet ſatis ad genium ipſius. Quamobrem hi ad ſuos reverſi plus ſollicitudinis quàm gaudii iis retulerunt. Magis enim magiſque eluceſcebat, quo animo Ioannes eſſet, quæque conſilia agitaret. Anno deinde ſequente, qui erat M.D.XLIII, idem Ioan-
M. D. XLIII. nes, cùm bellorum causâ adhuc in Belgio retineretur, pecuniâque opus haberet in res ſuas, datis in patriam literis ultrò petiit, ut ſibi XX aureorum millia mitterentur, ſine quibus in poſſeſſionem venire arcis Falcoburgiæ non poſſet: ea in ſolutum ſe accepturum. Quo nuncio exhilarati, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

qui rebus cum viduâ præerat, ſine morâ per Eberhardum Gravium, & Rotgerum Grauwerum pecuniam hanc ei miſerunt. Verùm hîc quæſitâ novâ verborum ſuorum interpretatione, ex contractu illo eodem, de quo ſæpè nunc dictum, pecuniam ſe accipere apochâ datâ teſtari noluit. Eo per hos cognito turbati cum principe vidua proceres patriæ mox Eggericum Grimerſhemium, majoris autoritatis virum, & Henricum Grauwerum ætate jam gravem, magniſque in rebus verſatum, & Emdanæ præfecturæ præſidem, eôdem ire juſſerunt, atque his Eberhardum Gravium rurſum adjunxêre. Sed & hi cùm in caſtris in agro Falcoburgio eum adiiſſent, nec quicquam, quod ad expugnandum ejus animum pertineret, intentatum reliquiſſent, nil aliud potuêre efficere, quàm ut id, quod voce reſpondebat, ſcripto ſigilloque conſignatum, perferendum domum ipſis traderet. Quod & ipſum erat inane. Reſpondebat enim, ubi primùm per belli negotia poſſet, in Friſiam ſe venturum, & cum omnibus cujuſcunque ordinis hominibus ſic tranſacturum, compoſiturumque res ſuas, ut nemo querendi cauſam de ſe ſit habiturus. Quapropter id lectum domi magis animos omnium exulceravit, cauſamque dedit, ut acrioribus conceptus verbis libellus ſupplex, & tamen intra metam modeſtiæ conſiſtens ad eundem in Brabantiam mitteretur. Sed ut acrior hic fuit, ita acriùs etiam animum legentis ſauciavit, & in iram accendit. A quo tempore totus in hoc fuit, cùm Cæſar debellato Clivio in Brabantiam veniſſet ingruente autumno, ut ab eo mandata impetraret his in rebus, qualia cupiebat. Quibus confectis, accepto à Cæſare commeatu, in patriam quàm ocyſſimè contendit, atque opinione hominum celeriùs in arcem Orthanam advênit. Indè verò ipſis Calendis Novembris ſolvens Emdam navigavit, ubi fratriam viduam cum aliquot ex nobilitate eſſe cognoverat. Quo cùm appuliſſet, toruo vultu omnes intuens, nec fratriam, nec quenquam eorum, qui cum eâ erant, ut alloquio aut ſalutatione dignatus, nec cibo, nec potu ſumpto Philippum Dorpium miniſtrum ſuum ad fratriam modò miſit, eique dici juſſit, ut adhibitis, quos vellet, in conclavi majore abſque morâ ſe ſiſteret, audiretque, quæ à Cæſare mandata afferret. Omnia hæc animi ejus graviter offenſi plus ſatis evidentia argumenta. Et paruit vidua ingemiſcens & dolens, quod nullo merito ſuo ſic affectum advenire levirum comperiret: audiitque recitantem miniſtrum ejus plura Cæſaris mandata. Sed in uno potiſſimùm momentum erat, quo edicebat Cæſar, ut tutela liberorum fratris, & adminiſtratio rerum, uſque dum pupilli adoleſcerent, patruo permitteretur. Id verò quia inopinatum non erat, ex tempore reſponſum ab iis fuit, quorum opera & conſilio princeps in rebus hujuſmodi utebatur. Cæſari non parêre, piaculum ſibi eſſe: ſed hac de re Cæſarem malè edoctum ſtatuiſſe: nec dubium eſſe, quin rectius eruditus aliud ſit ſenſurus: patrium jus tribuere tutelam liberorum matri novis nuptiis abſtinenti, nec ab eo jus Cæſareum hîc diſcrepare: idque in more etiam poſitum communi; in patriâ verò valere non ſolùm apud plebem, ſed etiam apud nobilitatem, adeoque in ipsâ Comitum domo: exemplo eſſe Thedam Comitis Ioannis aviam, quæ à morte mariti liberorum res adminiſtrarit, & reip. præſederit, donec ad ætatem rebus gerendis aptam filii perveniſſent: nec aut filios, aut populum imperii ejus unquam pœnituiſſe: Sperare ordines omnes, non tam iniquum futurum ipſum in leges & morem patrium, ut iis vim fieri ſui causâ velit, aut tam malè de fratriâ ſentire, ut eam præſtare non poſſe exiſtimet, quod & Thedam, & fœminas multas præſtitiſſe, atq; hoc quoq; tempore præſtare ipſe non neſciat, aut iſthac ignominiâ publico decreto notandam arbitretur: Eoſdem ordines eum rogare, ut quæ implendo contractui fraterno ſint, ea & agere & admittere ne gravetur: à parte pupillorum cuncta parata eſſe, & reliqua centum millium, & cenſus

MD.XLIII

M. D. XLIII. annuos ei promiſſos. Tum ſecuta diſceptatio, & de tutelâ cùm cedere Comes haud vellet, manſit infecta res: ſed de contractu poſt colloquia varia, expugnatus tandem animus ejus æquitati jurique locum dedit. Numerataque ei ſunt tum XXX millia, quæ ex C millibus adhuc debebantur, tum X millia alia è duûm millium cenſu quinquenni confecta. Ad hæc tabulæ ei datæ ex voluntate omnium ordinum cùm has poſceret, quibus illa quoque pars, quæ erat de cenſu annuo, quem Druxellæ ei frater pollicitus fuerat, à populo confirmabatur. A Comite Ioanne viciſſim per tabulas viduæ liberiſque ejus, & populi ordinibus ſolenni modo cautum de ceſſione totius juris ſui, de quâ cum fratre & ordinibus antè convenerat, excepto Coldeborgo in agro Reidano, quod dono Vdonis Coldeborgii arcis ejus quondam domini tenebat. Quibus circiter diem IIII Eid. Novembr. Emdæ confectis haud paulò lenior animo quàm venerat, hinc in Brabantiam rurſum diſceſſit. M. D. XLIIII. At anno M.D.XLIIII idem è Belgio in patriam reverſus ex Cæſaris decreto tutelæ & adminiſtrationi rerum pupillarium ſe rurſum ingerebat. Sed obſtare vidua princeps, & qui cum eâ faciebant, jure & more patrio ſe tueri, ad tribunal Cæſaris & electorum Imperii provocare: ille propoſito inſtare, à Cæſare minas inferre, ſed rationibus pariter & precibus rurſum victus tandem cedere, & fratriæ gubernationem relinquere; tantùm hoc ſibi reſervare, ne quid ab eâ in negotiis magnis, quæque ad rerum ſummam pertinerent, ageretur ſine conſilio ſuo: viciſſim verò promittere ipſe prolixè ſtudium ac benevolentiam apud Cæſarem, & ſororem ejus Mariam ad promovenda patriæ commoda, & polliceri operam & conſilium in conficiendo ordine aliquo ſeu regulâ regendæ reip. & juris dicundi. Et hæc tabulis ritè ſcriptis conſignata die III Eid. Novembr. Sed ait Grimerſhemius ſtatim in his Ioannem rurſum nutaſſe, & gubernationis munia ſibi ſumpſiſſe, nec antè finem hujus feciſſe, quàm reditum in Brabantiam pararet: tum inſtauraſſe conventionem priorem, tabuliſque novis fratriæ populoque caviſſe, hac tamen lege adjectâ, ut ſibi, quoties in Friſiam venturus eſſet, primæ in eâ partes permitterentur: atque in eo ſtatu rem permanſiſſe.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber LIX.

QVÆ dum continuis aliquot annis in rebus civilibus bello paceque geruntur, eccleſiæ quoque quid acciderit in Friſiâ Orientali breviſſimè hoc loco dicendum. Cùm deſæviiſſet tempeſtas fœdere Geldrico commota, ſenſim tranquillitas quædam afflictas eccleſias reviſebat. Sed tranquillitas ea multis adhuc ulceribus ſcatebat, quæ tempeſtate ipſâ in eccleſiarum viſceribus ſubnata fuerant. Multi enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

enim ingeniis profanis, qui ſacerdotia, velut otioſæ vitæ ſubſidia quærebant, de paſcendo autem grege ſolliciti non erant, ſacro miniſterio obrepſerant: qui licet turbas non darent, doctrinæ & ceremoniarum ſecuri, tamen aut probroſâ vitâ, aut ipsâ ſupinitate in obeundo munere, aut doctrinæ inſcitiâ eccleſiis nocebant, & dedecori erant. Et uti ipſi pietatis expertes erāt plerique, ita exemplis ſuis pietatem in animis plebis deſtruebant. Quod & Papiſmi reliquiis robur ſufficiebat, & hæreſium incremento occaſionem dabat. Quæ cùm apud Ennonem Comitem à bonis, qui gratiâ apud eum valebant (quorum in numero Egericus Grimerſhemius, Hecco Dornumanus, Hero Olderſhemius ex nobilitate, è cæteris Henricus Grauwerus, Hermannus Lenthius, Ioannes Barbatus, Ioannes aurifaber erant) ſæpè deplorarentur, de corrigendis his malis tandem cœpit cogitare. Vivebat tum Emdæ vir magni nominis, & ſummæ eruditionis ac pietatis Ioannes Laſcus Polonus, clariſſimâ familiâ eâ in gente natus, qui religionis causâ ſolum verterat, & literatis omnibus per majorem Europæ partem notus & carus erat, ac poſt peregrinationes varias, ductamque apud Lovanienſes conjugem, ob illuſtre nomen eccleſiæ Emdanæ eo in oppido non ita nuper ſedem poſuerat. Verùm quod aëra loci valetudini ſuæ pergravem & inimicum experiretur, videretque ob perpetuam debilitatem nulli muneri, nulli homini (ſic enim ipſe loquebatur) utilem ſe illic eſſe poſſe, & publici attingere nihil volebat, & aliò commigrare conſtituerat. Hunc igitur Comes Enno ab optimis quibuſque, & quibus autoritas inerat, imprimiſque ab Henrico Grauwero, qui & conſul civitatis Emdanæ erat, & arci præfecturæque proximæ ibidem præſidebat, cùm in colloquium vocaſſet, conſilium ejus de emendandis vitiis & eccleſiis benè conſtituendis exquiſivit. Quo tempore hic idem & Comitis mentem de ἐφορείᾳ eccleſiarum dudum ſermone jactatâ probavit, & quia tum, defuncto pridem Poppone Manningâ, paſtoris locus in eccleſiâ Emdanâ vacabat, ſuaſor fuit, ut in id munus Albertus Hardenbergius theologus inſignis, qui tum erudiendis monachis & habendis ſacris concionibus in cœnobio Adoardio adhuc degebat, vocaretur. Hunc enim Lovanii ſibi cognitum, & non ita nuper Adoardiæ in ſuggeſto auditum tum doctrinâ excellere, tum facundiâ præſtare, & ritè de religione ſentire, præterea prudentiâ, moderatione animi, morum commoditate valere, & has dotes ſingulari pietate ornare, atque eſſe in ætate integrâ dicebat: & plurimum referre ajebat, virum hujuſmodi eum locum in metropoli regionis tenere. Optimum ſanè conſilium, & ab ipſo Comite verbis probatum, ſed effectu deſtitutum. Nam Comes per ſe frigens, cùm aliis, quibus alia mens erat, aures dediſſet, diſtulit primùm rem, mox neglexit, denique inopinâ morte ſublatus infectam reliquit. A morte ipſius cùm fluctuaret fortuna domus, & Comes Ioannes eccleſiis malignus malis illarum frigidam ſufſunderet, diſſenſiones aleret, Papiſmo inſtaurando rationes quæreret, antiſtitum Pontificiorum & monachorum conſiliis multum uteretur, atque interim licentia velut in interregno creſceret, plura quoque vitia res eccleſiaſtica fecit. At habenis imperii viduæ traditis, & ſenatu ſummo ex voluntate ipſius conſtituto, cùm & ipſa, & ſenatorum plerique ſincerâ mente Deum timerent, puritatemque doctrinæ diligerent, & Ioannes abeſſet, de extirpandis vitiis, & promovendis iis, quæ ad augendam firmandamq; fortunam eccleſiarum pertinerent, à multis ſeriò cura ſtatim ſuſcepta: princepsq; vidua officii ſui hac in parte admonita eſt graviter, & contra periculorum metum animata. Imprimis de eccleſiâ Emdanâ, quæ reliquarum oculus erat, diligenter cogitatum, ut ſymmyſtarũ numerus augeretur, ſtipendia honeſta alendis iis cõſtituerentur, collapſus deformatuſq; eccleſiæ ordo refingeretur, diſciplinæ uſus accuratior reprimendis ſcandalis inſtauraretur.

M. D. XLIIII. Laſcus, qui ad id uſque tempus Emdæ ſubſtiterat, hac occaſione excitatus de Alberto Hardenbergio vocãdo rurſum ſubmonuit: & cũ æger corpore domo egredi nõ poſſet, per epiſtolã cum Henrico Grauwero, qui & ipſe valetudinis ergò eodem ferè tempore intra parietes ſuos cõtinere ſe cogebatur, propterea quod & ſtudium ejus in eccleſiam, & gratiam apud Annam principem & autoritatem apud omnes civitatis agrique ordines perſpectam habebat, diligenter egit, ut negotium hoc ſine dubio magnos eccleſiæ fructus allaturum, quantum poſſet, promoveret. Nec Grauwero voluntas, ſtudiumq; defuit; ſed res tamen ex voto Laſci confecta non eſt, ſive in morâ ipſe Hardenbergius fuerit, aliò tum fortè ſpectans (nam Witebergam paulò pòſt ad Melanchthonem, indequè Argentinam ad Bucerum ſe contulit) ſive cauſæ aliæ, quod Laſco dolorem dedit. Adſcitus verò in ſymmyſtarum numerum ſub finem anni ejus Thomas Bramius fuit, vir eximiâ pietate, & in obeundo miniſterio induſtriâ rarâ, atque ob has dotes Laſco percarus. Cum Laſco autem ipſo actum ab Anna principe, hortante Chriſtophoro fratre, nec abnuentibus cæteris, qui ſummæ rerum cum eâdem præerant, ut & paſturam eccleſiæ Emdanæ, quod ſymmyſtæ & ſeniores ejus, & univerſa multitudo impensè cupiebat ac rogabat, & ſimul ἐφόρειαν eccleſiarum omnium totius regionis in ſeſe reciperet. Et hic quanquam excuſaret ſe primùm, & difficultatem rei, ſuam infirmitatem, invaletudinem penè perpetuam, vulgaris linguæ imperitiam prætenderet, tamen tandem cùm & monitus eſſet, & expendiſſet, quid Chriſto deberet, aſſenſus eſt: ſed addidit conditionem, ſi experiretur ipsâ re, gloriam Dei & ab eccleſiâ & à principe in hac ſui vocatione ſpectari, tum ſe in munere manſurum; cæteroqui dimiſſionem eſſe ab utrâque flagitaturum. Factum hoc ineunte anno M. D. XLIII gratantibus omnibus bonis. Erant tum in miniſterio Emdano Gellius Faber Leoardianus, vir doctrinâ & animi magnitudine egregius, qui Papiſmo abjecto in Friſiam Orientalem ſe contulerat, & anno M. D. XXXVI apud Nordanos primùm, deinde anno proximo vocante eccleſiâ apud Emdanos docẽdi munus inierat & Reinerus N. pietatis laude toti eccleſiæ gratus, Thomas Bramius his collega paulo ante addictus, & poſt Bramium, Laſcumq; ineunte vere ejuſdem anni Hermannus Braſſius Oſterhuſanus, ætate juvenis, ſed loco illo planè dignus, ſive eruditionem ſpectares, ſive dicendi docendiq; facultatem, ſive pietatis zelum. His adjutoribus fretus exorſurus munus ſuum Laſcus, quod ei cum principis decreto publicus cõſenſus & ſenatus ſupremi & totius populi tribuerat, ab eccleſiâ Emdanâ, cui paſtor erat datus, ducendum ſibi curarum principium putavit. In eâ unum & idem ſentiebant & docebant ſymmyſtæ, miniſteriumq; ſuum concordi ſtudio ac gratiâ ornabant. Sed ſcandalo erant ſtatuæ in templis relictæ, quas ſine voluntate magiſtratus tollere non licebat. Dein ordinis & diſciplinæ ratio haud ſatis conſtabat, & monaſtica mephitis è cœnobio Franciſcano, quod in urbe eſt, aliquid exhalabat, quod & dedecori & noxæ non parvæ erat, tolerarique haud debebat. Nam quanquam miſſarum veterum uſus cum cæteris craſſæ impietatis jamdudum vetitus eſſet, tamen concionandi morem in fano ſuo monachi retinebant, & infantes ad ſe allatos baptiſabant, ægrotos viſebant, ungebantq;, ſcribendis teſtamentis ſe ingerebant, ab ornandis colendiſq; idolis non abſtinebant, alioſque quibus vetera adhuc (ſic enim inſciti homines loquebantur) allubeſcebant, in eandem impietatem alliciebant: denique ſcandalo maximo erant toti civitati. Et ut hæc tolerarẽtur, pleriq; in ipſo ſenatu oppidano, & civium nonnulli, qui aut frigebãt claudicabantve in religione, aut ſuperſtitionibus vetuſtis adhuc favebant, unaque indulgentior, quàm par erat, aula, cauſam dabant. Et accedebat ab anabaptiſtis contagium ſerpens, quo civium quoque quidam, qui eccleſiæ nomen dederant, inficiebantur. His igitur malis medendis primùm

contra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

contra improbam monachorum contumaciam, qui cætera omnia ſpernebant, opem viduæ principis ex promiſſo flagitabat. illa annuens, per literas denunciabat conſulibus quid fieri vellet. Hi vocatis monachis in ædes collegæ Nononis, præſente ibidem Laſco, verba faciente Grauwero principis nomine edicunt, ut ab adminiſtrandis ſacramentis, & conficiendis teſtamentis prorſus abſtinerent: hoc & congruum eſſe ipſorum regulæ, & ſeverè præcipi à principe. At monachi opponere decretum Spirenſe nuperum, & regulam interpretari hoc modo, ut, ſi copiam habeant à paſtore eccleſiæ, utrumque ſibi licere dicerent, & ſacramenta adminiſtrare & teſtamenta conficere: ſibi verò id conceſſum quondam à Poppone Manningâ: poſt eum ſe paſtorem oppidanum nullum noviſſe, à quo idem petere poſſent: Laſcum enim hominem peregrinum, ignotum, incertum unde profectum, denique barbatum pro legitimo paſtore habere ſe nullo modo poſſe: adhæc dicere ab Ennone Comite non modò permiſſum utrumque, ſed etiam graviter imperatum, & abs ſe in hanc rem jusjurandum illi datum: quamobrem perrecturos ſe more ſuo, & cauſam hanc apud principem ipſam acturos. Tum Laſcus, ſe eum eſſe, qui à principe interdictum hoc flagitarit: idque feciſſe ex officio ſibi demandato, de quo conſulibus conſtet, nec referre, monachine hoc agnoſcere velint, an non: eorum eſſe, parêre principis mandatis, aut ſi injuſta ea putent, patêre ipſis viam querendi de iniquitate apud ipſam principem: ſe rixari cum monachis nolle, multò minùs maledictis eorum reſpondere. Tum rurſum Grauwerus, Audiſtis, inquit, monachi, mandatum principis, vos de parendo cogitate. Cumque hi abitum pararent, petente Laſco, ut additus aliquis colloquio cum monachis de religione ſine ſtrepitu aut turbâ aperiretur, moniti à conſulibus ſunt, ut ſi quos concionibus habendis aptos in ſuorum numero haberent, Laſco examinandos ſiſterent ad avertenda in eccleſiis doctrinæ diſſidia: ſic enim ferre ſtatutum eccleſiaſticum ab utroque Comite Ennone ac Ioanne ſignatum publicatumque. Sed iſti reſpondere, nihil ſibi cum Laſco rei, homine ignato, circumforaneo, barbato, nihil minus quàm paſtore: principem ſe adituros, & apud eam ſeſe defenſuros. Atque ita abiêre: ſimul Laſcus quoque à conſulibus dimiſſus. His ad principem relatis, denunciatum monachis ex voluntate ſummi ſenatus, Laſcum ab iis, ad quos hoc pertineat, paſtorem eſſe deſignatum: monachorum non eſſe, eccleſiis paſtores dare, multò minus, ritè autoritate publicâ conſtitutos repudiare aut ſpernere: conſilia eorum contemptum Principis & omnium Ordinum ſpirare, & ad tumultus ſpectare: à concionibus abſtinendum iis qui examen recuſent, concordiæ publicæ ſervandæ ergò, cæteris copiam concionandi concedi. Verùm cùm muſſarent hi, & injuriam ſibi fieri quererentur, & civium nonnullorum animis obrepere ſtuderent, per domos eorum diſcurrerent, factioſa conſilia agitare dicerentur, nec priorem morem intermitterent animati ab amiculis, Laſcus contra peteret, ut eccleſiaſtis collegis ſuis conciones in fano monaſtico præſentibus & audientibus monachis habere, & his impugnare ea, quæ dicerentur, aut voce aut ſcripto citra tumultum liceret, ut ante id tempus ibidem factum eſſet, vidua princeps conſultis proceribus publici conſilii, ſuſpenſis Laſci poſtulatis, ad colloquium aut diſputationem amicam cum Laſco coram delectis parare ſe monachos, atque interea cœnobio abſtinere, conciones & ritus cæteros intermittere, donec ex colloquii eventu aliud ſtatueretur, juſſit. Tum verò illi acerbiùs queri, multos ſui ſtudioſos commonere, aulæ moleſti eſſe, diſputationem omnibus modis ſubterfugere. Vnde occaſio principi fuit convocandi rurſum conſilii ſui proceres, & non ſolùm hac de re, ſed de negotiis etiam aliis eccleſiaſticis cum iis ſtatuendi. Ibi tum alia decreta, tum ut denuò juberentur monachi diſputationem placidam cum Laſco, & aliis aliquot eccleſiaſtis inire M.D.XLIV

M.D.XLIV coram X aut XII civibus utrimque pari numero electis, præſidibus ac arbitris Hiccone Dornumano, Herone Oldershemio, Henrico Grauwero; cui præcepto ſi parêre ſe velle oſtenderent, concedendum ipſis, ut in cœnobium ſuum reverterentur uſque in tempus diſputationis peractæ, ſed hac lege, ut interea miſſis, concionibus, ceremoniis cæteris abſtinerent omnino atque intra ſepta cœnobii ſe continerent, nec cives ullos viſerent: quod verò in diſputatione colloquiove pietati Chriſtianæ congruum reperiretur, & judicio ſenatus ſupremi porrò ſtatuendum videretur, ſecundum id ut ſe ſuaque deinceps componerent: quòd ſi ne nunc quidem huc induci monachi vellent, tum capiendum ex re conſilium ulterius. Atque hæc cum cæteris decretorum capitibus Anna princeps ad ipſum Grauwerum, Hermannum Lenthium, Ioannem aurifabrum Quæſtorem perſcripſit, præcepitque, ut ea monachis exponerent, ſimulque juberent eos de certo actionis tempore cum Laſco & cæteris comparare, ac quicquid monachi reſponſuri eſſent, aut cum Laſco comparaturi, ut de eo ſe ſine morâ redderent certiorem. Sed monachi per antiſtitem ſuum Henricum Nordanum, vafri & pervicacis ingenii virum, reſpondere blandè ac lubricè, ut diſputationem reijcere non viderentur, ſed de tempore certi nihil conſtituere, atque ita patronorum ſuorum interceſſione in cœnobium rurſum admitti, nec tamen quicquam minùs quàm diſputatione cogitare: interea per eoſdem patronos ſuos apud ipſam principem & magnates obliquâ viâ niti, ſe de diſputatione excuſare, orbem publici conſilii leniter & ſenſim vertere: denique hoc vafrâ ratione efficere, ut amplius deliberandum eſſe magnatum quidam principi perſuaderent. In eâ deliberatione fuêre, qui monerent, cautè & prudenter tum de monachis, tum de ſtatuis templorum, ſtatuendum agendumque eſſe, temporum & periculorum præſentium habendam eſſe rationem iis, qui reip. conſulunt, & præſident, quæ non examinent nec in examen venire patiantur theologi, boni quidem viri, & pietatis promovendæ ſtudioſi, ſed reip. gerendæ imperiti: ad Cæſarem & publica Imperii decreta, quæ novationes vetant, reſpiciendum, non præcipitandam rem ante exitum actionum generalis concilii, quod tum Tridenti coactum erat: ferendos eſſe monachos Franciſcanos ad tempus adhuc breve, quemadmodum factum hactenus, donec melior aura aliqua adſpiret aut compoſitis controverſiis, aut pace certiore conſtitutâ: Cæſarem in curſu victoriarum nunc eſſe contra Clivenſem, & à fortunâ ipsâ ſtimulum habiturum ad vindicandas injurias novas in religionem ſuam, religioniſque ejuſdem cultores: præterita induci oblivione fortaſſis poſſe, & devorari, quæ cum magnâ Germaniæ parte regioni huic communia ſint; ſed tentari nunc nova, & exemplo Saxonum & plurimorum aliorum, qui Papiſmum reliquerint, carentia, id ſine dubio ad Cæſarem à querentibus delatum animum ejus graviter puncturum, atque in principem viduam tutorio tantùm nomine gubernantem aſperaturum: nec à Cæſare ſolùm metuendum, ſed etiam à tumultu populari, ſi quid in monachos, aut ſtatuas temerè commiſſum fuerit: eſſe enim Emdæ adhuc permultos & monachis & ſtatuis faventes, ac per hoc facilè imperitam multitudinem ignaram veritatis, nec expendentem momenta rerum, commoveri poſſe: eandem aliorum locorum omnium eſſe conditionem: nec dubitaturum populum, quicquid Emdæ hujus generis fiat, id aliis quoque in locis eſſe futurum. Connivendum igitur etiam nunc paulisper, & ſilentium tantummodò monachis imponendum, manifeſteque impia prohibenda, ac ſeverè mandandum, ne cives colloquiis turbent, aut erroribus ſuis imbuant: & contra non permittendum eccleſiaſtis, quod petierit Laſcus, ut concionibus in ipſorum fano habendis ipſi turbentur, aut tumultui occaſio detur: de ſtatuis quoque & aris rebuſq; hujuſmodi diſſimulandum ad tempus, & præcipiendum eccleſiaſtis, ut ad tollendam ex animis hominum idolatriam & ſuper-

M. D. XLIIII.

& ſuperſtitiones impias ſtudia vertant, doceantque eos, qui ſtatuis velut idolis in templis offendantur, idola nihil eſſe; id ad tranquillitatem & declinationem periculorum ſine dubio profuturum. Sic quidam. Alii etiam acerbiùs in Laſcum, ſed ſecretò, inquietum eſſe, ferre non poſſe, quæ ante eum alii in eâdem ſtatione, ejuſdem doctrinæ aſſertores tulerint, omnia novatum ire, omnibus cæteris ſapientiorem aut pientiorem videri velle: denique non eſſe deſideriis ejus obſecundandum, aut conſilia ſequenda, ſi ſtatum ſibi liberiſque ſuis incolumem princeps eſſe cuperet. Et cum his terror admotus à Comite Ioanne, qui haud dubiè cœlum terræ commixturus ſit, & hanc occaſionem arrepturus ad turbanda præſentia, & Cæſaris animum contra principem, principiſque conſiliarios, incendendum. Poſtremò commota princeps metu periculi inclinavit mentem, & ſuſpendendum conſilium putavit. De quo per indicium edocti monachi (nihil enim non ad eos emanabat per homines ipſorum ſtudioſos in diverſiſſimis aulæ ſtudiis) quanquam ſilere juſſi, tamen tacitè gaudebant, atque ex his ſpem majorem animis concipiebant, omniaque à Comite Ioanne in Friſiam reverſuro ſibi pollicebantur: denique Laſco, & collegis ejus jam medium digitum oſtendebant. Hac inopinâ re turbatus animo Laſcus (ampla enim ſtatim ab initio de his ſpes ei erat facta, ut de ſucceſſu ne hilum dubitaret) & zelo inardeſcens per epiſtolam prolixam ſeverè & graviter increpat ipſam principem, & præfatus, non libentem, nec niſi cogente conſcientiâ iſtuc ſe deſcendere, ait, *Satis ſcire ſe, animum ei eſſe timentem Dei, & promovendæ apud ſubditos gloriæ Chriſti cupidum, iſtamq́; ſuſcipiendi miniſterij non poſtremam ſibi cauſam fuiſſe; ſed in eo ipſam peccare, quod nimis facilè huc atque illuc flecti ſe in religionis negotiis patiatur, & ſuorum potiùs, quàm Dei ipſius autoritatem ſequendam ſibi interdum exiſtimet: blandiri ſe hic non poſſe, ubi non de principis ſolùm ac ſuâ, ſed de multarum quoque eccleſiarum ſalute agatur: de quarum curâ noſſe ſe ſibi ex æquo & principi apud Deum æternum judicem reddendam eſſe rationem: præclarum ſanè & arduum eſſe, principem agere, ſed ei annexam eſſe conditionem ſerviendi gloriæ Dei: Itaque cùm ſiverit induci ſe ad ſuſcipienda reip. gubernacula, ſpectandum ipſi, ut in gubernatione conſilia & actiones referat ad gloriam ejus, à quo in ſolio collocatam ſe eſſe, & cujus miniſtram ſe agere non queat ignorare: per Deum reges regnare, dicere ſacram paginam, & ejus miniſtros eſſe, quibus ſceptra ſunt commiſſa: nec temerè in eâ principes populi paſtores nuncupari, affirmariq́; non hominis, ſed Dei judicium eos exercere: id ſcilicet oracula iſta docere, cogitandum ijs, in hoc potiſſimùm conſtitutos ſe eſſe, ut divini cultus promotione paſcant populum, & Dei autoritatem hominum conſiliis & perſuaſionibus anteponant: quapropter principi Dei timorem profitenti neceſſum eſſe aut hæc, quæ præcipua principis officia ſunt, præſtare, aut, ſi id facere non poſſit, munere decedere: talia verò ſine controverſiâ eſſe verum Dei cultum juxta externam diſciplinam promovere, falſum reprimere, ſectas & earum autores ſubmovere, omnia, quæ verbo divino adverſantur, ab eccleſiâ ſibi commiſſâ propellere: in his non pati Deum, ut conſiliis, quæ humana ſapientia dictat, detur locus, ſed juxta mandatum & voluntatem ſuam puram ac putam requirere obedientiam: non ſatis eſſe, convocaſſe eam proceres, & conſultaſſe, ſed conſilia exigenda fuiſſe ad normam verbi divini, ea ſola fuiſſe recipienda, quæ cum illâ convenirent: cætera humanis tantum rationibus nixa, repudianda à quocunque etiam profecta. Quid enim,* ait, *ſi qui te, ut Deo non obedias, hortentur, eóſne ſequêris? & iis magis parebis, quàm ipſi Deo? abſit:* Dein conſilia ipſa hac in causâ ſuggeſta recenſet, & vanitatis aut impietatis coarguit. Ac porrò ſubiicit, *monachos idololatriæ reos ac miniſtros eſſe, alioſque etiam nunc ita dementatos tenêre, ut vetitum cultum idolis tribuant: hæc ferenda non eſſe, & Deo hic magìs, quàm conſiliis ſapientiæ humanæ parendum: & autoribus eorum occurrendum hoc modo; curandum quidem, ut tranquillitas publica conſtet, & filiorum fortunæ ne quid decedat; ſed magìs etiam hoc agendum, ut gubernante ipsâ gloria Dei in populo illuſtretur, qui omnis tranquillitatis & omnium fortunarum dominus & dator ſit, cui*

M.D.XLIV gloriæ omnia reliqua noſtra ſint poſtponenda: extare mandatum altiſſimi, ut idololatriam fugiamus, idola tollamus, eorum cultores & quoſvis doctores falſos è medio noſtri profligemus: extare & exempla illuſtria piorum principum in hac re, Gedeonis, Ezechiæ, Ioſiæ: nec hic periculorum ducendam eſſe rationem eadem illa docere exempla. Et quid? hæccine idola melioris notæ aut originis eſſe, ut parcendum iis magis ſit, quàm ſerpentem illum æneum ab ipſo Moſe jubente Deo erectum, ab Ezechiâ regum pientiſſimo, ob ſurrepentem abuſum deſtructum: quàm cætera ab aliis everſa. Quouſque tandem (inquit) claudicabimus in utramque partem? quouſque DEO ſimul & mundo placere ſtudebimus? Si DEUM verè & ex animo DOMINUM noſtrum eſſe credimus, quid in illum utroque demum pede ſemel aliquando ſequimur? ſin minus, quid me hîc miniſtro opus eſt? Ego quemadmodum lubens ſuſcepi miniſterium eccleſiæ Chriſti, quæ non novit alienorum doctorum voces; ita in eo operam omnem meam tibi, princeps, & huic eccleſiæ lubens etiam defero. Paratus etiam ſum non mea ſolum quantulacunque ea ſunt in uſum eccleſiæ ſine ulla præmii aut mercedis ſpe inſumere, ſed vitam quoque meam pro Chriſti gloriâ periculis omnibus exponere (ſiquidem ita res poſtulet) modò ut vos verbo Dei regi, obedireq; velle teſtemini. Si verò id nolitis, atque humana vobis conſilia, mundiq; hujus ſapientiam potiùs, quàm divinam voluntatem ſequendam eſse putatis, tum demum verò meam hîc vobis operam polliceri, neque poſſum, neque volo. Doctrinæ Evangelicæ atque Apoſtolicæ miniſter lubens ero pro meâ tenuitate, atque hîc non me pudebit vel à minimo quovis fratre, quæ fortè nondum didici, diſcere: cæterùm humanæ ſapientiæ, aut conſuetudinis præter verbum Dei inductæ (quod quidem ad divina attinet) miniſter planè eſſe nolo. Habeat locum & pondus ſuum in rebus humanis humana ſapientia. In divinis anteponenda eſt omnibus conſiliis divina autoritas & voluntas. In illis præclarum eſt, ingenio, prudentiâ, ac dexteritate excellere: Hic ſtultus ſit neceſſe eſt, quiſquis ſapiens haberi cupit. Non eſt conſilium in divinis niſi ex ore Domini: Alioqui mox audimus: væ filii deſertores, ut faceretis conſilium, & non ex me. Poſt hæc iterum addit; nihil ſe ſibi arrogare, aut poſcere, ut ex autoritate geratur aliquid, ſibive credatur, niſi quatenus ſua verbi divini teſtimoniis probaverit: jam & in probatione hâc ipſâ fateri ſe, hominem ſe eſſe, & in ſcripturæ intellectu falli poſſe: proinde nec erudiri nolle, modò ex verbo Dei eruditio fiat: imò gratiam ei ſe habiturum, à quo contigerit aliquid ſe diſcere: nec ſe quicquam imperare, ut calumnientur inimici, ſed ad Dei tantummodò obedientiam revocare hortariq;: eam verò ſemper inviſam fuiſſe huic mundo, nec fieri poſse, qui huc homines revocet, ut placentia loquatur: ideoq; nec mirum, ſe, qui priùs omnes amicos habuerit, nunc Dei obedientiam urgentem multorum animos à ſe alienatos experiri. Et poſt alia, commemoratis aliquot enormibus vitiis: hicne ſibi tacendum? nec novandum quicquam? ſic ſanè facientem placiturum ſe multis, potiſſimum verò iis, qui ſe nunc novatorem appellent: verùm non eſse miniſterii ſui, placentia loqui, ſed annunciare omnibus peccata ipſorum: id autem ſemper offendere impios, piis verò ingratum eſse non poſse: ſe adeò μισάνθρωπον, ut non amari ab omnibus malit, quàm odio haberi: nec ita eſse ſtupidum, ut intelligere nequeat quàm utilis ſit ſibi favor hominum, imprimis eorum, quorum nutus ac renutus pondus ſuum habeant: agnoſcere ſe conditionem ſuam, hominis peregrini, familiam habentis, cui opus ſit domicilii ſede, quæ gratiam potiùs requirat, quàm odium aut offenſam: & ſanè cupidum ſe eſse gratificandi, & morem gerendi omnibus, ſed uſque ad aras: hæc ſepta tranſilire prudentem ac volentem ſe non poſse, etiam ſi deferenda ſibi ſit omnium amicitia, atque adeò familia in ſummâ inopiâ ac mendicitate relinquenda: eum, qui omnem carnem paſcit, paſturum etiam ſuos, etiam nullâ ipſis re à ſe relictâ: interim in miniſterio ſe perſtiturum, donec videat, an princeps ipſa, cæteriq; Chriſtum, doctrinámque ejus ſuper ſe regnare pati poſſint: quod ſi ſic, futurum ſe eccleſiæ miniſtrum, ipſorum ſtudioſiſſimum: ſin minus, obſecraturum ſe tum ipſam, tum reliquam eccleſiam, ut quâ gratiâ ac benevolentiâ ad miniſterium ſe vocarint, eâdem rurſum quoque dimittant: demum pro debito officioq; ſuo monere, & hortari ſe principem, ut cogitet, quantum Deo, quantum ce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

tum eccleſiæ ejus ex muneris ſuſcepti ratione debeat. Miniſterium publicum (inquit) *eccleſiæ Dei ſuſcepiſti, miniſterium agnoſce: Scis vapulare oportere ſervum, qui non faciat domini ſui voluntatem, ſed omnium graviſſimè eum, qui illum ſciens negligat. Expende igitur talentum tuum tibi in divinâ cognitione concreditum, illudq́; in populo tibi commiſſo Domino Deo tuo fœnerare: cogita tibi dici, quicquid Regibus à Prophetis olim mandato Dei dictum legitur. Non detuliſſent mandata ulla ad Reges Prophetæ aut Angeli etiam in causâ religionis, ſi illius cura ad Reges non pertineret. Neque David ſanè dixiſſet: Et nunc reges intelligite, ſervite domino, apprehendite diſciplinam:* &c. *ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis. Ad eam igitur* (ait) *pertinere curam religionis, & ejus partium eſſe, ex voluntate Dei hanc ante omnia promovere, idq́; facere non ſecundum humanæ ſapientiæ conſilia, ſed ſecundum verbum Dei: nec enim juxta humana conſilia judicatum iri olim homines, ſed ſermonem Chriſti ad nos delatum judicem omnium noſtrum futurum in die noviſſimo: itaque ſic principi fungendum munere ſuo, ſi fungi illo cupiat, ut Deo ipſi ſe probet: Hæc verò ſe haudquaquam ſcripturum fuiſſe, ni cognitum haberet ipſius in pietatem ſtudium: imò confiſum ſe, & probè intellecturam ipſam, officij ſui eſſe, fideliter monere, quæ tum ad ipſius, tum ad eccleſiæ ſalutem ſciat pertinere, & benignè quoque hanc ſuam in ſcribendo libertatem eſſe accepturam: perfidum ſe fore, ni faceret: præſtare autem, ingratum, quàm infidelem eſſe: atque interim ſperare, etiam ſi parùm gratus apud alios propterea ſit, quòd non ſatis grata loquatur, tamen apud ipſam idcirco ingratum non futurum: certè feciſſe ſe, quod debuerit, ſi parùm fæliciter, tamen bonâ fide: offerre ſe operam ſuam paratæ Deo magis obedire quàm hominibus. Cæteroqui dimiſſionem rogare. Poſtremò precari ſe ei à Deo Spiritum ſanctum, qui dirigat conſilia & actiones ejus in gloriam ejuſdem nominis, & eccleſiæ ædificationem.* Cum hac epiſtolâ aliam Laſcus eodem die dat ad Lenthium gravitate inſigni condîtam eâdem de re: ſignificat, ſcripſiſſe ſe liberè ad dominam principem de monachis & idolis: exponit officium ſuum, & neceſſitatem ejuſdem in monendo corripiendoque: tum & de officio principis dicit, ſeque excuſari petit: inſtat de idolis amovendis, idolatriæ inſtrumentis: ac de his & monachis quid expectandum ſibi ſit, rogat ut ſibi reſpondeatur. Hic verò, ut gravitatem ſuſpicias Laſci, ita meritò pietatem principis viduæ admireris. Nam hæc anxia curis, omnia expendens, pericula metuens de liberorum impuberum fortunâ ac ſtatu ſollicita, timens Comitem Ioannem, & Carolum Cæſarem, alios atque alios audiens, tandem pridie Non. Septembr. cùm Auricæ eſſet, per literas Laſco reſpondet in hanc ſententiam: *monitam ſe pridem ab ipſo graviter ſanè, & seriò, quid officij ſui ſit in promovendâ Dei gloriâ, maximè in abolendis idolis: ea monita optimo animo accepiſſe; precari etiam Deum, ut cor & ſpiritus hujuſmodi cælitus ſibi donetur, quo facere poſſit omnia, quæ illi grata ſint: ad ſtatuas quod attineat, licêre ipſi noctu eas ſenſim amotas ſeponere ex oculis hominum, non autem omnes ſimul, & ſine operâ populi, ſineq́; ſtrepitu, re indicatâ conſulibus & æditus: ita facturum eum ex mente ſuâ.* Quæ dum ſcribo, Ambroſii Mediolanenſis quondam epiſcopi, & Theodoſii Magni Imperatoris memoria mihi recurrit: quorum iſte in monendo & objurgando, hic in admonitione & objurgatione æquo animo ferendâ, ac peccatis corrigendis exemplo ſimili, ſed illuſtriore, quippè loco poſiti magìs conſpicuo, atque in fortunâ majore, præivêre, & apud omnes pios bonoſque ingentem laudem meruêre. Et ſunt tum temporis idola aliquot ex præſcripto è templo majore Emdæ ſublata: omnia tolli non potuêre. Nam & aliæ curæ graves Laſcum intereà occuparunt à Satoribus hæreſium, qui è Belgio pulſi, in Friſiam Orientalem, atque adeò in ipſam urbem Emdam influebant cum magno Laſci dolore, & ſimul, qui Lutheri nomen ſuperſtitioni ſuæ prætexebant, eum obturbabant, & mox cum initio Novembris is, qui M.D.XLIV

 metue-

M.D.XLIV metuebatur à pleriſque, at cum deſiderio expectabatur à monachis, & totâ
illorum factione, Comes Ioannes è Belgio non ſatis propitio animo, quaſi
in ſcenâ Davus intervenit. Huic verò quicquid mali humoris in corpore ci-
vili erat, & qui malè eccleſiis volebant, exceptis anabaptiſtis, quibus infe-
ſtus veniebat, ſeſe aggregarunt. Per quos facilè effectum, ut animus ejus
jam antè ſiniſter vehementiùs in Laſcum exacerbaretur. Itaque loqui de eo
malè, ſtomachari, novatorem, turbulentum, quietis impatientem vocare,
comminari etiam: monachis contra animos addere, ut tinnire rurſum & boa-
re inciperent, & hoſtiam quoque papalem denuò erigerent: quemadmodum
de iis Laſcus ipſe prid. Eid. Februar. anno M. D. XLIV ad Hardenborgium
ſcripſit. Tantum præſentia Ioannis valuit ad calcanda decreta priora. Et
tamen paulò pòſt præ ſe tulit idem Ioannes, Laſco ſe jam tum penè placatum,
ſive à fratriâ exoratus, quæ Laſcum amabat, & ejus operâ ſe carere non poſ-
ſe, aut non velle teſtabatur, ſive quâ causâ aliâ commotus; quanquam in re-
ligione ſui ſimilis, id eſt, Papiſmo addictus maneret. Nec eo minus inimici
rationes conquirebant, quibus exoſum Laſcum facerent, & ſi poſſent, Fri-
ſiâ extruderent. At ille temnere conſilia illorum, munus ſuum ſedulò ob-
ire, cum ſectariis, cum Lutheranis, qui hoc nomine ſe jactabant, con-
flictari. E ſectariis Menno Simonis patriâ ob hæreſin ſuam ejectus Em-
dam tum venerat, & virus ſuum ibidem ſpargere ſatagebat, qui ſub mo-
deſtiæ, humilitatis, patientiæ ſpecie animum ſibi plaudentem, alios de-
ſpicientem, & Phariſaico faſtu damnantem velabat, multoſque omninò
mortales hypocriſi ſuâ in anabaptiſmum trahebat, quos ab eo Mennonitas
nuncupatos diximus. Sed hoc, etiam multò verſutior David Georgius, qui
monſtra pudendorum errorum aut furorum veterum à ſe recocta mundo de-
nuò propinavit, Hollandiâ relictâ apud Friſios ad occidentem Lavicæ ſedem
poſuerat, & docendi causâ huc illuc per omnes Friſiæ partes, & regiones alias
excurrens, ut eſt fœcunda impietas, ubique aliquos hæreſi ſuæ aſſociaverat.
Cum utroque verò Laſco eo tempore negotium fuit. Et Menno quidem
operâ ipſius Laſci ex voluntate ſymmyſtarum, acceptâ in hanc rem fide pu-
blicâ, invitatus ad colloquium & diſceptationem de dogmatis præſens multis
præſentibus cum eo certamen iniit. Et quanquam argumentis contra La-
ſcum ſtare haudquaquam poſſet, cùm de incarnatione Chriſti, de pædobaptiſ-
mo, de peccato originis, de ſanctitate noſtrâ ageretur, tamen ut mos eſt illo-
rum hominum, inter ſuos triumphum cecinit, atque imperitos aliquot è ci-
vium numero fucatâ morum ſpecie captos, quæ iis pro pietate habebatur,
ſibi adjunxit. Alter ille, qui poſt Bocholdicum colloquium, fruſtraque ten-
tatam partium reconciliationem in omnes ſe verterat formas, ſurſum deor-
ſum cucurrerat, conventus diſſidentium partium anabaptiſticarum inſtitue-
rat, diſputationes obierat, Argentinæ anno M. D. XXXVIII magnum pulve-
rem apud Hofmannicos præſens commoverat, ad Philippum Haſſiæ princi-
pem legatum, literaſque prolixas miſerat, ipſum Cæſarem Carolum V lo-
quaci ac inconditâ inſulsâque epiſtolâ obturbaverat, Ratisbonam quoque
eundem hominem, quem ad Haſſiæ principem antè miſerat, ad Bucerum cæ-
teroſque, qui ex voluntate ordinum Imperii de religione illic colloqueban-
tur, verborum ſpumis in chartam congeſtis oneratum ablegaverat, ut terra-
rum orbem, ſi poſſet, in ſe verteret, Emdæ etiam & vicinis in locis quoſdam
dementarat. Erat enim ſupra omnes mirificus ſimulandi fingendique artifex,
„ & impoſtor nequiſſimus. His perſuaſerat, nihil certius eſſe toto in orbe do-
„ ctrinâ ſuâ: in ſe effuſum cælitùs ſpiritum illum verum per prophetas & Chri-
„ ſtum promiſſum, omnes tenebras diſcuſſurum, ſeque à Deo ſummum do-
„ ctorem conſtitutum, omnem veritatem ſibi patefactam, de cujus certitudine
„ dubitare, id eſſe, Deum mendacii reum agere: itaque inquiſitione ulteriore,
aut ra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

aut rationum expoſitione ne quidem eſſe opus; ſimpliciter verò ſibi credendum: SACRAS LITERAS, QUAS VOCAMUS, PARERE SPIRITUI SANCTO, NON IMPERARE, AUT LEGEM PONERE: EXTERNA HOMINEM NON POLLUERE, NON MUNDARE; SOLA, QUÆ IN EO SUNT, HOC FACERE: interim prudentiam requiri in his ſimilibusq́ue aſſerendis, ne quid ante tempus: & neſcio quæ alia ejuſdem (ut Auguſti verbum uſurpem) fœtutinæ. Sed palàm hæc non jactabant ſectatores ejus, nec ſe nomine Davidiano venditabant; ſed latêre malebant, ob infamiam & pericula: nec tamen effugere poterant, quin famâ in ſuſpicionem traherentur. Hos miſeratus optimus Laſcus, pro pietate & affectu ſuo in quoſvis, de quibus aliqua ſpes ſupererat, tentandos ſibi exiſtimavit, ſi quâ ratione errantes revocare in viam, & eccleſiæ adjungere poſſet. Itaque communicata cum ſymmyſtis re, ex omni eorum numero præcipuos quoſque & quos maximè idoneos, doctrinæq́ue capaces eſſe judicabat, benigniſſimè invitatos apud ſymmyſtarum ſuorum in unum convocavit. Ibi colloquio inito, & per aliquot dies repetito, ut erat mitiſſimo & veritatis pietatiſq́ue promovendæ cupidiſſimo ingenio, tam placidè & amicè cum iis egit, & cognitâ ex ſermone illorum ſententiâ, tam patienter eos erudiit, ut quos deploratæ pervicaciæ eſſe plerique opinabantur, commoditate ſuâ viciſſe videretur. Nam iſtuc perducta res eſt, UT DAVIDIANI PRIMÙM PROMISSIS SINCERIS ANIMIS SCRIPTURAM SACRAM IUDICEM CONTROVERSORUM ADMITTERENT, deinde à multâ actione conceptis à Laſco doctrinæ capitibus omnibus manu ſuâ ſubſcriberent, uno tantummodo excepto de Davidis vocatione, quam ipſi Apoſtolicæ parem ſal- “
tem, ſi non ſuperiorem, credi volebant, quæ erroris periculo careret: “
quod Laſco erat intolerabile. In reliquis quoque ſubſcribendo ab iis cautum, ne quod facto hoc ſuo Davidi præjudicium parerêtur. Cæterùm non deerant eo tempore, qui lubricis his anguibus diffidendum eſſe exiſtimarent, quippè quibus ſolitum, abdere ſenſus ſuos, & temporibus morem gerere. Sed Laſcus aliud ſibi de iis pollicebatur, qui uti ipſe ſincerus erat, ita aliorum quoque animos ex ſuo ſolebat æſtimare, putabatq́ue, hos ipſos ſic locutos eſſe, ut ſentiebant, adeoq́ue injuriam ipſis facere, & parùm Chriſtiane judicare, qui ſecùs ſtatuerent. Atque hanc mentem ſuam apud amicos præſentes & abſentes teſtabatur, ac ſpem fovebat, eodem modo negotium hoc ſibi ſucceſſurum, quo Martino Bucero apud Argentinenſes ſucceſſerat, qui placidè & patienter agendo, beneq́ue ſperando Hoffmannicos in viam tandem reduxerat, & eccleſiæ ſociarat, magnoq́ue & illos & eccleſiam beneficio affecerat. Quin imò de ipſo Davide ſe non deſperare oſtendebat, quem NOVUM EPICTETUM E STOA PRODEUNTEM APPELLABAT, QUI, QUÆ INFRA NOS NON SINT, EA AD NOS NON PERTINERE DOCERET, INTERIOREMQUE QUONDAM IN NOBIS POLITIAM FORMARE CONARETUR: rebaturq́ue id corrigi ſenſim in eo poſſe, nec in reliquis doctrinæ partibus difficultatem fore, ſi modò de vocatione convenirет. Sed falſus eſt vir optimus, & cæteroqui prudentiâ ſummus, breviq́ue ipſe comperit, quid inter hoc genus hominum & Hoffmannicos intereſſet. David autem à ſuis de humanitate Laſci, & de re actâ edoctus, homo fallaciſſimus & confidentiſſimus, ſpe geſtiens blandiſſimas ad Laſcum dedit literas, ut eum conciliaret ſibi, & in naſſam ſuam, ſi quo modo poſſet, pertraheret. Quod ſi ſuccederet, magnum id rebus ſuis incrementum daturum ſibi promittebat. Verùm antequam literæ hæ ad Laſ-

M.D.XLIV

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.D.XLIV ad Laſcum venirent, ipſe ultrò ad Davidem pridie Non. Februar. anno M.D.
XLIIII perquàm amicè ſcripſit, & expoſitâ re geſtâ cum ſectatoribus ipſius,
ac animo in eam rem, ſtudioque ſuo ſincero in aperiendâ diſcendâque
veritate, poſtpoſitâ diffidentiâ ab aliis ingeſtâ, petiit ab eo, ut quibus
teſtimoniis aut rationibus vocationem illam ſuam, & doctrinæ autoritatem
probare ſe poſſe crederet, aperire non gravaretur: hic enim potiſſimum
hærere animum ſuum & ſuorum, qui veri cognoſcendi, & pietatis propa-
gandæ ſecum ſint avidiſſimi. Et idem paulò poſt acceptis literis Davidis
prioribus occaſione arreptâ prolixiùs eidem reſpondit, & ſervatâ ubique
ſingulari modeſtiâ & manſuetudine, verè ſpirans caritatem Chriſtianam
fundamenta ejus omnia, quæ vel ex diſcipulis ejus, vel ex ſcriptis cogno-
viſſe ſe ait, tam ſolidè ſubruit, ut quod in totâ illâ vanitatis ſtructurâ ſta-
re poſſet, nihil omninò ſupereſſe videretur. At David ambitione & ver-
tiginis ſpiritu occœcatus & demens, perinde hæc habuit, ac ſi Siculis
gerris eſſent vaniora, propterea quòd ſcripturæ ſanctæ autoritate tantùm
niterentur, quæ mortuæ literæ inſtar nil virium haberet contra ſpiritum
ſuum. Poſt ſervato aliquandiu ſilentio, cùm multa variaque meditatus
eſſet, verboſiſſimum reſponſum repoſuit Laſco, in quo totum ſpuman-
,, tem tumorem vanitatis ſuæ explicuit. Omnes ſcilicet ſtultitiæ damna-
,, vit, qui fidei regulam ſacras literas eſſe vellent, qui dictamini ſpiritus no-
,, vi in ipſum effuſi Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta non ſubjicerent:
,, In ſe demum poſt tot ſæcula ultimis his mundi temporibus deſcendiſſe
,, gloriatus eſt ſpiritum illum à Chriſto Ieſu olim promiſſum, ducentem in
,, omnem veritatem, redarguentem mundum de peccato, juſtitiâ, & ju-
,, dicio, multo majorem eo, qui in Apoſtolos delapſus ſit in pentecoſte,
,, & in magnâ ignoratione & cœcitate ipſos reliquerit: hoc modo ſe factum
,, eſſe Emmanuelem illum ab Eſaia prædictum: Enthuſiaſmos, revelationes,
,, ſomnia, viſiones ſuas jactavit: ut Prophetæ Apoſtolis ceſſerint, ita Apoſto-
,, los cedere ſibi, & Chriſtum Ieſum ſecundùm carnem Chriſto, Davidi ſe-
,, cundùm ſpiritum: in hunc ſpiritum ſuum non inquirendum, ſed ei paren-
,, dum eſſe: coram hoc, ipſi quoque Paulo ſilendum: omnia munda hoc ſpi-
,, ritu imbutis: & ea, quæ peccata aliis ſunt, his peccata non eſſe, nec car-
,, nalia inquinare hunc ſpiritum, & hujus filiòs poſſe: mundum, qui jam non
,, agnoſcat, atque oculos claudat ſpiritui huic, paulò pòſt vim ejus ſenſurum:
,, librum Mirabilium, quem tum cudebat, prodeuntem in lucem in pudo-
,, rem & ſtuporem daturum omnes mundi hujus ſapientes: Atque hæc ver-
borum præſtigiis & ambagibus involuta ſine ordine, ſine modo eructavit &
evomuit agyrta impudens. Quibus lectis obſtupuit Laſcus, & benè de
eo ſperare, aut quicquam cum eo agere porrò deſiit. Eodem verò iſto
tempore, quo David hæc ſcripſit in Friſiâ Ciſflevanâ; Leidæ in Hollandiâ
proditus ac in carcerem conjectus fuit Batenburgicæ ſectæ nefariæ princeps
Carolus, vir longè peſſimus, anabaptiſmi & multorum pariter atrocium
facinorum reus. De quo cùm quæſtio haberetur, plurimos à ſectâ ſuâ alie-
nos, quanquam anabaptiſmo implicitos edidit, odio incitatus in eos pluſ-
quam capitali: & in his nominavit Georgium Ketelium legatum quondam
Davidis ad Haſſiæ principem, & collocutores Ratiſbonenſes, juvenem
ſimplicis oris, & magis ſinceri ingenii, quàm ſectæ iſti conveniebat, nobi-
li genere ortum. Qui comprehenſus & nihil circuitione uſus ingenuè con-
feſſus id, quod res habebat, ac mox acerbiſſimis tormentorum cruciatibus
ſubjectus, ut ederet ſocios, conſultò potius eos edidit, qui & Emdæ & in reli-
quâ Friſiâ Orientali, quàm qui in Hollandiâ aut provinciis cæteris Burgundicæ
domui ſubjectis degebant, propterea, quod id ſine periculo capitis eorum
fieri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

fieri poſſe arbitraretur. Erat autem tum eorum ſatìs magnus numerus, qui recenti perſecutione Belgicâ è patriis ſuis cum piis aliis fugientes, iſtuc tanquam in aſylum ſe receperant, & urbem agrumque omnem ſectarum copiâ & varietate impleverant. Quod cùm viderent dolerentque eccleſiaſtæ, queſti quidem ſunt, id iis ſine diſcrimine permitti, magiſtratuſque paſſim officii monuêre, ſed operam luſêre. At regina Maria ægrè jamdudum ferens regionem hanc è Belgio profugientium perpetuum receptaculum eſſe, opportunum id rata, miſſis literis aculeatis fratris Cæſaris nomine ſcriptis, *objurgata Gubernatrice regionis, & cæteris, qui cum poteſtate publicâ erant, divinæ humanæque majeſtatis læſæ eos accuſat, qui Dei & Cæſaris hoſtes anabaptiſtas, publicis Imperij decretis proſcriptos hoſpitio excipiant; poſcitque ab iis, ut iſtos exterminent ſtatim; &, ni faciant, pœnas interminatur.* Hoc fulgetro perculſis omnibus, *edictum mox cuditur in omnes anabaptiſtas, & ſectis ſimilibus addictos, ut ſine morâ totâ hac regione pellantur, nec cuiquam fas ſit, prædia, ædes, agros iis locare, aut hoſpitio eos excipere, aut quicquam facere in edicti hujus fraudem, additâ comminatione gravium pœnarum.* Quo promulgato non ſolùm ii, qui recenter iſtuc confugerant, ſed etiam indigenæ, aut inquilini, aut poſſeſſionum domini vetuſtiores, quotquot ſectis iſtis nomina dederant, turbabantur, ac in diſcrimen veniebant. Et quoniam per provincias domui Burgundicæ parentes in omnes, qui à Romanenſi religione diſſentiebant, quorum infinitus erat numerus, perſecutio ſæviebat, atque hi promiſcuè, & priùs & tunc quoque in hanc regionem tanquam tranquillitatis portum aliquem confluxerant, fiebat ſanè quorundam præfectorum, & aliorum, qui partem poteſtatis publicæ tenebant, aut iis à miniſterio erant, ſive ſupinitate, ſive malitiâ, ut innocentes non pauci periculis iiſdem involverentur. Quod, quoniam cum collegis, piiſque aliis dolebat Laſcus, ipſe, quâ gratiâ & autoritate erat, apud principem viduam interceſſit, monuitque eam graviter, daret operam, ne pœnâ niſi ſontes implicaret, neu tam effuſè voluntati Cæſaris, aut reginæ parêret, parêrive permitteret, ut perſecutionis piorum, ejuſdem ſecum ſpei & fidei ſociorum, ejuſdem eccleſiæ membrorum ream ſe faceret. Nec fruſtranea interceſſio fuit. Nam extemplò mandatum magiſtratibus inferioribus, ne quem niſi damnatarum hæreſium aut factionum compertum affligerent. Sed quantum piis & bonis profuit Laſcus, tantum ſibi collegiſque ſuis, & omnibus totâ regione ſymmyſtis moleſti negotii creavit. Principis enim juſſu omnes, qui quoquo modo anabaptiſmi, aut hæreſeos pravæ ſuſpecti erant, ad eum ſymmyſtaſque mittebantur, ut ab his examinarentur, & ex horum teſtimonio vel pellerentur finibus, vel manere ſuis locis permitterentur. Quod examen judiciumque de re tantâ & tam perplexâ, ob animorum latebras, præſertim pleriſque horum hominum hactenus prorſus ignotis, & laborioſum & curæ plenum fuit. Quinetiam nimia ſeveritas Laſco cum collegis pleriſque diſplicuit. Sic enim ſentiebat, eos qui dociles ſe ſequaceſque ferrent, atque à colloquiis amicis & inſtitutione non abhorrerent, quive aut ſimplicitate ingenii, aut imperitiâ, in hæreſin incidiſſent, imprimis qui advenæ novi non eſſent, tolerandos potiùs ad tempus, & erudiendos eſſe, quàm expellendos: eſſe enim hoc charitati Chriſtianæ & pietati multò congruentius. Pervicacium verò & deſperatorum rationem non habendam ullam, ſed de iis ex edicto ſtatuendum, cujuſcunque conditionis eſſent, arbitrabatur. Veruntamen quoniam Cæſar & regina tantoperè rem urgebant, ob incommoda, quæ exiſtere indè poſſent, ut mos iis non gereretur de anabaptiſtis, autor eſſe haudquaquam volebat. Hoc autem querebatur, quod magiſtratus jamdudum lenibus conſiliis ex M.D.XLIV.

M.D.XLIV præcepto Chriſti facere debuerat, ut eccleſiam labe purgaret & contagio prohiberet, nunc mandante homine potentiâ valido ac formidabili, tam cupidè, tam tumultuariè, tam aſperè exſequeretur. Multi igitur anabaptiſtæ, qui Monnonem ſequebantur, multi qui Davidem, multi, qui cum reliquiis Monaſterienſium faciebant, tum temporis cedere regione coacti ſunt, qui latêre, aut quo modo alio vim edicti declinare non potuêre. E Davidianis quoque nonnulli, qui ſimulare necdum didicerant, cedendo ſibi conſuluêre. Cæteri, qui jam tum longiùs profecerant, ſumptâ Eſavi veſte temporibus paruêre, & Laſco eccleſiæque impoſuêre. Inter hæc diſciplinæ & ordinis cura Laſcum quoque non parùm angebat: quæ res licet ſummè neceſſaria, tamen quia multis inviſa, præſertim eminentibus & licentiæ aſſuetis, multos ei æmulos excitabat. Simul ex aulâ Burgundicâ procella in caput ejus commovebatur. Nam regina Maria ſive à delatoribus edocta his, quæ à Laſco paulò antè dicta factaque erant, & adjectis calumniis in iram commota, ſive à Comite Ioanne obtrectationibus inimicorum diſciplinæ rurſum in eum incenſo inſtigata, ut ipſe Laſcus ſuſpicatus eſt, ſive denique ſponte ſuâ, quòd Laſcum Lovanio profectum, Papiſmi inimicum & oppugnatorem acrem, tanquam exulem Belgam odiſſet, Ennium quendam Laſco notum, & literis clarum, in Friſiam eo tempore miſit, qui Laſcum neſcio cujus perjurii & turbulentorum conſiliorum apud principem viduam gubernatricem accuſaret, Friſiâque ejiceret. A quo actione inſtitutâ, Laſcus ad dicendam cauſam vocatus, publicè coram ipsâ principe & ordinibus omnibus ita ſe defendit, atque innocentiam probavit ſuam, ut univerſi ſibi ſatisfactum eſſe ab eo teſtarentur. Princeps verò Ioanni Comiti oſtendit liberè, ſe Laſci operâ carere non poſſe: & à Laſco petiit, ne calumniis hujuſmodi moveri ſe, ac ad deſerendam ſtationem impelli pateretur. Reſponditque ex voto ejus Laſcus, quanquam & fœminam ipſam, obnoxiam malevolorum conſiliis experiretur, & qui hanc calumniam ſtruxerant, eos non quieturos eſſe, non ignoraret. Tanti apud ipſum erat Dei gloria, cui ſerviebat, & eccleſiæ ædificatio. Pergebat igitur in eo, quod in manibus erat, cum ſtudio & fide, ut diſciplinâ & ordine eccleſiam ornaret. Sed offendit, ut dixi, multos, & adverſarios ac inimicos ſenſit, quos adjutores ipſe eſſe oportebat. Poſt multa tandem obſtacula ſuperata huc pervenit, ut ex voluntate atque aſſenſu eccleſiæ totius viri quatuor optimi & graviſſimi quique delecti ſymmyſtis adderentur. Horum omnium munus & poteſtas eſſet inquirere in mores civium eccleſiæ, admonere omnes de officio faciendo, & pietate colendâ, vitiis inſiſtentes acriter corripere, denique remedia contemnentes totius eccleſiæ nomine à corpore eccleſiæ abſcindere. Hoc presbyterii inſtaurati poſt confuſionem à Luneburgicis inductam initium: quod poſt ejuſdem ſtudio in eam formam redactum eſt, quæ magno ornamento ac emolumento eccleſiæ fuit. Tum curatio pauperum melior etiam facta. Hæc in urbe Emdâ ad eccleſiam ejus loci pertinentia, cujus paſtor erat, à Laſco curata. Simul extra urbem idem in ea, quæ ad ἐφόρειαν eccleſiarum reliquarum totius regionis attinebat, animum intendit. Hic à viſitationibus exorſus, non ſuâ tantùm, ſed & collegarum ſuorum operâ, quorum alios alias in partes diverſis temporibus mittebat, quæ fortuna, quis ſtatus omnium & ſingularum eccleſiarum, quæ doctrina, qui mores, quæ ſedulitas miniſtrorum eſſet, penitùs cognoſcere ſatagebat, multaque ſanè deprehendebat, quæ emendationis opus haberent. Id verò meditabatur, ut peremptis diſſenſionum reliquiis, quantum res ſinebat, ſalutari concordiâ omnes eccleſias & eccle-

ſiarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſiarum miniſtros inter ſe colligaret, ut miniſtrorum vitam diſciplinâ legitimâ coërceret, & ſcandala averteret, ut eoſdem in doctrinâ exerceret, ut indignis ingreſſum miniſterii præcluderet. Harum rerum gratiâ ex voluntate gubernatricis & ſummi ſenatus inſtituit, ut ſeptimo quoque die feriâ ſecundâ eccleſiaſtæ conventus haberent per ſemeſtre æſtivum viis ad commeandum commodis, idque per orbem locis idoneis. Mox cùm cætera loca minùs commoda conventibus hujuſmodi deprehenderentur, placuit omnibus perpetuam horum ſedem Emdæ eſſe: decretumque ab eâdem Gubernatrice & ejus ſenatu, ut ab his conventibus, quos cætum vocabant, eccleſiaſtarum nemo ſe ſegregaret, conſenſioni, exercitiis, diſciplinæ, decretis ejus nemo ſe ſubduceret: omnes unitatem colerent, & concordiam inter ſe tuerentur. Sed & huic inſtituto multæ & variæ ſe remoræ objecêre, quas Laſcus ſtudio, induſtriâ, ſapientiâ, dexteritate ſuâ fæliciter tandem ſubmovit. In his à Guilhelmo Lemſio Antwerpienſi, qui in miniſterio ſacro erat apud Nordanos, moleſtia ei creata eſt ob controverſiam de doctrinâ ſacramentariâ. Is namque temporibus infælicibus, quæ fœdus Geldricum ſunt ſecuta, fluctuante tum eccleſiâ Nordanâ ob inconſtantiam Ioannis Stephani, qui paſtor ibi fuerat, in poſſeſſionem paſturæ poſt hunc eundem pervenerat, vir naturâ contentioſus, Lutheranum dogma de ſacramentis, & ceremoniarum ſuperſtitioſarum uſum in delitiis habens, ægrè ferens, Buceri ſtudio bellum ſacramentarium in Germaniâ eſſe compoſitum. Nam ab eo tempore theologi omnes, qui à papiſmo receſſerant, concordiam colebant inter ſe, & junctis conſiliis atque operis meretricem Babylonicam oppugnabant. Quod ipſum Lemſium quoque ab annis proximis, quamvis prurigine contendendi laborantem ſilentium tenere, & pacem colere cum aliis coëgit. At ubi Lutherus ab Amſtorfio incenſus litem renovare levius primùm cœpiſſet vergente anno M. D. XLIII, dein anno proximo editâ confeſſione parvâ in apertum bellum contra Tigurinos, & eorum ſocios erupiſſet, Lemſius etiam ventum hunc nactus animi ſui morbum ſtatim prodidit. Lutherum in ore habere, ejus ſe nomine jactare, pro dogmate ejus pugnare, diſſentientes hæreſeos accuſare, condemnare, odiſſe, collegis ſuis moleſtus eſſe, alios in eadem ſtudia excitare. Et erant nonnulli hic illic quanquam rariores, quos Luneburgici aut perverterant, aut eccleſiis obtruſerant, qui ei ſuccinebant. Eamque factionem politicorum quidam, homines ferè vani, è quibus præfectus Nordanus, Ioannes Hoernemannus, Ioannes Bramius erant, fovebant: Contra Laſcus ad concordiam omnes vocare, ſententiam ſuam rotundis verbis proponere, veritatem ejus ſolidis rationibus demonſtrare, dubitantes, aut diſſentientes audire placidè, & erudire, ferre etiam, quos jungere ſententiæ ſuæ non poterat: eoſque, ſi paci ſtuderent, pro fratribus agnoſcere, idque faciundum eſſe, & diſſenſionis illius ergò concordiam non ſolvendam, aut unitatem ſcindendam alios docere, exemploque ſuo in eo præire, eodem pede hac in re cum Bucero, Capitone, Melanchthone, Hardenburgio incedere, ſed planiùs quàm illi mentem ſuam explicare. Erat enim ingenio imprimis aperto, & quæ ſentias, præſertim in rebus divinis, planis & perſpicuis verbis exponenda putabat. Lemſius igitur cùm ad ſocietatem cætus inſtituti invitaretur, cui ea mens erat, quam dixi, aſpernari eam, cum Laſco & collegis ſymmyſtiſque nil commune habere velle, monita temnere, ſibi quos poterat, jungere, ab his, quos dixi, animari. Id verò Laſcus dolere eccleſiæ causâ, querelas ad aulam deferre, oſtendere, contumaciam hanc ad ſchiſma ſpectare, ſacroſancti miniſterii reverentiam tollere, ipſius Gubernatricis, & ſenatus ſummi autoritatem peſſundare, rem ullo modo ferendam non eſſe: ſed in caſſum laborare. Nam in

M.D.XLIV aulâ & procerum numero erant, qui optimam voluntatem Gubernatricis morabantur, quorũ nonnulli contumaciam clam fulciebant, quidam etiam apertè tuebantur. Quapropter dolore abreptus Laſcus, quòd putaret optimã principem alienis magis quàm ſuis conſiliis regi, ideoq; oleum & operam ſibi perire, dimiſſionem flagitavit, & re ipsâ utriuſq; muneris curam, ex lege, quam initiò & eccleſiæ & principi dixerat, depoſuit, atque aliò migrare conſtituit, quò ipſum vocaturus eſſet DOMINUS. Verùm exoratus à principe & optimis quibuſque, & ſymmyſtarum precibus expugnatus ſubſtitit Emdæ, & poſt aliquot menſes utrumque munus imponi ſibi rurſum paſſus eſt. Sed priuſquàm iſtuc deſcenderet, in has leges principem & populum rurſus obligavit, ut conſenſum & concordiam morantes in ordinem cogerentur, aut loco moverentur, princeps ipſa, ubi opus eſſet, auxilium ferret, decretaque ſua tueretur, idola reliqua, & alia impiæ ſuperſtitionis inſtrumenta ac fomenta apud Emdanos tolli è medio curaret. Ita ſpe meliore erectus in inſtituto perrexit, imprimiſque id, quod ad cætum ſymmyſtarum pertinebat, excoluit, perfecitque. Lemſius cum ſuis temporibus ceſſit. Acta poſtrema hæc anno M. D. XLVI, menſe Iunio. At idem Lemſius, cûm domi non liceret, foris è Saxoniâ certamina Laſco & eccleſiis horum locorum commovit, quæ exponere hîc non eſt hujus inſtituti. Cætera quoque de cætu, inſtituto optimo & utiliſſimo, poſtea dicentur commodiùs. Nunc ad civilia redeundum. Anno M.D.XLV, menſe Februario gubernatrix vidua poſt multam actionem cum ſenatu ſuo & cæteris, quorum intererat, Auricæ in conventu publicavit ſtatutum multas leges complexum de variis rebus, de ordine in judiciis ſervando, & reliquis reip. partibus, de agrorum locatione & conductione, de locantium & conducentium jure, de Amaſi uſu, de ſumptus modo in epulis, & aliis hujus generis. Cujus ſtatuti celebre apud paſtores nomen: ſed verba hic illic lubrica varias poſtea contentiones, & jus ambiguum aliquot partibus pepererunt. Poſt vergente Majo menſe viſendi & donativi conſequendi gratiâ è Brabantiâ in Geldriam, indè in diœceſin Vltrajectinam, ex eâ Groningam venit Maria regina. In cujus comitatu cùm eſſet Comes Ioannes, rerum ſuarum cauſâ Emdam porrò excurrit. Vbi de reſiduo neſcio quo, quod ſibi adhuc deberetur, haud juſtâ ratione conqueſtus, etiam id fratris ſui liberis extorſit. Qui priuſquam ad reginam reverteretur, adfuere quoque ab Hamburgenſibus legati duo è ſenatorio ordine, ut eſt à Grimershemio notatum, qui & ipſi querelam intulêre de aureorum aliquot millibus, quæ civitati ſuæ adhuc reſtarent ex tranſactione cum liberis Vlrici: quos gubernatrix primum Auricæ, deinde Ioannes Emdæ audivere: Poſtremò quod calculo poſito deberi iis deprehenſum fuit præſente ſummo ſenatu, id acceptis apochis eſt integrè ſolutum. Interea de Amaſi uſu, portorii jure contra Emdanos animum reginæ præſentis querelis gravibus Groningani occuparunt. Omnibus enim modis opportunum id eſſe commodo civitatis ſuæ rebantur. Nam in hoc adventu primo reginæ ad ſe, quæ gratantibus vocibus, feſtivâ lætitiâ & apparatu magnifico liberalique excepta fuit, favore ſe ejus uſuros eſſe exiſtimabant. Deinde affectu ſiniſtro in Emdanos reliquoſque regionis iſtius ordines atque ipſam viduam principem ob religionem & tutelam Ioanni Comiti negatam regium animum ab eodem Comite Ioanne imbutum eſſe non ignorabant, eumque affectum ſibi profuturum arbitrabantur. Querebantur verò, patuiſſe quondam navibus ac rebus ſuis commeatum in Amaſo liberum ſecundo adverſoque flumine, tantummodò naves ſingulas Emdam prætemavigantes ad eum portum pauxillum vectigalis ſolvere ſolere, nec neceſſe habuiſſe portũ ſubire, & merces illic venum exponere. Nunc à morte Edſardi vectigal iniquo modo auctum, nec de navibus ſolùm, ſed & de mercibus exactum: quin imò centeſimam pretii mercium omnium publicarum cœpiſſe poſtulari: multaq; hinc & incom-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

incõmoda & damna accidiſſe naviculariis & negotiatoribus ſuis. Sic illi. Regina ſtudio eorũ Martinum Nerdenſem jureconſultũ, Cameræ Groninganæ præſidem Emdam ſine morâ miſit, qui cauſam Groningenſium ageret: eiq; in mãdatis datum, ut ſi perſuadere, id, quod poſcebatur, non poſſet, hoc ſaltem efficeret apud gubernatricem & civitatem, ut componẽdæ per amica colloquia controverſiæ hujus ergò legatos Bruxellam mitterent, quo & Groningani ſuos in eum finem miſſuri eſſent: quod ſi facerent, reginam conciliandæ concordiæ partium ex æquo & bono non defuturam. Is cùm alia omnia de ipsâ re Emdæ audiſſet, à prioris ſpe dejectus in alterum incubuit de legatis Bruxellam mittendis: idq́ue obtinuit: convenitque, ut ad diem VIII Calend. Septembr. legati iſtic præſentes adeſſent. Ut verò expeditior res Bruxellæ fieret, domi præparandam eſſe, ejuſq́ue causâ colloquium inter paucos inſtituendum perſuaſit. Placuitq́ue colloquio locus Oſterwerumi in cœnobio Ioannitarum: atque ibi ab iis, quos iſtuc Anna gubernatrix Emdaniq́ue legarunt, cum Martino hoc eodem, & antiſtite Adoardiano tentata res, ſed opera perdita. Itaque Bruxellam itum utraque à parte, atque illic apud arbitros conciliatores prolixè cauſa agitata: ab Emdanis vetus, nec unquam interrupta juris ejus, de quo contendebatur, poſſeſſio, eadem diplomate Cæſaris Maximiliani ſolenni formâ cõfirmata, pactis & tranſactionibus cum vicinis Monaſterienſibus roborata, ipſorum quoque Groningenſium precibus probata, ceu fundamentum immobile cauſæ ſuæ commemorata. Groningani contra Friſiorum veterum libertatem onerum hujuſmodi neſciam, jus commune gentium ex ipsâ naturæ lege profluens, æquitatem juris omnis fontem ac baſin cunctis his opponere: poſſeſſionem illam iniquam uſurpationem vocare, diploma juri & æquitati adverſum, inauditiſq́ue illis, quorum intererat, datum invalidum ac inane eſſe: conventionem cum Monaſterienſibus ſuæ civitati præjudicium parere non poſſe. Denique alternatis confligentium rationum vicibus cùm Emdani poſſeſſioni longiſſimæ & Cæſaris diplomati inhærerent, ac jus ſpeciale generalibus potius eſſe contenderent, nec ab re decedere ſe poſſe demonſtrarent, regina, quæ in partes Groningenſium ferebatur, indignata ad fratrem Cæſarem, qui in Brabantiâ tum fortè præſens aderat, rem ex ſenſu ſuo retulit. Illi contrà Cæſari tacitè diffidentes, ut judici haud æquo hac in re, ad Imperii tribunal quam modeſtiſſimè provocarunt, ejuſq́ue judicio parituros ſe ſuoſq́ue, ut in mandatis acceperant, teſtati fuêre. At Cæſar quaſi bile commotâ (nam & ſoror eum incenderat, & provocatione ipsâ aſperari videbatur, & ob contempta mandata ſua priora, quibus Comes Ioannes tutor & adminiſtrator rerum pupillarium eſſe videbatur, atque ob religionem, cui bellum per Germaniam inferre eo tempore meditabatur, in Emdanos & reliquos ejus regionis ordines, atque in ipſam gubernatricem animo erat non ſatis æquo) calidas ad hos omnes literas dedit, præcipiens ſeverè, ut à Groningenſium injuriâ uſurpatoq́ue in eos jure abſtinerent. Simul edicto acerbis in eoſdem verbis concepto ſanciit, ut per omnes Belgii provincias Emdenſium & cæterorum in eâ Friſiæ parte degentium naves & res graviſſimo vectigali onerarentur: è navibus quidem ſingulis aurei Carolini XXV, è mercibus pretii viceſima exigeretur. Quod edictum ſignatum lego Mechliniæ anno hoc eodem M.D.XLV, die XII Calend. Novembr. mittendum ad omnes provinciarum magiſtratus: ſed inſtar gladii vaginâ conditi in tablinis hæſit, donec appareret, quid factura vidua princeps gubernatrix, & Emdenſes eſſent. Exemplar tamen Groninganis datum terrendi cauſa. Dein ad tempus conſultò ſuppreſſum. Nam Cæſar arcanis conſiliis bellum Germanicum meditans contra ordines protestantes inſtigante Romano Pontifice, & Ordinum illorum vires non ignorans cautiſſimè ſibi agendum putavit. Itaque diu primùm quod medi-

M.D.XLV. — M.D.XLVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. XLVI. tabatur, diſſimulabat, & ſuſpiciones ac rumores ſubnaſcentes ſeriâ inficiatione tollere ſtudebat, ut imparatos, nec quicquam ſibi timentes opprimeret: dein cùm ſimulare diutiùs non poſſet, hoc operam dedit, ut ſcinderet in partes, in quos arma parabat. Quod ut effectum daret, non religionem, ſed rebellionem quorundam & contumaciam correptum ſe ire teſtabatur: atque hoc multis perſuadebat, non paucos etiam adeò dementabat blandiendo, ampliſſima quæque pollicendo, pactis & fœderibus fidem ſanciendo, ut non ſolùm auxilia amicis & ſociis non ferrent, ſed etiam armari ſe in eos paterentur: quod erat univerſæ proteſtantium cauſæ longè pernicioſiſſimum, & planè capitale. Suis enim viribus oppugnata hoſtis aſtu ſuccubuit, eique triumphum dedit. Quod fusè & diligenter ab aliis expoſitum, & memoriæ publicæ traditum eſt, ut poſteros redderet in caſus ſimiles cautiores. Sed Cæſar bellum hoc movens, & curis æſtuans, ut nihil contemnebat, quod iſtuc faceret quoquo modo, ita ſub ipſum id tempus, quo arma palàm ſumpta ſunt, per ſororem eundem Martinum Nerdenſem Cameræ Hovetmannorum apud Groninganos præſidem illis jam locis notum ad Annam Oldenburgicam viduam miſit fidei & mandati literis inſtructum, perinde ac ſi ab eâ rebus ſuis aliquid incommodi timeret. Hujus oratio eo tempore perblanda fuit: cupere nimirùm Cæſarem cognoſcere an ipſa Saxoni & Heſſo fœdere ſociata, opemque latura eſſet; ſi non, polliceri Cæſarem ei omnem benevolentiam, certoque promittere, & ipſi & liberis ejus libertatem, jura, privilegia omnia illibata ſe conſervaturum, & contra vim ac injuriam aliorum defenſurum: Cæſari in animo eſſe Saxonem & ejus ſocios armis petere non ſanè aliam ullam ob cauſam, quàm quòd prætextu religionis contumaces ac rebelles ſe ferant: religioni à Cæſare non eſſe periculum. Quis fraudem hanc expectaſſet à tanto principe cæteroqui & fido & laudato, ut fœminam viduam, imbecillem, nil mali cogitantem fucatis verbis illuderet, cùm de religione ageretur? Nam conſtat, cum Romano Papâ fœdus eum jam tum habuiſſe, recens ictum, cujus caput erat maximum religionis reformatæ oppreſſio, atque adeò in animo ei fuiſſe jugum imponere toti Germaniæ. Hanc ſcilicet fidem ſuis inſpirat caſta religio Romana. Nerdenſis accepto reſponſo, quale optabat, ad ſuos rediit. Vidua ſpe optimâ repleta cum ſuis quievit. Poſt dies XXIV à diſceſſu Nerdenſis à Wellio, Teutonici ordinis equite, qui Comitis Burani vices gerebat eo tempore in proximis provinciis, literæ venêre ad eandem viduam Friſiæ Orientalis rectricem, quarum idem argumentum erat cum oratione iſtius. Cui idem quoque cum iſto reſponſum datum. Poſthæc labante Saxoni & Heſſo belli fortunâ in Germaniâ ſuperiore, diſtractis copiis, utroque illo in fines ſuos ad tutanda propria reverſo, ut magìs adhuc vires fœderatorum diſtraheret, in Saxoniâ inferiore, & Weſtfaliâ Cæſar bellum iis movit ſummo duce Iodoco Croningio Selandiæ præfecto.

M. D. XLVII. Hic exercitu celeriter confecto ſurgente anno M.D.XLVII, Comitibus aliquot Weſtfalicis Tekelnburgio, Retpergio, Lippienſi, Hoijenſi, Schouvenburgio brevi tempore in ordinem redactis, & Mindâ civitate imperata facere compulsâ, vocante & precante Chriſtophoro archiepiſcopo Bremenſi, ad invadendam Bremam medio menſe Februario exercitum ducit, & uno infra urbem milliari ad Viſurgim caſtris poſitis obſidere eam cœpit: quâ in obſidione die VI Eid. Martii levi pugnâ cum excurrentibus oppidanis ad caſtra commiſsâ ictu tormenti minoris ipſe occubuit, Vriſbergio in imperio caſtrorum ſuccedente. Interea per agrum Oldenburgium itinere facto ſtipati equitum turmâ ſexagenariâ, adductâ ſecum Onnâ Retpergicâ Eſenæ & Witmundæ dominâ, quæ Retpergæ in poteſtatem venerat, viâ Freburgicâ, quæ arcem ipſam ſtringit, Hermannus Armelingius, & Fridericus Spadius Friſiam ingrediuntur ſine cujuſquã injuriâ;

nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. XLVII.

nec uſquam morati in agrum Eſenſem contendunt, Eſenamq́ue & Witmundam volente Onnâ Cæſaris nomine occupant populumq́ue ad jurandam Cæſari fidem vocant: ſed reſponſum à populo, in fide Onnæ nunc ſe eſſe, futuroſq́ue in obſequio & fide ejus, quicunque Eſenæ & Witmundæ arces eſſet habiturus. Id verò erat idem, quod poſcebatur. Onna quippè deditâ Retpergâ in fidem Cæſaris ſe paulò antè contulerat hac lege, ut quoad ea, quæ in Friſiâ tenebat, clientelam Cæſaris tanquam Geldriæ principis profiteretur Bremenſibus relictis. Cæſar enim quicquid Geldriæ Ducis olim fuerat, id ſuum jam eſſe, Geldriâ in poteſtatem redactâ, exiſtimabat. Accedebat & occaſio hæc, quòd Bremenſes rebellium & proſcriptorum ſocii, atque arma in Cæſarem ferentes omni jure ſuo, quod ſibi bello Eſenſi paraverant, cecidiſſe cenſerentur. Et quia verebantur Cæſariani, ex regione hac, quæ in clientelâ Bremenſium eſſe ferebatur, aliquid ſubſidii illis, ſibi verò incommodi exiſtere, hoc durante bello, poſſe, ideò ea, quæ jam dixi maturata ab iis ſunt. Qui dum adhuc iſtic hærent, Anna Oldenburgica ex conſilio ſuorum, ne tacendo minueret liberorum ſuorum jus, Ioannem Barbatum præfectum Grethanum & Ioannem Bramium conſulem Emdanum poſtridie Calendas Martii Witmundam ad eos mittit. Per hoc exponit quid juris ex ſucceſſione hæreditariâ, quid ex tabulis Cæſarum liberis ſuis in Eſenam agrumq́ue Eſenſem competat: quid contra Bremenſes clientelam ad ſe trahentes in Camerâ Spirenſi ſit actum: quid Cæſar quoque ipſe hac in re fecerit: (is judicibus delegatis cauſam cognoſcendam commiſerat,) non ſperare, hæc eorum acta filiis ſuis fraudi eſſe futura: proteſtari, ſilentio ſe cauſæ non deeſſe, & petere, ut hujus rei teſtimonium perhibere ipſi velint. Illi reſpondent perbenignè (ſic enim res tum poſcere videbatur,) actionem hanc in præjudicium fraudemve liberis ejus haudquaquam ceſſuram: ſcopum verò ejuſce eſſe hunc, ne ex his locis vires hoſtibus Cæſaris ſufficiantur, néve quid detrimenti partibus Cæſarianis inferatur: nec in mandato habere ſe hoſtiliter quicquam agendi in ipſam aut ordines ipſius: denique ſe memores proteſtationis hujus futuros, ac de eâ teſtimonium perhibituros, ubi res id eſſet requiſitura. Sed omnia ſimulatè. Bibuo poſt iidem illi Armelingius & Spedius eâdem, quâ venerant, viâ Friſiâ exeuntes aſſumpto itineris comite Ioanne Retpergio adoleſcente, Eſenæ domino in caſtra Cæſariana ad urbem Bremam redière. Affirmat Grimerſhemius, iſto in itinere evocaſſe eos ad ſeſe Tidonem Cnijpenſem, qui Saxonis & Heſſi ſigna ſecutus erat contra Cæſarem, & ex eo cognoſcere voluiſſe, quibus rationibus putaret ipſe pœnam proſcriptionis, (proſcriptus enim erat) jure declinare ſe poſſe: ſed quid à Tidone eo tempore ſit reſponſum, non exponit. Solutâ deinde à Vriſbergio, & paulò pòſt adventu novarum copiarum duce Erico Brunſvicenſe, juvene alacri, à Cæſare iſtuc miſſo, inſtauratâ rurſum obſidione urbis Bremenſis, eâdemq; iterum ſolutâ, cum adveniſſent in auxilium obſeſſis Albertus Mansfeldius, Chriſtophorus Oldenburgius, Guilhelmus Thomſhernius, Ioannes Heideccus, aliiq́ue cum inſigni exercitu, & Erici ac Vriſbergii copiis ad Dracoburgum in Hoijenſi ditione juxta Viſurgim fuſis fugatiſq́ue, durante vario armorum tumultu, eâdem & proximâ Verdenſi in diœceſi inter Manſveldium ſocioſq́ue & archiepiſcopum Chriſtophorum, & interea prœlio in Saxoniâ ad Mulbergam oppidum in orâ Albis inter Cæſarem & Saxonem commiſſo, & Saxone in prœlio capto, Witebergâ, omniq́ue eâ Saxoniæ parte in Cæſaris & Mauricii poteſtatem redactâ, Philippo quoque Haſſiæ Lantgravio dedititio in cuſtodiam dato, & inter hæc quoque Delmenhorſto à Chriſtophoro & Antonio fratribus Oldenburgicis medio menſe Aprili aſtu recuperato, quod toto penè ſæculo jam in poteſtate Monaſterienſium fuerat, Herbertus Langius cum copiis equeſtribus & pedeſtribus à Comite Eberſteinio,

M. D. XLVII. & eo, quem dixi, Vriſbergio, qui expediendorum ſtipendiorum cauſâ aliò profecti erant, ad proximos Friſiæ orientalis fines Aſchendorpam & Rhedam acceſſit. Vbi cùm conſediſſet, miſſo Sconebecio viro genere nobili ad viduam rectricem Annam Oldenburgicam petiit ab eâ copiam ingrediundi cum his, quos ſecum habebat, armatis in agrum Reidanum, & illic conſidendi ad breve tempus commeatuum gratia: ſibi curæ fore, ne cuiquam vis aut injuria fiat. Sed priuſquam expediri reſponſum poſſet, ſubmiſit alios tres è primoribus exercitus, qui & documenta exhiberent militiæ Cæſarianæ, & ſimul oſtenderent non nolente Cæſare hunc ſe ingreſſum petere. Qui dum in arce Orthana ad Amaſum cum gubernatrice (eò enim hæc repentè advolaverat) colloquia miſcerent, non expectato reſponſo, invitâ & recuſante gubernatrice exercitus in agrum Reidanum à Langio eſt inductus, & omni injuriarum generi in inermem & innocentem plebem, exceptis vinculis & incendiis, frena laxata. Quo cognito, ingenti dolore compuncta vidua ad legatos ipſa accedens de injuriâ tam enormi peracerbè conqueritur, dicitque ne literam quidem ſe in chartis reperire, quâ tanti facinoris licentia ipſis permiſſa doceri queat: nec verò ſe aut ſuos ullo modo id commeruiſſe, aut Cæſarem Cæſariſque res læſiſſe: addit, poſcere ſe, ſine morâ ut finibus rurſus excedant: ni faciant, ait ſe querelas ad Cæſarem delaturam: haud decere, ut qui Cæſaris miniſtros ſe profiteantur, contra Cæſaris promiſſa, quæ tueri debebant, tam enormiter ipſi delinquant. Atque hæc ſcripto comprehenſa, ne aliter ac dicta fuerant, torquerentur, referenda ad Langium eiſdem traduntur. Ad quem cùm rediſſent conclamatis vaſis copiæ motæ, & juxta cœnobium Dunobrocæum in fines agri Groningani raptæ, omnibus toto illo curſu obviis, quæ ferri, rapique poterant, direptis. Sed denunciatione ejus, qui Cæſaris nomine Groningæ præſidebat, ſtatim diſcedere iſtinc, & extra Cæſaris ditiones ſe recipere juſſæ in eundem agrum Reidanum, unde exceſſerant, ſine morâ reductæ, pedeſtres quidem, quæ ſignorum XXV erant, rectâ viâ, quâ venerant, equeſtres vexillorum V per fines Monaſterienſes, quod ipſis commodius, itinere circumacto: caſtraque Longumi poſita. Tum Gubernatrix miſſo confeſtim homine ſuo ad Langium, quærit ex eo, quænam ei cauſæ iterandæ hujus injuriæ, & calcandi ampliſſima Cæſaris & ſororis ejus promiſſa. Ad quæ ferociter Langius, plures ſe hujus facti cauſas habere: nam primùm non eſſe Rectricem eâ in gratiâ apud Cæſarem, quam ipſa jactet: deinde legatos ſuos incommodis verbis exceptos fuiſſe in arce Orthanâ: adhæc habere ipſam circum ſe quotidie hoſtes Cæſaris, denique Reidanos copias ſuas in receptu eſſe perſecutos. Atque his quoque minas adijcere, niſi commeatuum copia ſuis fiat, ultroque jactare, ſe ad Cæſarem quàm celerrimè omnia per curſorem relaturum. Tum rurſum Gubernatrix, non eſſe ſibi cauſam cur benigniſſimè promiſſis per Nerdenſem literis fidei ac mandati à Cæſare & reginâ inſtructum diffidere debeat: hæc verò promiſſa Langium peſſundare, & hoſtili modo plebeculam, quam defendere eum æquum ſit, affligere, imò hoſtium nonnullorum modum exceptis cædibus & incendiis ſuperare: ita majores & juſtiores ſibi cauſas dari de his apud Cæſarem querendi, niſi ipſe ſine morâ copias abducat, & injuriarum finem faciat: jam verò falſum eſſe, quod de verborum injuriâ in legatos jactet: falſum item, quod de hoſtibus Cæſaris circum ipſam criminetur: nam Tjdonem Cnijpenſem, ſi eum deſignet, ad curam Langii non pertinere, ſed Comiti Burenſi permiſſum cum eo tranſigere: & quartum quoque quod accuſet, probatione indigere: maleficia autem militum ejus in plebem nimis eſſe notoria, ut negari nequeant: poſtremò denuò poſcere, ut abſque morâ finibus excedat. Sed is omnibus his ſpretis, cùm nihilominùs in propoſito perſiſteret, atque inſuper bonâ fide in caſtra ingreſſos

in cuſto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. XLVII.

in cuſtodiâ teneret, naves etiam commeatum advehentes non dimitteret, vidua princeps in ſummâ perplexitate conſilii Georgium Honium arcis præfectum, militiæque non rudem rurſus ad eum miſit. Et cùm ne hoc quidem ſatis ex ſententiâ cederet, tandem iſtuc deventum, ut ipſa trajecto Amaſo in orâ agri Reidani è regione arcis Orthanæ cum duobus equitum, duobus item peditum præfectis in colloquium deſcenderet: Sed & illic quanquam omnia ab eâ dicta ſint, quæ ad movendos eorum animos dici poterant, nihil confectum. Quin imò poſtridiè colloquii, cùm audiſſet longiùs adhuc urgeri à Rectrice diſceſſum, inſolentes admodum & minaces literas per tubicinem ad eam dedit, & exterminium denunciavit, niſi periniquis poſtulatis ipſius ſatisfaceret. Tandem cùm minis non frangi mentem ejus videret, neſcio quid conditionum pactus biduo pòſt Eid. Iunii cum omnibus ſuis ex Friſiâ abiit, in ipſo abitu multis nequiter patratis. Inter hæc Maximilianus Burenſis ad eandem Rectricem mandatum Cæſaris miſit, cujus hæc erat ſententia, ut ea auxilio Burenſi eſſet ad puniendum Tidonem Cnijpenſem, Cæſaris & Imperii hoſtem. Id Tidoni crimen impactum non aliâ ex causâ, quàm quòd Saxoni militaſſet. Hic autem quanquam judicio ſe offerret, tamen rejecto judicio coactus demum eſt cum Burenſi non uti voluit, aut æquum fuit, ſed uti potuit, tranſigere. Tranſegit hoc modo, ut ipſe tribus penſionibus L aureorum millia Burenſi ſolveret, Burenſis indemnem eum apud Cæſarem, Cæſariſque miniſtros præſtaret. Simili fulmine ob idem crimen ambuſtus quoque fuit, Wilco Friſius Loquerdius, Bruxellam coram ipſo Cæſare anno ſequente vocatus. Circiter idem tempus cùm mare jam dudum infeſtum Emdanis fuiſſet à Scotis, ut Scotorum nomen dicterio vulgari uſurparetur in imprecandis malis, petente civitate legati à Rectrice in Scotiam miſſi ſunt Hoitetus Tiaberius jureconſultus, & Hazo Habbonis filius, quorum ille ſenatui oppidano à ſecretis, hic ſenator erat. Horum operâ, cùm de totâ controverſiâ animis adhuc odio tumentibus tranſigi non poſſet, decennes induciæ confectæ fuêre, legatique gratantibus oppidanis per autumnum domum rediêre. Atque has inducias perpetua pax inter Scotos & Emdanos excepit, ut ſuo loco dicetur. Cæſar victoriâ potitus, principes ac reliquos Imperii ordines Auguſtam ad comitia vocavit, pro arbitrio jam ſuo de religione ac rep. ſtaturus. Ad hunc Auguſtum jam profectum, quod fuit menſe Septembri, eadem Rectrix Anna Oldenburgica ex conſilio ſuorum Vlricum Harringium Vpteti filium Nordanum miſit, cùm alias ob cauſas, tum ne juri liberorum, quod in Eſenam habere putabantur, ullo loco aut tempore deeſſet. Nam poſtquam à cognitorib. huic cauſæ ab ipſo Cæſare datis ob belli tumultus nihil in eâ erat actum, & non abs re metuebatur ne ſilendo, & ceſſando jus redderetur deterius. Vlricus autem ingens animo & corpore in prætorio Cæſaris per aliquot annos cum laude militaverat, comeſque expeditionis Africanæ ad Algieram fuerat, ac Cæſaris gratiam promeruerat. Quapropter idoneus putabatur, qui hanc rem expediret. Et quia idem eo tempore, quo in prætorio merebat, Frederico Palatino innotuerat, ejuſque favorem in ſe verterat, ad hunc quoque literæ ac mandata ei data, ut hujus gratia cuncta ſibi faceret faciliora. Sed & ipſius Palatini fortuna talis tum erat ob religionem, ut alienâ potius gratiâ opus haberet apud Cæſarem, quam ſuâ alios juvare poſſet, & ipſe Cæſar negotiis tam multis, ac magnis diſtinebatur, ut hujus curæ locus apud eum non eſſet: ac denique animus ejus ex victoriâ intumuerat magìs Hiſpanorum culpâ, qui aures ejus obſidebant, quàm bono publico atque æquis precibus expediebat. Itaque re infectâ Vlricus domum rediit. In his comitiis, quæ totum octimeſtre durarunt, multa à Cæſare acta, quæ dictatorium imperium magis, quàm jus & æquum ſapiebant: nec quiſquam ferè erat in

M. D. omnibus ordinibus, qui contradicere ei auderet: ut jam verum propè vide-
XLVII. retur, quod Hiſpani, & Hiſpaniſſantes jactabant, Germaniæ jugum à Cæſare
impoſitum eſſe. Inter reliqua cùm tardari concilium generale videret, quod
Tridenti erat indictum, conſtituendæ religionis formæ librum cudi curavit
M. D. per theologos tres Iulium Pflugium, Michaëlem Sidonium, Ioannem Iſle-
XLVIII. bium, cui libro ex ipsâ re nomen INTERIM dedit. Secundum hunc enim
Deum coli, & de Deo rebuſque divinis doceri per Germaniam voluit, do-
nec Concilium de omnibus ſententiam tuliſſet. Liber autem quanquam
ab ipſis carperetur papiſtis, tamen reſtituendi Papiſmi fundamenta conſpi-
cua collocabat. Eo publicato, & typis utrâque linguâ Latinâ & Germanicâ
excuſo, ſine morâ de dando ei loco ad omnes Germaniæ Ordines, ac omnia
loca mandata ſunt miſſa. Quibus qui non parebant, in offenſam graviſſi-
mam Cæſaris & non parvum periculum incurrebant: eccleſiaſtæ multis lo-
cis, ubi Cæſaris arma præſentia terrori erant, diſcedere in exilia, quidam
etiam in carceres ire cogebantur: tota Germania proteſtantium partium
in angore erat, & artus ſuos contrahebat. Poſtremum verò actorum Cæ-
ſaris his ipſis in comitiis fuit conventio cum ordinibus Imperii de provinciis,
quas Cæſar in Belgio & tractu vicino tenebat: Cujus hoc erat ſummum ca-
put, ut provinciæ hæ in tutelâ ac patrocinio Imperii Germanici eſſent, &
onera quidem ejuſdem Imperii cum cæteris ejus ordinibus ferrent, & fortu-
nâ poſcente viciſſim ei ſuccurrerent, ſed cum juriſdictione ejuſdem nihil ha-
berent commune. Hoc tempore, idoneum id inſtituto ſuo ratus, propterea
quòd ob religionem cauſaſque alias non ſatis propitio in Rectricem ordi-
neſque Friſiæ Orientalis, atque ante omnes in Emdanos animo eſſe Cæſa-
rem noſſet, is qui res Groninganas apud Cæſarem tum curabat, preces rur-
ſum ei obtulit contra hos eoſdem, & quale voluit decretum impetravit. Ex
decreti verò textu claret, in precibus hæc fuiſſe, olim Vlricum quendam to-
paroſam Grethanum dominum ſe Friſiæ Orientalis venditantem, & de ve-
ctigalium variorum, judiciorumque & rerum ſimilium jure à majoribus ac-
cepto inaniter gloriantem circumveniſſe Cæſarem Fredericum III, & ejus
beneficio in ordinem Comitum ſurrepſiſſe, & vectigalium eorundem, cæ-
terorumque ſimilium confirmationem ab eo impetraſſe, cùm tamen eo mo-
do, quo jactaverat, nec regionis dominus eſſet, nec vectigalium jus teneret,
nec libertas ipſa hujus gentis ullo modo id ferre poſſet: Cæſarem quidem li-
bertati huic expreſſis verbis ritè caviſſe in ipſo diplomate collati beneficii,
attamen Vlrici hæredes prætextu ejuſdem diplomatis contra expreſſam di-
plomatis legem onera priora auxiſſe, novaque addidiſſe, atque adeò hodiè
à Rectoribus regionis ea cumulari: & cum his Emdenſes etiam Amaſi flumi-
nis uſum contra jus & fas moremque priſcum vectigalem nunc facere, & ad
ſubeundum portum ſuum, moramque iſtic trahendam naves aliorum com-
pellere: rogari igitur Cæſarem, ut is libertati jurique publico omnium ſub-
veniens onera hæc & ſervitutes edicto abroget, aut ſaltem Groninganos &
eorum ſocios his ipſis eximat, libertatique reſtituat. Cæſar iſtis, ut dixi, in-
fenſus, his, quos in ſuis peculiari jure habebat, gratificandi cupidus, omnia
hæc unâ ſanctione ſuſtulit: & ne quid horum impoſterum uſurpent, Comi-
tibus, rectoribus, ſenatui populoque Emdano, & univerſis regionis hujus or-
dinibus graviſſimis verbis interdixit: nominatimque Groninganis & eorum
ſociis de immunitate hac prolixè cavit, pœnamque iis, qui contra ſanctio-
nem hanc facturi eſſent, non levem conſtituit: ad hæc decreto huic eidem
ni pareretur, permittere ſe oſtendit omnibus publicanis provinciarum Bel-
gicarum, duplum vectigal ab Emdanis, & cunctis Friſiæ Orientalis habita-
toribus ut exigerent: poſtremò conſervatores & executores hujus decreti
ſui deſignavit Epiſcopum Monaſterienſem, gubernatores Geldriæ, Friſiæ,
Tranſiſu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Tranſiſulanæ regionis, Groningæ, item Comites, Odenburgium, Retper- M. D.
gium, Benthemium. Signatum decreti diploma Auguſtæ pridie Calend. Iu- XLVIII.
lii. Exemplum nobile vanitatis rerum talium, quæ ut facile, cùm of- "
fert ſe occaſio, impetrantur in principum regumque aulis, ita vertente vul- "
tum eàdem occaſione, facilè rurſum perimuntur: quemadmodum hic ac-
cidit. Sed Cæſar cùm diploma daret, vetuit tamen, ac Groningani ejus
beneficio uterentur, antequam ab ipſo conſenſum impetraſſent. Nam
ex eventu edicti Interimiſtici apud Emdanos & reliquos regionis ordines
porrò erat hac de re ſtatuturus. De quo nunc dicendum. Cæſaris tabel-
larius, qui bellum Intérimiſticum cum edicto in hanc Germaniæ oram fe-
rebat, Emdam venit die x Calend. Septembr. abſente gubernatrice. Ea
paulò ante tum conſilii capiendi causâ, tum ut filiam ſuam natu minimam
gynæcio aulæ iſtic traderet, ad principem Palatinum Electorem è comi-
tiis reverſum Heidelbergam profecta erat, cum paucis ante abitum ſuum
diebus. Ioanni Laſco quoque Anglorum precibus victa copiam eundi in An-
gliam feciſſet. In eo namque regno mortuo Henrico VIII ſub novo
rege Eduardo VI Henrici filio religionis ſtatus cœperat inclinari, autore
ante alios Duce Somerſeto, avunculo regis & regni præcipuo gubernato-
re. Vocatuſque eôdem fuerat anno ſuperiore ſub finem Novembris ad do-
cendas ſacras literas in academiâ Oxonienſi Petrus Martyr Florentinus,
qui eaſdem literas Argentinæ magnâ cum laude docuerat. Et anno hoc
circiter initia Iunii Miſſa idololatrica publico decreto per univerſas regni
provincias erat abrogata. Et cùm de ordine eccleſiæ conſtituenda la-
boraretur, cujus percupidus erat primus totius Angliæ Thomas Gram-
merus archiepiſcopus Cantuarienſis, Laſcus ante alios ſuaſore Petro Mar-
tyre & Guilhelmo Turnero medico doctiſſimo ac pientiſſimo, quorum al-
ter Argentinæ, alter in Friſiâ Orientali familiariter eum noverat, publi-
cis & privatis literis in hanc operam expetitus & invitatus fuit. Nam erat
ſanè, ſi quis alius in theologis, iſti muneri Laſcus peridoneus, qui præter-
quam quòd doctrinâ & prudentiâ ſummâ valeret, etiam experimentum
inſigne facultatis hujus ſuæ iſtic, ubi tunc vivebat, depoſuerat, atque
in exiguo illo ſtadio oſtenderat, quid in totius regni ſpatio poſſet. Atque
hoc de eo Turnerus ampliſſimè apud Somerſetum prædicabat, qui non
ſolùm audierat ex aliis, ſed præſens ipſe viderat cognoveratque. Nam
& hic prioribus annis religionis causâ domo profugus ſummâ in gratiâ &
honore in Orientali Friſiâ apud viduam principis vixerat, & paulò antè à
Somerſeto in patriam revocatus fuerat, ut curandæ valetudini regis præ-
eſſet. Et Somerſetus non tantùm ad Laſcum literas hujus rei gratiâ dedit,
ſed peramicè quoque ad ipſam viduam principem ſcripſit: At Laſcus dubius
ac perplexus in diverſa trahebatur. Nam & amor eccleſiæ, cui devinctus
erat, & præſens rerum facies, quæ paſtoris operâ ingruentibus periculis
opus habere videbatur, & deſiderium principis in hoc diſcrimine anxiæ,
ac ejus ſecum retinendi cupidæ, & collegæ, totaque adeò eccleſia eum
retentabant. A parte aliâ autoritas, vocantium & petentium, ac ſpes
ingens propagandæ Chriſti eccleſiæ, & DEI gloriæ augendæ eum ſolli-
citabant. Poſtremò hæc potiora fuêre, & animos etiam eorum, qui-
bus diſceſſus ejus iſto præſertim tempore longè erat acerbiſſimus, ut eum
dimitterent, expugnarunt. Verùm conditio ei pariter & Anglis à dimit-
tentibus hæc dicta eſt, ut re iſtâ, cujus causâ expetebatur, expeditâ
(putabatur autem intra trimeſtre aut quadrimeſtre expediri poſſe,)
quàm ocyſſimè Emdam reverteretur. Diſceſſit Emdâ tertio die poſt-
quam tabellarius Cæſaris libellum cum edicto, de quo dixi, eôdem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. XLVIII. attuliſſet, & diſſimulato nomine ſuo, habituque mutato ignotus per Fri-
ſiam, Drentiam, Hollandiam, Brabantiam, Flandriam, profectus Caleto
trajecit in Angliam die VI Eid. Septembr. ubi benigniſſimè à Cantuarien-
ſi & protectore exceptus fuit. In itinere eo, Antwerpiâ literas dedit ad
ſymmyſtas euangelium docentes in totâ Friſiâ Orientali, eoſque de itinere
ſuo itineriſque cauſis certiores fecit, ne quid ſecùs, ac par eſſet, ſuſpicaren-
tur, & graviſſimis verbis ad conſtantiam in iſto fortunæ eccleſiaſticæ tur-
bine eſt exhortatus, ac in ærumnis conſolatus. Prolixiùs verò ad collegas
ſuos Emdanos Windſorâ ſcripſit, rem jam aggreſſus poſtridie Non. Octobr.
deploratâque eccleſiæ eorum calamitate id eos rogavit, ut bono ſint animo,
nec dubitent, iſtinc ſi pellantur, hoſpitia in Angliâ ſibi parata fore cum mul-
tis aliis pietatis ergò è patriâ profugis, ſtudio ac beneficentiâ liberali Can-
tuarienſes omnia ſua prolixè offerentis: interim dolere ſe oſtendit, in hac
tempeſtate non licere ſibi Emdæ ipſis adeſſe, & omnia cum iiſdem perfer-
re, quæ DOMINUS inimicis eccleſiæ eſſet permiſſurus: ſed rurſum hac ſe
cogitatione animum ſolari ſuum, forſan à DOMINO præmiſſum eſſe ſe in
Angliam ad præſtruenda iſtic exulaturis amicis fida hoſpitia. Et paulò pòſt
cùm ſe occaſio offerret internuncii, ad Hermannum Lenthium quoque ſcri-
bens eundem affectum illum erga collegas, totamque eccleſiam teſtatus
eſt, & ipſum ſimul ac gubernatricem officii, conſtantiæ, fidei, quâ myſte-
riorum ſacroſanctorum communione & Chriſto & eccleſiæ ſe obligaſſent,
quanto potuit verborum pondere & acrimoniâ admonuit: hanc nimirum
fortunam eſſe piorum in hoc ſeculo, ut perſecutiones patiantur: & eſſe
hæc ultima illa tempora; furere Sathanam, ut regnum Chriſti diſturbet,
ſed triumphaturum Chriſtum, & ſuos aſſerturum, illumque in catenas da-
turum; leonem ſcilicet fortem de tribu Iudâ, nec hunc virtute ſuâ abfutu-
rum diu: tantum animo opus eſſe præſente, ac in Deum credente: magnum
& potentem eſſe Cæſarem, qui jubeat, ſed majorem & potentiorem Deum,
qui vetet: ei parendum, ſed uſque ad aras. Iam ad ſuos reverterat guber-
natrix, cognoveratque & de edicto Cæſaris, & de libello allato: nec ſanè,
quod ad erigendum animum ejus facere poſſet, quicquam ex Palatinatu
domum reportaverat. Edicti verò ejus ſententia erat, ut religio ad nor-
mam in libello expreſſam, uſque dum in Concilio Generali certius aliquid
eſſet ſtatutum, reformaretur exerceretur que. Id autem uti admittere ex
imperio Cæſaris, impium, ita recuſare periculoſiſſimum videbatur. In hoc
bivio tam aſpero & difficili quid faceret fœmina vidua? quid ordines ejus?
qui & Dei timore tangebantur, veritatemque agnitam deſerere non au-
debant, & potentiam Cæſaris, ſuamque infirmitatem non ignorabant.
Tandem placuit omnibus, ut ad humillimas preces, & clementiam Cæ-
ſaris confugeretur. Supererat enim adhuc ſpes aliqua licet pertenuis, fore
ut promiſſorum ſuorum memor Cæſar innoxiæ viduæ & infœlicium libero-
rum ejus miſereretur, ſi precibus tentaretur. Gubernatrix igitur auditis
ſuorum ſententiis ſupplices ad eum literas dedit, refricatâque molliter pro-
miſſionum memoriâ obteſtata eſt, ut ſibi ſubditiſque ſuis ſine mutatio-
ne manere in exercitio religionis liceret uſque ad generalem hac in re to-
tius Germaniæ initum conſenſum. Id verò & ægerrimè tulit Cæſar, &
in Belgium reverſus denuò miſſis literis acrioribus ſignificari ſibi à guber-
natrice & ordinibus popoſcit, vellentne obſequium edicto præſtare, an
non, cum interminatione gravi, ſi recuſarent. Reſpondit gubernatrix ſi-
trepida, ſe ad ordines ſuos rem relaturam, & de ipſorum voluntate ſi-
ne morâ Cæſarem facturam certiorem: rogare, tantulam moram ne indignè
ferret. Id fuit circiter Calend. Februar. anno M. D. XLIX Ordinibus convo-
catis, quanquam omnes de periculo eſſent ſolliciti, tamen rurſum precibus
tentandam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

tentandam Cæſaris clementiam ſtatuũt, priuſquam ad mutationem veniatur, mittitq; in hunc finem Gubernatrix ex voluntate ordinum cum literis & mandatis Fridericum Weſtenium jureconſultum à fratre ſuo Chriſtophoro commendatum, qui diu in fide fuerat Franciſci Waldecci epiſcopi Monaſterienſis, virum ingenio, eruditione, facundiâ ſanè eximium & qui religionem orthodoxam quidem verbis profiteretur, ſed, ut verum dicam, mente Sadducæum. Is Bruxellam cùm veniſſet, ubi tum Cæſar cum filio Philippo Hiſpaniarum principe, quem pater, ut rem Belgicam ipſi traderet, ex Hiſpaniâ accerſiverat, agebat, tum de religione, tum de poſſeſſoribus ac rebus monaſticis (nam & earum reſtitutio in uſum priſcum cum ipſis cœnobiis in edicto mandata erat) preces Cæſari obtulit, & ſimul iram hujus in Wilconem Friſium Loquerdanum, ex militia Smalcaldicâ contractam mitigare conatus eſt: ſed duriorem ſpe atque expectatione eum ſenſit. Interim & è Germaniâ nunciabantur, ex quibus intelligebat Cæſar, plus difficultatis habere imperatam religionis mutationem ex formula ſuâ, quàm ipſe fuerat arbitratus. Quapropter de iis, quæ ſine novis turbis mutari non poſſe audiebat, ſpem jam fecerat, brevì ſe, quid fieri vellet, ad ordines Germaniæ perſcripturum. Quod cùm indicio Weſtenii Anna Rectrix accepiſſet, ſimulque intellexiſſet, reſpondiſſe quoque eundem Cæſarem Weſtenio rem commiſſam denuò ſuppliciter urgenti, nolle ſe cauſam hanc à communi ſeparare, illa latiùs cum ſuis id interpretans rata eſt, ad iſtud uſque tempus differre ſibi univerſam paritionem licere. At VVeſtenius, eo cognito, in hanc ſententiam gubernatrici reſcripſit die XIII Calend. Maij, *errare eam toto cœlo: poſcere Cæſarem, ut quæ ſine periculo mutari poſſint, ſtatim mutentur, atque eâ parte animus obſequio paratus declaretur: tum in reliquis fortè indulturum, ut expectetur declaratio ulterior: Quòd ſi igitur rebus ſuis & ſuorum benè conſultum velit, rem poſcere, ut ſine morâ in iis, quæ ad externos ritus potiùs, quàm doctrinam & veram religionem, Deiq; cultum proprium pertinent, morem Cæſari gerat, nec id procraſtinet diutiùs: & ſanè poſſe hæc ipſam ſine vulnere conſcientiæ admittere, cùm in omnibus cœnobiis eadem iſta & alia novo hoc Cæſaris libello comprehenſa hactenus ferè ſint tolerata: quid enim? periculoſiuſne, aut conſcientiæ ipſius graviùs futurum, Emdæ apud Tranſiſcanos in hunc uſque diem quod locum habeat, id ibidem majore in templo quoque admitti? itáne loca tantum diſcrimen facere, ut quod hic tolerabile, illic tolerari non queat? Quòd ſi in his inſit impietas, uti ſanè ab omni impietate excuſari non poſſint, certè nuſquam ferri debere: Iam cùm in cœnobiis ferantur, ſtultum eſſe poſcente maximo periculo aliis in templis ferre ea non velle: præſertim cùm ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti* (placet annumerare hîc autoris ipſius verba) *& baptiſmus inſert, in templo quid fiat, ſi in templum non placeat ingredi, ac ſacramenta, quæ ad ſalutem pertinent, concedantur mihi libera? Et quis,* inquit, *hominum culpaverit te hæc admittentem, cùm potentiſſimi Princeps Saxo, Brandeburgicus, Palatinus, Pomeranus, Megalburgius, atque alii cum civitatibus aliiſque Imperij Ordinibus, qui armis ſumptis ad defendendam religionem ſe paraverant, his miſsis Cæſari jam cedant, & decreto ejus dent locum, templa & ſacella inſtaurent, & promoveant nunc, quæ priùs damnaverant reprobaverantque? cùm ipſi eccleſiaſtæ, quibus fidebat imperita & infælix plebs, in apoſtaſiâ hac ſint primi & paratiſſimi, uſque adeo, ut Norimbergæ tam amplâ in civitate ſolus Oſiander conſtans manſerit? in totâ Sueviâ tres tantum huius decreti ergò in exilium conceſſerint, cæteri omnes decreto ſe ſubmiſerint? cùm Electores omnes & reliqui Principes Germaniæ obſequium polliciti ſint? ſolis civitatibus, quas Orientales vocant, etiam nunc obſtinatè recuſantibus, quibus* (ait) *vereor malè id ipſum ceſſurum: Cæſari enim conſtitutum, inobedientem in Germaniâ ferre neminem.* Poſt quæ exaggerato ſummo periculo rurſum hortatur eam impensè, *ne moras nectat diutiùs, ſed è veſtigio mutandis ceremoniis faciat initiũ, & ipsâ re factoq; obſequendi ſtudium*

M. D. XLIX.

M.D. XLIX. *di ſtudium Cæſari declaret; ante omnia uſum jejuniorum, ſupplicationum publicarum, rituum ſuperſtitione carentium, cantionum Latinarum impietatis expertium recipiat, introduciq́ curet, reliquos ritus cujuſq́ conſcientiæ liberos permittat: ſic ſine dubio alia omnia faciliora fore: De mandatis adverſus Anabaptiſtas* (publicaverat enim mandata gubernatrix contra omnis generis Anabaptiſtas, Davidianos, Batenburgios, Monaſterienſes, Vbboitas, Mennonitas poſtridie Non. April. vetueratq; ne quis omninò eos receptaret, domos agroſve iis locaret, aut quoquo modo benefaceret ſub pœnâ capitis fortunarumque, monita ſcilicet à Weſtenio, ut gratum faceret Cæſari) *libenter ſe cognoviſſe: interim malle diſſimulatum in eo fuiſſe monitum ſuum ob odium nobilitatis: attamen hoc quoque ſe temnere, ſtudio tuendæ fortunæ liberorum ejus: monere inſuper, ut graviter cæptum illud urgeat & proſequatur: Olderſhemij, & aliorum è nobilitate inſontium hujus culpæ curam ſe ſedulam habiturum, ne quid contra meritum iis irrogetur: de negotio Ilenſi, & ſimul de poſſeſſionibus monaſticis omnium cœnobiorum benè ſe ſperare: &, ſi quid intervenerit, quò minùs antè abitum ſuum ex aulâ ad finem optatum perducere rem nequeat, daturum tamen ſe operam, ut & Romæ & apud Cæſarem tuto loco collocetur: Wilconis Friſii Loquerdani jam domum revertentis cauſam ſe fœliciter peregiſſe: in Oſnabrugenſi* (nam & contra hanc civitatem & diœceſin de commerciorum ratione mandatum acceperat) *nihil deeſſe, præter ſcripturam Cæſaris: Comitem Ioannem audire ſe à paucis ſeptimanis in patriam cogitare: percupere, ante iter ipſius omnia confecta habere: Denique jubere, ut Gubernatrix bono ſit animo, & Deo rem commendet: hunc ſine dubio exitum aliquem his rebus voluntati ſuæ congruum eſſe daturum, dummodò ipſa ſibi apud Cæſarem non deſit.* Atque has literas ſecum tulit Wilco Loquerdanus, qui pondus iis cohortatione quoque ſuâ addidit. Ita velut tormentis validis proſtratus fœminæ principis animus, omnibus formidine correptis, circumſtantibus maximis periculis, cœpit labare. Nec multò pòſt advenit ipſe Weſtenius inſtans, urgens, in ruinam porrò agens adſcito in conſilii hujus ſocietatem Chriſtophoro gubernatricis fratre, ad quem Raſtedam diverterat, cujus ſumma erat apud ſororem gratia, & autoritas. Erat enim princeps ſummâ prudentiâ, & experientiâ, & ſororis ſuæ longè amantiſſimus. Quapropter cuſa tum fuit formula cum edicto, ſecundum quam Dei cultus in templis omnibus publicè peragеretur, partim ex eâ, quam XIX ante annos Comes Enno publicaverat, partim ex ſentinâ Interimiſticâ derivata, ceremoniarum ſuperſtitioſarum plena, quas Saxones quoque jam pridem exodein abjecerant. Inter hæc Laſcus confecto in Angliâ negotio, ægrè deſiderato rege, & regni proceribus, qui eum retinere etiam atque etiam deſiderabant, omni morâ ruptâ, ut verba facto firmaret, opinione penè omnium citiùs Emdam reverterat, totamq́, eccleſiam mœrentem reditu ſuo recreaverat. Is verò uti per literas fecerat antè, ita jam præſens omnibus occinebat hoc, Deo magis, quàm Cæſari parendum, ſi utrique parêre non poſſis. Sed qui in aulâ autoritate præſtabant homines mundana ſpectantes, adeò extenuabant id, quod in Deum committendum erat, ut in culpâ culpa non videretur: periculum verò à Cæſare ad eum modum verbis augebant, tantoque pavore fœminæ mentem quatiebant, quæ non ob ſuam, ſed liberorum ſuorum fortunam angebatur, ut pietatis monita in eâ perturbatione audiri non poſſent. Igitur publicato edicto ingens mœror totam regionem repentè pervaſit. Edicti enim telum hoc erat, ut eccleſiaſtæ, qui edicto non parêrent, templorum uſu ſtatim arcerentur, dein & munere toto, & ſtipendiis privarentur. Initium exequendæ rei Emdæ, Nordæ, Auricæ, Leræ, Ielmgumi, lociſque aliis celebrioribus factum, ut fama ejus ad aures Cæſaris, eorumque, qui pro Cæſare iſta curabant, perferretur. Cæteris locis lentiùs procedebatur, ut quod ſolet agi animis adverſis. Et ſanè plurimi eccleſiaſtarum ſic comparati animis fuére, ut miniſterium relinquere, quàm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

quàm ſuperſtitionibus ſe polluere, aut eccleſiis ſcandalo eſſe mallent. Quorum hæc erat ſententia, *etiam ea, quæ per ſe peccata forſan non ſint in hoc genere, in peccata abire, ſi cultus in iis ponatur, & ſi velut ad religionem, pietatemq; neceſſaria exigantur.* Pauciores dicto paruêre: quorum promptiſſimus Guilhelmus Lemſius apud Nordanos, & eum ſecuti, qui Lutheraniſmo impenſiùs erant dediti: rari alii. Omnium conſtantiſſimè recuſarunt Emdani, quanquam minis, monitis, precibus oppugnarentur, etiam ab eorum nonnullis, quos in amicis habebant, qui majoris mali declinandi gratiâ minus ferendum eſſe ſuadebant. Itaque templo in urbe clauſo petente eccleſiâ in cœmiterio ſub dio docebant ingenti multitudine ſtatis temporibus confluente, ipsâ religionis perſecutione ſtudium, ac ardorem pietatis augente, & aviditatem audiendi incendente, ibidemque baptiſmum publicè adminiſtrabant: ad hæc privatim in ædibus inſtituere homines, ad pietatem extimulare, ſolari, ad conſtantiam hortari: nec hæc ſine magno, ſuavique fructu. Et horum veſtigia multi hic ſecuti: totaque regio ut in luctâ, & luctu erat, ita pietatis zelo, tanquam ſub cruce, inardeſcebat. Gubernatrix autem, quæ haud lubens faciebat, quod faciebat, ultra occluſionem templorum, & levem comminationem contra recuſantes non progrediebatur, & ad ea, quæ fiebant ab iſtis pietatis ſtudio, libenter connivebat. Itaque eccleſiaſtæ, qui volebant, ſuis locis ferè manebant. Solius Laſci viri ſummi dimiſſio odio Cæſaris, & ſororis ejus, Comitiſque Ioannis ſtimulante clam Weſtenio data fuit. Quippè hi obicem ſuperſtitionum eâ in regione, & deſideriorum ſuorum illum eſſe ſtatuebant. Quamobrem ut nuper velut erronem, vagum, inquietum, anabaptiſtam, in patriâ ſuis etiam inviſum, adeoque manu ſicarii neci deſtinatum à fratre, conflandæ invidiæ causâ eum traduxerant, & abigi finibus Friſiæ poſtulaverant, ſic nunc confictо crimine tractatorum malorum conſiliorum inter Angliæ, & Poloniæ reges contra Cæſarem inceſſebant. Quæ quanquam vana eſſe omnia vix quiſquam ignoraret (verbis enim, & rebus calumnias aperiebat Laſcus, & reges publicis teſtimoniis innocentiam ejus paulò poſt tutati ſunt) tamen ſenatus ſummus cenſuit ad placandum Cæſarem dimittendum eum eſſe, ſi Cæſar urgeret. Simul decretum de Weſtenio in Brabantiam remittendo: ob quam rem gubernatrix unà cum eo Raſtedam ad fratrem Chriſtophorum profecta fuit. Huic eunti mandatum, ut de omnibus actis Cæſarem doceret, eique & ſtudium gubernatricis, & rei difficultatem exponeret, ac pariter formulam, de quâ diximus, cum edicto exhiberet, denique animum Cæſaris, quibus poſſet, rationibus leniret. Sed incidit hic in medium æſtum curarum, & occupationum Cæſaris circumducentis filium, & inaugurationem ejus procurantis. Itaque re penè nullâ confectâ ex Belgio rediit. Id modò ſecum tulit, ad leniendum Cæſaris animum haud parum facturum, ſi Laſcus quàm maturrimè diſcederet. Quâ de re, & de voluntate gubernatricis certior hic factus reſpondit, paratiſſimum ſe cedere invidiæ, & ceſſione ſuâ conſulere rebus eorum, quorum ſaluti vel ſuam ſalutem impendere ſemper promptum ſe fuiſſe demonſtrarit: ſed rem poſcere, ut ab eccleſiâ, cui ſerviret, dimiſſionem quoque impetraret: idque ſe ſedulò acturum, nec uſquam in morâ futurum. Sed re ad eccleſiam relatâ, ea unanimi voce teſtata eſt, paſtorem ſuum dimittere ſe nolle: hoc verò permittere, ut abiret ad tempus, & furiis Antiochi cederet, donec commodum eſſet, ipſum revocare. Quod ut teſtatius faceret, & quaſi teſſerâ firmaret, epulum ei publicum dedit, ad quod & collegæ ipſius, & maximus civium numerus invitati ſunt: conviviumq; perfrequens inter amiciſſima colloquia, & exhortationes mutuas pietatem exſuſcitantes, interque gemitus, lachrymas, dolores, ſingultus tranſactum: & demùm datis abituro pacis, ac amoris oſculis finitum: quod fuit die VI Cal. Octobr. De quo convivio ipſe M. D. XLIX.

M.D.XLIX eodem die ad Albertum Hardenbergium his verbis ſcripſit: *Adfuturi ſunt cives
*plurimi, qui nũc planè ſuum in me amorem tantum teſtantur, quantum non ſperabam: ſit
*Deo gratia. Igitur, mi Alberte, ego hinc jam cedo: ſed nondum ſcio, quando, aut quò. Hoc
tantum conſtat, brevì migrandum, & ante hyemem: ac fortè navigio ſolvendum. Dein
addidit eâdem in epiſtolâ in calce ſic, *Collegæ mei à principe deſtituti ſunt: docent
interim, & baptiſant eccleſiâ poſcente, idq́; publicè in cœmiterio, dum in templo non licet.
Circiter Nonas Octobr. deducente magnâ hominum omnis generis turbâ,
dolente civitate, illachrymante eccleſiâ, ipsâ principe ob diſceſſum ejus gra-
viſſimè ſe affli&tante, & procerum multis mœrentibus, accepto ab iiſdem, à
quibus jam diſſidebat, luculento, riteq́ue ſignato vitæ, doctrinæq́ue teſtimo-
nio, cum navem ingreſſus eſſet cum conjuge, & liberis, Bremam petiit, ibiq́;
quod reliquum ejus anni, & trimeſtre proximum apud Hardenbergium hæ-
ſit, quo cum amicitia ei erat arctiſſima. Ejus abitu velut reverentiâ demptâ,
creſcente malorum audaciâ, triumphantibus monachis, Epicureis ac impro-
bis ſubſannantibus, Lemſio quoque & factione Lemſiana in ſinu gaudente,
proborum, & piorum Euangelii miniſtrorum fortuna deterior facta: Weſte-
nio, & aliis pietati inimicis urgentibus ſtipendia Laſci collegis apud Emda-
nos ſubtracta, & mînæ in eos aſperatæ, ni à miniſterio abſtinerẽt: & hæc facta
magìs permittente principe, quàm volente, & tamen prælato nomine ipſius.
Ipſa enim ex animo dolebat, ſed obſecundare tempeſtati ſævienti, & mo-
rem gerere improbis ac importunis hominibus verè miſera ad tempus coge-
batur. Gellius Faber, Braſſius, Bramius collegæ Laſci, viri pietate, & doctri-
nâ inſignes, moroſi & in rebus indifferentibus pertinaces apud eam traduce-
bantur. Nec tamen hi propterea à conſtantiâ & ſtudio priore deſciſcebant:
exemploq́ue ſuo alios aliis in locis, quibus eadem intentabantur, firmabant,
ac bonum nomen domi, foriſq; apud omnes pios merebantur: denique ipsâ
perſeverantiâ, & patientiâ malitiam adverſariorum ſuperabant, aut in ſtupo-
rem dabant. Quæ cùm audiſſet, & ex amicorum literis intellexiſſet Laſcus,
per literas primùm Bremæ adhuc hærens collegis ſuis conſtantiam gratula-
M. D. L. tus eſt exeunte Februario menſe anni M. D. L, & in iſtâ fortunâ afflictâ, ac
tentatione eos eſt ſolatus, & ſpe proximæ ſerenitatis rediture velut vates
erexit, perſecutoribus autem graviſſimas pœnas denunciavit. *Ne dubita,* dixit
ad Thomam Bramium ſcribens, *mi frater: non dormit* DOMINUS: *accelerabitq́;
præter ſpem omnium judicium in illos ſuum, qui noſtram, imò verò Chriſti DOMINI
*unigeniti filij ſui Eccleſiam apud vos ita nunc conturbarunt, ut me ab eâ avulſerint,
*voſq́; adhuc avellere conantur. Nos quidem meremur graviora: ſed væ illis interim,
*qui ad opprimendam tyrannide Chriſti eccleſiam, fraudandamq́; miniſterio operam,
conſiliaq́; ſua quoquo modo contulerunt. Poſt alia addidit velut fulmina verbo-
rum in eoſdem illos eccleſiam prementes: in quibus & iſta. *Iam Chriſto ipſi
*adverſantur, qui eccleſiæ adverſantur. Et qui id prudentes, ac ſcientes poſt agnitam
*veritatem faciunt, durum habent judicium, ſi Paulo credimus: nempè ut nullam ha-
*beant hoſtiam ampliùs pro peccato, ſed eos aliud jam nihil maneat, quàm vorago illa
*æterna ignis inexſtinguibilis. Fruſtrà enim prætexunt ignorantiam, fruſtrà infirmita-
*tem. Audierunt, & probè norunt, adeoq́; & verbis, & ſcriptis, & factis approba-
*runt doctrinam noſtram, noſtrumq́; miniſterium cœnæ etiam Dominicæ communione
*agnoverunt. Quin & in meâ jam miſſione hæc adhuc probant omnia, ut inſcitiam
*hîc prætexere verè non poſſint. Reprehendi eos in faciem omnes, inſtitutumq́; eorum
*coràm damnavi. Obtuli me defenſurum eſſe omnia noſtra ex verbo Dei. Infirmita-
*tem verò ſi agnoſcerent, non utique miniſtros odiſſent. Neque enim odit alterum,
ſed ſe ipſum accuſat, qui infirmitatem agnoſcit. Iſtos verò video (intelligit aulæ
miniſtros,, ac proceres, & quoſdam in oppidano magiſtratu) *non infirmi-
tatem ſuam apud DEUM *agnoſcere, eamq́; accuſare, & gratiam implorare,
*ſed potiùs conſilia excuſandi impietatem, & culpam in miniſterium noſtrum conjicien-
di, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

di, quod tamen in conſcientiâ propriâ reprehendere non poſſunt, comminiſci. Habebunt igitur judicem D E U M, *quem ut* D O M I N U M *& ſervatorem ſuum, agnoſcere voluerunt. Quid verò adhuc ſuſtinuerunt, ut metum cauſentur? Scilicet apud eos plus poſſunt homines, quàm* D E U S? *& ſuâ iſtâ prudentiâ eludent judicium* D E I? Tum reverſus ad exhortationem retinendæ conſtantiæ, & jungendarum precum, præſtandarumque mutuarum conſolationum in iſtâ eccleſiæ perturbatione, de Lenthio demum, quem plurimum diligebat, nominatim adjecit. *Lenthium vellem admoneri, ne communicatione conſiliorum participem ſe faciat peccato iſtorum. Major eſt habenda* D E I, *quàm hominum ratio. In cæteris non recuſo, ut operam ſuam locet iis, in quorum miniſterio verſatur: ſed in cauſâ religionis opprimendæ ne intereſſe quidem iſtorum conſiliis ego velim, nedum ut eorum miniſter ullo modo eſſe velim.* Scripta hæc III Calend. April. Dehinc paulò poſt Nonas Aprilis Bremâ Hamburgum cum familiâ profectus Ioanne Æpino theologo clariſſimo, & eccleſiæ iſtic ephoro ſummo, viro imprimis cordato, & concordiæ ſtudioſo, quo cum jam dudum fida ei amicitia per aliquot annos conſtiterat, uſus fuit familiariter. Illic die IV Calend. Maij cùm jam in Angliam, quo vocabatur, navigare cogitaret, monitorias gravitate, & ſalubri acrimoniâ cum inſigni manſuetudinis, & modeſtiæ temperamento conditas ſcripſit ad ipſam viduam gubernatricem; quibus exorbitantem & labentem in viam revocare, & erigere, pietatemque in animo ejus, ceu igniculum cineribus obrutum, hac tempeſtate fortunæ, & tentatione peſſimorum conſiliorum penè ſopitam excitare ſtuduit: nec ſine inſigni fructu. Pariterque literas publicas Sigiſmundi Auguſti Poloniæ regis ſignatas Cracoviæ die III Eid. Februar. hujus anni, quibus rex teſtimonium innocentiæ contra calumniam illam atrocem, de quâ diximus antè, cujus prætextu ſolum vertere coactus fuit, ei perhibuit, ad eandem tranſmiſit. Ac ſimul Lenthium ſuum per epiſtolam compellavit, conquerens de iis, & liberè ea reprehendens, quæ contra eccleſiam, contra collegas ſymmyſtas, contra nomen quoque ſuum confictis vanis criminibus apud ipſos committerentur. *At verò* D E U S (inquit) *non illudetur: diſſipabitq́ue is ut paleas, ac pudefaciet etiã omnia iſta conſilia proculdubiò: hoc videbis. Ego principis vicem doleo: cui alioqui optimè volo. Sed cogor tueri dignitatem miniſterii mei, quæ nunc ſub illius nomine, quanquam aliis autoribus in ſuſpiciones varias vocatur. Putavi igitur mihi admonendam eſſe ex debito, & officio miniſterii mei. Et meas ad illam literas tibi mitto.* Ac ſubijcit deinde, exemplar teſtimonii regii pro innocentiâ ſuâ ſe mittere in eum finem, ut non ſolùm principi gubernatrici, ſed & conſiliariis ejus exhibeatur ad mendacem illorum impudentiam: qui iſtiuſmodi adverſus ipſum ſive apud aulam Cæſaris, ſive iſtic, ſive alibi uſpiam calumnioſè confinxerant. Et denique addit hæc: *Te verò oro, mi Lenthi, perſta in officio, & ſemper memineris illius,* USQUE AD ARAS. *Grave eſt eſſe reum corporis, & ſanguinis Chriſti. Ab hujus verò criminis culpâ nemo liberare ſe poterit in judicio* D E I, *qui conſiliis ullis adverſus Chriſti eccleſiam & ejus miniſterium ita ſe admiſcet, ut ea ſibi diſplicere pro ratione vocationis ſuæ non teſtetur: nedum ut illis qualemcunque operam ſuam ſciens ac volens locet. Vale.* Et hoc candore Laſci tam ſincero, à verè piâ libertate adeò rurſus non modò offenſi ſunt tum vidua gubernatrix, tum Lenthius Cancellarius (hac enim dignitate tunc fulgebat) tum alii, qui pietatis aliquid habebant, ut jam nunc de eo in Friſiam revocando, cùm primùm tempeſtas præſens deſæviiſſet, deſiderio haud ſegni tangerentur: & gubernatrix, ſi quid proximis annis in aulâ Anglorum regis, aut apud regni proceres confectum vellet, ad id Laſco potiſſimùm, qui eo conceſſerat, uteretur, & Laſcus cum fide hoc ipſum expediret, ſæpeque iſtuc familiariter ad hanc, & ad Lenthium ſcriberet, non ſine livore, & ſtomacho eorum, qui ipſum oderant.

M. D. L.

RERVM FRISICARVM HISTORIAE

Liber LX.

M. D. L. ANno hoc eodem M. D. L. adhuc novo, ut notat Grimerſhemius, Comes Benthemius per literas Emdanos monuit, ut civitatis ſuæ contra incendiarios rationem haberent: habere enim ſe in vinculis homines maleficos, qui fateantur pecuniâ ſe conductos ad urbem eorum incendendam. Sed qui fuerint vincti illi, à quo pecuniam acceperint, quid porrò indè ſecutum ſit, ne verbo quidem meminit: quod ſanè facere debuerat. Poſt V Calend. Maij per legatos tres, quorum princeps fuit Martinus Nerdenſis, Ieveranæ ditionis homines omnes in nomen Philippi Hiſpaniæ principis volente patre Carolo V. Cæſare jurare ſunt adacti: pecuniaque pro more in populo ſparſa. Atque hactenus quidem controverſia de Amaſi navigatione, ac portorio Emdano per totum ferè quinquennium ſiluit. Tum verò neſcio an novi principis ſimul & novi gubernatoris occaſione (nam Maximiliano Burenſi defuncto non ita nuper in Friſiæ gubernatione, quæ cis ultraque Lavicam eſt, & Amaſo Flevoque continetur, Ioannes Lingius ſurrogatus erat) ſeu quòd ut jam Cæſar, aut aulæ ejus proceres ob religionem Emdanis ſuccenſentes opportunum arbitrarentur, à Groninganis eſt reſuſcitata. Cujus ſopiendæ causâ, (hoc enim Emdani opinabantur) Dammonæ ex conſenſu partis utriuſque colloquium condictum fuit ad diem II Eid. Maij. In hoc colloquio cùm Groningani ad ſubruendum Emdenſium jus omnes rationes in medium adferrent, productum ab iis fuit diploma illud, à Carolo V Auguſtæ anno M. D. XLVIII ſignatum, quod hactenus Emdanis ignotum manſerat. Sic enim Carolo ipſi tum, cùm ſignaret, placuerat, ut ad tempus premeretur. De quo cùm contentio inter partes vehementior exiſteret, dicentibus Emdanis, & Gubernatricis legatis, non fas eſſe, Cæſarem majorum tabulas & vetuſta jura ne auditâ quidem, uti mos & jus haberet, parte alterâ, reſcindere, & aliis condonare, at Groninganis omni modo diploma tuentibus. Emdani & qui his aderant, ad Cæſarem ipſum, inquiunt, & Imperii Germanici ordines, ad quos judicium hoc pertinet, provocamus, & coram his, quàm ſit hæc iniqua ratio, quâ utimini, docebimus. Ita offenſis utrimque animis indè diſceſſum. Haud multò pòſt periculum facturi Groningani, an quid contra Cæſaris diploma Emdani audeant, quàm ſciant, jam nunc parum ſibi propitium eſſe, & reipsâ uſurpaturi jus, quod in diplomate ſine fructu habebant, navigium butyro onerant: naviculario præcipiunt, ut Emdam præternaviget, nemine compellato. Et exequitur ille præceptum. Sed Emdani id conſpicati, ſecuti navigium atque aſſecuti, ob violatum civitatis ſuæ jus retractum cum vectore in portum ſuum ſubducunt. Hoc exacerbandis animis utrimque fuit. Interea Cæſar Belgii primum negotiis defunctus, dein ex morbo articulari recreatus ad res Germaniç ob religionem adhuc turbidas conſtituendas

nova

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

nova comitia Ordinibus Imperii, indixerat ad diem VII Calend. Iulii, lo- M. D. L.
cumque rurſum deſignaverat Auguſtam Vindelicorum. Vrebant enim animum ejus etiam tum multa. Brema enim in oculis erat proſcriptionem adhuc temnens, oppugnata fruſtra, & Magdeburgum propoſiti tenax, defenſioni ſe parans, civitates harum ſociæ decretum nuperum de religione ſpernentes, principum quoque multi aut moras nectentes, aut verbis non re parentes, aliique alia prætexentes quo minùs decreto mos gereretur. Ea verò victori ferenda non putabat. Ad hæc comitia à viduà rectrice & ſenatu ſummo miſſus eſt Fridericus Weſtenius, & huic mandatum, ut & de diplomate hoc novo Groningano inferret querelas, & alia, quibus regio hæc comitatu comprehenſa premebatur, exponeret, &, ſi poſceret uſus, aut occaſio ferret, de religione gubernatricem ordineſque excuſaret. Sed inter maximorum negotiorum ſtrepitus in his comitiis exaudiri vox legati hujus non potuit. Eo autem profecto inopinatò circiter medium menſem Auguſtum in patriam venit Comes Ioannes à Cæſare miſſus, petitque concilium omnium ordinum ſibi dari ad exponenda mandata, quæ à Cæſare haberet. Mox ordinibus denunciatum, ut Leræ adſint ad diem XV Calend. Septembr. Quo cùm jam veniſſent, qui convocari ſolent, præſente gubernatrice cum filiis, & iis, quos ipſa à conſiliis gubernationis habebat, coram omnibus pauca de ſe & benevolentiâ ſuâ ac adventus ſui cauſis præfatus, exhibitis fidei mandatique literis, has clarâ voce recitari juſſit, ut ab omnibus, quid rei eſſet, poſſet intelligi. Has literas Ioanni inſcriptas Aquiſgrani Cæſar ſignaverat, die VI Eid. Iunii, cùm Auguſtam ad comitia proficiſceretur. Earum argumentum erat, *ſe quidem aliquoties antè gubernatrici ſcripſiſſe & mandaſſe ſeriò de religione ex formulà Auguſtanâ conſtituendâ ad uſque generalis Concilii decretum, & obſequii ſpem ſibi datam: ſed cognoviſſe interea non ſolùm nihil hujus factum hactenus, ſed etiam ſectis omnis generis, ac maximè anabaptiſticæ cum ducibus earum ſolito quoq; frequentiùs iſtuc confluentibus locum eâ in regione jam dari, ac hoſpitia concedi: quod ſi verum, meritò offendendo id maximè animo ſuo eſſe. Iubere igitur, ut Ioannes in patriam eat, illic cum fratriâ gubernatrice, filiis ejus, conſiliariis, & nobilitate totâ, ordinibus denique, & populo omni ipſius nomine agat, omnemq; lapidem moveat, ut apud eos præſcripto integrè ſineq; exceptione detur locus: obſervetq; in actione diligenter, qui obſequio parati ſint, aut non ſint; denique ut de omnibus his fideliter & accurratè ſe certiorem faciat.* Atque his Comes addit voce ſuâ, hanc certam & conſtantem Cæſaris voluntatem eſſe: extrema ab eo ſine dubio expectanda, niſi præcepto pareatur: & qui ſint ipſi qui Cæſaris vim ſuſtinere ſe poſſe exiſtiment? poſtremò terrorem frangendis animis, quantum poteſt, admovet. At gubernatrix cum ſuis, omneſq; qui aderant, tantâ in re ſolliciti, in magna conſilii perplexitate & magno periculo ſe verſari videbant. Nam aut offendendum cœli DOMINUM, aut in iram Cæſaris incurrendum, ejuſque vim expectandam omnes intelligebant. Mox paucis inter ſe collocuti ſic Comiti legato Cæſaris reſpondent, rem magnam & difficilem eſſe, atque ad omnes pertinere: æquum eſſe, ut ad omnes, quorum interſit, referatur; ita ex omnium mente reſpondere poſſe: orare igitur Cæſaris legatum, ut moram brevem patienter ferat, donec huc miſſi ſinguli ad ſuos reverti, cum iis agere, eorum voluntates explorare, & Leram redire queant. Vix id conceſſum: tempus reſpondendi ſtatutum Calendæ Septembres. Re ad omnes in oppidis & vicis totâ regione relatâ, major quàm credi poſſit repertus conſenſus & conſtantia fuit in tuendâ pietatis doctrinâ, pro quâ omnia perpetiẽda penè omnes, certè pars multò maxima, judicarunt:
præſtare enim in iram ac indignationem mortalis & finiti hominis quàm æter- “
ni & infiniti Dei incidere: eum corpus & fortunas lædere, ſi hìc permit- “
tat, hunc & hæc & animam pariter perdere poſſe: & illi multa poſſe “

M. D. L. *contingere, quæ vim ejus morentur ac infringant; totumque eum à Dei voluntate pendere: Deo autem quid reſiſtat? Cui ſi nos committimus,* AIEBANT, *in obſequio ejus manentes, non dormitabit cuſtos ille noſter: & hic ſi protegat nos quid faciet nobis homo?* nec tamen ſpem quoque deeſſe, exorari animum Cæſaris poſſe: & hoc modis omnibus tentandum, & precibus cum eo certandum. Hæc domi. Leram cùm rediſſent omnium ordinum delecti, ſcripto comprehenſa reſponſio eſt, legatoque Cæſaris exhibita, cujus hæc fuit ſumma. Malè edoctum Cæſarem de anabaptiſtis & ſectariis aliis, idque vicinos omnes docere poſſe, & docere ipſam rem: in parte alterâ, quæ de Auguſtano decreto eſt, factum etiam eſſe, quod hactenus fieri potuerit, & quod demonſtrando obſequii ſtudio queat eſſe ſatis: miſſam quoque formulam eccleſiaſtis præſcriptam ad Cæſarem in Brabantiam, & bis terque rogatum ſuppliciter Cæſarem, ut ferat patienter & clementer, quod ex decreto ipſius omnia ſimul mutari haud poſſint: nam ab annis XXX Evangelii doctrinam publicè ſonuiſſe in templis his locis, hominumque partem maximam in hac religione eſſe educatam, nec fieri poſſe, ut hi tam ſubitò & ſimul ab eâ deſciſcant: templa eccleſiaſtis apud Emdanos clauſa, Laſcum ſuperintendentem exautoratum dimiſſum. Quòd vero urgeat Comes reſponſum planum & rotundum de recipiendâ integrâ Cæſaris formulâ Auguſtanâ, videri iniquum hoc tempore: Cæſarem enim ad comitia vocaſſe gubernatricem cum aliis Imperii ordinibus, eoque ab hac miſſum legatum cum mandatis & poteſtate, priuſquam de adventu Comitis & mandatis hiſce conſtaret: Cæſarem judicium feciſſe, propterea quod intellexerit formulam Auguſtanam non integrè ubique eſſe receptam, deliberaturum ſe cum ordinibus coituris, quâ ratione quàm commodiſſimè pacari hominum conſcientiæ, cum quiete Germaniæ poſſint uſque ad generale Concilium à Papâ promiſſum: itaque ſine notâ temeritatis non licere gubernatrici & ordinibus regionis in tanti momenti re, & diſſenſione tam latè patente per univerſum Chriſtianum orbem, præſertim miſſo jam ad comitia hujus gratiâ legato, aliquid agere ſeorſim, & de religione definire, certumve reſponſum dare ante comitiorum exitum; ſtatuiſſe reditum expectare legati ſui, & comitiorum: ibi ſi quid decernetur unanimi ordinum conſenſu, & id re ipsâ in uſum ab omnibus recipietur, quod ad conſcientiarum quietem, Germaniæ pacem & concordiam, inprimis verò ad Dei gloriam fore putabitur, id ſe quoque ſine vitio ſecuturos eſſe: miſſum à Cæſare & ſorore ejus Maria reginâ quatuor ante annos Martinum Nerdenſem præſidem judicii Groningani ad gubernatricem, tum cùm bellum Germanicum pararetur, & gratiam benevolentiamque omnem utriuſque nomine profusè promiſiſſe: ſperare ſe horum jam memorem Cæſarem ultra modum reliquorum Germaniæ ordinum ipſos non eſſe gravaturum: poſtremò petere ſe à Comite Ioanne, ut hoc reſponſum non aliter ac neceſſarium ob legationem ad comitia miſſam accipere, & hoc modo ad Cæſarem referre velint: id ſe magni beneficii loco habituros, & gratis animis recognituros. At Comes reſponſum hoc rejecit, negans ad Cæſarem ſe id eſſe relaturum: & non ſine ſtomacho & comminatione eos, qui omnium nomine id offerebant, à ſe eo die dimiſit: Ordines verò per delectos ſuos cum gubernatrice & ſenatu mulcere animum ejus, obſecrare, caritatis patriæ admonere, denique effectum dare, ut III Eid. Septemb. eodem reſponſo, ſed verbis contractiore ſatisfieri ſibi pateretur. Quo recepto poſt dies octo Emdâ Groningam diſceſſit, prolixè de benevolentiâ ſuâ ac ſtudio in fratriam, omneſque patriæ ordines more ſolito pollicitus. Intereà dormiit lis inter utramque quam dixi civitatem: ſed reſuſcitata eſt paulò pòſt cùm Emdani menſe Octobri pro more Groningam ad ſolennem mercatum frequen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

frequentes ſe contuliſſent. Nam hi cùm mercatu finito die XI Calend. No- M. D. L.
vemb. ad ſuos reditum pararent, diſcedere Groningâ vetiti ſunt ob ea, quæ
naviculario Groningano Emdæ nuper acciderant, ut paria paribus repende-
rentur. Id ad gubernatricem relatum animum ejus vehementiùs perculit,
quòd ex ſcintillâ incendium metueret: deditque ſtatim literas ad Gronin-
ganos peramicè ſcriptas, quibus dimiſſionem ſuorum ſubditorum petebat.
Ad quas cùm nihil ab his reſponderetur, legatos tres Groningam miſit, Her-
mannum Boijenum judicem provincialem, Hoitetum Tiabberium, Petrum
Vltrajectinum, qui idem urgerent, & ſi quid eſſet, de quo accuſare ſe poſſe
detentos Groningani exiſtimarent, judices ipſis deferrent Imperii Germanici
ordines, ad quos judicium pertineret: vim verò deprecarentur. Verùm &
hi infectâ re ac ſine fructu domum remiſſi, Grimershemius, qui indigniùs id
tulit, etiam falſis verbis irriſos legatos eſſe in commentariis ſuis ſcripſit. Et
tamen haud multò pòſt cives ii domum ad ſuos reverſi. Intereà varia fuit
comitiorum actio Auguſtæ: cauſæ expoſitæ à proteſtantibus, cur priori de-
creto Auguſtano ubique locus eſſe nequeat: queſti etiam de eo ordines qui-
dam Pontificii: itaque eo ſepoſito ad ſedandas diſſenſiones ex religione exi-
ſtentes concilium liberum decretum, cautumque Proteſtantibus de periculo
à Cæſare: orta agitataque controverſia inter Cæſarem & fratrem Ferdinan-
dum de ſucceſſione in Imperio: de Bremenſibus & Magdeburgenſibus quo-
que querelæ illatæ, & contra hos ex decreto ordinum bellum motum, ac ge-
ſtum duce Mauricio Saxone: ſimul comitiorum finis factus circiter Eid. Fe-
bruar. anni M. D. LI. Eccleſiaſtæ Auguſtani, quod Cæſaris formulæ Inter- M. D. LI.
miſticæ locum non darent, menſe Auguſto in exilium pulſi, idem & in ludo-
rum magiſtros, itemque in Eccleſiaſtas Memingenſes & quoſdam alios per
Sueviam ſtatutum, Cæſare tum adhuc Auguſtæ commorante, autore præci-
puo Antonio Peronoto Atrebatenſi epiſcopo, non ſine inſigni invidiâ, fre-
mentibus bonorum omnium animis. Mox inſtauratum concilium Triden-
tinum ad Calendas Septembr. eoque legati cum Theologis à proteſtantibus
miſſi. Poſt bimeſtre demùm ab hoc tempore bellum Magdeburgicum cum
laude conſtantiæ, & fortitudinis obſeſſorum finitum: conſilia à Mauricio
clam cocta armorum in ipſam Cæſarem ad liberandum cuſtodiâ Lantgra-
vium, & Germaniam, de quâ domitâ Hiſpani, & Pontifex inſolenter glo-
riabantur, in libertatem priorem aſſerendam, ac religioni pacem conficien-
dam: armaque ab eo ſumpta: Cæſar per Alpes fugâ arrepta ſecutis Mauricia-
nis in arctum redactus: demùm intercedentibus Principibus pacificatoribus
Paſſavii ad Danubium fluvium in Bavariâ inter Mauricium, & Ferdinandum
locum fratris tuentem tranſactio confecta pridie Calend. Auguſti, quam Cæ-
ſar poſt ſuâ manu, & ſigillo confirmavit. Eâ tranſactione pax, & libertas re-
ligionis reſtituta per totam Germaniam, quâ etiam nunc Germania utitur,
proſcriptiones abolitæ, camera judicii ſupremi non minùs Proteſtantibus,
quàm Papanis rurſum patefacta: res ſacerdotales, & monaſticæ piis uſibus ex
formâ religionis reformatæ permiſſæ. Is perſecutionum religionis cauſâ in
Germaniâ finis fuit. Inde Cæſar Metim obsêdit eodem anno vergente, &
pòſt variis bellis proximis annis implicitus variante fortunâ gloriam priorem
perdidit: tandem etiam animi, & corporis viribus deficiens Philippo filio re-
gna, & ditiones cæteras hæreditarias, ordinibus Germaniæ Imperii dignita-
tem anno M. D. LVI reſignavit, ac biennio pòſt in Hiſpaniâ multò minor,
quàm fuerat, inter monachos Hieronymianos obiit die X Calend. Octobr.
haud paulò felicior futurus, ſi bellum religioni non intuliſſet. Inter hæc Fri-
ſiæ regiones quietæ ferè ab armis fuêre: præterquàm quòd conſcribendis
congregandiſque militibus pro Cæſare Friſia Orientalis aliquoties nunc hîc,
nunc illîc detrimenti aliquid acceperit. In hac regione anno M. D. LI novus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M. D. LI. ager, quem limus invectus ex alluvione genuerat, ad Occidentem ab oppido
Nordâ porrectus, ſtudio gubernatricis contra vim fluminis aggere clauſus
M. D. LII fuit. Anno ſequente M. D. LII cùm Mauricius arma in Cæſarem ſumpſiſſet,
Maria Cæſaris ſoror firmandis partibus fratris militem conſcripſit per Ioannem
Onſtenium in Friſiâ Orientali, quibus conveniendi locus Reepsholtum
in Oſtringiâ, mox Oitha in finibus Monaſterienſium conſtitutus. Poſt menſe
Majo ejuſdem anni major militum manus ejuſdem Mariæ juſſu præfecto.
Reincone Buirmaniâ collecta eſt, & huic luſtrationi locus deſignatus Iemgumi
ad Amaſum in agro Reidario: quæ ſedens illic aliquandiu hoſtilibus injuriis
totam eam oram haud leviter afflixit. Dein in Weſtfaliam ducta poſt
varios belli caſus ad Metim gladio, aut peſte tota ferè interiit. Quo anno
ait Grimershemius veniſſe denuò ad Gubernatricem Friſiæ Orientalis Martinum
Neerdenſem à Cæſare ac reginâ Mariâ miſſum, & cum eâ egiſſe rurſum
de milite conficiendo; & ſimul copiam ſubducendi naves in portus regionis,
M. D. LIII ſurgentibus fortè periculis, pro Groninganis petiiſſe. Anno proximo M. D.
LIII capturæ halecum ab Emdanis factum initium magno cum fructu, adeò
ut à vicinis invidia in eos inſurgeret. Eodemque anno menſe Iulio Mauricius
bello contra Albertum Brandeburgicum conſumptus fuit, accepto vulnere
in prælio ad Sivershuſium, quo prælio & Henrici Brunſuigii duo filii in
iiſdem partibus militantes periêre. Et in Britanniâ ſummæ virtutis & pietatis
princeps Eduardus Angliæ rex prid. Non. Iulii è vivis exceſſit, cujus mortem
maximæ mutationes in toto regno ſecutæ: Papiſmus à Reginâ Mariâ
defuncti ſorore reductus: theologi peregrini informatam religionem colentes,
inſulâ excedere juſſi: Angli complures religionis cauſâ ſupplicio capitis
affecti. In theologorum peregrinorum numero erat Ioannes Laſcus Polonus,
Germanicæ Gallicæque eccleſiæ apud Londinenſes ἔφορος. Hic ex voluntate
utriuſque illius eccleſiæ cum Martino Micronio Flandro, theologo, &
Chriſti miniſtro inſigni, ac Ioanne Vtenhovio ejuſdem gentis viro nobili, eruditoque,
atque aliis aliquot è presbyterorum numero ex Angliâ in Daniam
navigare conſtituit, ut ſub rege Chriſtiano III, cujus ob pietatem celebre
nomen tunc erat, eccleſiis profugis hoſpitii tuti, ac tranquilli copiam conficeret.
Eique ex Angliâ ſoluturo, quod fuit ad XV Calend. Octobr. magnus
piorum numerus Germanorum & Gallorum ſponte ſuâ ſe junxit. Atque hi
omnes poſt varios maris caſus, & famis pericula die IV Calend. Novembr.
Helleſgnoram in altero litore freti Danici ſitam incolumi vitâ & rebus omnibus
tandem appulêre. Indè verò cùm Laſcus aſſumptis Micronio, &
Vtenhovio Coldingam, ubi tunc rex erat, cæteris Helleſgnoræ relictis, petiiſſet,
& cum ipſo rege illic prolixè eſſet locutus, nec quicquam à rege concionibus,
& ſermonibus ſuorum, qui Lutherano nomine ſe jactabant, vehementer
exacerbato impetrare potuiſſet, cum iiſdem comitibus duobus juſſu
ejuſdem regis Coldingâ ad XIII Calend. Decembr. diſcedens, recto itinere
Daniâ exceſſit: & Micronio Hamburgum, Lubecam, VViſmariam ad viſitandas,
& colligendas reliquias eccleſiarum ex Angliâ profugarum, quæ
iſtuc appulſuræ putabantur, ipſe cum Vtenhovio in Friſiam Orientalem,
quam ante quadriennium reliquerat, contendit, ſalutato in itinere Bremæ
Alberto Hardenbergio. Quò cum veniſſet, incredibili lætitiâ, & congratulatione
bonorum omnium, & ante omnes ipſius gubernatricis, ac totius eccleſiæ
Emdanæ exceptus fuit. Nam hujuſmodi tum vulnus eccleſiis hujus
regionis inhærebat, ut nihil oportunius talis medici aut paſtoris adventu, accidere
poſſe videretur. Etenim à Laſci diſceſſu, edictis de religione promulgatis
ſpe levandæ Cæſaris iræ, Guilhelmus Lemſius apud Nordanos velut ex
calamitate publicâ animum attollens ut omne rituum genus in ſacris cumulaverat,
ita certamen ſacramentarium, urgendo ſenſu ſuo, haud parum aſperaverat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

raverat. Dein nactus collegam idoneũ Ioannem Vorſtium naturâ vehementem & contentioſum, eodem placito gaudentem, qui quaſi oleum camino affundebat, invectus erat inſolentius. Vnde acciderat, ut offenſis multorum animis ſynaxis primùm, dein conciones apud Nordanos rareſcerent. Erat verò his ſymmyſta tertius Ioannes Fuſipodius diverſa ſentiens, qui cùm corrumpi doctrinam, & errores adſtrui audiret, & privatim monendo nihil proficeret, publicè incipiebat contradicere: atque ita bilem collegis magis ac magis commovebat, imò convitiandi, damnandi, deteſtandi libidine eos incendebat. Et cùm petentibus iis, qui idem ſecum ſentiebant, quorum magna erat multitudo, omiſſis ceremoniis Lemſianis, repetito priſtino more, quem Reſius & Rhodius dudum tenuerant, cujuſmodi in Emdanâ eccleſiâ, & paſſim aliis locis totâ regione uſurpabatur, anno ſequente M. D. LII menſe Martio Sacram ſynaxin inſtituiſſet, longiùs quoque dolor & ira eorum exarſit. Denique in ſchiſma pernicioſum fortuna eccleſiæ Nordanæ abiit. Tum præfectus Reinerus Crummius, qui Lemſianarum partium erat ſuggeſto prohibere Fuſipedium, donec cum collegis ipſi conveniſſet: contra, qui Fuſipedio ſtudebant, ſupplices orare Gubernatricem, ne eccleſiam fido miniſtro orbari pateretur, Fuſipedium autem querelis acerbis apud gubernatricem eandem, cùm gravarent collegæ Lemſius & Vorſtius, eumq́ue pravè ſentire de peccato originis, de baptiſmo, de cœnâ Domini, omneſq́ue ceremonias damnare affirmarent, gubernatrix Fuſipedium ipſum evocare, defenſionem ejus coram conſiliariis audire, innocentiam hujus, aliorum calumnias non obſcurè deprehendere: mox ſcribere ad collegas ejus, & expoſitis, quæ acta erant, ſibi ab eo ſatisfactum teſtari, ac nihilominus graviter eundem à ſe monitum, *ut à contendendi ſtudio, & locutionibus litigioſis abſtineat, rem autem ipſam & fructum ſacræ actionis à Chriſto inſtitutæ enarraret auditoribus*, tum Lemſium & Vorſtium ſimiliter monere, & ſeverè mandare, *ut affectus coërceant, caritati & concordiæ ſtudeant; diſſentientes fratres moderatos, & litem non ſerentes clam, palamve non traducant, conviciis lædant, condemnent: utrimque à turbandâ eccleſiæ quiete & concordiâ ſibi temperent: ſi quid diſſenſionis in doctrinâ inter ipſos fortè oriatur, id ad ſynodum piorum miniſtrorum referant, ejusq́; judicio acquieſcant.* Hæ literæ datæ VI Eid. April. anni ejuſdem. Sed cùm id ſatis non eſſet inquietis, & contentionum avidis animis, eadem gubernatrix, vocatis Emdam utriſque, iterumq́ue pro ſe dicere permiſſis, præſente filio natu maximo, & collegio conſiliariorum, repetitâ edicti veteris ab Ennone & Ioanne fratribus olim publicati parte, die VI Eid. Maij graviùs hæc eadem iis cum comminatione pœnarum præcepit, edictoq́ue novo denuò ſanxit. Atque ut magis adhuc concordiæ ſervandæ & Nordæ & in universâ regione conſuleretur, eodem anno ſtudio gubernatricis ſuffragante Gellio Fabro, & Hermano Braſſio, quorum magna erat apud gubernatricem gratia, conventus eccleſiaſtarum optimorum, & pientiſſimorum, & doctrinâ valentium inſtitutus eſt Wirdumi in vico mediâ viâ inter Emdam & Nordam ſito; ibiq́ue placidis animis agitatâ re brevis concordiæ formula concepta eſt de Sacramentario dogmate controverſo, intra cujus fines conſiſtendum eſſet omnibus nec extra eos exorbitandum; eiq́ue omnes ſubſcripſere, & in his etiam Nordani eôdem vocati. Hoc concordiæ vinculum futurum ſperabatur. Sed id non ferebat Lemſii & Vorſtii genius immoderatus & concordiæ impatiens, qui diſſentientem à ſe Fuſipedium ſymmyſtam videre in eâdem eccleſiâ haudquaquam poterat; Rurſumq́ue erumpente in nervum diſcordiâ anno ſequente M. D. LIII à gubernatrice tentata eſt ſummo ſtudio compoſitio, verùm inani operâ. Nam Lemſius & Vorſtius conſenſionem & concordiam cum collega iniri à ſe poſſe aut Fuſipedius loco moveatur. Quapropter conſilio prudentium omnes pariter

M.D.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.D.LIII exautorati: Lemſio datum ob ſenium, ut, ſi vellet ſine munere docendi Nordæ manere, maneret, & ſtipendio ſolito frueretur. Sed hic beneficio eo diu uſus non eſt, quod videre ea in eccleſiâ Nordanâ non poſſet, quæ paulò pòſt animo ejus valdè adverſa iſtic ſunt ſecuta. Itaque in Ditmarſiam ipſe, Vorſtius in Holſatiam ſe contulêre: Fuſipedius ad aliam eccleſiam eâdem in regione Friſiæ tranſlatus fuit. Inter iſta, quam dixi, eccleſiæ reformatæ diſſipatio in Angliâ eſt facta, & Laſcus in hanc regionem reverſus, nec multò pòſt Martinus Micronius quoque collectis exulum reliquiis eôdem venit. Laſcus, ut oſtendi gratulantibus & lætantibus Emdanis, totâque hujus oræ nobilitate, atque ipsâ imprimis gubernatrice exceptus fuit, & muneri ſuo redditus. Emdæ verò tunc Petrum Medmannum Colonienſem reperit eruditiſſimum & ſui amantiſſimum, Philippo Melanchthoni, Alberto Hardenbergio, Petro Martyri, quondam etiam Luthero & Bucero conjunctiſſimum, Chriſtophoro quoque Comiti Oldenburgico gubernatricis fratri cariſſimum, & olim Hermanno archiepiſcopo Colonienſi à conſiliis, quod Laſco ad augendam
N.D.LIV. lætitiam, quaſi cumulus fuit. Prima curarum Laſci reducis fuit brevis catechiſmi conſcriptio, cujus editione & uſu communi, ceu Symbolo fidei, ac doctrinæ compendio concordia inter omnes eccleſiarum miniſtros per univerſam regionem coaleſceret, & conſervaretur. Cujus generis conceptum jam aliquid ante ejus adventum fuerat à Gellio Fabro, & typis deſtinatum. Verùm quod id & prolixius eſſe videretur, & ob lubricas in re Sacramentariâ locutiones, quas conciliandis partibus eſſe Gellius arbitrabatur, à Melanchthone & Hardenbergio interdum uſurpatas, ſanæ & puræ doctrinæ periculoſum, improbatum à Laſco eſt: qui exiſtimabat in ſymbolis hujuſmodi velut fidei confeſſionibus, & doctrinæ breviariis ad vitandas diſſenſiones ac lites loquendum eſſe quàm maximè planè & apertè, lubriciemque & ambiguitatem velut materiam & occaſionem contentionum ſummoperè fugiendam: nec tam colligendis partibus ſuper fundamento lubrico, quàm conſervandæ veritati cœleſti in dogmatibus primariis eſſe ſtudendum. Itaque eo poſthabito autor fuit conficiendi communi ſymmyſtarum operâ catechiſmi alterius velut breviculi extracti è catecheſi majore, quam ipſe olim in uſum eccleſiarum hujus regionis, priuſquam in Angliam abiret, conſcripſerat, ſed prælo non ſubjecerat, quanquam exemplaria multa exſcripta in manibus eſſent omnium. At breviculo hoc confecto, & ſuffragiis totius cœtus ſymmyſtarum probato, placuit ſymmyſtis tres catecheticos libellos in publicum emittere ſimul, nimirum majorem illum, qui ſuperiore anno in ſermonem Belgicum converſus à Ioanne Vtenhovio ut peregrinis eccleſiis per Angliam ſerviret, Londini in publicum prodierat, tum Gellii, quem dixi, aliquot locis refictum, denique hunc brevem, uti ex literis Laſci eo tempore ſcriptis ad Albertum Hardenbergium liquet. Sed neſcio quam ob cauſam mutato conſilio ſolus poſtremus eodem hoc, de quo nunc ſcribo, anno, qui erat M.D.LIV, menſe Octobri, Emdæ typis ſubjectus publicatuſque eſt: qui ab eo tempore cum maximo fructu in uſu eccleſiæ Emdanæ & vicinarum iſtâ in regione manſit ſine ullâ variatione: nec à quoquam Proteſtantium theologorum ad annum uſque M.D.XCII, quo Solneccerus eum allatrare cœpit, oppugnatus. Adeò & cautè ſcriptus, & ſolidæ veritatis eſt. Iam Martinus Micronius Emdam cum exulum piorum numero non parvo reverterat ad Laſcum. Etenim is, digreſſis à ſe Laſco & Vtenhovio in Friſiam euntibus, Hamburgum contenderat, & inde Lubecam, ac VViſmariam iverat, ad viſendos eos, ſi qui ex illorum numero, quos in Daniâ & ipſe, & Laſcus, ac Vtenhovius reliquerant, & è Daniâ faceſſere juſſos acceperant, in ea loca fortè appuliſſent. Et cùm nullos reperiſſet, quod mare toto hyemali tempore navibus

navibus clauſum eſſet, ut hac de re Laſcum, & Vtenhovium edoceret, difficili M.D. LIV. itinere hyberno Emdam eos ſecutus erat: Idemq; hinc, nuncio allato de exulum eorundẽ fortunâ, eôdem rogatu Laſci & amicorum, menſe Ianuario celeriter reccurrerat, collectiſq; omnibus diſperſis Wiſmariâ, Lubecâ, Hamburgo, nuſquam conſiſtendi loco toto illo tractu impetrato, Hamburgi imprimis à Ioachimo Weſtfalo contumeliis inſignibus acceptis, Bremam primùm, dein Emdã cum iis, quos collegerat, vergente menſe Martio reverterat. Et quoniã Norda tum eccleſiaſtis carebat, (nam Lemſio, Vorſtio, Fuſipedio ſucceſſores nondũ erant dati) illuc ad experimentũ facultatis dicendi deponendũ miſſus, cùm vehementer placuiſſet eccleſiæ, petente eâ paſtor ei datus fuit menſe Majo: additiq; illi collegę Feddo Hommius, & Vincentius Friſius, & poſt eum Albertus Holtmannus. Atq; hac in ſtatione ſummâ cõcordiâ cum collegis ſuis, & eccleſiaſtis Emdanis Micronius perſtitit ad mortẽ uſq;, quæ eum anno M.D. LIX menſe Septembri ſęviente illic peſte ſuſtulit è medio, & cum eo collegas ipſius. Fuerat jam à ſparsâ euangelii luce multorũ exulum, qui è Belgio ob religionem fugiebant, Emda gratiſſimũ hoſpitium, nec parum frequentiâ populi per eos creverat. Et hujus fœlicitatis pars, quanquam tenuis, ad alia quoq; regionis iſtius loca pertigerat. Sed à reditu Laſci, & adventu Micronii ob ea, quę in Angliâ acciderunt, multò plures non Belgę ſolùm ex Angliâ cedentes numero magno, ſed Angli quoq; huc velut ad pietatis aſylum frequentes confluxerunt, & Emdæ, Nordæ ac reliquâ regione exilii ſui ſedes compoſuêre: nec unquam confluxus hujus finis fuit, quàm diu regnũ Mariæ duravit. Nam nuſquã gẽtium oportunius & commodius hoſpitium miſeris his exulibus occurrebat: quanquã eſſent qui Weſaliam Cliviæ, aut Argentoratum, aut Tigurum ſe conferrent. Sed eorũ numerus erat major, præſertim Helvetiam aut Alſatiã petentium, quod paucorũ fortuna tam longinquum exiliũ ferre poterat. Hanc verò rem potentũ aliorum indignatio atque odium, aliorum tacitus favor & comprobatio comitabatur. Angliæ enim regina, & Philippus maritus ejus Belgii princeps receptationem profugorum è terris ſuis indigniſſimè ferebant, prò pptereaq; & gubernatricẽ & ipſam regionem, uti infamiũ & malorũ hominum receptatricem & cõfugium, peſſimè oderant Danię rex & maritimę civitates, qui apud ſe miſeris hoſpitii locum negaverant, imò inhumaniter à ſe eos repulerant, quòd in ſacramentariâ doctrinâ diverſum ab ipſis ſentirent, in infamiam & hominum & loci id vertebant, maleq; de gubernatrice, & de proceribus ac populo loquebantur: Emdam receptaculum omnium calumnioſè nuncupabant. Sed Ioannes Albertus Megalburgii princeps, & Guſtavus Sueciæ rex, ut de aliis nil dicam, multò ſecius ſentiebant, ad quos Laſcus, ut profugis exilii ſedem cõficeret, literas dederat. Quorum iſte peramanter reſponderat, & ſpem fecerat haud temnendam: rex autem Guſtavus cognitâ Dani inclementiâ & inhumanitate in profugos hoſpites hoſce, palàm oſtendit ſe eam probare non poſſe, ſignificavitq; Laſco, dolere ſe, quod non rectâ in Sueciam tum ipſe, tum totus comitatus ipſius contẽdiſſent: adeoq; pollicitus etiam eſt non ſolùm hoſpitium tutum, & publicũ eccleſiæ hoſpiti miniſterium, ſed etiam liberalia miniſtris ſtipendia, ſi iſtuc venire, & aliquos ſuorum mittere in Sueciam vellent, non obſtante diversâ, quæ in Sueciâ publicè ſonet, doctrinâ. Quæ Laſcus in epiſtolis ſuis ad amicos prodidit. Exules verò ut reliquis locis Emdam cum vicinâ regione præferebant ob varia ejus commoda, ob doctrinæ ſacrorumque conſenſionem, ob hoſpitum in ſe benevolentiam & humanitatem, ita viciſſim fortunam, ut divinæ gratiæ fructum ſecum trahebant. Inter hæc quidam gubernatrici auctores fuerant (inter quos & Hardenbergius, & ipſe gubernatricis frater Chriſtophorus & Petrus quoque Medmannus eſſe dicebantur, & Gellius quoque in nonnullam ſuſpicionem trahebatur) ut minuendæ invidiæ, quæ doctrinam nudam & planam ſequebatur & conciliandæ magno-

M.D.LIV. rum principum & populorũ gratię ergò Auguſtánę confeſſioni nomen daret, & ex formulâ illâ doceri eccleſias curaret; utq; eam ob rem moderatiſſimum & doctiſſimũ virum ac pietate pręcipuum Philippum Melanchthonem evocaret. Id verò quoniam Laſco putabatur adverſum, tam occultè actum fuit, ut is non perſenſerit, priuſquam in ordinum conventu nomine gubernatricis eſſet propoſitum. Quod quidẽ ille perquã tulit indignè, & cauſam ei dedit, ut cum amicis expoſtularet, & in Hardenbergium potiſſimum, cùm de ejus hac in re ſive conſilio, ſive conſenſu intellexiſſet, per literas ſtomacharetur liberiùs. Verùm res ipſa etiã ſine eo conventu ab ordinibus præeunte universâ nobilitate eſt repudiata: Et Catechiſmus, qui tum fortè è typographeio prodibat, confeſſionis publicæ locum tenuit. Laſcus autem cum omnibus, quos offendiſſe libertate & aperto candore putabatur, in gratiam ſtatim rediit, imò & laudem & amorem majorem meruit. Etenim erat ingenio tali, ut nemo magis apertè ac ingenuè depromeret, ſi quid eſſet, quod offenderet, aut diſpliceret, nemo etiam faciliùs ignoſceret, ac placaretur, imò minus in iram contra amicos ob eorũ commiſſa moveretur. Hoc verò admirabile habebat, & præcipuâ laude dignũ, quod nemo de Sacramentis & totâ controverſiâ ſacramentariâ liberiùs & planiùs ſententiã ſuam explicaret, & quid diſpliceret hîc ſibi in aliis, aperiret moveretq;: nemo tamen diſſentiẽtes à ſe in hac doctrinæ parte ferret faciliùs, & complecteretur arctiùs, nemo proniore, aut magis ſincero animo pro fratribus eos haberet, atq; ad ſynaxin ſacram ſecum celebrandã invitaret, aut promptiùs cum illis in hac ſacrâ actione ſe jungeret, modò vinculum pacis & caritatis ipſi non ſolverent, & concordiã factione & condemnationibus non turbarent. Atq; hac ratione plurimũ ſanè eccleſiis proderat. Eandemq; hanc mentem pręeundo, docendo, movendo, collegis quoq; ſuis & ſymmyſtis aliis multis cœtum frequentantibus inſeverat. In cæremoniis quoque moroſus non erat, quanquam id, quod ad ſimplicitatem Apoſtolicam proximè accedebat, in iis maximè commendaret, ſed libertatẽ heic requirebat, & ſervitutẽ abominabatur. In Hardenbergio & Melanchthone & Bucero, viris ſummis, quos colebat & venerabatur ſummoperè, hoc reprehendebat, quòd in cõtroverſiâ hac conſultò loquerentur obſcuriùs, nec verbis ſatis planis aut rotundis exponerent id quod ſentirent, multiſq; hac ipsâ re offendiculo eſſent, ac veritatem morarentur. De Melanchthone quidẽ ad Hardenbergium eodẽ hoc anno Septembri menſe ſcripſit ſic: *Philippum video eſſe ſui ſimilem: Cujus ego eruditionem veneror, pietatẽ agnoſco, modeſtiam laudo; cæterum* μικροψυχίαν *probare non poſſum. Optavi ſanè cum ipſo colloqui, & adhuc opto. Sed video, id non tam cordi ei eſſe, quàm vellẽ, aut quàm (uti ego ſentio) eſſe deberet. Verùm hæc Domino permitto, & cum Paulo dico, ſi hominibus placerem &c. Mihi ſatis eſt oſtendiſſe, paratum me eſſe, reddere doctrinæ meæ rationem, ſiquidẽ id poſceret, etiamſi mihi ad idipſum eſſet proficiſcendũ, ſive id privatim, ſive etiam publicè eſſet futurum.* Eâ hyeme, quâ Laſcus Emdam rediit, gelu tam aſperũ fuit, ut Ianuarii initio civis Emdanus Groningâ veniens inter Oterdumæum vicũ & Cnoccam pedes Amaſum tranſierit, exemplo per aliquot ſecula inaudito: trahæ quoq; frequentes per glaciẽ mare Auſtrinum, quâ latiſſimũ eſt, trajecerint: & earũ tres Reidâ per partẽ Dullarti ſinus in inſulam Neſſanam pervenerint. Et ſolutâ glacie rurſum frigore concrevêre aquæ tam validè, ut onuſtos currus & equos identidem, & commeatu ferè quotidiano Amaſus inter urbẽ Emdã & objectã inſulã ſuſtineret. Ac tum denuò confluxu militũ, quos Arembergius Comes pro Cęſare & ſorore ejus cõſcribebat, Iemgumiũ cum proximâ viciniâ in agro Reidano per menſem April. & primos Maij dies non leviter afflictũ. Hi milites ſacramento initiati in fines diœceſeos Monaſterienſis per Goſuinum Raesfeldium militiæ præfectũ ducti. Durabat tum adhuc bellũ inter Cæſarem & Galliæ regem, quò auſpiciis Gallicis mare infeſtabat Navarchus homo Germanus Thomas Phanopæus, prædonũ manum ex Germanis, Gallis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Anglis mixtam habens. Hic in oſtio Amaſi, quod fortè ſubierat, naves inter- M.D.LIV.
ceperat XIII: ſed viſis literis commeatus liberi à rege ſuo ſignatis, ac monitus inſuper à gubernatrice per internuncios ad eum miſſos cùm eaſdem rurſum indemnes dimiſiſſet, incidit in jurgium cum ſuis, qui ſuam prædam naves illas cenſebant. In quo jurgio Germani omnes pro navarcho cùm ſtarent, & res in pugnam deſineret, navarchus vulnere accepto Germanique numero victi ab Anglis & Gallis in vincula conjecti ſunt: navis ipſa, in quâ hæc acta, in poteſtatem victorum redacta: demum navarchus idem cum nauclero & plurimis Germanis vinculis liberatus dimiſſuſque Emdam venit. Reliqui cùm viderent poſt dies aliquot naves armatas, quas gubernatrix inſtruxerat, in ſe venire, ſublatis velis in fugam ſeſe dedêre. Verùm haud multò pòſt alia prædonum manus, auſpicia ejuſdem regis profeſſa, cui ſe caput impoſuerat Hermannus Remco Nordæ domicilii ſedem habens, circum inſulas, & oſtia Amaſi piraticam factitabat. In quam duabus quoque navibus inſtructis eadem gubernatrix Occonem Friſium præfectum emiſit. Is perſecutus prædones fugientes, in littus Bremanum impingere navem coëgit: nec terrâ eos inſequi antè deſiit, quàm deprehenſi in carceres archiepiſcopi apud Nordenſes compingerentur. E quibus tamen incolumi vitâ demum evaſerunt. Notavit Eggericus Grimershemius, autumno ejus anni vehementi & continuo Euro ſpirante ideò aquas ex Amaſo diffugiſſe, ut ocreati complures alveum ingreſſi inter Ditſumum & Petrumum vado eum tranſierint. Res prodigio ſimilis. Hoc eodem anno M.D.LIV Hicco Cankonius Dornumanus, apex nobilitatis hujus oræ, qui quondam Edſardo & Ennoni, tunc Annæ gubernatrici à conſiliis fuerat, ad diem III ejuſdem Iunii vitam hanc reliquit: & pridie ejus diei Fridericus Ripperda Hintanus, adhuc florente juventâ, ſed extra Friſiæ fines Burſbergæ in diœcæſi Vltrajectinâ diem ultimam clauſit: Cujus corpus, ut voluerat ipſe, ipſis Eidib. Iunii Hintæ conditum: atque ante hos Izo Beninga Grimershemius Groningæ fato conceſſit die V Calendarum Iunii, ejuſque exuviæ in patriam relatæ Grimershemii in fano pridie Calendarum terræ mandatæ. Anno M.D.LV Mariâ reginâ Cæſaris ſorore iterum M.D.LV.
exercitum ſcribente per Comitem Meganum in agro Monaſterienſi juſſu ejuſdem reginæ ii, qui primi confluxêre, ipſis Nonis April. in agrum Reiderium incurrerunt inexpectati; & Iemgumi iterum conſederunt. Atque illic confluentibus in dies pluribus ad numerum circiter quinque millium adaucti ſunt. Ab his ingens detrimentum, ut mos eſt iſti hominum generi, etiamſi hoſtes non ſint, & Iemgumanis & reliquis ejus oræ inhabitatoribus illatum, nequicquam quærente de injuriâ gubernatrice, & cùm ab his non audiretur, quos nulla diſciplina continebat, ad Cliviæ Ducem Guilhelmum circuli hujus præſidem, & ad Arembergium comitem Friſiæ rectorem querelas deferente. Poſtremò adventu Megani pecuniâ & ſacramento omnes autorati ſub ſignis decem die XVI Calend. Maij iſtuc educti Brabantiam petiêre, ut Gallorum armis occurrerent. Ajunt nunquam magis terribiles habitu milites in Friſiâ toto ſeculo viſos, quibus braccæ variè ſciſſæ, & tenui telâ per ſciſſuras longè defluente in pedes uſque velorum inſtar dependebant, & inceſſum reddebant difficiliorem. Oriundi ferè erant ex tractu Hercynio, militiam Henrici Brunſuigii, & Epiſcoporum bella contra Albertum Brandeburgicum ſecuti. Eo tempore ſponſione matrimonii initâ inter Ioannem Comitē Scovenburgium & Eliſabetham gubernatricis filiam ii, qui ex nobilitate conſilijs publicis præerant, convocatis ſui ordinis omnibus verba faciente Tidone Cnyphuſio, Calendis Maij gubernatricis nomine, præmiſsâ commemoratione rei actæ, propoſuêre de difficultate conficiendæ dotis, demum iſtuc flexêre orationem, ut dicerent rem poſcere, ut collato tributo fiſcus hac in parte ſublevaretur. Atque huc exempla populorum aliorum, apud quos id in more, advocarunt:

M. D. LV. poſſe nobilitatem magno beneficio non magno impendio ſuo domum Co-
mitum afficere: nam hæc ſi aſſenſerit, ſpem eſſe non dubiam reliquos quoque
ordines non eſſe refragaturos. Mirati id plerique, qui convenerant: & re in
conſilium miſsâ, dictiſque ſententiis, quæ ſaperent animos patriæ amantes, &
de libertate ejus verè ſollicitos, poſtridie ſcripto ſic à toto ordine reſponſum:
*non poſſe ſe præjudicio ſuo in re tanti momenti gravare ordines reliquos, & poſteris
quoque ſuis exemplo nocere: populum liberum eſſe, & in ordinem aliorum populorum,
quos ſervitus iſta premat, non cogendum: ſemel id admiſſum, in morem abiturum,
hunc poſteris pro jure futurum: itaque non eſſe quod hoc ab ipſis petatur.* Cordatè ſa-
nè & optimâ in patriam mente. Eâq; ratione ſilentio id apud reliquos ordines
tranſmiſſum. Ab ordinibus cæteris cùm res innotuiſſet, nobilitati tacitè gra-
tiæ actæ. Cnyphuſio velut autori conſilii ac ſuaſori invidia imputata. Spon-
ſa tamen nuptiarum tempore donis culta. Nuptiæ Auricæ biduo poſt Eidus
Auguſti confectæ præſentibus Chriſtophoro Oldenburgio ſponſæ avunculo,
Daniele Waldoceo, Erico & Iodoco Schuenburgiis, ſponſi fratribus, So-
phiâ Oldemburgicâ gubernatricis fratriâ & filio ejuſdem. Dein nova nupta
à matre & fratre natu maximo in ditionem novi mariti, comite eo ipſo, ho-
noris & amoris causâ deducta. Tum quoque agger contra influxum Amaſi
propè VVeneram ſartus operâ & arte quorundam ex Hollandiâ & Selandiâ.
Hoc anno Laſcus quiete jam Eccleſiæ firmatâ, autoritate publicâ in Polo-
niam patriam ſuam vocatus eſt, ut euangelium, cujus lux illic cœperat oriri,
popularibus ſuis annunciaret, & ordinem ſurgentibus novellis eccleſiis daret,
cum paulò antè nihil minùs cogitans teſtamentum ſuum Emdæ ſcripſiſſet,
conjugique & liberis ſuis tutores illic dediſſet. In teſtamento, quod præ-
ſentibus teſtibus & in his tribus collegis ſuis Gellio Fabro, Hermanno Braſ-
ſio, Arnoldo Veltmanno, qui Thomæ Bramio nuper defuncto ſucceſſerat,
pridie Eid. April. ſignavit, repetiit confeſſionem fidei & doctrinæ ſuæ, & quid
in iſtis temporis controverſiis probaret & improbaret, perſpicuè expoſuit,
diſciplinam eccleſiaſticam malè paſſim negleſtam, uti neceſſariam ſummope-
rè commendavit, denique ardentiſſimo voto pro conſervatione veræ reli-
gionis & ſalute eccleſiarum hanc teſtamenti partem terminavit. Hoc ſcili-
cet μνημόσυνον & perpetuum teſtimonium pientiſſimę mentis ſuę poſt ſe relin-
quere moriens ſuperſtitibus voluit. Cùm verò innotuiſſet, in Poloniam eum
vocari, optimi quique Emdenſium, & cæterorum totâ regione habitantium
ut fortunam Poloniæ gaviſi ſunt, ita caſum ſuum vehementer doluerunt, qui-
bus conſuetudine & operâ viri hujuſmodi carendum eſſet. Diſceſſit tandem
Emdâ ſummo cum honore dimiſſus adultâ in æſtate, relictâ illic conjuge gra-
vidâ cum liberis ex utroq; matrimonio quatuor, comitante eum Paulo Win-
genio in Poloniam uſque: Vxor Catharina ſub nundias Francofurtenſes eô-
dem deducente Wingenio, qui Emdam redierat, eſt ſecuta. Sed eo profe-
cto memoria ejus gratiſſima, & dulciſſimi curarum ejus fructus Embdanam
eccleſiam non reliquêre uſque in diem hodiernum; nec relinquent unquam,
quamdiu uſus congregationis eccleſiarum, quem cœtum vocant, & diſcipli-
M.D. LVI na ſupererunt. Anno M. D. LVI Nonis Februarii quinquennibus induciis
inter Cæſarem, ejuſq; filium, & Gallum initis, de coërcendo militum concurſu
edictum promulgatum. Quod cùm ad gubernatricem viduam quoque veniſ-
ſet, ſummo eam populumq; ejus, maximè verò Reiderios ſæpè iſtorum petu-
lantiam perpeſſos gaudio affecit. Simul leges quædam agrariæ XI ante annos
in hac Friſiæ regione latæ, quòd minus rectè iis pareretur, ob queſtus multo-
rum recognitę diligentiùs, & nonnuſquam correctę, denuò ſancitę publicatęq;
fuêre die IV Non. Maij. Et jam cæteris omnibus quietis Ioannes Retpergius,
qui in Friſiâ tum erat, turbatâ per vim Dornumanorum poſſeſſione, novi belli
metũ commovit. Duo vici ſunt inter ſe admodũ vicini, Dornumũ & Accumũ,
non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

non procul litore boreo ſiti, quorum alter Harlingium, alter Nordanũ agrum M. D.
illic finit. In horum medio rivus exonerandis ex agro aquis modicus ſcapha- LVI.
rum patiens, quem Accumanum vulgò dicunt, per canalem in aggere defoſ-
ſum, uti inſtitutum Friſiæ habet, obliquo meatu in vadoſum mare exiẽs utriuſ-
que agri terminus habebatur: nec unquam hactenus etiam turbulentiſſimis
temporibus ſub Herone & Balthaſare de eo lis fuerat. Rivus autem iſte cana-
lem egreſſus per agrum, qui extra aggerem jacet, in orientem pluſculum ſe
flectit, & Harlingium terminum quaſi ſubmovet, atque ita quod ad occiden-
tem relinquit, ſpatium dilatat: cujus in poſſeſſione Dornumani erant. Id verò
ferendum non putans Retpergius, rivumq́ue velut iniquum limitatorem incre-
pans, ſubitò præfectum ſuum cum benè magnâ foſſorum multitudine, ad-
junctâ etiam armatorum manu, iſtuc mittit, & à canali in ultimum litus rectâ
lineâ in boream porrectâ foſſam deprimit, eoq́ue termino novo ingens ſpa-
tium Dornumanis abſciſſum Harlingiæ ſibiq́ue adijcit. Addit quoque alia his
congruentia. Fœnum ibi demeſſum à Dornumanis juris retinendi causâ, &
in cumulos collectum ſimili vi Eſenam convectat, intercedere aut prohibe-
re volentes in vincula trahit, interdictum Spirenſium de non turbandis fini-
bus, & foſsâ intra triduum rurſum complanandâ, quod triduo poſt Eid. Iulii
ipſi exhibitum, contemnit. Et tunc fines regionis contra Monaſterienſes ad
Hampolam & Papeborgum in ortivo Amaſi latere, quâ Volla vicus agrum
Tranſledanum terminat repurgatâ ampliatâq́ue vetere foſsâ, quæ peſſum
ierat, Eggerici Grimershemii præfecti arcis Orthanæ ſtudio munitiores &
certiores facti menſe Iulio jam adulto. Simul gubernatrix vidua ad Cliven-
ſem principem circuli vicini præſidem profecta de injuriâ & contumaciâ
Retpergii apud eum queſta eſt, opemq́ue ejuſdem contra contemptorem
juris ac judicii imploravit. Quæ dum abeſt cum liberis, Chriſtophorus fra-
ter iſtic relictus, curaturus, nequid incommodi interea accideret, propugna-
culum in arcis Auricanæ latere opere lateritio inſigniter valido extruit, mul-
tòq́ue quàm hactenus fuerat, arcem facit firmiorem. In hanc verò rem la-
teres fanorum deſtructorum Nordâ, Meerhuſio, Aingwoldâ, Boecſedâ; &
cùm ii non ſufficerent, ex omnibus officinis totâ regione, quibus lateres co-
quuntur, Auricam convectari curat precariâ plebis operâ. Reversâ domum
gubernatrice advenit è Belgio Ioannes Falcoborgius, (hoc enim cognomine
vulgò tum affinis ejus indigitabatur) officiaq́ue & operam ſuam fratriæ &
fratris liberis contra Retpergium obtulit. Interea ad Calendas Septemb.
Tremoniam convenerant delecti ordinum circuli vicini, tum aliarum rerum
gratiâ, tum ut de controverſiâ inter Retpergium & Comites Friſiæ Orien-
talis cognoſcerent. Ibi primis conſtitutis, Lingam profecti coiêre ad Calend.
Octobr. legati Philippi Hiſpaniarum principis, Guilhelmi Cliviæ Ducis, Ioan-
nis epiſcopi Monaſterienſis, civitatis Colonienſis bini & bini, arbitrati adfore
etiam partẽ utramque adeſſe juſſam. Sed Retpergio non comparente Aſchen-
dorpam iidem ivêre ejuſdem rei causâ. Et cùm ne illic quidem citatus ſe ſiſte-
ret reus, Leram progreſſi quatuor è ſui medio Ioannem Mepſchium, Renico-
nem Burmanniam, Guilhelmum Berenzovium, Hermannum Velenium Eſe-
nam miſêre, qui coram cum Retpergio agerent: cæteri rectà Emdam petiêre,
ubi tum gubernatrix cum ſuis erat. Omnium mens erat, controverſiam, ſi poſ-
ſent, amicè componere. Emdæ Iacobus Omphalius Andernacenſis jurecon-
ſultus à Clivenſi miſſus, quid actum hactenus, quæ principum ſententia eſſet,
apud gubernatricẽ expoſuit prolixè. Poſtridiè, quod fuit VII Eid. Octobris, il-
li Eſenâ à Retpergio reverſi corã Chriſtophoro Oldenburgio & Ioanne Falco-
borgio conditiones ab eo admiſſas ſcripto comprehẽſas expoſuêre. Quæ tales
fuêre, ut recipiẽdas ſibi gubernatrix, & filii ejus tres, qui actioni prẹſentes inter-
erant, nõ putarẽt. Itaq; Renico Burmannia, & Laurentius Stathagius conceptis

M. D. LVI. conditionibus aliis, quibus gubernatrix cum liberis adſenſerat, Eſenam remiſſi, ut iis ſubſcriberet Retpergius, re infectâ cùm Emdam rediiſſent, cum iiſdem commutatis paucis ex interceſſorum conſilio ac hortatu, denuò Eſenam recurrerunt. Et tum demùm, cùm tergiverſandi ampliùs locus non eſſet, aſſenſus eſt Retpergio extortus medio menſe Octobri. Sed vix operæ tantæ pretium fuit in iis, in quæ tum conventio facta. Nam hoc tantum promiſit Retpergius, ablata per vim intra dies XIIII ſe reſtituturum, captivos ſine lytro dimiſſurum. Reliqua ſuſpenſa. Verùm legati Emdâ diſcedentes polliciti ſunt, ſi placeret ſuis, à quibus venerant, ad VI Calend. April. anni proximi ſe redituros, & quæ controverſa manebant, compoſituros. Id fuit XV Calend. Novembr. Eodem anno agger quoque novus Nordanum agrum Broecmeriam versùs præcingens, à boreà in meridiem porrectus, inſtaurato ſuperioris anni labore & conatu fæliciter conſummatus eſt, ac perennavit. Cùmque ad finem jam decurrerent induciæ Scoticæ, remiſſus in Scotiam fuit Hoitetus Tiabberius: atque is expeditâ ex voto re apud reginam regniq; proceres, confectâ perpetuâ pace, donatus illic gravi torque aureo domum rediit menſe Novembri. Paulò pòſt ad diem VII Calend. Decembr. legati duo Guſtavi regis Sueciæ Arnoldus Roſenbergius, & Martinus Helſingus Emdam appulêre. Adventus horum cauſa præcipua erat, tractatio de matrimonio inter gubernatricis filium primogenitum Edſardum & filiam regis Catharinam, cujus initium erat factum per Franciſcum Lowenburgium Saxoniæ principem, utrique domui propinquum. Sed hæc vulgò tunc non innoteſcebat: alia palam ferebatur. Petito igitur colloquio gubernatricis præſentibus filiis, defuncti ſalutatione benevolentiam regis ſui, & jungendæ arctioris amicitiæ deſiderium legati expoſuêre. Tum cætera executi, quæ in mandatis habebant, de mutuis commerciis inter utrumque populum inſtituendis diſſeruêre: rem utriſque valdè utilem & fructuoſam commendare, mercium patriarum copiam, portuum commoditatem, aliaque prædicare, ſuum quoque ſtudium offerre prolixè, denique id efficere, ut gratiis à gubernatrice actis ſeria hac de re cura & deliberatio ſit ſuſcepta. Intereà legati quanquam hyberno cœlo per regionem circumducti viſendi causâ, ubique lautè excepti, ſummoque honore culti. Dein iteratis ſæpè colloquiis hæ ab iis conditiones de mercatu propoſitæ regis nomine: *Suecis jus eſto liberè, & abſque impendio vectigalium cujuſcunque generis in omnibus oppidis ac locis Friſiæ Orientalis, quæ Comitibus parent, negotiari, merces importare, exportare, diſtrahere, emere, commutare ſive per ſe, ſive per procuratores ſuos: excipitur exportatio in Weſtfaliam, ditionem Groninganam, Friſiam Tranſlavicanam, propterea quod ea loca portui Emdano nimium ſint vicina. Idem jus habento Emdani, & omnes Friſiæ Orientalis incolæ per univerſum regnum Sueciæ, præſertim Stocholmi, Nicopiæ, Sudercopiæ, Calmariæ, Niloſiæ, ita ut ne profiteri quidem res iſtic emptas, quas exportare volent, habeant neceſſe. Ad hæc Suecis licebit merces in Friſiam Orientalem importatas, ſi eas ex uſu ſuo vendere aut permutare non potuerint, etiam in conditoriys repoſitas, ſine impedimento, ſine vectigali exportare iſtinc, quocunque lubebit: licebit id ipſum Emdenſibus, & reliquis Friſiam hanc habitantibus in Sueciâ. Impoſtores nomen Suecicum, aut Friſicum mentientes non comprehenduntor: Sueci domicilium fixuri in Friſiâ Orientali, & Friſij Orientales in Sueciâ à tributis in ſumptus familiarum, aut menſarum ſuarum omni modo exempti ſunto. Emdanis & reliquis Friſijs Orientalibus fas non eſto merces Suecicas in Sueciâ emptas aliò quàm in portum Emdanum, aut hujus regionis portus cæteros cis Viſurgim fluvium inferre, niſi tempeſtatis vis major proximum quemque portum ſubire coëgerit, exceptis portibus hoſtium regis: & contrà. His fæliciter cedentibus ad ulteriora eatur utrorumque commoda, & juris incrementa, ut nec hos in Sueciâ, nec illos in Friſiâ Orientali ad judices vocare liceat, niſi ob cauſas ex contractibus his heic aut illic initis ortas: ad has verò cauſas diſceptan-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

diſceptandas ex ipſis utriuſque gentis mercatoribus eorundem ipſorum arbitrio ſeniores M.D. LVI.
deſignentur, qui judicum locum teneant: à quibus ad judices ordinarios appellatio ſit, ſi
quis gravatum ſe ſententiâ exiſtimet. Sed quia gubernatrix Friſiæ Orientalis tutoriam
tantùm poteſtatem habebat, atque ita diutiùs obligare filios, quàm ipſi vellent, non po-
terat, eam ob cauſam lex addita eſt, ut hæc valerent, quamdiu & regi Guſtavo, & gu-
bernatricis filiis id eſſet placiturum: niſi intereà inter utroſque ſanctius aliquod fœdus
interveniret: omnia ſine dolo malo. His in chartam relatis, legati fidei causâ ſub-
ſcripsêre manibus ſuis Emdæ die v Calend. Februarij, anno M.D.LVII. Inde M.D. LVII.
de omnibus abundè edocti, & lautiis culti ad regem redière. Eos legatus
gubernatricis, & filii eſt ſecutus, qui negotia porrò urgeret. Retpergius è
Friſiâ Retpergam reverſus, nec æqui nec quietis patiens vicinos eorum lo-
corum injuriis variis cœpit inceſſere. Maximè verò in Lippienſes libidinem
effudit. Hi apud Comitem ſuum queſti: Comes ad principem Clivenſem
circuli præſidem rem omnem detulit. Hic conſultis aliis cùm protervius
Retpergium agere, & monita ac minas temnere videret, confecto celeriter
exercitu, ut indomitum ejus animum coërceret, in agrum ejus invaſit, Ret-
pergam cum domino obſedit. Ille primum impetum ſprevit, riſitque. In-
terea Tremoniæ, quo hujus negotii gratiâ ordinum circuli iſtius legati con-
venerant, decretum, ne antè obſidio ſolveretur, quàm Comes in pòteſta-
tem eſſet redactus. In belli hujus ſumptus gubernatrix Anna Oldenborgica
rogata x millia aureorum mutua dedit, ſpondentibus Clivenſi, Monaſte-
rienſi, Oſnabrugenſi. Retpergius fruſtrà munitionibus fiſus cùm fame pre-
meretur, interveniente matre è Friſiâ accurrente peſſimâ conſultrice, ſeſe
cum ſuis Clivenſi dedidit VIII Calend. Iunii. Ipſe cuſtodiæ Caſparis Quer-
numani commiſſus Lipperheidam ductus: viri nobiles nequitiæ ejus mini-
ſtri Widenbrugam in vincula miſſi: milites, qui in præſidio fuerant, datâ
ſponſione, dimiſſi: arci præſidium publicum impoſitum. Tum Eſſenæ de-
liberandi causâ, quid porrò de captivo ac rebus ejus ſtatuendum, conventui
dies dictus: quò ſuum quoque legatum gubernatrix Anna miſit, qui operam
daret, ne quid illic ſtatueretur, quod filiis ſuis fraudi eſſet. In conventu de-
cretum, *ut captivus judicium poſcens quatuor Principibus Electoribus ſiſteretur: in-*
terea Buricæ Clivorum accuratâ cuſtodiâ in arce teneretur: Retpergæ munitiones ſolo
æquarentur. Atque hoc factum ſtatim. Comes aliquandiu pòſt cautione da-
tâ Buricâ Coloniam tranſlatus, traditusque cuſtodiæ liberiori, in quâ vitam
tandem finiit, duabus ex conjuge Benthemiâ filiabus hæredibus relictis.
Quod accidit anno M.D.LXIV. At hoc, de quo nunc ſcribimus, anno
M.D.LVII cum monachis Franciſcanis, qui Emdæ in cœnobio reliqui erant
VII numero, atque ibi ſine religionis ſuperſtitioſæ exercitio vixerant quieti
ad id uſque tempus, tranſactum ex æquo & bono. Iis amotis, reliqua cœno-
bii ædificia ſpatioſa in xenodocheium ſeu ptochodocheium converſa: tem-
plum concionibus ſacris habendis conſervatum. Ptochodocheio ordo da-
tus longè optimus, ut exemplo eſſet cum ſummâ laude omnibus vicinis ac
peregrinis. Fuit hic annus caritate annonæ frumentariæ maximâ infamis,
ut res fidem penè ſuperet. Cœpit caritas menſe Februario: crevit ſenſim
per Martium & Aprilem: ad ſummum pervenit exeunte Majo, cùm ſecalos
laſta veniret Emdæ daleris Imperialibus ſeu uncialibus argenteis CXX: qui
modus, ut tum res erant, omnem modum cenſebatur excedere. Poſtremò
edicto ſenatus Emdani vetitum, ne quid omninò aut frumenti hujuſcemodi,
aut panis ex oppido in agrum efferretur. Ità factum, ut maximâ panis pe-
nuriâ per agrum laboraretur. Menſe Novembri adulto, à Guſtavo rege Sue-
ciæ legati (iidemne an alii, mihi non conſtat) Emdæ rurſum adfuere, man-
dataque expoſuêre penultimo menſis ejus die. Ea ità placuêre, ut re cum
matre deliberatâ Edſardus ipſe in ver proximum ad regem ſibi eundum eſſe

 exiſtima-

M.D.LVII existimaverit. Legati cùm primùm per hyemem licuit, Sueciam repetivêre.
Interea curâ matris gubernatricis, quæ id ad promovendas filii nuptias per-
tinere intellexerat, Fridericus Weſtenius Cancellarius in Auſtriam miſſus
fuit ad Ferdinandum regem, ceſſione fratris Caroli plenâ jam atque integrâ
poteſtate Imperii præditum, ut ab eo collationem feudi ex more pro Co-
mitibus fratribus peteret. Nec abnuit Ferdinandus: prompteque ab eo in
tres fratres pariter ex formâ vetere, ne mutato quidem apice ullo, feudum
M.D. collatum anno M.D.LVIII ſurgente, menſe Ianuario. Atque hoc quidem
LVIII. facto diploma fratris anno M.D.XLVIII Auguſtæ ſignatum, de quo diximus
antè, ab eodem diſpunctum. Ad hoc, quicquid cum Ieveranis actum erat
in fraudem juris Comitum, quicquid cum Balthaſare Eſenſi, ejuſque ſorore
& ſororis filio, id ſine dubio tacitè reſciſſum, Comiteſque priori juri ſuo
quali hæc acta fuerat, ex mente Ferdinandi, reſtituti. Nam Ieveram &
Eſenam velut feudi partes formulâ comprehendit. Sed jus ſine re ac fructu
fuit obſtante potentiâ Burgundicæ domus, quæ in poſſeſſione erat, eamque
è manibus extorqueri ſibi non patiebatur. Weſtenio domum reverſo, ac
hac lætâ re ſecum allatâ Edſardus alacrior & fidentior, quaſi jam magis in-
ſtructus ad petendas nuptias itineri in Sueciam ſe paravit: biduoque poſt
Eidus Maij domo profectus terreſtri viâ Roſtochium venit II Non. Iunij, &
poſtridie è Roſtochienſium portu Warnomundâ in Daniam trajecit, atque
inde in Sueciam ad regem contendit. Fuitque & regi & toti familiæ regiæ
adventus ejus pergratus. Erat enim & toto corporis filo & facie ſpecioſus,
moribus elegans, ingenio commodus, ſed linguâ nonnunquam hæſitante &
impeditâ. Equitando, currendo, ſaliendo omnes facilè æquales ſuperabat,
iiſque rebus jamdudum nomen aliquod ſibi paraverat. Nec mora longa:
de matrimonio convênit: dos cum ſponsâ ei promiſſa centum millium un-
cialium argenteorum, ornamenta & vaſa argentea aureaque cum veſte ex
dignitate patris regis: in cæteris dotalibus pactis hæſitatum nonnihil: forma
tamen concepta Stocholmi die XII Calend. Septembris. Nuptiis dies con-
ſtitutus in eâdem urbe Stocholmo ad Pentecoſten anni ſequentis. Edſardus
voto potitus quàm potuit celerrimè expediundis cæteris in patriam recur-
rit. Medio tempore ſtimulante auri ſacrâ fame, cùm magna adhuc annonæ
caritas Friſiam premeret, multique eſurie laborarent, mercatores Emdani
coëmptâ ſecale VII majoris generis naves ſuâ in urbe oneratas in Luſita-
niam mittunt, ubi pretium frumenti adhuc majus eſſe quàm in Friſiâ acce-
perant. Ibi dum diſtrahendo frumento degunt navium magiſtri, è claſſia-
riis adoleſcens Ioannes Rakenius Hiſpanam virginem ſibi deſponſatam vi-
tiat, & lamentante ipsâ, lamentante matre & propinquis prægnantem, cùm
ſolveret demum iſtinc, deſerit. Id facinus ejuſque autorem dicuntur hor-
rendis imprecationibus proſequuti eſſe, qui virginem aut ſanguine aut ne-
ceſſitudine aliquâ attingebant, & totam adeò claſſem, in quâ nefarium ca-
put veheretur, diris devoviſſe. At claſſe in Oceanum evectâ, & poſt Nereum
promontorium jam curſum tenente tempeſtas horrenda cum fulmine & ful-
gure eam prehendit, diſiicit, fœdè affligit, plerarumque navium compagem
ſolvit, ut ſidentes undis haurirentur cum vectoribus ſuis, paucis eorum in ta-
bulis naufragis enatantibus ac in proxima Galliæ litora ejectis. In quibus
ſummus claſſis dux, quem Amiralium dicunt, fuit Hermannus Piſtorius, juris
boni nominis: quem Galli ejectum, & omnibus rebus deſtitutum inſuper in
cuſtodiam dederunt. Rakenius virginis vitiatæ deſertor quoque evaſit, ſed
vix domum reverſus, & convitiis civium exceptus inopinâ morte repentè
ſublatus eſt è medio. Iudicatum vulgò, divinitùs eum percuſſum pœnam
criminis luiſſe. Creditum etiam, virginis propinquos incantatores dæmo-
num vi tempeſtatem iſtam concitaſſe, & dolorem ſuum tantâ clade eſſe
ultos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag,
401 B 23 [1]

ultos. At multò credibilius eſt, DEUM flagellatores annonæ avaros & ini- M. D.
quos, qui è malo publico ac fame inopis plebis quæſtum aucupabantur, LVIII.
exemplo inſigni caſtigaviſſe. Iactura naufragii tanta fuit, ut eâ Emda ipſa
periiſſe vulgò exiſtimaretur. Eâdem æſtate propugnaculum lateritium in-
gens Valdam ſpectans in arce Stichuſanâ extrui cœpit: eoque lateres ex ever-
ſa arce Lenganâ, & æde Haſſeltana, ac ſacello Nortmorino convectati, inque
hunc uſum verſi: trabes, tigna, reliqua è ligno materia, ferramenta eôdem
comportata. Orthana quoque arx operibus novis inſtructa: agger è regione
Oſtelæ obſtructis duobus aquæ meatibus profundis in terram influentibus
fœliciter conſtructus & continuatus, eoque opere inſigne agri longè ferti-
liſſimi ſpatium ab inundatione vindicatum. Et anno hoc diem VII Calend.
Decembr. Franciſcus Friſius Vttumanus Victoris filius, Nicolai frater ger-
manus, morte ſuâ ſignavit, nullis ex ſe liberis relictis, Nicolao fratre ob con-
cubinam inviſam ac ſordidam exhærede ſcripto ſub conditione, ni eam di-
mitteret. At hic dimittere noluit, imò verò filios ex eâ genitos in ſpem ſuc-
ceſſionis educavit. Libuit etiam in ſuis rerum Friſicarum commentariis no-
tare Eggerico Grimerſhemio, in feriis Chriſti natalitiis hyeme mediâ in tur-
ri fani Nordani corvum pullos excluſiſſe, & hos è nido detractos hominem
notum domi ſuæ enutriiſſe: rem cum aliis verſam in omen toti regioni in-
fauſtiſſimum. Anno proximo M.D.LIX, cum præceſſiſſent legati regis, & die
VII Calend. Maij domi ſuæ obiiſſet Hero Olderſhemius, nobilitatis eo tem-
pore princeps, Edſardus ſponſus cum Ioanne fratre, Haijone Manningâ,
aliiſque ex ordine nobilium, & Friderico Weſtenio Cancellario conſilio-
rum moderatore præcipuo in Sueciam iturus è portu Cnijpenſi ad diem XV
Calend. Auguſti ſolutâ nave Hamburgum vela dedit. Inde itinere terreſtri
Lubecam delatus, aſſumptis comitibus Franciſco Saxone Lowenborgenſi
principe, & Ioanne Hoijenſi epiſcopo Oſnabruggenſi, unà cum his omni-
bus nave ibidem conſcensâ Calmariam Sueciæ clauſtrum enavigavit, ubi ex
condicto putabantur nuptiæ eſſe conficiendæ. Verùm cùm cognoviſſet il-
lic, regem mutatâ rurſum ſententiâ locum nuptiis deſtinaſſe, uti & priùs,
Stocholmum, iſthic porrò contendit, appulitque ad diem VIII Calend.
Septembr. feſtâ lætitiâ exceptus abſente rege. Quo poſt multos demum
dies eôdem advecto, reformatis pactis dotalibus in commodum ſponſæ, po-
ſtremò nuptiæ confectæ ipſis Calend. Octobr. feſtiſque epulis, ac genio per
aliquot dies indultum. Tum Weſtenius Cancellarius celeriter in Friſiam
remiſſus: qui prid. Eid. Novembr. Raſtedam cœnobium agri Oldenborgi-
ci, ubi cum fratre Chriſtophoro Edſardi matrem gubernatricem eſſe in iti-
nere cognoverat, adveniens, & acta expoſuit, & Edſardum cum novâ nuptâ,
& fratre Ioanne reditum parare in patriam nunciavit. Id gaudio mentem
matris implevit. Sed gaudium hoc in inſignem dolorem non multò pòſt
vertit. A diſceſſu VVeſtenii è Sueciâ cùm ad iter ſe accingerent princeps
Lowenborgius, & epiſcopus Oſnabruggenſis, ac abituriret quoque cum
ſuis Edſardus, interceſſit rex ſocer, generumque ante exitum hyemis diſce-
dere non permiſit: in cujus gratiam, cùm ab ipſo peteretur, frater quoque
ibidem tantiſper hæſit infœliciſſimo fato ſuo, juvenis excellentiſſimi inge-
nii, & animi corporiſque dotibus præſtantiſſimi. Erat regi filia adhuc in-
nupta Cæcilia formæ planè eximiæ, cui in oculis, vultu, ſermone, moribus
Venerem ipſam veneres omnes affudiſſe diceres. Cum hac, uti fieri ſolet,
Ioannes, cùm in aulâ regis patris pariter agerent, familiariùs ſæpè confabu-
lari, ridere, jocari, ſed intra pudoris, & modeſtiæ modum. Dein in arce
VVatſtenia cùm eſſent, verborum ludo laceſſitus forte ab eâ calore juvenili
& improvido provectus, quod in iſtâ ætate proclive erat (nam tum vigeſi-
mum primum vitæ annum vixdum compleverat) ferâ ſed illuni veſpera diſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.D.LIX. poſitis jam excubiis ludi ac loci cauſâ in conclave gynæceii, in quo puella
ipſa regia cum matronis virginibuſque nobilibus degebat, ſcalis ſublatus per
ſublimem feneſtram ſub oculis vigilum conſcendere. Hoc verò delator pa-
raſitus conſpicatus peſſimo animo ad Ericum primogenitum regis ex priore
matrimonio natum, cui regium nomen parens jam tum tribuerat, accurrens,
ac ſi piaculum committeretur, nunciare, & pro more calumniæ amplificare,
animumque Erici irâ incendere. Is uti erat præcipiti iracundiâ, quæ peſſum
eum tandem dedit, iſtuc commotus accurrere, vix manus continere, Ioan-
nem è veſtigio in carcerem condere. Quâ famâ vulgatâ, parens rex ob ho-
norem domus ſollicitus, & temeritate filii quaſi in neceſſitatem aliquam
conjectus, ne connivere ad dedecus domus videretur, filii factum palàm pro-
bare, Ioannem in vinculis retinere, indignationem ſummam præ ſe ferre, ca-
pitis judicium comminari, id ad eluendam famæ temerè excitatæ maculam
pertinere ratus: Edſardus verò cum conjuge intercedere, & fruſtrà animum
regis ab irâ revocare, & cùm nihil proficeret, fratris cuſtodiæ ſe jungere, at-
que eo ipſo animum regis offendere, adeoque cauſam dare, ut per noctem
Ioannes in interiora regni abſtraheretur. Hæc matri nunciata, quæ unicè fi-
lium hunc amabat, in ſummum mœrorem eam dederunt. Nec verò antè
huic cruci finis fuit, quàm principum Germaniæ illuſtrium, Electoris Bran-
deburgici, in cujus aulâ Ioannes per aliquot annos cum laude vixerat, ejuſ-
demque alii adminiſtratoris diœceſeos Magdeburgicæ, primatis Germaniæ,
Ducis Clivenſis, apud quem Edſardus educatus fuerat, Luneburgicorum,
& aliorum, quos triſtis mater commoverat, per legatos & literas interceſſio
interveniſſet. Tum captivus cuſtodiâ liberatus, die X Calend. Octobr. anno
M. D. LX; ſed ante jurejurando teſtatus de innocentiâ ſuâ ſimul & filiæ regis,
pollicituſque ſanctè, caſum hunc ſuum ſe nunquam vindicaturum. Mox
omni morâ ruptâ quàm potuit celerrimè è Sueciâ in patriam ſe recepit invi-
ſam terrâ fugiens, ac poſt medium demum Decembrem Auricam ad matrem
pervenit, eamque conſpectu & amplexu ſui tantoperè commovit, ut præ
gaudio prorumpentibus lachrymis largis ſinum ipſa ſuum perfuderit. Nec
diu cum eâ moratus, illuſtri XII equitum miniſtrorum catervâ ſtipatus in
aulam Marchionis Electoris, qui eum diligebat, rurſum ſe contulit. Ab hoc
enim acceptâ copiâ, ut fratrem honoris causâ comitaretur, in Sueciam ive-
rat. A Cæciliæ autem nuptiis, de quibus jactati ſermones ab interceſſorum
principum legatis fuerant, cùm in Sueciâ adhuc eſſet, quanquam amor mu-
tuus animos eorum antè tetigiſſet, nec alienus ab iis rex parens, & domus re-
liqua videretur, ab hoc tempore, ut fama fuit, abhorruit. Certè ſilentio im-
poſterum ab eo res tranſmiſſa, eique cauſæ aliæ ab aliis vulgò adſcriptæ, Cæ-
cilia poſtea Marchioni Badenſi denupta. Quocum viſendi gratiâ cùm in Fri-
ſiam ad ſororem veniſſet, juſſus fuit ipſe fugere, quantum honeſtè licuit, ac
averſari congreſſum & colloquia cum eâ, & tamen hoſpitalitatis officio non
defuiſſe. Nam refricabat ei præſentiâ ſuâ caſus acerbiſſimi memoriam, &
propè exprobrare ignominiam videbatur. Adeò verò animus Ioannis à luſu
aut affectu hujuſmodi factus eſt alienus, ut nec matrimonium poſtea ullum
quæſiverit, & concubinatum quoque omnem cane peius & angue odiſſe ad
extremum vitæ diem non deſierit. Sed redeo ad priora, à quibus ſum digreſ-
ſus. Quo tempore Edſardus & frater in Sueciam ivêre, à Daniæ rege Fride-
rico II, in patris ſceptra paulò antè ſucceſſerat, & patruus ejus Holſatiæ Du-
cibus graviſſimum bellum Ditmarſicæ tot ſæculis fortiter defenſæ dedit.
Nec tamen hoc etiam bello degeneraſſe robur animorum hujus populi invi-
ctum victores per clades ſunt experti. Et non ſolùm virorum conſpicua for-
titudo in armis fuit, ſed & fæminarum. Verum à Deo deſerta, qui facinori-
bus offenſus fuerat, potentiæ hoſtium ſuccubuit. Quæ ſpeciatim dicere
quanquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

quanquam à rebus Friſicis non aliena, tamen non libet, quia ab aliis, qui M.D.LIX. hanc ſibi materiam ſcribendi ſumpſerunt, prolixè & accuratè ſunt expoſita. Et tunc rurſum contra aquarum influxus aggeri non procul Nordâ excitando menſe Septembri opera & impendiis & laboribus navata, quo aggere clauſus ager, ut notat Grimershemius, tantæ fœcunditatis fuit, ut in ſingulas hordei ſeminati tonnas ſexagecuplum fructum reddiderit: quod fidem ferè ſuperat. Eo quoque anno die v Eid. Octobr. ab Annâ Oldenburgicâ gubernatrice omnibus monaſtici ordinis per univerſam regionem edictum fuit, *ne quid ſuperſtitioſi ritus uſurparent, nequid docerent aut agerent, quod cum doctrinâ reformatarum eccleſiarum quoquo modo pugnaret: ſi non parerent, pœna iis eſſet, è cœnobiis exterminatio.* Inter illuſtria ejus anni funera Armgardis fuit Edſardi ſenioris filiæ, quæ ipſis Eidib. Octob. in arce Orthanâ vitam clauſit, & juxta fratrem Ennonem Emdæ ſepulchro condita eſt. Obiit etiam Onna Eſenſis Retpergii captivi mater, Balthaſaris ſoror, non degenerans ab aviâ, cujus nomen ferebat; quam magiſtram omnium malorum, & incitatricem filio fuiſſe Grimershemius affirmat. Fine anni hujus M. D. L I X, prid. Non. Decemb. Andernacum rurſus convenêre princeps Palatinus, & archiepiſcopus Trevirenſis, à Cæſare Ferdinando delegati, ut captivi Retpergii cauſam cognoſcerent. Ad quem conventum à gubernatrice Comitum matre legatus ivit Fridericus Weſtenius, & cum eo Ioannes Reinerus ac Hoitetus Tiabberius juriſconſulti: quorum curæ mandatum, ut darent operam, ne quid in fraudem Comitum ſuorum ſtatueretur. Res illic acta vehementer, & ſtudio cognitorum iſtuc deducta, ut ſi cautionem idoneam præſtaret, captivus è cuſtodiâ dimittendus eſſe videretur. Cautionis verò loco ab illo arces & ditiones, quas in Friſiâ habebat, ceu pignora ſervandæ fidei offerebantur. Sed res peracta non fuit, tum alias ob cauſas, tum quod cautioni legati gubernatricis intercederent. Convenit, ut legati omnium, quorum intererat, ad ſuos profecti de omnibus Andernaci actis referrent, & eorum ſententiis cognitis cum mandatis propioribus Coloniam ad diem IV Calend. Februarii anni proximi M. D. L X reverterentur. Illuc à gubernatrice remiſſus Ioannes M. D. LX. Reinerus mandato inſtructus. Sed Coloniâ, audito captivo, itum rurſum ab omnibus Andernacum. Vbi cum denuò res eadem ageretur, legatus gubernatricis ſequens mandati literas apud cognitores, & eos, qui captivum premebant, de cautionis vitio & inanitate ex ſcripto eſt proteſtatus. Proteſtationis hæc ſumma fuit, Eſenſia non allodialia, uti vocant, bona captivi eſſe, ſicut ipſe in cautionis formulâ ea cenſere videbatur, ſed eſſe feudalia, feudique ejus dominos eſſe Comites Friſiæ Orientalis: eorum majores Eſenſes res ex teſtamento, donatione, hæreditate legitimis modis accepiſſe, quietè diu poſſediſſe, in arce numos aureos argenteoſque cudiſſe: Vlricum cum cæteris rebus ſuis Eſenam & Eſenſia Cæſari Friderico III ceſſiſſe, & ab eodem in feudum recepiſſe: ex eâdem formulâ feudum Edſardo Vlrici filio à Maximiliano I, & Carolo V, Ennonem ab eodem, & denique non ita nuper tribus fratribus Ennonis filiis à Ferdinando, expreſſâ nominatim Eſenâ, collatum eſſe: tributa ex eâ ſacro Imperio ab his ſoluta: Heronem Omconium, & Balthaſarem ejus filium per vim Eſenam & Eſenſia poteſtatis ſuæ feciſſe: non ſemel à Cæſaribus mandatum Comitibus ut Heronem & Balthaſarem in ordinem cogerent Imperio ſibique non parentes; eorumque mandatorum exempla adhuc produci in medium poſſe: & Comites, ut morem Cæſaribus mandantibus gererent, permagnos olim ſumptus feciſſe, Heronem & Balthaſarem in poteſtatem redegiſſe, nec priùs rem miſſam feciſſe, quàm ii juraſſent, in fide & obſequio Comitum ſe permanſuros: ſed eos fidem cum ſacramento temeraſſe, & Balthaſarem etiam, ut patronum perfidiæ haberet, in fidem Caroli Geldri Imperio Cæſarique rebellis ſe contuliſſe, ei Eſenam donaſſe,

 atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

M.D.LX. atque ab eo in feudum recepiſſe: Balthaſare mortuo, rejectis Bremenſibus
Carolum V occupatâ Geldriâ Eſenſe jus à Geldro relictum in ſe vertiſſe, &
anno M.D.XLVIII in comitiis Auguſtanis Ioanni Retpergio uti vaſallo tribuiſſe:
ſed ei rei per proteſtationem nomine filiorum ſuorum gubernatricem ſe ſta-
tim interpoſuiſſe: nec id factum Caroli V ſacro Imperio & Comitibus frau-
di eſſe potuiſſe: ſæpeque Comites de injuriâ hac queſtos eſſe, ſed ad iſtum
uſque diem reſponſi certi à domo Burgundicâ nihil tuliſſe: Witmundam
quoque jure optimo Dornumanorum eſſe, qui titulum & inſignia etiam nunc
retineant: verum per fraudem & vim olim ab Eſenſibus raptam, per vim ad
hoc uſque tempus poſſideri. Atque hæc quomodo accepta iſtic ſint, mihi non
liquet. Hoc autem liquet, Retpergium ſive cautionis vitio, ſeu quam aliam
ob cauſam in cuſtodiâ manſiſſe uſque ad extremum fati diem, filiaſque, quas
duas reliquit, in poſſeſſione rerum omnium patri ſucceſſiſſe. Inter hæc, cæ-
tera in Friſiâ tranquilla fuère. Edſardi conjux Catharina vergente anno hoc
M.D.LX filiam in Sueciâ enixa, cui Margaretæ nomen datum. Edſardus
puerperâ relictâ citus in Friſiam advolat, & Auricam venit die VI Eid. Febr.
M.D.LXI. anni M.D.LXI. Quem mox à puerperii tempore exacto ſecuta eſt uxor deſi-
derii alis evecta, Lubecaque ad Franciſcum Lowenburgium principem ex
voluntate patris deflectens, dein cum eo progreſſa fines Friſiæ noſtratis atti-
git poſtridiè Eid. April. Ibi ab Edſardicis excepta magnificè, quorum cen-
tum in equis, plures pedites armati occurrerunt, in arcem Freburgum dedu-
cta fuit. At poſtero die continuato cum Lowenburgio itinere ad Broecſeta-
lam loco patente obvium habuit ipſum Edſardum ac fratrem hujus Chriſto-
phorum, & Comitem Suartzburgium, & cum his equitum centurias duas ex
indigenis confectas, peditumque in armis fulgentium ſigna tria. Cum hoc
comitatu Auricam perventum eſt eodem die ſub veſperam, ubi honoris cau-
ſâ gubernatrix Edſardi mater, & frater ejus Antonius Oldenburgicus cum fi-
liis tribus & filiabus totidem præſto erant. Salutationibus peractis, & gratu-
landi ergo tormentis omnibus omnis generis, ut moris eſt, diſploſis in epulas
itum, omnia ſigna feſti gaudii edita. Poſt aliquot deinde dies Emdam cum
marito & ſocru, hoſpitibuſque Catharina venit, totâ in lætitiam effusâ civi-
tate. Indè in alias atque alias partes regionis itum, idemque honos ubique
venienti habitus. Illa regionis ſpeciem admirata, cùm per agrum veheretur,
vicoſque magnos cum conſpicuis & ingentibus fanis complures atque haud
procul inter ſe disjunctos paſſim ſpectaret, quæ nam iſta oppida eſſent, per-
contata fuit. Et cum vicos eſſe cognoſceret, agricolarum ſedes, hæſit penè
attonita. Nec enim quicquam in toto regno patrio, nec in itinere viderat ſi-
mile. Ita tacitè ſecum gaviſa eſt, maritoque & ſibi de eo gratulata. Præterea
M.D.LXII memoriâ dignum ejus anni nihil fuit. Anno ſequente Heilwigis ſoror Edſar-
di nuptui data eſt Ottoni principi Luneborgio, conciliante Franciſco Lo-
wenburgio, qui hanc ob cauſam Auricam ad gubernatricem matrem vene-
rat poſtrid. Calend. Maij: Nuptiæ ipſæ celebratæ exeunte Octobri, cùm
paulò antè è vitâ hac exceſſiſſet EGGERICUS BENINGA GRIMERS-
HEMIUS ſeptuagenario major, vir laude digniſſimus, atque optimè de pa-
triâ agendo & ſcribendo meritus, cujus ſæpè in his Commentariis mentio-
nem feci. Annales rerum Friſicarum congeſſit rudes illos quidem, ſed fidos,
& diligentiæ ac amoris in patriam indices certiſſimos: in quibus mediæ ætatis
pactorum, fœderum, tranſactionum tabulas, ceu naufragæ navis fragmina
ſparſim fluitantia actorum ſæculi iſtius teſtimonia infallibilia ſingulari ſtudio
collegit, atque ita obſcuris rebus lucem non parvam affudit. Natus clariſſi-
mâ domo patre Geroldo, avo Aioldo, proauo Imelone ſeniore, abavo Fole-
maro Allenio Oſterhuſano Broecmeriæ domus æmulo; ab annis pueritiæ in
familiâ Edſardi Comitis ſenioris datus, in ejuſque miniſterio diu verſatus lite-
rarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

rarum ſtudia non coluit. Vbi ad virilem ætatem pervênit, rebus gerendis admotus anno M.D.XXIV arci Orthanæ ejuſque territorio præfectus ab Edſardo fuit, in eâque præfecturâ ad mortem uſque Ennonis filii Edſardi manſit. Ennone defuncto conſiliarius in ſummo patriæ ſenatu ab Annâ viduâ gubernatrice electus, eoque munere cum fide functus per complures annos demum vergente jam ætate circiter annum M.D.LVII præfecturæ priori redditus in eâ conſenuit, religionis purioris ſemper amans, juſtitiæ cultor eximius, vitâ temperans, moribus modeſtus, populo cariſſimus, & tamen Comitum ſuorum quàm maximè obſervans: cui unum hoc ad majus parandum nomen defuit, quòd bonas literas adoleſcens in aulâ degens non didicerit. Filios duos è concubinâ ante conjugium natos, ſed natalibus reſtitutos, & legitimorum loco habitos, hæredes reliquit. Anno M.D.LXIII ſeneſcente cœpit agi ab Anglis ob litem, quam cum Belgis tum fortè exortam habebant, de foro pannorum, quos magnâ copiâ ex inſulâ exportant, Emdæ conſtituendo. Veneruntque ob hanc rem ſocietatis ampliſſimæ legati, reginæ literis inſtructi, & à longâ cum gubernatrice, & civitate Emdanâ actione per hyemem eam confecêre. Itâ anno ſequente die X Calend. Iunii, qui erat feria tertia à Pentecoſte, poſt VI naves præmiſſas ingens claſſis panno onuſta Amaſum ſubvecta, Emdam appulit, quam comitatæ ſunt naves majores armatæ, quarum maxima viris armiſque inſtructiſſima Amiralium maris præfectum vehebat virum ſummæ dignitatis, reginæ vices gerentem. Claſſis hoſpita tormentorum longo & immani ſonitu adveniens civitatem, & civitas viciſſim claſſem ſalutabat, omniſque ætatis, ſexus, conditionis homines ſpectandi causâ cœmiterium, & cætera loca, unde proſpectus in Amaſum patet, complebat: ac poſt tonitrua tormentorum, tubarum clangores, & tympanorum ſtrepitus è navibus audiebantur, totaque civitas gaudio plena erat. Omnes enim quæſtum maximum, & fortunæ incrementum publicæ privatæque ex hoc Anglorum foro apud ſe agendo ſibi pollicebantur. Et initia quidem votis non malè reſpondebant, cum mercatu & negotiationibus fervêrent omnia, exteræque nationes, quibus cum Anglis commercia erant, urbem frequentarent. Sed ſplendor ille affulgentis & emicantis fortunæ nimium brevis ac fallax fuit, atque ante opinionem ſubitò diſperijt. Nam Angli controverſiâ omni cum Belgis compoſitâ ante exitum hujus anni, qui tanto cum apparatu venerant, ut ſedem negotiorum ſuorum perpetuam hîc figendi animum habere viderentur, ſtatim initio ſequentis anni convaſatis & collectis ſubitò omnibus rebus ſuis, anguſtiam loci & neſcio quid præterea cauſati, hyeme peraſperâ, cùm glacie omnia concreta jacerent, velut œſtro perciti Antwerpiam repetivêre. Emdani caſum illum moderatè tulêre. Fuit hyems hæc tota, qua Angli Emdâ abiêre, tam ſæva, ut ſimilem pauci homines poſſent meminiſſe. Patebat Amaſus commeatui hominum, jumentorum, curruum cum oneribus graviſſimis. Et Angli pannos ſuos maximi ponderis à portu Emdano per eundem Amaſum Oldershemum, Iemgumum, Leram, Weneram, Aſchondorpum uſque vectabant, atque indè curſum Brabantiam versùs flectebant, ac quidam per Auſtrinum ſinum latiſſimum rectâ Amſterodamum petebant. Amaſi alveus quaſi ſemita erat, quæ perpetuò hominum & equorum pedibus calcabatur. Præcipuè memoriâ dignum eſt, quod die VIII Calend. Martii, qui Petro Apoſtolo ſolet ſacer haberi, catervatim homines omnis generis ex urbe in Amaſum ſe effunderent velut memoriæ relinquendæ causâ apud poſteros, & alii in oppoſitam inſulam, alii aliò exſpatiarentur: & quod occaſionem obſervantes quidam quæſtui intenti complures tonnas cerviſiæ exoticæ pariter & domeſticæ, ac quatuor vini vaſa, quas Amas vocant, in medium fluvii alveum, quà profundiſſimus eſt, ex urbe devexerint, illic menſas & ſedilia, perindè ac ſi convivia

M.D.LXII

M.D.LXIII.

M.D.LXIV eſſent in glacie agitanda, conſtituerint, panem venum quoque habuerint: ibique cuncta iſta, confluente ob novitatem innumerâ hominum multitudine, ſint abſumpta, aliis adſidentibus, aliis circunſtantibus. Vulgò creditum eſt, ſupra mille mortales non magno loci ſpatio velut in orbem globatos confertoſque in glacie eâ tanquàm in ſolidâ firmaque terrâ fuiſſe: quorum ego quoque qui tum Emdæ degebam, unus fui. Poſt biduum verò ſuborto vento graviore, glacies omnis minutim confracta, & confertim natare viſa, paulò pòſt è conſpectu quoque ablata. Et hic annus eſt toti Friſiæ tranquillus, quo per Belgium ſemina jacta ſunt, quæ miſerrimum bellum civile, quod tot annos duravit, & tam multas mortalium myriades ſuſtulit è medio, provinciaſque omnes ejus tractus fæliciſſimas graviſſimè afflixit, genuêre. Quem ego mihi terminum ſcriptionis hujus ſtatui.

DECADIS SEXTÆ ET VLTIMÆ FINIS.

Typis, HENRICI AB HAESTENS, 1616.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

LOCI EMENDANDI

In Hiſtoriâ Friſicâ.

PAg.9.lin.9.à fine,pro Aſtaticis ſcribe Aſiaticis. Pag.10.lin.16. lege conſtet. Ibid.lin.25. quàm armorum vi. p.12.lin.10. à fine,pro Iutas lege Iutas. p.13.lin.26. Poſt KINHEMVM. p.15. lin.19. poſt permeabilis pone punctum. ibid. lin.17. à fine,concedit. p. 16. lin.12. Stellenwerficæ duæ. p.19. lin.21. cum vicinis, q.i.ſ. o.m. immota. p.20. lin.7. per agrum vici tenent. ibid. lin.11. at nunc Dullarti. lin.18. pro nis ſcribe fanis. p.27. lin.18. à fine,paludum. p.29. lin.15. à fine, latis agris. p.31. lin. à fine, latiſſima camporum ſpatia. p.32. lin.28. nonnullis in locis obtinuerit. p.35.lin.6.pro æſtu lege generi. p.37. lin.2. ad pignora quoque auferenda. p.38. lin.16. induſtriaq;. p.42.lin.16. à fine , pro ſoceri generi. p.47.lin.8.à fine,cepiſſe. p.48.lin.15. cum ætate ſ. i. vero propiora,deletis apicibus ineptis. lib.IV. lin.10 cepit,Francorum. p.52.lin.21. optimus. p.53.lin.30. Pipino. p.54.l.11.Drogone. lin.ult. perobſcura. p 56. lin.29.potuerant. p.62.lin.25. Leafwinus. p.93.lin.13. à fine,animam ef- ibid.lin.7 . à fine,ex fratre Henrico III Imp. p.g.131. lin.19.coniunctas. p.133.lin. 33. Monaſteri- ibid. lin.34. pro rex ſcribe ex. p.147. lin.11. à fine , Eletha vicus. p.155. lin.26. VVicheringios. lin.6.Fivelæ. p.164. lin.5. à fine, domicilio. p.177.lin.14.Ianſunum. ibid. lin 8. à fine,Menterſibus. p.186.lin.28. Flandri. p.188. lib.XIII. lin. 8. pro Oſtergoi reſcribe VVeſtergoi. p.191.lin.6. Idzinga. p.197. lin.21. a fine, villâ Buxumanâ. p.199 lin.27.munitiones Gronenbergicas. p.222. VVidieldo. p.223.lin.7. poſt filius & ante Beerdanus dele comma p.240.lin.9. à fine,cum Onſtenis. lin.11.Lavicam. ibid.lin.22 poſt æquiſſimas duo puncta collocanda. ibid.lin.25.arcem. ibid.lin.19. fine,poteſtate. ibid.lin.9. à fine,Ejoldo. p.265.lin. 22. pro Huneſgomæ ſcribe in Langowoldiis. p.273. antepenult. Iuwo Geeltæus. p. 278.lin.4. a fine,fidos adjutores. p.283. lin.11. lege arctioribus mœni- p.290.lin.14. Taco. p.332.lin.30.Ioannes Vaſmarus Reip. Brem.conſul. p.350.lin.13.a fine,iis lo- ibid.lin.10. a fine,fratrum. ibid.lin.7.a fine,& vim Hamburgenſiū. ibid.lin.ult.cum Heddone.p.355. a fine,conſultò. ibid.lin.15.a fine,civitatem. ibid.lin.7. a fine,per Haijonem Papenborgium Lera- præpoſitum. p.361.lin.25. auxilium. p.367.lin.22. juſſu hominis. p.371. lin.4. a fine, inimicos. lin.7. a fine,nomine Ordinum. p.392.lin.15.ab eo,à Iuwone Galama. p.397.lin.16. a fine,quique. lin.11. a fine,tantum bellum. p.400. lin.9.nutaſſe. p.414. lin.30. quo cum ſemper. p.419.lin.18. legendum. p.435.lin.22.duos filios reliquit. p.436. lin.22. à majoribus acceptam. p.437.lin.9.disjici. lib.XXIX. lin.2. Hoexiorum, & ſic in ſeqq.emendandum. p.443. lin.1. Poppingio. ibid.lin.12 a annalibus. p.444.lin.14. Comitum. ibid.lin.4. a fine, cum Douwone. p.449.lin.13. Hartmannus. lin.4. filium Fopponis. p.454.lin.22.a fine, VVorſtenſem. p.457.in Epitaphio Rudolfi Agricolæ lege LICET HOC VNO M. p.459. lin.25. maxima quæque ingenia. p.460.lin.25. victore Friſio celeriter p. lin.4. qui per Oſtergoam. p.477.lin.20.quieſcere. p.487.lin.15.hos publicâ fide. p.490.lin.28.juſtæ quæ. p.491.lin.6. querelæq;. p.498.lin.17. à fine,invitis vobis neminem imponi. ibid.lin.ult. in ſen- tiam. p.501.lin.4. a fine, alii non eundum. p.503. lin.5. mox dictante. p.504.lin.22. in arcem Ion- geam. p.508.lin.34. nomine. p.510.lin.17.ſanctiſq;. ibid.lin.19.Douwo Grovingius. p.519.lin.13. cum Arnoldo Michaëlio. p.524. lin.10. a fine, non ſuos ſolùm. p.527.lin.27. liberaturum. p.528. 12.Folefi natum. p.533.lin.25.per totum a. p.535. lin 18. a fine,Amiſi fluvij. p.536.lin.1.in margi- pro anno M CCCC XCV, reſcribe M CCCC XCVII. ib. iuxta l.14.in marg.omiſſus eſt numerus M CCCC XCVIII. 38.lin.22.Sylveſtres.ibid. lin.23.exitium minari. p.539.lin.32.mox paratis. pag.540.lin.10. illos nec p.542.lin.28.ſi quid requirat,petat've. p.546.lin.12. pro Bocconis ſcribe Doconis.p.547.lin.22. a velit'ne conatum. p.551.lin.20.Foxum. p.552.lin ult. VVeſtergoos id eſſe facturos. p.553. lin 16. cipiti. p.554.lin.6. videre in proximo. p.559.lin.17. tabulato ſubſtrata. p.560. lin.ult. ad Orientem. 561. lin.6. a fine, præfectus à VViliboldo datus. Ita Snecam VViliboldus. p.562.lin.10.tranſportatâ. 563.lin.7. meritum Gubernatorem. ibid.lin.25. tenere. p.567.lin.2. violent. p.573.lin.5. à fine,con- tus ne coiret. p.584.lin.19. a fine,quam tum vulgò. p.587. lin.17. a fine,ſolo terrore. p.589.lin.17. ſtipatamq;. p.593.lin.32. more iſtius ordinis. p.595.lin.5.judicatarum. p.597.lin.21. Hos eum- 598.lin.28. denique cum commodo. ibid.lin.penult. patriæ causâ. p.607. lin.10 fine , quod publi- 609. lin.4.a fine, ſegniùs. p.611.lin.28.quod proba. ibid.lin.9. a fine, acies. p.615.lin.6. Dammon- 619.lin.7. a fine,minimèq;. p.620. lin.16. a fine, cum eo. ibid.lin.6. a fine, quæ ſi faciant. ibid. lin. fine, eos nil poſſe. p.623.lin.7. rurſus eſſe.ibid. lin.18. in novas inducias conſenſio. p.626. lin.2 ibid.lib.16.atq; uno deſcendente ibid.lin.25. commercia. p.627.lin.8.peregrè advecti. ibid.lin. a fine, Hajo Ripperda. p.629. lin.penult. pro fortunij lege infortunii. p.630.lin.11. excellitis p. pitiq; cogimur. p.635.lin.18. proſcriptione comprehenſi. p 636. lin.4. lege quoque pro quisquo- ibid lin 26. toti viciniæ noxio. p.637.lin.4. Nordlaram. p.638.lin.11. ſtruere. p.646. lin.34 allegarunt. 647.lin.12. improvidæ. ibid.lin.17. a fine,FRIDERICO. p.649.lin.14 a fine,dari. ibid.lin.1 a fine, ginis. p.650.lin.8. cōpoſitionem. ibid.lin.16. agere. ibid.lin.17. quid voluntatis eius eſſet. p ſimul eadem opera. p.657. lin.26. rei rectæ. p.659. lin.8. tentandum. ibid. lin.16. ſcribe Repub. & lin ſtudio. p.660.lin.21. rem poſcere. ibid.lin.30. multis inter probandum improbandumque mediis, ibid.lin.8. a fine, ſapientiæ eſſe. p.661. lin.22. par futurus. p. 662. lin.30. Sed & cuncta illa. p. 663.lin. deligito aliquot. p.664. lin.12. a fine, quem teſtem. lin. ſeq. cum cohorte. item lin.5.a fine, conſpi- p.666. lib.XLIII. lin. 22. laboreſq;. p. 668.lin.29. è manibus elabi. ibid. lin.7. a fine, lin.ult.quotquot jurati. p.669.lin.2. pro officii repone efficii. ibid.lin.29. ægreſcens. p.675. lin. 17. in

incogni-

recognitione. *ibid.lin.33.* iis Comitis nomen præſcrib. *p.676. lin.28.* vi fluctuum. *ibid.lin.11. a fine*, Slenitius. *& lin.5. a fine*, annonæ vilitatem. *p. 678.lin.20.* probata. *p. 683. lin.16 a fine*, implicuit. *p. 687. lin.3. a fine*, præſidere. *p.691. lin.7. pro* cumque *ſcribe* eumque. *lin.ſeq.* VVilcone. *p.6 lin.1.* contra ſubitam. *ibid.lin.10.* commeatuum cauſâ. *ibid.lin.15. a fine*, collocuturos. *pag.697.lin.3.* at Saxonum factum, &c. *p.700.lin.32.* maximè inſtante. *p.703.lin.3.* inter eos. *ibid.lin.13. a fine*, ex cœpto, aut clientelæ. *p.707.lin.16.* Cecidêre plurimi. *p.709.lin.5.* infortunato die. *p.717. lin.13. a fine*, defenſioni. *p.719.lin 9.* Angliæ. *lin.15.* equites. *P.723.lin.19. deleantur hæc verba*, ipſe per Guilhelmus & conſules fuêre, *perperàm ab operis bis inculcata. p.728.lin.11.* malle petere. *p.730.lin.14.* Ziallingus Botinga. *p 731.lin.penult.lege* hacas *non* bacas. *p.734.lin 2.* Cedet ei. *lin.15.* quibus damnum. *p.736.lin.* premebant. *lin.11. a fine*, habituros. *p.738. lin.8. a fine*, cedente. *p.739.lin.15.* Quæ ſic geſta. *p. lin.30.*legionem. *p.745.lin.28.*flagitant. *ibid.lin.32.*ac repetitis. *p.746. lin.9. a fine, pro* per facilem *lege* per fecialem. *p.747.lin.12.*prima ei copia. *ibid. lin.13. a fine*, Edſardo. *lin.8. a fine*, valio. *lin.6. a fine*, pœnitiq;. *p.748.lin.21. a fine*, ampliùs. *p.750. lin.6. a fine, alterum* ad *oſcitanter repetitum, dele. p.751.lin.* perficiatur. *p.770.lin.6.* conſcendiſſe. *p.771. lin.6.* exſiccandæ. *p.772.lin.4. a fine*, ſuperveniens. *p. lin. 17.* indignantibus. *ibid.lin.4. a fine*, nobilitatis familia G. p.o. in Langowoldiis. *p.788.lin.4.* Suolenſium navem. *p.789. lin.penult.* fidiſſima. *p.794 lin.17. a fine*, tentaturus. *p.797 lin.17.* Atrebates. *p.798. lin.4* VVilderdorpium. *lin.21.*gerendæ. *lin.27.* abactæ. *p.801.lin.9. pro* ſuffunditur *repone* ſuffundentibus. *& lin. 14. pro* exureret *lege* exueret. *p.804. lin.1.* Sicco Galamæus. *p.808.lin.6. a fine*, Vilſetæ. *p.809. lin 7. a fine*, Drentinos. *p 813.lin.20.* VValdecco. *p.814.lin.22.* Opſteranos. *p.817.lin.11.* è filiis unum. *p.822.lin.8. a fine*, Suollanos. *ibid.lin.6. a fine*, urbe potiturum. *p.824. lin.4.* Medachios. *lin.26.* Iodocus Croningus. *ibid. lin.13. a fine*, examen recognitióve. *p.844. lin.27.* cenſuêrat. *p.845. lin.24.* Roſſemus. *p.862. lin.6. a fine*, anno uno. *p.866. lin.10.* facultatem. *p.878. lin.4. a fine*, Diconem Mettium. *p. 879. lin. penultim.* Egericus Beninga. *Idem mendum pag. 881. lin. 31.* occurrit. *p.880. lin. 12, & 16.* arcem VVitmundanam. *lin.8. a fine*, Hicco Dornumanus. *Quod mendum etiam 881.pag. ſeq.lin.31. Ead.p 880.lin.ult.* Nono Meckama. *p.881.lin.15. a fine*, Hoxterâ. *p.885.lin.31.* Euſumano. *p.886. lin.21.* Conderus. *ibid. lin.20. a fine.* Hafniam. *p.887. lin.7. a fine*, Hiddo Onſtenius. *p.899. lin.12 a fine*, Martinus Naerdanus. *p.914. lin.7.* Bruxellæ. *p 917. lin.29.* ignoto. *p. 923. lin.16. dele* in *poſt* ſuorum. *ibid.lin.11. a fine, pro* INFRA *ſcribe* INTRA. *& lin. ſeq. pro* QVONDAM *repone* QVENDAM. *ibid. lin.7. a fine, dele* & *ante* cæteroqui. *p.926. lin.4.* Mennonem. *ibid. lin. 8. ante finem*, attinebant. *p. 927. lin.11. a fine*, Hardenbergio. *p.928. lin.26. pro* paſtores *ſcribe* poſteros. *p.929. lin.16. a fine*, eſſe jubebatur. *p. 930. lin.ult.* Frid. Spedius. *p. 931. lin.18.* Per hos exp. *p. 933. lin.* *pro* longiùs *ſcribe* Langius. *ibid.lin.26.* Haro Habbonis f. *ibid. lin.33. pro* ſtaturus *ſcribe* ſtaturus, *& Auguſtam pro Auguſtum. ibid.lin.37.* Nam etiam tum à c. *ibid. lin.6. ante finem*, huic curæ. *p.934. lin.28.* toparcham Grethan. *p.935. lin.1.* Oldenburgium. *ibid.lin.15. poſt* diebus *dele punctum. lin.* conſtituendo. *lin.24.* primas totius A. Th. Crammerus. *lin.36.* viduam principem. *p.936.lin.13.* Cantuarienſis. *p. 937. lin.31.* Emdæ apud Franciſcanos. *ibid.lin.41.* potentiſſimi principes. *p.938. lin. 15. pro* nequeat *ſcribe* queat. *Ibid.lin.37.* fraudandamque miniſterio, operam conſiliaque. *alias ſervatâ diſtinctione, pro* conſiliaque *ſcribe* conſilia. *p.941.lin.3.* agnoſcere noluerunt. *ibid. lin.9.* conditas. *ibid.lin.16.ante finem, poſt* impudentiam *duo puncta converte in comma. p. 942. lib. IX. lin.15.* quòd id iam Cæſar. *ibid. lin.13. a fine, poſt* tuentibus, *deleto puncto, ponendum comma. ibid. lin.8. a fine*, quem ſciant. *p.943. lin.1. poſt* Imperij, *& lin.22. poſt* ſignaverat *commata deleantur. p.944. lin.18.* exautoratum dimiſſumque. *ibid. lin.23.* Cæſarem indicium f. *ibid. lin. 32.* & finem comitiorum: in his ſi quid, &c. *ibid.lin.42.* referre velit. *p. 945. lin.13.* falſis verbis. *ibid. lin.32.* in ipſum Cæſarem. *p.946. lin.9.* agro Reidano. *p. 947. lin.5.* Fuſipedius. *ibid. lin. 16. poſt* erat *pone comma, & lin. 19. poſt* eandem *dele comma. ibid. lin. penult. locum mutilum ſic ſupple*: inim à ſe poſſe negabant, nec litium finem fore, niſi aut ipſi, aut Fuſipedius. *p.948. lin. 10. ante finem*, nec eſt à quequam. *lin. 9. ante finem*, Selneccerus. *p. 949. lin.25. pro* maior *ſcribe* minor. *ibid. lin.31. poſt* oderant *pone punctum. ibid. lin.35. poſt* omnium *ſubiunge* hæreticorum. *p. 950. lin. 19.* moneretq;. *lin. 25.* monendo. *lin.39.* ad ipſum. *lin. 6. ante finem*, Iemgumum. *p.951. lin.17.* apud Vorderſes. *lin. 20. pro* ideo *ſcribe* adeo. *lin. 21.* Petcumum. *lin.22.* Cankenius. *lin.26.* Fucſberge. *lin.8. a fine*, bello. *p.952. lin.15.* VValdecco, E. & I. Schouvenburgiis. *lin.28.* in iſtius temporis. *lin.39.* adultâ jam æſtate. *p.955.lin. ante finem*, ſecalis. *p. 956. lin. 13.* quali ante hæc acta fuerant. *ibid.lin.34. pro* ſecale *ſcribe* ſiligine. *ibid. lin.7. ante finem*, Piſtorius, civis b. n. *p.957. lin.5.* Veldam. *ibid. lin. 14. pro* ſordidam *ſcribe* vilem. *lin. 31.* iſtuc porrò. *ibid. lin. ult.* ſed illuſtri, *vel* ſubluſtri. *p. 958. lin. 1.* ioci cauſâ. *ibid. lin. 21. pro* aiii *ſcribe* germani fratris. *lin. 40. pro* juſſus fuit *lege* viſus fuit. *ibid.lin.6. & ſeq. ante finem*, Friderico II, qui in patris ſ.p.o.ſ. & patruis eius H. D. g. bellum libertati Ditmarſicæ t. ſ. f. defenſæ motum. *p.960. lin.antepenult.* Folcmaro. *ibid. lin.ult.* in familiam Edſardi.

Atque hæc hactenus ſumma cum cura & fide. Nam cùm quædam maioris momenti erant annotanda, iis leviora nonnulla adſparſimus. Reſidua ſunt non pauca, ſed parvæ rei, & cuivis expoſita. Quædam voces perperam divulſa, quædam ineptis apicibus inſignitæ, quædam literula etiam ſyllaba nonnunquam truncata, aut putidè aucta. Quæ cum diſtinctionibus nonnullis benignus lector facile animadvertet, atque emendabit.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

INDEX IN HISTORIAM
RERVM FRISICARVM.

A.

A'rivus, vide Ea.
Abbinga vicus 450. Andeleſus Abbinga 474. Bennerdus 571.ibid.
Accrumum 393.425
Accumum 220.351.366.952
Adelbertus Theologus Anglus 52.58
Thyo Addena Nordanus 191
Tyrlingus Addinga Nordanus 191.332
familia Addingia Weſterwoldica 18. Eggo Addingia 223. Haijo Ad. 241.273.& ſeq.289 gener Hiſconis Emdani 297.302. Eggo Ad. 362. heres Imelonis Emdani avunculi 357. 374.385.ibid. Ob violentiam (de qua 365) occiſus 416. Haijo Ad. ibid.& ſeq.ejus ſoror Margareta uxor Sibonis Dornumani Eſenſis 406. Imela Ad. uxor Haconis Cankenæ 747
Adoardia cœnobium 17 20.151.153.164.ibid. 173.178.202.215.269.310.341.433.450.456 786.809.815
Joan. Aepinus Theol. Hamburg. 941
Kempo Aeſma 428,& ſeq.
Renatus Aeſwinus 795
Sicco Aggeus 437. Elo Aggena Nordanus 175
Thiedmarus ab Aggere Stedingius 146
Hugo Aggerius Groninganus 178. Focco 274 279.280. Abco 286
Rodolphus Agricola 34.457. ejuſque frater Johannes Agr. ibid.& ſeq.662
Haico Ailardus 334,& ſeq.
Juco Ailma 289
Aitſumanum cœnobium 393
Franciſcus Ailva 114. Epo A.256. Tiarco A. 280. Siurtus 392. Epo 499.544.547.623.730 Douwo 517. Siurtus 592.597.676. Sittio & Epo 870
Aingwolda 953
Buco Aita 583.593.605.625.746.756.ibid.
Alanda Cœnobium 27.179
Aiboldus Alberda Groninganus 432. Regnerus A. 694.786.824.841
Albertus Saxo, vide Saxo.
Albericus Anglo-Saxo 61.62
Eno Albus Groninganus 200
Florentius Alcmadius Hollandus 291. Wilhelmus 398
Alcmaria 13.87.96.102.113,& ſeq.156.182, & ſeq.
Alcmaripa 392.ibid.
Alcuinus Anglus 62.64,& ſeq.
Alderſenia arx everſa 203. Edo Alderſna Nordanus 175. Martinus Ald. 188. Haijngus 330,& ſeq.
Alfricus Friſius Epiſc. Ultraj. 74
Ouwo Algerſna 394
Siptetus Allena Nordanus 332
Folcmarius Allena Oſterhuſanus ejuſque pater Allo 204.211.& uxor Adda Broecmeria Imelonis Br. filia ibid. mortua 285. cauſa diſſidij inter patruum Occonem Br. & maritum 214 ibid.& ſeq.218.221. & Occonis filium Kenonem Br.230,& ſeq.237.hoſtis Hiſconis Emdani 246.ibid.& ſeq. Occiſus 266. Ejus ex fratre nepos Haro 247. Ejuſdem liberi Sibba nupta Ennoni Larletano 249. & Ewenardo Idzinga Nordano 262. mater Himæ nuptæ Udoni Lerano 284.322. Imelo Al. Oſterhuſanus & Grimerſhemius maritus Hebæ filiæ & heredis unicæ Geroldi Beninga 266. Et Haro All. Larletanus & Hintanus ibid.& 279. uterque hoſtis Occonis Broecmerij ſocius Fecconis Lerani 284 & ſeq. ibid.293. Imelo 289.295.ibid.& ſeq. 297.302,& ſeqq. 305,& ſeqq. 808.317,& ſeqq. potens 320. à Sireſenus, Ennonæ 321,& ſeqq. & Edzardo 323.327,& ſeq.331.335,& ejus ſocijs Hamburgenſib. ibid.338,& ſeqq. 343.345. & Ulrico multum vexatus 356,& ſeq.364.366,& ſeq.372.obijt 383. Ejus liberi & poſteri ibid.331. Aioldus Beninga 327.344 obijt 422. Et Folcmarus 327.345. & Aioldi filij Folcmarus & Geroldus 383.458. & illius ex Geroldo filio nepotes Egerus & Folcmarus 383. hujus 615. ex Eſſa Howerda 387. Egricus Ben. Grimerſh. 383.829.843.868,& ſeq. 879.881.905.910.913.915. & Hima nupta Ulrico Dornumano 885
Haronis filius Fredericus Al. Larlet. 294,& ſeqq. 297.320.ibid.& ſeqq.323,& ſeq.327.328.331 334.352. obijt Bremæ 372. Ejus filius Aioldus Hintanus ibid.420.458
Nicolaus Alenius 396
Algiera 933
Allingwera vicus 380.872
Redmerus Alma 579. Johannes 651
Amalandia inſula 16.31. Amdorpa 322

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Amaſus fluvius 22.24.31.442
Amaſani in Friſ. Orientali 22.64.118.129,& ſeq. 132,& ſeqq. 142.147.154.ibid.169.ibid. 173,& ſeq.204.206.214.239,& ſeq.246.320 323,& ſeq.330.332.865. eorum familiæ, vide Sircſena, Allena, Beninga, Keenſena, Synada, Valderana, Suderhuſana, Larletana, Edelſhemia, Petcumana, Uttumana, Wilgumana, Weſterhuſana, Groothuſana.
Ammerlandij Oldenburgici 378.409
Conradus Ampringius Legatus Maxim. Cæſ. in Friſia 519.522
Amſtela & Amſtelius ager ibid. Amſtelodamum 384
Giſbertus Amſtelius Hollandus 135. ejus filius Giſbertus 171.181,& ſeq. & hujus filius Arnoldus ibid. Goſvinus Am. Epiſc. Ultraj. 171
Amſtorſius 927
Anabaptiſtarum initia in Friſia 830.860,& ſeqq.882,& ſeqq.892,& ſeqq.922
Andloa vicus Drentiæ 20.26.134
Angli pars exercitus Hengiſti & Horſæ 40
Anglia, vide Britannia.
Anglo-Britones à Friſijs orti 41.44.& ſeq. eorum reges 45.52.82,& ſeq.85.166
Alb. Anhaldinus Br.104.107. ejus filius Bernhardus,& N. Epiſc. Bremanus 108
Annonæ caritas in Friſia 147.150.170,& ſeq. 190.383.422.428.440.449.618. vilitas 389 533.676
S. Anſcharius Francus I. Ep. Hamburg. 72,& ſeq.
Antiquitates Friſiorum, vide Friſior.
Apa vicus 299.379
Giſbertus Abcoudius 171.N.224
Apelanum cœnobium 797
Appingadamum vide Dammona.
Georgius Aportanus Theol. Emdanus 824,& ſeq. 838,& ſeqq.854.862
Rod. Aquenſis 814.820
Aquiſgranum 70.72.79. captum virtute Friſiorum 149
Aræ Ethnicæ veſtigia in Drentia 21
Arces nobilium & turres conditæ in Friſia 114 172
Joh. Arkelius Hollandus 181.183.N.202. Joh. Epiſc. Ultraject. 223.227.229.235.243
Arlana turris 321. Almarus Sacerd. Arlanus 281.284.295
Fredericus Arlous 232.243
Hermannus Armelingius 930
Arembergius, Comes Friſ. 951
Pet. Arſius Daventr. 272.& ſeq.
Arumum vicus 281
Aſchendorpium pagus Weſtphal. 138.165.171 961
Everh. Aſchendorp. 650.& ſeq.932
Aſſena cœnobium 20.146.795
Georg. Aſſendelfius 824
N. Aſpelcampius 415
Aſpera 772. Guido Aſperanus 202
Hylo Attena Nordanus 204.218. Enno At.249
Hero A. Dornumanus, ejuſque filius Lutetus A. Neſſanus maritus Occæ Broecmeriæ 255. & hujus filiæ Heba Uconi Lerano nupta mater Thedæ comitis 372. poſt nupta Haiconi Wyndehamo 387.395. obijt ibid. & Etta uxor Mauritij Cankena Dornumani 256.294.& ſeq. 322.337. & filius Keno A. ibid. 337 vide Dornum.
Aterndorpium oppid. Hadeleriæ 29
Auguſta 933
Aggæus Auguſtinus 748.767
Hero Aukinga 258.273
Aurica opp.25.27. capta à Folcmaro Allena 221 254 290.302. & Foccone Lerano 306.318.& Edzardo Sircſena 321,& ſeq.389.391.707
Auricani 22.109.211.217.304.306.317.323 & ſeq 405.410.785 863.875
Felix Auſtriacus 760,& ſeq.763

B.

Baccavena 814
Bacbandini 405
Bachuſij 444,& ſeq.
Leonardus Bacharacenus 775,& ſeq.
Alb. Bacomorinus 876,& ſeqq.
Baffeloum 263.310
Baltera Inſula 31
Michaël Erneſtus Bamelburgius Pomeranus 713 797.735.741.ibid. occubuit 799
Banca Inſula 14. Snederus Banco 343.354,& ſeq.
Joh. Banlous Groninganus 374
Banta inſula 24. & vicus Ruſtriæ 219. Edo Banthanus vide Cnipenſis.
Gerardus Balderius 202
Joannes Barbatus, præf. Grethan. 931
Boleco Bardenſletus Stedingius 146
Edzardus Barea 499
Bardowicum 109. Theod. Bardowicius Hamburgenſis 332.335
Barkela pagus Oſtringiæ 110
Barmer-Schulteſius Drentinorum 37
Alb. Baroldus Groninganus 260. Henricus 345 ibid. 360.374,& ſeqq.
Barrahuſa vicus 244.246
Batavi 49.55,& ſeq. Batavodurum 53.77
Theod. Batenbergicus 111
Batenburgica ſecta 924.938
Bavariæ dux 56.59. Henricus Leo & Otto Witelſbachius 108.N.118. Georgius 577
Tibo Bawerna 394
Beda Anglus 39
Beda pagus Dullarti 222
Bederekeſa arx 158
Bedumum pagus 20.132.191.650.888
Rotgerus Beebergius Groning. 736
Warenus Beijerus Groning. 256. Henricus 273,& ſeq.276,& ſeq.286.288,& ſeq.294,& ſeqq. Jacobus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Jacobus Præpoſitus Lopperſh.292. & Theodorus Præpoſitus Humercius 310
Egricus Beyerſletus Hamburg. 372.388
Caſpar Beyerſdorferus 695
Serapius Beima Leonis filius 443,& ſeq.449.476
Siurtus Beima 544,& ſeq.547
Bella Friſiorum cum Francis, Dagoberto 49,& ſeqq. Car.Martello 54.56,& ſeq. Carol.Magno 63
Cum Saxonib.Witichindo 63. Bernardo 92 Egberto 97. Henrico Craſſo 100,& ſeq. Henrico Leone 106, & ſeq.109. vide Saxon.
Cum Normannis & Danis 70, & ſequ. 75. ibid 77,& ſeqq.81,& ſeq.85,& ſeqq.88. ibid. 90.158.188
Cum Hollandis 87,& ſeqq. 90.95,& ſeq.103. 113,& ſeqq.156. vide Holland.
Bella civilia,Groningæ 103.111.115.134,& ſeqq. 197,& ſeqq. Oſtringicum 110. Fivelgoum & Huneſus 139,& ſeq. Amaſanum 142 Sciringicum 200. vide Sciring.
Bella extera, vide Expeditiones.
Bellingwolda 342.417.442.566.843
Beninga Grimerſhemij & Grothuſani 211
Beningamannorum fœdus in Amaſana 246,& ſeq.
Izo Beninga Grimerſh.Gron. obijt 951
Eggericus Beninga Grimerſh.Hiſt.obijt 900
Geroldus Beninga Luerdi filius Grimerſhemius 215,& ſeq. ejus filius Aioldus Ben. & filia Heba nupta Imeloni Allena Oſterhuſ. 266. 297. ex qua Aioldus Allenius Ben.de quo & ejus poſteris vide ſupra in Allena.
Redertus Beninga Grothuſanus 331.340.344.372 ejus filia Tiada uxor Hajonis Papenbergij 422
Rednardus Grothuſanus 215
Haiterus ibid.297.321
Sicco Beninga Humſteranus hiſtoricus 523.633 637.651.695 823.832.834,& ſeq.
Henricus Benneconius 374. Herm. 634.667 718
Otto Benthemius comes 115,& ſeq.ibid.935.942.
Otto B.Epiſc.Monaſter.129. Everwinus 248 270.536.626.632.635.656.658.676,& ſeq. 690.697.795
Bercopij 814
Guil.Berenzovius,Groning. 953
Cornelius Bergaus 604. Diſmannus 768
Everard.& Ulferdus Bergerhorſtij 202
Berguinum cœnob.796. & vicus 330.399.402 433
Berhova 269. Bersfleta arx 158
Berlecomo vicinum oppid.Utgongum 16
Herm.Bernerus Groning. 334
Lubbertus Berneveldius 537,& ſeqq.
Beerta & Cappel-Beerta pagi 222. Cœnob. 179.
Luerdus Hajonis Beertanus 223
Berumum in Fivelgoa 176. in Nordanis 27 330.355.372.389.391.414. in Reiderijs 176
Campo Berumanus 223
Biltanus ager 131.582.625.781
Fredericus Blanckentzenius Argentonenſis Ep. Ultraject. 224.ibid. Blancoweranam arcem ſtruxit 240,& ſeq. vide Ultraject.
Blauhuſa cœnob. 27
Blexena vicus Ruſtriæ 66.208.269. Bleſdica 257
Blyſamum vicus 417
Renico Boccuma Snecanus 243 Juwo & Renico 359
Boecſeda 955
Franc.Bohemus 901.& ſeq.
Herman.Boyenus,legat. 945
Egbertus Boijngus,vide Suderhuſ.
Boijo Meijonis Emdanus 456 vide Meijo Tiadmerius.
Gerhardus Bolardus Emdanus 716.873
Wibrandus Boleſma 359
Jaruhius Bolſenius Emdanus 423
Bolenberga 355. Ico Bolinge Ruſtrus 208
Bolſwerdia 14.55.227.227.256,& ſeq.258.279. 289.380.392.400.426.433.435,& ſeqq.438, & ſeq.445.517,& ſeq.547,& ſeq.554,& ſeq. 762.771,& ſeq.802,& ſeq.811,& ſeq.814. 816
Wiardus Bolſiverdianus 816.818
Sicco Boltha Rommerſæus 479.483.487
Dothias Bonga 596
Bonifacius Angloſaxo 59.60,& ſeq.
Bonnemij 292. Leo Bonninga 518
Godefridus Borcolous 196
Borcumum inſula 31.135.166
Steph.Borgenſis 873
Wulfardus Borſelius Hollandus 184.& ſeqq. Nicolaus 227.235.258
Hilmarus Borſumanus 529.535
Joh.Boſius Groning.256. Finco Boſ. 733
Boſumum 425.436
Albertus Bottinga Groning. 191
Foppo & Wibo Bottinga 289. Sizo & Fecco filij Ziallingi Sitiama 392.426.429.ibid.438 Ziallingus Bott.571.730. eques 746. ibid. 800.841. Juwo B. 758.820.841
Feico Botnia 99. Odo B.228.236. honorem Poteſtatis recuſat. 244. obijt 254
Syo Bowema 394
Taco Bowinga 359. Gerco & Reenco ibid.Heſſelus B. 474
Bowonis cœnob. 179
Brabantia 13. Henricus dux Br. 154.158. Johannes 181
Petrus Bradius Danus 544
Joh.Bramius Emdanus 916.927.940.952
Johannes Bramius Groning. 655,& ſeq.659 661
Wilhel.Brandius Hamburg.366,& ſeq.Hilbrandus Br.Groning. 394
Udo March.Brandeburg.93. vid.Stadæ comites.
Branda vide Herbranda.

Pibo Brantgumæus 476
Herm. Braſſius Emdanus 919.940.947.952
Joh. Bredanus Campenſis 810
Reuro Brederdus 178
Theod. Brederodius 88.179.183.202. N.224 Walravus 227.229.237. Giſbertus 376.381 & ſeq.
Bredſteda forum Strandiorum 30
Brema 29.85.88.91.104.107.& ſeq.158.172.& ſeq.201.207.216.254.257.261.264.269.291 300.302.ibid. 303.317.319.& ſeq. 322.& ſeqq.329.& ſeq. 332.& ſeqq. 364.415.454. 529.674.ibid. 897.900.& ſeqq.906.& ſeqq. 909
Bremani Epiſcopi Willehadus 61.66. Willericus ibid. Rembertus 78. Libentius 88. Bezelinus, Alebrandus 90. Albertus 91.92.97 Liemarus 104. Otto Oldenburg. & N. Anhaldinus 108. Gerardus Lippienſis 136.& Waldemarus Danus poſt Hardovicum 144. ibid. Gerar. Lipp. ibid.145.146.158. Hildeboldus Broechuſius 158.172. Giſbertus Bronchorſtius ibid. 181. Joh. Danus ibid. Burchardus Grellius Bremanus 200.& ſeq. Otto Delmenhorſtius ibid. Alb. Brunſw. 207.N.238.N.257. Nicol. Delmenh. 291. 297.& ſeq.300 & ſeq.318.& ſeq.333. Burchardus 350. Nicolaus 355. Henr. Suartzburgius 401.409.414.421.488.& ſeq.529. 530.& ſeq. obijt 535. Conr. Retbergius 535. ibid. Joh. Rodius 586.& ſeq. ibid. Chriſtophorus Brunſwicenſis 588.613.778.781. 823.830. Eorum jus in Friſia 66.104.& ſeq. 136
Dietlevus Bremerus Hamburg. 335.340.367. & ſeq.
Bremanæ cereviſiæ primus in Friſia uſus 172
Brincani 405. Britzeburgum 131
Broca major pagus 13
Conradus Broechuſius comes 109. Hildeboldus B. Epiſc. Bremanus 158. Conradus 207
Cornel. Broechuſius 552
Broecmerij 21.109.130 146.154.169.206.214. 217.
Keno Broecmerius Senior Hilmari filius 206. Kenonis Kenonij Conſ. Nordani 188.221. Nepos alterius Kenonis Nordani agnatus 114. potens 206.& ſeq. 211.ibid.& ſeq. obijt 212 ejus agnatus Keno Nordæ occiſus, & ejuſdem liberi ibid.211. Occo Br. ſenior eques 213. ibid.& ſeq. ibid.215.217.& ſeq. ibid.221. ejus uxor Foelqua Stracholtana 214.& ſeq. 237.255. frater Imelo reliquit filiam Addam nuptam Folcmaro Allena Oſterhuſ. 211.214. 285. Et ſorores Elborga Haronis Valderani & Doda Edzardi Sircſenij uxor 213
Keno Br. junior 222.225.& ſeq.245.246.& ſeq. 249.ibid.253.257 259.ibid. 260.262.& ſeq. obijt 264. ejus ſorores Tetta Sibrando Loquerdico 222. & Occa Luteto Attena Dornumano nupta ibid.255.337. & frater nothus Widzeldus ibid.231.238
Occo Br. jun. 266.& ſeq.272.ibid.275.280.& ſeq.284.ibid.& ſeq.287.& ſeq. 289.291.293. & ſeq. 295.& ſeq.ibid. 297.& ſeqq. 300.& ſeqq. 303.& ſeqq. 306.317.323.333. obijt Nordæ 337. retinente opes ejus Edzardo Sircſena eas nequicquā petentibus Loquerdicis ibid. Ejus ſoror Tetta nupta Siboto Ruſtro 266.284. & uxor Ingelbergis Oldenburgica 294. vide Keenſena.
Giſelbertus Bronchorſtius Ep. Brem. 172. N. Br. 202. Bronchoſtia factio in Geldria 181
Bruggij Groningæ, Henricus-Ludovicus, Bertholdus, Johannes, Rudolphus 260. Henricus Br. 268.270.281.289.292.295.303.ibid.
Berwoldus 273. Johannes Br. 374
Johannes Brunius 799. Henricus 824. Thomas 897.
N. Brugmannus Monach. Gron. 374. Jeltco Brungerius 843
Brunſwiga 58.97. Otto Brunſw. dux 29. Bruno 78. Benno 88. Bernardus, Hermannus, Ordulfus ejuſq; filius Magnus 92.101. Egbertus & Otto 97. Henr Craſſus 100.& ſeq. Lotharus Imp. 104. Henricus Leo 100.& ſeqq. ejus filius Henricus 144. N.181. Chriſtoph. Epiſc. Bremarus ejuſq; frater 613. Vide Brem. Ericus 595.& ſeq. ibid.598.691.747. Franciſcus 691. Henricus 614.ibid.679.691.700. 705.707.& ſeq.710.& ſeqq.946. ejus duo filij in prœlio ad Sivershuſium occiſi ibid. Henricus junior 691.715.& ſeq.757.778.931 923.948
Martinus Bucerus Th. 6.5
Guntherus Bunavius
Bunnoij Groningæ 155. Otto B. 191. Jacobus 195.200. Rodolph. ibid. Ludolphus 199
Bunda pagus 223.306.388.460.614. vide Samminga & Noneca. 306
Wiardus & Sebo Bundenſes.
Nicolaus Bunzlovius Uratiſlavius Cancellar. Sigiſm. Imp. Legatus in Friſia 264.266.268. 271.& ſeqq.274.& ſeqq.277.& ſeq. 930
Buranus Comes 353
Herm. Burenius Bremanus 942
Maximilianus Burenſis 933. defunctus
Burgundi 57. Philippus Audax Burg. dux ejuſque filius Henr. Nivernenſis 226. & Johannes 227.253.256. Philippus B. ejuſque mater 286.293. ejuſque filius David Ep. Ultraj. 376 381.& ſeq. & Antonius ibid.388. Vide in Holland.
Dowo Burmannia 114. Reenco B. 439.483. 946.953. Tiardus Eq. 682.704.745.759. 761.815.820.841. Ubco 869.903. Dowo 730.870
Buſa Inſula 31.ibid. Buſcha Inſ. ibid.
Henricus Butelius Groning. 153. Fredericus 178. 180.
Henr. B. Conſ. Emdanus 878

Butjada

Butjadæ 24.216.614. vide Ruſtri, & Transjadani.

Buxtehuda 29. Meinardus Buxtehudius Conſ. Hamburg. 259

Buxumum. vide Jukema.

C.

CAblaviorum factio in Hollandia 202.404

Cadaver ſtupendæ magnitudinis 449.ibid.

Durdeco Caldeberanus Hunſegous 177

Calmerij Groningæ 155. Hugo 191. Johan. 195 Henricus 200

Cammingaburgum 131.136. Sixtus Camminga 99.102. Teto C. 188. Geroldus 230.235. 243.289. Taco, Petrus 289. Witio 427.811 814. Hayo 432. Sicco 359. Petrus 446.476 484.499.682.704. Renicol. 746.841

Campena Urbs 14.261.273. vide Tranſtſal. 787. & ſeq. 793. & ſeqq. 798.835.890.

Henricus Campencjus 825. Bernh. Campius 8.25 Melchior C. 747. ibid. 767.778

Campus floridus vide vet. Cœnob.

Petrus Camſtra 279. & ſeq. Renico 359.392. Feico 438.476.484.508. Petrus 437. & ſeq. 482.499.508.515. Renico 515.571.604.623 704.746.759

Canhuſa arx 215.217.247. Camnefates 9

Cankenij in Harlingia 211.247. Dornumani 351 eorum agnatus Siricius Freburgius & Sudenburgij 413

Heddo Cankena Witmundanus 220.331. & ſeq. Canco Cank. Heddonis f. 363.368. Ino C. Witm. 328. & ſeq. 331. Tanno, Hicco, Mauritius 331. Tanno C. Witm. 347.349. ejuſque uxor Gela Eſenſis 349. & frater Heddo C. 350. & ſeq. 355. Witmunda ejectus à Sibone Dornum. Eſenſi 377. & ſeq. 386. ejus filius Egerus C. ſororius Siricij Freburg. 414. & filia Diudleta nupta Haroni Valderano 387

Sibo & Maurit. Cank. Dornumani 368. Mauritius ejuſque uxor Etta Attena 256.378.363.368. 379.389. ſoror Hiſa nupta Iconi Onkenio Cnipenſi 363. liberi Hero-Mauritius 529. & Hicco Præpoſitus Emdanus 356.406.420.423. 709.821.875

Hero Mauritius C. Dorn. 391.407.407.409.413. ibid. & ſeqq. 416.420. ibid. 458. & ſeq. 462. 526.529.535. obijt 627

Hicco C. Dor. Præpoſitus Emdanus 256.420.456. 458.460.462.524.529.534.535.537.650. 660.661.667.669.677.682.688.697.701. 725. obijt 747.951. Hicco C. Dorn. 778.825. 839.844.879, & ſeq. 915.918. vide Freburg.

Joh. Canterus Groning. 456. Gelmarus Secretar. ſæpè Reip. legatus 519.593.615.620. & ſeq. 623 & ſeq. 626.641. & ſeq. 650.686. & ſeq. 660. 669.677.694.697.701.721.724.756.767. Wilhelmus 823. Jacobus 825

Capito 927

N. CaroloWitzius Bohemus 716

Canumum vicus 247.320. Caninghuſa arx ibid.

Carolus, Anabaptiſta 924

Carolus M. vide Rom. Imp.

Siſo Caſſeus Groning. 344.374. Rodolphus 728

Cateri Groning. 200. Henricus 374. Suederus 441. Luerdus 558

Cerevifia Bremenſis & Hamburgenſis 172. Harlemica 446. Hamburgenſis 462

Chauci cum Friſijs Francos edidere 9.10. & ſeqq.

Chriſtiani III. Reg. Daniæ pietas 946

Chriſtophorus, Archiepiſc. Brem. 930

Cimbri & Saxones 9.12

Clantij Groning. 259. Otto Clant ejusq. filius Henricus & Allardus 260. Otto Cl. ibid. 289 335.356.358.360.374. Wibrandus C. 260 272. & ſeq. 289. Johannes 260. Henricus Cl. Canon. Colon. Legatus Sigiſm. Imp. in Friſia 264 & ſeq. Hermannus 641.650. Lubbertus C. 694.739.789.816

Clarocampus cœnob. 16.112.200.203.229.360. 396.450.480.804.808

Theod. Clenkius Bremanus 782

Gerardus Clingius Groning. 165. Bruno 259, & ſeq. 263.270.272, & ſeqq. 281.284.288, & ſeq. 292.295. ibid. 335. Otto 281

Baldericus Clivenſis Epiſc. Ultraj. 76. N. 111. N. 145.

Henricus Clocus Bremanus 353

Gerardus Cloeſterus 715, & ſeq.

Joh. Clotus Weſtph. 388

Cnipenſis ditio 23.27. arx 705

Ulricus Cnipenſis 205. Tido Cnipenſis 931 951. Lubbo Onken Langoweerdanus 411. 350.355.363, & ſeq. 368.377.383.385.390. 403.406. ejus uxor Reinolda filia Lubbonis Ruſtri Jeverani neptis ex filia Edonis R. Jev. 350.353.412. filius ex ea Edo Banthanus 353. & nepotes Sibetus & Reinolda 411.535. uxor altera Bindeleſa inhuſana ibid. 454.527. & ex ea Ico Cn. 452, & ſeq. 455.527.529. obijt 535 cujus ſucceſſor Folefus inhuſanus conſobrinus ibid. Ico Onkemus Cnip. vide Inhuſ.

Nicolaus Cniphovius Pirata 829, & ſeq.

Herm. Cnopperus 827, & ſeq.

Franc. Cobelius 788. Philip. 793

Herm. Cocus Groning. 773.795.832.842

Compa pagus Amaſanæ 215.306.320.372

Cometa 129.401.424

Conradus Coenderus Groning. 612. ſæpe Legatus Reipubl. 615.620.626.633.639.641.650.656. 658.662, & ſeq. 786.789. Ludolfus C. 579.677 697.701.721.724.751.783.789.812.820.826. 841.886. Bernhardus 623.655.665.695.789

Everh. Coend. 642.639

Everh. Coninxſteinius comes 698.702, & ſeq. Coning vide Rex. Coning. ædes 665

Coldeborga arx 872.874. Udo Coldeborgius ibid. 528.614.681.684.695.725.914

Coldinga, opp. Dan. 940

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Galo Coldumanus ejuſque filius Igo, vide Galama 538
Colonia 54.ibid. 58.65.77.118,& ſeq.122
Theod. Colonienſis 855
Hildebold. Ep. Colon. 65. *Anno* 92.94. *N.* 108
Reinaldus III. Philippus 116.118. *Engelbertus* 133. *N.* 149.165. *Theod. Moerſenſis* 301
Collumani 359.394.427.476.796.808.815. ibid.
Corbejum cœnobium 72.79
Lubbertus Corenportus 826
Edo Cornwerdius 545 ibid. 547
Cortingia arx vicina Selwerdiæ 198.205. *Henricus Cortingius* 198. *ejus propinqui* 199
Coverdia opp. Dreniæ 20.37.116.142.794,& ſeq.797
Rodolphus Coverdiæ præfectus 103. *Ludolfus* ibid. *III. Florentius* 115. *ejuſque privignus Folkerus* 116. *Rodolphus* 134.ibid.& ſeqq.137.142 ibid.196. *Reinoldus* 196.199. *Hermanus cujus uxor Ida Selwerdia* 205. *Ejus frater Johannes, cum filio Reinoldo,& filius Henricus* ibid. 223,& ſeq.232. *vide Rodolphus Munſterus, Freder. Tuckelius, Joh. Selbachius, Adolph. Rechtraus. Wilhelmus Couſenius Hollandus* 235
Henricus Cranus Gelder. 116
Henr. Crejus 529
Arnoldus Creveldius 357
Cronenbergia arx 182. *Wilh. Cronenb.* 227,& ſeq.
Jodocus Croningus Selandus 824. *Wilh. Croyus* 767
Hayo Crullius Nordanus 332
Reinerus Crummius, Theol. 947
Joh. Cruſius Iſalanus 794
Cunerus rivus 16. *Cunera* 14.227.771.796. *Cuneranus comes* 115. *Hermannus ultimus famul.* 253.258
Cuſomaria 809

D.

Damiata 121,& ſeqq.126,& ſeq.
Dammona oppid. 20.145.ibid.153. (*ejus privilegia* 195,& ſeq.626.) 241,& ſeq.248. 335,& ſeqq. 349.364.387.395.462.591.610 617.625.627.663. *à Saxonib. capta* 715,& ſeq. 736.750,& ſeq.797,& ſeqq.826.886,& ſeqq.889.898.910
Omco Snelgeri Dammonenſis 231.& ſeq.240.289 295. *Popco Dam.* 240. *Jeltco & Gaico D.* 290.263
Dammonenſis rivus 308
Danorum reges converſi 72,& ſeq. *N. gener Radbodi Friſij* 55.61.65. *Gotricus* 69,& ſeqq. *Froto & Haraldus* 111.ibid. *Olaus & Hemmingus* 71. *Haraldus & Regnerus* 72,& ſeq. *Roricus* 75. *Ericus & Gutormus* 75. *Sigebertus & Gotefridus* 79. *in Friſia occiſus* 81. *Gormo* 85. *Haraldus* 86. *SuenOtto* ibid.87 *Canutus Magnus* 88. *Sueno à Friſijs captus* 90. *ejus liberi Haraldus, Canutus, Olaus, Nicolaus* 91. *Canutus & Sueno* 106. *Ericus & Abel à Friſijs occiſus* 158. *Johannes* 588 ibid. & ſeq. *Chriſtiernus* 849.865
Dantumani 395
Daventria 62 92.ibid. 116.135.272.356.382. 794,& ſeqq. 835.850. *vide Tranſiſal.*
David Georgius Anabaptiſta 894,& ſeq.922, & ſeq.
Sixtus Decama 228,& ſeq.236.244. *obijt* 254 *Hetto D. Hettonis fil.* 393. *obijt* 438. *Waltco* 432,& ſeq. *Jaruchius* 816.836. *Sicco* 869.903
Deirorum gens in Anglia 52
Delfſilanus portus 16 19,& ſeq.701.874.878. 888
Delfa rivus Emdæ 150.210
Delmenhorſtum 201.297.388.401.415.421, & ſeq.931
Denerdewinkela arx Groningæ 147
Everh. Denſterus 809
Detmarus Friſius Abbas Romæ 63
Detcra 238.299.339.557
Devera 20.799
Dicanus vide Aggerius.
Dichuſa cœnob. 27.214. *arx ad Dammonam* 303 310.337.579.590.610. *arx Oſtringiæ* 110 219
N. Diepholdius comes 212.245. *Conradus* 298 *occiſus in Friſia* 300. *Henricus* 341. *Conradus Epiſc. Oſnabr.* 415
Otto Diepholdius 695.700.715,& ſeq. 779,& ſeq.
Diluvia in Friſia 6,& ſeqq. *S. Julianæ* 110. *S. Marcelli* 128,& ſeq. ibid. 147.150.163,& ſeqq.
Dullartum faciunt 176.190 206 212. *Dionyſianum* ibid. 214.216.286.292. *Franciſcanum* 309.393.428.618.676,& ſeq.761. *ex imbrib.* 133.143
Dithmarſi 29.93.ibid.104,& ſeq.107,& ſeqq. 158.218.261.454.588,& ſeq.
Ditzumum 8,8. *Reinleſus Ditzaus* 877
Doccumum oppid. 15.16.46.60.& ſeqq.132.179 190. 280. 236. 289. 342.350.360.381.395. 399.425.474.476.479.ibid. 457.770.780,& ſeq.796.804.808.814,& ſeq. *Valle cinctum à Sciringijs* 266. *à Vetcoperis everſum* 267. *inſtauratum à Scir.* 271.284.288. *deſtructum* 623 290. *Doccumanus rivus*
Gerbr. Abbas Doccumanus 165. *Johan.* 474.ibid.
Feyo Doccumannus 229,& ſeq. 232.235.282
Offo Doc. 399.426. *Tiardus Doccum. Oldendorpius* 331
Habbo Doconius 623. *Haringus Hayo* 789
Dodingawerſtallij 257. *Thetardus Dodinga* 149. *Diudo Dod. Hueſgous* 178. *Allerdus* 358 *Docti ex Friſia vid. Ludgerus Ep. Monaſt. Leaſwinus Ab. Davent. Dotmarus Ab.*

Ab. Caſſinat. Wibo Oſnabr. Hildegrimus Halberſtad. Suidebertus Verden. Theodardus, Hermacarus, Rexfridus, Fredericus, Alfricus, Ludgerus, Hungerus, Odilbaldus, Egilbaldus, Radbodus, Gondebaldus, Herbertus Ultraject. Rembertus Brem. Epiſcopi, Gerbrandus Ingaldumæus, & Merico Ripenſis 152. Emo Werumanus, Sibo Marienhovanus, Weſſelus Gansfortus, Rodolphus Agricola, &c. 34. Hicco Cankena, &c.
Dongerani 267.395.796.808
Zallingus Donia 114. Saſcherus D. 342, & ſeq. 351. Eſtæus, Renico, Feldericus 359. Haringus 361. Siricius Haringsma ejuſque liberi Aggo 395. Haringus, Hattiæus, Benedictus, Kempo, Siricius Don. 391, & ſeqq. vide Haringsma. Eorumq́ ſororius Butto Eſæus 392 Bennerdus D. Engweranus 424, & ſeq. Botto ibid. Leo 497.499.540, & ſeq. 730 Dothias 516. Douwo 815. Siricius 818. Bocco 542 Worpius 682
Dornumum pagus 420. arx occidua ibid. 717. familia vide Attena, Cankena.
Sibo Attena Dornumanus, ejuſque uxor Frowa Streſena & filius Sibo Dorn. Eſenſis 341.348 & ſeq. 362, & ſeq. 369, & ſeqq. 973.376. Witmundam occupat 377.378, & ſeq. 388, & ſeqq. 388, & ſeqq. 391.403. obijt 406. ejus liberi ex priori conjuge Onna Stedesdorpia Wiveti Eſenſis nepte 348. Hero D. Eſenſ. & Frowa nupta Edoni Feverano 390.452. ex Margaretâ Addinga conjuge altera Ulricus D. Olderſh. & Sibo 406
Hero D. Eſenſis 390.452. ibid. & ſeq. 455.526 ibid. 535.678.693.698.705.525.776.778. obijt 820. Ejus uxor Armgardis Oldenburgica 526. & ex ea liberi Melchior, Sibo, Caſpar præmortui & Balthaſar, & Onna nupta Ottoni Ritbergico ſuperſtites 820.909
Balthaſar D. Eſenſ. 821.829.849, & ſeq. 855, & ſeqq. 862, & ſeqq. 866, & ſeq. Geldro ſe ſubijcit 867.871, & ſeqq. 875, & ſeqq. 888.897, & ſeqq. 900, & ſeqq. 906. agit de conjugio cum ſorore Edzardi Comitij 899.905. obijt 908 Ejus heres ſoror Onna Retbergica 909
Ulricus Dornumanus Eſ. Sibonis fil. Heronis frater, Olderſhemius 406 ducta Eſſa Haiconis Olderſhemij filia unica 387.531.533, & ſeqq. 579.585 ibid. & ſeqq. 579.620.631.650.661 664.674.688.691.709.710.724.837, & ſeqq. 844.847.854.839.875. obijt 885. relicta ex conjuge altera Hima Beninga filia Margaretâ nuptâ Chriſtophoro Euſumano ibid.
Dornumum, vicus 952
Joh. Dorpius 913. Wilh. Dortrugius 795
Renico Dotiaus 392. ejuſque frater Leo D. Acrumanus ibid. 425. Homco D. Sneccanus 439 Hillo D. 457
Janco Douwema 380.391, & ſeq. Menno 432
Edzardus D. Janconis f. Langweranus 451.539
Haringus D. Abbegaus 592. Epo D. 623.761
Janco D. Oldeboranus vir eximius 684.729.754 759.770.781.783, & ſeq. 803, & ſeqq. 806 811, & ſeqq. obijt 813. Sicco 759.770.781 783
Vitus Drachſdorpius 636.648. ibid. 654.660, & ſeq.
Dracoburgum 931
Drentini 20.36, & ſeq. 59. Ultrajectinæ ditionis 92.116. ibid. 134.136. ibid. & ſeqq. 140, & ſeqq. ibid. 145, & ſeq. ibid. 163.165.198, & ſeqq. 771.795.797.799, & ſeq. 808, & ſeq. Geldro parent. 813.817. ad Burgundos tranſeunt 889
Drentowaldij 140.151.163. vide Groningana Præfectura.
Heino Dreiſchius 801. Drewerda pagus 808
Goſenus Dulkius Groning. 374, & ſeqq. 396. ibid. 423
Dullartus ſinus, 16.20.176, & ſeq. 222, & ſeq. 261
Dunobroeaum Cœnob. 932
Diricus Durenus 867.866. obijt 899. Georgius 873
Durſwaldij 18.177.242.341.365.608.796.805 824
Otto Dutenus Emdanus 326.364. Johannes 372.383.385. Bernardus 423.463
Onco Campius Duxtræus 359. ibid.

E.

EA Weſterwoldia ſeu Reidana 177.222
Eberſteinius Comes 931
Erboldus Ebbena Nordanus 175
Baroldus Ebbinga Groning. 268.292
Eccleſiæ initia in Friſia 41.45.49, & ſeq. 52.53. 59.61. reformatio 785. & hinc pugna cum Pontificijs 824, & ſeq. 827, & ſeqq. 916, & ſeqq. cum Lutheranis 846, & ſeqq. 850 & ſeqq. 881, & ſeq. 892.897.921. Anabaptiſtis 830 860, & ſeqq. 882, & ſeqq. 892, & ſeqq. 922
Edelſhemum vide Eidelſhemum.
Hepco Edema 289. Edena arx 392
Eelda vicus 20.147. ibid. 165.808. Herman. Eelderwoldius ſacerd. Gron. 456. ibid. 490.507.669 673. Henricus E. Secret. Gron. 669.794.820
Eexta pagus Oldamb. 223.256.336. ibid. 356
Eduardus, Britann. Rex 935. obijt 946
Egbertus Theol. Anglus 50.51. E. Aurifaber Conſ. Nordanus 839.872, & ſeq. Eg. Godekini Præf. Groning. 191
Geroldus Eggena Conſ. Nordanus 355.326
Reinerus Egeramus Nordanus 164. Lobbius Egeranus 715
Egilbaldus Friſ. Ep. Ultraj. 76
Egmondan. cœnobium 58.87.95. comes 65. Walmarus ejuſque filius Wilhelmus 173.146.183 202. Florent. 183. Gerardus 227.229.235 237. Johannes 440.444.449.451. Fredericus

ricus 594.ibid. 598.656. Florentius 745.759 772.774.820.849.891. obijt 902. ejus ſoror Johanna nupta Georgio Scenco Tautenborgio 889. & filius Maximilianus 903.910
Eidelſhemum 22. Sibrandus Eid. 303,317.320, & ſeqq.323.357. Eiſenhauſa vicus 247.320
Eidora amnis & Eidorenſes Friſij 29.30.85.238 261
Reinerus Eizinga Huſingaus 231.ibid. Ailco 289
Fejo Eiſinga 289.359. Bennerdus Eiſema 394
Wyntio Elborgius 609
Remboldus Elenga Nord. 112.114
Tiardus Elgerſma 811. Pibo Elixma 280
Ellenſe cœnob. 303. E.arx duplex in Oſtring. 110
Aico Ellerſingius ejuſque frater 416
Elsfleta 24
Emda deſcripta 22.24.27. paulatim à templo ad Delſam, & ultra eam aucta 210. jus monetæ habet ibid. & portorij à Ruperto Imp.ei tributum 257. in ea regiminis forma antiqua ſub familia Emdana 211.(de qua vide infra) Wiardo E.190.211.ejuſque ex filio nepote Campone E. ibid.215. Hiſcone E.218,& ſeq. 221.226 232.239.240.246,& ſeq.246.254.257. (eoque in exilium acto ſub Kenone Broecmerio 259 ejuſque filio Occone 266.275.285.304,& ſeq.) 306. Imelone E 310.320,& ſeq. Eoque capto ſub Hamburgenſib.325.326. regentib.cam: judicib. ſenatorib. ibid.328.335. & Præfecto poſt obitum Foſſa matris Imelonis 326.340 conſtituto ibid. 341,& ſeqq. (Edzardo Sircſena Greth. pro Hamburg.346,& ſeqq. Cataractas Oſterhusâ Emdâ transferente 349.353,& ſeq. Ulrico S.355. electis loco judicum conſulib.ibid.356,& ſeqq.) reddita Hamburgenſib. 364.367,& ſeqq.370. oppignorata Ulrico S. 370,& ſeqq.373. Via Delfenſis 374. arx 383. bilances 384. Sircſenijs Comitib. Friſ. Or. Ulrico ex ceſſione heredum familiæ Emdanæ 385.389.455. & Feudo Imper. 373.391.406 442 458. ſub Edzardo Com. cum Hamburgenſibus tranſigente 462.535.575. ibid.824, & ſeq.837. Ennone 875.877,& ſeq.892.897 & hujus vidua & literis Edzardo 915,& ſeqq.
Emdanum portorij ſeu ſtapulæ jus à Ruperto Imp. 257.344.345.367.376. à Maximiliano 463
Emdani conſules 355.364.372.385.388.391.423 463
Emdani Præpoſiti, Fredericus Emdanus 211. Hiſco E.219.& ſeq. Joh. Fredowoldius 373. vide Fredow. Hicco Cankena D. Dornumanus 256 420.456. vide Cank. Unico Ripperda D.825 vide Ripp. Poppo Manninga D. ibid. vide Mann.
Em. Præfecti pro Hamburgenſib. Joh. Gerberus, Albertus Schrejus, Popco Reindius 364. Wilhelmus Brandius, Henricus Leſſemannus 366 pro Comitib. Egbertus Boijngus Suderhuſanus 372.383. Jarichius Boelſenius & Haro Wynconius 423
Emda munita 318.340
Wiardus Emdanus Præfectus 190.211. ejus ex filio Luerdo nepotes Fredericus, Wiardus, Luerdus, Emco Campo ibid. & hic rector oppidi ob Occone Broecm. occiſus 215. Wiardi filius Wiardus 219. ejuſque & Frederici poſteri 385
Luerdi filius Hiſco, & Wiardus 219
Hiſco Em. Sciringius hoſtis Occonis Broec. 218 221.226.232.239.240.246,& ſeq. 249.ibid. 257. à Kenone Broec.ejectus 259.260.265.278 294. victo Occone Broec.redit 306.ibid. & ſeqq. obijt 310. Ejus ſororis Ewo Weſterhuſanus 340
Imelo E. Hiſconis filius unicus 302.310.317,& ſeq.ibid. ob Hollandos admiſſos 319,& ſeqq. 323.324. ab Hamburgenſib. captus poſt annos XXIV.325,& ſeq. 352.357.obijt 374. Ejus mater Fiſſa 259.325,& ſeq. obijt 340. ex ſorore nepos Eggo Addinga 374.385. & agnati Gerardus Petcumanus & Abco Lopperſhemius 385
Campo Emdanus civis 305. ejuſque filius Scetco 326.364. Joh. Emdanus 353. Hermannus E. 873
Emda vicus Fivelgoæ vide Weſter-Em. 142
Sicco Eminga 623. Emiſgoa Comit. Friſiæ 92.93
Ubbo Emmius 710
Emo Werumanus vide Werum. Emo Ubbonis Nordanus 368.385
Enchuſa 13.183.189.451
Engelmannus Præfectus Freborgicus 458
Englumæa arx 114. vide Groweſtenum. Engwerumum 424
Eningeburgum arx 179.182. Renico Eninga 582 & ſeq. 200
Wicherus Enius Groning. 223
Sebo Ennema Midwoldanus
Bocco Ennius Bolſwerd. 518,& ſeq.537.545
Enrumum vide Fratema & Ernerenſ. 655
Entenia domus
Hildebrandus Entenius 565.579.606,& ſeq. Meijo E. 581. Bertholdus 887. Everh.643 655. Salingus E.476.483. Epiſcopatuum initia, Ultrajectini 53. Oſna Brugenſis 64. Halberſtadij ibid. Monaſterienſ.65. Verdenſis 66. Brem.ibid. Mindenſ.ibid. Hildeſiani, Padelbornij ibid. de quib.vide in Ultraj. Oſnab.&c. 872
Eppingweoa vicus
Henricus Erclenius 738.740.750.771.781.827, & ſeq.887 292
Erkenij 359
Pibo Ernſma
Butto Eſæus 392. Facco Eſechus Snecanus 392
Eſena oppid. 23.26.27.348. à Wibeto Eſ.Ulrico Sircſ.Greth. 349.373. & ab eo Siboni Dorn. donata ibid. 389. à quo ad filium Heronem 452,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

452, & ſequ. 677. & nepotem Balthaſarem 820.858.865.867.897.907. & neptem Onnam Retbergicam pervenit 909
Eſenſe Cœnob. 357. Eſenſhamum in Butjadis 215.ibid.
Wibetus Eſenſis Stedesdorpianus, patre genitus Norderpio, matre Stedesdorpia 348. potens 265. ibid. 266.285.289.295.317.320, & ſeqq. 329.332.348. obijt 362. Ejus filiæ Gela Tammoni Cank. Witmund. 349. & Foelka. Heroni Omconio Stedesdorpio (ex quo neptis Onna nupta Siboni Dornum. 348. 390.) & poſt Ulrico Sircſenæ Grethano ſoceri ex teſtamento heredi 349. Ommo Wibeti frater Nordorpius ejuſque filij Idzo & Wiardus 348 Ex quo orti Folkerſhuſij 349. Vide Sibo Dornum.
Eſonſtadium oppid. 16.47. everſum 131
Eſſaum cœnobium 20.128.809.815
Eſumanum caſtellum Sciringiorum 267.271.284 288.290
Etta Indices Drentini 36
Focco Evonius Euſma Wolterſhemius 263
Focco E. 732
Euſumana arx 579.581.579.609.717. Onno Euſumanus eq. filius Hiddonis Tamminga 308 309,400.408, & ſeq. ejus uxor Gela Manninga Luteti filia 309. Releſus E. 558.565. 631.644.716. ejus uxor N. Haringſma 794 Wigboldus 565. eques 631.716. Abco 565. 577. Chriſtophorus, ejusq; ex Margar. Dornum. filij Ulricus & Onno 885
Ewaldi duo Theologi Angli in Friſia 52,53.58
Tammo Ewena Emdanus 355.356
Tammo Ewingius Petcumanus 352.421
Expeditiones Friſiorum in Snecciam 70. Angliam 38. Auſtraſianos 54. in Hollandiam 94,95. in Selandiam 82.156. in Saxoniam 94,107, & ſeq. in Italiam 68. in Hiſpaniam 63.119. in Aquisgranenſes 149. in Wandalos & Holſatiam 105. in terram Sanctam, prima ſub Godefr. Buhon. 98,99. ſecunda ſub Andr. Hungar. Rege memorabilis 118, & ſeqq. ad 138. tertia ſub Ludovico IX. Galliæ Rege 148 150. quarta ſub eodem 165, & ſeqq.
Ezela pagus Oſtring. 110

F.

Warnerus Faber Senat. Groning. 345.374, & ſeq. 947
Gellius Faber LeoWardianus Theol. Emdæ 897. 916.940
Facinus fœdum 544.554.557.622.661
Joh. Falcoburg. vide Sircſena. Theodor. Falco 682.725. Johannes 736. Fames vide Annona.
Fana vicus 808
Farmſumum 132.135.140.262.ibid. 335. 354.357.634.782.808.860.874.878. & ſeq. 888
Farmſumanus Decanus Sicco ejusque filius Haico nepos Sicco 133.151. ibid. & hujus filius Gaico ſextus hujus famil. Decanus ibid. 169 Rodbernus Rodberni 118. nepos decanatum pro filiolo ſuo impetrat 169. Sicco Præpoſ. 261. Detmar. Rengerus 335.341
Popco Feddema 281.288, & ſeq. Jaclo F. Abbinga Weranus 281.ibid.
Federgonij in Amaſiane 154
Dodo Feitama 258
Sicco Feitſma 289. Heſſelus 425
Ferbildemai vide Onſta.
FerWerda pagus 395
Nicolaus Fotelius Hamburg. 143, & ſeq.
FildWerdia cœnob. 173
Findgoa Comit. Friſia 92,93
FinſerWolda 222.336.ibid.352.356,375
Fiſchmarinæ cataractæ 164
Fivelgoi 17, 64. 130,131, & ſeq. 145.150.165. 198. 206. 209. 231. 256. factionibus agitati 219.292. eorum motus cum Huneſgois 129. 139, & ſeqq. 142, & ſeq. 147.151. cum Amaſaris 118.147. cum Tranſlavicanis ibid. cum Epiſc. Monaſter. 135. & Bremenſi 145 cum Oldamblijs 169. 177. cum Groninganis 134.151.153.208,278.668.808.824
Haijo Fivelingius fortis ad Damiatam miles 124
Ecellus Fiveling defenſor patriæ 135
Fivelgoi Ordines confirmant jura Dammonenſia 195. ſtatuta faciunt 248
Fivelingica Marca 158
FlachWedda 416
Flandria 13. N. Comes Fland. 94. Robertus Friſius ibid. & ſeq. Balduinus ibid. ejuſque vidua Richildis Hannonia ibid. Robertus 98. Balduinus 118. Guido & Johannes, & illius filia Beatrix 157. Margaretha 166. Guido ibid. 181. Johan. Hannonius 185
Flevus 14.31. Flevolandia ibid. à Scellinga inſ. avulſa 131
Gerard. FlorenWegus 202
Floridd Campus vide vet. cœnob.
Focco Ukenna vide Leranus.
Fœdus Friſiorum cum exteris. cum Chilperico Franc. Rege 54. cum Epiſc. Monaſterienſi 240.302. cum Joh. Bavaro Holland. Comite 285. Epiſc. Ultraject. 270
Fœdus omn. Friſiorum inter ſeſe Upſtalſbomicum memorabile 193. Groningæ 206, & ſequenti, 287. LeoWardiæ 281. vide Groningan. fœd.
Fœdus Saxon. & Oldenb. in Friſios 100
Foleſus Sibrandus 220
Folkerdingij Groningan. 155. Siabbo Folkerda Huneſgous 178. Benno 195. Allerdus 199 Albert, 200

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Folkerſhuſij vide Eſenſ. 349. *Nicolaus* 524

Folkerſwerum pagus 295,& ſeq.320

Foſtilandia ſedes Radbodi 31.52

Foſwerdia cœnob. 16.203.229

Joh.Forſterus 778

Tiebco Forteman 99

Nitardus Foxus Franco Legatus Milit. Saxon. 529.537,& ſeqq.540,& ſeq.548,& ſeq. ibid. 554.558.ibid. perijt 581

Francia & Franconia 9.59. *ejus Reges* 38. *Clodoveus & Clotarius* 48. *Dagobertus, Pipinus* 49. *Pipinus Craſſus* 51,& ſeqq. *ejusq; filius Grimoaldus* 53. *ex Drogone filio nepos Theobaldus* 54.*ex concubina Alpaide Carolus Martellus ibid.*55,56,& ſeqq. *hujus filij Carolomannus & Pipinus* 58,& ſeq. *obijt* 62. *Carolus Magnus & Ludov.Pius,vide Rom.Imp. Carol.Calv.*75,& ſeqq. *Carol. ſimpl.*83. *Philippus, ejusq; frater Hugo* 98. *Ludovicus IX.* 148,149.153,& ſeqq.156. *Friſiis Legatos & literas mittit* 165. *obijt* 165. *ejus frater Alfonſus* 150.154. *& Robertus ibid.* *Franciſc.* 755

Ino Francius Huneſgous 178

Franekera 14.114.138.280.443.436.439.ibid. 441.443.446.486.545.ibid. *Obſeſſa à Friſiis* 593,& ſeq.598.804

Andeleſus,Bewo,Meinoldus,Popco Fratama Enerumani 263

Frebſumum pagus 247.320.340

Freburgum arx Ruſtriæ 164.291. *pagus Reding.* 29

Freburgum in Oſtringia 27. *in poteſtate Siberi Ruſtri* 306.317. *Fecconis Lerani* 320.*Com. Oldenburg.* 331. *Helmeri Repſholtani & ejus filij Siricij ibid.*348.358.368.373.389. *Heriris Cank.*413,& ſeq.416. *Thedæ Comit.*420 459,& ſeq.531. *Brunſwicenſium* 700. *Edzardi* 775,& ſeq.

Siritius Freburgicus filius Helmari Reepſholtani 331.355.363.336.372.ibid.& ſeqq.377. 378.383.385.388.390.403,& ſeq.405.ibid. 409. *obijt* 413. *ejus frater nothus Wiardus, & filius nothus Folkerus ibid.* *agnati Cankenij & Sudenburgij Tiardus & Hero-Maurtius Cank. ſororius Egerus Cank.* 414. *ex fratre nepos Tiardus ibid.*413. *vide Reepſh. & Cank.*

Fredoburgum arx Weſtph. 165.171

Fredowoldij 17.132.140.142.147.198.209,210 240.292.796.808.814.817.824

Joh.Fredowoldius Præpoſ.Emdanus 373.385.387 406. 412. *obijt* 413. *Joh.Fr. Paſtor Bedumanus* 650,& ſeqq.659

Freſenburgij 138

Wilhel.Frimmerſhemius 735

Vincent.Friſius,Th. 949

Friſiæ facies 5.8. *felicitas* 6. *onus ab Oceano* 7

Populi antiqui, Friſij, Chauci, Franci 9,10.& ſeqq. *mores* 11.34.37. *partitio antiqua & hodierna* 13. *Ingenium* 31,32.34. *libertatis amans* 32.251. *Inſtituta* 32.35,& ſeqq. *leges* 35. *vide leges regimen & forma Reipubl.ibid.* 32.193.*lingua & nomina propria* 33. *Veſtitus ibid.& ſeq. ſtatura Friſiorum* 37

Friſij temp.Nat.dom ijſdem ſedib.habitant 37 *ſub Chaucorum* 9. *& Saxonum nomine ſæpe comprehenſi* 39,40,41

Friſiorum Inſulæ *vid Inſ.*Fluvij *Kinhemus, Flevus, Lavica, Amaſus, Viſurgis, Albis,& eorum freta vide Kinhem.&c.* rivi, *Cunerus Hunεſis Fivela Jada. vide Cun.&c.* Sinus *Flevi Auſtralis, Utgongicus, Lavicanus, Dullartus, Jadanus, vide Utg.Lavic.&c.* *Diluvia, vide Dilu.* Oppida *everſa, Stavera, Verona, Utgongum, Egonſtadium, Thorumum, vide Stav.Veron.*

Friſiorum Politia 294. *Reges* 45,& ſeqq.ad 53 *Radbodus obijt Medenblici* 55. *ejus filia ibid. & filius Aldegillus* 57. *nepotes Gondebaldus & Radbodus jun.* 58.*ille perit in Hiſpania cum Rolando* 63. *hic* 63.65

Friſ.duces & Præfecti Wicho 69. *Ubbo* 70. *Haraldus Danus pro Ludo. Pio Imp.*72. *ejuſque frater Ericus* 73.75. *Goteſridus Danus pro Car.Calvo Imp.*80. *Sigfridus Dan.à Friſiis occiſus* 81. *Radbodus* 82. *Goſſo Ludigmannus* 88. *Florent.Holl.Comes* 102. *Wilhelmus Holl* 115.117.130. *obijt* 132. *Florentius ejus filius* 138

Friſ.Poteſtates 37. *Goſſo Ludigmannus* 88. *Saco Reinalda* 113. *Regnerus Camminga & Heſſelus Martena* 188. 190. 244. 418. 429,& ſeqq.433,& ſeq. *Juwo Decama* 499. 811

Friſios invadunt eorumq; partem occupant Godefridus Gibboſus 96. 98. *Egbertus Saxo* 97.103. *Albertus Bavarus vide Holland.* 196 244

Friſiorum moneta vide Mon. *Sigillum* *Comitia Upſtalſbomica vide Upſtalſb.* *Converſio ad fidem Chriſtianam ab Anglo-Saxonibus Wilfrido* 41.45. 49,50. *Wicberto & Willibrordo I. Friſ. Epiſcopo & Suidberto coepiſcopo* 52,53. *Wolfranno* 55. *Bonifacio* 59. *Willehado* 61

Friſiorum antiquitates incertæ 12.37.45,& ſeqq. 84

Friſij coloni in Holſatiam & Wagriam evocati 105. *turrim Damiatenſem capiunt* 122,& ſeqq.

Friſius miles primum in Ægypto Saracenum occidit 122. *Rolloni Normanno conſilium ſuggerit* 83

Friſiorum bella Expeditiones, vide ſupr.B.Exped.

Friſiorum libertas antiquiſſima, poſtea ab Imperatoribus poſt Carolum Martellum à Carolo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag,
401 B 23 [1]

rolo Magno confirmata 71. Wilhelmo Hollando Imper. 149. Rodolpho I. 174, & ſeq. ejuſque filio Alberto Imp. 187, & ſeq. Sigiſmundo 268. Frideric. III. 382. 407, 408 Immunita 66. ab Ottone III. & Henrico II. 88, 89. ab Henrico IV. 98. Henr. V. & Conrado III. 83. ob jus Ultrajectino tributum Lothario 102 & Maximiliano I. 562. Hollando data vide Holland. Rodolpho I. Geldro donata 180. 188. ab Egberto Saxone occupata 97 à Saxonibus Geldris Hollandis Monaſterienſibus Ultrajectinis ſæpe petita vide Saxon. Geldriæ &c.

Friſiæ regio prima trans Flevum 13, 14. 47, 48. 65 vulgo Weſtfriſia Weſt-Flingiæ comitatus dition. Ultraj. 95. Hollandis 101, 102. reſiſtit 112, 113. à Florent. III. ſubjugata ibid. ejus jugum abjicit 114. Wilhelmum 115. ejuſque filium Florent. recipit 138. à Wilhelmo Imp. 148, & ſeq. illic occiſo 157. & Florent. V. oppugnata 171, & ſeqq. & ſubacta tandem 179 ejus jugum excutit 182. ab Hannonio caſtigata 183. à Joh. I. victa ibid. ei ſe dedit 184. 187 771. ejus metropolis Verona everſa 186

Friſ. reg. ſecunda à Flevo in Lavicam ejuſque populi tres, præfectura, oppida, cœnobia, vici 14, 15 16. Juriſdictio 35. 61, 64. 77. 130. ab Egberto Saxone occupata 97. eoque proſcripto donata Epiſc. Ultraj. ab Henr. IV. Imp. 98. & Henr. V. & Conrado III. 103. & Theod. VI. Holl. Comiti à Lothario Imp. 102. 754. hinc de ea inter Ultraiect. & Hollandum lis 111. ſopita 112 paret Wilhelmo I Hollando 115. & ſeq. ejuſque filio Florentio IV. 138. poſt motus Hunzigoos 141, 142. 147. & factiones nobilium 172. Hollandum & Ultraiectinum, & Geldrum cui donata erat. 180. 188. repellit 189. 192. Et quamvis quibuſdam Hollandi poſtulata recipientibus 197. factione etiam Sciringica & Vetcoperica agitari cepta 200. clade tamen memorabili Wilhelm. IV. Holland evertit 201, 202. pacto cum Groninganis 204. & fœdere contra Alb. Bavarum Hollandum inito 217

Alb. Bavaro victa 227. & permittentibus Vetcoperis ſubacta 228. parendi ab eo leges accipit 235. ſed iunctis ſibi fœdere reliquis Friſiis ſtudio Sciringiorum eo rurſus eiecto 236, & ſeq. inducijſque cum eo 243. & eiuſdem filio Wilhelmo factis 244. 256. 333. Rempub. format. 244. Sciringij Stavera recepta 258. Decumo munito 266. libertate ab Imp. Sigiſm. confirmata ibid. Vetcoperis qui nondum fugerant 257 regione ejiciunt 265. ab iiſdem quod Joh. Bavaro ſe ſubiecerant, multati 267, & ſeq. eos ſeſe erigentes reprimunt 271. & coram Buntzlovio agentes 272, & ſeqq. vincunt 276, & ſeq. petiti à Foccone Lerano & Vetcoperis 279. Vocato Joh. Bavari auxilio Maccumum occupante 280. compoſitione nequicquam tentata 281 & ſeq. Stavera à Vetcoperis vaſtata 283. Ioh. Bavaro ſe dedunt ibid. Sed ab eo offenſi 286 pacto cum reliquis Friſiis 287, & ſeq. incolumi Bavari iure 288. victo 290. eum regione ejiciunt 291. poſt tumultus à Foccone Ler. compreſſos 293. & fœdus cum Groninganis decennale 309. Sciringiorum motus 311, 312. ſolemni decreto ad biennium ſedatos 358. turbaq; eorundem renaſcentes 358. Weſtergoorum inter ſe & Oſtergoorum cum Groninganis 359. & ſeqq. tandem ob poſtulata Philippi Burgundi Holl. Com. coaleſcentes literis ad Groninganos & Ulricum miſſis 381. Repub. firmata ab Imp. Freder. III. libertatem confirmari & fœdus Oſtergoum cum Groninganis reſcindi curant 382 Sed exortis iterum motib. 391, & ſeqq. Upſterani 392. 427. & Collumani cum Groninganis fœdere ſe iungunt 394. conquerentib. de eo vicinis 395. Poſtulatis Carol. Burg. per legatos ad eum miſſos cognitis 396. & recuſatis 397 eiuſque fautorib. eiectis 398, & ſeq. per literas de eo Groninganos monent 399. 402. de pacanda regione agunt ibid. moniti ad id à Groninganis 404. libertate à Freder. III. Imp. confirmata 407, & ſeq. poſt turbas aliquot 424, & ſeq. quarto quoque viro ad bellum Noveſianum ab Imp. evocato 426. fœdus memorabile faciunt cum Groninganis 427, & ſeqq. in eos tamen imperium à Fred. Imp. petentib. 430, & ſeqq. 433. Hinc oppida 435, & ſeq. 438. creatis IX-viris 439. & omnes Ordines ſe jungunt 440, 441. Weſtergoi cum Groninganis fœdus repetunt ibid. Vetcoperi in Weſtergoa 444. 446 decreto pacis nequicquam facto 449. miſſis ad Maximil. Imp. pro confirmatione libertatis legatis 450. ad Hollandos confugiunt 448, & ſeq. 450. 452. 476. Et tandem fœdus Oſtergoum cum Groninganis ineunt 475. Hinc diſſentib. iterum in Weſtergoa motib. 476, & ſeq. occaſione tributi per Albertum Saxonem à Burgundo 477. & Cæſare petiti Sciringiorum querela de fœdere Oſtergoo 478. & bellum cum Groninganis & ſociis 479. novaq; fœdera 480, & ſeq. & actiones Ottonis Langij pro Sciringijs 483, & ſeqq. 489. & ſeq. 493, & ſeq. 498. Repub. conſtituta 489, & ſeq. 503. 507. & contra eos confirmatio fœderis Oſtergoi Campaduni ibid. 508, & ſeq. 513, & ſeq. Idemq; fœdus poſt Sciringiorum Bolſwerdiæ 515, & ſeq. Vetcoperorum in agro Geeſtano motus 518. peregrinum etiam in Friſiam militem adducentes ibid. contrariantes ſibi invicem Cæſaris in Friſia Legatos 520. 522. renovatum 524. & denuo Wormatiæ confirmatum 533. Unde exacerbati Sciringij auxilio Alberti Saxonis omnia ibi turbant 537 & ſeqq. 548, & ſeqq. 551, & ſeqq. & tandem eidem offerunt traduntq; Rempubl. ibid. Quæ ab eo ſtatim occupata per Wilibaldum Scomburgium 556, & ſeqq. 560, 561 & ab Imper. eidem incolumi tamen Holland co ſeu Burgund. jure donata 562, & ſeq. 576

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

ſed ſub Rectore Hugone Leiſnicenſi rurſus commota 564,& ſeq. 567.570,& ſeqq. & Burgundos jam reſpiciens 572.573 poſt actiones inter Saxones & Groninganos Vollenhoæ 564.574 & Waerdæ 577. ob rigorem novi Imperij Saxoni rebellans 591,& ſeqq. fœdere cum Groninganis repetitio 593. Sed ab eo ſæve caſtigata 597. ob eamque ſævitiem 608,& ſeqq. 615 684,& ſeq. & onera 622,& ſeqq. ſub rectorib. ſex 625. avaritiamq; 681.719.728,& ſeq. oculis ab exulib. fruſtra in Burgundum verſis 574.576.604,& ſeqq. à Carol. Geldro ab exulibus vocato & in fœdus Oſtergoum ſuccedente 671.769. libertate proclamata commota 729, & ſeq. à Saxone tandem 732.734,& ſeqq. Carolo Vto Burgun. & Hollan. Comiti tradita 742,& ſeq. 805,& ſeq. 811.824. & ab eo ſub Florent. Egmondan. 745. Repub. conſtituta 746 Geldrus poſt varios motus 748. 754,& ſeq. 758,& ſeqq. 767,& ſeqq. 771.774 781.783 rebus Burgundicis auctis 785.788.796.801 804. omni tandem regione eſt ejectus 813,815 816.818. Regioneq; ſub Rectore Georg. Scenco Tautenb. pacata ibid. diſſidijs cum Rectore hoc 835.840. & Tranſiſalanis ſopitis 835.850 Anabaptiſtis compreſſis 882,& ſeqq. reformata 840.846. Illic eſt egregia Reſpubl. 869 & ſeqq. 889.903,& ſeq. Rectorq; conſtitutus Maxim. Egmond. 910,& ſeq.

Friſiæ hujus politia reformata 244.358.360.382 428.439.475.499,& ſeq. 593.781.806.811 840.846.869,& ſeqq. Ejus Gubernatores pro Alb. Saxone poſt Wiliboldum Scomburgiũ 556 Hugo Leiſnicenſis 602. Sex Rectores 625. cum Henrico Stolbergio 666.674. pro Carolo Vto Imp. Flor. Egmondanus 745. Georg. Scencus Tautoburgius 818. bellum gerente Waſſenario 813,& ſeqq. Maxim. Egmondanus 910 Aggerum ibidem cura 620

Friſiæ reg. tertia à Lavica in Amaſum.

Friſia minor 17.431. ejus populi 16.17.18. oppida 19.20. Cœnobia ibid. leges 32. juriſdictio 35.36. antiquitates 46. fœdera 129.130 turbis Epiſc. Monaſter. 129.133.135.& ſeq. 168 & ſeq. 173. civilibus inter Fivelgoos & & Huneſgoos 139 & ſeqq. 147.150,& ſeq. & utrorumque cum Groninganis ſæpe commota 134.191.197. tranſactione memorabili finitis 198,& ſeq. fœderib. iterum Groninganis unita 205.206. ibid. 209. & ſeq. 214.219. imprimis poſt motus Alberti Bavari Holl. 231,& ſeq. repreſſos 133.236,239.240.241,& ſeq. & pacatos 248. Collegio Hovetm. Groningæ inſtituto ibid. legib. ibid. ſancitis 250. induciys cum Joh. Bavaro Holl. factis 256.259. Motib. Scirngiorum ibid. per Kenonem Broecmerium ſedatis 263. fœderib. arctius copulata ad decennium ibid. 265.268. ibid. quamvis Groningâ per Ep. Ultraj. ſeparatâ 270. cum Ultrajectin. ibid. Octopagicis & Upſteranis 268. & poſt actiones Buntzlovij 272.277. cum Hollando 285 Tranſlavicanis 287. Hamburg. & Lubecen. 289. Scirngiis exulib. 290. & contra eos cum Occone Broecm. 294. Bremenſi fœdere facto 302. à Foccone Lerano pacata 303.300. memorabili fœdere politia in ea reformata eſt 307, & ſeqq. Sed exulib. Groninga [illegible] Tranſhuneſianos 292.293. & Tranſlavicanos 299,& ſeq. & Focconi [illegible] reliquos in Agro [illegible] fœdere decennali 375.395. & [illegible] 336. 342. imprimis [illegible] Burgundo 396,& ſeq. 402 novo fœdere [illegible] 403 libertate à Frideric. III. confirmata 407.408 412.416.418. (Groninganis tamen ſpe magna ab eo erectis 430,& ſeq. 434.) [illegible] fœdere XL. annorum celeberrimo ſibi conjunxit 441.454,& ſeq. Unde à Saxonib. Groninganorum hoſtib. magno ære ager multatus 556. occaſio ob pecuniam illam ab Edzardo mutuo ſumtam 565. motuũ Edzardi in ea ib. & ſeqq. 569 635. Atq; ita regio hæc & à Saxonibus 565 567. 569. & ab Edzardo Damnorum accipiente 579.583 585,& ſeqq. & rurſus à Saxonib. 631.621,& ſeqq. 6[illegible] & ſeqq. 634. Et iterum ab Edzardo miſere afflicta 629. donec Edzardo dedita 663. à Saxonum ſævitia [illegible] 708. per Carol. Geldrum liberata eſt 7[illegible] 732.735. (Edzardo tamen [illegible] 737.739.745.748,& ſeqq. 751,& retinente ſeqq. 779.) Geldro paret 785. & juratur 789 794. Burgundis 796,& ſeq. reſiſtit 808. à Geldro alienata 807.809.810.812.815.836 & ab ejus militib. miſere vexata 771.824.836 878,& ſequ. Anabaptiſtarum etiam motus paſſa 884. ad Carol. Burgundum tranſit 886, & ſeq. 890

Friſiæ hujus Politia 199.206.209.248.307,& ſeq. 375.403,428.441

Friſia regio quarta ab Amaſo in Viſurgim. Friſia Orientalis ejuſque populi decem 21 22.23 oppida, fora, arces, præfectura, cœnobia 24.25.26, 27. juriſdictio antiqua 58. Leges comitia Upſtalſbomica 190.56.61.64.169. perita à Normannis 78. & Henr. Craſſo Saxone 100,101 Bremanis (vide Ruſtri. Stedingij, Balthaſar Eſenſis) Monaſterienſi 169.170.175.302. turbata actionib. Wangrorum & Oſtringiorum 109 110. Broecmer. & Nordanorum 129,130.132 & ſeq. 146. Reider. & Amaſanorum 142.147 Amaſanorum inter ſe 154. uſque remedium per creatos Fredomannos 175. & his abrogatis 204. turbis renaſcentib. ab Edone Wimeno Ruſtro & alijs 203,204,& ſeq. familijs ibi nobilib. 211. ſub Occone Broecm. ſeniore 215 eam fere occupante 218.225. piratis ibi ſedem relinquente ibid 236.244. ejuſque filio Kenone 245. ejecto Hiſcone Emdano 259. Occone juniore ejus Friſ. Orient. titulum aſſumente 292 eaque reliquis Focconi Lerano, Allenijs 294 290.

296. Sirceſeniis Cankeniis Ruſtris inviſo 297. & victo 302.315. ſub Foccone Lerano 306 & hoc 317.& ſeq. poſt ſocios Allenios 320, & ſeq. filioſque Udonem Uconemq. victos 322 per belli ducem electum Edzardum Sirceſena Grethanum 323. auxilio Hamburgenſium 325 obſeſſo & patria ejecto 327. filiis ejus Ucone 328. & Udone occiſus 330. ſtatere aucto 331 Freder. All. Larletano in ordinem redacto 332 ibid. Occone mortuo ſub Edzardo Sirceſ. Greth. omnia Occonis retinente 357. ejectis in exilium Focconianis Alleniis & Loquerdicis Occonis heredib. 331.335.338.& ſeqq 341.343.& ſeq. Hamburgenſium auxilio Orthanam & Stichuſ. arces ſtruentium 338,& ſeq.341. Emdâ ad tempus Edzardo cedentium 346. ſub Vlrico Sir. Edzardi fratre 352. cum exulib. poſt varia ab iis tentata ibid.356.& ſeq.364.366,& ſeq. tranſigente 372. Hamburgenſib. Emdam reddente 365. & poſt diſſidia cum iis, ibid.367 & ſeqq. ab iis eandem cum Orthana arce recipiente 370. ducta Fecconis L. nepte Theda 372 accepto à Loquerdiis omni Occonis Broecm. jure,& ex electione populi Gubernatoris Friſ. Or. munere 372. titulum comitis petente ab Imper. 373.389. petito armis Ieverani 385. Sub ejus vidua Theda & tutoribus 391. ordinibuſque 403.406.410.422,423.460. & Filio Edzardo Com ab Eſenſi & Ieverano turbata 526 ad 335. religione illic reformata 824.828.846. 850. ſub Ennone Com. ab Eſenſi & Geldris afflata 863,& ſeqq. 867.871,& ſeqq. 875,& ſeq. ſub Ennonis Liberis 912. Vide Broecm. Leran. Sirceſen.

Comitia Friſiæ hujus Upſtalſbomi 323.372. Nordæ 844. Auricæ 896. Silemonachi 900.& ſeq. Auricæ 912

Friſiæ regio quinta à Viſurgi in Albim 27 ejuſque populi 28,29. donata Epiſc. Bremenſi 66. ab eo occupata 172.641.587.778.& ſeq.781,& ſeq.823.830. vide Hade Lerii Werſtenſes. Kedingii.

Friſiæ reg. ſexta trans-Albim Ditlmarſi 29.104 Eidorenſes Strandii Norſtrandii 30.158.258 261. Vide Dith. Eidor. Strandii.

Victor Friſius Hegenſis 458,460.ibid.535.567. 580,581.709.718. obiit 843. ejus uxor Fra Windehamia 395. Occo, Aioldius 873. Wilco ibid 705.707

Waltherus Friſo Hollandus 173.707

Gemma Friſius 34

Edmundus Frundius 490.ibid. Occo 951

Cornelius Funccius 691.705.715,& ſeq.

Ioan. Fuſipodius, Theol. 947

G.

Rombertus Gabbinga 358.361. Sizo 380

Ballo Gaikema Octopagicus 268

Siwerdus 389

Eltetus Gackinga Huneſgous 178

Fredericus Ab. Adoard. 765. Allardus 576 Henricus 735.786. Fredericus ibid. Gaic. agger 704. Galamæa arx 392. familia 131 256. Epo Hartmannus, Igo 99. Galo Coldumanus 358.393.429. ejuſque filii Igo 443.444 448,& ſeq.451.476. periit 477. Douwo 444 449.470 & ſeq.499.517 & ſeq.593.604. occiſus 615. Hartmannus 449.517.& filia 449 Otto Igonis filius 449. Sicco Douwonis f 729 804. Iuwo & Iuco 392

Garmeda pagus 222

N. Gaſbecanus 795

Gaſtai 359. Gaſtæa famil. vide Geeſt.

Iacob. Gaveræus 774

Geelmuda 14.794.800.817.823

Geeſta amnis 28. Geeſtæus populus 359.380.392 425.& ſeq.444.448.538.ibid.

Iuwo Geeſtæus 273. Heſſelus 274.276.289. Renico ibid. Weno Reniconis f. 342. Sizo 359

Gerardus Geldenhavrius Noviomagus 799

Geldria 9.13. Comites Geld. 94. ab iis motus Groningæ, Henrico III. Ottone 115.116. Gerardo 134.135. N. Geld. Comes 145.149.158. Otto 171. Reinoldus Friſiam dono accipit à Rod. Imp. 188. & Alberto ibid. eamque invadit 191,192. Reinoldus & Eduardus 202.402 Adolphus ibid. Arnoldus 444. Carolus 640.642.673. reb. Friſicis ſe immiſcet 722 729,& ſeq.733.748.753.771,& ſeqq.774,& ſeq. ejus res in Tranſiſalania 793, & ſeqq. 797.799.800. & in Friſia turbatæ ob rapinas 800,& ſeq. 804,& ſeq. 809,810.812,& ſeq. 813.819.822.827,& ſeqq. 842.845. hoſtis Friſ. Orient. 863.& ſeqq.867,& ſeq.871,& ſeqq. 875,& ſeqq. & Groninganorum 887,& ſeqq.898. obiit 900. Ejus filius natur. Carolus 869.879,& ſeq. 885,& ſeq.

Gerardus Gelder Emdanus 423.463

Gelekingii Groningani 134.147.152,& ſeqq. Sifridus Gelekinga 178

Genta ſtagnum Broecm. 154. Henr. Gentanus Gelder. 712.774.783

Ioh. Gerberus Hamburg. 364.365.368,& ſeq.

Eizo Gerbranda Huneſgous 177. Douwo G. Tranſlavicanus 380.517.545. Edo G. 604

Gerdeſwerum pagus 295.296.320

GermerWolda 655,& ſeq.

Gerriconium cœnobium 15.16.223.274.287.450 796.809.820. G. Pons 288

Ioh. Giſius Groning. 256

Tammo Gockinga Sudebrocæus 223.231.& ſeq. ejus filius Eoldus 241,& ſeq.260. & hujus agnatus Tammo 242. uxor ibid. filii Haiyo 242. Eppo 307.322.334.341,& ſeqq.345.347 348.352.354. obiit 356. ejus uxor Frowa Sirceſena Greth. 341. mater Sibon. Dorn. Eſenſis 376

Godenſis ditio 27. pagus 110.705. Edo Boyngus Godenſ. Hicconis Werdum frater 363 368.373.377,& ſeqq.385.390.403.406.ibid.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

527. vide Werdum. Haro God. vide Valder.
Conradus Godofrundus 733. Car. Petr. Goeſius 397
Goldſweerda arx 291. vicus 614
Joh. Golſtenius 770, & ſeq. 780, & ſeq. 815
Gorechtij vide Groning. præfectura ſuburb.
Gontumum vicus 244. 446
Weſſelus Gransfortius 456, & ſeq.
Granterij 361
Sicco Gratinga 281
Joh. Gravius Gron. 280. Goſenus 356. 358. 360 374. Berthold. 542. Edzard. 714. Everh. 913. ibid.
Henricus Grawerus 725 913. 915, & ſeq. 918
Rotgerus 913
Thom. Grammerus Archiepiſc. Cantuar. 935
Otto Grellius 612
Gretha pagus, arx, præfectura 22. 373. 379. 384 386. 391. 460. 463. 875. Greth. famil. vide 389. Siricſ.
Joh. Griethuſius 906
Grimerſhemia fam. vide Allena. Beninga.
Griphiswaldij Pomerani Friſios pecunia emungunt 170
Joh. Gripius Groning. 432. 84, & ſeq.
Tiardus Croeſtera 457
Theod. Grollæus 909. Grollana Sylva in Drentia 809. 813
Andreas Gronenbergius Hamburg. 368, & ſeq.
Gronenbergia arx vicina Groningæ 147. 151. 198 & Hammenſis 134. Gronenbergij 18. Egbertus 103. ejuſque nepos Egbertus 134. ibid. 140 142. obijt 147. ejus ex fratre Nepotes Rodolphus & Menſo & filij Godſcalcus ibid. 150. 152 & Egbertus ibid. 153, 154, 155. 178. ibid. ejus filius Adolphus ibid. & hujus Egbertus 191 Adolphus & Ludolphi filij 198. Berthold. 205. Ludolphi ſoror nupta Selwerdio vide Selwerd. ibid.
Groninga deſcripta 18, 19. condita 45. 47, & ſeq. Ep. Ultrajectino addicta 91, 92. 101. 270. 353 397. 511. 615. munita ſepto ligneo & poſt muro ibid. Qui per factiones Gronenbergiorum, Coverdiorum, Supperochiorum, Gelekingiorum deſtructus 103. ijſque renaſcentib. 111. 116. rurſus crectus ibid. 132. ob eas factiones 134. civitate exuſtâ ibid. 147. & vicinis Friſiis ſe miſcente 139. 141. 147. ijſque annonam flagellante 150. ab ijſdem denuò deſtructus 151, & ſeqq. Sed civitas reſurgens juncto fœdere cum Fivelgois 163. Menternenſib. 177. Huneſgois 179 Doccumanis & Oſtergois 190. cum ijſdem, vicinis Friſijs in bellum incidit 195. 197, 198 & muro aliquouſque nudata eſt 199. Inde rurſus emergens auctis rebus ſuis per fœdera cum Scoterwerſiis & Stellingwerfiis 204. Langwoldijs 206. omnib Friſijs ibid. & ijs qui inter Lavica & Amaſum ſunt 209. 210. Huneſgois 214. Medachijs & Humercijs 215. Friſ. Tranſlavicanis 217. Friſ. vicinis 218, 219 Suburbanis 223. (& de ea cum Epiſc. Ultraject. ibid. 225. 248. 384.) Cœnob. Gerricomio 224. Alberto Bavaro eam petenti 232. 235. 239. & oppugnanti fortiter reſiſtens fœdere cum Ep. Monaſter. inito 240. Bavaricos tota regione expellens ibid. Worſtenſib. fœderata 243. Kenoni Broecm. & Scirringijs inimica 247. Epiſc. Ultraject. poſt inducias 241. reconciliata 248 nomen, potentiam, jura ſibi egregia acquiſivit Hovermannis ibi conſtitutis ibid. 256, 257 Scirngicis ſævientib. 259. & ſeq. fœdereq; Huneſgoo ſe munientib. 262. Urbe auxilio Drentinorum à Vetcoperis captâ ejectis 263. & ad Northorniam victis ibid. fœdere cum vicinis renovato 265. 268. Vetcoperorum cum Kenone Broecm. caput, [illegible] Imp. Sigiſm. proſcripta 266. ejuſq; metu Ep. Ultraject. Blanckenb. 260 264. dedita 270. proſcriptionem nihilominus urgente Buntzlovio 272, & ſeqq. Ob eamq; potentiam fœdera cum ea & Fivelingij de libertate ipſorum non minuenda 268. 278. & Scirngij Tranſlavicani 280. 284. 287, & ſeqq. & Hollandus 283. & Lubecenſ. ac Hamburg. 289 & Occo Broec. ibid. (pro eo litis cum Foccon. Uplerano arbitri 295. & executores 296.) Upſterani reliquiq; trans Huneſin 292. ibid. 453 octopagici 297 (conventus loco Rodenâ & Aduardiâ deſignato) & Bremani contra Focconem Leranum 302. pro Occone Vectigal ipſi aurican. remittente ibid. junxere. A Foccone tamen victa repreſſaq; 303. ejus in vicinia latas leges 307. turba 308, & ſeqq. ſuaq; in Agro jura latius promovet 334. ad Amaſum imprimis 335. & in vet. Præfectura 336. 341, 342, & ſeqq. 347, 348, & ſeqq. etiam extra fines Agri vicini cum Worcumanis & Hindelopijs 351 Bremanis 353. Ulrico & Hamburgenſib. ibid. & ſeqq. cum Oſtergois 359. Smalingianis ibid. & ſeq. Weſterwoldijs 362. 365. Hamburgenſibus 364. pro exulibus Friſ. Orient. iſtic hærentib. 357. intercedit 364. 366, & ſeq. paciſq; inter Ulricum & Hamburgenſes autor 368 369.) cum Siricio Freburgico 373. 390. ſeditione ſedatâ 374. & ſeq. 377. templo Ammico 390. & turri Maſt. ſtructâ ibid. 375. 396. 442 cum Sibone Eſenſi & Ulrico tranſigit & paciſcitur 376, & ſeq. Burgundo reſiſtit 381, & ſeq. 397. contraq; eum Urbs munita 384. 400 & Oſtergoo fœdere reſciſſo ab Imp. 381. nova fœdera cum Ulrico 384. cum Upſteranis 392 Collumanis 394. 425. 427. Agrarijs vicinis de cerevſ. Groning. uſu 395. colloquia cum reliquis Tranſlavicanis inſtituta 400. 404. Legati ad Imp. Fred. III. miſſi 407. 412. 416. 418. Weſterwoldij ab Epiſ. Mon. accepti 417, & ſeq. fœdera iterum duo memorabilia, alterum cum Tranſlavicanis 427, & ſeq. (imperio in Friſios per Arnoldum Loum fruſtra quæſito 430, & ſeqq. 434.) & Weſtergois alterum cum Agrarijs in annos XL. 441. poſt irritos de Amaſi in Dullartum derivatione conatus 442. aureaq; moneta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

monet: cudend. jus jamdiu quæſitum 407.412. 431. tandem impetratum 453. cum Smalinganis ibid. 359. & ob diſſidia cum Jeverano Eſenſi Cnipenſi 452, & ſeq. Cum Bremanis 454. & tranſactâ lite Muntanâ ibid. 456. ſupr. 343, & ſeq. 349.354, & ſeq. cum Oſtergois Vetcoperis fedus renovatum 474, & ſeq. Unde bellum trans-Lavicam 479, 480, 481, 482.484. & Actiones, coram Ottone Langio 487.490, 491.507. 509. Imper. Maximil. Campoduni 520.524, 525. & tunc armis fere domita ea regio 539.541, & ſeqq. ad 546. Sed à Sciringiis advocato Alb. Saxone iiſdem erepta 549, 550.553.558.571. Hinc actiones de pace Vollenhoæ 574. Woerdæ 576, 577. & armorum motus contra Edzardum rebus agrariis ſe immiſcentem 579. ſupra 565 & ſeq. 569.635. Foxo occiſo 581. habito nequicquam conventu, Leoardiano & Gerriconio 583. Ulrico Dornum. duce 584. Dammona oppugnata fruſtra 590, & ſeq. Turbatores Saxonum trans Lavicam 593. ab iis obſeſſa 599. Thorenium ſequeſtrum admittit 601, 602.606. Dammonam aggreſſa 609. ab Edzardo prælio victa 611, 612. ab eoque & Saxonib. denuo obſeſſa 613, 614, 615, & ſeqq. Poſt actiones cum Saxon. de pace Aſſenæ ibid. Lipſiæ in Miſnia 616. in ripa Huneſis 617, 620. Vollenhoæ 623. in Cænob. Gerriconio 626.632 Roldæ 631. (per ſcripta 635.) Daventriæ 641. Doeſburgi 643. Hattumi 644.656 Dammonæ 650. variaq; excurſiones 614.634 & ſeq. (munitâ firmius Urbe 638.) 643.659 ab Ep. Ultraject. deſerta 638.641, & ſeq. 645 647, & ſeqq. 652, & ſeqq. 658.660. tandem Edzardo 661. dedita 663 & ſeq. Unde rurſus Actiones Conſtantiæ 669. Monaſterii 674 697. Treveris 678. Coloniæ 682. Stadhagæ & Meppenæ 697. proſcripta denuo 704 ad Geldrium tranſit 720 & ſeqq. 724. arce Edzardi 663. dejecta 727.774. Adoardia 731 Caſtello Huneſano 735. Dammona occupata 758. Geldro paret 794.797.799.804.807 808.812.814. Commota à plebe 820. & conniventibus Geldris 826, & ſequ. 830, & ſequ. 836, 841, & ſeq. (879.) 886, & ſeq. offenſa Burgundis jam diu eam ſollicitantib. 574.576 600. inf. 603.606.613.622.624, 631.640.654 ſe ſubiicit 887. coram iis lis cum Dammonenſib. 898.910, & ſeq.

Groning. Politia 18, 19. 155. Senatus bellicus XVI. virorum 650.655. XVII. vir. ibid. 827, & ſequ. & XXIV. viror. 831.832.841. Hovetmanni 234.248.256, & ſequ. 263.307.309. 333.392.475, &c. Præfecti pro Epiſc. Ultrajectino Egbertus Gronenbergius 103. Lefferdus Coverdius ibid. Supperochii 111.116. Egbert. Gronenb. jun. 134.191. Pro Edzardo Udo Coldeborgius 681. vide Coldeborg. Pro Geldro Caſpar Marwicius 813. vide Marwic. Carolus Gelder. 869. Ludol. Coenderus 886 pro Burgundis. Georgius Schenck. 890. Maximil. Egmondanus 910

Groning. munitiones ſtructæ 101. deſtructæ 103. 116.152.155.199. auctæ in parte urbis Boreali 384. extenſæ in parte auſtrina 400. propugnaculum Botteranum 638. portæ amnica & ſtentillana 773. arx Edzardi 663.727.774 templum Walburgis 103.115.134.147.153 turris 111. Martiniana 375.390.396.442 templum Mart. 153.155. amni cum 390. domus aliæ 147.152.198

Groning. jus, Moneta cud. 135.214.407.413 431.453. jus dicendi abſque appellatione proſtitutum 675.836. Stapulæ 334, & ſeq. 342 375.403.601.663. Cereviſ. Groning. uſus per agrum 375.395.403. Locus conventus Friſiorum omnium 206, 218. & Agrariorum 209.215.250.403

Seditiones Groningæ Gronenbergiorum & Coverdiorum 103 horum & Supperochior. 111. & contra hos plebis 116. Gelckingiorum & Gronenberg. 134. ibid. 147. Sciring. & Vetcoperorum 260.263. plebis contra Senatum 374.377 816.819, & ſeq. 826, & ſeq. 830, & ſeq.

Groninga capta à Rod. Coverdio 103. à vicinis in Agro 151.199. ab exulib. Vetcoperis 263. obſeſſa à Saxonib. 599.613. combuſta 134.147 proſcripta. à Sigiſmundo Imp. 266. à Maximil. 635. iterum 704

Groningana Præfectura ſuburbana Drentowaldi 18. ſub Gronenbergiis 18.103. Lefferdo Coverdio ibid. Supperochiis 111.116. Egbert. Gronenbergio 134.140.151.163. Schwerdiis & Coverdiis 205.223. Groninganis ibid. 225 384

Conradus Groninganus 150.153. Otto Gron. 178

Job. Gronius Groning. 400. Bebbo Groothuſanus Præpoſitus 341.385.387. Groothuſan. arx 340.369. familiæ vide Beninga 211. & Meckema.

Grovii vide Gravii. Dowo Grovingius 510 Abelus 650. Siwerdus Sirtema Groweſtenius Wibonis filius 114. Wibo 190.428. raſus 437. periit 439. Sifridus 571. Growa pagus 550. rivus 178

Wilh. Grumbachius 560, 651.660

Nicolaus Gruterus 277

Thomas Guriſtedius 382

Guſtavus, Sueciæ rex 949

H.

HAZo Habbo legato 933

Bernhardus Hacfortus 867, 868.875, & ſeqq. 879, & ſeq. 887, & ſeqq. 891.897

Jodocus Hacus 728

Hadelerii 28, 29.67.90.92, 93.614.823

Hadzumum 838

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Haga vicus 244.276.385.387. Werembaldus ejusq; filius Albertus Hagani 173. Godefrid. Hagedornius 450
Haijonis Fivelingij virtus 124. Haijo longus 405 414.423
Siptetus Haijena Nordanus 188. Hompo H.Emdanus 423.463. vide Hompon.
Bennerdus Haijnga 342. Haisfelda 385
Jacobus Haldenius 493
Hanſius Halberſtadius 835
Joh.Hallewinus Hollandus 398
Hamburgenſes 28.73.85.202.245.249.253.289 & ſeq. 301.310 318. Imelonem Emdanum Hiſconis f.249. abducunt 325.328,& ſeqq. ad 332,& ſeqq.338.389,& ſeqq.341,& ſeqq. 346.351,& ſeq.354.364,& ſeqq.367,& ſeqq. Emdam Ulrico tradunt 370.455,& ſeq.456. 462. Hamb.Cereviſia 462
Hammæa arx 134.579. Aſigo Ailcama Hammenſis 565.577.609.631.635
Menardus Hammenſis 871.875.886,& ſeqq. 889.891.907
Hampela rivus 461.953
Vitus Hamſtedius 186,& ſeq. Anton. 202
Hannoniæ Comites 94. Adelheidis 158.N.181 Joh.183.185
Galo Harnia 228,& ſeq. 236.244. obijt 258. Galo 281. Worpius 474.ibid. Bouwo 604.ibid.
Herman.Hanſovius 260. Otto 374
Hero Harcama 622
Hardenberga 20.137. Alb.Hardenb.915,& ſeq.922
Albert.Hardenburgius Theol. 927.940.946. 948
Habbo Harenius Emdanus 709
Haricha 448. Menno Harichanus 444,& ſeq.
Haringus Haringſma Haganus 244. Aggo H. Slotanus 289.ibid.290. ejuſque frater. Siricius ibid. Siricij filij Doniæi. Vide Donia. Bocco Snecanus 357,& ſequ. 361.391,& ſeq. obijt 395 ejus filius Wattejus Slotan. 391. Aggo, Joh. Petr. Siric. Sitio 425. Juwo Slot. ejuſque uxor Witia Juuſma & filia Lutia uxor Sicconis Siarda Jun. 485. Petr. Snecanus ejuſque ſororius Juwo Juwinga 436.ibid.& ſeq.438,& ſeq.444 ibid.448. Renico Snecan. 445. ejuſque uxor Juwingia ibid. Hartmannus Haganus 451 Feico Snec.438. ejuſque fil. Bocco 441.448. 451.476,& ſequ. 481.ibid.484.493.517.ibid. 542.ibid. 493.537.550.555. ejus gener Releſus Euſuman.794. Henr.Snec.489.669. Jarichus 516.560. Douwo 499.502 ibid.512 534. Sitio 499. Wattio 558.ibid.595.604 Ulricus Harringius Nordan. 933
Harlemum 87.98.103.113.171,& ſeq.186. Cleinius Harlemæus 824
Gerardus Harlemæus Hollan.173. Theod.182 Harl Cereviſ. 446
Haijo & Menno Harleſij 264. Haijo ejuſque uxor ibid. occupat Ruſtriam & Jeveram 350 vide Ruſtri.
Harlingij populus 23.109,& ſeq.130.154. 320.327.331,& ſeq.363
Harlinga oppid 14,15.289.359.517.544.549. 550.804,& ſeq.
Wilhelmus Harræus 556
Otto Hartingus Groning. 191.ibid.
Haſcheran.cœnob. 395. Haſſeltum oppid. 794. 799.517
Philip.Haſſiæ Lantgravius 951
Havela vicus 67.798
Hattemia arx 799. Lubbertus Hattemius Campenſ. 810
Copius Hattenus Vollanus 352,& ſeqq.355. Wilhelmus 530. Nicolaus 609.873 250
Joh. Hetcumanus Groning. 388
Copius Hedenſis Weſtph. 31
Heſſeſunda inſul 29
Heida oppidum Dithmarſ. 931
Joannes Heideccius 188
Janco Helbada 946
Helleſgnora opp. Dan. 954
Martin. Hellingius, Legat. Dan. 177
Hellumani 801
Herm. Heltus 651. Herm. Hellius Menno
Hemelumanum caſtellum 517.537 731.ibid. Hemkius
Adolphus Hemmema Berlecomius 545,& ſeq. Doco 480. ejus uxor 546. arx ibid.549 535
Joh.Helmſtedius Holland. 289
Hemſtrai 539.685. Abbo Hemſtra 361.515.571,& Sippo 359.425. Taco ibid.361.515.521. Menco ſeq. Sizo 479. Feico ibid.484.521. Sizo 479 716. Butto Oldehemſtra 359. N. nupta Rodolph. Munſtero Runenſi 685,686
Hengiſtus & Horſa 39,& ſeqq.42,& ſeqq.52. 54.
Henricus, Britanniæ Rex 935
Botto Herbranda 622 Joh.Herderius 297 169
Hercwerdus Luſcus
Heremæa arx Bolſwerdiæ 436. Watzo 99.102 Tiardus. Johan.425. Benedictus & Jonco 450 Taco 499.517. Geroldus 811.841 227
Herenbergum
Aggo Heringa 274. Eelco & Aſigo 288,& ſeq. Haijo 433. Renico 435. Suſcherus 499
Eibo Heringius 761. Imelo H. Emdanus 295 326 711
Nicolaus Hermelingus 74
Hermacarus Friſius Epiſc. Ultraject.
Ubbo Hermana 47.99. Heſſelus 101. Wibrandus 279,& ſeq.289.ibid.& ſeq.
Hertwerda 244. Gerco Herwejus 359. Botto 438. uterque 476.484. Gerleſus 622 258
Goſlicus Heſſelinga 230.235. Hiddo 558
Epo Hettinga 444.448.503. Douwo 516. Benedictus
Hevenſche pagus 335.634. Heverus amnis 30
Hiddemæa arx 392,& ſeq. Goſlicus H. Pinguimanus 256. ejus filius Jodocus ibid. & ſeq. Douwo 443.592

Hieroſolymæ Reges Godofr. Bulion. 99. ibid. Balduinus I. ibid. Balduin. II. 103. 118. Johan. 126, & ſequ. 131. 133. Carolus Siculus 167. Hieroſol. expedit. vide Expedit.
Menno Hillæus 499
Hildegrinus Friſ. I. Halberſtad. Epiſc. 64
Hilgerica cœnob. 17. 20. 114. 222. Hilgerlapidia Inſ. 31
Jacob. Hildebrandus Groning. 649. 721. Johan. 804, & ſeq.
Beyo Hillerſna Nordanus 332
Hillingia factio 219
Hindelopa 14, 15. 279, & ſeq. 283. 289 291. 350 388. 449. 452
Betto Hinkena Nordanus 332
Habbo Hintanus 190. 214. Haico 357. vide Allena, Ripperda. Hintani 154. 266. 296. 320, & ſeq. 328. 370
Hocanus portus 23. HochtWolda 13. 156. 173
Hochſtraten Comes, vide Lalair.
Joannes Hoernemannus, præfect. Nord. 927
Hoeſdena 94. Hoexiorum factio 202. 451. 440
Melchior Hofman. Anabaptiſt. 860, & ſeqq. 882. 892
Henricus Hoijenſis Comes 144. 930. Gerardus 207. Otto & Iohannes 298. Iohann. 318, & ſeq. 388. 409
Ludolfus Hoijerus Brem. 843. Theod. 906, & ſeq.
Sibo Hoikenius 612. 710
Gabbo Holdinga 359. Botto 425. 479. 483. 516. & ſeq.
Albert. Holtmannus, Th. 949
Vetto Hommius, Th. ibid.
Georgius Honius Lorarthæ arcis præfect. 953
Hollandiæ 9. 52. Comites Theodor I. 76, & ſeq. Theod. II. 87. Arnolfus, Sifridus 88. Theod. III. 89. 90. Theod. IV. & Florent I. 94. Robertus Friſius ibid. Godefr. Gibboſus Lotharingus 95, & ſequ. Theod. V. ibid. Florent. II. 101. Theod. VI. ejuſque mater Petronella Lotharij Imper. ſoror. 102. & filius Flor. III. 110. & ſeqq. 113. Theod VII. 114, & ſeqq. 117. Theod. & Balduin. Epiſc. Ultraj. 115, & ſeq. Wilhelmus I. 114. à Friſiis occiſus 117 ejus frater 119. & filius Florent. VI. 138 145 & ſeq. Wilhelm. II. Imp. 148. ejus uxor ibid. & ſeq. 157. 171. Florent. V. ibid. 158. 171, & ſeqq. 179. à Ger. Velſco occiſus 181. Johannes I. 183, & ſeq. ultimus ejus famil. ibid. Joh. II. Hannonius Holland. Com. 185. Wilh. III. 189. 195. & ſeqq. Wilhelm. IV. à Friſiis occiſus 201 & ſeq. Margaretha & Wilhelm. V. Bavarus Hollan. Com. 202. obijt 205. Alb. Bavarus 207. 217. 227, & ſeqq. 231, & ſeqq. 234, & ſeq. obijt 243. Wilhelm. Oſtrovantius 226, & ſequ. 243, & ſeq. 253. 256. 258. 266. Joh. Epiſ. Ultraj 253 256, Joh. Bavarus 267. 274. 280 ibid. 283 ibid. 284, & ſeq. 286. 288. 291. obijt 293. Philipp. Burgundius Holl. Com. 340. 343 & ſeq. 346. 381. 383. obijt 395. Carol. Burgund. 396. 403, & ſequ. 410. 412. perijt 415 Maximil. Auſtr. Imp. 415. vide Rom. Impp. eiuſque filius Philippus A. 493, & ſeqq. 496. 563. 574. 576. 593, & ſeq. 600. in f. 603, & ſeqq. 606. 613. 618. 620. 622. 624 631. 640. 654. obijt 673. Carol. V. Imp. 674. 742, & ſeq. 745, & ſeq. 785. 788. 796. 801. 804. 813. 815, & ſequ. 818. 886, & ſeq. 890. vide Friſ. regio ſecund. & tert.
Hollandi Comit. cum Friſiis bella 87, 88, 89, & ſequ. 96. ibid. & ſequ. 102. 113. 157 172, & ſeq. 179. 183. & ſeq. 189. 196. 201, & ſequ. 226, & ſeq. 229. 231, & ſeq. 235. 280. 283. 291. Actiones de imperio 267. 274. 591. 396. induciæ 243 & ſeq. 253. 256. 259. 266. tranſactiones & iura in Friſiam quæſita 94. 102. 114. 117. 130. 138 148, & ſeq. 231, & ſequ. 283, & ſeqq. 288. 383 562, & ſeq. in Friſiam trans Flevum 179. Friſiam trans Lavicam 742, & ſeqq. 818. Friſ. à Lav. in Amaſum 231, & ſeqq. 886, & ſeqq. Friſ. cis Amaſum 217. 231. 340. 343, & ſequ. 346. 766. 866, & ſeqq. & Friſiam univerſam 562, & ſeq. 576. 742, & ſeq.
Holſatiæ comes Adolph. 105. 108, 109. N. 181. Nicol. 218. Albertus 238. Henricus 301, & ſeq.
Petrus Holtenus 643
Holtlanda & Holtmergaſta 405. HolWierda 336
Teto HommerZius 289
Hommingagaſtum & Hommingahamũ pagi 222
Hommo Homminga 99. 102. vide Humminga.
Haijo Homponius Emdanus 354, & ſeq.
Henricus Honericus Gron. 812. Geor. Honius 872
Joach. Hopperius 34. Tiadmarus 230. 235
Horna oppid. 13. 55. 440. 451. 795. 798. N. Baro Hornanus 202. Arnold. Ep. Ultraj. 223
Hornaa arx 544, & ſeq. Abbo Hornæus 477
Hornekingij Gron. 200. Bern. 259. 261. 432. 441 Radingus 259. Ludov. 343. 350. 354, & ſeq. 602. Ioh. ſen. 400. 789. 826. Joh. jun. ibid. Ludolfus 576. 602. 620. 626. 650. 656. 658. 662, & ſeq. 665. 739.
Joh. Hornemannus 897. 912. Ludol. Hornius 274 Henr. 397
Horſa Hengiſti frater 43. vide Hengiſtus.
Horſta pagus 110. 355
Hottingia arx in agro Niclandico 437. Hero Hottinga 230. 235. Haringus 425. & fratr. 441. 451 519. 543. JuWo 476. ibid. ejuſque filia 480. ibid. 519. obijt ibid. Hero 444. 499. 517, & ſeq. ibid. 536, 537. 547, & ſeq. 550. 555. 608. Jarichus Franequer. 436. 392, & ſeq. 545, & ſeq. 582, & ſeq. 816. DouWo Tetæus Hott. 450. 870. Ejusq. pater Epo 358. 451. ibid. 458
Hovetmanni vide Groning. Polit.
Godefridus Hovius Gron. 223. Joh. 240. 263. 265
Menno HouWerda Muntenſis 231, & ſeq. 241. 260 263. 266. 289. 307. Ailco 322. 334, & ſeq. 341, ſeqq. 345. ejus agnatus Eggo 342. & uxor Hiſſa 349. 354, & ſequ. filij Menno Dammonenſis 387. & Snelgerus Uphuſanus & eius ex Occa Valderana ibid. 390. 406. liberi 387.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Eſſa nupta Folcmaro Allen.Ben.ibid. Geroldus 454.456. Ailco 456.532.ibid. ejuſque uxor Fya Windehamia 395. Hicco H.Uph. 879, & ſeqq.397. obiyt 899
Aſigo HoxWirius 517.595.613.635. Hector 34.869.903
Erneſtus Hohnſtenius comes 691 697
Hubaldingij Groning.155. Everh.260.308.374 428.432
Georgius Hudanus 863
Hugingij ſeu Huingij Groning. 155. Gerardus & Johan.188. Thezo & Herman.200. Reinoldus 232.259.260.263.268.270.289.295. Johan.289. Albertus 309. Lambertus 823 Rodolphus 639.694.750.789.826
Hulsferdia 196
Heſſelus Humalda 359
Hummerzij 17.61.64.140.198.206.215.219.240 263.288.292.308.310.808.814.824
Hummo Humminga 289. vide Homminga.
Huneſis flu. 17.19.151. Groningam DerWatus 163. Huneſgoi 17,18. eorumq; bella cum Fivelgois 129.139,& ſeqq.142,& ſeqq. & hinc pax 151. cum Groninganis 134.151.153. cum Hamburg.202. factiones 177.219.231. leges 152.250. fœdera cum Groninganis 139.178 ibid.214,262. Medachijs Hugemerzijs 140 310 Trans-Lavicanis 141,& ſeq.147. Sigillum 178. vide 145 151.198.206.ibid.231. 240.668.808.824. Media Præfectura 262.310
Hungerus Friſius Epiſc.Ultraj. 76
Hemmo Huninga OſtWoldanus 223
Joh Hunius Gelder 493
Hunta fl.24. Tammo Huntorpius Stedingius 146
Huſa opp.30. Huſani in Amaſan. 132.154.ibid.
Haijo Huſechus Eſenſhamius Butjadus 216
Huſingij in Fivelgoa 132.231
Joh.Huſmannus 483.ibid.
Hyems aſpera 238.618.689.829.875.911

I.

IAdaſinus 23
Pibo Jaddeus 476
Menno Jajema 342.359. SiWerdus 399
Janſumum pagus 176.222.375
Jargæ Coppenij Groning. 200. Jarges Coppenus Staveranus 232.ibid.240.256.259.& ſeqq.ad 253.265.279. Staveræ occiſus 282. Coppenus 232. Everhard. 335.345.ibid. Luerdus 374. Albert.612. Thezo 694. Eizo 799 Johan. 832,& ſeqq.841,& ſeq. ejusq; fil.Everh.786.828. Herm. 612.599
Wobbo Jarichæus & Uffo 359. Wibo Accrumanus 437,& ſeq.440. Rembertus 507
Poppo Jaringa 476
Bocco Jarla 342. Botto 359.562.572. Gabbo 426. Menno 474.ibid. Popco 477. Auco 557 561.572. Renico 572. Amco 759.781
OuWo Idama 428. Iderana Præfect. 441
Iderhova 461. Jelteo Iderhovius 725.756.839 856
Idola Friſiorum 21.45.52.ibid.
Hicco Idzinga Nordanus 164.175. Poppo 191. 197. EWenardus 211.ibid.& ſeq.214. Liwerdus 218,& ſeq. EWenardus ejusque ex Sibba Allena filia Hima Udonis Lerani uxor 262 322.330,& ſeqq. 337.346. & filius natur. Fredericus 332
Ziallingus Jellinga 604.608. Leo 393. Heſſelus Jelgeri 437 394
Mecco Jeltcama
Jemgumum 26.385,837,& ſeq.871,& ſeq.
Jenlotum pagus 215.297.320 228.342
Jacbo Jeppema
Jevera 23.26,& ſeq. paret Edoni Ruſtro 219. ejuſq; nepoti Sibeto 253.370.842.866. Feudum Burgund.868. Jeverana famil.vide Ruſtri. 439
Aſigo Iglaus Snecanus
Ila cœnobium 27.136.173.191.214.254 519
Ilſt.115. Martinus Ilſtanus Hiſtoricus arx 220
Inhuſanus portus 23. ditio. vide Cnipenſ. ejusque parentes ibid. Popco Inenius Inhuſanus ejusque parentes. Rustri 219 uxor, filia Algethe uxor Dodeconis Ruſtri 219 & ſeq.253. Hilleda nupta Iconi Onkenio Cnipenſi 220.362.& Hiſa 363. & ex ſorore nepos Hero Sandelius ibid. periit 220. Ico Onkenius Inhuſ.& Cnip. ejuſq; uxores Hilleda Inhuſana 220 262. & Hiſa Cankena 263.& liberi Tiadera nupta Heroni Sandelio 363,& ſeq.368 Alco 362,& ſeqq. 367,& ſeq. 377.383.385. 390,& ſeq. 403.406. obiyt 411. Wilco Gerco 362.367. Bindeleſa ibid. nupta Lubboni Cnipenſi 411.454.458.527. Foleſus I.Alconis filius 458.527,& ſeq. ibid. 535.700.706.709.718. 775.778.ibid obiyt 864.866.ejus filij Ubbo 866 Ico 858. Tido ibid.868,& ſeq.905.910.912 339
Popco Inenius Slotelburgicus 31.130
Inſulæ Friſ.
Jongamea arx 256. & JuWingia 436.516. Bolſwerdiæ.
JuWo JuWinga Bolſwerdius 227,& ſeq. ejuſq; filij Goſlicus Ju. Bolſwerd. & Tiarco Walta Tiarcowerd. 435
Goſlicus JuW.Bolſw. 435.380.392,& ſeq.398. ejuſque filius Tiardus Jongama 394.257.280. 289. obiyt 355. & hujus uxor Witia Juiſma 394.435,& ſeq.450. & ex ea privigna Lucia Haringſma Sicconis Siardæ uxor ibid. filia Anſca ibid. & filius Goſlicus Jongama Bolſw. 394.435,& ſeq.450.477.516,& ſeqq. Saxonem in Friſiam vocat 536,& ſeqq.540,& ſeq. 546,& ſeqq.549.ibid.553.555.559.704. Geldrorum hoſtis 730.pro Burgundo 746.814.816
Tiarco Walta JuWingans Tiarcowerdanus 230.235 256.435. ejuſque filia Anſcea 435. uxor Reniconis Haringſma 445.& filij JuWo JuW.Bolſwerd.435,& ſeq.443,& ſeqq.450,& ſeq.476 ibid.& ſeq.499.503,& ſeqq.516,& ſeqq.519. 523,& ſeq.537.543. ejus uxor N.Haringſma 436. periit 549.553.& Tiarco Walta jun.435 476.ib. 503.516,& ſeq.524.547.549,& ſeqq. Saxonum hoſtis 592.604.609.772
Ado

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Ado Jongama 289. Gerco 361. Kempo J. Raerdanus Edon. fil. ejuſque frater. 392. obiit 395. Heſſelus J. Boſumanus 358. ejus ex fratre nepos Ado J. Geeſtanus 425. & ſeq. 438. & filij Edo J. Geeſtanus XIII. vir Doccumanus occiſus ibid. Edo J. Raerdanus 436. 499. 520, & ſequ. 546. 553. 593. 604. 623. 682. 704. 754. 759. & Epo Boſumanus 425, & ſeq. 436. Heſſelus 438. 442, & ſeq. periit 598. Hetto 450 Remco 816. 818. Kempo 609. 816. 818
Wazo Jorlſma 174
Iſcolga pagus 285. 343. Iruſumum 392, & ſeq.
Iſala fluvius 130. Iſelmondana arx 96. Iſelham 253. 257. Iſelſteinium 171. 182. Florent. Iſelſt. 451
Arnold. Iſenburg. Ep. Ultraj. 116. Theod. Episc. Monaſt. 129
Joh. Iſebius, Theol. 934
Joh. Iuerſhemius 277. Johan. 571. Rodolph. 794
Worpius Jucama Leon. fil. Buxumanus 448. ibid. 447. ejuſque frater Hommo 437, & ſeq. 440 & Trallingus 438. 541. 571
N. Comes Juliacenſ. à Friſiis occiſus 109. N. 165 Wilhelmus dux Jul. 677
Juſta inſula 31
Wopco Juuſma Reinſmageeſtanus 393. 435. 443 ejuſq. filius & filia & Wina 393. nupta Juwoni Haringſma 435. & Tiardo Jongama 393. 435, & ſeq. 450. Johan. J. 425. Geroldus ibid. Jello 437. Gaico 428, & ſeq. ibid. Jemmo 622 680. 684. Juwo 770. 781. 783, & ſeq. 803. 806 811. Onno 483
Juwingea famil. vide Jongama.

K.

KEdingij 29. 172. 181. 200
Keno Keenſena Nordanus 188. Dodo 289. 296. 303. vide Broecm.
Epo Kejus 392
Edo Kempius 280. 311 Auco 571. 595
Gerhardus Kenemannus Groning. 507
Robertus Keppelius 726
Georgius Ketelius, Anabaptiſta 924
Godefr. Ketlerus eq. 535
Joh. Kilnerus 429
Kinhemus flu. 13. 77. Kinhemarij 102. 156. 171, & ſeq.
Joh. Kitzingenſis 674
Koning vide Rex.

L.

LAga arx 819. 823
N. Lalainus 440. Anton. Lal. comes Hoochſtratenus 742. 774. 799. 804. 810. 846
S. Lambertus 53
Langa cœnob. 179. 296
Herbertus Langenus Weſtphal. 327
Rodolph. 417. Wilhelm. 774. 783
Langeroga Inſula 31
Hanſius Langeſtratenus 877. Barius Langeveldius 486
Langhorna vicus Strandiorum 30
Herbertus Langius 931
Otto Langius Legat. Fred. III. Imp. in Friſia 483 & ſeqq. 486, & ſeqq. 493. 496, & ſeq. 501. 504 506, & ſeqq. 509. 520. 525
Arnold. Langobecius Hamburg. 462
Langowaldij 17. 142. 147. 198. 206. 209. 220. 240 263. 292. 303. 310. 771. 808. ibid. & ſequ. 814. 824.
Langwera 451. 871
Langwerda vicus Ruſtriæ 245. 411. vide Cnipenſ. & Ruſtr.
Larletum 21. munitum 320. captum 342. 358, & ſeq. 385. Larlet. famil. 211. Haitetus ejuſque filij Haitetus 245. & Enno ibid. 246. 295, & ſeq. obiit 249. ejus uxor Sibba Attena & hujus frater Haro All. & ex eo nepos Fredericus vide Allen.
Johan. Laſco Theologus Emdæ 908. 915, & ſeqq. 923, & ſeqq. 940. Germanicæ Gallicæq; apud Londinenſes ephorus 946
Witio Laſius 598
Lavica flu. 14. 16. 46. 61. 130. 285. 288
Albertus Lawius 534
Lea forum 27. Leaſwinus Abb. Daventr. 62
Lebuinus Theol. Anglus 52
Legati in Friſiam à Pontifice Oliverius vide Oliver. tres nobiles Weſtphal. 136. Wilibrandus & Albertus Episc. Rigenſ. 148. Gerardus & Gerbrandus Doccumanus 165. ab Impp. Nic. Buntzlovius & Henr. Clant 264. Sifrid. Windingus 266. Thomas Guriſtedius 382, & ſeq. Arnoldus Lous 429. 432. Otto Langius 483 493. 520. Conr. Ampringius 519. 522
Leges Friſiorum conſcriptæ 71. auctæ 175. excuſæ ibid. 282. 292. 307
Leida 87. 95. 117. 155. 924. Balduinus Leidenus 554
Hugo Leiſnicenſis comes Friſ. Gubernator pro Saxone 602. 605. 608. 613. 615. ibid. 617, & ſeq. 620. 625. 635. 692. 700. ejus frater Alexander 622
Hanſius Leunus 615
Eltetus Lellenius 558. 732
Lemmera 257. 448. 807, & ſequ. 814. caſtellum 290, & ſeq.
Guilhelmus Lemſius, Antwerpienſis 927. 939. 946
Lengani 22. 109 298, & ſeq. 324. 332. 373. 378. 385. 389. 401. 405. 414 885.
Rodolph. Lenneppius 720. Theodor. 785
Herman. Lentius 915. 918. 921. 941
Leones Groning. 200. Meinoldus Lewe 188
Lubbertus 195. Johan. 199. Gerardus 593. 694 Herman. 641

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

Nitius Leo 499
Leonini Worpius, Hommo, Ziallingus, vide Jucama.
Leowardia 15.114.264.269.281,& ſeq.289.360 ibid.381.396.400.402.426.& ſeq.432,& ſeq. 437,& ſeqq.443,& ſeq.446,& ſeqq.449,& ſeq. Groninganis federata 480.497.521.545 557.560.ibid. Saxoni paret 561.464. rebellat ibid.570,& ſeq. ab eo caſtigata 573.582. 598.759,& ſeqq.796.
Leoward.Olderman.Wattio Caminga 427. Kempo Unia 429. Petr.Sibrandus 447. Wibo Sacolenus 761
Henricus Leowardius 842. Gellius Faber Leoward. 897
Lera 26.674.824.828.874,& ſeq.888.943. arx munita 318.diruta 327. Præpoſitus 355 387
Focco Uconis fil.Leranus 237,238.263.265,& ſeqq.279,& ſeqq.285.289.290,& ſequ.293, & ſeqq.296,& ſeqq. Epiſc.Bremanum vincit 299,& ſeqq.302,& ſeq. Occonem capit 304,& ſeqq.307,& ſequ. Hiddonem Tamminga ibid.309,& ſequ.317,& ſeqq.320,& ſeq.323,324.326. exul 327,& ſeqq.331.333 335. obijt 337. ejus ſoror nupta Luerdo Uttumano 302. filij Uco Udo Syo 309. filiæ Amca Sibeto Ruſtro 297.337.387. Bawa Ewoni Tamminga 309. Ulſconiconi Ripperda nupta 337
Uco Ler.Olderſhemius 256.294.302,& ſeq.305 & ſeq.321,& ſeq. occiſus 328. ejus uxor Heba Attena 256.322.372.395. & ex ea filia Theda ibid. nupta Ulrico Sircſ.Greth.372,& ſequ.387.390. vide Sircſena ejus Vitricus & fratres 387.395
Udo Ler.Nordanus 284.294,& ſeqq.302,& ſeqq.305,& ſequ.310.317.319.321,& ſequ. 329. occiſus 330. ejus uxor Hima Idzinga 284,& ſeq.294.331,& ſeq 337. obijt 346
Huijo Uniconius Leranus 899
Lerortha arx 27. ſtructa 339.368.370,& ſeqq. 373.389.455.829.844.872.932
Henr.Leſſemannus Hamburg. 366,& ſeq.
Caſparus Levius Hollandus 811
Eltco Levinus 715,& ſeq. Ziallingus 541
Eilco & Sicco Liaucama 99. Epo ibid. Eelco 197. Sicco 279.280. Scelto 499.517.554. 582,& ſeq.592.605. Aggo 604,& ſeq. Sicco 730.803.ibid. Epo 870
Lidda pagus 222
Sibodus Lidlumæus 114. cœnob.Lidl. ibid.197 200.281.428.545.811.
N.Baro Lignæus 202. Joh. Lindenius 887
Linga 953
Joh.Lingius Emdanus 326.388.391.942
Joh. Liodſius 499
Lipperheida 955
Otto Com.Lipp.Epiſc.Ultraj.128. Theod.Præpoſ.Daventr.135. Gerardi duo Ep.Brem.144 Hermao.145. Otto Ep.Monaſt.148. Gerardus 158. Simon Epiſc.Paderborn.158. Simon 687
Liſmona 91,& ſeq.
Loenſes Worſtenſ.vicini 257. Loga vicus 879
Londinum Angl. 43,& ſeq.
Lopperſhemum in Fivelgoa 20.132. ejus Decanus 133. Repertus 152. Jacob.Beijerus 292 Ulferdus 577.615.ibid.619.626.789
Lopperſhem.in Amaſana 215.ibid.217.247.320, & ſeq. Abco Lopperſh. 385
Sibrandus Brungeri filius Loquerdius 222.246 ejus uxor Tetta Broecm.& filij ibid.293.296 ibid. Occo ibid.289.295. Brungerus 246.393 318.337.352.356,& ſeq.372. Imelo 303.318 Sibrandus 352. Occo 385
Wilco Friſius Loquerdius 933
Otto Papius Loringa Præfectus Stichuſanus 530 536.612, ibid.638.664.830. ejus filius Adolphus Lor. 873
Lotharingia 80. Hugo Loth.dux ibid. Gotefrid.à Friſ. captus 89,& ſeq. Gothelo ibid. Gotefr. Claud. & Gotefr.Gibboſus 95,& ſeq. Gotefr. Bulion. 98
Franciſc.Lowenburgius, Saxon.Princeps 954
Lubbo Sibeti fil.& Sibetus Lubbon. vide Ruſtri. 946
Lubeca 109.290.301.454,& ſeq. 166
N.Lucelburg.dux 97. Henricus 772
Petr.Lucenborgius 385
Joh.Ludemannus Epiſc.
Ludgerus Theol.Friſius 41.58.59,62. Monaſter.65,& ſeqq. ejuſque frater Hildegrimus & Gerbertus 63,64
Goſſo Ludigmannus 88. Jarichius 99
Ludingkerckum cœnob.à Ludigman.ſtructum 112 131.281.544.554.592. & ſeq.everſum 739
Ludovicus Pius vide Rom.Impp. 59.61
Lullus Theol. 230.234
Luna fluv.27. Caſtellum ad Lavic. 236,& ſeq. everſum 691
Henr.Dux Luneburgius 625
Siwerd.Luſingius eques
Luteſborgica ditio 27.330.ibid.vid.Manninga. 339.368
Paridonius Lutichius Hamburg. 927
Martinus Lutherus

M.

MAccumum 280.380.805.814
Mada Fluv. 23
S.Magnus 68
Herm.Malſborgius 782
Joh Mandeſlous 415
N.Manius Baro 202
Lutetus Manninga 309. Bergæus occiſus 330 ejus uxor Adda Sircſen. ibid.332. filia Gela nupta Onnoni Euſuman.309. & filius Poppo 368.370,& ſeq. Peuſumanus 403. Dido Luteſberg.458.709. Edzardus Luteſb.ibid. Dido Focco Peut. 718.844. ejuſque donis fil. obijt 627.

ejuſque frater Poppo 709. D. & Præpoſ.Emdan. 825.844.880, & ſeq.915.917. & ſoror Fya 843. Heijo Maninga 957. Conradus Manſbachius 493

Albert.Mansfeldius 931

Aſigo Mantgumæus 623

Marca vide Monet. N. Marcanus Comes 222

Marcellinus Theolog.Angl.in Friſia 52,53.59

Marchuſium 222

Mariæ Campus cœnob.27. hortus cœn.16.112 179.804.808, & ſeq.813. Vallis cœn.27. M. Wera 328

Marienhova 26.211.217.385.848. piratar.ſedes 245.304. turris 384. ei vicina Weſtela 212

Onno & Remetus Marienhovani 357. Sibo M. 485

Marnenſe cœnob. vide vetus cœnob. Præfectura 17.140.310.808.814.824

Marſatij 9. Marſicus portus 13. fretum 31 Marſumum 229

Boijo Martena Nordanus 112.114

Heſſelus Martena Doconis fil.112.188. obijt 190 Iarges 289. Sicco 361. Sitio 425. Heſſelus 441.480.544, & ſeq.547.559.572.582, & ſeq. 592. ibid. 599. 605. 625. 685. 704.730.746 ibid. Doco 476.483. ibid. 605. 623. 685. Kempo 704.746.788.811.813, & ſeq.820. 841.870

S. Martinus Turonenſ.53. Hajo Martinius 749

Martinus Nerdenſ.Ic. 929

Pet.Martyr Florentin.Th. 935.948

N. Marvedius Baro 202

Suederus Marvicus 786. Caſpar.800. Groningæ præeſt pro Geldro 813, & ſeq.816, & ſeq.820 826, & ſeqq. 830. 833, & ſeq. 836.842.866. 869

Maſſiliam venit claſſis Friſior. 166

Mattiaci 49.74. vide Walachri.

Bernhardus ter Matius Deveranus 816

Maurißingij Groning.200. Wigboldus, Folcherus 239.308

Maximilianus Imperator 929

Cyprianus Meccama 114. Pibo 394. Wilibrordus 424. Taco 425.ibid.

Nomo Meccama Emdanus 388.391.423.463

Nomo M.Groothuſanus 873.880.917. Wiardus 873

Mechlinia 929

Medachij 17.140.198.215.308.310.808.810. 814

Medena 29. pag.vet.Præf. 256.336

Medenblicum 13.47.55.179.182, & ſeq.771

Petr.Medmannus, Theol. 948

Meerhuſium cœnob. 136.214.953

Ioan. Albert.Megalburgij Princeps 949

Taco Megema 289

Udo Meijeus 709

Ludolfus Meima Baſſelous 263. Haco Meinæus 499

Sizo Meinſma 476

Philipp.Melanchthon 927.948

Meldorpa opp.Dithmarſ. 29.588

Sicco Mellema 289. Siricus 342.359

Tedo Mencama 290

Georgius Mengerius 843

Mennema vide Minnema, Wiardus Mennenius Reiderius 388

Menno Simonis, Anabaptiſta 892.922

Elbo Menolda Hellumanus, ejuſque filius Elbo & nurus Ida MenterWoldica 177

Menterna cœnob. 132.176.292.307.344. Menternenſes 177. vide Munta.

MenterWoldij 179. Ida MenterWoldica 177

Meppela 20. Wilhelmus Meppelius 609

Rodolfus Mepſchius Groning.441. Iohan. 612 953. Rodolf. 786.804, & ſeq.814. Everhardus 826

Florentius Merunus 202

Metis à Maximiliano Imp.obſeſſa 945

Bernh. MetZius 556. Dico Mettius 878

Iarges MetſlaWirius 289. Iouco 426

Godefridus Michaelius Pirata 242. Arnoldus Michael. 519.525.603.606

Martin.Micronius, Flander Theol. 946

Middelſtumum 133.ibid.400. Midlumum 387 872

Middochum 907. Ommo Middochius 677.777 & ſeq.

MidWolda pagus vet.Præf. 17.20.223.256.356. 718

Folbertus MidWoldanus Theodori filius 177

Milda flu.30. Mimingroda vide Monaſt.58.65

Weſſelus Milius 388

Minda 930

Mindenſis Epiſc. 66.78.238

Minnemij 480. Wibo Minnema 257. Wattejus 392. Franciſcus 625.633.685

Mintzovium arx 144

Tiardus Moccama 359.476.478, & ſeq.485.604 608, & ſeq. 622.680.690.733. Gerbrandus ejus frater 476.478.485.595.603.ibid.622. 680.684. Taco 426

Henr. & Theod. Moerſenſ.Com.301. Walravus 341. Chriſtoph. 784.789.797.799, & ſeqq. 801, & ſeqq.813.816.845.891

Meno Mogena Nordanus 188

Moguntiæ Epiſc. 59, & ſeqq.72.95.116,133,148

MolcWerumum 237. Monachodamum 13

Monachorum furor in Friſia 197.281

Monaſterienſes, Hæretici 938

Monaſterium vide Mimingroda. Epiſc.jus in Friſia 222. Theodor.Iſenburg. 129.133. obijt 134. Ludolphus 135.142, & ſeq. Otto Lippienſis 148. Wilhelmus 163, & ſeq. Gerardus, Friſiorum hoſtis 165.168, & ſeqq.171 Eberhardus 173, & ſequ. Florentius Wevelinghovius 214.223. N.238.240.241. Henr.

Moerſenſis amicus Fecconis Lerani 301,& ſeq. 304.306.339,340,& ſeq.365.388.424.Henr. Suartzburgius 409.411,& ſequ.416.422,& ſeqq.460,& ſeq. Conr.Ritbergicus 535
Monemawald. 129
Moneta ad certum valorem redacta 450.461 falſa 194.341. Groningenſis 135.199.453.669.673. Emdenſis 147.377. Nordana 164 Fevelingica Marca 151. Marca vetus 174 Anglica 177.199. Sterlingenſis 165.171.154 Francica 223. Scutati 202.272.406. Ultrajectina 223. Trans-Iſalana 450. Arnhemica 263
Monno,hæreticus 926
Joh.Regner.Wilhel.Monfortij 202
Morimij 24. Mormerij 22.237.298,& ſeq. 322,& ſeqq.332.378.405.410.
Muda arx 181.& ſeq. cœnobium 206.530
Arnoldus Mularius 419. Gerard. 824.868 ibid. Wolfius ibid.
Mulberga 931
Wilh.Mulico Gelder 827
Munſteri Runæ domini 20. Rodolph.M.Runenſis 642.685.ibid.& ſequ.689. ejus uxor N. Heemſtra 686. Georgius 875. ibid. & ſequ. 889
Muntana arx 241.340. clauſtrum 262. nobiles 263.335.341. vide Menterna 309.340,& ſeq. 353,& ſeq. 357.365.456.611. Muntendamij 256.336
Joh.Munterus 367.373

N.

Martinus Naerdenus 840.899
Baldainus Naldwicenus Hollandus 182. Wilhelmus 202. Johan. 451
Johan.Naſſovius Com.Epiſc.Ultraj.171. Reinoldus Geldriæ Comes vide Geld.180. Adolph. Imp.ibid. Philippus 513,ibid.& ſeq. Henricus 772,& ſeqq.780
Nendorpa 461
Martinus Neocamerus 567.575.880
Martinus Nerdenſis Legat. Benthem.Com. 942.946.
Neſſa arx 255.341. vicus 323.595. Ulricus Sacerdos Neſſ. 272,& ſeqq. Inſula 24.176
Otto Niding.Groning. 200
Nieburgum arx Hollandi 175. Oldenburgi 413 415
Niedorpij 114. Nienhuſa arx Hadeler 29
Nielandicus ager prope Boiſwerdiam 130
Nieropa 13
Hugo Nilius 820
Eppo Nitterſhemius Stedumanus 233.ibid.ſeq.
Carolus Nitzhemius 840
Nobilium in Friſia Imperium 32.35.36.203 arces 114.172.203. veſtitus 34. occiſorum mulcta 282.360. bona libera 622,& ſeqq.
Occalo Nonega Bundenſis 223

Nordani eorumq́; caput Norda 22.23.26.58.1[illegible] & ſeq. 130.146.154.164,& ſeq.172.175.178 & ſeqq. 181.188.191.197. 293,& ſequ. 200 214.247.249.[illegible],& ſeq.318,& ſeqq. ad 323 329.& ſeqq. 332. 337. 346. 351.355.366.& ſeq. 373.385.389.391.406.459.463.[illegible] 828.848.864,& ſeq.872,& ſeqq.885.
Nordani Conſules 164.175.188.191.197. Fridomanni 175. abrogati 204. N. arx 178.33[illegible] templum & turris 179.186.256. Cœnobium 27.164.173.191.2[illegible]3. locus conventus Dominicanorum 188.197.218. & vicinia ejus 175
Norda incendio deformata 181.191.674
Nordanæ familiæ,vide Aldersna, Attena, Idzinga, Omminga.
Nordbroca pagus 256.330
Nordernia inſula 31.231
Nordhorna pagus 20.265.809.815
Nordorpa 348,& ſeq.378.856
Nordſtrandij Friſij 30.158
Norawolda pagus 445.448
Normanni 46,47.69.73.75,& ſeqq.ad 83.87, & ſeqq.98.188. & Norwegi 73

O.

*O*Bnakuſium 451. *Taco Obbana 499.532 & ſeq.*
Occo Hengiſti filius 43.& nepos 44. Occo Theol. Anglus in Friſia 52,53
Ziallingus Ockinga 99. Watzo 102. Ipo 274 Goſſo 289. Hero 623
Octopagici 198.233.235,& ſeq.263.265.267, & ſequ.297.400.402.425.796.804.808.815. 817
Occowerana domus 376. Wineco Occowerania Reiderius 223
Arnol. Oijenhuſius 717. Otha opp.Monaſter. 531
Wilhelm.Oyus Gelder 719.721.724.735.738
Otha civ. 946
Oldambtij 638. vide vet.Præf. 265
Oldebrugga 24. Oldeburgum arx Broeem. 304,& ſeq. dirutum 300
Oldeheemſtra vide Heemſtra,Oldewoldij 359
Petrus Oldenbokius 772
Oldenburgici comites 24. Fredericus & Eilmarus 100. Henricus 107. ejuſque frater Henricus & filij Mauritius & Chriſtianus 108,& ſeq. Wibrand.Epiſc.Ultraj.135. Henricus 146. N.158.181. Conradus 207. Mauritius Gerardus 207.& ſeq. Conradus ibid.212 Chriſtianus ſocius Occon.Broeem.ſen. 213.238 245. Maurit. ſocius Kenon.Broec.jun. 265 ejuſque filia Engelbergis nupta Occoni Broeem. jun.294.331. ei Delmenhorſtum accrevit 297 Theodor.contra Fecconem Leranum ſocius Occonis Broeem.298,& ſeqq.302.& ſeq. Loquerdiorum 318.324.331. Sireſeniorum 352.350 351

355. Chriſtianus ibid. Rex Daniæ 364.388 410. & hujus frater Gerardus ibid. hoſtis Ieverani 377. vide 324. Cankeniorum 378. Sibonis Dorn.Eſenſis ibid.& ſeq. & ob Siricium Freburgium 385. Ulrici Com.Friſ.ibid.388, & ſeq.401,& ſeq.405.409,& ſeq.414,& ſeq. 420,& ſeq.423. Varelam occupat 420. ejus frater Mauritius 379.388.(& hujus filius Iacobus 422.) ſorory N.Tekenburg.409. & Iacob.Stuartus Scotiæ Rex ibid.& 415. filius Adolphus 414.420.590. Otto ibid. Iohannes 415.421. patri ſuccedit 423. Stadlandos 587. ibid. 590.613,& ſeq. ſibi ſubycit 691,& ſeq. Edzardi Com.hoſtis ibid. Liberor.Edonis Ieverani tutor 677. obyt 835. ejus ſoror Helwigis nupta Edoni Ruſtro Ieveran. 536. uxor Anna Anhaldina 536.930. fily Antonius 845,& ſeq.888.901. Chriſtophor.854.858. filiæ Anna nupta Ennoni Com.Friſ. 855 Armgardis nupt. Heroni Dorn. Eſenſi 526. Chriſtophorus 931

Oldenburgum 108,212. Hilmarus Canon.Old. 275

Tiardus Oldendorpius 331.356. Oldenzela 59

Olderſhemum 22.26,27.785.837,& ſeq.872.875

Olderſhem.arces 217.318.322. familia vide Valderani.

Oliverius Theologus Legatus Pontif.in Friſia 118 127.132.ibid.& ſeq.

Omma oppidulum 793,& ſeq. Alo Omminga Nordanus 197. Ala & Iga O. 249

Iacob.Omphalius IC. 953

Ruerdus Onama 289. Ono 339. Saſcherus 437 Feyo 499

Ico Onken 220. vide Inhuſ. Lubbo Onken 350. 535. vide Cnipenſ.

Onno à Wolfranno liberatus 55

Meinoldus Onſta 149. Onno ejuſque fily Onſteny 231.233.238.& ſeq.240,& ſeq.260 262 Meinoldus 231.266.289. Iohannes, Edzardus, Abelus, Folcmarus 231. Ailco ibid.268 274.276,& ſeq. 279,& ſeq.286. Abco 231. 239.266.289. corumq́, reditus fiſco illati 241 262. Hiddo 289. Ailco 609.639.701.732. Abelus 808. Hiddo 887. Iohannes 906.

Ioan.Onſtenius 946

Opſterani vide Upſterani.

Orationes 78.121.155.169.447.510,& ſeq.555. 604.620.621.641,& ſequ.645.ibid. 764. vide 89.134.136.146.208.447. militares Henrici Craſſi 100. Focconis Lerani 299.305. ejuſque fily Udonis 329. Edzardi Comitis 611

Orientalis Friſia vide Friſiæ reg. quarta ab Amaſ.in Viſurgim. Comites vide Sircſena.

Orthuna arx vide Lerorth.

Oſnabrugenſis Epiſc.64.67.133.415.419. ejus jus in Friſia 222

Oſta fluv.28. Oſtelanus agger 295. vide Weſtela Folkerus Oſtelanus 357

Ioh.Oſtendorpius 508

Oſterbrocai 359.395.425. Oſterenda 392

Oſtfali 63.65

Oſtergoa 15.60.98.102.111.129.132.190.206. 228.500.503,& ſeq.520.557

Alteco Oſtergous 281. Tiardus & Wiggerus 132,& ſeq.

Oſterhuſa munita 318.320.369. diruta 320.349 Oſterhuſ. familia vide Allena.

OſterWerum 929

OſterWoldij & Goi 178

Oſterzea 116.253.796

Oſtringij 23.109,& ſeq.172. Edoni Ruſtro ſubjecti 204.& ſeqq.220.321.327.331,& ſeq.363 373.378.390.411. vide famil.Ruſtr.

Oſtringvelda 528

OſtWolda pagus vet.Præf. 223.256.336.356

Oterdumum 262.303.335.356.579.611.635. 950

Everh.Ovelackerus 878,& ſeq.

Ovelgunna arx 24.27.692

Gerard.Ovingius Groning. 491.ibid.507

OxWerdicum clauſtrum 265.288

Oxonienſis Academia 935

P.

PAdepala locus Groningæ vicinus 355

Padelborna ſedes Carol.Mag.65,66. Wibrandus Oldenburg.Epiſc.135. Simon Lipper. 158.165

Frid.Palatinus 933

Paleſlotum locus 449. N.Comes Paleſteinius 389

Palmare cœnob.in Dullart. 176,& ſeq.179.222.

Papeborgum 953

N.Papenborgius 327. Haijo 355.387,& ſeq. ejus uxor Tiada Beninga Grothuſ.422. Alaricus 406

Papingij Groning.147.155. Allardus P. 188

Otto Papius vide Loringa.

PaWinga pagus 176

Pedezana arx 147.152. Rodolph.Pedezanus 150.ibid. Adolph.ibid.153. ejus fily 165

Hubertus Pedezanus Cancell.Geld. 801,& ſeqq. 816,818

Pekelborga arx 418.579

Pepergoa 257

Anton.Peronotus, Atrebatenſ.Epiſc. 945

Peſtis in Friſia 150.171,190.203.205.210.240. 618

Petcumum 828.875. N.Petcumanus 328 Tammo EWingius 352.Gerardus 385,& ſeqq.

Eno Petcumanus judex 387

Petrus Eremita dux exercit.ſub Bulion. 98,& ſeq.

Petrus Longus hoſtis Saxon. & Burgund. 732. 740.758,& ſeq.770.771.775.784.

Penſumana arx 27.828. Dodeco Penſ.246.vide Manninga 535

Remmerius Pibenus Pirata 354,& ſeq.

Sigiſmund.Pflugius Cancell.Saxon. 572.574.604 621

620.625.631.635. Caſpar 682. Andreas 730. Julius Theol. 934
Pilſumana arx 249. Enno Pilſum. Tyonis filius ibid. 246
Pipinus vide Francor. Reg.
Tido Plewerdicus Helmari Edelingij filius 352. Ubbo 458.462.529.535. Brungerus 534. Imelo 873
N. Ploſius 358
Theod. Pluterus Groning. 195
Herman. Pochius eq. 693.697
Joh. Poder Groning. 190,& ſeq. 195
Siurtus Polarus 598
Martinus Polhemius 513
Polmanni Groning. 200
Sigiſm. Auguſtus Poloniæ rex 941
Wilhelm. Pongius 202
Pontifices Romani Gregor. M. 45. Agatho 46 50. Sergius 52,53.59. Gregor. II. 59. Zacharias ibid. Leo 68. Gregor VII. 96,& ſeq. Urbanus II. 98. N. 116,& ſeq. Innocent. III. ibid. Honor. III. 121.131.133. Gregor. IX. 142.145. Innocent. IV. 148
Eco & Buto Poppingawerani 438.442,& ſequ. 133
Poppo dux Radbodi R. 54. Pop. occiſus à Martello 56,57
P. periit in prælio Turonenſi ibid. P. Theolog. in Dania 87
Poſta pagus 234.579.888. vide Rengers.
Johan. Potterus Groning. 374.441. vide Poder, Matthias 544
Prædones Saxones in Friſia Orient. 225,& ſequ. 236,& ſeq. 241.244.
Prælia Friſiorum cum Francis 54. ibid. Normannis 75.79.82. cum Hollandis 88.95,& ſeq. 157. occiſo Wilhel. Imper. 201,202.228. 740. Saxonib. 100.101.106.146.300.587. 691. in bellis civilib. Sciring. & Vetcoper. 229 265.279.300.305.476,& ſeq. 481.518.530. 540.559.581.596,& ſeqq. Edzardi cum Herone Eſenſi 532. Groninganis 611.& ſeq.
Privilegia Friſiorum vide Friſiorum libertas.
Prodigia 188.517.519.541.626
Pulwurmum vicus 30. Purmerenda 13
N. Puteanus, Holland. 187

Q.

QUedelburgum 98
Caſp. Quernumanus 956
Wilhelm. Quinonius 774

R.

RAdbodus Rex Friſ. vide Friſ. Reges. Radbodus Friſ. Epiſc. Ultraj. 76.78. R. dux Friſiorum 82
Raerdani 392.436.521. Jello Sacerdos R. 515. ibid.
Joan. Rakenius 956. ab eo virgo Hiſpana vitiata ibid.
Ramanfredus Francus 54. Rangarius Friſo 55
Bredo Ranzovius 889
Theod. & Gerard. Raphorſtij 173
Aſigo Raſwerdus 644
Ratiſbon. 68. Epiſc. 95
Joh. Rattellerus 841
Ravenſbergica ditio 138. N. comes 142
Rechterana arx 823. Adolph. Rechterenus 581 ejuſque frater Johannes ibid 685 & ſeq.
Reda oppid. Weſtph. 461. Diricus Redanus 667
Remetus Rederus Emdanus 385
Reepſholtum 946
Reida vicus Oſterreida Weſterreida 16.176.222. 262.354.357.611. Reiderwolda 21.176.222. Reidana Ea amnis 177. cœnob. 214
Reiderij 21.64.132.138,& ſequ. 142.147.154. 169.174.176,& ſeq. 206.209.222.239,& ſeq. 256.294.303.306.324.332.388.700.866.871 898 691
Boſſo Regenſtenius Comes 155
Reimanni Groning. 113
Saco & Wilco Reinalda
Topco Reindius Emdanus 321.326.357,& ſeq. 364
Folpetus Reindſena Nordan. 175. Taco Reinſonius 484
Reinſmageeſta 393.445
Simon Reitſchachius Cancell. Saxon. 693.697. 742 129
Eppo Rembada Monemawald. Fiveling. 78,& ſeq.
Rembertus Friſius Epiſc. Brem. 951
Herman. Remco, prædo 499
Ubco Remconius 368
Helmich. Rencelius Hamburg.
Johan Reneſſius 185 & ſeq. N. 224. Henricus 280
Rengeri Groning. 200.259. Johan. ibid. 232. periit 260. ejus filius Detmarus ibid. 289.292 294,& ſeqq. 308.341. Detmarus Præpoſ. Farmſum. 335 341. in f. Iohan. R. Poſtanus 407,& ſequ. 411.416.418,& ſeqq. 430.450. ejus uxor propinqui 419. filij Detmarus 420 565.577.579.609.635. & Johan. Poſtanus 565.579.644. Johan. Scermeranus 463. Detmarus Dicanus 579. Johan. R. Schafferanus 374.396 vide Schaffer.
Religio in Friſia vide Eccleſia.
Repſholtan. pagus 23.906,& ſequ. templum 409. 420. arx 385. familia vide Freburg. Helmerus R. 333
Henricus Reſius Monachus Nordan. 839,& ſeq. 848.
Johan. Retbergicus Com. 298. occiſus 300. Conradus Epiſc. Monaſt. 535. ejuſque ſoror Eliſabetha nupta Edzardo Friſ. Or. Comit. ibid. Johan. 687. Otto gener Heronis Eſenſis 859.909 & ſeq. Onna Retbergica Eſena & Witmundæ domina 930

Retpergius Comes Weſtphalic. 930
Herman. Rex Groning. 374. Nicolaus 579. Egbertus 551.593.602.650.694. Lubbertus 649. Albertus 705
Rheda 932
Rhenus antiquus 9.52
Alb. Rigenſis Epiſc. in Friſia 148
N. Rikenſtenius 585
Taco Ringia 114. Wilco. 438.443
Michael Ringius Emdanus 326.345.355.364
Menco Ripenſis ſacerdos 152. Joh. Riperbuſcus 580, & ſeq. 698.700. ibid.
Unico Ripperda Farmſumanus 240, & ſeq. 260 Fridericus 951. obijt ibid. Haijo 266.289. 291.302.322.328.334, & ſeq. ejuſque filij Bolo ibid. & Unico 337.387.407, & ſeq. obijt 411. 418.430. hujus uxor Vlſca Lerana 337. & filiæ Wiſca nupta Haiconi Valderano 387. & Hyca Penſumana 843. filij Haijo 565.579. 609. obijt 627. & Eggericus 565.579.610. & illius liberi Unico D. & Præpoſitus Emdanus 825.843. Bolo 758.579. & Fya nupta Dodoni Manninga 843. Omco Hintanus 843, & ſeqq. 886.879, & ſeqq. obijt 910.
Ripperdææ factio in Heemſtræos 358. Rippertus 289. Focco ibid. 359.361. Abbo 359
Wilhelmus Riſenburgius 171
Riſumum 372. Udo Riſumanus 635.637
Ritzebuttela arx 29
Rixfridus Friſius Epiſc. Ultraj. 74
Rodbernus Fivelingius 118.169. vide Farmſ. Decan.
Douwo Rodemarius 517.571
Rodena 292.634.639. arx Euſumana 581.717.814
Henricus Rodius 840.848
Laſius Rodmerſma 289
Ricleſus & Menno Roſhuſij 677.777.748
Wilhelm. Roggendorpius 774.781.788.795, & ſeq. 798
Rolandus perijt 63
Rolda vicus Drent. 36,146.795.799
Rollo Normannus 82, & ſeqq.
Albert. Roltmannus Groning. 374. Hildebrandus 831, & ſeq. 841
Romam eunt Friſij 68. ibid.
Romani Pontifices vide Pontif. Imperatores, Claudius, Domitianus. M. Anton. Philoſophus 46 Valerianus, Diocletianus 47. Theodoſ. M. Arcadius, Honorius 38. ibid. Martianus, Valentinianus III. ibid. Mauritius Cappadox 45 Conſtantinus Pogonatus ibid. Juſtinian. jun. 52 Leo Iſaurus 59. Carolus M. 35.58.61, & ſeqq. ad 72. Ludovicus Pius ibid & ſeqq. Lotharius 75. Carolus Craſſus 78.80. Arnulfus 81 Ludovicus 84. Conradus & Henricus Auceps 85. Otto I. 86.101. Otto III. 87, & ſeq. Henricus II. ibid. 89. Henr. III. 91. Henricus IV. 92.96, & ſeqq. 100. Henr. V. ibid. Lotharius Friſios Hollandiæ comiti dat 101, & ſequ. Conradus III. 103. Freder. Barbaroſſa 106, & ſeqq 109. Henricus VI. ibid. 116. obijt 117. Otto IV. ibid. 144. Fredericus II. ibid. 131. Friſios ad bellum ſacrum hortatur 133. 145.148. obijt 154. Henricus Thuringus ibid. Wilhelm. Hollandus 148, & ſeq. Rodolph. I. 174 180. Adolph. Naſſovius ib. 187. Albertus 185. 187. Henr. Lucelburgius 189. Ludovicus IV. & Carol. IV. 203. Rupertus & Sigiſmund. 257.264 341. Frederic. III. 373.389.404.408.412.429 & ſeqq. 488. obijt 493. Maximilianus 450. 493, & ſequ. 496.514, & ſequ. 521.525.562 Friſios Alberto Saxoni dat ibid. & ſeqq. 582. 594, & ſeq. 623 635.639.640.673, & ſeq. 677 704. obijt 782. Carolus V. 746.785.788. vide Holland. Comit.
Bento Rommerſæus 311. vid. Botta.
Petrus Rompta 118
Godefrid. Roorda 99. Goſſo 101. Franciſ. 114 Sicco 256. Wilco 289. Ruerdus 361. Sceltco 380. Johannes ibid. 428. Leo 444. Juwo 604. Fredericus 754. Wibrandus 474.571. ibid. Sibrandus 549.559. ibid. 730.811.888
Worpius Ropta 188
Arnold. Roſenbergius, Leg. Dan. 954
Mart. Roſſemus 781,784.845.875, & ſeqq. 880 ibid.
Rottumana inſula 31.343.354. cœnob. 20.153
Meinoldus Ruffus Groning. 180
Rugovenum 294
Runa 20.37. vide Munſteri.
Ruſtri 23,24.66.109.158.200, & ſeqq. 207, & ſeq. 216.245.261.269.291.298.302.321.324 327.329.331.363.390.411. inundatione Oceani magna ex parte abſorpta 679. Transjadanorum res cum Bremanis 201.207, & ſeq. 216.245 261.269.291. Nobiles ibi potentes 269. Edo 91. Haijo Huſechus & Lubbo Sibeti 216. Dido Lubbonis 261. ejusq; filij Dido & Geroldus 264
Edo Wimeconius Jeveranus, ejuſque majores 203 potentia in Ruſtria, Wangria, Oſtringia 204, & ſeqq. 208.212.216.219. per Bremanos aucta 208.220. captus 221. Stavera 285. obijt 252 ejus ſororius Haijo Huſechus 216. filius Dodeco & filia Frowa nupta Lubboni Sibeti & ex ea nepotes Sibetus & Reinolda 253
Lubbo Sibeti filius Ruſtrus Transjadanus 216. gener Edonis Ruſtri 253. ejus agnatus Dido Lubbonis filius Langewerdanus 245.261. (& hujus filij Dido & Geroldus 264.289. filiaq; Jucſa uxor Hajonis Harleſij 264.349. & propinqui 291.) liberi Sibetus & Reinolda 253. 350.411, & ſeq.
Sibetus Lubbonis filius Ruſtr. Jeveranus avi Edonis ſucceſſor 253.266.284, & ſeq. 288, & ſequ. 291.297.301, & ſeq. 806.318 & ſeq. 321.323 & ſeq. 327 & ſeqq. occiſus 330, & ſeq. ejus uxores Tetta Broecm. ſoror Occon. jun. 266. & Amca Lerana Focconis L. filia 297.301, & ſeq. ſoror Reinolda 253. nupta Lubboni Onkenio Cni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

penſi 350.& frater vel agnatus Hayo Harleſius ibid.
Hayo Harleſius Ruſtr.Iever. ejus uxor Iueſa 264 350.obijt 351. ejus liberi Tanno Diuraus & Sibetus ibid.355
Tanno R.Iever. 363,& ſeq.367,& ſeq.372.377, & ſeq. 385.390. obijt cum filio Hayone 391. relicto ex Tetta Pakenſi Edone Wimeronio jun. ibid.
Edo Wim.R.Iev.391.403.406.412.452,& ſeqq. 455.526,& ſequ.529.533.536.obijt 677. ejus uxores FroWa Dorn.Eſenſis 452.535.& HeilWigis Oldenburgica 536
Chriſtoph.Edonis filius 679.698.705. obijt 766. ejus ſorores 776,& ſeqq.821.843.849,& ſequ. 862,& ſeqq. Maria cliens domus Burgund. 866,& ſeqq.899,& ſeq.906,& ſeqq.909.
Siſo Rinenburgius 196.N.880

S.

Sibrandus Sacama 428,ſeq.
Sacerdotes in Friſia ſuperbi 145.uxores ducunt 168
Wibo Sacolenus LeoWardius 761
Sageltanus ager 21.461
Ioh.Salderius 878. Henricus 778
Luerdus Samminga Bundanus 352.355.388
Sanda vicus in Lenganis 401.in Fivelgoa 779.884
Tanno Sandelius 205.Hero S.Tannonis & N.Inhuſanæ filius Iconis nepos gener Iconis Cnipenſ. Inhuſ.heres Hiſæ conſobrinæ 363,& ſeq.
Theod.Santhorſtius 202
Bennerdus Sappema 394. Renico Sapperus 474
Timannus Sappius 823
Saraceni 56.à Friſiis pulſi 68,& ſeq.85.119.165 166
SaWerdia 231
Mauricius Saxo 945
Saxonum nomine comprehenſi Friſij 31.38,& ſeqq.42,& ſeq. Reges Wergiſtus 40. Beroaldus 48.49. Edelhardus Radbodi I.gener, Bertholdus 50.56.58. Witichindus & Albigo 61, & ſeqq.64,& ſeq.67. Eghertus dux Saxon.94 Albertus Friſiæ inhiat 477,& ſequ.513.548 550,& ſeq. eamq; à Sciringijs 556,& ſequenti, Imper.accipit 562.577.582.586.595.597, & ſeq.600.602. obijt ibid. ejus filius Henricus 577.586.591.593.598.602,& ſeq.& Georgius 619,& ſequ.622,& ſeqq.625.639.682. 684.689.691,& ſeqq.708.728.730. Carolo Burgundo relinquit jus ſuum in Friſiam 742.748. Magnus LoWenburg.587. vide Brunſw.
Saxones diviſi in 8. diœceſes 58.66.75.78.
Henr.Scadius Weſtph. 388.416
Scaga vicus 13.112,& ſeq.
Theodor.Scafferus Groning.335.347,& ſeq.374. Iohan.Rengerus Scafferanus 374.396.Iohan.S. 432.507.518.543.574.576.615.620.659.694 724. Goſenus 612.Nicolaus 783.789.812.826 & ſeq.
Ioh.Scatterus Groning. 579.820
Scarla vicus 188. Iohan.Scartius 344
Adolph.Scelgius Groning.242. Iacobus 256.259 261.263.265.
Scellingo inſul.16.31.131. Scellingholta pagus 1… 173.
Sippo Sceltama 425,& ſeq.474.507.623. Gabbe 815
Iacobus Sceltinga 258. Henr.Sceltingius 842
Schemeda pagus 256.ibid.336.354.Elico Scemedanus 223
Gellius Schengius Hollandus 236. Otto Schenckius Saxo 730
Rodolph.Schenkius Tautoburgius 742. Georgius 788.799.804,& ſeqq.811,& ſeq.818,& ſeqq. 835,& ſequ.840.845.850.868.884.887,& ſeqq.890,& ſeq.898,& ſeqq. obijt 910.
Scermera 419. Snelgerus Scermeranus 169.178 463
SchoWenburgius Comes Weſtphaliæ. 930.951
SciltWoda 20.114.133.168
Sciringiorum & Vetcoperorum factio 200.228 230.256.260.263.265,& ſequ.270,& ſeqq. ad 285.288,& ſeqq.443,& ſequenti 446.515 & ſequ.537,& ſeqq.551,& ſequ.556,& ſeqq. Sciringijs favet Imperator 266.273,& ſeq.483 & ſeqq.551.556.
Wiliboldus Scomburgius Saxo eques 556.558,& ſeqq.561.564,& ſeq.568,& ſeqq.571.573,& ſeqq.
Sconebecius Legat.Uriſbergij 932
Scorta vicus Holland. 113
Scortema in Oſtringijs 109.206.220
ScoterWerſij 204.217.219.253.vide StellingW.
Ioh.ScoWenburgius Com. 687
Ab Screijus Hamburg. 364,& ſeq.
Georg.Scretlinus 490
Otto Scroderus Emdanus 326.355. Henric.459
Feico Sculteda Stedumanus 263
Nicolaus Sculto 396. Iohan. 824
Sedica pagus 24
Ioh.Seggerdus 906,& ſeq.
Sehuſma arx 144
Iohan.Selbachius 770,& ſeq.886
SelWerda cœnob. 20.163.198.809.815. territor. 796
SelWerdia famil. 18. Godſcalcus ejuſque filij Egbertus & Ludolphus 178. ibid. Adolphus Henricus & Ludolphus & illius filia Ida nupta Herm.Coverdio 205.223.ibid. ejuſque nepotes ex filia 199. 220.ibid.364.367
SengWerdia pagus 544
Ioh.Seſtadius 74
SevenWoldij 15.236.538,& ſeqq.558,& ſeq.575
Sexverumum 157.267.271.274.
Sicco Siarda Franekeranus 279,& ſeq.284.289. ibid.290. obijt 291. relicta filia EdWerda cujus maritus DouWo S.agnatus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

gratus ibid. 392.427.432,& ſeq. obijt 438. ejus filius Sicco S. 433.435,& ſeqq.439.443, & ſeq. & filia Suobba nupta Jarichio Hottinga 392.436. & filius nothus Tiardus Græſtera 437. Heſſelus S.474. Douwo 557
Syo Siardſma 289
Ino Siberna Nordanus 332
Sibetzburgum ſtructum 219.318. obſeſſum 329, & ſeq. dirutum 331
Diurtus Sibinga Midwoldanus 223
Sizo Sickema 342
Sickingij Groning.155. Ludolph.Sickinga 178. 180. Gerardus 195.200. Johan.259. Ludolph.ibid. 308.374. Petrus 623.626.641. 656.677.694.697.701.721.724.753.820.832 & ſeqq 842
Michael Sidonius,Theol. 934
Sigeri Sylva cœnob. 440.814
Bruno Sigerus Groning. 374
Syo Sijdtſma 280. Jelmerus 518.ibid.
Ziallingus Sytiama 392. vide Bottinga.
Silomonachum cœnob. 27.173.357
Silveſtres vide SevenWoldij.
Caſparus Sinada 289
Aggæus Sindelius 311.358. vide Wikelius.
Sircſenij Gretani 211. Ulricus Sircſena 212 Edzardus ejuſque uxor Doda Broecmer. 213. 215. & ex ea filij Imelo & Haro Gretani, & Enno Nordanus Gret. 246
Enno S.Nordanus & Gretanus 241.246.289. Focconis Lerani ſocius297.302.306,& ſeqq.& hoſtis,libertatis defenſor 317.319.321,& ſeqq. 332.obijt 368.relictis filijs Edzardo Ulrico 297 & filiab.Adda 330.& FroWa 341
Edzardus S.Ennonis filius 297.321.in Focconem & Focconianos belli dux 322. electus 323. Broecmeria occupata 332.337. Imelone Emdenſi Hamburgum abducto 325.Foccone patria ejecto 326.328. Sibeto Ruſtro & Udone Nordano occiſis 329,330. Allenijs Carkenijſque in exilium actis 331. Hima Udon.Nordan. vidua in ordinem redacta 332. Broecmeriam retinet 337. Hamburgenſib. ſiſus 338.341,& ſeq.345,& ſeqq.350. cum uxore altera FroWa Berumana 330.348, obijt 351.
Ulricus Ennonis f.297.Edzardi fratris ſocius322, & ſequ.330.341.349,& ſeq. & ſucceſſor 352 Wiardo Valderano ſocio uſus 368. cum Groninganis 353,& ſequ. 356.358.365. & Tannone Ruſtro Jeverano pace factâ 363,& ſeq. Emdâ Hamburgenſib.redditâ 364. poſt diſſidia cum iiſdem 367,& ſequ. & ab iiſdem receptâ 370 & ſequenti. ducta uxore Focconis Lerani nepte & herede Theda 372. lite cum exulibus Allenijs & Loquerdicis tranſacta ibid. à Friſiis Rector electus 372. ab Imper. Freder. III. 373,& ſeq. (imperio fœderib.Groninganis 376.384. & Hollandicis 383,& ſeq. firmato 381. arcibus Gretana 379,384. & Emdana ſtructis 383. Emdæ etiam beſſe acquiſito 385, 455.462.) creatus eſt Comes Friſiæ Orient. 389.390. obijt 391. ejus ſorores Adda Luteto Manninga 330.332.368.370,& ſeq. & FroWa Siboni Dornum.& poſt Epponi Gockingâ nupta 341,& ſeq.378. uxores Foelka Eſenſis Heronis Stedesdorpij vidua 349. & Theda Lerana Uconis Leran.& Heba Atteniæ Dorn.f.256.322 372.395.372.387.ibid.390.395.cum tutorib. Sibone Dornum.Eſenſi & Herone Mauritio Cakena à mariti obitu feliciter regens 391.401 & ſeqq.406.409,& ſeq.Freburgo accepto 413. 420.458. obijt 463.526. & ex ea liberi Heba nupta Erico ScoWenburgio 383. Gela 384. defuncta 460.385.423.448,& ſeqq. Edzardus 388.Uco 389.461.673. Almeda 390.458 & ſeqq.813.
Edzard.Ulrici fil.256.388.423.Com.Friſ.Orient. 460 461.463,& ſeq.poſt motus cum Jeverano, Eſenſi, Monaſt. 528,& ſeqq.531.533,& ſeq. 700.compoſitos 535. Ad Saxones contra Groninganos 565.567.569.574.576,& ſeq. Oterdumo & Dammonâ munitis 579.583.591.595 prælio ad Dammonam commiſſo 611,& ſeq.614 622.625.634.637.643,& ſeq. & ad Groninganos contra Saxones 649.662. Groningam veniens 664,& ſeqq.669.673,& ſeqq.680,& ſeq. 687,& ſeq. proſcriptus 689.700.705. & ad Geldrum contra eoſdem 710.713,& ſeq.717. Groninga eidem tradita 723.725.726.736.738 739.746,& ſeq.757. & poſt diſſidia cum Geldro & Groninganis 738.741.744,& ſeq.749, & ſeqq.752,& ſeqq.760.762,& ſeqq.ad Burgundos ſe vertit 764.766.776,& ſeqq.779.785 788.806,& ſeq.811.813.815.cum Balthaſ.Eſenſi paciſcitur 821,& ſeq.823,& ſeq. converſus ad religion.reform.785.788.obijt 839. ejus teſtamentum 681. uxor Eliſabetha Retbergica 535.obijt 680,& ſeq.& ex ea liberi 839.842. 844.848.Ulricus 766.773.777.Enno ſucceſſor patris & Johannes Falcoburgius 863.865.881 duxit Dorotheam Maximil.Imp. naturalem f. 600.902.906.908.911.& ſeqq.915.919.921 & ſeq. (& hujus filius Maximilianus 912.) Anna 855.Margareta nupta Phil.Waldecco 813. Armgardis 899.905
Enno 839 842. patris unicus ex teſtam.681.901 ſucceſſor 844,& ſeqq.848,& ſeqq.851.855. Balthaſ.Eſenſem ibid.& ſeq. capit 858,& ſeq. ab eo rurſus ſæpius vexatus 864,& ſeqq.867, & ſeqq.871,& ſeqq. 875,& ſeqq. cum eodem paciſcitur 880.887.899,& ſequ.902.905,& ſeqq. obijt 908. ejus uxor Anna Oldenburgica 855.910.912,& ſeqq.915,& ſeqq. & liberi 908. Edzardus, Johannes 901
SirceWerumum pagus 215.217.247.320
Bruno Siricius 438
SiWerdus Sirtema vide Groweſtenum.
Rodolph Siſſinga Groning. 775.832.842
Taco Sitema 521
Sizo Sincama 474

Siverſhuſium 946
Dodo Sinſma 274
Siweco Harsfeldius Præfect. Lengan. 378.385.405
414.423
Chriſtian. Sizobuttelius ſacerd. Emd. 825
Joh. Slamſdorpius Bremanus 291.297
N. Slenitius 529.575.666
Sleſwicum 85,& ſeq.
Slochtera 635.637,& ſeq.718
Slota oppid. 15.130.270,& ſeq.283.289,& ſeq.
358.361.391.435.439,& ſeq.539.543.558.
801,& ſeqq.806,& ſeqq.814.816,& ſeqq.
Sluſta vicus Wagr. 105
Slutera arx 145
Smalcaldica militia 937
Smalingani 309.453.804.814
Sneca oppid. 14.243.289.358.361.381.383.392,
& ſeq.409.426.433.436,& ſeqq. ad 441.446
448,& ſeqq.451.479.481,& ſeqq. ad 487.491
518,& ſeq.541,& ſeq. 549.593.599.763.801
& ſeqq.806,& ſeq.811,& ſeq. Vide Haringſma.
Herm. Snellius Groning. 651.694
Hieronym. Sneſius 740
Somnium Ludgeri 54
Abelus Sogelanus Emdan. 383.385.388.391
Solwerda vicus 888
Somenſetus, Dux 935
Sonda Locus Fivelgoæ 163,& ſeq.171
Ludov. Sonſhemius 677
Sorices noxium in Friſ. animal 9
Fridericus Spadius 930
Odgerus Spangius 202
Sparendamum 634
Martinus Speiza 204
Spica Worſtenſ. pagus 28
Gerardus Spiegelius Groning. 178
Wernerus Spiegelius 724.763.799
Spikeroga inſul. 31
Henr. Spillæus Daventr. 810
Stada 29.88.204,& ſeqq.108,& ſeq.144.172.
389.454.461.805. ejus Comites ſeu Marchiones Sifridus 88.92. Udo 93. eorumq; poſteri 104
Stadlandi 24.245.261.373.377.587.590.614.
691. vide Ruſtri & Transjadani.
Gerritus Stania 474
Stapelmora 306.871.874. *Staphorſtum* 794
Bertholdus Starckenborgius 425.476.483.499
Sippo 425. Botto 595
Laurent. Stathagius Groning. 953
Statura ſtupenda 449
Stavera 14.15.45.47.55.88.97.116,& ſeq.130.
200,& ſequ.229.237.243,& ſeq.253.257,&
ſeqq.279.283.289.291.396.398.452.804. incendio fere everſa 283
Wibetus Stedesdorpius, vide Eſenſis Hero Omconius Stedesd. 317.320,& ſeq. cui ex Wibeti Eſenſis filiâ 332.348. filia Onna nupta Siboni Dornumano ibid. 362. obijt 390. vide Dornum.

Stedingij 24.144,& ſeqq.158
Stedumum 233.263. vide Nitterſh. Sculteda.
Stellingwerfij 189.204.217.219.236.253.257.
771.796.817.819.
Joh. Steinbergius 432,& ſeq.778
Herm. Steinhovius 344.529.534
Stenius vicus 443
Stenovicum 14.795,& ſeq. *Joh. Stenovicus* 786
Arnoldus 260.263.270
Stenvelda 461. *Stenvordius Commendat.* 173
Joannes Stephanus, paſtor Nordan. 927
Stichuſa 27.339.373.389.405.414.778
Broderus Stiukena 499
Botto Stolbergius Comes 572. ibid. 691. Henricus 674
667. obijt 29
Stormarij 245
Nicolaus Stortebeker pirata 396.407. ibid.
Henricus Stoterus Groning. 775
Stracholdij 415. *Arnoldus Strach.* Stuirlonum
Strandij vide Nortſtrandij *Sturij* 9. 144
arx 396
Henr. Stuirmannus Monach. 359
Suachij 401.
Henricus & Guntherus Com. Suartzburgij 729
421,& ſeq. Leonard. 228.256.236.411
Sudebroca quæ & Oſterbroca
418,& ſeq. 413
Sudenburgij Cankenij in Amaſana
Suderhuſa in Oſtergoa 132.268. Boyngus
204.215.217.247.328.330,& ſeq. Egbertus Boyn-
Suderhuſ. 204. Feddo 357. 669.673.682.688
gus 372.385.388. Harco
697.701.709.724. 786.809
Sudthorma 572.613
Henr. Suevus 567
Aſwinus Suicholdus 66
Suidbertus Friſius Epiſc. Ultraj. 52,& ſeqq.58
Suidbertus Anglus Theolog. 290
Taco Suidcama 202
Hermannus Suietenus Holland. 257
Adolph. Suitenius 562
Leonard. Suytzius
Suolla 14.787,& ſeq.793,& ſeq.798,& ſeqq.818
822,& ſeq. vide Tranſiſal.
Godſcalcus Supperochius ejusque filij Menſo, Rodolph. Herbertus 111 116
710,& ſeq.
Joh. Suſatus 34.839.912
Gerardus Synellius

T.

16.311.393
541.
TAboriticum cœnob. 554. ibid.
Taconis cataracta 701
Sibetus Tadæus 220
Ludolph. Taggius
Wilmathus Tammius
Abco Tamminga 289. Hiddo 308. ejus filij Ewo 309
ducit Bawam Leranam Fecconis L. filiam
& Onno T. Euſumanus ibid. de cujus uxore &
poſteris vide Euſum. 667
N. Taubenhemius 757. *N. Tauberus*
Tautenborg. vide Schenckius. Tedemai

Tedemæi Groning. 200. Johan. 396
N. Tenaglius 769
Teilingij 88. Simon & Theod. 202
Nicol. Tekenborgius Com. 298.300.409.691
Otto 687
Tekelnburgius, Comes Weſtfalic. 930
Terræmotus in Friſia 164. Teſterbantia 52
Rombertus Sizo Epo Tetæus 358. & hujus filius Douwo 450. vide Hottinga.
Texela inſul. 13,14.31.113
Thedinga cœnob. 27.173.238.357
Theſinga cœnob. 20
Theodardus vel Tiardus Epiſc. Ultraject. 74
Theodoſinda Radbodi Friſ. Regis filia 53
Guilhelm. Thomſernius 931
Georg. Thoremus Eq. 595.600.602, & ſeqq.
Thuringia 59
Hoitetus Tiaberius Legat. 933.945.954
Tiadmera 428. Meijo Tiadmerius Emdanus 372 383.385.388. Tiardus Tiadſhuſius 220
Tiamma rivus 177.222. Tiamſwera 888
Ino Tiarchaus 205. Tiarcowerdia arx 435. vide Jongam.
Tiardæa arx 426. Sibrandus Tiarda 280. Foppo 289. Worpius T. Reinſmageeſtanus 393.435 595. Foppo Abbingaus 450. ejuſque filius Petrus 451. Hebbo 474. Scelto 471, & ſeq. 582, & ſequ. 605.608.635. Sizo 836,869 903.
Wiardus Tiarſmæus 735
Tiacco Tiddinga Eextanus 223
Wibo & Kempo Tiebkij 477. Ulco 499
Tiela oppidum 88
Volprechtus Tierſius 519, & ſeqq. 542
Garmerus Tyrlingus ejuſque filij 533
Damus Tilius 537
Albert. Tidkius Emdan. 326.364.372.435
Popio Tirnta 288, & ſeq.
Torpera 222. Torumum 21.176
Trajectum vide Ultrajectum.
Transjadani 23,24.216,245.373.390.454, & ſeq. 462, & ſeqq. 614.691.849. vide Butjadæ & Ruſtri. Albertus Transjad. 757
Trans Iſalani 62.116.253.257.275.277.382.450 453.780.787. 793, & ſeqq. ad 800.810.829. 835.850. vide Campi Daventr. Suolla.
Trans Iædani 21.299.322, & ſeqq. 332.353.875
Tremonia 953
Wilhelm. Truchſelius Walburgius 615.623.625, & ſeq. 635
Tucwerda 888
Freder. Tuickelius 796, & ſeq. 807, & ſeq. ibid.
Tuixtum pagus 295, & ſeq. Folcardus Tuixlumanus 190
Jacob. Tunemannus Daventr. 272, & ſeq.
Tunetanus Rex à Friſiis victus 166, & ſeq.
Tunxdorpa 461
Lubbertus Turcus 759.772. Wilhelm. ibid.
Guilhelmus Turnerus, Medic. 935

V.

Valck vide Falco.
Valdera 25.173.368.387.390. Valdera minoris familia 211. Haro Valderanus Ayoldi f. occiſus 221. ejuſque uxor Elborga Broecmeria 213, & ſeqq. filia Occo nupta Ayoldo Altenio 216. & filius Haico 246, & ſeq. 249. 254. & hujus filij Ayoldus 254. & Wiardus V. Olderſhemius ſeu Uphuſanus 255.297.302 317. Socius Sircſeniorum contra Fecconem Leranum ibid. 320, & ſeqq. 323, & ſequ. 327. 329.332.357.367, & ſeqq. 372, & ſeq. 387.390 obijt ibid. ejus uxores & liberi ibid. 387. Haro ejuſque uxor Diudleta Cankena 387. Haico ejuſque uxor Wiſca Ripperda ibid. 458.533. (ejus filia Eſſa nupta Ulric. Dornum. 533.) Occa nupta Snelgero Howerda Elborga 387. & Wiardus ibid. 458. Hicco Olderſh. 458.709. Tanno 748. Hicconis filij Boyngus 843. 856, & ſeq. 859.862, & ſeqq. 866, & ſeqq. 900.906, & ſeq. 908. Hero 843.873.905.915.918. Haro Godenſis 903
Vandali 38.47.105.107
Haijo Varelius 420, ibid. & ſeq.
Joh. Vaſmarus Brem. 332
Aggo Ubbema Ipcolgaus 283. Ulbetus 359 Taco 582, & ſeq. vide Obb.
Bebbo Ubbena Nordanus 175
Wilhelmus Ubbena 667, & ſeq. 682.688.709.750 & ſeq. 778.879.881. Rembertus 709
Ubbingana Præfectur. 17.814
Ubbo Danus 69. Friſius 70, & ſeq.
Ubbo Emmius 710
Ubbo Philippi Anabaptiſta 883.892 vide Anab.
Harco Udenga Nordanus 164
Hero Udenius 342
Veenhuſa in Broecm. 304, & ſequ. in Oldambtijs 336
Velavia 795, & ſeq.
Veldenſe cœnob. 23.27.172.203
Herm. Velenius 795.953
Arnold. Veltmannus, Theol. 952
Ludolph. Venius Campenſ. 419. Rodolph. 583 ibid.
Verdæ Epiſc. 66.78.409
Henricus Verius Seland. 346. Henricus 822
Joh. Vernebergius 223
Verona Friſior. 13.156.179.183, & ſeq. everſa 186
Veſtitus Friſior. 33
Vetcoperorum factio in Friſ. 200.228, & ſeq. 236 399.448, & ſeqq. 452. vide Sciringij.
Vetus Cœnob. in Wonſeran. vel Florido campus 16 112.200,202.258.274.281.450.816. Marnenſe 20.114.153.179.310. ad Dammonam 20.173.
Vetus Præfectura 10.151.164.169,170.173, & ſeq. 176, & ſeq. 179.206.209.122, & ſequ. 232 234.

234. 240,& ſeqq. 243. 256. 263. 303. 307,& ſeq. 335. Groninganis juncta 336. 341,& ſeqq. 345. 348. 352. 356. 375. 418,& ſequ. 566. 579. 601. 637,& ſeq. 668. 689. 692. 700. 704. 715,& ſeq. 779,& ſeq. 796. 824. 827. 850. 878. Ejus facies antiqua 222. Dullartus 164. 176. 222. 261. 307,& ſeq. 374. ordin. conventus Middwoldæ 242. Sigillum 174. 206. 210. 256. 307 familiæ nobiles vide Gockinga, Huninga, Tiddinga, Howerda, &c. 222,& ſeq. 241. 336

Vetus terra 29

Edo Uffenus Emdan. 709

Doco Uffinga 258. Leo 342

Johan. Uſkenus Groning. 701

Henricus Vianæus 171. Hubertus ibid. 224

Vidrus Friſiæ termin. 14

Visfleta 20. 593. 808,& ſeq. 816

Riclefus Vishuſius 677. 777

Sibrand. Visquerdanus 190. Wiardus 246

Henr. VitZebius 599

Focco Ukenna vide Leranus.

Theodor. Vlancertus 202

Meinoldus Ulbinga 289

Ulferd. Uldinga Nordan. 197. 459

Everhardus Ulgerus Nortdicæus 355. 374

Conradus 543. Rodolph. 602. Petrus 789. 804,& ſeq.

Petrus Ulmenſis 564. Nicolaus 615. 701. Caſpar. 872

Wiardus Ulſdanus Reiderius 223

Petrus Ultrajectinus, legat. 945

Ultrajectum vulgo Wiltaburgum 51. conditum auctumq; 49,& ſeqq. 52,& ſeq. 58,& ſeqq. vaſtatum à Normannis 76,& ſeqq. turbatum 171. 186,& ſeq. Ultraj. Epiſcopi Willibrordus 51. 53,& ſeqq. 57,& ſeqq. Gregorius 61. Albericus Anglo-Saxones 62. Theodardus, Hermacarus, Rixfridus, Fredericus 74. Ludgerus, Hungerus, Odilbaldus, Egilbaldus, Radbodus Friſij, Baldericus 76. Adelbaldus Friſ. 88,& ſeqq. Bernolfus 91. 101. Wilhelmus Geldrus 94,& ſeqq. Conradus Suevus 98. Gondebaldus Friſ. 101. 103. Andreas ibid. Herbertus Friſius ibid. Hermannus, Godefridus III. & ſeq. 115,& ſeq. Theodor. Holland. 116,& ſeq. Otto Lippienſ. 128. 134,& ſequ. Wibrand. Oldenburg. 135,& ſeqq. 138. 141,& ſeq. Otto Com. Holl. 146. Henricus 151. 163 165. Joh. Naſſovius 171. Wilhelm. 182,& ſeqq. Guido Hannon. 186. & Wilhelm. Juliacenſ. 187. 189. 190. Johan. 191. 196. Florentius 217. Johan. Arculæus, Johan. Vernebergius, Arnoldus Hornæus, Florent. Wevelinchovius 223,& ſeq. Fredericus Blanckenhemius 225. 232. 235. 239,& ſeqq. 253. 257,& ſequ. 260. 264. 270. Henr. Diepholdius, Walravus Moerſenſis 341. Giſbertus Brederodius 376 & David. Burgundus ibid. 381,& ſeq. 453. 686 Fredericus Badenſis & Philippus Burgundus Davidis frater 774. 795,& ſeqq. 796. 798. 804 & ſeq 809,& ſeq. obijt 822. Henr. Palatinus 823. 829. Carolo V. Imp. ditionem cedit 842 846.

Rodolph. Ummenſis 344

Oneco Unama 507. Janco 759. 784. 804. vide Onema.

Fedeco Unia 359. 361. Kempo 425. 429

Tetrus 476. Worpius 483. Auco 507

Fedeco Uninga 273,& ſeq. 289. Tiebco 437

Gerardus Unnenſis Groning. 273,& ſeq.

Unſwedda 416

Volla vicus 352,& ſequ. 461. 870

Vollenhoa 14. 189. 191,& ſeq. 794. 798

Wilhelm. Vordius 795

Godefr. Vordius Ultraject. 845

Joh. Vorſtius, Theol. 947

Vortigernus Britonum Rex 39. 42,& ſeq.

Conradus Voſſius Stenovicus 260. 263. 270. Reinoldus 260. 273. vide Stenovia 930

Uriſbergius Com. 341

Uſquerda 142. Luerdus Præpoſit. 946

Joan. Utenhovius, Fland. 43

Uterius Britonum Rex 176

Uter-Pawinga pagus 877

Haro Uterſtewerius 528. Synoldus 114

Utgongum oppid. 16. everſum 20. 139. 151. 591

Vthuſani in Fivelg. 335

Simon Vtrechtus Hamburg. 297

Vttumani 132. 146. Luerdus Vttuman. Focconis Leonard. Franciſc. Friſ. Vttum. 457. 385. 458 ſororius 302. 321. Beno

W.

Wagenborgum pagus 336. 591

Walachria 74. 76. 82

Philipp. Waldeccus Com. 813. Franciſc. Waldeccus, Epiſc. Monaſter. 937

Johan. Waldenerus 489

Dan. Waldoceus 952

Walfridæus pons 191

Wallenſis via 305

Ippo Walſenius Amdorpius 322

Tiarcho Waltha vide Jongama. Vlbetus 280 Tiardus 281

Wangeroga inſula 31. Wangri 23. 109,& ſeq. Edoni Ruſtro ſubjecti 204,& ſeq. 220. 329. 362 & ſeqq. 378. 411

Wardena oppid. 131,& ſequ. 475. Warena pagus 188.

Warfumum 20

Warnomunda 956

Jacob. Waſſenarius Holland. 173. Philippus 235 398.

Johan. 772. 813,& ſeqq. obijt 818

Weda Friſica 373. 386. 420. Wedanus Com. 119

Wedda in Weſterwoldijs 18. 365. 416,& ſeq. 889

Wedwerda pagus 28. 779. 590,& ſeq. Weiwerda

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
401 B 23 [1]

WeiWerda 335.634
Gerardus Weijus 273
Heddo Welenſis 205
Wellius, Eques 930
Wenera 26.306.365.460.530.674.824.843 & ſeq.871.874.961.
N.Werdenbergius Com. 408
Werdenbraſſeum Caſtellum 642.637.756
Hicco Boyungius Werdumanus 363.378.456.527 ejus frater Edo Boyngius Godenſis 363 Algetha uxor Her.Maurit.Cankena 627 Hero 910. vide Godenſ.903.& Sandelius.
Werenfridus Theol.Anglus in Friſ. 52
Werum cœnob.Emo.
Werumanus 131,& ſeqq.152. Menco 164. 170. N.274. Vicus Hunesgoa 163. Medachiorum 780
Weſalia 449
Weſſelus Gransfortius Groning. 34.456
Weſtela vicus 212
Frid.Weſtelius, J C.& Cancellar. 937.943.956
Weſter-Emda 142.231,233.638
Weſtergoa 14,15.60.98.102.111.138.206.228 Sigillum 282.542,& ſequ.550.554,& ſeqq. vide Friſiæ reg.ſecunda,& Sciringij & Oſtergoa.
N.Weſterholtus 899.534
Luerdus Arndſena Weſterhuſanus 190.214. Embeco 249.321. EWo ſororius Hiſconis Emdani 340. obijt 379.
Weſterlea 223
WeſterWoldij 18.177.222.209.242.362.365.416 & ſeqq.468.797.824.889.898.
Joach. Weſtphalus Th.Hamburg. 949
Weſtphali 13.48.49.58.63.65.67.108
Wetgiſtus Hengiſti pater 40
Florentius Wevelinchovius 223
Siurtus Wiarda Goutumanus 230.235.244 SiWerdus 273,& ſeq. Siurtus & Onno 289
Rippertus Wiarſmæus 290
Juco Wibalda 289
Hajo Wibena Weſteremdanus 231,& ſeq.233,& ſeq.
Jarichius Wibenius 598. Siurtus 605
Wicbertus Theol. Anglus 50.52. occiſus à Radbodo ibid.
Wicheringij Groning. 155. Johan.260. Wilhelmus 334,& ſequ. Johan.432. Wilhelmus 694
Widenbruga 956
Wideneſſa arx 179.182
Albert.Widinghuſius Hamburg. 335
Eno Wigboldi Groning.191. Everhardus 200. 256.260,& ſequ. Albertus 232.239.242,& ſeq. Ludeco 335.360
Jeltco Wiggema 289
Wigboldus Wiggerus Groning.147. Rodolph.180 Bernard. 190
Wiho Friſius I.Epiſc.Oſnabrug. 64.67
Enno Wijnkenius Emdan.326. Haro 423
Jacob.Wijtmannus Suollan. 798
Paulus Wingenius 952
Petrus Wikelius 289.311. ejus filius Aggo Sindelius ibid.358. vide Sindel.
Adrian.Wikius 595
Wilco Friſius Loquerdanus 937
Wildeſhuſa 158.180
Nicol.Wilderſdorpius 796,& ſeq.798
Wilfridus Epiſc.Ebor.in Friſ. 45.49.50.53
Wilgumum pagus 176. N.Wilgumanus 321 341
Wilhelmus Fredericus Groning. 456.463.482. 485.490.495,& ſequ. 502.507.511.514.574 576.600.615.641.677.702.753.756.694.783 585.789.812.828.
Willehadus 61. Willibaldus 52.59. Willibrordus 51.53,& ſeqq.57,& ſeqq. Theologi Angli in Friſia.
Wilibrandus Legatus Pontificis in Friſ. 148
Wilſi gens Heneta 66.67.70
Wiltæ 49. Wiltaburgum vide Vltraject. 51
Henr.Wilthuſius 146
Wimbritſani 438.441
Edo Wimekenius vide Ruſtr.
Wimera 460
Wimodij 211.212
Haico Windehamius Reiderius ejus uxor Heba Attena mater Thedæ comitis 387.395.& ex ea liberi Keno, Occo, & Kenonis filia Fija nupta Ailconi HoWerda & Victori Friſio ibid.
Sifridus Windingius 266.273,& ſeqq.
Windſora 936
Winelhamum pagus in Dullarto 222
Winfridus vide Bonifacius.
Kempo Wina 361
Winkela 13.88.114
Winſchota 20.222.336.365.579. Johan.Winſchotus 842
Johannes Winſenius Emdan. 326.383.385.391
Winſumum 20.132.596
Bern.Winterus Emdanus 344
Wirum patria Ludgeri 62
Wirdumum in Amaſana 215.297.320. in Weſtergoa 437. Unico Wirdumanus 595
Wiſmaria 946
Witeberga 931
Witichindus vide Saxon.
Witmunda 26,27.110.303.351.355. Cankenijs erepta 377.786.855.864,& ſequ.908,& ſequ. Vide Cankena.
Wittenborgum caſtellum 158. Johan.Wittenborgius 604
Chriſtian.Wittendorpius 756
N.Wittenhorſtius 531,& ſequ.
WittoWerumum 20.114.179.888. vide Werumum.
WiWelſhem pagus 295,& ſeq.
Wolda 461
Herm.Woerdenus Holland. 181,& ſeq.

Gerar-

Gerardus ibid.
Woerdenſis ager 27
Woldeſenda 361.438.542.814
Wolfrannus Epiſc.Senon.in Friſ. 55
Vitus Wolkenſtenius 513,& ſeq.
Welterſhemum 263
Wolthuſa. 387.390
Wommelij 112.451
Wonſerani 438
Worcumum 14,15.280.289.291.350.358.361.
433.438.441.449,& ſeqq.805.807.813.
Worſtenſes 28.158.243.257.302.454,& ſeq.587
614. ab Epiſc.Breman.ſubacti 778,& ſeq.781
& ſeq.823.830.
Wrema 28

Z.

Joh.Decanus Zerogeeſtanus 258
Zetela pagus 355.420
Ericus Zevenus 368
Johan.Ziallingus 279. Idzo 438
Nicolaus Zieglerus 250.560.572. Caſpar.
615.623.
Zierquerani 521
Ebo Zilkæus 499
Viglius Zuichemus 34

FINIS INDICIS.

